Digitized by Google

9 M 13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

477.10
5-2

Digitized by Google

PROBLEMATA
THEOLOGICA.
P. DIDACI DE AVENDAÑO
SOCIETATIS IESV.
TOMVS PRIMVS.

PROBLEMATA THEOLOGICA.

TOMVS PRIMVS.

DE DEO VNO,

Præcipuas difficultates circa illius Exiſtentiam, Conſtitutionem, Attributa, Viſionem, Scientiam, Voluntatem, Prædeſtinationemque complectens, cum dilucida, nec trita, explicatione:

ET PROLUSIONE APOLOGETICA

PRO

VIRGINIS DEIPARÆ

IMMACULATA CONCEPTIONE,

His maximè opportuna temporibus.

Auctore P. DIDACO DE AVENDAÑO

SOCIETATIS JESU,

Segovienſi, jam pridem apud Peruvienſes, in Limano præſertim D. Pauli Collegio, Primario Theologiæ Profeſſore.



ANTVERPIÆ,

Apud ENGELBERTUM GYMNICUM, via (vulgò Hooghſtraet) dicta, ſub Pellicano aureo.

Anno M. DC. LXVIII.

8 G. M 13

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI
ALEXANDRO
SEPTIMO,
CATHOLICÆ ECCLESIÆ HIERARCHÆ
ET PRO-CHRISTO
IN TERRIS.

Poſt libata oſcula ſacris pedibus, lubentiſſimo cordis & oris officio.

ELECTIONIS Tuæ, BEATISSIME PATER, ad ſupremum inter homines, divinum planè, & cælis ipſis venerabilem Magiſtratum, adeò ingenti exultatione orbis univerſi terminos fauſtiſſimum nuntium implevit; ut hunc etiam Peruvianum Tractum gemino diviſum Oceano, in gratulatorios plauſus excitârit. ALEXANDRI nomen non ſine omine regionibus iſtis inductum, cùm ſit illud famæ, & ſacrarum Tabularum atteſtatione notiſſimum, ab Alexandro Sexto Catholicis Regibus conquiſitionis & expugnationis jus cum peculiaribus erga Sacra prærogativis ſuprema Auctoritate firmatum: non equidem inofficioſa poteſtatis extenſione, ut fidei deſertores obmurmurant, ſed Paſtoralis muneris amplitudine, quod ad hujuſmodi etiam functiones extendi, & ſolidæ Theologiæ, & Sacrorum Canonum momenta fundarunt.

Quod ergo Alexandri auſpiciis conquiſitum; & magno cum incremento Eccleſiæ comparatum, dum ALEXANDRI alterius ſplendor exoritur, non poteſt non de felicitatis auctario ſibi nimium quantùm gratulari. Hoc ut fidentiùs præſtet, tantarum vitutum cumulus ſpecioſus occurrit, quantæ deſiderari in eo poſſunt, qui in terra nobis, quaſi vivum eſt Divinitatis ſimulacrum, conſtitutus. Talis certè decebat ut nobis eſſet Pontifex calamitoſis hiſce temporibus, pace inter Chriſtianos Principes exule, inquilina diſcordia, & in Eccleſiæ hoſtibus audacia triumphante.

Et

Et erunt ſanè alii, qui commune gaudium, & conceptam melioris fortunæ fiduciam, pleniùs & feſtiviùs, cum gratulatione digniſſima Beatitati Tuæ, Pater Sanctiſſime, repræſentent: Mihi pro meo modulo parciùs, & verecundiùs agendum, & Claravallenſis Luminaris verba, quæ humiliter ille, ex veritate penitus uſurpanda, uno

Nicolaus Epiſt. 30. tomo 12. Bibliotheca Patrum.

mutato nomine Dignitatis. *Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei in Iſraël, ut ad tanti nominis Pontificem noſtris litteris audeam pervenire? Pauper enim ſum, ignobiliſque patria, perſona, longo terrarum ſpatio, & vaſtiſſimi maris interjectu remotus à præſentia veſtræ ſublimitatis.* Sic aiebat ille; cum quo & mihi pariter progrediendum. *Quid ergo tantæ ſublimitati cùm tanta humilitate, ſi non daret mihi fiduciam humilitas Chriſti, in qua, & de quâ reges terræ, & omnes populi, principes & judices gloriantur? Ad nos enim uſque pervenit magnificentia & gloria nominis veſtri, quæ longè lateque dilatata eſt ſuper terram: hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem ſpirituum (ex quo omnis paternitas & in cælis, & in terra nominatur) ut de regno iſto ad regnum illius transferamini, cujus regnum, regnum eſt omnium ſæculorum* Hæc votorum ſumma; in qua tamen boni proprii, immò & communis aviditas, ita procedit, ut gloriam Tibi pro meritis ingentem exoptem, ſed ſeram: ſic enim illa commodior nobis, Sanctitati Tuæ cumulatior adveniet ſoſpitate.

Epheſ. 3. v. 14.

Hoc nobis divinæ Providentiæ alia diſpoſitio videtur non obſcurè polliceri, dum non ut alios, in devexa ætate, ſed vegeta, matura licèt, ad Apoſtolicæ Navis gubernaculum inſolitæ Electionis interventu, Te mirabiliter applicavit. Supra memoriam hominum eſt, (ſi tamen ulla eſſe memoria poteſt rei penitus inexpertæ) Tot Cardinales pro eligendo Pontifice conveniſſe. Totus ferè adfuit ſeptuaginta Purpuratorum Patrum numerus, quos ad promotionis effectum, non ætatis præſtantia, nec diuturnitas Purpuræ, in quibus non pauci præcellebant: ſed poſt Nobilitatis ſplendorem, ſpecies illa, & tanto digna Majeſtas Imperio, animi magnitudo, prudentiæ ſingularis decus rebus in maximis comprobatæ, omnigenæ ſapientiæ ornamenta, & præcellentium virtutum fulgores amicabiles compulerunt. Hæc, hæc profectò Electio eſt, in qua nihil ſibi uſurpat ambitio, veriſſimè in laudem Leontii ſanctiſſimi Antiſtitis Amæno Burdigalenſi concinente: *Ineptus eſt qui ipſe ſe præferre vult Eccleſiæ. Nam rem ſacratam ſumere, Electio divina ſit.* Sumere, inquam, Dei beneficio conceſſam in Electoribus omnibus peculiariter eligentis.

Amænus Burdigalenſis tomo 5. Bibliotheca Patrum Parte 2.

Ut ergo in Electione tanta, & communi Orbis exultatione, non ſolùm bona verba darem, & volatile, ut ſic loquar, elogium pangerem; quod Galatis ſolemne, Diodoto teſte; placuit, pauperi aliàs, & rerum indigo omnium, amplecti. Ex iis, quæ ad manum erant litabant diis, ut nemo grati animi non ſignificati religioſæ materiæ defectum cauſaretur. Ad manum mihi Theologicæ lucubrationes, quibus jam pridem ſtudium non perfunctorium impendi. Et nonnullæ jam publicæ luci commiſſæ: quæ autem de Deo Uno & Trino, graviſſimi quidem ac profundiſſimi negotii molimen, aleam eamdem ſubituræ. ad manum cùm eſſent, viſum eſt obſequioſi ſacrificii materiam deſignare. *Si enim illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*, ſic Dei ipſius unigenâ proferente: quanto id potiori jure ſummo poſſit aptari Pontifici, ad quem non ſolus ſit ſermo Dei

Ioan. 10. v. 35.

& qui-

& quidem ut inviolabilis ſit veritatis oraculum;ſed poteſtas etiam divina deſcendit, ut habeat *Brachium ſicut Deus, & voce ſimili tonet?* Huic igi- *Iob.40.* tur humano Numini litterariam immolationem adorno, cui & imperio- *v.4.* ſæ adfectionis impulſu, & Religionis vinculo ſpeciali, penitus me addictum libentiſſimè recognoſco.

Ubi neque illa prætereunda ratio, quam pietas erga Virginem Deiparam hoc ævo vehementer accendit; dum puritas Conceptionis ejuſdem irrefragabili Sedis Apoſtolicæ judicio ut adſtruatur, communibus Chriſtiani populi vocibus & votis urgetur. Pro quo id à me præſtitum in lucubrationum iſtarum veſtibulo, ut auſim felicem exitum ex compendiario excurſu mihi, & aliis, ſi lectio acceſſerit polliceri. Nihil in eo turbidum, tumultuarium nihil: ſed candidè, modeſtè ingenuè, perſpicuè, & breviter pro pietate, & veritate concluditur. Taliter inquam, ut poſſit tanti Pontificis oculis exhiberi. Quàm autem Sanctitatis Tuæ erga Virginem Immaculatam affectus exæſtuet, novum Inſigne, Gentilitiis Chiſiorum illuſtrius clariſſimè manifeſtat; cùm in eo Virginem ut à Divo eſt Joanne Evangeliſta conſpecta, quando *ſignum magnum in cælo* apparuiſſe commemorat, videamus. Apocal. 12. v. 1. Quod ad Conceptionis illi- *Apoc.12.* *v.1.* batæ myſterium, Eccleſiæ uſus Pontificibus annuentibus, duxit referendum. Quod ergo clamat illa. Prov. 8. v. 15. *Per me reges regnant*, ad te ſpe- *Prov.8.* ctare meritiſſimo judicas, dum capiti Regnum illius auſpiciis impoſitum *v.15.* profiteris.

Perge ergo, Beatiſſime ALEXANDER, & eam, quam honoris tui ſic ſtrenuā curatricem & promorricem agnoſcis, ut potes, ut debes, ut Fidelium ardor comprecatur, honora. Quam undequaque ſplendidam contemplaris, ut & pedes ipſos *radiorum argenteus ordo* condecoret, ne pariaris à quoquam contrariæ aſſertionis tenebris obſcurari. Honoratus ab illa Joannes & oleo exultationis in utero matris inunctus, de honoris ſtatim redhibitione ſolicitus, matrem, quæ Parvuli, juxta Divum Ambroſium, & Patres alios *D. Am-* prophetavit ſpiritu, in ejuſdem fecit laudationem aſſurgere, & voce *broſius* magna Beatiſſimam prædicare. *Exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta* *lib. 2. in* *tu inter mulieres.* Lucæ 1. v. 42. Quæ ſingularis benedictio myſterium in- *Lucæ cap* *1.* temeratæ Conceptionis inſinuat, ut graves Scriptores plenis fontibus *Lucæ 1.* *v.42.* eruditionis illuſtrant. Hoc fac, & vives, *ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini.* Voce magna exclama, non Tar- *Iudith.* *13. v. 25.* peia, ſed Petri de Rupe tonans, benedictionis Tuæ inter omnes Eccleſiæ filios auctricem ſedulam ſic Benedictam oſtendens, ut eam communis ſtirpis Adamicæ maledictio numquam valuerit innodare.

Faciat ſic Te Pax ſumma beatum, & convenientibus populis in unum ** Die* & regibus ut ſerviant Domino, & Dominæ, hac ſingulari gloria exſpecta- *ſeptimâ* ta jam diu potiaris. *Conceptionis votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum.* *dicitur* *electus* Non ſolemnitas quævis, ſed illa, quæ puritate ſtabilita myſterii, non per- *Pontifex,* mittat Chriſtianorum animos inter opinionum incerta fluctuare. *Votiva* *quia circa* illa (ſic interpretari juvat) quæ ſcilicèt eſt votis Fidelium penè omnium *eandē* *diem omnes* expetita. Et pacis quidem conciliandæ tanti cura Pontificis, ipſa electio- *Ele-* nis dies * ſexta inquam Aprilis, anni milleſimi ſexcenteſimi quinquage- *ctores* *pariamo* ſimi quinti, neſcio quod bonum omen indulſit. Si enim Chiſiorum ſtem- *me con-* ma, in quo mons montibus aliis eminentior cernitur, & ſtella monti ei- *ſenſere.*

dem

dem incumbens, in hunc ſenſum derivare libeat, ut fœderatorum regum habeantur indicia : illud ipſum iiſdem occurret comprehenſum litteris, quibus annus, menſis, & dies aſſumptionis Tuæ ad Pontificale faſtigium indicati. Quod equidem Anagrammariſmo celebraſſe feſtivo, ſubjectis pro exornatione carminibus, non erit, ut reor, gravitati indecôrum Tuæ, pro ea, quam erga politiores litteras, & ſacratiores Camænas, benevolentia, cujus publica extant, & luculenta ſatis ſpecimina, erudito in pectore contuliſti. Sic ergo habet ille, paritate litterarum omnimoda : ut exactius nihil poſſint leges inverſionum hujuſmodi requiſiſſe.

Sexta dies Aprilis in Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto.

ALEXANDRI SEPTIMI SENENSIS

STELLA MONTES COEGI : QUI QUASI NIX MOMO INIQUO.

IMpoſitam Stellam referunt inſignia Monti
Chiſia, cui montes eminet inter apex.
Hinc nive candeſcit, cælôque propinquus amico,
Componit lucis munere dona nivis.
Omnis, ALEXANDER, Tibi, Septime militat iſta
Gratia, Senenſis, Gloria prima, Soli.
Splendet nobilitas, probitas nive purior ipſa :
Quam nequeat genitus carpere nocte Deus.
Iſaiæ 2. v. 2.
Sic Mons ille, ſacri, de quo prænuntia Vatis,
Collibus aſſurgens, quò cita turba fluit :
Et ſignata typo ſic Chriſti Eccleſia fulgens,
Cui venit albus honor, commodus unde nitor.
Ergo age Pontificum, qui expectatiſſimus, urge
Fœdera Principibus jam remorata diu.
Diſcordes jungat divina induſtria Montes;
Nam potis eſt montes alta movere fides.
Convenêre olim dum ſtella it prævia, Reges,
Quæſitum Pacis qui reperêre Deum.
O ſi fortè Tuam, quos nunc in prælia diſcors
Mens agit, intuitu, tale ſequantur iter.
Tunc poteris felix, fauſtuſque expromere voces :
Auſpiciique diem ſic memorare Tui :
SEPTIMI ALEXANDRI SENENSIS STELLA COEGI
MONTES, & niveum vincla fuêre jubar.
QUI QUASI NIX MOMO, (quam nullus carpit,) INIQUO :
Utpotè candidius, quâ queat eſſe nihil.

VBi & jam nihil adjeciſſe præſtiterit : beneficium enim indulgentiæ erga fidentiorem dicaturam à Sanctitate Tua ſupervacaneum fuerit exegiſſe. *Superfluum enim duxi*, (ut Sanctus Hildebertus aliàs ſcripſit) *ad benefaciendum excitare Pontificem, qui ante Pontificatum vel innumeris benefacere conſuevit. Hoc ſecum Dignitas non attulit, ſed invênit. Non itaque vereor ut Præſul beneficentiæ renunties, cui te privatus obligaſti.* Vivas diutiſſimè, Beatiſſimè & Vigilantiſſimè Paſtor, pro ſumma Eccleſiæ fœlicitate: *Et de noſtris annis Tibi Chriſtus adaugeat annos.* Sic orat, & orabit ſpiritu, orabit mente,

S. Hildebertus Epiſt. 4. Tomo 12. Bibliotheca Patrum.

Minimus SANCTITATIS TUÆ ſervus
DIDACUS DE AVENDAÑO
è Societate JESU.

Ad Lectorem.

AMice Lector, en habes Tomum quartum Theologiæ meæ Scotiſticæ, & cum eo univerſam Scholæ Scotiſticæ Theologiam in duodecim Tractatus pro meliori tuo eſſe partitam, uſus ſum in hoc quarto volumine iisdem penitùs tum meæ tum aliarum ſcholarum Magiſtris, quos tibi in Tomo primo præ reliquis mihi familiares recenſui, aſt in Tractatu de jure & juſtitiâ, cùm hâc de materiâ non tanta ſit differendi copia, in plurimis Haunoldum conſului, ejúsque operas adhibui. Cæterùm verò quod concernit totam typoſtructuram reſpectu operis univerſi in quatuor Tomos diviſi menda non modica ex abſentiâ authoris irrepta invenies, talia tamen, qualia prudentia tua facilè emendabit: addidi quidem in fine Indicum errata principaliora, at non omnia, cùm nec modus, nec ordo, ea omnia adducendi ſuperſit; de his tamen in genere te monitum velim, primò, quòd variis in locis deprehendes interpunctationes, & commata indebita, quæ ſenſum primâ fronte valdè perturbant, & interſecant; quare ſæpiùs ut debitus ſenſus fluat, transponi aut omitti debebunt. Secundò deprehendes ſæpiſſimè loco majoris minorem vel conſequentiam poſitam, & viciſſim, quod ob abbreviationes quas Typographus in conſiderationem non ducebat, irrepſit, hoc autem facilè prudens judicium tuum ex concomitanti ſenſu mutabit. Tertiò valdè frequenter reperies loco generis maſculini fœmininum, & viciſſim, & loco nu-

numeri pluralis ſingularem, & econtra; in his patientia tua condeſcendet cum Typographis, qui aliquando grammaticas ſcholas non inviſerunt. Quartò ob inadvertentes quandoque in tantâ mole ſcriptorum intercurrentes abbreviationes nonnunquam factum advertes, ut loco *ñ*, id eſt *non*, preſſum fuerit *etiam*, & loco *m̃* id eſt *etiam* aliquando *non*, quod ſenſum rerum ſubſtantialiter mutat, ſed ſpero prudentiam ex conſequentibus judiciùm tuum non ſinere alterari. Quintò in Tomo primo, Tractatu ſecundo, de Deo Trino ſæpiùs apparebit in citationibus par. 1. vel in hâc par. id eſt parte prima, vel in hac parte: legi autem debet in tract. 1. vel in hoc tractatu; nam in manuſcriptis originalibus Tractatus de Deo Uno, & Trino, erat Tractatus unicus in duas ſolùm partes diviſus, qui dein pro typo ordinando in duos Tractatus fuit diviſus, quod ſemper ſcriptor, & copiator non obſervavit; Tandem & præcipuè in Tomo ſecundo, Tractatu de actibus humanis, offendes aliquando in ſenſum difficilem, & ſat obſcurum, clarior autem tibi benevole lector apparebit, & evadet, ſi in fine Indicum errata revidebis, & corriges.

Hæc dum in legendo opus integrum caveris, non diffido, quin hi quatuor Tomi totius Theologiæ completiſſima materia juxta genuinum Scoti ſenſum explanata optatum tibi ſint allaturi fructum, & contentum, fruere his, & vale.

ANNO-

ANNOTATIO
IN TOMUM QUARTUM.

PErſpicuus eſt noſtri Subtilis Magiſtri Liber Sententiarum Quartus in variis, & mirandis ab ipſo de *Septem Sacramentis* patefactis arcanis, quibus & alia inſignia de *Beatitudine & quatuor noviſſimis* annexit documenta, ſicut & memor juris & juſtitiæ varia de *reſtitutione bonorum vitæ, & famæ, ac contractuum juſtitiâ* ibidem adjunxit. Quapropter ùt & cum quoad omnia penitùs explanemus, Tomum noſtrum quartum materiâ de *Legibus* ex libro Tertio commodatum acceptâ, item de *jure & juſtitia*, ac *poſterioribus quatuor Sacramentis* in favorem perutilis doctionis Ordinis adæquatè complebimus; poſtquam materiam de *Beatitudine* tomo ſecundo intulimus, & de *tribus prioribus ſacramentis* in tomo tertio diſſeruimus.

INDEX
TRACTATUS DECIMI
DE LEGIBUS.

Ordo & numerus quæſtionum, quomodo in ſingulis diſtinctionibus proponuntur.

DISTINCTIO I.
De Quidditate & diviſione Legis in Communi.

Quæſt. I. Quid ſit Lex, & in quo actu mentis ejus ratio formalis conſiſtat, ac quomodo primò dividatur? pag. 1.

Q. II. Quænam ſint de ratione Legis, præſertim an & qualis promulgatio, & acceptatio populi ſit de ratione ejus? p. 6.

DISTINCTIO II.
De Lege naturali.

Quæſt. I. Quid ſit lex naturalis, & quæ ejus materia, & an apud omnes homines una? p. 15.

Q. II. An omnia Præcepta Decalogi, omnéſque actus Virtutum quoad ſubſtantiam, & modum ſint de lege naturæ? p. 19.

Q. III. An & quomodo Lex naturæ ſit immutabilis, & indiſpenſabilis per Deum, & Pontificem? p. 23.

DISTINCTIO III.

De Lege Divina.

Quæſt. I. An Lex vetus tota deſierit, & quando deſierit? pag. 30.

Q. II. Qualem legem novam Chriſtus inſtituerit, & an eâ inſtitutâ lex vetus ſtatim fuerit mortifera? p. 35.

DISTINCTIO IV.

De Lege humana, ejúsque obligatione, & ceſſatione.

Quæſt. I. An Legiſlator ſummus Pontifex ſit ſuprà Concilium generale, & an poſſit ferre Leges Civiles? p. 40.

Q. II. An Imperator pro toto Orbe Leges Civiles, & an Regina veras Leges poſſit ferre? p. 50.

Q. III. An Leges humanæ poſſint præcipere actus internos, & an obligent in conſcientia? p. 53.

Q. IV. An Leges humanæ in materia gravi poſſint inducere obligationem levem, & an poſſint obligare cum diſpendio vitæ? p. 61.

Q. V. Ad quid obligent Leges humanæ pœnales & Leges irritantes? p. 65.

Q. VI. Quinam & quomodo obligentur Legibus humanis, an ſcilicet ipſe Legiſlator, Clerici, & Religioſi, Peregrini & Advenæ? p. 71.

Q. VII. An Conſuetudo pro Lege introducta debeat eſſe per actus judiciales, & determinato tempore continuatos? p. 79.

Q. VIII. De Legis humanæ Epicheja & diſpenſatione, earúmque validitate & Liceitate. p. 83.

Q. IX. De Legum humanarum abrogatione & Ceſſatione ceſſante fine Legis. p. 90.

Q. X. De Privilegiorum humanorum contra Leges humanas ceſſatione. p. 92.

Quæſt. ultima. An Religio Fratrum Minorum communicet in privilegiis aliarum Religionum per Tridentinum non revocatis? p. 97.

MONUMENTUM

Recentiſſimum Confirmationis & innovationis Privilegiorum & exemptionum trium Ordinum S. Patris Franciſci Seraphici

BENEDICTI XIII. p. 106.

TRA-

TRACTATUS X.
DE LEGIBUS.

DISTINCTIO I.

De quidditate & diviſione legis in communi.

QUÆSTIO I.

Quid ſit lex, & in quo actu mentis ejus ratio formalis conſiſtat, ac quomodo primò dividatur?

1 ADvertendum eſt 1. Quemadmodum Conſcientia eſt actuum humanorum regula velut interna, ita & lex eſt eorundem extrinſeca norma, cui, ut ſint recti, debent neceſſariò conformari; Lex autem variè accipitur, primò, pro quacunque regula operis tam moralis, quàm artificialis, ut leges Rhetoricæ, Arithmeticæ &c. Secundò, pro adimpletione rei præceptæ, ſicut ſolet dici: nemo facit legem. Tertiò, pro naturali inclinatione ad aliquid, ſic Apoſtolus legem appellavit in membris noſtris concupiſcentiam inclinatam in objecta naturæ conformia. Quartò, pro integra Religione vel Secta, ut dicitur lex Chriſtiana, lex Moyſaica. Quintò, pro Jure, quatenus lex definit & præſcribit quod juſtum eſt. Sextò, pro ſtatuto vel inſtitutione, quia lex firma & ſtabilis eſt, ac humanas actiones benè inſtituit. Septimò tandem propriè ſumitur pro regula & norma actionum humanarum præſcribente aliquid faciendum vel omittendum in genere moris. Hæc autem lex ſecundùm nomen poteſt derivari vel à legendo, quia leges olim ſolebat populus legere in publicis tabulis ſcriptas, & ſæpius legendo in cordibus tenere, vel melius à ligando ut ſentit Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *hic ſunt quatuor.* eò quod homines obligentur legibus ad aliquid præſtandum vel omittendum in converſatione humana.

2 Advert. eſt 2. Certum eſſe legem conſiſtere in aliquo actu mentis, quia lex eſt quædam moralis regula Superioris dirigens & obligans ſubditos ad aliquid præſtandum, non poteſt autem niſi actu mentis aliquis ſuperior moraliter dirigere & obligare ſubditos ad aliquid. Certum pariter eſt legis eſſentiam non conſiſtere in eo actu voluntatis, quo Legislator fertur in bonum commune ut in finem à ſe conſervandum vel inducendum, nec in eo actu intellectûs, quo excogitat & inquirit media ad illud bonum commune conſervandum, nam licèt hujuſmodi actus ad legem conſtituendam ſint neceſſarii, illi tamen non conſtituunt, ſed præcedunt legis eſſentiam, & ideo nec complacentia aut contemplatio medii, quod ut idoneum ad bonum commune inſtituendum electum eſt, conſtituit naturam legis, cùm tales actus jam ſupponant legem eſſentialiter conſtitutam, quæ vim dirigendi & obligandi habent independenter à tali complacentia Legislatoria.

Advert. eſt 3. Communiorem legis diviſionem eſſe trimembrem, ſcilicet in æternam, naturalem, & poſitivam. Lex æterna eſt ratio in mente divina exiſtens, indicans & volens, ut nihil fiat inhoneſtum, ut expreſsè docet S. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 27. *Lex æterna eſt ratio divina & voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens & perturbari vetans.* quæ volitio Divina eſt neceſſaria & non libera quoad approbationem vel reprobationem internam, licèt ſit libera quoad externam præceptionem vel prohibitionem, uti dictum eſt de actibus humanis Diſt. 7. q. 1. quia illa volitio interna pro objecto reſpicit regulas practicas neceſſariæ & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur ut ad Deum & parentes colendos, ad non injuriandum, ad non mentiendum &c. Unde lex naturalis eſt ordinatio authoris naturæ firmiter ſtatuentis de licitis vel illicitis, quatenus naturali dictamine intellectûs velut promulgatione denontiatur. Lex tandem poſitiva eſt, quæ non eſt innata naturæ, ſed aliunde poſita eſt ab aliquo principio extrinſeco poteſtatem habente, ratione cujus dicitur poſitiva quaſi poſita juxta legem naturalem. Difficultas ergo eſt, an lex æterna ſit propriè lex, adeò ut in illam propriè & primariò poſſit dividi lex. His notatis. 3

Propoſitio 1. *Neceſſaria eſt exiſtentia legis pro conſervatione Reipublicæ humanæ.* Ratio eſt, quia creaturæ humanæ innata eſt defectibilitas à fine honeſto: ergo debet dari aliqua 4

qua regula, quâ velut manuducatur ad eum finem conſeqnendum; ſed talis regula eſt lex: ergo. Hine doeet Ariſtoteles 5. Rhet. ſalutem Reipubl. in legibus conſiſtere, nam dicit: *Leges à republica ſiquis auferat, animam ipſam à corpore videret, ſiquidem ubi deſunt leges, ibi furta, homicidia, & qualibet alia ſcelera impunè graſſantur.* Indè illud S. Auguſtini vulgatum eelebratur: *Remotâ juſtitiâ, quæ per leges potiſſimùm ſtabilitur, quid ſunt regna niſi magna latrocinia?*

Nee dicas: ipſa ratio boni honeſti poſſet ſufficienter manuducere ad bonum convictum rempublicam humanam: ergo non eſt neceſſaria alia lex. Antec. patet, quia hominibus naturale eſt amare bonum & maximè perfectiſſimum, quale eſt bonum honeſtum.

Reſpondeo vel conc. antec. & dico, hoc ipſum bonum honeſtum eſt lex naturalia, quæ nos dirigat ad ſe proſequendum, & quod ſibi contrarium eſt fugiendum. Vel neg. antec. nam cum noſtræ naturæ intellectuali objectum non ſit ſolùm bonum boneſtum, ſed etiam bonum commodum, & ei quà creatura eſt, ſit innata defectibilitaa & libertas, quæ plerumque à fine honeſti, in quem debet collimare, deflectit & exorbitat, ideo opus habet aliquâ regulâ, quâ ſemper manuducatur & dirigatur ad illum finem honeſtum, quæ dum ita ſunt de fine naturali, multò magis debent eſſe eerta de fine ſupernaturali, qui cum captum & vires creaturæ rationalia omnino excedat, non poſſet quis ad illum pertingere, niſi & altiori lege dirigatur & ſupernaturalibus auxiliis adjuvetur.

5 Propoſitio 2. *Etiam creatura intellectualis beata eſt capax legis.* Ratio eſt, tum quia Chriſtus ſecundùm humanitatem in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus; ſed non obſtante beatitudine fuit capax præcepti moriendi, quod à Patre accepit: ergo. min. prob. in illo ſtatu eſt dirigibilis ad eoa actus, ad quos retinet libertatem; ſed Chriſtus retinebat libertatem ad actum obedientiæ de morte ſubeunda juxta illud: oblatus eſt, quia ipſe voluit, veruntamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu. Tum quia Deua poſſet imponere præceptum alicui beatò, ut ceſſet ab amore; ſed fruſtra ei imponeret, ſi non eſſet capax legis: ergo. maj. patet, quia ſicut Deus ſe liberè communicat ad extra beatis, ita poteſt ſe liberè non communicare ad extra, ergo ſi ſe poteſt non communieare beato, poteſt illi dare præceptum de non diligendo Deo, cui præcepto ſe conformaret beatus, & ſie per conſequens eſſet capax legia.

Nec dicas: non eſt eapax legis, qui non poteſt illam transgredi, aut contra illam peccare; ſed beatus vi viſionis Dei eſt impeccabilia: ergo. min. patet, quia voluntas vi viſionis Dei neceſſitatur ad bonum.

Reſpondeo diſting. maj. qui non poteſt transgredi nec potentiâ remotâ nec proximâ conc. qui non poteſt transgredi ſolùm potentiâ proximâ neg. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. licèt ergo beatuc non maneat liber libertate proxima ad amandum vel non amandum Deum cum ab objecto infinitè bono extrinſecè neceſſitetur ad amandum, manet tamen liber libertate eſſentiali & remota, quinimò libertate proxima ad alios actua virtutum, qui per ſe neceſſarij non ſunt ad amorem beatificum conſervandum, proinde in ordine ad tales actua poſſet lege dirigi.

Dices: Beatus vi viſionis beatæ ſemper operatur, quod judicat Deo magis placiturum: ergo ad nihil virtutis præſtandum opus haberet lege directiva.

Contra diſting. conſequens lege directiva inducente obligationem in conſcientia aut omiſſionem talium operum ut peccaminoſam vetante conc. lege directiva conſervando gloriam accidentalem majórem vel minorem illam legem adimplendo neg. conſeq. nam etſi Chriſtus operabatur omnia, quæ judicabat magis Patri ſuo placitura, habuit tamen legem de ſubeunda morte vel obligantem ſub conſcientia & pœnæ reatu, ut multi volont, 1
& nos cum illis in Tom. 3. Tract. de Incarnatione Verbi, vel ſolùm promittentem gloriam ſui corporia & nominia exaltationem, ac noſtrorum peccatorum remedium, ſi mortis ſubeundæ præceptum impleverit, quæ aliàs ei non fuiſſent collata, ſi noluiſſet pati & mori.

Propoſitio 3. Pariter creatura intelle- 6
ctualis damnata eſt capax legis. Ratio eſt, quia Deus poteſt imponere damnatis præceptum, quo hi coërcerentur, ne ita exorbitent in malum: ergo creatura damnata eſt capax legia quoad vim coërcitivam. Antec. pater, quia Deua multa prohibet dæmonibus, ne nobis in tantùm noceant, in quantùm ipſi vellent.

Nee dicas: lex dirigit ad bonum; ſed damnatus propter obſtinationem ad malum non eſt in bonum dirigibilis: ergo non eſt capax legis.

Reſpondeo diſting. maj. dirigit ad bonum vel poſitivum vel negativum eonc. ſemper ad poſitivum neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. nam etſi damnatus propter obſtinationem nequeat dirigi quadam lege ad bonum poſitivum & meritorium, poteſt tamen aliqua lega coërceri, ne ſaciat malum; hinc licèt non ſit capax legia quoad vim directivam, benè tamen eſt capax quoad vim coërcitivam. His propoſitis.

Aſſero 1. ad quæſtionem. *Lex eſt regula* 7
conſtans actionum humanarum ingenita vel præſcripta propter bonum commune ab eo, qui gerit curam communitatis, & in ea ſupremam authoritatem obtinet obligans ad aliquid faciendum vel omittendum. Eſt communis. Deducitur ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *hic ſunt quatuor.*

Pro-

Probatur explicando: dicitur regula, quia lex formaliter per ſe indicat agenda vel omittenda in quo convenit cum conſcientia & ſynteresi. Dicitur conſtans, ut lex diſtinguatur à ſimplici præcepto, quod pro arbitrio præcipientis tollitur, lex autem ratione ſui debet eſſe immotabilis, licèt aliquando mutationi ſubſit, vel ratione materiæ cui applicatur, vel ratione finis ob quem conditur. Dicitur actionum humanarum, ut excludantur actiones noſtræ naturales & neceſſariæ, quæ ad honeſtum dirigi nequeont. Dicitur ingenita vel præſcripta, ut comprehendatur tam lex naturalis quàm poſitiva. Dicitus ob bonum commune, quia finis legis eſt felicitas Reipublicæ, ideò ad privatum bonum detorqueri non debet, & per id pariter differt à præceptis ſimplicibus & privilegiis, quæ tantùm particulare bonum reſpiciunt. Dicitur ab eo, qui curam ſeu juriſdictionem communitatis gerit, ut differat ab ordinationibus, quæ ſunt ab eo, qui merè œconomiam & dominativam curam habet ut paterfamilias, qui ſolùm ad privatum familiæ commodum tendit. Dicitur obligans ad aliquid &c. ut differat à monitionibus, conſiliis, inſtructionibus, quæ nullam obligationem indicant, ſed tantùm directionem, lex autem non tantùm dirigit, ſed ad aliquid faciendom vel omittendum obligat.

8 Objicies: per præfatam definitionem non benè definitur omnis propria lex: ergo non eſt ad rem. Antec. prob. lex naturalis dicitur à Juriſtis, quòd ſit illa, quæ omnia animantia docet, & per conſequens quæ eſt communis animantibus & hominibus; ſed in animantibus non poteſt eſſe regula actionum humanarum obligans: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad probam dico Juriſtas legem naturalem latè ſumptam pro inclinatione naturali deſcribere, nam propriè naturalis ſic dicitur, quatenus humanæ tantum menti inſidet ad ſecernendum honeſtum à turpi, & licitum ab illicito, ideò in Advert. 3. dicitur ordinatio authoris naturæ, non ipſius naturæ, quia cùm prohibeat puros actus internos, eoſdem ut præcipiat, non poteſt eſſe à pura natura, neque etiam ab hominibus, quorum imperium ſe non extendit ad animam.

Dices: novum Teſtamentum vocatur lex Evangelica; ſed in eo plurima continentur conſilia, item in jure plurimæ reperiuntur conſtitutiones aliquid ſine obligatione præſcribentes: ergo ſaltem lex non debet eſſe obligans.

Contra: neg. conſeq. quia lex quandoque ſumitur lato modo ſcilicet pro tota diſpoſitione Legislatoris circa ſubditos, cujus tamen conſtitutiones & conſilia ſeorſim ſpectata non ſunt propriè lex, ſed ſubinde vocantur lex, vel ob ſimilitudinem cum legibus ſtrictis, vel quia eidem cum veris legibus ſunt inſertæ volumini. Plura de requiſitis intrinſecis ipſius legis videbuntur quæſt. ſeq. Interim

Aſſero 2. *Lex eſſentialiter & formaliter conſiſtit in ſolo actu voluntatis, quo Legislator vult ſubditos obligare.* Eſt Scoti in 1. D. 34. q. un. §. *Reſpondeo* item in 3. D. 36. q. un. §. *quantum ad iſtum articulum poteſt dici.* Contra Thomiſtas. 9

Probatur 1. In eo formaliter eſt ſita ratio legis, quod Scriptura ſacra pro lege ſignificanda ſolito adhibet; ſed pro eo adhibet actum voluntatis: ergo. min. patet, tum Pſal. 102. notas fecit Filiis Iſraël voluntates ſuas, id eſt præcepta & leges; tum Pſal. 39. in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei &c. Hinc etiam in Jore Civili celebris Juris Conſultus Ulpianus legem appellat placitum principis.

Probatur 2. Propria legis ratio per quam diſtinguitur ab aliis actionum humanarum regulis, præſertim à Conſiliis conſiſtit in decreto obligativo communitatis; ſed vis obligativa oritur ſolùm ex actu voluntatis: ergo min. prob. vis obligativa eſt actus juriſdictionis ſeu poteſtatis ſuperioris velut uſus dominii cujuſdam in ſubditos; ſed uſus dominii cum ſit liber eſt actus voluntatis, ſicut uſus dominii vel voluntatis in cæteras potentias exteriores: ergo. ex his pariter patere poteſt, quòd proprietates legis magis conveniant actui voluntatis, quàm intellectûs, imò huic planè aliquas proprietates legis, ut ſunt movere, applicare & obligare ſubditum, nequeunt convenire: imò nulla lex dicitur vera vel falſa, ſed ſemper juſta vel injuſta, quod eſt in voluntate.

Objicies 1. Legis officium eſt illuminare 10
& inſtruere ſubditos juxta illud Pſal. 18. præ- 11
ceptum Domini lucidum illuminans oculos; ſed hoc convenit actui intellectûs & non voluntatis: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. eſt illuminare vel ſubjectivè vel objectivè conc. ſemper ſubjectivè neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. nam etiam voluntas ſuperioris illuminat ſubditos, quatenus illa voluntas tanquam regula ſubdito propoſita, dat cognoſcere quidnam ſubditi voluntas debeat amplecti, & ſic nec intellectus ſuperioris aliter quàm objectivè dirigit ſubditos, nam formaliter ſolum illuminat illum, cui ineſt.

Dices: Cicero L. 1. de Legibus dicit: Lex eſt ratio humana inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibétque contraria, quod & alii ſcriptores legum confirmant: ergo lex conſiſtit in actu intellectûs.

Contra neg. conſeq. quia Cicero & alii ſolùm requirunt ad legem actum rationis præſuppoſitivè, quatenus legislator judicat materiam legis eſſe convenientem, ut ſub obligatione ſanciatur, non verò quòd formaliter & unicè in eo actu conſiſtat, undè illi ſumunt rationem pro integra potentia rationali conſti-

tuta ex intellectu & voluntate, quatenus per ipſos hæc non ſunt diſtincta.

Dices: Prineepa poteſt hoc judicium, quod lex includit præſuppoſitivè in ordine ad bonum publicum, alteri committere; ſed tunc lex non minus obligsret, acſi eſſet ab ipſo Principe lata: ergo formaliter conſiſteret in judicio Principis vi cujus tantùm obligationem obtineret.

Contra: diſting. min. non minùs obligaret, ſi vis legislstiva fuit commiſſa eum plenitudine poteſtatis conc. ſi ſolùm fuit commiſſa eum perfectione judicii de convenientia boni publici neg. min. unde quæro, vel ſupponunt adverſaril Principes poſſe delegare ſuam poteſtatem legislativam alteri toram vel partem? Si totam, tunc lex non ſolùm habebit vim ex judicio delegantis, ſed potiùs ex judicio & volnntate delegati. Si verò partem, tunc lex eſſentialiter conſtitnetur ex voluntate delegati, & præſuppoſitivè ex judicio delegsntis.

Dices: poſſet planè Princeps dare commiſſionem alteri, ut judicet de convenientia medii de bono publico, sd quod judicium deinde prineeps vellet obligare ſubditos: ergo nec judicium Prineipis præſuppoſitivè poterit deſiderari ad conſtirotionem legis.

Contra diſting. conſequens, nec jodiciom Principis formale poterit præſuppoſitivè deſidersri conc. nec judicium Principis virtuale neg. conſeq. nam hoc judicium virtuale Principis eſt eſſentialiter inclusum in commiſſione de inquiſitione medii utilis ad finem alteri demandata.

11 Objiciea 2. Omnes tenemur obtemperare legi divinæ; ſed non tenemur obtemperare voluntati Divinæ beneplaciti: ergo lex noo conſiſtit in sctu voluntatis. min. prob. licèt ſeiam Deum velle meum psrentem mori, adhuc poſſum licitè de ipſius morte triſtari: ergo.

Reſpnndeo diſting. min. oon tenemur obtemperare voluntati beneplaeiti, quoad volitum formale neg. quoad volitum materiale conc. min. hoc patet de voluntate præceptiva mortis, quam Pater æternus inſinuavit filio, cui voluntati actu inefficaei & conditionato quoad volitum materiale, quod erat ipſa mors, repugnsbat voluntas humana Chriſti, etſi ei conformsbatur actu efficaci & abſolnto quoad volitum formale, quod erat finis, ob quem ei mors præcipiebatur. Quare etiam licitum eſt de morte parentis triſtari, quia hoc non eſt difformari voluntati Divinæ, niſi in volito materiali & actu ſolum inefficsei & conditionsto.

Diees: Deus præeeptum dedit Abrshamo ut filium ſuum immolaret, & tamen hoc nolebat: ergo præceptum vel lex non conſiſtit in sctu voluntatis obligantia.

Contra diſting. antec. præcepit immolsre filium quoad volitum formale conc. quoad volitum materiale neg. antec. nam licèt in Deo non fuerit voluntsa obligandi Abrahamum, ut filium immolaret, fuit tsmen in eo voluntas obligandi Abrahamum ad exequenda ea, quæ usque ad immolationem ipſam excluſivè requirebantur, & de his dedit ei præceprum.

Diees: Si Rex ferat legem animo non obligandi ſubditoa, adhuc lex obligsret: ergo actus voluntatis non eſt neceſſarius ad conſtitutionem legis. Conſeq. patet, quia in tali caſu imperium Priocipis baberet vim legis. antec. verò prob. qui jurat aut vovet etiam animo ſe non obligandi, adhuc manet juramenti & voti debitor: ergo etiam qui præcipit animo non obligandi ad exequendum, quod præcipit, obligabit.

Contra diſting. antee. Lex adhuc obligaret ſecundùm ſe neg. ſecundùm conſcientiam ſubditi de contraria voluntate ſibi non conſtantis conc. antec. & neg. conſequent. nam quamvis ſubditus peccaret non ſervando legem, dum de contraria voluntate ſibi non conſtat; tetamen ipſa non obligaret, cùm actus agentium non operentur ultra intentionem ipſorum, ut dicunt Juriſtæ; hinc eadem ratio eſt de voto, quod voventem non obligat, ſi absque animo obligandi emittatur, quamvis diſpar ſit ratio de Juramento, quod etiam ſine animo ſe obligandi obligat, eò quòd debitum ſervandi juramentum non oriatur ex ſola jurantis voluntate, ſed ex naturali præcepto, quô quis in reverentiam teſtis, quem in confirmationem ſui verbi sdducit, tenetur ſervare, quod juramento promiſit; econtra verò obligatio legis & voti ex ſola intentione præcipientis & voventis oritur, qui ſi nullam haberent intentionem obligandi nulla in ſubditis & vovente oritur obligatio, niſi fortè per accidens ratione conſcientiæ erroneæ, ut dictum eſt.

Objicies 3. Lex eſt morslis regula sctio- 12
num humsnarum tam directiva quàm obligativa, oſtendit enim quid convenienter pro Republica ſit agendum, & obligat ad hoc: ergo eſſentialiter conſiſtit tam in actu intellectûs dirigente, quàm in actu voluntatis imperante & obligante.

Reſpondeo diſting. antee. Eſt tam directiva quàm obligativa eodem modo formaliter & elicitivè neg. diverso modo, nempe eſt directiva præſuppoſitivè & oſtenſivè & obligativa formaliter & elicitivè conc. antec. & neg. conſeq. nam omnis lex poſitiva requirit quidem judicium prudens Legislatoris ad legem ferendsm, quod & ſuo modo dirigit ſubditos lege jam intimsta, propria tamen legis directio, quæ eſt per impoſitionem obligationis, in ſolum actum voluntatis eſt refundenda, quia judicium ex ſe nullam obligationem inducit, imò poteſt eſſe in Legislatore, qui ob rationes imprudenter oppoſitas renuit præcipere, quod expedire judicaverat, ut præcipiatur; unde omnis lex tam Divins quàm humsna ſolùm

quo-

quodam practico modo proponitur ab intellectu ſub ratiooe regulæ perſuaſivæ, ſed à voluntate Legislatoris habet determinatam vim obligandi ſubditos coactivè, unde talis actua voluntatis, qui eſt lex, debet eſſe efficax efficacitate obligationia, quatenus ſfficaciter inducit obligarionem faciendi, quod lege determinatur, licèt non debeat eſſe efficax efficacitate operis præcepri, cùm Deus multa præcipiat, quæ ex malitia hominum non fiunt, & tamen fieri deberent.

13 Aſſero 3. *Lex primaria ſua diviſione eſt duplex, ſcilicet æterna & temporalis.* Eſt Scoti quodl. t 8. §. *De primo.* Contra quosdam alioa.

Probatur 1. Omnis lex vel eſt in Deo vel extra Deum, ſi in Deo eſt æterna, nam ipſe Deus eſt æternus, lex autem quæ non eſt in Deo, eſt extra Deum, quod autem eſt extra Deum eſt temporale, adeòque lex tempotalis eſt, quæ à Deo vel hominibus condita eſt in tempore, ac eſt veluti participatio legis æternæ in mente divina exiſtentis; quæ lex temporalis deinde ſubdividitur in naturalem & poſitivam, naturalis eſt ordinatio authoris naturæ innata firmiter ſtatuentis de licitis vel illicitis mediante dictamine intellectùs noſtri promulgata. Poſitiva verò lex eſt non innata, ſed aliunde poſita ab aliquo priocipio extrinſeco poteſtatem habente, quæ lex poſitiva iterum dividitur in Divinam & Humanam, Divina eſt, quam Deus io tempore hominibua poſuit & notificavit per angelos vel per homines, & iterum dividitur in legem veteris Teſtamenti, quam Deus Moyſi & per Moyſem populo Iſraelitico poſuit, & in legem novi Teſtamenti, quam Chriſtus Dominus præſcripſit, & partim per ſe, partim per Apoſtolos promulgavit. Lex verò humana eſt, quæ immediatè fertur ab humana poteſtate, & iterum dividitur in Eccleſiaſticam & Civilem, cùm poteſtas humana ſit Eccleſiaſtica & ſæcularis, ſcilicet Pontificia & Imperatotia.

Probatur 2. Si lex non benè primariò divideretur in æternam eſſet ideo, quia lex æterna non eſſet propriè lex; ſed lex æterna habet quidquid deſideratur ad legem propriè dictam: ergo. Tum quia ab æterno fuit in Deo judicium ex parte intellectùs movens voluntatem ad obligandum & promulgandum talem æternam veritatem pro tempore: ergo. Tum quia, quidquid Deus habet in tempore, habuit ab æterno, quia Deus eſt immutabilis, nec aliquid novi ei & actionibua ſuis poteſt accidere: ergo leges quas habemus in tempore latas quoad omnia requiſita Deus habuit ab æterno. Tum quia, quod eſt primum in aliquo genere debet eſſe verè & proprie quoad omnia requiſita tale, cum ſit menſura aliorum; ſed lex æterna in genere legis eſt prima à qua omnes aliæ dependent: ergo. min. prob. Lex juxta priorem aſſertionem formaliter conſiſtit in volitione Legislatoris obligativa: ergo cum in Deo ab æterno ſit rigoroſa volitio & approbatio regularum practicarum neceſſariæ & æternæ veritatis ad quas nos vult naturaliter obligare, ideo in ratione legis illa volitio æterna eſt lex prima, & de hac ab æterno in mente Divina fuit, quidquid conſtituit eſſentiam legia.

Objicies: Lex æterna non diſtinguitur à 14
lege Divina poſitiva, quia etiam omnis lex divina poſitiva eſt æterna ſecundum actum voluntatis Dei, quem importat, & qui ab æterno: ergo ſufficit legem primò dividere in divinam & humanam.

Reſpondeo neg. antec. nam lex æterna quamvis etiam ſit divina ut ſic, eſt tamen ſpecialiter de regulis neceſſariæ & æternæ veritatis, vi cujus æterna dicitur, & non ſolùm ideo quia eſt ab æterno. Lex verò divina poſitiva etiam eſt de contingentibus, cum liberum voluntatis decretum ſit prima regula contingentium & agibilium ad extra, imo lex æterna eſt immutabilis, quia eſt neceſſariæ veritatis, lex autem divina poſitiva eſt mutabilis, quia eſt veritatis contingentis, ut patet de Lege Moſaica, quæ poſt Chriſti adventum abrogata fuit.

Dices: Illa lex æterna propter veritatem neceſſariam & æternam non poteſt eſſe propriè lex ab æterno: ergo non poteſt in eam primò & propriè dividi. antec. prob. lex neceſſariò requirit aliquem, cui poſſit præſcribi; ſed ab æterno nullus extitit: ergo ibi nulla lex æterna propriè dicta datur.

Contra: neg. antec. ad probam diſting. min. nullus extitit in eſſe realis exiſtentiæ conc. nullus in eſſe objectivo neg. min. ergo nulla lex æterna propriè dicta datur. Diſting. conſequens, in actu primo obligans neg. in actu ſecundo conc. conſequentiam. Sicut enim dicitur Deum ab æterno habere dominium quoad habitum ſeu actum primum, & in tempore quoad actum ſecundum, ita dicendum eſt de lege æterna.

Dices: De ratione legis propriè dictæ eſt, quòd promulgetur; ſed ab æterno nulla potuit ſuiſſe promulgatio: ergo maj. patet, quia cùm legis ſit obligare, nihil autem obligare poteſt, quod non cognoſcitur, voluntas enim non fertur in incognitum, lex verò aliter cognoſci non poteſt niſi per promulgationem.

Contra negari poſſet maj. nam promulgatio eſt potiùs conditio ſequens ipſam eſſentiam legis, ac proinde in actu primo datur lex propriè dicta absque eò quòd promulgetur, uti magis patebit quæſt. ſeq. Sed diſting. min. nulla potuit eſſe promulgatio ſe tenens ex parte creaturarum conc. ex parte Legislatoris neg. min. quia cum lex æterna ſit decretum Dei immutabile ſine ulla ſui mutatione ab æterno lata, obligabit in tempore extituras creaturas, de quibus ab æterno licèt non habeat quaſi jus in re, quod ex creaturarum exiſtentia reſultat, habet tamen quaſi jus ad rem, quod ex

Digitized by Google

ſua voluntate creandi eas reſultae: aliter autem ſe habet decretum hominis, cum enim hoc ſit mutabile, quamdiu non promulgetur per modum legis, potiùs ſe haberet per modum propoſiti ferendi legem. De hoc autem plura quæſt. ſeq.

Dices: Illa non poteſt eſſe propriè lex cui, omnis creatura totius univerſi ſubditur; ſed illi legi æternæ omnis creatura ſubditur, cum illa lex æternæ veritatis ſit gubernativa univerſi, omnia autem divinæ gubernationi ſubduntur, & ideo Pſal. 148. dicitur: Ignis, grando, nix, glacies &c. quæ faciunt verbum ejus: ergo. maj. prob. quia talis lex potiùs videtur eſſe divina providentia; ſed providentia non eſt propriè lex: ergo.

Contra diſting. maj. cui omnis creatura eodem modo ſubditur conc. cui creaturæ omnes ſed diverſo tamen modo ſubduotur neg. maj. nam licèt lex æterna tantam habeat vim, ut ei omnis creatura ſubjiciatur diverſo tameo modo ei ſubjiciuotur irrationalia & rationalia, prima neceſſariò & naturaliter per inſtinctum à Deo ipſis impreſſum, ſecunda verò liberè & moraliter per cognitionem & judicium quoad actiones morales & humanas; prima ergo non propriè obligantur lege, benè verò poſteriora, cùm ibi, ubi non eſt libertas, nec obligatio ſub peccato eſſe poſſit, in primis autem noo eſt libertas, benè verò in ſecundis. Unde ad probam majoris nego illam legem eſſe providentiam, nam licèt lex æterna cum providentia conveniat io hoc, quod utraque videatur directio & ordinatio rerum quarumlibet in fines ſibi coovenientes, attamen in multis diſtinguuntur, nam lex ætero a dicit in ſua ratiooe vim obligandi, providentia verò non, lex æterna in Deo tradit regulas generales gubernationis, v. g. lapidem deorſum, ignem ſurſum ioclinari, providentia verò comparatur ad legem æternam, ut conclusio particularis ad principium univerſale, non aliter ac prudentia ad legem poſitivam, quæ tradit regulas generalea v.g. Deum eſſe colendum, juxta quas prudentia colligit hic & nunc eſſe operandum. Ex his præterea patet omnes alias leges ab illa æterna lege derivari juxta illud ad Rom. 13. omois poteſtas eſt à Deo. Unde id patet primò de lege naturali, quæ eſt quædam irradiatio & impreſſio luminis divini ſecundùm rectitudinem in mente Dei, quod lumen in nobis eſt dictamen naturale rationis ad recta facienda & mala vitanda, adeóque talia lex prout io oobis ſeu in natora creata eſt, dicitur lex naturalis & temporalis, prout verò in mente Dei eſt, dicitur æterna. Secundò id patet de legibus poſitivis tam divinis, quàm humanis, nam ex hac lege æterna: Deus eſt colendus deducuotur omnes aliæ leges poſitivæ de fide, de Baptiſmo &c. & aliæ cultum Dei decernentes, & pariter ex illa lege æterna: quod nemini ſit facienda injuria deducuntur omnes aliæ leges humanæ ad Juſtitiam & Societatem humanam ſpectantes. Tandem omnes leges aliæ humanæ habent vim obligandi ex illa lege æterna, quæ dictat nos debere obedire legibus poſitivis juſtis, & malum & illicitum eſſe tales leges transgredi.

QUÆSTIO II.

Quenam ſint de ratione Legis, præſertim an & qualis promulgatio & acceptatio populi ſit de ratione ejus?

ADvertendum eſt 1. juxta communem 1
Theologorum doctrinam varias ad conſtitutionem legis debere adeſſe conditiones, nempe ut ſit honeſta, ut ſit juſta, ut ſit obſervatu ooo tantum phyſice, ſed & moraliter poſſibilis, ut ſit utilis & rationabilis, ut ſit perpetua, ut feratur propter bonum commune, ut ſit populo promulgata, ut ſit à populo acceptata; quarum conditionum aliquæ ingrediuntur ipſam eſſentiàm & eſſentialem conſtitutionem legis, aliquæ verò non, ut per decurſum hujus quæſtionis videbitur. Poſitis ergo his conditionibus in aliqua lege hæc ſuum proprium & principalem faciet effectum, qui eſt obligatio communitatis, nam propria legis ratio conſiſtit in decreto obligativo communitatis, & quidem non tantùm legis præcipientis, vetantis, & punientis, ſed etiam permittentis, nam licèt lex aliquid fieri permittens non habeat rationem legis obligantis, quatenus tamen permittendo aliquid, obligantur alii non impedire uſum rei permiſſæ, eatenus permiſſio eſt effectus legis, ſed ab obligatione indiſtinctus; præterea alium adhuc lex præſtat effectum, ſcilicet facere homines bonos, qui effectus eſt ſolùm ſecundarius, & fit mediante obligatione.

Advertendum eſt 2. promulgationem legis nihil aliud eſſe quàm legis publicam authenticam & ſolemnem denunciationem, quâ ſuperior ſuum decretum intimat communitati, per quod differt à divulgatione legis, quæ fit per ſimplicem communicationem notitiæ legis quomodocunque innoteſcentis; diverſo tamen modo promulgantur leges. nam lex humana ut promulgetur, debet Legiſlator ſuam voluntatem ſigno externo ſubditis manifeſtare, idquè ritu ſolemni, alias non cenſeretur eam cum poteſtate obligandi imponere, ut communiter docent authores; adeóque ad illam promulgationem requiruntur verba obligatoria, ut præcipio, jubeo, impero, veto, interdico &c. aliàs ſi talia verba non reperirentur lex cenſebitur habere rationem conſilii vel adhortationis, cum in dubiis benignior interpretatio ſit accipienda, non tamen requiritur ut promulgatio fiat in ſcriptura, ſed vel ſufficit ſi voce, vel alio ſigno communi-

munitati poſſit denuntiari; licèt autem lex dicatur conſtitutio ſcripta, & diſtinguatur in jus ſcriptum & non ſcriptum ſcilicet conſuetudinem, hoc tantùm idao dicitur, quia lex plerumque in ſcriptum redigitur, ut perpetua memoria inviolatè perſeveret, non verò quòd ad legis eſſentiam requiratur ſcriptura. Lex verò divina poteſt promulgari vel per revelationem externam vel internam, cum, vel ſina ſolemnitate; non enim Deus eſt alligatus ſolemnitatibus, ſed ſufficit quòd nobis ſuam voluntatem ſufficienter indicet. Præterea lex naturalis promulgatur per naturale dictamen rationis; quamvis ergo certum ſit apud omnes neceſſariam eſſe promulgationem legis ad hoc, ut habeat vim obligandi, dubitatur tamen qualis & quanta ſit neceſſaria, aliqui enim volunt non ſufficere promulgationem, quæ ſolùm fieret in Curia, ſed præterea requirunt promulgationem in ſiogulis Provinciis, & Diœceſibus, ac civitatibus Metropolitanis, uti Aſſert. 2. patebit.

3 Advertendum eſt 3. Certum eſſe Legem naturalem vel divinam obligara abſque ulla acceptationa populi, eò cum lex naturalis ſit indita à Deo, & lex divina poſitiva immediatè à Deo feratur, clarum eſt, eas obligara independenter omninò ab hominibus, quorum Deus eſt Dominus ſupremus, & ſimpliciter independens; unde ſolùm difficultas tractatur de lege humana; dicitur autem lax acceptata tunc, quando non unus val duo illam acceptant, ſed major pars communitatis, ſcilicet faciendo, quod lex præcipit, aut illam approbando verbo, ſcripto, vel non rejiciendo aut improbando; tuna verò lex dicitur non acceptata, quando populus vel major pars communitatis pergit facere, quod facere conſueverat anta promulgationem legis, & hoc ſive populus ſciat legem promulgatam aſſe, ſive ignoret. nam eadem aſt ratio: & quidem potiſſima difficultas eſt de lega politica ſecundùm triplex regimen, ſcilicet Monarchiaum, Ariſtocraticum, & Democraticum; aut enim poteſtas imperii penes unum reſidet, & dicitur Monarchia, qualiter in republica Eccleſiaſtica omnium Chriſtianorum Monarcha eſt Papa, in civili verò Germanica Imperator, in Hiſpania Rex &c. vel reſidet potaſtas penes paucos & optimates & vocatur Ariſtocratia; qualis aſt apud Venetos, Genuenſes &c. vel denique reſidet penes univerſoa aut majorem populi partem, ita ut omnes ſingulis imperent, & ſinguli omnibus obediant, & dicitur Democratia, ut olim erat apud Athenienſes & modò apud Helvetos; inter hana autem triplicem formam Imperii omninò perfectiſſima eſt Monarchia juxta illud Ariſtotelis 12. Metaph. dicentis: *Entia nolunt malè gubernari, non eſt bona pluralitas principatuum, unus ergo eſt Princeps*, & ex hoc SS. PP. unum demonſtrant eſſe Deum, nam ubi pluralitas ibi diverſitas, & ubi diverſitas, ibi non eſt perfecta concordia; & videtur modò in axperientia tarditas expeditionum apud pluralitatem principum juxta illud Hermetis: *ſegniùs expediunt commiſſa negotia plures.* His ergo notatis.

Propoſitio 1. *De intrinſeca ratione legis eſt ut ſit honeſta.* Ratio eſt, quia *natura legis eſt ut Religioni conveniat, ut diſciplina congruat, & quod ſaluti proficiat*, ut dicit Iſid. 1. Eth. a. 2. 4
aliàs non obligat, nam ut dicit D. Petrus: *oportet Deo obedire magis quàm hominibus*, Deus autem ſemper vult honeſta, ideo cum lex creata ſit participatio legis æternæ juxta illud Proverb. 8. *per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, naeceſſariò exigit eſſe honeſta, ideo dicit S. Aug. 19. de Civit. c. 21. *Illud licitè fit, qaod juſtè ſeu honeſtè fit, non enim jura putanda ſunt vel dicenda iniqua hominum inſtituta*, quare lex carens honeſtate, non eſt lex ſed iniquitas dicenda, nam lex ordinatur ad componendos hominum mores, qui maximè honeſtate virtutum & juſtitiæ componuntur: ergo.

Nec dicas: Dantur leges permittentes inhoneſta, ut uſuras & lupanaria: ergo lex de ſua natura non ſemper debet eſſe honeſta.

Reſpondao diſting. antec. permittentes intrinſecè illicitum ſtatuendo ut liceat patrare neg. permittentes non puniendo propter majus malum declinandum, & ideo propter bonum inde oriundum Conc. antec. talis autam permiſſio non eſt mala aut inhoneſta, nam aliud eſt ipſum malum pro bono ſtatuere, & aliud permiſſio mali per ſimplicem tolerantiam ſine pœna, juſtis ergo da cauſis aliquando ſuperiores poſſunt tolerara errorea, ne ſeveritas in puniendo ſit cauſa majoris mali ut perduellionis ſubditorum, eſt enim rectæ rationi congruum è duobus malis ſimul inevitabilibus declinare id, quod majus eſt.

Propoſitio 2. *De intrinſeca ratione legis eſt ut ſit juſta ex parte objecti, Legislatoris, & forma legis.* Ratio eſt aa, quæ data eſt in priori propoſitione. Tum quia, juſtitia aſt objectum legis; ſed objectum eſt quid eſſentiala actuum legis: ergo. Tum quia, nullus inferior poteſt obligare contra legem & voluntatem ſuperioris; ſed lex præcipiens actum injuſtum eſt contra legem Dei prohibentis illum; ergo nulla lex poteſt obligare ad aliquid injuſtum, nam aliàs ſequeretur nos habere ſimul duas obbgationes aontradictorias, & nos teneri facere aliquid, quia lex humana id præciperet, & non facere, quia lex divina id prohiberet, hinc nulla eſſet lex hæc injuſta ex parte materiæ, ſi quædam præciperet impoſſibilia cultui divino, aut ex parte formæ ſeu modo præcipiendi ſi rationi contraria aut bono communi repugnantia præſcriberet, vel ex parta Legislatoris propter defectum poteſtatis aut injuſtæ diſtributionis, Ideo ſi lega taxaretur pretium frumenti, ita ut una pars civita- 5

Digitized by Google

vitatis taxationem ſolvere teneatur & non altera, lex eſſet iniqua, niſi rationabilis cauſa tale diſcrimen poſtularet; item ſi lege imponatur tributum, quod æquè pauperes ac divites præſtare debent v. g. ſinguli 10. aureos lex eſſet injuſta: ergo &c.

Nec dicas: Lex obligabit ſubditos, ſi ſit proficua communitati, licèt Legiſlator eam ex perverſo & malo motivo ductus præſcribat: ergo non requiritur, ut lex ſit juſta ex parte Legiſlatoris.

Reſpondeo diſting. conſequens, non requiritur, ut ſit juſta juſtitiâ perſonali conc. ut non ſit juſta juſtitiâ reali & ſpeciali neg. conſeq. nam licèt non videatur neceſſarium, ut Legiſlator ex affectu juſtitiæ aut honeſtatis legem præſcribat, requiritur tamen, ut lex de ſe in bonum commune tendat, nam prava intentio Legiſlatoris eſt merè perſonalis, nec redundat in actum quatenus communem utilitatem ſpectat, ſicut enim prava intentio Miniſtri non officit Sacramento, dummodo non ſit contra ejus ſubſtantiam, ut ſi conferendo Sacramentum reverà quidem intendat facere, quod Eccleſia intendit, licèt pravum aliquem finem ſibi proponat, v. g. lucrum, vel aliquid aliud inhoneſtum, ita in præſenti juſtitia boni communis, cujus vices gerit Legiſlator, eſt ſpectanda in lege non verò ipſa intentio ejus.

6 Propoſitio 3. *De intrinſeca ratione legis eſt ut ſit moraliter obſervatu poſſibilis.* Ratio eſt, quia quidquid cadit ſub lege cadit aliquatenus ſub libertate, quatenus ſcilicèt ab illa dependet, ut fiat vel non fiat, ut ſit aut non ſit, ſicut præcipitur; ſed impoſſibile moraliter id eſt valdè difficile non ſatis cadit ſub libertatem: ergo. Hinc lex ſemper debet eſſe de poſſibili, & quidem ſecundùm naturam, patriæ conſuetudinem, loci, & temporis congruentiam, ideo non videtur poſſe eſſe legem ut quadrageſima in ſolo pane & aqua peragatur, aut ut omnia convivia aboleantur.

Nec dicas: Lex divina dicit: *Diliges Deum tuum ex toto corde, & tota anima &c.* Sed hoc præceptum in via adimplendum eſt moraliter impoſſibile: ergo min. prob. in via multùm eſt carnalis concupiſcentiæ, quæ ex integro contineri non poteſt: ergo non omnino ex tota anima diligi poteſt Deus.

Reſpondeo diſting. min. adimpleri non poteſt quoad ſubſtantiam neg. quoad omnes conditiones conc. min. nam omnino non poteſt in via tanta eſſe recollectio virium, ut amotis impedimentis poſſit voluntas tanto conatu perfectè ferri in Deum, quantò poſſet, ſi vires eſſent unitæ & non impeditæ quoad talem intenſionem actûs, ſicut erit in patria, ubi omnino etiam quoad omnes conditiones illud præceptum poterit adimpleri, quia ibi nullum erit impedimentum retrahens à recollectione omnium virium ad Deum ſuper omnia diligendum, cum hoc tamen ſtat, quòd etiam in via quoad ſubſtantiam poſſit obſervari, nempe in quantum exigit ſtatus viæ & intentio legis, quæ non plùs exigit, quàm moraliter poſſumus ex noſtra infirma natura.

7 Propoſitio 4. *De intrinſeca ratione legis eſt, ut ſit utilis & rationabilis pro communitate.* Ratio eſt, quia ratio eſt anima legis: ergo hæc quoad eſſentiam debet eſſe utilis, quia ſi non eſſet utilis ferretur ſine ratione, & per conſequens eſſet irrationabilis, & ſic ſine anima, hinc eſt quòd lex ſemper debeat eſſe congrua ad removendum malum ſeu abuſum, ad introducendum bonum vel actus honeſtos contrarios malo uſui, nam tyrannicum eſt illud: ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

Nec dicas: poteſt Princeps legem ferre in utilitatem unius civitatis, quamvis ſit nociva aliis civitatibus regni: ergo lex non debet neceſſariò quoad ſuam eſſentiam eſſe undique utilis.

Reſpondeo neg. antec. nam bonum partis ut eſt una civitas ex recta ratione poſtponendum eſt bono totius, unde potiùs à contrario poſſet ferri lex, ſi ſcilicet eſſet utilis toti regno, licèt noceret alicui civitati, interim tamen non requiritur, ut lex cedat in bonum omnium aliorum regnorum, quia ante omnia oportet regem regni ſui proprii bono communi invigilare, nihilominus tamen, in quantum fieri poteſt, debet princeps providere, ne legem utilem ſuis ſubditis ferendo obſit vicinis, ubi utrarúmque utilitatem procurare poteſt.

8 Propoſitio 5. *Perpetuitas in diuturnum vel indefinitum tempus ſecundum ſe eſt de ratione eſſentiali legis.* Ratio eſt, tum quia per perpetuitatem tanquam per propriam differentiam lex diſcernitur à ſimplici præcepto, quia præceptum ad præſentes ſolùm ſubditos extenditur, lex verò non ſolùm ad præſentes, ſed etiam ad futuros, præceptum exſpirat morte præcipientis, & abſque nova revocatione ceſſat ceſſante officio illius, lex autem durat etiam poſt mortem conditoris, & quamdiu non revocatur ſemper ſuam vim ſervat; unde fit, quòd Generales & Provinciales Ordinum, quibus per ſe leges condendi poteſtas videtur eſſe adempta (quod tamen negat Antonius Cavellus Tract. de Leg. diſp. 1. q. 5.) ſolum retineant poteſtatem ferendi præcepta ſimplicia pro tempore officii duratura: ergo præfata perpetuitas eſt de intrinſeca ratione legis. Tum quia lex fertur in bonum communitatis; ſed communitas eſt perpetua, cùm ea non habeat terminum definitum, & ſolùm in membris ſuis varietur: ergo lex, quæ ad ejus ſtabilimentum ordinatur, debet ex natura ſua eſſe perpetua ejus congrua regula directiva, & hoc patet apud omnes nationes, quæ ſine rationabili cauſa leges ſemel poſitas non tollunt, nam frequens legum mutatio magnam ſolet Reipublicæ adferre perturbationem.

Nec dicas: unus Legiſlator non habet juriſdictio-

riſdictionem in alterum ſibi ſuccedentem: ergo poterit ſuccedens mutare leges præcedentis: ergo non ſunt perpetuæ.

Reſpondeo diſting. ultimam conſeq. non ſunt perpetua perpetuitate poſitiva conc. perpetuitate negativa neg. conſeq. nam non tribuimus legi perpetuitatem poſitivam, quæ ſcilicet ſemel lata nunquam poſſit immutari; ſed negativam ſcilicet quamdiu conſuetudine vel conſenſu & voluntate Principis non revocatur, ſemper obligandi vim habet, & ideo etiam à ſucceſſore poteſt mutari, ſi autem non mutatur ſemper obligabit ſecundùm ſe; præceptum autem non tantùm poſitivè, ſed etiam negativè temporaliter durat ſolùm ad vitam præcipientis, hinc etiam lex vetus quamvis ſolùm duraverit uſque ad adventum Chriſti, attamen ſatis diuturno tempore permanſit, ut poſſit dici perpetua ſeu diu durans, imò verè fuit perpetua pro illo ſtatu, pro quo fuit lata, nam quamdiu per Evangelicam novam legem revocata non fuit, ſemper obligabat, adeòque licèt duratio actualis perpetuitatis non ſit de eſſentia legis aut alicujus creaturæ, cùm Deus poſſit creaturas deſtruere manentibus earum eſſentiis, attamen duratio radicalis ſeu exigentia durationis actualis in perpetuum poteſt eſſe de intrinſeco & eſſentia legis.

9 Propoſitio 6. *Tendentia in communitatem & propter bonum commune eſt de ratione intrinſeca legis.* Ratio eſt, tum quia, L. *Jura.* ff. *de legibus.* dicitur, quod jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur, ac pariter per hoc aſſignant Juriſtæ diſcrimen inter legem & præceptum, quòd præceptum uni, lex omnibus imponatur, ideo can. *erit autem.* Diſt. 4. refertur Iſidorus dicens: *erit autem lex honeſta .... nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate præſcripta,* nam non videtur Deus aut Reſpublica aliam dediſſe ſuperioribus poteſtatem, quàm ut leges ferendo procurent bonum commune, & non tantùm pro libitu ſuo utantur abſque ratione, cum *poteſtas ſit data in ædificationem & non deſtructionem,* ut habetur ad Corinth. 10. & ideo etiam Ariſtoteles 8. Ethic. c. 10. inter Regem & tyrannum hoc ponit diſcrimen, quòd ille publicum, hic privatum commodum quærat in gubernatione. Tum quia ut dictum eſt, de ratione legis eſt ut ſit perpetua; ſed nulla perſona particularis pro hoc ſtatu eſt perpetua: ergo non huic ſed communitati lex exigit præſcribi, cum ſola communitas cenſeatur eſſe perpetua per continuam ſucceſſionem conſervata, quamvis ſecundario lex poſſit reſpicere bonum privatum Principis.

Nec dicas: ſacra Scriptura indicat bona ſubditorum poſſe tolli à Principe in proprium uſum ut 1. Reg. 8. *hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis:* ergo Rex poteſt per leges bona ſubditorum in proprium commodum convertere.

Reſpondeo neg. antec. Nam ſacra Scriptura ſolùm indicat quidnam juris Rex ſibi, etſi iniquè, arrogabit, non autem quòd tale jus ſecundùm Deum ipſi competat; unde leges tributorum pro commodo Princeps ſemper etiam ultimatè & finaliter reſpiciunt bonum commune, ut Princeps debitè ſuſtentetur, ac tam ideo, quàm ad levanda onera Reipublicæ recipiat tributa.

Dices: Dantur leges pro Minorennibus, pro pupillis, pro militibus; ſed hæ particulare perſonarum genus reſpiciunt: ergo non ſemper bonum commune.

Contra diſting. min. Particulare reſpiciunt ultimatè neg. non ultimatè conc. min. nam illæ leges non ſortiuntur rationem legis, niſi quatenus ſub particulari iſtarum perſonarum bono intenditur, & curatur Reipublicæ ſalus, nam aliud eſt loqui de materia proxima, circa quam lex verſatur, & aliud de motivo formali, propter quod circa talem materiam occupatur; unde licèt materia proxima illarum legum ſit bonum particulare, motivum tamen propter quod circa tale bonum lex occupatur eſt bonum commune; intereſt enim communitati vitam cujusvis ſui membri conſervare. Cæterùm ſi nulla eſſet Reſpublica, & ſolùm unicus eſſet homo, in eo quidem vigeret lex naturæ, ſed ideo ſolùm, quatenus homo ſit animal ſociabile, & aptum ad ſocietatem hominum poſſibilem, ſub quo reſpectu adhuc tantùm ordinaretur ad bonum commune, & non privatum, ut fuit in Adamo. His propoſitis

Aſſero 1. Ad quæſtionem, *Promulgatio non eſt de eſſentia legis, licèt ſit neceſſaria ejus conditio ad obligationem ejus in actu ſecundo.* Eſt Scoti in 4. D. 3. q. 4. §. *quantum ad primum.* Contra quoſdam alios. 10

Probatur prima pars 1. Scotus loquens de lege Evangelica dicit inſtitutionem præceſſiſſe ejus promulgationem, quia non promulgatur lex niſi à Legislatore primò determinetur, à cujus determinatione habet firmitatem & vim obligativam, quæ determinatio dicitur prima legis inſtitutio: ergo lex ſecundùm ſe eſt ante promulgationem completa cauſa obligativa.

Probatur 2. Tum quia lex non conſtituitur in ſua eſſentia per actualem obligationem, ſed ſolùm per vim obligativam, quia actus ſecundus ad rei eſſentiam non pertinet, ut videtur in omnibus cauſis, quas ſui effectus non conſtituunt, ſed obligare eſt actus ſecundus legis, cùm ſit ejus principalis effectus: ergo promulgatio ad obligationem requiſita non ſpectat ad legis eſſentiam, cùm non tribuat ei vim obligativam, ſed ſupponat, & ſolùm ſit actualis applicatio legis ad obligandum ſicut cognitio legis in ſubditis, vel ſicut applicatio

ignis ad combuſtibile eſt conditio ad comburendum. Tum quia, id ſolùm eſt de eſſentia legis, quod neceſſe eſt, ut habeat vim obligativam ſubditos; ſed tale eſt ſola inſtitutio & determinatio per voluntatem Legislatoris facta: ergo. min. prob. vis obligativa ſupponitur ad promulgationem, priùs enim, quàm Princeps legem promulgat, habet in ſe illum actum voluntatis, in quo legem conſiſtere diximus quæſtione priori.

11 Probatur ſecunda pars. Lex non promulgata eſt ignorata, ac propterea idem eſt ac non lata: ergo ut lex in actu ſecundo poſſit obligare ſubditos, qui non poſſunt exeuſari à transgreſſione legis, debet eis eſſe promulgata, quia aliàs in incognitum non poteſt ferri ſubditorum voluntas, imò leges Canonicæ privilegiorum vel indulgentiarum revocatoriæ, vel ſtatuentes inhabilitates ad officia, ſi non promulgatæ obligarent eſſent in animarum perniciem, ubi tamen lex debet eſſe in earum ſalutem: ergo.

12 Objicies: C. *in iſtis.* diſt. 4. dicitur: *Leges inſtituuntur quando promulgantur;* ſed inſtitutio eſt de eſſentia legis: ergo & promulgatio.

Reſpondeo illud cap. loqui quòd leges per promulgationem inſtitoantur quoad uſum & applicationem pro regimine populi, non aotem quoad eſſentiam & vim obligativam.

Dices: Lex obligativa eſſentialiter importat imperium Superioris alteri factum; potens movere ad obediendum: ergo cùm non poſſit movere niſi exteriùs manifeſtetur, talis manifeſtatio erit de eſſentia imperii: ergo & legis.

Contra diſting. antec, Importat imperium actualiter movens ad obediendum neg. potens movere in actu primo conc. antec. hoc autem eſt in lege ante promulgationem, quæ ſolùm applicat ad actu movendum.

Dices: Lex ante promulgationem ſecundùm moralem exiſtimationem potiùs habet rationem propoſiti efficacis quàm præcepei, cùm præcipere ſit alteri voluntatem ſuam intimare, ſicut completè non dicitor alteri conſulere, qui ei conſilium ſuum non aperit: ergo.

Contra neg. antec. Nam ſimplex propoſitum ſolùm dicit, quòd velit ſe determinsre ad directionem populi per aliquam legem, illud autem propoſitum determinatum per hoc obligandi ſubditos, cùm natura ſua tendat in bonum commune, eſt phyſicè & moraliter completa lex ſecundùm ſe, licèt adhuc actu non cauſet effectum obligationis, ſicut etiam conſilium ante operationem verè in re eſt conſilium, licèt non actu habeat effectum in conſulto, qui effectus non poteſt conſtituere eſſentialiter ſuam cauſam.

Dices: Ergo ſi tenor legis conceptæ à Principe alicui ionoteſeeret, jam obligaretur illa lege; ſed hoc eſt contra communem praxim, ut aliquis priùs teneatur ad legem antequam ſit promulgata: ergo.

Contra diſting. illatum jam obligaretur in actu primo conc. in actu ſecundo neg. illatum, nam ad actum ſecundum obligationis requirimus promulgationem legis & quidem publicam & ſolemnem, nam cum lex ſit communis vivendi regula & index, debet omnes æqualiter obligare, & non poteſt uni vel alteri per accidens ſcienti legis promulgandæ tenorem libertatem aliis conceſſam adimere; nec obeſt illa ſcientia, nam eſt tantùm privata, quæ nullum dat legi vigorem obligandi, adeóque is, qui conſilio Principis interfuit, in quo lex de pretio mercium & valore monetæ minuendo eſt condita, poteſt ante promulgationem publicam citra injuſtitiam merces & monetam juxta pretium currens diſtrahere, ut tenent Juriſtæ L. 9. cod. de Legibus.

Aſſero 2. *Probabile eſt leges etiam Pontificias non obligare niſi elapſis duobus menſibus, & niſi in ſingulis Provinciis aut Diœceſibus promulgarentur; probabiliùs tamen eſt non requiri promulgationem in ſingulis Provinciis, ſed ſufficere ſi Romæ promulgentur, niſi aliter in ipſa Bulla exprimatur.* Prima pars eſt Abbatis, Armillæ, Zaborellæ, Fellini, Dianæ, & aliorum; ſecunda pars eſt Bonacinæ & plurimorum aliorum. 13

Probatur 1. pars: primò. Eadem videtur ratio de lege Pontificia, qoæ eſt de Imperatoria: ergò qusndo Pontifex in aliqua lege non exprimit modum obligandi poſt promulgationem ſtari poterit juri civili; ſed jus Civile habet legem Imperatoriam non obligare niſi elapſis doobus menſibus poſt promulgationem, & niſi in ſingulis Provinciis publicetur: ergo etiam hoc probabile eſt de lege Pontificia. Antec. patet, ideo id ſtatuitur de lege Imperatoria, ut omnis confuſio & quærimonia populorum latè diffuſorum evitetur; ſed hæc eadem eſt ratio de lege Pontificia, ut de ſe patet. conſeq. prob. tum quia cap. 1. de nov. op. nunt. habetur: *ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum Canonum ſtatuta Principum conſtitutionibus adjuvantur.* Tum quia c. *ſi in adjutorium.* Diſt. 10. habetur: *Leges Imperatorum in adjutorium Eccleſiæ aſſumi poſſe;* ſuper quod ait gloſſa: *Ubi deſunt Canones leges citari poſſunt;* atqui hic deſunt Canones exprimentes mentem Pontificis: ergò leges Civiles citari poſſunt. Min. tandem ſubſumpta patet ex Novell. 66. coll. 5. *ut factæ novæ conſtitutiones &c.* ubi inſerta eſt voluntas Imperatoris, quæ vult legem non acquirere vim obligandi, anteqoam elabuntur duo menſes poſt publicationem in ſingulis Provinciis, ot omnis quærimonia & confuſio populorum late diffuſorum evitetur.

Probatur ſecundò: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio eſt facienda.*

Digitized by Google

ciendà. Reg. 57. de Reg. Jur. in 6. item cap. *cum dilectus*. de conſuet. præteree *in dubio melior eſt favorabilis conditio poſſidentis;* ſed Pontifex, ubi nullum tempus adjecit, potuiſſet legem dicere apertiùs, & obligari eſt odioſum, non obligeri eſt favorabile: ergò poteſt fieri rationabilis interpretatio, quòd lex Pontificis oon obliget ante promulgationem in ſingulis Provinciis, & erunt Provinciæ ante talem promulgationem in poſſeſſione ſuæ libertatis.

Probatur tertiò: per conſuetudinem modernam jam videtur legitimè ubique noſtræ Aſſertionis prima pars probari, cùm vix aliquid obſervetur, niſi io ſingulis civitatibus promulgetur, & in hoc tacitè cenſeantur conſentire Pontifices; cum leges Conſilii Tridentini in multis locis non ſerventur, quia in illis promulgatæ non ſunt; & præterea quid ſimile de tempore & quantitate promulgationis ipſe Pontifex conformiter juri Civili ordinaverit, ut videre eſt c. *cum infirmitas*. de pœnit. & remiſſ. ubi medicum corporis obligat ſub pœna interdicti ingreſſûs Eccleſiæ, monere ante omnia advocare medicum animarum pro infirmo, poſtquam hæc Conſtitutio per Prælatos locorum fuerit publicata; quod cap. quamvis Adverſarii explicent de ſola incurſiooe pœnæ tanquam effectu legis, æquè facilè tamen intelligi debet de ipſa obligatione legis; imò & ipſum cap. quod pro ſe afferunt in proba partis ſecundæ ſolùm de incurſione pœnæ loquitur, & ſic de uno capitulo ſicut de altero ſentire deberent: hinc plures Principes Catholici, ut Reges Galliæ, & Hiſpeniæ, ex peculiaribus privilegiis: Imperator verò ex conſuetudine, ut habetur in Codice Auſtriaco ſub Imperatore Ferdinando III. Lit. B. obtinuerunt, ut Bullæ Pontificiæ in eorum diſtrictibus non valeant publicari, niſi ipſi conſenſerint; quorum ratio eſt, quod hujusmodi Bullæ etiam aliquando tangant bonum publicum, aut pacem & tranquillitatem populi interturbent, circa quam Principes ſpecialiter vigilare volunt, & quidem ut Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo*. *Ait: plus adſpiciunt Principes ad commodum temporale, quàm ad honorem Dei, & per hoc plus puniunt & reprimere volunt peccata in proximum, quàm in Deum;* quamvis Bullis Pootificiis puram materiam Eccleſiaſticam & ſpiritualem continentibus nequaquam obniti ſe profiteantur ſervatis de more ſervandis, ut perhibetur ſimiliter in Codice Auſtriaco ſub Imperatore Leopoldo I. Lit. G. præterea videtur valdè durum & oneroſum, ſi ſtatim, ac publicatur Romæ aliqua lex Pontificia, per totum orbem fideles diſperſos obligaret. Aſt

14 Obſervandum eſt 1. hanc partem Aſſertionis de lege irritante aliam legem, vel aliquod privilegium, noo tantùm probabilem, ſed etiam certam cenſeri ab Authoribus, ut à Layman & multis aliis ab ipſo citatis; quia talis lex revocatoria habet rationem legis fortioris, tanquam derogantis priori, adeóque modo univerſaliori & efficaciori debet promulgari, ut ſuum ſortiatur effectum; alioquin ejusmodi leges io multorum detrimentum eſſent ceſſuræ ignorantium eas, cùm plurimos actus illicitos facerent; quara ſubditi agentes contra talem legem irritantem non peccant, ſi igoorant, aut in eorum diſtrictibus noo ſit publicata. Secùs verò eſt de lege irritante actum, vel contractum, aot indulgentias; nam ſi ſemel eſt talis lex promulgata, jam habet vim irritandi contractum, licèt ab aliis ignoretur; quia in tali lege Princeps non ſervat poteſtatem legiſletivam, ſed dominativam, quæ non expectat tempus, ſed ſtatim obligat, ſicut reſtitutio fit, non quia quis peccavit contra legem, ſed quia accepit elienum; unde ſi quis contrahas matrimonium intra tertium, vel quartum gredum, aut clandeſtinè cum ignorantia juris vel facti, matrimonium eſſet nullum. De indulgentiis planè docet Corduba quæſt. 36. quod ſolo actu interiori eas poſſint Pontifices revocare, eò quia ex voluntate ipſorum pendet conceſſio, ita Pontifice oolente ceſſabit indulgentia.

Obſervandum eſt 2. prædictam partem Aſſertionis etiem ſolum locum habere in legibus Pontificiis, quæ ſont alicujus Conſtitutionis Eccleſiaſticæ, ſeu directionis Reipublicæ Politico-Eccleſiaſticæ, non verò quæ ſunt determinetionis fidei, damnationis propoſitionum, aut documenti in materia peccatorum; nam ſimiles leges ex conſuetudine diutiſſimè protracte videntur vim ſuam habere ex ſola promulgetione Romæ facta, in eliis Provinciis quocunque modo innoteſcente.

Quamvis nonnullum etiam de his legibus appareat dubium, cùm & eadem videetur eſſe ratio, quæ de aliis legibus aſſertur, nempe, quòd valdè durum & oneroſum ſit, ſi ſtatim, ac publicantur Romæ, per totum orbem fideles diſperſos obligarent, eóſque pœnis & cenſuris in eis latis ferirent. Præterea cùm etiam in his jam eliqualis conſuetudo accreſcat, uti vidimus recentiſſimè in Bulla *Unigenitus*, quæ ad omnes Provincias & Regna, præſertim, ubi Nuntii Apoſtolici reſidebant, promulganda mittebatur; ad cujus tum promulgationem tum acceptationem particularem ſatis fuit quorumdam Epiſcoporum ob Regum & Principum in publicando ratione boni publici perturbandi tergiverſetionem tacitus in Bullam conſenſus, eámque in ſuis diſtrictibus divulgandi animus, & permiſſio ſentiendi juxtà ſenſum Bullæ; imò & non rejectio aut improbatio Bullæ, ut diximus in Advert. 3. nam ſi tacitus conſenſus Principis ſufficit ad inducendam legem conſuetudinis, cur non & tacitus conſenſus Epiſcopi ad ſentiendum juxtà

Bullæ ſenſum ſufficiet ad inducendam veram acceptationem ejusdem ?.

Multò magis autem ſufficiebat illa illius Bullæ *Unigenitus* acceptatio, & æquivalens promulgatio Viennæ in Auſtria facta, quâ Celſiſſimus Ordinarius Viennenſis Franciſcus Ferdinandus è Baronibus de Rumel eam Bullam (cujus exemplaria cum præſcitu Principia terræ hîc Viennæ ſunt reimpreſſa) ad omnia Monaſteria & Parochos ſuæ Diœceſis traoſmittebat; cum expreſſa clauſula mandato Epiſcopali inſerta, quòd eo fine mittatur, ne quis ignorantiam ejus aliquando prætendere poſſit, cujus mandati & Bullæ promulgationi in noſtro Monaſterio Viennæ ad D. Hieronymum oobis capitulariter congregatis Anno 1715. factæ ipſemet interfui, & propoſitiones in Bulla proſcriptas refutare incepi. Imò ex pluribus adhoc aliis circumſtantiis liquet prælaudatam Diœceſim cum Paſtore ſuo juxtà illam Bullam non tantùm ſemper ſenſiſſe, ſed & feciſſe, prohibendo ſcilicet libellorum in illa materia ſuſpectorum impreſſionem, reprehendendo illius damnatæ doctrinæ prædicationem, ejúsque commendando impugnationem, quod non tantùm eſt tacitè, ſed expreſsè acceptare Bullam.

Minimè enim requiritur ad hujusmodi acceptationem ſpecialis convocatio Cleri alicujus Diœceſis, & ſtrepitus diſquiſitionis Bullæ Pontificiæ, cùm Clerus non ſit conſtitutus jure divino paſcere gregem, ſed ſolus Epiſcopus juxtà illud Pauli Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo,* Strepitus enim diſquiſitionis ſimilis Bullæ, quam univerſalis Paſtor ex cathedra univerſali Eccleſiæ ſervandam proponit, ſit omninò inconveoiens; quis enim rationabiliter ſupponere poſſet, hujuscemodi Bullam non eſſe cum omnimoda induſtria & ſufficientiſſima ſimul & accuratiſſima diſquiſitione conditam: vel eam à particulari hinc inde diſperſo Clero primùm diſquiri debere? Quaſi particularis Clerus & non ipſe Pontifex ultimata deciſione deberet docere Eccleſiam: vel Clerus ipſum Pontificem; ubi enim legitur, quod aliqua communitas deberet coofirmare Pontifices aut Epiſcopos? Benè tamen à contrario Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos.* Et ſuprà: *In quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Imo ex qua Diœceſi hanc praxim diſquirendi per Clerum congregatum Bullas Pontificias a primordiis Eccleſiæ Catholicæ docere quis poterit? Niſi fortè excipias Eccleſiam Gallicanam, quæ reſpectu totius Corporis Eccleſiæ tantùm eſt membrum & pars modica, & cujus praxis diſquirendi Bullas Pontificias non in ſcriptura, ſed particulari placito fundatur; ubi reliquæ Eccleſiæ omnes Bullas illas ſimpliciter recipiunt, & ſat diſquiſitas ſupponunt. Vide plura hac de re ex noſtris *Nubilis Janſeniſmi,* Prop. ult. in object. Præterea ſi ad Bullam Pontificiam in rebus fidei condendam non requiritur convocatio totius Cleri Chriſtiani, ſed ſat eſt, ſi in Conſiſtorio Pontificis apud ſe habito diſcutiatur, & per ſuos particulares Theologos & Conſiliarios diſquiratur, ut docuimus Tom. II. Tract. 4. de Fide &c. Diſt. 11. q. 3. per totam. Et Diſt. 12. quæſt. 3. Aſſert. un. præſertim circa finem objectionum. Et infra Diſt. 4. q. 1. quomodo ad eam acceptandam in particularibus Eccleſiis requiri poterit convocatio totius illius Cleri particularis ad eam diſquirendam, ſi Epiſcopus Ordinarius eam in ſuo Conſiſtorio penes ſe habito acceptat? Quidquid enim, ut habet illud tritum, poteſt Pontifex in toto mundo, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. Tandem quomodo talis diſquiſitio à particulari Clero facienda locum habere poteſt, ſtante communiori ſententia, ut mox in parte 2. probabimus: quod leges Pontificiæ Romæ promulgatæ ſtatim ubique obligent, ubi innotuerint? Hinc

Probatur 2. pars: neque ex natura rei; 15
neque ex jure aliquo poſitivo requiritur promulgatio in ſingulis provinciis: ergò ad ſui valorem non plùs poſtulat, quàm ut ſemel in curia Romana publicetur lex Pontificia, ubi dein facilè in aliorum ſubditorum notitiam devenire poteſt; adeóque, quòd non ſtatim omnes obliget Diœceſanos, non provenit ex defectu legis, aut promulgationis; ſed ex defectu alicujus accidentalis conditionis v. g. quia eam ignorant ſubditi. Antec. verò prob. ſi aliquo jure poſitivo requireretur talis promulgatio, maximè jure conſuetudinario, vel civili id requireretur; ſed potius conſuetudo & praxis eſt contraria, & Pontifex non debet arctari legibus civilibus: ergò. min. prob. ex communi conſuetudine & praxi, regulæ Cancellariæ Romæ ſolùm publicantur, & ſecundùm illas cauſæ in toto orbe deciduntur. Præterea Bulla Cœnæ Domini nusquam niſi Romæ ſolet promulgari, & tamen obligat omnes Chriſti fideles; igitur quoties Pontifex ſuas Conſtitutiones Romæ promulgat, neque mandat alibi promulgari, aut adjicit tempus, intendit ſtatim omnes obligare, dummodo illas quomodocunque noverint: ut patet ex c. 1. *ad hæc.* de poſtulat. prælat. ubi Pontifex Innocentius III. de Epiſcopo Altiſſiodorenſi ſe excuſanti, quòd illa lex de interdicto non fuerit in ſua Diœceſi promulgata, reſcribit, *ſufficere, quòd noverit, illam legem fuiſſe ſolemniter promulgatam;* interim tamen ex diſtantia locorum & aliis circumſtantiis prudens judicium arbitrabitur, quantum tempus requiratur; in quo præſumi poſſit ignorantia poſt legis Pontificiæ in curia promulgationem, ut illam ignorantiam alleganti in foro externo

imponi

imponi poſſit onus probandi. Hoc idem extendendum eſt ad leges Epiſcopales, ad quas ſufficit, quòd in matrice vel metropoli Eccleſiæ promulgentur, quamvis circa leges imperiales ordinariè elapſis duobus menſibus poſt earum in Provinciarum Metropoli promulgationem ignorantiam alleganti onus probandi incumbet.

16 Objicies: ut lex Eccleſiaſtica ſufficienter cenſeatur promulgata, ſufficit, quòd authoritativè promulgetur in loco principali: ergò antec. prob. ad promulgationem ſufficit, quod lex taliter publicetur, ut poſſit de facili venire in notitiam ſubditorum; ſed promulgatione facta in curia de facili venire poteſt in notitiam, cum ad ſedem Principis frequens ſit concurſus ex omnibus civitatibus, quæ ejus gubernio ſubſunt: ergò. Facilè, quod in curia agitur, poteſt in omnium notitiam venire.

Reſpondeo diſting. antec. & ejus probam. Sufficit, quantùm eſt ex natura rei conc. quantùm eſt ex voluntate vel ſic ſtatuentis, vel conſuetudinem approbantis Legiſlatoris neg. antec. adeóque ut meliùs evitetur omnis confuſio populi valde diſperſi, cenſetur ex voluntate Pontificis, non velle ſuam legem obligare priùs, niſi ſit omnibus provinciis promulgata.

Dices: potiùs praxis & conſuetudo in lege Pontificia eſt contraria, ut patet de Bulla Cœnæ, & illo caſu c. 1. *ad hec.* de poſtul. præl. ut dictum eſt in proba ſecundæ partis Aſſertionis. Imò voluit etiam Pius V. in ſua Bulla, ut Decreta Tridentini, quæ ad reformationem & Jus Canonicum pertinent, ubique poſt promulgationem Romæ factam incipiant obligare: ergò.

Contra diſting. antec. eſt contraria in omnibus conſtitutionibus neg. in illa conſtitutione Bullæ Cœnæ, quæ per conſuetudinem eam taliter obſervandi jam ità in toto orbe vim habet; & in illo caſu Altiſſiodorenſi de poſtul. prælat. ubi Pontifex talem illo tempore obſervandæ legis conſuetudinem in illa Diœceſi ſuppoſuit, imò legem etiam ibidem à Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato promulgatam, ut patet in textu cap. cit. quamvis non ad ſingulorum aures, ibidem pervenerit. Ac demùm in illo Decreto Pii V. ubi ita obligare ſpecialiter ſtatuit, ſicut & ipſum Trident. Seſſ. 24. c. 1. de Reform. Matrim. ſtatuit, ut ſolùm poſt triginta dies à publicato Decreto in quavis Parochia matrimonia clandeſtina irrita eſſent, conc. antec. unde in illis conſtitutionibus, ubi Pontifex nullum modum aut tempus adjicit, poteſt ſervari modus legis civilis jam etiam per benignum conſenſum Juris Canonici & ejus conſuetudinem in modum Juris Canonici redactus.

Dices: Lex illa civilis ex Novell. 66. nullum modum aut formam legibus Pontificiis & Eccleſiaſticis potuit præſcribere, cùm Pontifex Legibus Civilibus non obligetur: ergò in nullis Conſtitutionibus Pontificiis eſt locus contrariæ praxis.

Contra neg. conſeq. quia talis praxis non ex eo valet, quaſi jus Civile aliquid præſcriberet juri Canonico; ſed quia Pontifex cenſetur in hanc praxim benignè conſentire, cùm multoties etiam ſuas Conſtitutiones ſic ordinet, & in ſimili ordinaverit cap. *cum infirmitas.* de pœnit. & remiſſ. licèt ab initio Eccleſiæ ſemper obſervabatur lex Romæ promulgata in toto orbe.

Dices: Si lex Pontificia cenſetur conformata legi Civili quoad modum promulgandi, etiam omnes conſtitutiones aliorum inferiorum Principum & civitatum non obligarent niſi poſt duos omnes & ubique factam promulgationem; ſed hoc experientia negat: ergò.

Contra neg. ſequelam maj. nam illa Conſtitutio Imperialis ex Novell. 66. non poteſt habere locum in Statutis Principum inferiorum vel Civitatum, cum horum juriſdictio ſit anguſtior, & ideo non requirat tantum tempus; Pontifex autem habet ampliorem juriſdictionem, quàm Imperator, ideo potiùs majus adhuc videtur tempus in ea requiri vel ſaltem æquale cum juriſdictione Imperatoria. Tandem nec illa Novella habet locum in legibus Principum Romano Imperio non ſubjectorum, quibus illa Novella nihil poteſt præſcribere, quare inſpiciendum erit quid propria lege vel conſuetudine ſingulorum Regnorum aut Civitatum in hac re receptum ſit.

Aſſero 3. *Ad valorem legis non requiritur conſenſus & acceptatio populi,* Eſt Silvii, Salar, Suarez, & communior contra Beccanum, Bonacinam & alios. 17

Probatur 1. Quoad Leges Canonicas a ſummus Pontifex poteſtatem ferendi leges immediatè accepit à Chriſto & non à populo, & inde ad Epiſcopos & alios Rectores Eccleſiæ derivatur, nec illam accepit cum tali dependentia & limitatione ut in legibus ferendis conſenſu populi indigeret: ergo leges Canonicæ quoad earum obligationem non pendent à populi acceptatione: antec. prob. tum quia, ſi, poſtquam Petrus ut ſummus Pontifex ligâſſet ſuper terram juſtis legibus populo ſalutaribus, exſpectandus eſſet neceſſariò conſenſus populi non maneret eo ipſo in cœlis ligatum donec populi conſenſus accederet, quod videtur incongruum. Tum quia, ubi conſtat de poteſtate ſumme conceſſa & non conſtat de limitatione poteſtatis, cenſenda eſt data ſine limitatione, dubia enim limitatio non poteſt præjudicare certiſſimæ poteſtati; ſed à Chriſto conceſſam eſſe Petro & ſucceſſoribus ſupremam poteſtatem legiſlativem certiſſimè conſtat, & non conſtat eſſe additam limitationem: ergo ſine limitatione data cenſenda eſt.

Probatur 2. quoad leges Civiles: licèt Principes ſint inſtituti & acceperint poteſta-

tem à populo, ſunt tamen inſtituti cùm poteſtate abſoluta, & non cum dependentia ad populum, aliàs ſuprema poteſtas penes populum maneret & non penes Principem, quod eſt contra ſuppoſitum in ſtatu Monarchico, cum populus privativè omnem poteſtatem in unum regentem Principem transtulerit, quod idem eſt in ſtatu Ariſtocratico, ubi Primates regunt, quibus populus dedit abſolutam poteſtatem, aliàs ſtante neceſſitate acceptationis populi poteſtas legislativa non eſſet penes primates ſed penes populum, & ſic ſtatus Monarchicus & Ariſtocraticus transverteretur in Democraticum, ubi ſolùm poteſtas legislativa conſequenter & acceptatio ac approbatio reſidet penes populum; ergo ad legis Civilis valorem non requiritur acceptatio, nam licèt populus potuerit dare Principi poteſtatem ſub conditione acceptationis populi, ubi tamen conſtat de pacto & non de hic vel illis conditionibus appoſitis pactum tenet abſque conditionibus; ſed conſtat de pacto quo populus ſe ſubjecit Principi & non conſtat de conditione acceptationis populi: ergo tale pactum abſolutè tenet abſque conditione. Unde

18 Obſervandum eſt populum graviter peccare non acceptando juſtas leges, cùm illicitum ſit legem à Principe latam violare ſub prætextu, quòd populus non conſenſerit, ideo Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Populus non peccat etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem promulgatam.* Interim tamen aliquando populus non peccat non acceptando legem, ſi nimirum ex circumſtantiis ſatis colligi poſſit voluntas contraria principis, uti præſumi poteſt in lege valdè difficili, quòd ſcilicet Princeps non intendat abſolutè obligare, ſed ſolùm tentare populi ſenſum & juxtà eum aut plenè confirmare aut moderari legem. Conſultiùs tamen erit populo interea apud Principem pro legis ſublatione inſtare; & congruentiùs eſt ordinato regimini legem ſervare, ſi tempus urgeat: aut ſi rationabilis cauſa ſubeſt, à principe veriſimiliter ignorata, poterit interea legis obligatio in executione ſuſpendi; poteſt enim tunc communitas ad remedium ſupplicationis recurrere, quorum ratio eſt, quod id ſit moraliter neceſſarium debito regimini, ac paci plebis; adeóque meritò præſumitur Legislator eſſe contentus, ut docet noſter Herinx de Legibus Diſp. 3. n. 116.

19 Objicies: Juriſconſultus L. *de quibus ff. de Legibus.* apertè docet, *leges nulla alia causâ nos tenere, niſi quia judicio populi recepta ſunt:* ergo acceptatio populi requiritur ad valorem legis.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Juriſconſultus ibi loquitur de legibus quæ juxtà formam regiminis Democratici olim fiebant Romæ antequam populus lege Regia omnem poteſtatem ſuam in Principes tranſtulerunt, vel ſolùm loquitur de legis obligatione accidentali & ſecundaria, ut ſtatim pluribus patebit. Interim, ſi diceres legem illam fuiſſe ſcriptam tempore Antonini, qui jam fuit Monarcha: dico legem illam tamen fuiſſe ſcriptam ſolùm relatè ad priorem ſtatum Democratiæ ut populus faciliùs introduceretur ad ſtatum Monarchicum.

Dices: §. *Leges.* C. 3. Diſt. 4. dicitur *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur:* ergo.

Contra: ille textus eſt intelligendus de confirmatione extrinſeca & accidentali non verò intrinſeca & ſubſtantiali, quatenus ſcilicet leges moribus utentium receptæ extrinſecam ſuam perfectionem & vigorem conſecutæ ſunt, non autem quòd ante hanc receptionem vim propriam obligandi non habuerint, unde ſolùm moribus utentium in tantum firmantur leges, in quantum aliàs per contrariam conſuetudinem tolleretur lex; per obſervationem ergo populi Princeps tantùm videt legem eis non eſſe difficilem, non verò quòd lex ab initio accipiat vim obligandi per acceptationem, aliàs majoris poteſtatis eſſent ſubditi quàm Principes contra illud ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit;* hinc ſi ſubditi ſe non accommodarent legi, & Princeps id ſciens diſſimularet, tunc potiùs cenſetur ipſemet ſuam legem revocare, quàm quòd ex defectu acceptationis nulla ſit, cum aliàs competentibus remediis populum refractarium poſſit compellere.

Dices: Per contrariam conſuetudinem poteſt abrogari lex humana jam acceptata & obligans: ergo etiam per non acceptationem poteſt impediri ne lex incipiat obligare.

Contra neg. conſeq. quia conſuetudo abrogat legem ex conſenſu Principis tacito vel in jure expreſſo; aſt ſi lex ſemel eſt promulgata non acceptatio non poteſt impedire vim legis obligativam ex conſenſu Principis, cum voluntas ejus in contrarium pateat per verba præceptiva, vi quorum invitos compellere poteſt, & intendit, cur enim aliàs promulgaret legem? Hic tamen excipiendæ veniunt illæ Provinciæ, quæ ex ſpeciali privilegio, ut fertur de Gallia & Hiſpania, vel conſuetudine, ut eſt in noſtra Germania teſte Laymano L. 1. Tract. 4. c. 2. uſum habent, ut leges Pontificiæ ibi non obligent, niſi ibidem promulgentur & recipiantur.

Dices: Quando Pontifex vel Rex fert legem, fert eam ut ſuavem humano generi & bono communi accommodatam: ergo fert eam ſub conditione, ſi populus illam acceptaverit. conſeq. prob. Lex ad quam recipiendam populus invitus compellitur, non eſt ſuavis aut conveniens bono communi, cùm talis lex non poſſit introduci abſque tumultibus plebis & magna Reipublicæ perturbatione, ideq.

Ideo 2. ad Cor. 13. dicitur: *Poteſtas non eſt in deſtructionem, ſed ædificationem.*

Contra neg. conſeq. & ejus probam, nam ſi Legislator illam adjiceret conditionem: ſi populo placuerit, immediatè ageret contra ſuam authoritatem præſertim Pontifex, de quo multi poſſet oriri dubium, quòd plenam poteſtatem immediatè à Chriſto Domino non accepiſſet, ſed quod dependentiam à populo in ſua poteſtate haberet, unde populus ſolum iniquè perturbatur, quando Princeps juſtè præcipit, quæ iniqua perturbatio non facit ut lex ſecundùm ſe non conducat ad bonum commune, nihilominùs tamen multoties erit expediens legem abrogare ad evitandos multos tumultus populi, multoties verò erit expediens in ea perſiſtere pro viribus inſtando ut obſervetur, ne ipſius Principis poteſtas condemnetur, præſertim ſi ex abrogatione legis graviora ſequantur inconvenientia, hinc locus ed chor. ſolùm intelligitur de legibus, quæ promulgatæ in populos invitos re ipſa excitarent perturbationem pacis, nempe dum tales leges rejiciuntur ex rationabili cauſa, non verò intelligendus eſt univerſaliter de omni lege, nam ex particulari non ſequitur concluſio univerſalis, cum poſſint eſſe multæ leges ſine ſcandalo aut ſeditione, ſed valdè utiles.

Dices: Defacto multæ leges non obligant, qui non ſunt à populo acceptatæ, ut conſtat de Trident. quoad aliqua in multis provinciis non recepto: ergo ad obligationem legis requiritur acceptatio.

Contra diſting. antec. non obligant, quia præcisè non ſunt acceptatæ neg. quia primò non acceptatæ, & dein per continuationem conſuetudinis ex vi legitimæ præſcriptionis ſunt abrogatæ conc. antec. nam licèt aliquæ leges, quando fuerunt latæ & promulgatæ, obligaverint ſubditos & ideo illi peccaverint, qui ſine juſta cauſa excuſante eas ab initio non obſervârunt, poſtquam tamen legitima conſuetudo præſcripſit poſt longum temporis ſpatium, quod in jure eſt decennium, non ampliùs obligabant.

Dices: C. cum olim. de cleric. conjug. dicit Innoc. III. de Clericis Græcis: *nos igitur attendentes quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit &c. mandamus, ſi aliud impedimentum non obſtat, ad conſecrationem ejusdem procedatur, ſicut etiam in Eccleſia Latina:* ergo præciſa cauſa excuſationis à legis obligatione eſt non acceptatio voti continentiæ apud Græcos, & ſic à contrario acceptatio feciſſet legem obligantem.

Contra neg. conſeq. Nam cauſa excuſationis à legis obligatione non fuit non acceptatio Orientalis Eccleſiæ, ſed conniventia ſummi Pontificis ob morem antiquiſſimum in illa Eccleſia receptum & ob alias juſtas cauſas tolerando conjugium, & ne pejores fiant reſiſtendo præceptæ continentiæ. Cæterùm quando major pars populi non acceptat legem, tunc minor pars poteſt ſe licitè conformare majori non obſervando legem, ita ut quamvis primi peccaverint non acceptando, & ſimiliter illi, qui primos ſtatim ſecuti ſunt, poſtquam tamen res pervenit ad eum ſtatum quod major pars populi non obſervet legem, tunc minor pars excuſatur, quia moraliter loquendo Principes tunc cenſentur non velle obligare minorem partem, cum illa minor pars habeat ſufficientem excuſationem videns majorem partem non acceptare legem, ac proinde Princeps tunc vel virtualiter abrogat legem pro minori parte, vel ſaltem virtualiter diſpenſat cum illa.

DISTINCTIO II.

De Lege Naturali.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Lex naturalis, & quæ ejus materia, & an apud omnes homines una?

ADvertendum eſt 1. Juriſconſultos legem naturalem ſeu Jus naturale definire, L. 1. ff. de Juſt. & Jure. quòd ſit, *quod natura omnia animalia docuit.* Ex quo deſcendit maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, educatio &c. Quæ etiam in animalibus conſpiciuntur; aſt cum per hoc ſolam definiant inſtinctum ſive propenſionem naturæ ſentientis, quæ hominibus & brutis communis eſt, & non aliquam regulam veritatis innatam & cognitam naturæ rationali, quam illa immutabiliter habet ſequendam: nec ſpecificè exprimant naturam rationalem, quæ ſolum propriè alicujus directionis per legem ſibi cognitam capax eſt, aliter cum Theologis de propria lege naturali ſentiendum eſt, qui jus naturale vocant, quod hominis menti, Deo authore naturaliter inditum eſt, juxta illud ad Rom. 2. *gentes naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt - - - - ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia eorum.* Legem ergo naturalem hic intelligimus illam, quæ non ex libera Legislatoris voluntate eſt impoſita, ſed quæ cum ipſa natura rationali eſt congenita, & proinde obligat ex natura rei vel connexione terminorum & non ex libera Legislatoris voluntate; tripliciter autem talis lex naturalis ſpectari poteſt, primò, ut eſt regula practica æternæ veritatis ad quam ſervandam naturaliter obligamur. Secundò, ut eſt actus mentis divinæ, quo Deus judicat talem regulam à nobis eſſe ſervandam, & ſimul vult eam obſervari; tertiò, ut eſt actus mentis humanæ, quo nos naturali inſtinctu judica-

judicamus eandem regulam à nobis obſervari oportere; cum hac lege naturali magnam habet affinitatem jus gentium, cum utrumque ſit commune gentibus ſaltem ut plurimùm, eſſentialiter tamen in pluribus diſcriminantur, nam præcepta juris gentium non ſunt in materia intrinſecè bona vel mala, ſed immediatè fundantur in uſu, conſenſu, & moribus tanquam tacito contractu gentium, unde §. 4. inſtit. *de jure naturali* vocatur jus gentium, quod uſu gentium introductum eſt; præterea præcepta juris naturalis ſunt de rebus ſimpliciter neceſſariis ad finem naturæ rationali proprium, ut ſervare fidem, colere parentes &c. Præcepta verò juris gentium non ſunt de mediis ſimpliciter neceſſariis ad felicitatem humanæ ſocietatis, ſed magis de commoditate aut neceſſitate hypothetica fundata in aliqua libera hypotheſi ut eſt immunitas Legatorum, jura hoſpitalitatis, captivitates, ſervitutes, libertas commerciorum &c. ſine quibus abſolutè ſocietas humana poſſet ſubſiſtere; unde paucis poſſet definiri jus gentium, quòd ſit ordinatio communi conſuetudine gentium introducta ad amplectenda ea, ſine quibus ſocietas humana ex integris gentibus aggregata, quæ mutuis officiis indiget, commodè non ſubſiſtit.

2 Advert. eſt 2. In uno eodémque actu frequenter concurrere jus naturæ, jus gentium, & jus poſitivum humanum v. g. in contractu poteſt ſpectari primò modus ſpecialis contrahendi, qui plerumque pertinet ad jus humanum vel ad ipſum arbitrium contrahentium. Secundò obſervatio contractûs conſummati, & hoc pertinet ad jus naturale, quod dictat fidem eſſe ſervandam, cuique ſuum eſſe tribuendum. Tertiò libera facultas contrahendi, & illa eſt juris gentium; hinc fœdera belli & pacis vel ſumuntur pro ipſa pactione fœderis in genere, & ſic videntur introducta poſt diluvium diviſione hominum, eorúmque moribus ita ſuadente communi utilitate; & ideo talia fœdera ſunt de jure gentium ſaltem permiſſivo, quamvis talem facultatem Deus Iſraelitis reſtrinxerit, ut patet Deut. 7. vel ſumuntur determinatè pro hac vel illa pacificatione v. g. Monaſterienſi, Pyrenea &c. Et ſic ſunt juris Civilis, quia taliter non introducuntur moribus gentium, nec reſpiciunt per ſe communem gentium felicitatem, ſed conſtituuntur authoritate ſummorum Principum, & in cujuslibet partis fœderatæ propriam felicitatem referuntur, quod pertinet ad jus Civile, neque enim Imperator; ſi cum Gallo pacem iniverit, ideo Gallicæ, vel Gallus imperialis gentis felicitatem quærit, ſed quælibet gens ſuam, prout patet ex punctis in talia fœdera deductis, vel per fœdera ipſa fœderis obſervandi religio, & hæc omninò eſt juris naturalis, quia fidem eſſe ſervandam ratio naturalis præſcribit.

3 Advert. eſt 3. Certum quidem eſſe materiam legis naturalis eſſe bonum honeſtum in communi & malum illi contrarium, illud proſequendum, hoc fugiendum, de qua lege non poteſt eſſe ignorantia invincibilis, quia tamen in jure naturali tria ſunt præceptorum genera, quædam notiſſima & univerſaliſſima, quæ non tam dicenda ſunt præcepta quàm omnium præceptorum principia, ut bonum eſt faciendum, quod tibi non vis fieri &c. ad hæc reduci poſſunt quædam ex præceptis decalogi, quæ ex eis ſine ullo negotio citò deducuntur, ut quòd Deus ſit colendus, quòd parentes ſint honorandi &c. Alia autem ſunt, quæ licèt immediatè etiam ex illis principiis inferuntur, non tamen ita facilè & evidenter ut priora, cujusmodi ſunt præcepta non eſſe furandum, non eſſe mentiendum &c. Alia tandem ſunt præcepta in jure naturali, non per ſe nota, ſed veluti concluſiones aliorum præceptorum, & quæ non niſi diſcurſu & labore ex eis deducuntur; quamvis ergo non poſſit dari ignorantia invincibilis de præceptis primi & ſecundi generis, certum tamen eſt eam poſſe dari de ultimis, non tantùm apud rudes, ſed etiam apud litteratos, qui ſæpè dubitant & in contrarias abeunt ſententias, an aliquid jure naturæ vel jure poſitivo ſit præceptum, & hoc præſertim verum eſt, ſi aliqua præcepta naturalia ut non occidere, non furari conſiderentur ut veſtita aliquâ circumſtantiâ, ut occidere eum, qui morti proximus eſt, ne diu agonizet, furari ad dandam eleemoſynam &c. Ideò hic oritur difficultas, an bonum honeſtum ſecundum ſe & malum illi contrarium ſolùm comprehendat illa, quæ in primis principiis continentur, an etiam ea, quæ in concluſionibus ex illis principiis deductis continentur, & quidem tam ea, quæ facilè deducuntur, ut bonum alienum non eſt detinendum, quàm ea quæ difficiliùs deducuntur, ut pecunia non eſt mutuò danda pro uſura. His ergo notatis

Propoſitio 1. *Lex naturalis non eſt ipſa natura rationalis.* Ratio eſt, tum quia, ſubjectum legis non eſt ipſa lex, ſed natura rationalis eſt ſubjectum legis naturalis quia juxta Apoſtolum *hæc eſt ſcripta in cordibus noſtris*: ergo. Tum quia, lex eſt actus ſuperioris circa inferiorem & ſubditum; ſed natura non eſt ſibi ipſimet ſubdita: ergo non eſt lex naturalis, hinc benè obſervat Suarez L. 2. c. 5. à Vaſquez malè confundi fundamentum honeſtatis cum lege; nam plura ad legem quàm ad radicem bonitatis & malitiæ moralis requiruntur, ſic licèt natura divina ſit fundamentum, quòd veracitas ſit ipſi conſentanea, mendacium diſſentaneum, non tamen ſequitur, quod divina natura ſit lex reſpectu Dei. 4

Nec dicas: Natura rationali exiſtente non poteſt non exiſtere lex naturalis, benè tamen poteſt non eſſe illa regula æternæ veritatis, quia hæc eſt libera Dei ordinatio, quam Deus poteſt

eſt ponere vel non ponere: ergo lex naturalis eſt ipſa natura intellectualis.

Reſpondeo diſting. ſecundam partem antec. illa regula poteſt non eſſe ex ſuppoſito, quòd natura rationalis exiſtat neg. poteſt non eſſe abſolutè conc. nam licèt operatio Dei ad extra ſit abſolutè libera, ex ſuppoſito tamen, quòd Deus voluerit creare naturam rationalem cum ſufficiente cognitione & libera facultate ad operandum bonum vel malum, implicat, quòd Deus non ordinet ipſam creaturam ad ſuum finem conſequendum per ſuos actus convenientes, & non prohibeat tali creaturæ actus intrinſecè malos; nec tamen bonitas vel malitia intrinſeca ſeu convenientia vel diſconvenientia ad naturam rationalem eſt lex, ſed potiùs materia legis; nam alia eſt bonitas & malitia in eſſe naturæ, quæ non deſumitur à lege, ſed à convenientia vel diſconvenientia ad naturam rationalem, quatenus intelligitur habere inclinationem ad bonum conſideratum in eſſe naturæ antecedenter ad omnem legem, alia verò eſt bonitas vel malitia in eſſe moris, quæ proximè deſumitur per ordinem ad dictamen rationis, & remotè per ordinem ad legem æternam, quatenus dictamen rationis objectivè eſt quædam participatio legis æternæ.

5 Propoſitio 2. *Lex naturalis non eſt ipſe intellectus aut lumen naturale rationis.* Ratio eſt, quia omnis lex propriè dicta eſt aliqua ordinatio obligativa; ſed lumen naturale in actu primo ſumptum non eſt talis ordinatio; ſed ſolum facultas intelligendi de rebus per ſe notis: ergo. min. prob. in tantùm lumen naturæ deberet dici talis ordinatio, in quantum per illud proponitur lex æterna habens vim obligandi; ſed per hoc non lumen naturale eſt obligans, ſed potiùs illa regula æternæ veritatis per illud propoſita, & lumen naturale eſt veluti præco & intimatio legis: ergo lumen naturale non eſt ordinatio obligativa, ſed tantùm vis intellectiva legis.

Nec dicas: ad Rom. 2. dicitur: *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Ejuſmodi enim legem non habentes ſibi ipſi ſunt lex: ergo per lumen naturale quod in ſe habent.

Reſpondeo neg. conſeq. nam illæ & ſimiles authoritates nihil aliud probant, quàm legem naturalem interdum cum conſcientia & ſynteresi confundi, quatenus etiam dictat quid agendum quidve omittendum ſit, propriè autem differunt, nam lex naturæ eſt regula generalis, conſcientia verò eſt dictamen practicum in particulari per formalem diſcurſum, imò conſcientia eſt potiùs applicatio legis naturalis ac pariter Divinæ & humanæ ad particularem operationem. De hoc vide plura ex dictis D. priori.

6 Propoſitio 3. *Lex naturalis circa ſuam materiam obligat in conſcientia & ſub pœna.* Ratio eſt, quia lex naturalis eſt proxima regula honeſtatis moralis, & quod ei opponitur, malitiam moralem habet annexam; ſed id omne quod malitiam habet annexam, eſt contra conſcientiam: ergo id omne quod fit contra legem naturæ, contra conſcientiam pugnat, ex quo deinde ſequitur, quòd etiam obliget ſub pœna cum omne malum morale ſit punibile & mereatur aliquam pœnam: non tamen ſemper obligat ſub culpa mortali, ut patet de mendacio jocoſo.

Nec dicas: Lex non poteſt obligare ad pœnam, quam nec manifeſtare nec inferre poteſt; ſed lex naturalis non poteſt manifeſtare pœnam æternam, quippe quæ non eſt nota lumine naturali, ſed ſolùm per revelationem: ergo.

Reſpondeo neg. maj. nam ad incurrendum reatum alicujus pœnæ non eſt neceſſè, quòd pœna per legem manifeſtetur, nec ut ſubditus & transgreſſor cognoſcat pœnam ſuæ transgreſſioni debitam, ſed ſufficit, quòd committat actum ejuſmodi pœnæ dignum, quæ à Deo authore naturæ & legis naturalis vindice cognoſcitur & infertur, & ideo lex naturalis pariter obligat delinquentem ad culpam deteſtandam, quia peccator naturaliter cognoſcit peccatum eſſe maculam animæ & offenſam Dei finis naturalis, ſicut ergo lex naturalis obligat ad deteſtandam offenſam Principi temporali illatam, ita & multò magis ad deteſtandam offenſam Deo authori naturæ illatam, non tamen obligat ad pœnam ſibi infligendam, quia nemo ſui judex eſſe poteſt, & hoc nimis atrox eſſet naturali conſervationi naturæ ingenitæ. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem. *Lex naturalis propriè ſumpta eſt conceptus objectivus, ſeu ipſum verum practicum ac jus quoddam ex ipſa rerum natura formaliter ortum, & principiativè ab intellectu Divino ejus inſtitutore per lumen naturale nobis intimatum.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *in iſta quæſtione.* Contra Thomiſtas. 7

Probatur: Lex naturalis ſe habet in nobis ſicut exemplar in mente artificis; ſed exemplar in mente artificis eſt conceptus objectivus: ergo & lex naturalis. Major patet ex Advert. 1. Ubi lex naturalis tertio modo ſumitur, ut eſt actus mentis noſtræ, quo nos naturali inſtinctu judicamus eandem regulam à nobis ſervari oportere, quo modo lex non dirigit per modum cognitionis, ſed per modum objecti cogniti, ſicut exemplar ad quod artifex aſpicit, eum non dirigit in operando formaliter ſed objectivè. min. verò prob. illud eſt exemplar cui agens, dum operatur, intendit aſſimilare ſuum opus; ſed agens non intendit aſſimilare ſuum opus ſuæ cognitioni, ſed rei cognitæ quam habet in mente: ergo exemplar in mente artificis non eſt conceptus formalis ſed objectivus, & ſic non cognitio ſed

objectum cognitum dirigit, aliàs eſſet idem cognitio & cognitum.

8 Objicies lex naturalis debet determinare & regulare ad modum exemplaris, ſed conceptus objectivus non ita regulat naturam rationalem: ergo. min. prob. conceptus objectivus eſt id, ad quem quis dirigitur: ergo non dirigit.

Reſpondeo diſting. maj. debet regulare ut principium cognoſcendi formale neg. ut principium objectivum ſeu ut objectum cognitum conc. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. ad prob. min. diſting. antec. eſt id, ad quem quis dirigitur ſecundum eſſe reale conc. ſecundum eſſe intentionale, ſeu ut habet eſſe cognitum neg. antec. jus enim ex natura rei ortum v. g. in cultu Divino præſtando in eſſe intentionali nos regulat ad Deum colendum, quamvis ſecundum actualem Dei cultum dirigamur ad hoc jus ex natura rei ortum ſecundum eſſe reale.

Dices: ſi jus naturale conſiſteret in ſolo conceptu objectivo æternæ veritatis etiam Deus poſſet obligari lege naturali, cùm etiam in Deo ſint tales conceptus objectivi, ſed id de Deo nequit dici: ergo.

Contra neg. ſequelam maj. quia lex naturalis dicit reſpectum ad Deum, qui legem cenſetur complere & ferre quatenus naturam condit, cui obligatio legis naturæ cenſetur intrinſecè annexa, & ideo Deus non poteſt ei eſſe ſubjectus. Deinde illa ſola regula dicitur lex, quæ reſpicit ſubditos aptos in finem dirigi & defectibiles, & quibus non repugnat habere ſuperiorem; ſed nihil tale competit Deo cum ſit infinitæ rectitudinis & ſupremus omnium rerum Dominus, ſi quis tamen vellet Deum lato modo & quodammodo habere legem naturæ veluti debitum & obligationem ex ſe & ſua perfectiſſima natura non eſſet multùm de voce contendendum.

Dices: talis propoſitio objectiva Deus eſt colendus, non importat aliud ex parte objecti, quàm obligationem colendi Deum; ſed lex naturalis debet eſſe radix hujuſmodi obligationis, ſeu id quod talem obligationem inducit: ergo.

Contra neg. maj. nam non tantùm importat illam obligationem, ſed etiam eſt radix hujus obligationis, cùm in illo principio contineatur regula æternæ veritatis ab auctoris naturæ judicio approbatæ & ejus voluntate effecta, quæ regula eſt radix ut nos ad eam amplectendam naturaliter obligemur.

9 Aſſero 2. *Materia legis naturalis non tantùm ſunt prima principia, ſed etiam omnes concluſiones, quæ ex eis immediatè & per evidentem conſequentiam deducuntur.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *in iſta quæſtione.*

Probatur: Tum quia lex naturalis eſt omne illud, quod obligat homines ex vi ſolius rationis naturalis independenter ab inſtitutione humana vel divina; ſed talis obligatio non ſolùm eſt in primis principiis practicis, ſed etiam in concluſionibus evidenter deductis: ergo min. prob. obligatio, quæ in his concluſionibus reperitur nec generatur ab opinione, nec ab humana vel divina inſtitutione, cum obliget independenter à quacunque libera inſtitutione: ergo vi ſolius rationis naturalis obligat: antec. patet, in hac concluſione practica, Deus eſt amandus, quæ deducitur ex hoc principio per ſe noto omne bonum eſt amandum; ſed Deus eſt ſummum bonum: ergo &c. ubi obligatio in hac concluſione reperta ex vi ſolius rationis obligat, ſicut principium ex quo deducitur. Tum quia lex naturalis debet eſſe regula, quâ dirigimur in agibilibus, ſed in ſolis principiis univerſalibus v. g. bonum eſt ſequendum non habetur ſtricta directio, niſi accedat particulare principium v. g. cultus Dei eſt bonus: ergo lex naturalis etiam de his concluſionibus eſſe debet, nam verſatur tanquam circa propriam materiam, circa totum id, quod eſt intrinſecè neceſſarium ad rectum ordinem naturalem conſervandum, quod non ſolùm ea comprehendit, quæ ſine diſcurſu, ſed etiam quæ per evidentes concluſiones cognoſcuntur.

Objicies: quæ cadunt ſub lege naturæ ab hominibus ignorari non poſſunt, ſed talia ſunt ſolùm, quæ in principiis primis continentur, non verò quæ in concluſionibus deductis: ergo. min. patet experientiâ, quia apud multas gentes olim idololatriæ & alia flagitia approbantur, quod factum eſt ex ignorantia naturalis virtutis ex concluſionibus deductis. 10

Reſpondeo diſting. maj. ignorari non poſſunt per ſe conc. per accidens neg. maj. nam quamvis ea, quæ legis naturalis ſunt, non poſſint ignorari ex ſe, per accidens tamen hoc fieri poteſt ſaltem quoad aliquas concluſiones propter pravam peccandi conſuetudinem, & inde exortam intellectûs obſcurationem, & ſic poſſunt aliquando homines à lege naturali deficere. Undè de idololatris loquitur Apoſt. ad Rom. 1. *obſcuratum eſt cor inſipiens eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominum & volucrum.*

Dices: ergo etiam leges humanæ eſſent materia legis naturalis, cùm etiam ſint concluſiones ex principiis illis primis deductæ.

Contra neg. illatum, nam leges puræ humanæ non ſunt concluſiones neceſſariò & evidenter deductæ ex primis principiis practicis in ordine agibilium, ſed ſolùm contingenter & probabiliter, uti patebit ſuo loco de lege humana adeóque proximè & propriè non poſſunt cadere ſub legis naturalis materiam.

Aſſero 3. *Lex naturalis quantùm ad principia univerſalia eſt eadem apud omnes homines in quovis ſtatu ſpectatis, quoad præcepta verò particularia & deducta ex primis ut pluri-* 11

plurimùm eſt eadem apud omnes, interdum tamen apud plurimos deficiunt tam quoad rectitudinem quàm quoad notitiam eorum. Eſt Scoti cit. in duabus aſſertionibus prioribus.

Probatur 1. pars: Lex naturalis ex primis principiis univerſalibus eſt veluti proprietas conſequens non naturam propriam & particularem alicujus individui, ſed naturam ſpecificam rationalem; ſed hæc natura eſt eadem in omnibus ergo & ipſa lex naturalis.

12 Probatur 2. pars: Veritas concluſionis practicæ dependet ex veritate principiorum, ſi ex illis demonſtrativè deducitur: ergo ſi omnes homines habent lumen rationis ejuſdem ſpeciei nec naturaliter impeditum, nec à malitia voluntatis excæcatum, una erit neceſſariò lex apud omnes non ſolùm quoad principia communia, ſed etiam quoad præcepta particularia ex illis demonſtrative deducta: conſeq. prob. hoc principium omne bonum honeſtum eſt proſequendum, demonſtrativè vincit intellectum cujuslibet ratione ſui naturalis luminis ad judicandum infinitè bonum honeſtum eſſe ſuper omnia proſequendum, cum ſit concluſio neceſſaria ex illo evidenter deducta.

13 Probatur 3. pars: Depoſitum eſſe Domino reddendum eſt principium univerſale, & tamen non eſt recta hæc concluſio, quæ infertur: ergo depoſitum eſt reddendum Domino repetenti illud in perniciem Reipublicæ, cum bonum privatum debeat cedere bono communi: ergo lex naturæ interdum non eſt una apud omnes ſecundùm rectitudinem præceptorum particularium.

14 Probatur 4. pars: Rectum judicium impeditur aliquando in agendis aut per paſſionem, quæ uſum rationis pervertit, aut per depravatam naturæ conſuetudinem, quâ fit, quòd latrocinia quibusdam gentibus viſa fuerint non injuſta, uſuræ licitæ, fornicatio approbanda: ergo lex naturalis interdum ſecundum notitiam & illationem ejusmodi præceptorum ex principiis communibus non eſt una apud omnes, quia quantò magis aliquando concluſio diſtat à principiis tantò minùs eſt evidens, ut ex hoc principio, quod tibi non vis fieri &c. ſequitur evidentiſſimè: ergo adversùs alterum non des teſtimonium falſum; ſed non ita evidenter colligitur: ergo non eſt dicendum mendacium pro vita homini conſervanda.

Objicies: Concluſiones ſpeculativæ im-
15 mediatæ ex hoc primo principio in ſpeculabilibus: *quodlibet eſt vel non eſt*, habent eandem veritatem perpetuò apud omnes homines: ergò etiam concluſiones practicæ immediatæ ex hoc principio in practicis omne bonum eſt proſequendum & malum fugiendum.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia concluſiones practicæ ſunt de rebus particularibus, quæ varias admittunt circumſtantias pro earum executione ſecundùm quas illæ concluſiones variantur, unde fieri poteſt, quòd ex mutatione circumſtantiarum id quod juſtum aut rectum erat, deſinat eſſe rectum, adeóque licèt verum ſit apud omnes in ſpeculativis, quòd numerus impar non poſſit dividi in duas partes æquales, in practicis tamen non eſt perpetuò verum unum, v. g. depoſitum eſſe Domino reddendum, ut ſupra in proba.

Dices: De lege naturali eſt unicum lumen naturale illuſtrans hominem quid ſit agendum, eſt unicum principium ſcilicet author naturæ & unicus finis, quia lex naturalis ad hunc unicum finem collimat ut hominem conſtituat rectum ſecundùm inclinationem naturæ: ergo lex naturalis quoad omnia ſua præcepta eſt una apud omnes.

Contra diſting. conſequens una unitate luminis, principii & finis conc. unitate præcepti neg. conſeq. nam de prioribus unitatibus non eſt quæſtio, ſed ſolùm de unitate præcepti, nam apud quoſdam aliquid habetur pro præcepto naturali & non apud alios, ut patet in probis.

QUÆSTIO II.

An omnia præcepta Decalogi omnésque actus virtutum quoad ſubſtantiam & modum ſint de lege natura?

ADvertendum eſt 1. Præcepta Decalogi eſſe duplicis tabulæ, alia ad Deum ſpectant qualia ſunt prima tria, & dicuntur primæ tabulæ, alia verò ad vitam debitè inſtituendam reſpectivè ad homines, qualia ſunt ſeptem reliqua, & dicuntur ſecundæ tabulæ; Virtutes pariter ſunt duplicis generis, aliquæ ſunt neceſſariæ ad hominem debitè inſtituendum in his, quæ ad ſtatum naturalem ſpectant, quæque ad probè regulandam triplicem ejus inclinationem, quâ fertur vel ad ſui ipſius conſervationem, vel ad ſpeciei ſuæ propagationem, vel ad ſocietatem debitè incundam cum ſuperioribus, paribus, & ſubditis. Alia verò non ſunt ita neceſſariæ, vel ſolùm cadunt ſub conſilio ut opera ſupererogationis. 1

Advertendum eſt 2. modum virtutis ſeu circumſtantiam requiſitam ad moralem actùs bonitatem eſſe triplicem; primus eſt ut fiat ſcienter & voluntarie, nam per legem præcipitur actus humanus, hic autem debet eſſe voluntarius ex cognitione, defectu cujus non faceret quis actum lege juſtitiæ vel miſericordiæ præceptum, qui in ebrietate vel aliàs ſine uſu rationis reſtituit rem alienam vel dat eleemoſynam extremè indigenti, quamvis poſtea non teneatur iterùm reſtituere, aut eleemoſynam dare, eò quòd materia præcepti ſit ſublata, ex quo ceſſat præceptum. Secundus modus eſt ut actus fiat propter honeſtatem virtutis, & tertius ut fiat ex motivo charitatis in Deum. His notatis: 2

3 Propoſitio 1. *Aliqui actus virtutum ſecundùm ſe ipſos & in propriis ſpeciebus non ſunt de lege naturæ.* Ratio eſt, quia v.g. actus temperantiæ per abſtinentiam à carnibus præceptus quoad hanc ſuam ſpeciem pendet à lege poſitiva, ſcilicet à voluntate præcipientis Eccleſiæ, ad qualem ſpeciem non inclinat natura: ergo talis actus in ſua ſpecie non eſt de lege naturali.

Nec dicas: Quamprimùm aliquid eſt in ſpecie præceptum lege humana, pertinet ad genus virtutis obedientiæ; ſed de lege naturali eſt agendum virtuosè & obediendum juſtis præceptis: ergo actus in ſpecie propria ſemper eſt de lege naturali.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens actus in ſpecie eſt de lege naturali ſecundùm rationem genericam virtutis conc. ſecundùm ſuam rationem ſpecificam ut ad talem in ſpecie fiendam inclinet neg. conſeq. nam omninò lex naturalis dictat ut ſit in universum virtuosè agendum non verò ut ſub tali ratione v.g. per abſtinentiam à carne agatur virtuosè temperanter. De his plura in aſſert. 2.

4 Propoſitio 2. *Lex naturalis obligat, ut non ponatur indebitus finis aut mala circumſtantia in actu virtutis præcepti.* Ratio eſt, quia qui proximè ſuccurreret in extrema neceſſitate ex motivo vanæ gloriæ, quamvis contra præceptum miſericordiæ non peccet, adhuc tamen peccat contra aliud præceptum naturale humilitatis, & qui comederet gratiâ voluptatis, licèt non peccaret contra obligationem ſuſtentandi vitam adhuc tamen peccaret contra gulam: ergo non poteſt quis ſervare ullum præceptum naturale per actum malum, quin aliquam legem naturalem transgrediatur, per conſequens univerſitas naturalis obligat ad talem modum operandi, ut opus virtutis ex nulla parte vitietur.

Nec dicas: Lex naturæ poteſt impleri per actum ex circumſtantia vitiatum v.g. qui reſtituit alienum ex odio ſatiafacit præcepto naturali juſtitiæ de reſtituendo alieno, aliàs non tolleretur obligatio iterandi actum, cum hæc non tollatur niſi adimpleatur præceptum: ergò lex naturalis non obligat ut non ponatur mala circumſtantia.

Reſpondeo diſting. antec. lex naturæ particulariter poteſt ſic impleri conc. lex naturæ generaliter neg. antec. nam licèt ille reſtituens non peccet contra præceptum juſtitiæ, ſtatim tamen peccat contra aliam legem naturæ, quæ prohibet odium, adeóque nunquam poteſt lex naturæ integrè ſervari per actum malum, quia ſemper transgreditur aliud præceptum legis naturæ partialiter illam malitiam prohibens, aut ſaltem generale præceptum de fuga mali.

5 Propoſitio 3. *Aliqua diſplicentia concomitans adimpletionem legis naturalis non obeſt adimpletioni.* Ratio eſt; quia non obſtante tali diſplicentia homo vult ſimpliciter & abſolutè facere, quod lege præcipitur, imò ſi diſplicentia eſt indeliberata, non eſt quædam peccaminoſa diſplicentia, ſed naturalis triſtitia de aliquo incommodo conjuncto naturaliter actioni præceptæ: ergò non obeſt.

Nec dicas: diſplicentia facit, quòd aliquis non vellet adimplere præceptum, ſi non timeret pœnam; ſed talis voluntas non adimplet præceptum: ergò diſplicentia obeſt adimpletioni legis naturalis.

Reſpondeo neg. maj. præſertim ſi diſplicentia eſt concomitans, imò licèt adeſſet illa voluntas conditionata, adhuc tamen adeſſet abſoluta voluntas adimplendi præceptum, unde hic eodem modo eſt diſcurrendum, ſicut quondam de metu antecedente & concomitante diſcurrebamus, abſoluta ergò diſplicentia vel voluntas conditionata non faciendi opus præceptum eſſet quidem peccaminoſa, ſi per conditionem non abſtergitur malitia, ut ſi quis vellet non implere præceptum, niſi per pœnam cogeretur, hinc in tali diſpliceotia frequenter poteſt latere ſpeciale peccatum contra eandem legem. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Omnia præ-* 6
cepta Decalogi (excepto tertio de ſanctificatione Sabathi quoad determinationem temporis) ſunt de lege naturali. Eſt communis & Scoti in 3. D. 37. q. un. §. *ad quæſtionem.*

Probatur lex naturalis & poſitiva in hoc differunt, quòd naturalia in objecto ſupponat honeſtatem moralem, quam præcipit, aut diſformitatem, quam prohibet, & lex poſitiva non ſupponit in objecto, ſed inducit, & ideo quæ lex naturalis prohibet, non ſunt mala quia prohibita, ſed econtra quia ſunt mala, quæ verò lex poſitiva præcipit aut prohibet ſunt talia bona vel mala, quia ſunt prohibita vel præcepta; ſed omnia quæ præcipiuntur vel prohibentur per decalogum, ſunt bona & honeſta, turpia & indecentia ex ipſa natura rei ſecluſa quacunque lege poſitiva, ut patet in cultu Dei, honore parentum, furto, adulterio, homicidio &c. ergo.

Dictum eſt excepto tertio de ſanctifica- 7
tione Sabathi quoad determinationem temporis, quia hoc præceptum habet aliquid juris naturalis, & aliquid juris divini poſitivi, quia quatenus cultum ipſius Dei præcipit, eſt de jure naturæ, nam natura ſatìs docet cultum eſſe Deo pro collatis beneficiis & pro ſuprema ejus excellentia perſolvendum. Aſt quatenus præſcribit certum diem potiùs hunc quàm alterum, eſt juris Divini poſitivi, natura enim hunc diem non præſcribit, ſed ſolus Deus eum obſervandum Adamo & Evæ præſcripſit, eò quòd, ut ait Scriptura, à creatione ſeu ab omni opere, quod patrârat die ſeptimo requieverit, nunc autem per legem Evangelicam diei Sabathi dies Dominica Chriſti reſurrectioni conſecrata colenda ſucceſſit.

Obji-

8 Objicies: L. *omnes. ff. de Juſt. & Jur.* multa tribuuntur juri gentium, quæ deducuntur ex primis principiis practicis per evidentem conſequentiam & pertinent ad præcepta Decalogi; ſed jus gentium diſtinguitur à lege naturali: ergo non omnia ex decalogo ſunt de lege naturali.

Reſpondeo diſting. maj. tribuuntur juri gentium effectivè neg. ſubjectivè conc. nam jus gentium poteſt ſumi propriè & effectivè, id eſt pro inſtituto ab ipſis gentibus, & impropriè ſeu ſubjectivè, id eſt prout ab omnibus gentibus obſervatur, & hoc modo coincidit cum jure naturali, cum etiam jus naturale ab omnibus gentibus obſervetur, & taliter impropriè jus gentium dicitur juxta illud Ciceronis 2. Tuſcul. Qq. in omni re omnium gentium conſenſus lex naturæ putanda eſt, & hoc modo jus gentium ſumitur lege cit.

Dices: Furta & adulteria ab aliquibus gentibus leguntur fuiſſe permiſſa: ergo non omnia præcepta Decalogi ſunt ex jure naturali, quia jus naturale ſervandum eſſe ab omnibus agnoſcitur.

Contra neg. conſeq. quia illud tantùm contigit per accidens, ut dictum quæſt. priori in qua vide plura de hac difficultate.

9 Aſſero 2. *Omnes virtutum actus ſi ſpectantur ſecundùm ſuam rationem genericam ſeu in quantum ſunt virtuoſi, ſunt de lege naturæ.* Eſt communis & Scoti in 1. D. 17. q. un. §. *in iſta quæſtione.* Item in 3. D. 37. q. un. §. *ad quæſtionem.*

Probatur actus v. g. temperantiæ ſecundùm ſuam rationem genericam in quantum eſt virtuoſus eſt talis, ut in eum inclinet natura rationalis, quæ inclinat & præcipit amplecti omne bonum honeſtum: ergo omnes virtutum actus ſecundùm rationem genericam ſunt de lege naturali.

10 Objicies non omnia peccata ſunt contra legem naturæ: ergò nec omnes actus virtutum pertinent ad legem naturæ.

Reſpondeo diſting. antec. non ſunt contra legem naturæ prout omnibus animalibus communia, uti concubitus maſculorum eſt contra naturam conc. non ſunt contra legem naturæ rationalis, id eſt contra rationem neg. antec. nam ſicut in homine eſt triplex gradus naturæ ſcilicet entis ſubſtantialis, viventis, ſentientis & rationalis ac ſociabilis, ita tres ſunt diverſæ inclinationes ad diverſa bona, unde contra naturam in primo gradu peccat quis, qui ſe interficit, contra naturam in ſecundo gradu, qui Sodomiam, Beſtialitatem &c. committit, cùm natura inclinet ad conſervationem ſuæ ſpeciei per aliud vivens producendum, contra naturam in tertio gradu omnis peccator, quatenus quodlibet peccatum dicitur eſſe naturam hominis, quia contrariatur rationi & lumini naturali dictanti, quid ſit ſectandum, quid fugiendum, duo tamen primi gradus maximè dicuntur contra naturam, quia nimirum horrendum eſt admittere, à quo etiam bruta abhorrent.

Dices: quæ ſunt de lege naturæ ſunt de obligatione, ſed non omnes actus virtutum quà etiam virtuoſi ſunt de obligatione, non enim actus virtutis paupertatis &c. eſt de obligatione: ergo non omnes ſunt de lege naturali.

Contra diſting. min. non ſunt de obligatione ſimpliciter conc. ex ſuppoſito ſi producantur neg. min. nam dupliciter ratio naturalis dictat virtuosè eſſe agendum primò taliter, ut ſimpliciter præcipiat actus facere, in quantum ſunt virtuoſi, ut juſtitiam ſervare. Secundo ut præcipiat, quòd ſi fiant & producantur tales actus, virtuosè fiant, primum ratio naturalis ſolùm dictat in actibus formaliter præceptis jure naturæ non verò in conſiliis, ſecundum verò dictat tam in præceptis quàm conſiliis, dictat enim ratio naturalis, quod ſi homo operetur, operetur conformiter ad rationem, quod eſt virtuosè agere.

Dices: Si omnes actus virtutum ſunt de lege naturæ, non poteſt aſſignari diſcrimen inter ea, quæ ſunt de lege naturæ & humana, quia quamprimum eſt aliquid de lege humana pertinet ad genus virtutis, & ſic eſſet de lege naturæ: ergò.

Contra neg. antec. nam diſcrimen eſt, quòd quæ ſunt de lege humana ſi conſiderentur in univerſum ſunt de lege naturali, non verò ſi conſiderentur in particulari, quæ autem ſunt propriè de lege naturali, ſunt generaliter & particulariter de ea, nam ſunt quædam adeò neceſſaria ad finis naturalis conſecutionem, ut eorum neceſſitas ſit omnibus evidens, ut præcepta non eſſe mentiendum, non eſſe adulterandum &c. alia quæ quidem etiam ſunt neceſſaria, ſed eorum neceſſitas non eſt ita evidens omnibus, ſed indigent declaratione accurata v. g. talem contractum eſſe uſurarium &c. alia tandem quæ conducunt ad finem, ſed non ſunt neceſſaria & pro diverſitate locorum & temporum variantur & hæc ſunt de lege naturali in univerſum non verò in particulari.

Aſſero 3. *Lex naturalis non ſemper obligat ad modum virtutis, niſi modus ſit de intrinſeca ſubſtantia virtutis.* Eſt communis & Scoti in 3. D. 37. q. un. §. *ad quæſtionem.* Et noſtri Herinx & Amici. 11

Probatur 1. pars. Primò: Qui ex pravo fine dat eleemoſynam aut alienum reſtituit non tenetur actum iterare: ergo per ſolam ſubſtantiam actûs ſatiafit hujusmodi præceptis naturalibus. Conſeq. prob. ſi per tales actus non ſatiafieret illis præceptis non tolleretur obligatio iterandi actum, quia hæc non tollitur niſi adimpleatur præceptum.

Reſponderi poſſet etiam non teneri aliquem reſtituere, ſi eo ignorante alius illud alienum reſtitueret, & tamen talis legem naturæ

BIBLIOTECA ...

non obſervavit, nam talis non ſervatur, niſi actu libero: ergo quòd quis non teneatur iterare actum, non eſt ſignum aliquem ſatisfeciſſe præcepto naturali, ſed ſolùm quòd ſic ſublata materia præcepti, & hoc ipſo præceptum ceſſat.

Contra eſt, concedo quidem illud: non teneri iterare actum ſimpliciter non eſſe certum ſignum adimpletionis præcepti, ſemper tamen eſt certum ſignum poſitis omnibus ad humanum & liberum actum requiſitis, nam his poſitis non tantùm ſubtrahitur materia præcepti, ſed etiam ponitur actus liber & honeſtus, honeſtate à lege natura primariò intenta.

Probatur 2. Lex naturalis poteſt dupliciter ſervari, uno modo ut obſervatio legis ſolùm ſufficiat ad culpam evadendam, alio modo ut ulterius etiam ſit verè digna laude & præmio, primo modo non eſt ſervandus virtutum modus, nam præcepta negativa v. g. de non violanda caſtitate &c. poſſunt ſervari per ſolam negationem actûs contrarii, præcepta verò affirmativa ut præceptum miſericordiæ pro extremo indigenti &c. per ſe quidem obligant, ut iſta opera fiant amore honeſtatis, unde ſi quis elargiret indigenti eleemoſynam non ex motivo miſericordiæ ſed ex motivo alio indifferenti ſatisfaceret ſufficienter legi naturali, quia hæc ſolùm requirit proximi ſubventionem, quæ æquè fit ad utilitatem ejus ſive ex motivo honeſtatis ſive indifferenti fiat, ſecundo tamen modo neceſſario eſt ſervandus modus virtutis in omnibus præceptis tam affirmativis quàm negativis, ut ſcilicèt homo intendat ſervare legem naturæ intuitu & amore honeſtatis, quod tamen nōn eſt modum virtutis cadere ſub obligatione legis naturalis, ſed tantùm requiri ad hoc ut obſervatio legis ad laudem & præmium valeat.

Probatur 2. pars: Quando modus eſt de intrinſeca ſubſtantia virtutis non ſervatur ipſius ſubſtantia, niſi ſervetur modus; ſed nequit ſatisfieri præcepto naturali niſi ponatur ipſius actus præcepti ſubſtantia: ergo lex naturalis etiam obligat ad modum virtutis, ſi modus eſt de intrinſeca ſubſtantia virtutis, ſic non ſervaretur præceptum naturale per indignam communionem in Paſchate, cum communio per ſe primò ordinetur ad internam animæ ſanctificationem. De his plura ſuo loco de lege humana, an etiam actus internos præcipere poſſit.

12 Objicies: finis legis naturæ eſt moralis perfectio hominis; ſed ad hanc requiritur ut actus virtuoſus ſit factus amore honeſtatis: ergo etiam lex naturalis ſemper præcipit modum virtutis.

Reſpondeo diſting. maj. finis extrinſecus conc. finis intrinſecus legis naturalis neg. maj. finis autem extrinſecus eſt, quem Deus author naturæ intendit, & de hoc eſt illud dictum, quòd finis præcepti non cadat ſub præceptum, ſicut etiam finis præcepti eſt charitas, cùm tamen certum ſit multa præcepta poſſe impleri ab homine in ſtatu peccati, unde quædam authoritates SS. PP. intelligendæ ſunt, quòd nulla ſit perfecta virtus & meritoria ſalutis abſque charitate & gratia ſanctificante, non autem quòd omnis actus elicitus, qui non procedit ex amore Dei ſit vitioſus. Adeóque finis intrinſecus legis naturalis eſt ipſa adimpletio præcepti, quæ fieri poteſt abſque eò quòd actus ſit virtuoſus, ut patet ex probis.

Dices: finis intrinſecus legis etiam eſt finis Legislatoris juxta illud: quod finis Legislatoris ſit anima legis; ſed talis finis & perfectio à lege naturæ ſic intenta non poteſt conſiſtere abſque formali honeſtate: ergo.

Contra diſting. maj. finis intrinſecus legis propriè ſumptus neg. impropriè ſumptus tranſeat maj. poteſt ergo etiam talis finis conſiſtere abſque formali honeſtate, dummodo materialiter impleatur, nam certè legem temperantiæ quis implet qui temperanter vivit ad vindictam ſuorum peccatorum, quamvis non intendatur honeſtas, quæ actui competit ex proprio objecto.

Dices: ſi præceptum naturale poſſet ſervari ſine modo virtutis poſſet quis ſervare præceptum juſtitiæ, etiamſi titulo donationis reſtituat vel præceptum miſericordiæ, qui ex motivo reſtituendi bona incerta extremè indigenti ſuccurreret; ſed hoc non: ergo.

Contra neg. primam ſequelam, nam donatio opponitur reſtitutioni, cum reſtitutio ſit rei alienæ, donatio verò propriæ, propterea qui donat, non ſatisfacit juſtitiæ, quis non donat, quod ſuum eſt. Concedo verò ſecundam ſequelam, ſicut ſervaretur idem præceptum reſtituendo, quæ ſunt ipſius indigentis, quia tali caſu tollitur materia præcepti miſericordiæ, quæ eſt indigentia pauperis, quæ undecunque tollatur, tollitur obligatio naturalis ad eam ſublevandam.

Dices: qui pro pœnitentia habet opus injunctum non intelligitur de opere aliàs debito: ergo qui lege naturali tenetur ſuccurrere indigenti non intelligitur de bonis aliàs debitis.

Contra diſparitas eſt, quia tenemur ſuccurrere indigenti, eò quòd non habeat unde ex propriis vel aliàs ſibi debitis ſuſtentetur, nihilominùs tamen indigentes habent jus propinquius ad bona incerta quàm reliqui pauperes, igitur reſtitutione eorum illis facta eſſet præceptum miſericordiæ, aſt pœnitentia exequenda eſt juxta ſententiam judicis, qui regulariter injungit opus aliàs indebitum, niſi aliud ex circumſtantiis conſtet, de eo ſemper eſt intelligenda.

Dices: ergo etiam quia ſatisfaceret voto, ex affectu recompenſandi, quæ titulo pœnitentiæ injuncta habuit, pro voto ſolveret.

Con-

Contra neg. illatom, quia votum pendet ex intentione voventis, ideo nequit alio opere aut motivo adimpleri, quàm quod ipſe vovens intendit.

Dices: ſaltem lex naturalis præcipiendo actum virtutis ſimul præcipit ut ſtudiosè fiat: ergo non poteſt obſervari ſine tali modo virtutis.

Contra diſting. antec. ut ſtudiosè fiat vel honeſtate externa vel interna conc. ſemper honeſtate interna neg. antec. unde lex naturalis poteſt obſervari, ſi actus eliciatur ſecundùm honeſtatem externam, quæ per legem oaturalem principaliter intenditur, licèt adſit malitia interna per quam transgreditur præceptum alterius virtutis, itaque ut actio exterior ſit bona formaliter, non debet eſſe ex motivo bono & honeſto, licèt hoc requirat, ut ſit bona moraliter, aliàs autem actio externa comparatur ad internam ut objectum ad actum, objectum verò primariò continet bonitatem vel malitiam, quam refundit in actum.

QUÆSTIO III.

An & quomodo lex naturæ ſit immutabilis & indiſpenſabilis per Deum & Pontificem?

1 ADvertendum eſt 1. Dupliciter poſſe intelligi legem naturæ poſſe mutari, ſcilicet additione, & ſubtractione, primo modo reverà non mutatur, quia lex naturæ cum ſoa integritate fuit ab initio cum natora poſita & ſic perſeverat, ac ideo ſolùm per leges poſitivas ei aliquid additur, cùm hæ leges adjectæ ſint otiles ad finem, quæ tamen intra limites rationis naturalis ex ſe non obligarent. Abrogatione autem aliqui dicunt jus naturale fuiſſe mutatum per jus humanum ut in rerum diviſione, nam jure naturæ ab initio omnia erant communia & ſolùm jure gentium fuerunt introducta rerum domioia. Aſt ultrà

2 Advert. eſt 2. Pariter dupliciter poſſe aliquid dici de jure naturæ primò permiſſivè ſeu negativè, quatenus lex naturæ non præcipit contrarium. Secundò poſitivè & propriè, quatenus jus naturæ illud præcipit aut vetat, priori modo matrimonium clandeſtinum dicitur eſſe validum jure naturæ; quia ſcilicet per illud oon irritatur, ſic etiam libertas eſt de jure naturæ, quia oatura ſervitutem non præcipit nec prohibuit tam ſaltem ſuppoſitâ culpâ ſervi, nam ſi jore naturæ licet in bello juſto hoſtem occidere, licebit quoque eundem ſervatâ vitâ redigere in captivitatem, quod itàque eſt de jure naturæ permiſſivo illud poterit mutari præcipiendo illius contrarium, quod natura nec præcipit nec prohibet, quia ratio naturalis non dictat id eſſe oeceſſarium ad conſervandam morum honeſtatem, ſed tantùm tribuit moralem facultatem illud retinendi quamdiu legitimam authoritatem habentibus aliud expedire oon videbitur.

Advert. eſt 3. Hic ſolùm inquiri, an id quod eſt propriè de lege oaturæ poſſet mutari, hoc eſt deſinere eſſe de lege naturæ & non obligare manentibus iiſdem circumſtantiis, 3
nam his mutatis manifaſtum eſt poſſe id mutari, ſic gladius depoſitus alioquin jure naturæ reddendus nequit reſtitui furenti, occiſio alioquin prohibita eſt licita poteſtati publicæ reſpectu malefactoris, imò hoc modo nec propriè mutatur lex naturæ, quæ reſpicit actum circumſtantionatum, quia manentibus iiſdem circumſtantiis ſemper manet. Prætereà mutatio, de qoa hic quæritur, iterum dupliciter conſiderari debet ſcilicet per abrogationem & diſpeoſationem; abrogatio fit quandò legis obligatio univerſaliter tollitur per voluntatem Superioris, diſpenſatio verò quando in particulari caſu vel circa perſonam aliquam obligatio legis relaxatur, ea manente in aliis caſibus, at reſpectu aliarum perſonarum ſimul manentibus iiſdem circumſtaotiis objectivis propter quas lex obligabat, adeóque diſpenſatio eſt liberatio & exemptio à lege vigeore apud alios, & differt à declaratione legis, cum declaratio requirat circumſtaotias legis eſſe mutatas, tunc enim declaratur non obligare lex, quæ declaratio etiam poteſt fieri à ſubditis & Doctoribus, diſpenſatio verò non niſi à Superiore. His notatis:

Propoſitio 1. Deus oon poteſt omnem materiam legis naturalis diſpenſare immutando circumſtantias. Ratio eſt, qoia quædam ſunt ita intrinſecè mala, ut in ſua malitia non pendeant ab aliqua circumſtaotia, quæ ſubſit dominio Dei, ut ſunt duo præcepta primæ tabulæ, quorum primum quatenus eſt oegativum prohibet cultum plurium Deorum, qui ita eſt illicitus, ut per oullam circumſtantiæ mutationem fieri queat licitus, cum nec Deus ſuis creaturis poſſit dare licentiam, ut alium præter ipſum colant ut Deum, ſecuodum pariter propter mendacium quod ioeludit perjurium, irrogat paculiarem irreverentiam Deo. 4

Nec dicas: poteſt Deus cedendo juri, quod in rem ſibi devotam aut juratam acquiſivit, tollere obligationem voti aut juramenti: ergo ſimiliter cedendo juri quod io propriam dignitatem & excellentiam habet, poteſt à creatura tollere obligationem ſe ſolum colendi.

Reſpondeo neg. conſeq. quia primum jus eſt ad rem extrinſecam, quâ Deus ſe poteſt privare, ſecundum verò eſt ad ſuam intrinſecam perfectionem, quâ Deus ſe privare non poteſt, oam oon poteſt facere ut manente dignitate & perfectiooe ultimi finis in ſe ipſo adoratio plurium Deorum & irreverentia ſibi facta noo ſit mala, cum objectum talis irreverentiæ ſit ipſe Deus ex intrinſeca ſua dignitate, quæ per omnem potentiam immutabilis eſt, nec

nec facere poteſt, quod id, quod contra talem dignitatem fit, non diſpliceat aut ſic contra rationem, cum ceſſio juris non tollat intrinſecam infirmitatem ab objecto ad naturam rationalem.

5 Propoſitio 2. In legem naturæ prout lumini naturali eſt inſcripta ſecluſis impedimentis per ſe nulla cadit Epicheja ſeu interpretatio. Ratio eſt, quia cum lex debeat eſſe univerſalis; & Legislator ſingulos caſus prævidere non poſſit, contingit quandoque, ut in aliquo erret, & tunc utimur Epicheja per præſumptam voluntatem Legislatoris contra verba legis, eò quòd, ſi ille adeſſet, tali caſu non obligaret, ex quo ſic: Epicheja eſt interpretatio mentis Legislatoris, quando expreſsè ab ipſo haberi non poteſt, unde ſi præſens ipſe ſuam mentem explicet, talis mentis expreſſio à Legislatore facta Epicheja non eſt; ſed in lege naturali non eſt opus hac interpretatione, cum ipſa legislatrix ratio ſufficienter ſemetipſam explicet & omnes circumſtantias in quibus obligat, non enim ſimpliciter rationi eſt inſcriptum non occides, ſed ratio judicat non eſſe occidendum aliquem innocentem aut nocentem ſine publica authoritate: ergo. Dixi ſecluſis impedimentis; nam varia nos impediunt; quò minùs poſſimus clarè & diſtinctè legere in tabulis mentis noſtræ aliqua præcepta naturæ, etſi alioquin cum omnibus circumſtantiis nobis ſit inſculpta, ideo nonnulla ab aliquibus ignorantur & varia in dubium revocantur, & in his poteſt locum habere Epicheja.

Nec dicas: Lex naturalis continetur in decalogo, ſed in decalogo non ponuntur omnes circumſtantiæ, in quibus lex præcipit aut prohibet, & ideo ſupra decalogum tot ſunt factæ declarationes: ergo in legem naturalem poteſt cadere Epicheja.

Reſpondeo diſting. antec. ergo in legem naturalem prout eſt inſcripta decalogo conc. prout eſt inſcripta rationi noſtræ naturali neg. conſeq. ideo ſpecialiter additum eſt in propoſitione in legem naturæ prout eſt lumini naturali inſcripta, nam ſic ſe ipſam explicat, prout verò ſolùm eſt in decalogo ſcripta omnino admittit interpretationem, quia ſic utique poteſt magis explicari, cum ibi omnes circumſtantiæ non ſint appoſitæ. His propoſitis:

6 Aſſero 1. Ad quæſtionem. *Lex naturalis propriè loquendo mutari non poteſt, & ideo nec abrogari.* Eſt Scoti in 4. D. 33. q. 1. §. *ad argumenta.*

Probatur: Lex naturalis formaliter oritur ex natura rerum operabilium, ex quibus convincitur lumen naturale noſtri intellectûs, ut neceſſariò ſibi aſſentiatur & principiativè pendet ex luce æterna intellectûs Divini: ergo quamdiu manent eædem naturæ rerum, lex naturæ eſt immutabilis, in quod pariter conſentiunt Juriſtæ ex Decreto Gratiani. diſt. 5. in principio: ubi inter alias differentias juris naturalis & poſitivi illam præſertim adducunt, quod jus naturale non varietur tempore, ſed immutabile ſemper permaneat, jus verò poſitivum mutari & abrogari poſſit.

Objicies: de jure naturæ ab initio omnia erant communia; ſed hoc mutatum eſt jure gentium, quo fuit introducta rerum diviſio & dominium: ergo lex naturalis poteſt mutari. 7

Reſpondeo neg. min. quia mutari materiam legis ex honeſta in non honeſtam ita debet intelligi, ut illa eadem materia, quæ verè à lege prohibebatur, ſub iiſdem circumſtantiis jam deſinat eſſe honeſta, cum antea fuerit honeſta, nam ſi non eſt eadem materia & eædem circumſtantiæ, tunc obligatio legis ut eſt à lege non mutatur, nam in ea circumſtantia in qua occiſio dicitur licita ſcilicet in defenſionem propriæ vitæ, & acceptio pecuniæ honeſta in extrema neceſſitate, hæc non ſunt materia legis ullo tempore, ſed dicimus tales caſus ab initio fuiſſe à lege exceptos, & legem pro illis non obligâſſe, quapropter licèt ab initio omnia fuerint communia de jure naturali ſolùm permiſſivo, ob rationabiles tamen cauſas jure gentium fuit ordinatum, ut unuſquiſque ſua propria poſſideat; aut ſi communitas rerum fuerit de jure naturali poſitivo, hoc intelligendum erit de lege naturæ latè ſumpta, quatenus erit conſentanea ſtatui innocentiæ, corrupta autem per peccatum naturâ communitas illa eſt effecta contra pacificam converſationem, & ideo tale præceptum revocatum fuit à Deo, & data licentia dividendi rerum dominia ad pacificè convivendum.

Dices: De jure naturæ eſt, quod unuſquiſque poſſideat, quod ſuum eſt, & tamen per leges civiles introducta eſt præſcriptio & uſucapio, quarum virtute ſi res aliena poſſidetur ab aliquo per certum tempus cum quibuſdam circumſtantiis fit ipſius poſſidentis: ergo.

Contra neg. conſeq. quia leges civiles per uſucapionem non efficiunt, ut invito Domino res aliena detineatur, dum eſt aliena, ſed ſolùm efficit, quod id, quod erat alienum, jam non ſit alienum ſed proprium, cùm enim Reipublicæ bono expediat, ut quando quis bona fide longo tempore rem alienam poſſedit ea ipſi adjudicetur tanquam Domino, quia ſic plurimæ lites reſcinduntur, & juſta pœna ſtatuitur in Dominos negligentes, qui rerum ſuarum curam non habent, nam etiam Principes jure naturali habent poteſtatem ſpoliandi ſubditos dominio rerum, quando communi bono Reipublicæ id expedit.

Aſſero 2. *Lex naturæ quoad præcepta primæ tabulæ & quæ ad ea reducuntur etiam per Deum eſt indiſpenſabilis, non tamen quoad præcepta ſecundæ tabulæ, & quæ ad illa reducuntur, excepto ſaltem hoc: non falſum teſtimonium* 8

vivus ſeu mendacium dices. Eſt Scoti in 3. D. 37. q. un. §. *ad quæſtionem.* Quoad primam partem contra Ocham um, & quoad ſecundam contra plures alios.

Probatur prima pars: malitia actionum præceptis primæ tabulæ ſeu juri naturali ſtrictiſſimo oppoſitarum v. g. infidelitatis, odii Dei &c. eſt intrinſeca illis ex natura rei independenter à voluntate Dei, ita ut per voluntatem Divinam non magis poſſit ab eis ſeparari malitia quàm mutari intrinſeca eorum natura; ſed nequit Deus facere, ut malum morale non ſit fugiendum v. g. quin malum ſit non obedire ipſi aliquid jubenti, vel quin malum ſit Deo facere injuriam aut irreverentiam, nam aliàs tolleret ordinem ſuæ juſtitiæ Divinæ & ſe ipſum: ergo. De his plura ſunt videnda de actibus humanis D. 7. q. 1. Aſſert. 3.

9 Probatur 2. pars: Scotus cit. aſſignat duplex jus naturæ unum ſtrictum, ut ſunt præcepta primæ tabulæ, & alterum minùs ſtrictum ut præcepta ſecundæ tabulæ, & in primo dicit Deum diſpenſare non poſſe, ut poſſit aliquis oppoſitum facere, benè tamen hoc cenſet in ſecundo. Quod confirmat D. Bernardus de diſpenſatione & præcepto dicens: *De præceptis ſecundæ tabulæ, quæ etſi prorſus nullam humanam diſpenſationem admittant, nec cuique hominum ex his aliquo modo ſolvere aut licuit aut licebit, Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit, ſolvit,* & paulò poſt addit de commixtione Oſeæ prophetæ cum muliere fornicaria, quod illa futura fuiſſet flagitii turpitudo ſi factum non excuſâſſet authoritas imperantis: ergo.

Reſpondent Adverſarii ſimiles authoritates eſſe intelligendas de diſpenſatione impropria & materiali, quatenus Deus mutat circumſtantias v. g. quatenus tradidit jus in illam fœminam ut ſuam per Divinam juſſionem tanquam legitimo matrimonio copulatam.

Contra eſt totum illum librum D. Bernardi eſſe de propria diſpenſatione, adeóque cùm ibi propriam diſpenſationem homini neget, & Deo diſpenſationem admittat, ei propriam debet admittere, nam impropriam etiam homini poteſt admittere ut patebit aſſert. 3. de Pontifice, nec illud factum ſic explicatum ſubſiſteret, nam ſic non authoritas imperantis, ſed legitimum matrimonium excuſaret.

Probatur 2. Nulla poteſt urgens ratio aſſignari, ob quam Deus non poſſet dare licentiam faciendi actus alioquin jure naturæ largè ſumpto prohibitos v. g. non occidendi innocentem, non mœchandi, non furandi, non honorandi parentes &c. ergo ſine urgenti ratione hoc Deo denegari non poteſt. antec. prob. ratio potiſſima eſſet, quòd tales actus haberent aliquam indecentiam, aut quòd propria diſpenſatio Deo convenire non poſſit, ſed hæ rationes non urgent: ergo min. prob. non prima, quia etiam in humanis multa ſunt, quæ aliquam indecentiam habent, quæ tamen accedente juſſu Principis nobis videntur licitè peragi. Non ſecunda, quia ut Deus propriè diſpenſet in præcepto v. g. non occidendi &c. ſufficit, quòd per actum ſui abſoluti dominii poſſit efficere, ut occiſio illa ſit licita manentibus omnibus cæteris circumſtantiis, ob quas aliæ occiſiones ſunt prohibitæ, ſed Deus id facere poteſt & fecit: ergo. min. patet de occiſione Iſaac præcepta Abrahamo, quæ afficiebatur omnibus circumſtantiis, ob quas aliæ occiſiones ſunt prohibitæ præter circumſtantiam præcepti Divini, patet idem de diſpenſatione in ſexto præcepto cum Oſea propheta, quando Deus ipſi præcepit ut accipiat mulierem fornicariam & faciat filios fornicarios, patet hoc præterea circa ſeptimum præceptum, quando Deus Hebræis conceſſit ſpolia Ægyptiorum Exod. 11. &c. ergo.

Reſpondent Adverſarii rationem eſſe, quòd in Deum non poſſit cadere propria diſpenſatio, quia alio meliori modo poſſunt ſalvari illæ licentiæ à Deo datæ, unde dicunt in illis exemplis Deum tantùm mutâſſe materiam præcepti de non occidendo, quo non prohibetur occiſio qualiscunque, ſed tantùm privata authoritate, Deus autem Abrahamo dedit authoritatem & alias jus ad illam: ergo non propriè diſpenſavit formaliter, ſed tantùm materialiter per mutationem materiæ & circumſtantiarum.

Contra eſt retorquendo, ſic etiam dici poſſet, quòd nunquam Superior diſpenſet, dando licentiam homini ſano comedendi carnes in die jejunii, aut alii extra neceſſitatem portandi arma noctu prohibita; ſed quòd ſolùm mutet materiam præcepti, quo ſolùm prohibetur comeſtio carnis propria authoritate facta contra licentiam Superioris, unde illa circumſtantia liceitatis ex authoritate Legislatoris & juris traditi ab eo eſt ipſa intrinſeca natura diſpenſationis, unde hoc ipſo quòd Deus poſſit addere illam circumſtantiam poteſt propriè diſpenſare, nam aſſignent nobis Adverſarii aliquam diſpenſationem etiam humanam, quæ eſſet propria diſpenſatio etiam ſine tali circumſtantia appoſita; ut patet in retorſione; unde æquè benè dici poteſt, quòd Deus abſolutè id potuerit concedere præciſè per hoc, quòd præcipiat vel conſulat id, quod alioquin foret prohibitum, quàm quòd potuerit id concedere per hoc, quòd dederit jus & appoſuerit circumſtantiam dati juris.

Probatur 3. pars: Mendacium eſt adeo intrinſecè malum & contra rationem Dei & noſtram ita ut ob ejus indecentiam falſi nequeat Deus ipſe mentiri, nec talem indecentiam homini concedere, ut pluribus patere poteſt ex Tract. de fide, imò licèt mendacium non eſſet intrinſecè malum morale, æquè tamen implicaret Deum per ſe vel per alium poſſe mentiri, 10

eò quòd adhuc phyſicè repugnet primæ veritati, quæ eſt perfectio Dei ſimpliciter ſimplex, ſicut deceptio paſſiva ſeu error etſi non ſit intrinſecè malus moraliter Deo tamen abſolutè repugnat ſicut & mors vitæ infinitæ Divinæ.

11 Objicies: impoſſibile eſt, ut fiat licitum, quod eſt diſconveniens naturæ rationali; ſed adulterari, furari &c. ſunt diſconvenientia naturæ rationali quà tali: ergo impoſſibile eſt, ut quod de lege naturæ eſt illicitum diſpenſetur eſſe licitum, nam aliàs tota natura adulterii vel furti mutaretur ab intrinſeco.

Reſpondeo diſting. maj. ut fiat licitum, quod eſt ſtrictiſſimè diſconveniens naturæ omninò independenter à voluntate Dei conc. quod ſolùm minùs ſtrictè & diſconveniens & dependenter tamen à voluntate Dei neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſequent. nec ſequitur, Deum mutare naturas rerum, ea enim quæ præcipiuntur vel prohibentur jure naturæ largè ſumpto, ſunt quidem ex ſe talia, ut non debeant per actum voluntatis ſpecialiter præcipi vel prohiberi ad hoc ut eorum omiſſio vel commiſſio ſit mala, non tamen ita independenter à voluntate Dei, quin hac accedente poſſit indecentia, quæ aliàs ineſſet, tolli, adeóque ea ſemper eſt & manet talium actionum natura, ut deberent eſſe malæ vel valdè incongruæ, quando non adeſſet contraria Dei voluntas, & hoc propter abſolutum & ſtrictiſſimum Dei dominium in ſuas creaturas.

Dices: æquè intrinſecè eſt malum Deo eſſe infidelem, quàm homini eſſe infidelem, ſed illud malum non poteſt cohoneſtari per extrinſecam diſpenſationem Dei, cum ſit præceptum primæ tabulæ: ergo nec hoc ſecundæ tabulæ.

Contra neg. conſeq. quia aliquæ actiones habent malitiam ita intrinſecam, ut ſit independens omnino à voluntate Dei, ut eſt infidelitas erga Deum & aliæ actiones contra præcepta primæ tabulæ, in quibus ordo Divinæ juſtitiæ eſt inſeparabilis, nam cum tales actiones ſint immediatè contra Deum, ita habent conjunctam malitiam, ut nec variatione alicujus circumſtantiæ mutari poſſit ſufficienter materia peccati, non enim fieri poteſt, ut quod eſt contra Deum non ſit inordinatum & illicitum, ideo nullam diſpenſationem nec materialem per mutationem materiæ, nec formalem per deobligationem manente eadem materia admittere poſſunt, aliquæ tamen actiones habent malitiam ita intrinſecam, ut tamen ſit dependens à voluntate Dei, ut eſt infidelitas erga proximum & aliæ actiones contra præcepta ſecundæ tabulæ, in quibus ordo Divinæ Juſtitiæ eſt ſeparabilis, nam cùm tales actiones ſint im̃ediatè contra proximum & creaturam contra quam aliquid licitè fieri poteſt per authoritatem divinam, ideo non ita habent conjunctam malitiam, ut divina diſpenſatione mutari non poſſit materia ſufficiens peccati ad non ſufficientem. Plura videnda ſunt ex diſt. 7. q. 1. aſſert. 3.

Aſſero 3. *Nec in præceptis naturalibus ſecundæ tabulæ, nec in jure Divino abſoluto, quod ex meriſſimo Dei arbitrio ortum habet, poteſt ſummus Pontifex diſpenſare.* Eſt Scoti in 4. D. 31. q. un. §. *ad quæſtionem.* Et communior. 12

Probatur, tum quia de tali conceſſione nullibi conſtat. Tum quia non videtur eſſe neceſſitas aut utilitas, cur talis poteſtas ſit relicta in ſua Eccleſia, cui Deus ſufficienter deberet providere: ergo antec. prob. vel neceſſitas eſſet tanta, ut ob illam lex per ſe non obligaret in tali caſu, vel aliâ viâ facilè tolli poſſet ſine diſpenſatione, ſed ſola declaratione, quòd hìc & nunc lex non obliget, vel certè ob illam utpote fundatam in malitia hominum poteſtatem tollendi obligationem legis naturæ non debuiſſet concedere hominibus. Unde nunquam occurrere poteſt utilitas, aut neceſſitas diſpenſandi, ut aliquando frater ſororem accipiat, aut in matrimonio conſummato uxorem ſterilem relinquat & fornicetur aut veneno interimat & aliam ducat, quando etiam inde dependeret conſervatio fidei Catholicæ in aliquo regno, cùm in his præceptis prorſus nihil humanæ conſtitutionis ſit incluſum: ergo. Ex his patet, quam juſtè ſit damnata per Bullam *unigenitus* Clementis XI. propoſitio 71. Queſnelli tam indefinitè & univerſaliter loquentis: *homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Pro cujus refutatione te remitto ad noſtra nubila Janſeniſmi contra eum ſpecialiter edita.

Objicies: Prælati inferiores Eccleſiæ habent poteſtatem diſpenſandi in legibus Pontificiis, ut ſi materia ſit levis aut frequenter occurrat, ſi urgeat neceſſitas diſpenſandi & difficilis ſit aditus ad Pontificem, ſi dubitatur an talis caſus diſpenſatione egeat, quia hoc petit recta gubernatio Eccleſiæ ad ejus tranquillum ſtatum & regimen tuendum: ſed eadem gubernatio decet multò magis Pontificem, ut ſcilicet in illis legibus diſpenſare poſſit, quia non eſt tam facilis aditus ad Deum quàm ſummum Pontificem. 13

Reſpondeo neg. min. nam Prælati Superiores humani cenſentur ſuis inferioribus concedere poteſtatem diſpenſandi, cum enim illi omnes occurrentias difficultatum ex ſuis legibus exoriendas prævidere non poſſint, ideo, cenſentur ſtatuere leges cum admiſſa poteſtate diſpenſandi in inferioribus, Deus autem, qui infinitè præſcius, cùm omnia benè prævideat, & tamen rigorosè ſtatuat ſuas leges ſine, expreſſa data poteſtate diſpenſandi ſummo Pontifici in his legibus non poteſt cenſeri concedere Pontifici poteſtatem diſpenſandi, licèt præviderit poſſe occurrere caſus, in quibus

ratio-

rationi conſona ac expeditior eſſet diſpenſatio; & hoc fortè ideo, ne ſub apparenti expeditiori ratione ex tanta diſpenſandi facultate enormia flagitia ot inceſtus, adulteria conſurgant.

Dices: Chriſtus dedit Petro poteſtatem univerſaliſſimam dicendo: *Quidquid ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* ergo poteſtas Pontificis, quæ aliqualiter eſt divina poteſt ſolvere quidquid eſt diſpenſabile per Deum.

Contra neg. conſeq. quia illud Chriſti *quodcunque ſolveris* in ſano ſenſu eſt intelligendum reſpectu materiæ determinatæ & ſibi ſubjectæ, non reſpectu cujuscunque; aliàs etiam Pontifex poſſet diſpenſare in odio Dei, in occiſione innocentis, quod primum nec Deus poteſt facere, & ſecundum ferme omnes negant de Pontifice; neque etiam illud: *quodcunque ſolveris* eſt intelligendum de quocunque diſpenſabili per Deum, ſed de præceptibilibus vel ſolubilibus aliquid humanæ conſtitutionis includentibus, aliàs de puris & abſolutis præceptis naturalibus & divinis non videtur, quomodo poteſtas humana poſſit quid ordinare niſi per accidens, quia ſcilicet divina poteſtas diſpenſat, & humana eam diſpenſantem declaret.

Dices: Eccleſia diſpenſat in votis, juramentis, & reſidentia Epiſcoporum, in matrimonio rato vi profeſſionis religioſæ, ut patet ex Trident. Seſſ. 24. de matrimonio Can. 6. & frequenter in aliis caſibus in matrimonio diſpenaſſe legitur Pontifex; ſed hæc ſunt obligatoria jure divino & naturali: ergo.

Contra vel neg. maj. quia ibi non intercedit propria diſpenſatio humana, unde ſolùm in illa relaxatione obligationum concurrit remiſſio partis, cui facta eſt promiſſio, nam Deus condonat jus ſibi ex promiſſione vel Eccleſiæ, cui Epiſcopus ſe per pactum ad reſidendum addixit, acquiſitum, ſicut in contractibus civilibus fit deobligatio contractûs parte jus ſuum remittente, quam condonationem declarat Pontifex tanquam Chriſti Vicarius. De matrimonio autem rato eſt adhuc controverſum apud Authores, quo jure ſit inſolubile, an ſcilicet pontificio, an divino, an naturali, & licèt ſit inſolubile jure naturæ ex ſecunda tabula, attamen Papa vi profeſſionis religioſæ non diſſolvit ſua authoritate matrimonium ratum, ſed ſolùm declarat illud à Deo ob melius bonum diſſolvi, in aliis autem caſibus aliquando ſolverunt matrimonium Pontifices, vel quia allegatæ ſunt apparentes rationes nullitatis matrimonii, prout contigit in matrimonio Ludovici duodecimi cum Joanna, vel quia Papa ſecutus eſt aliam opinionem probabilem in quæſtione facti non concernente totam Eccleſiam, vel faciliùs diſting. min. hæc ſunt obligatoria jure naturali & divino puro & abſoluto neg. jure naturali & divino ortum tamen habente ex ſuppoſitione voluntatis humanæ conc. min. in his autem & non in illis poſſet concedi poteſtas diſpenſandi in Pontifice, unde pro majori hujus diſtinctionis claritate

Aſſero 4. In legibus divino-naturalibus, 14
quæ ab humana voluntate ortum habent, ac ex ejus ſuppoſitione obligant, ut eſt juramentum, votum etiam ſolemne, matrimonium ratum, Pontifex diſpenſare poteſt. Deducitur ex Scoto in 4. D. 38. q. un. §. *dico quod votum.* Eſtque Sanchez & plurium Recentiorum contra Thomiſtas, & quoſdam Scotiſtas.

Probatur primo: ex Scoto cit. videtur ſummum Pontificem poſſe diſpenſare, (uti & diſpenſavit: prout adducetur in objectione 1.) in profeſſione ſolemni; ſed hoc eſt vinculum potentiſſimum, cum hoc dirimat vinculum matrimonii non conſummati, ideóque obligans de jure naturali divino: ergo in talibus legibus divino-naturalibus diſpenſare poteſt Pontifex. Maj. probabitur proba 2. & præterea patet ex Sanchez L. 8. de matrim. diſput. 8. Navarro & aliis. Et videtur congrua ratio, quòd Deus ad commodam & prudentem gubernationem fidelium Eccleſiæ ſuæ poteſtatem reliquerit diſpenſandi in votis, quæ alioquin, cum ſint promiſſiones Deo factæ, obligant de jure divino naturali, ſi utilitas magna vel neceſſitas Eccleſiæ id expoſceret: & hanc poteſtatem Chriſtus cenſetur reliquiſſe Petro per illa verba Joan. 21. *Paſce oves meas.* id eſt, eo modo quo expedit, & utilitas Eccleſiæ expoſcit.

Probatur 2. Votum ſolemne profeſſionis religioſæ non eſt indiſpenſabile vel ex eo, quòd jus divinum illud ſolvere prohibeat, vel ex eo quòd conſtitutio Eccleſiæ inſolubilitatem adjiciat, vel quòd ex natura ſua ſit talis contractus, ut ſit inſolubilis: ergo in hoc ſummus Pontifex diſpenſare poteſt. Antec. quoad primum patet, quia nullibi exſtat prohibitio Chriſti, aut aſſignetur. Quoad ſecundum etiam conſtat, quia quid illi voto additum eſt ex conſtitutione Eccleſiæ, aliunde eſt diſpenſabile à Pontifice, tanquam rectore ſupremo Eccleſiæ. Quoad tertium ergo prob. quia omnis contractus humanus & omne vinculum inter homines, quod mutuo conſenſu perficitur, præciſè ſtando in ratione vinculi, non eſt ita inſolubile ex natura ſua, quin ſaltem per poteſtatem publicam & maximè ſupernaturaliter conceſſam ex juſta cauſa diſſolvi poſſet; ſed vinculum profeſſionis per contractum humanum & per mutuum conſenſum contrahitur, & aliunde non habet quid ſpeciale ob quod ab illo generali principio eximatur: ergo non eſt natura ſua inſolubile maj. patet de aliis votis ſimplicibus, & matrimonio rato ſolubilibus. Conſequent. autem prima patet ex illa univerſali poteſtate Petri & Succeſſoribus conceſſa ſolvendi & li-

gandi ſuper terram, quæ etiam erunt ſoluta & ligata in cœlis: ergo quidquid ex natura ſua non eſt inſolubile, aut per publicam honeſtatem, vel ab ipſo Chriſto non eſt prohibitum ſolvi, poteſt per poteſtatem Petro datam ſolvi, quia ab illa univerſali locutione Chriſti non poſſumus excipere niſi quod vel natura ſua eſt exceptum, vel quod Chriſtus ipſe ſpecialiter excepit.

Reſpondent Thomiſtæ neg. min. quia in contractu profeſſionis hæc ſpecialis intervenit cauſa indiſpenſabilitatis, quia nempe in illo non tantùm homini, ſed principaliùs Deo per hominem jus acquiritur, quod proinde per hominem auferri non poteſt.

Contra: hoc ſolùm probat profeſſionem eſſe indiſpenſabilem per poteſtatem merè humanam, quod & nos concedimus, non tamen probat eſſe indiſpenſabilem per poteſtatem extraordinariam ſupernaturaliter à Deo conceſſam, aliàs nimiùm probaret ſcilicet nullum omnino votum eſſe diſpenſabile, cum per omne votum Deo acquiratur jus; unde ſicut Deus in aliquo poteſt cedere juri ſuo remittendo obligationem, ita & in voto Religionis, quæ juris ceſſio licèt non conſtet immediatè, conſtat tamen mediante ſuo Vicario, ut patet in multis aliis caſibus, ubi ſubſtitutus à Superiore poteſt deobligare ſubditos ab obligatione Superiori debita, maximè quando ſubſtitutus habet plenariam poteſtatem Superioris, ſicut ſummus Pontifex reſpectu totius Eccleſiæ.

15 Objicies 1. Cap. *Cum ad Monaſterium.* De *Statu Monachorum* dicit Pontifex: abdicatio paupertatis, ſicut etiam cuſtodia caſtitatis adeo annexa eſt regulæ Monachali, ut contrarium nec ſummus Pontifex indulgere poteſt: ergo in tali profeſſione jure divino naturali obligante Pontifex non poteſt diſpenſare.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud Capitulum vult non poſſe diſpenſari in Religioſo paupertatem & caſtitatem &c. in ſenſu compoſito, ita ut Religioſus maneat Religioſus & ducat uxorem, non verò in ſenſu diviſo ſtatus religioſi per diſpenſationem ſoluti; nec ſupra hanc explicationem rideant Thomiſtæ, nam ipſe D. Thomas in ſumma 2.2. q. 88. art. 11. eodem modo negat, quòd Papa poſſit ex Religioſo facere incontinentem ſeu non religioſum, quomodo negat poſſe facere, ut Sacerdos non ſit Sacerdos, & calix conſecratus manens integer ſit exſecratus; ſed hæc poſteriora negat pro ſenſu compoſito ſcilicet Sacerdotii indelebilis cum Sacerdotio & integritatis calicis ejúſque conſecrationis cum exſecratione: ergo & id de Religioſo ita negat.

Dices: non poteſt ergo Pontifex facere ut res ſemel conſecrata ad divinos permanens in ſuo eſſe non maneat conſecrata; ſed per profeſſionem Religioſus conſecratus eſt divino cultui: ergo Papa non poteſt facere, ut Religioſus quamdiu vivit, non ſit Religioſus. Maj. patet ex illo jure divino Levit. ult. *illud, quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari.* Præterea calix ſemel conſecratus præſertim per ſacrum cruorem, vel crux Chriſti, quæ fuit ſemel ſanctificata per contactum corporis Chriſti, non poteſt non retinere illam ſanctificationem.

Contra diſting. maj. Pontifex non poteſt facere, ut res Deo conſecrata per aliquam conſecrationem non ſit conſecrata conc. ut conſecrata per quamcunque conſecrationem non ſit conſecrata neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequent. nam præter conſecrationes imprimentes characterem inauferibilem, adhuc duplex eſt rerum vel perſonarum genus, unum, in quo aliquis dicitur conſecrari Deo ſolùm per deputationem aliquo pacto vel promiſſione firmatam, alterum, in quo res dicitur Deo conſecrari per aliquam actionem ſacram, in priori genere licèt res ſuo modo ſacrata fuerit per actionem, quæ jam præteriit, non tamen res dicitur conſecrata per talem actionem, niſi quatenus relinquit in tali re obligationem moralem ad cultum divinum, unde fit, quòd talis obligatio auferri poſſit & amitti talis conſecratio, quia non conſiſtit in ſolo actu præterito ut præterito, ſed quatenus in effectu ſuo permanens, qui eſt contractus ſeu obligatio permanens moraliter, ut patet de voto ſimplici caſtitatis, per quod etiam ſuo modo conſecratur perſona Deo, & talis obligatio ex voluntate promittentis orta à Pontifice auferri poteſt, cum illa poteſtati Pontificiæ ſubjaceat, in poſteriori verò genere res dicitur permanere conſecrata ex vi præcedentis actionis, non propter moralem obligationem, quæ in ea re maneret, ſed ſolùm propter habitudinem quamdam ad actionem præcedentem, ut patet de conſecrato calice vel conſecrata perſona per ordines, & fortè etiam jam per primam tonſuram, nam talis ſanctitas conſiſtit ſolùm in habitudine ad actionem præteritam, ſicut autem non poteſt illa actio non præteriiſſe, ita neque illa habitudo poteſt impediri. Hinc ad prob. maj. dico in illo Levit. non eſſe ſermonem de omnibus rebus Deo oblatis, ſed de quibusdam juxta ſpeciales ritus illius legis vel etiam de omnibus ſecundùm ſe ſecluſa neceſſitate vel authoritate ejus, qui diſpenſare poteſt. De paritate autem calicis & crucis patet ex dictis; dico præterea non videri repugnantiam, quòd res ſacratæ per actionem præteritam, ſed pendente ex inſtitutione hominum exſecrari poſſit per aliam inſtitutionem, v. g. quòd calix præcisè ab Epiſcopo conſecratus, vel veſtes ſacræ per actum aliquem contrarium perdant conſecrationem, ut patet de Eccleſia polluta, aut cingulo rupto.

Dices: S. Matthæus noluit diſpenſare

cum

cum Iphigenia in voto Virginitatis: ergo id fieri non potuit.

Contra neg. conſequent. nam illud factum nimiùm probat, cum illa Virgo non ſolemniter ſed ſolùm ſimpliciter fecerit votum Virginitatis, ot notat Hippolytus. Lib. de duodecim Apoſtolis, & dato, qoòd fuerit ſolemniter profeſſa, diſpenſare tamen noluit, vel quia judicavit non fuiſſe legitimam diſpenſandi cauſam, vel quia eo tempore & occaſione talis diſpenſatio fuiſſet in detrimentum Religionis. Præterea illi exemplo alia opponi poſſunt, nam fuit diſpenſatum cum Nicolao Monacho Veneto ex ſtirpe Juſtini. Item cum Conſtantia Monieli Siciliæ Regis filia, imo non diu eſt, quòd Pontifex voluerit diſpenſare cum Comite Sclabata Carmelita.

Dices: Multi SS. PP. & in ſpecie D. Thomas dicit: Virtutis voti, quæ eſt completa in voto ſolemni, obligationem nullo caſu irritari poſſe: ergo.

Contra neg. conſequent. Nam etiam votum caſtitatis ſacro Ordini annexum eſt ſolemne, & tamen hoc concedunt Thomiſtæ non eſſe abſolutè indiſpenſabile, unde dico S. Thomam cum aliis Patribus non negare quòd votum ſolemne diſpenſari, ſed ſolùm quod irritari poſſit, hæc autem differunt, nam diſpenſatio præter alia requirit juſtam cauſam, non verò irritatio. Hinc ſecundum communem DD. non peccat Prælatus etiam ſine cauſa irritando vota ſubditorum, quia utitur jure ſuo, ſcilicet poteſtate dominativa, per quam fit irritatio, non verò diſpenſatio, talis autem poteſtas privata non poteſt extendi ad vota ſolemnia & publica, cum hoc tamen ſtat, quòd per poteſtatem Eccleſiaſticam ſupernaturalem poſſit Pontifex in voto ſolemni diſpenſare ubi adeſt juſta cauſa pro bono publico Eccleſiæ.

16 Objicies 2. Matrimonium ratum eſt indiſſolubile jure naturæ & divino; ſed Pontifex in jure naturæ & divino diſpenſare non poteſt: ergo nec in matrimonio rato.

Reſpondeo diſting. maj. eſt indiſſolubile jure naturæ & divino orto ex voluntate humana conc. jure naturæ & divino abſolutiſſimo neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequent. adeóque manet, quòd Pontifex poſſit diſpenſare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè ex principiis primis juris naturalis, & quæ admixtum habent aliquid obligationis humanæ.

Dices: ergo etiam Pontifex poſſet diſpenſare in matrimonio conſummato; tum quia etiam fundatur in obligatione humana, tum quia quando Chriſtus dixit Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, non ſolùm locutus eſt de matrimonio conſummato, ſed etiam rato; ſed hoc non admittitur, ergo nec id unde ſequitur.

Reſpondeo neg. ſequel. ad ejus probam primam dico, licet etiam fundetur in obligatione humana, cùm tamen majora præjudicia habeat connexa, ideo Chriſtus hanc poteſtatem non tribuit Eccleſiæ ſuper matrimonium conſummatum ne diſſolvatur in præjudicium prolis ſive hæc habeatur ſive non, quia lex univerſalis particolarem caſum non reſpicit; ſed abſolutè diſponit, & id congruè factum eſt in favorem prolis; ad ejus probam ſecundam dico, licèt ſub illis verbis Chriſti etiam matrimonium ratum comprehendatur, ſolùm inde deducitur Pontificem non poſſe diſſolvere tale matrimonium, ut hominem ſola poteſtate humana; ſed ſolùm ut Chriſti Vicarium & Divina authoritate pollentem, quo ſenſu non dicitur homo, ſed quaſi Deus & ejus vicem gerens ſeparare.

Dices: eadem ratione poteſt dici Pontificem poſſe diſpenſare in Polygamia unius viri cum multis uxoribus, aut in conſanguinitate, ut frater ſororem ducat, cum id ad bonum publicum & pacem tuendam poſſet valdè expedire; ſed hoc ſemper negatur: ergo.

Contra neg. ſequel. maj. nam hoc eſt ſpeciale in præfatis caſibus, quia non habere plures uxores, non ducere ſororem, non ſolvere matrimonium conſummatum ſunt de illis legibus divinis, in quibus Deus nullam reliquit poteſtatem diſpenſandi, licèt prævideret poſſe occurrere caſus, in quibus expediens eſſet diſpenſatio, voluit tamen abſolutè. Talium legum cuſtodiam eſſe inviolabilem, ne fortè ſub apparenti expeditiori ratione ex data diſpenſandi facultate inceſtus in ſorores contingant, vel alia magna præjudicia ut in Polygamia, quæ omninò videtur contraria & præjudicialis commodæ & prudenti fidelium ac Eccleſiaſticæ gubernationi, ot conſtabit ſuo loco de matrimonio, atque ideo congruum non fuit, ut talis poteſtas diſpenſandi concederetur Chriſti Vicario, ſicut in matrimonio rato.

Dices: Matrimonium ratum & conſummatum non differunt eſſentialiter, ſed eandem habent naturam: ergo ſi unum poteſt Pontifex diſſolvere, cur non & alterum.

Contra jam dictum eſt, ſufficit enim, quòd accidentaliter differant, & quod conſummatum addat ſupra ratum commixtionem conjogum carnalem, ex qoa apta eſt naſci proles, cui non debet præjudicari.

Dices: ergo ſaltem ſequeretur Principem gentilem etiam poſſe diſſolvere matrimonia rata ſuorum ſubditorum in bonum Reipublicæ ſuæ, quia talis non habet minorem aothoritatem circa contractus Civiles non baptizatorum, quàm Pontifex circa contractus baptizatorum.

Contra neg. illatum, quia Princeps gentilis nec validè nec licitè poteſt diſſolvere matrimonia rata, quæ non tantùm jure humano ſed etiam divino naturali ſunt inſolubilia, nec

habet à Deo peculiarem poteſtatem ad id ſicut habet ſummus Pontifex, ſed tantùm habet poteſtatem ordinariam Superioris humani.

Dices: Pontifex etiam tota ſua authoritate non poteſt impedire aliquem effectum ſacramentalem à Chriſto ordinatum v. g. ne baptizatus non reddatur de familia Chriſti, aut ne Hoſtia conſecrata contineat corpua Chriſti: ergo etiam cùm matrimonii rati inſolubilitas ſit ei annexa ex inſtitutione Dei per illud, quod Deus conjunxit homo non ſeparet, non videtur quomodo auferri poſſet à Pontifice.

Contra neg. conſequent. quia diſpenſando in matrimonio rato non ſequitur, quòd poſſit impedire aliquem effectum Sacramenti matrimonii, ſed ſolùm quòd declarare poſſit Deum non potuiſſe tantam inſolubilitatem in matrimonio rato, quantam in conſummato, & ideo Eccleſiæ poteſtatem reliquiſſe, ut juſtis de cauſis poſſit interdum inſolubilitatem auferre, ſicut & obligationem ortam ex juramento, quæ quidem aliàs perpetua eſt. De his plura in Tractatu de jure & juſtitia diſt. 5. q. 1. & in Tract. de matrimonio diſt. 1. q. 5.

DISTINCTIO III.

De Lege Divina.

QUÆSTIO I.

An Lex vetus tota deſierit & quando deſierit?

1 ADvertendum eſt 1. Legem divinam poſitivam, ut in ejua deſcriptione in prioribus data diximus, eſſe ſpecialem Dei juſſionem legi naturali ſuperadditam, partim præcepta legis naturæ renovando, partim & principaliùs varia præſcribendo, quæ ex natura rei non fuit neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis, talem autem legem divinam eſſe neceſſariam patet ex eo, quia cum homo ſit elevatus in finem Beatitudinis ſupernaturalis, oportebat illum dirigi in finem talis beatitudinis, hoc autem non præſtat lex naturalis aut humana, quæ finem naturalia felicitatis non tranſcendunt, igitur debuit dari lex divina, quâ etiam noſtri interni actus ad honeſtatem ſupernaturalem ſupernaturaliter ſolùm cognoſcibilem in particulari dirigerentur; hæc autem divina lex triplex eſt, una dicitur æterna, de qua diſt. 1. dictum eſt. Secunda dicitur Moyſaica ſeu veteris Teſtamenti, & tertia Evangelica ſeu novi Teſtamenti, de quibus hic dicetur.

2 Advertendum eſt 2. Teſtamentum divinum ut ſic ſignificare divinam promiſſionem & pactum, quam humana communitas ſub certis legibus & ritibua conſequetur; ſic primum Teſtamentum annexum ſtatui Innocentiæ fuit promiſſio juſtitiæ originalis facta poſteritati ab Adamo propagandæ ſub conditione, ſi divina mandata præcipuè de non comedendo fructu ſcientiæ boni & mali Adamus ſervaverit, hoc autem teſtamento everſo ſucceſſit aliud Teſtamentum, quod modo dicitur antiquum, quod fuit promiſſio de conferendis bonia temporalibua populo Iſraëlitico, & de Chriſto ex eorum ſanguine naſcituro, ſi per Moyſem præſcriptaa Leges, Ceremonias, & Sacrificia, quibus ipſe Chriſtus & ſua gratia per ipſum conferenda ſignificabatur, obſervabunt. Huic tandem ſucceſſit novum Teſtamentum, quod eſt promiſſio Chriſto Deo homini facta de generis humani reconciliatione gratia & gloria, tum ex opere operantis, tum ex opere operato hominibua conferenda ſub oneroſa conditione mortis & paſſionis ſubeundæ, ut indicatur Iſ. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum &c.* ex quibua colligi poteſt vetus Teſtamentum jam ſumpſiſſe initium à temporibus Abrahami, cùm ad ipſum primitùs fuerit facta promiſſio, quòd ejus poſteris ſit tribuenda terra Chanaan, & quòd in ejus ſemine, ſcilicet in Chriſto ex ejua ſanguine naſcituro, ſint benedicendæ omnes gentes, & ipſe Abraham primua legem circumciſionis accepit, per quam ejua familia ab aliis gentibus fuit diſtincta; perfectionem tamen ſuam vetua Teſtamentum primò accepit, quando Moyſes volumen legis a Deo in monte Sinai acceptum, quod tunc dici cœpit volumen fœderis, legit audiente populo & ſpondente omnia, quæ locutus eſt Dominus, velle facere & obedire Exod. 24. pariter novum Teſtamentum in morte Chriſti fuit completum & perfectum, quamvis jam virtualiter poſt lapſum Adami jam fuerit inchoatum juxta D. Thomam 1. 2. q. 106. art. 1.

3 Advertendum eſt 3. Veteris legia triplicia fuiſſe præcepta, ſcilicet Moralia, Ceremonialia, & Judicialia, ut patet Deut. 5. *Loquor tibi omnia mandata mea & ceremonias, atque judicia.* Moralia ſunt quæ per ſe bonitatem & honeſtatem continent, ut ſunt præcepta juris naturalis in Decalogo, in quo omnia præcepta moralia formaliter & virtualiter ſunt contenta, vel tanquam principia in concluſionibus ut præceptum dilectionia Dei & proximi, cùm omnis lex in dilectione Dei & proximi fundetur, vel tanquam concluſiones in principiis ut præcepta moralia magis particularia v. g. quæ ſpectant ad virtutem Religionis, juſtitiæ, temperantiæ &c. hæc enim continentur in præceptis Decalogi tanquam concluſiones in principiis, aut ut fructus in ſemine, quamvis autem præcepta moralia ſpectent ad legem naturæ, accommodatè tamen etiam ad legem veteris Teſtamenti ſpectant, quia per illa ordinabatur populus ad Meſſiam venturum, ut nempe per eorum obſervantiam ſub pro-

Digitized by Google

promiſſione temporalium bonorum majori puritate diſponeretur ad Chriſtum ex ſe naſciturum. Ceremonialis ſunt, quæ pertinent ad cultum Dei & præſcribunt quomodo & quibus ceremoniis ſit colendus Deus, ut ſic populus ad idololatriam propenſus retraheretur, qualis fuerunt Sacramenta, ut circumciſio, agnus paſchalia, ſacrificia & holocauſta pro peccatis, tabernaculum, templum, vaſa ſacra, certa feſta, jejunia, prohibitiones quorundam ciborum &c. tandem judicialia ſunt, quibus conſtituebatur rectus ordo populi tum inter ſe, tum quoad communitatem & in exercendis judiciis tum quoad œconomicam, tum quoad politicam gubernationem, talis fuerunt præcepta quoad Principem, Magiſtratum, & populum, præcepta quoad extraneas gentes per bella & ſuſceptiones peregrinorum, præcepta inter domeſticos inter maritum, & uxorem, inter parentes & filios, inter ſervos & dominos, inter ementes & vendentes & alia plurima, ita ut Guilielmus Pariſienſis 600. & 13. numeret apud Suarez, & fortè ideo Act. 5. lex antiqua vocatur jugum importabile.

4 Advert. eſt 4. Scotum in 4. d. 3. q. 4. §. *Ad argumenta pro opinione.* docere, quod lex vetus in morte Chriſti Domini fuerit conſummata, & nova confirmata in cauſa ſeu radicaliter, id eſt, cauſaliter, meritoriè, & inchoativè, quamvis lex vetus formaliter & completè expiraverit in die Pentecoſtes, attamen jam à tempore Adventûs Chriſti non poterant ſervari ceremoniæ legis veteris tanquam ſigna Meſſiæ venturi, ſed vel ſimpliciter tanquam figuræ Meſſiæ, vel tanquam figuræ myſteriorum futurorum, quæ needum erant impleta, cum præcipua myſteria in morte Chriſti eſſent implenda, pariter à tempore inſtituti Baptiſmi circumciſio non amplius fuit neceſſaria neceſſitate medii pro originali, ſed ſolùm neceſſitate præcepti, tanquam ſignum diſtinctivum populi Judaici, ſicut manebat præceptum circumcidendi Joannem, etſi in utero ſanctificatum, remedium autem legis naturæ pro fœmellis adveniente inſtitutione baptiſmi prorſus expiravit eſſe neceſſarium, interim tamen Cerinthiani, Nazaræi, & Ebionitæ teſte Aug hæreſi 8. & 9. putarunt legem veterem in nova perſeverare, ac proinde ſervandam eſſe cum Evangelio male intelligentes illud Math. 5. *non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Unde his propoſitia:

5 Propoſitio 1. *Implicat à Deo condi aliquis homo exlex ſeu liber ab omni præcepto.* Ratio eſt, quia homo ex eſſentia ſua eſt rationalis: ergo ſupponit ex natura ſua rationem; ſed rationi tanquam legi intrinſecum eſt dirigere actiones humanas: ergo. min. ſubſumpta patet, tum quia ſi ratio deficeret, hominis actus rectitudine, quæ deberet ineſſe, careret, & à fine, propter quem homo creatus eſt, deviaret, tum quia ratio ex eſſentia ſua eſt participatio legis æternæ, & pro ſuo officio habet actiones prout humanæ ſunt, & hominem ad finem, ad quem conditus eſt, dirigere: ergo.

Nec dicas: non implicat hominem abſque formali lege eſſe verum hominem, & animal rationale, ac imaginem Dei referentem & beatitudinis per media ab omni ſapiente & omnipotente Deo diſponenda capacem: ergo antec. patet, quia formalem legem habere ſuperadditam non eſt hominis eſſentiæ & naturæ, quamvis à principio conditæ naturæ jam ſint leges ſuperadditæ.

Reſpondeo diſting. antec. non implicat hominem abſque formali lege ſumpta pro regula directiva ad actionem vel finem &c. neg. antec. non implicat hominem abſque formali lege ſumpta pro formali decreto morali ab homine realiter diſtincto eſſe verum hominem &c. conc. antec. nam lex poteſt dupliciter ſumi primò pro aliqua regula directiva ad actionem vel finem abſque ullo alio formali decreto vel præcepto, & ſine obligatione ſuperaddita niſi ſolius rectitudinis debitæ ineſſe actui ex natura rei vel finis, ad quem adipiſcendum regula dirigit. Secundò pro formali decreto vel mandato ſub obligatione alicujus culpæ vel pœnæ à tranſgrediente incurrendæ adeóque ad mentem noſtri Marchantii dici poteſt, ſi legis nomine rationem aut legem ſtrictè naturalem intelligimus, non poteſt Deus creare hominem exlegem, ſicut non poteſt creare creaturam rationalem ſine ratione, aut album ſine albedine. Si autem nomine legis intelligamus aliquod præceptum morale ab homine diſtinctum poteſt Deus creare exlegem, quia talis homo non inferret duas contradictorias, quod autem non contradicit à Deo fieri poteſt.

Propoſitio 2. *Lex Divina poſitiva admittit Epichejam ſeu interpretationem.* Ratio eſt, 6
quia lex poſitiva Dei non eſt menti inſcripta quoad omnes ejus circumſtantias, ſed debet exteriùs proponi: ergo poteſt ſenſus verborum legis Divinæ explicari, quæ explicatio erit certa vel probabilis prout explicantium Doctorum vel Paſtorum authoritas erit certa aut probabilis, imò in neceſſitate inevitabili quando hic & nunc operandum eſt & non patet aditus ad Doctores quilibet ſuo conſcientiæ dictamine legem de bono & æquo interpretari poteſt, juxta illud: ſignatum eſt ſuper nos lumen tuum, quo diſcernere poſſumus, quid hic & nunc agere oportet conformiter ad ſacram ſcripturam.

Nec dicas: Epicheja eſt emendatio legis generaliter expreſſæ in caſu, quem Legiſlator non comprehendiſſet; ſed hoc in Deo, qui omnes caſus prævidit & excipiendos excepit, non habet locum: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. Epicheja correctiva & explicativa ſimul eſt emendatio legis conc. maj. Epicheja ſolùm explicativa neg. maj. diſting.

diſting. min. ſed in Deo non habet locum Epicheja correctiva conc. min. explicativa neg. min. Epicheja ergo explicativa eſt quidem etiam emendatio ſed non legis, ſed potiùs noſtræ intelligentiæ circa legem, cujus legis caſus obligationis vel non obligationis Deus quidem exactiſſimè prævidit, ſed non omnes excipere voluit, quia excipere omnes non congruit.

7 Propoſitio 3. *Lex vetus ſeu Moyſaica fuit bona & ſancta.* Ratio eſt fides contra Manichæos ex Apoſt. ad Rom. 7. *Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Ideo etiam Chriſtus legem ſervavit tum in circumciſione, tum in aliis, & ſervare illam docet Matth. 8. *vade, & oſtende te Sacerdoti, & offeres munus, quod præcepit Moyſes:* ergo.

Nec dicas Ezech. 20. habetur: *ego dedi eis præcepta non bona:* ergo.

Reſpondeo illa verba non intelligi de præceptis veteris legis, cùm de illis Eſdræ 8. dicatur: *dediſti eis judicia vitæ & legem veritatis & præcepta bona*, adeóque per illa præcepta non bona intelliguntur plagæ & punitiones, quas Deus Iſraelitis evenire permiſit, & ideo etiam quando lex vetus vocatur à D. Petro jugum importabile ſolùm vocatur ideo, quia juxta ſervilem conditionem Iſraelitarum fuit difficilis.

Dices plura in lege veteri fuerunt inordinata & correcta à Deo, nam Judæis Deut. 23. permittitur ut fœnerentur alienigenis, ut odio habeant inimicos; ergo non fuit bona.

Contra neg. conſequent. quia nec Deus, nec Chriſtus correxit veterem legem, eò quòd eſſet mala, ſed partim eam explicavit contra perverſas expoſitiones quorumdam Judæorum, partim imperfectionem illius legis perfectiora conſulendo ſupplevit.

8 Propoſitio 4. *Quamvis lex vetus fuerit bona & utilis, abſolutè tamen non erat perfecta.* Ratio eſt, quia ex ſe ſine ordine ad paſſionem Meſſiæ non ſufficiebat ad ſalutem, unde dicit D. Paulus legem veterem non juſtificare, id eſt abſolutè ſine relatione ad Meſſiam venturum, nam ad Hebr. 7. ait: *nihil ad perfectum adduxit lex.* & cap. 8. *ſi illud priùs teſtamentum culpa vacâſſet* ſubintellige ſi imperfectione caruiſſet, *non utique ſecundi locus inquireretur.* Hinc eſt quod qui in antiqua lege fuerunt juſti, adepti ſunt juſtitiam & ſalutem fide ſaltem implicitâ Meſſiæ & gratiâ novi Teſtamenti, cujus virtus ad illos pervaſit, ideóque ſancti Patriarchæ & Prophetæ, qui ſalvi facti ſunt, pertinebant ad gratiam novi Teſtamenti.

Nec dicas: Lex vetus data fuit à Deo; ſed Dei perfecta ſunt omnia opera ejus: ergo & lex vetus eſt perfecta.

Reſpondeo diſting. conſequens eſt perfecta abſolutè ſpectato perfecto ſuæ excellentiæ effectu neg. eſt perfecta ſpectato tempore & conditione Judæorum conc. conſequent. opera autem Dei non omnia debent eſſe abſolutè ſemper quoad omnem conſiderationem perfecta, quamvis ſemper pro ſuo tempore & conditione ſint perfectiſſima, adeóque ſolùm lex vetus fuit imperfecta non poſitivè ſed negativè & comparativè ad legem novam, id eſt minùs perfecta quàm nova.

9 Propoſitio 5. *Lex vetus per ſe loquendo obligavit ſolos Hebræos.* Ratio eſt, quia ad ſolos lex dirigebatur, illiſque ſolis fuit promulgata, ut conſtat Deut. 4. dixi per ſe loquendo, quia potuiſſet aliqua gens illam legem aſſumere, & ſibi imponere, cum cuilibet fuerat liberum legem iſtam profiteri & ſe adjungere populo Dei per circumciſionem, quæ erat janua veteris legis, ſicut baptiſmus novæ; quod autem multi gentiles ad Judæos tranſierint, patet ex Eſther. 8. in tantùm, ut plures alterius gentis & Sectæ Judæorum religioni & cæremoniis jungerentur, cujusmodi adſcriptitii gentis Judaicæ dicebantur Proſelyti.

Nec dicas: præcepta moralia ſeu Decalogi continentur in vetere lege; ſed hæc præcepta per ſe obligant omnes gentes: ergo lex vetus non tantùm per ſe obligabat Judæos.

Reſpondeo diſting. min. obligant omnes gentes in quantum ſunt præcepta juris naturæ. Conc. in quantum erant per poſitivam Dei juſſionem in Decalogo ſeu lege Moyſaica renovata neg. min. nam taliter ſolos Hebræos ſeu poſteros Abrahæ deſcendentes ex Jacob obligabant, qui proinde ex duplici capite tenebantur ea ſervare, nempe ex vi legis naturæ & legis divinæ poſitivæ.

10 Propoſitio 6. *Lex vetus obligavit Hebræos in conſcientia non tantùm quoad præcepta moralia & ceremonialia, ſed etiam quoad judicialia.* Ratio eſt, quia lex vetus data eſt modo præceptivo in materia capaci obligationis in conſcientia, & pariter materia illorum præceptorum eſt capax gravis obligationis, utpote in ſe gravis, ac Deus ſaltem regulariter non dat poſitivas leges de rebus levibus: ergo præcepta legis veteris obligabant in conſcientia ſub mortali ex ſuo genere, quamvis per accidens aliquando parvitas materiæ excusâſſet à mortali tam circa præceptum divinum poſitivum quam circa legem naturalem. Nec cum Gerſone à tali obligatione in conſcientia excipienda ſunt præcepta judicialia, quæ ſolùm ad pœnam temporalem juxta illum obligâſſent, nam communis ſententia eſt in contrarium, eò quia lex judicialis mandatur eiſdem verbis, quibus ceremonialis & moralis.

Nec dicas: ſi lex ceremonialis & judicialis obligâſſent in conſcientia, etiam obligâſſent cum diſpendio vitæ, quæ minùs malum eſſet quàm peccare; ſed hoc communiter negatur: ergo & ejus obligatio in conſcientia.

Reſpondeo neg. ſequel. maj. nam obligare ſub mortali & cum diſpendio vitæ non eſt idem,

idem, quia metus aliquando excuſat tam in lege humana quàm divina, ut diximus diſt. 5. q. 2. hinc cùm præceptorum ceremonialium & judicialium materis ex ſe non ſit neceſſaria ad honeſtarem creaturæ rationalis. oon fuiſſet conſonum Divinæ providentiæ talem obligationem cum periculo vitæ inducere per ſe, quamvia abſolutè potuiſſet, dico per ſe, nam ſi obſervatio legia ceremonialis vel judicialis fuiſſet oeceſſaria ad cootemptum Dei vel religionis vitaodum, ooo excusâſſet periculum mortis, ut patet exemplo 2. Machab. 6. interim tamen præcepta moralia quatenus negativa, cum in illia prohibeatur aliquid intrinſecè malum, obligant ſemper cum periculo mortia, prout obligâſſent ex natura rei etiamſi Deus ea non renovâſſet in decalogo, ideo pro vitanda morte oon eſt idololatraodum, pejerandum, fornicandum &c. dixi quatenus oegativa, nam præcepta affirmativa moralis v.g. de colendo & amsodo Deo non poſſunt admittere locum da periculo vitæ, quia per actum internum impleri poſſont quateous ſuot de jure naturæ, præceptum verò honorandi parentes cum ſit affirmativum & oon obliget ad ſemper etiam non videtur in tanto periculo obligare, cum otdo charitatis incipiat à ſeipſo. Hia poſitis.

11 Aſſero 1. Ad quæſtionem. *Lex vetus deſiit & abrogata fuit per Chriſtum, ac probabilius tota deſiit, ita, ut obligatio etiam ad ſervanda præcepta moralia penitùs ceſſaverit, in quantùm illa lege veteri præcipiebantur.* Eſt Scoti in 4. diſt. 3. q. 4. §. *ad argumenta principalia.*

Probatnr 1. pars: ex fide ad Gal. 3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, aſt ubi venit fides jam non ſumus ſub pædagogo.* Item ad Gal. 5. *ſi circumcidimini Chriſtus nihil vobis proderit.* Irem ad Gal. 6. *neque circumciſio aliquid valet neque præputium:* ergo. tum quia ablato & mutato Sacerdotio legis veteris non potuit hæc ſalva cooſiſtere; ſed mutatum eſt illud Sacerdotium: ergo & Lex. maj. patet, quia præcepta Ceremonialia majori ex parte referuntur ad Sacerdotium illud & ſacrificia, min. patet tum ex Dan. 9. tum quia Sacerdotium veteris legis fuir in ſola tribu Aaron, Chriſtus autem ex tribu Juda oriundus ingreditur Sacerdoa ſecundùm ordinem Melchiſedech Pſal. 109. qui ſacrificium legis mutavit per ſuum ſacrificium partim cruentatum in Cruce, partim perincruentum in ultima Cœna, ubi Chriſtus ſe exhibuit Sacerdotem non ſecundùm inſtitutionem legia Moyſaicæ, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, ubi impletis figuria per ſuam mortem & paſſionem noo ampliùs poterat eſſe locus figuris & umbris: ergo.

12 Probatur 2. para: Lex vetus abſolutè dicitur mortua & deſiiſſe ex priori parte probata: ergo nnn tantùm quoad præcepta judicialia & ceremonialia ſed etiam moralia ceſſavit. Prob. cooſeq. ſi eſſet aliqua ratio, quòd non ceſsâſſet quoad moralia eſſet, quòd præceptorum moralium materia etiam nunc obligat; ſed hæc ratio oon urget: ergo. min. prob. obligatio illa manere poteſt, eò quòd nos lex naturalis ſolùm obliget ſicut diximus propoſ. 5. legem veterem non obligâſſe alioa extra Synagogam Hebræorum, vel quia Deus ipſe per Chriſtum de oovo eam materiam præcepit: ergo ceſſavit quoad omnia præcepta in quantùm lege veteri præſcripta.

Objicies 1. Sacra Scriptura legem veterem 13 ſæpe vocat æternam, unde Gen. 17. *data fuit Abrahæ circumciſio in fœdus ſempiternum:* ergo oon potuit deſinera vel abrogari.

Reſpondeo oeg. conſeq. vel quia Scriptura ly *æterna* ſæpe ſumit pro duratione valde diu durante, vel ut dicit S. Aug. quæſt. 43. in Exod. Lex vetus dicitur æterna & perpetua non ſecundùm litteram, ſed ſecundùm Spiritum, id eſt ſecundùm res per legem figuratas, quæ ultimatè implebuntur io Beatitudine. Unde ad Gen. 17. reſpoodet Scotus cit. dicendo: *fœdus ſempiternum exponi poteſt ſempiternum in ſe vel in æquivalente* (id eſt in re ſignata) *vel fortè magis ad intellectum litteræ, quod erat fœdus ſempiternum inter Deum & Abraham & ſpecialiter ſemen ejus, quia nunquam fuit aliud ſignum ſpecialiter inter Deum & illud genus, & ideo manet in ſempiternum, quamvis futurum erat aliquod ſignum fœderis inter Deum & totum genus humanum, ad quod fœdus commune meliùs erat ſemini Abrahæ tranſire quàm manere ſub ſigno fœderis ſpecialis, quia meliùs eſt partem eſſe in toto, cui ſimpliciter benè ſit, quàm eſſe diſtinctum à cæteris partibus, ut ſibi aliqualiter benè ſit & aliis malè.*

Dices: Lex vetus verè eſt à Deo, & nullibi invenitur revocata in oovo Teſtamento, imò Chriſtus toto vitæ tempore eam ſervavit; nam in ſe ipſo ſuſcepit circumciſionem, comedit ante cœnam agnum Paſchalem & alia. Diſcipuli autem tanquam inferiores noo habuerunt authoritatem revocandi legem Superioria: ergo.

Cootra eſt ex Scoto cit. legem veterem de circumciſione quantùm ad gentiles converſos eſſe revocatum in tertio Concilio Petri & Jacobi, imo ipſius Spiritûs ſancti Act. 15. *viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris.*

Quantùm vero ad Judæos ſupponitur aliquando revocata ab ipſo Chriſto, vel per Apoſtolos ex inſtinctu Spiritûa ſancti, licèt tempus revocationis non fuerit ſimpliciter expreſſum in Scriptura. Chriſtus enim multa fecit aliter, quàm qualiter obſervarunt Judæi, ob quæ illum increpârunt, ut quòd diſcipuli ejus *manducent non lotis manibus &c.* unde ſæpius dixit Chriſtus: *antiquis dictum eſt; ego autem vobis dico.* Ut patet de dilectiona inimicorum,

& da libello repudii. Quæ in lege veteri fuerunt permiſſa. Quòd verò Chriſtus in ſe ſuſceperit circumciſionem fuit ideo, quia non oportuit Legislatorem ſtatim circa ſuam nativitatem legem ferre, & ideo in principio temporis ſui lex prior duravit, & ideo etiam illa, quæ fuerunt legis naturæ fuerunt obſervanda à Moyſa uſqua ad tempus dationis legis ſcriptæ in monte Sinai. De comeſtione agni Paſchalis idem dici poteſt, quia in morte Chriſti cauſaliter expiravit lex vetus, licèt non pro tunc, ſed pro tempore publicationis hujus cauſæ & legis Evangelicæ, & ideo uſque ad mortem conveniebat Chriſto illa ceremonialia obſervare.

Dices: Chriſtus Matth. 5. dicit: *non veni legem ſolvere ſed adimplere*: ergo illum non abrogavit.

Contra neg. conſeq. nam ibi ly *ſolvere* non intelligitur pro abrogare ſed pro violare, id aſt non veni violare legem, contra cujus verum ſenſum nihil docuit Chriſtus, ſed eam ſervavit quouſque fuit in vigore, quòd autem ly *ſolvere* ita debeat intelligi, patet ex contextu, nam ſtatim additur: *qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Vel dic cum Scoto cit. non venit ſolvere quantùm ad fructum, ad quem erat inſtituta v. g. circumciſio, quia perfecit eam longè perfectius remedium, nempe Baptiſmum inſtituendo, quamvis ſolverit ſeu abrogaverit ceremoniam.

14 Objicies 2. Præcepta moralia quatenus per Moyſen data & veteri legi inſcripta verè obligant Chriſtianos: ergo lex vetus non deſiit tota. antec. patet de Decalogo etiam nunc apud Chriſtianos vigente.

Reſpondeo diſting. antec. verè obligant Chriſtianos vi veteris legis neg. vi novæ & Evangelicæ conc. antec. unde Decalogus per Chriſtum perfectius fuit explicatus, licèt modò non obliget vi illius legis, ſed legis Evangelicæ.

Dices: Apoſtoli ſemper allegant verba veteris Teſtamenti, dum docent præcepta moralia ſervanda eſſe, ut ad Epheſ. 6. honora Patrem & Matrem tuam quod eſt mandatum primum in promiſſione; ſed hoc non facerent Apoſtoli, ſi illa teſtimonia ad Chriſtianos non pertinerent: ergo.

Contra neg. min. quia Apoſtoli ſolùm dant doctrinam generalem à lege Moyſis omninò independentem, nam licèt illa lex nunquam extitiſſet, certiſſimum eſt nos teneri ad omnia illa præcepta moralia ſervanda undecunque illa obligatio veniat.

15 Aſſero 2. *Lex vetus non ceſſavit in Nativitate Chriſti aut ante mortem ipſius, nec ceſſavit obligare pracisè in morte Chriſti, ſed in die Pentecoſtes à promulgatione legis nova facta.* Eſt Scoti in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. *quantùm ergo.* Contra Thomiſtas.

Probatur 1. pars: Chriſtus uſque ad mortem ſervavit legem Moyſis in circumciſione, oblatione templi, eſu agni Paſchalis; item mundatos miſit ad Sacerdotes juxta legis præſcriptum, imò oppoſitam Phariſæorum calumniam a ſe repulit, monſtrando ſe nil legi contrarium facere, dicendo: non veni legem ſolvere, ſed adimplere.

Probatur 2. pars: Nullus aliter ſe habet nunc quàm priùs ad aliquam legem, niſi quia ſibi erat aliter promulgata; ſed lex Evangelica & præceptum de Baptiſmo non fuit ſtatim promulgata in morte, aut ſtatim poſt paſſionem Chriſti: ergo non aliter ſtatim ſe habebat populus Hebræus reſpectu legis Evangelicæ & præcepti de Baptiſmo, quàm ante paſſionem; ſed ante paſſionem non erat lex Evangelica nec Baptiſmus ſub præcepto ſecundùm omnes: ergo nec ſtatim in morte aut ſtatim poſt paſſionem ante promulgationem. 16

Probatur 3. pars & ſimul 2. Lex vetus non priùs ceſſavit quàm Evangelica cœpit obligare, cùm generatio hujus ſit corruptio illius; ſed lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecoſtes: ergo ante illum diem; lex Moyſaica non cœpit obligare. Min. prob. lex ante ſuam promulgationem non obligat; ſed lex Evangelica non fuit promulgata ante diem Pentecoſtes, nam Apoſtoli uſque ad illod tempus non propoſuerunt populo publicè Evangelium, illo autem die Petrus multa millia hominum, quæ ex diverſis regionibus convenerant, Jeroſolymis baptizavit, & omnes Apoſtoli diverſis linguis prædicaverunt publicè magnalia Dei: ergo ante diem Pentecoſtes non cœpit obligare. 17

Obſervandum inſuper eſt ex Herinx noſtro, nec omnes homines præcisè à puncto, quo fuit facta legis novæ promulgatio, ita fuiſſe obligatos, ut peccarent, niſi ſtatim juxta illam legem operarentur, nam multi ignorantia invincibili laborantes non peccaverunt, nec modò peccant in materiali ejus transgreſſione. Pariter nec omnia, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſubitò obtinuerunt vim obligationis reſpectu omnium, ut neceſſitas baptismi poſt promulgationem Pentecoſtalem, ſed conſentaneè divinæ providentiæ remedium legis naturæ adhuc aliquo tempore fuit utile, quamdiu ſcilicet ſpectatis circumſtantiis diſtantiæ loci, commercij &c. lex Evangelica potuit innoteſcere.

Objicies: Lex vetus ceſſavit in puncto mortis Chriſti: ergo ceſſavit totaliter, antequam nova incepit promulgari in die Pentecoſtes. Antec. prob. in puncto mortis Chriſti *velum templi ſciſſum eſt* Matth. 24. & eo etiam tempore Chriſtus dixit: *Conſummatum eſt* Joann. 19. Sed hæc verba ſecundùm SS. PP. denotant legem veterem in puncto mortis Chriſti vim ſuam perdidiſſe: ergo. 18

Reſpon-

Reſpondeo diſting. antec. ceſſavit in puncto mortis Chriſti tanquam in caoſa, à qua habebat efficaciam & valorem lex nova conc. actualiter neg. antec. nam mors & paſſio Chriſti fueruot utique cauſa ceſſationis legis veteris, ſed caoſa iſta oon ponebat effectum, niſi innoteſceret, oam oullus tenetur ad incognitum, adeóque non faciebat actu ceſſare, oiſi prius pateret utilitas & oeceſſitas novæ legis, quæ non erat indicta io manifeſto, niſi poſt paſſionem, quando in die Pentecoſtes Evangelium fuit promulgatum; unde SS. PP. intelligendi ſunt, quòd lex vetus in morte Chriſti fuerit conſummata, ac nova confirmata radicaliter, meritoriè, & inchoativè, quamvis formaliter & completè expiraverit in die Pentecoſtes; hinc illa verba conſummatom eſt, & templi velum ſciſſum eſt dicit Scotus, quòd intelligenda ſint de his, quæ ad implendum opus redemptionis pertinebant, & de filio hominis ſcripta erant juxta illud Luc. 18. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio hominis.*

Dices: tunc lex antiqua ceſſavit, quando tranſlatum eſt vetus ſacerdotium io oovum; ſed hæc tranſlatio fuit facta in morte Chriſti: ergo. min. patet, quia Chriſtus ſe ipſum in morte in ara crucis cruenter obtulit Patri.

Cootra diſting. min. hæc tranſlatio fuit facta in morte Chriſti tanquam in cauſa conc. formaliter obligaodo pro illa hora mortis Domini neg. min. nam lex vetus & circumciſio utilis permanſit uſque ad ſolemnem Evangelii promulgationem, ut in ſimili contingit inter homines, quorum teſtamentum non ſtatim operatur poſt mortem teſtatoris, ſed dum primò aperitur & promulgatur, adeóque in morte Chriſti ſolùm fuit data cauſa, ex qua mors veteris legis brevi ſecutura erat.

Dices: Statim poſt Chriſti paſſionem aperta eſt janua cœlorum, & PP. ex limbo tranſlati ſunt ad ſtatum gloriæ; ſed hoc non potuit efficere lex vetus: ergo hinc jam mortua eſt.

Contra diſting. maj. aperta eſt janua cœlorum ideo, quia lex vetus ſtatim expiravit, & nova ſub præcepto introducta fuit neg. ideo, quia tunc oblatum fuit pretium ſufficiens pro redemptione noſtra cooc. maj. pretium enim hoc inæſtimabile ſufficiens erat tunc pro apertione januæ cœlorum.

QUÆSTIO II.

Qualem legem novam Chriſtus inſtituerit, & an ea inſtituta lex vetus ſtatim fuerit mortifera?

1 ADvertendum eſt 1. Certum eſſe de fide Chriſtum inſtituiſſe novam legem non tantum pro Judæis, ſed etiam pro gentibus, adeóque pro ooiverſo mundo, quia ſicut Chriſtus eſt omnium hominum redemptor, ita oportuit ipſum inſtituere legem pro omnibus per quam ad ſalutem pervenirent, ideo dicit Matth. ult. *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Inſtituit autem varias leges, quæ commodè reduci poſſunt ad triplex genus præceptorum ſcilicet ad Moralia, Sacramentalia, & Theologica, quia oihil eſt à Chriſto præceptum, quod oon ſit naturale ſimpliciter aut ex ſuppoſitione, vel quod noo pertineret ad Sacramenta, ut niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. vel quod non ſpectaret ad virtutes Theologicas, de quibus quidem oihil novi præcepit, niſi ſolùm extendo fidem ad nova, quæ revelavit, credibilia, ſpem ad ea ſperanda, & charitatem ad illa diligenda; oulla tamen Chriſtus præcepta propriè judicialia inſtituit, ſed potiùs reliquit in Eccleſia poteſtatem inſtituendi talia præcepta, quæ quidem defacto per leges Canonicas lata ſunt.

Advertendum eſt 2. Legem oovam ſeu Evangelicam omnino eſſe duraturam uſque ad finem mundi, quia illa lex dicitur eſſe ultima, quæ immediatè conjungit fini ultimo oulla alia lege mediante, lex autem Evangelica immediatè conjungit fini ultimo, cùm detur vita æterna iotuitu fidei, Sacramentorum & bonorum operum, quæ per legem Chriſti traduntur, & ideo Matth. 24. dicitur: Prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Et Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Cur autem lex oova oon fuerit à principio muodi inſtituta poteſt congruitas aſſignari ex perfectione legis novæ, nam non ſtatim ad perfectum adducitur aliquid ab initio, ſed ſucceſſionis ordine, ac pariter oportuit hominem ſibi in ſtatu veteris legis relinqui, ut infirmitatem ſuam in peccatum labendo agnoſcens, recognoſcat ſe gratiâ iodigere juxta illud ad Rom. 3. *omnes peccaverunt, & egent gratiâ Dei.* Denique oec decuit legem oovam, quæ eſt lex gratiæ, dare opere redemptionis oecdum per Chriſtum conſummato; unde dicitur Joann. 7. nondum erat Spiritus datus, quia JEſus nondum erat glorificatus. 2

Advertendum eſt 3. ex Scoto io 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. *Quantùm ergo ad iſtum articulum.* Quòd inter duos præcipuos Apoſtolos Petrum & Paulum & poſtea inter duos egregios Doctores Auguſtinum & Hieronymum fuerit acris controverſia Auguſtino Epiſt. 19. ad Hieronymum aſſerente: quòd uſus legum Ceremonialium aliquo adhuc tempore poſt ceſſationem veteris legis fuerit licitus, Hieronymo in Epiſt. ad Gal. 2. & Epiſt. 89. ad Auguſtin. hoc acriter oegante; unde Hieronymus ſolùm duo tempora diſtinxit in 3

Digitized by Google

legis novæ inſtitutione, unum condendi legem Evangelicam, quod incepit ab adventu Chriſti uſque ad paſſionis conſummationem: alterum promulgandi, quæ incepit ab adventu Spiritûs ſancti uſque ad finem mundi, & in hoc ſtatuit poſſe dupliciter obſervari legalia vel ex præcepto & juſtitia tanquam neceſſaria ad ſalutem, vel ex diſpenſatione non quia bona ſunt, ſed quia inde elicitur bonum, ubi poſt promulgationem tantùm illis majoribus Apoſtolis ex diſpenſatione, & pia quadam ſimolatione concedit licitum fuiſſe circumciſionem & quædam legalia ſervare juxta illud Apoſt. 1. ad Corinth. 9. *Omnibus omnia factus ſum Judæis tanquam Judæus &c. ut omnes lucrifacerem &c.* Divus verò Auguſtinus triplex diſtinxit tempus, primum condendi Evangelium eodem modo ſicut Hieronymus, ſecundum promulgandi conditum uſque ad divulgationem Evangelii, in quo etiam concedit ſervare poſſe legalia etiam illos, qui audierunt Evangelium, & propter utilitatem lucrandi proximos, Judæos ſcilicet, & propter honeſtatem, quia cum honore eſt ſepelienda Synagoga, & non ſtatim ut idololatrica abjicienda. Tertium autem tempus poſuit à ſufficienti divulgatione uſque ad finem mundi, quo tempore nullo modo legalia licitè poſſunt ſervari, cum jam ſint ſepulta, & nulla ampliùs ſit utilitas vel honeſtas.

4 Advertendum eſt 4. Scotum loco cit. adducere cauſam controverſiæ inter Petrum & Paulum, Hieronymum inter & Auguſtinum, nempe ad Gal. 2. ubi Paulus ſcribit: *Cum veniſſet Cephas, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Redditque rationem: *prius enim* [illegible] *veniſſent quidam à Jacobo miſſi, edebat* [illegible] *cum gentibus*, nempe non diſcernendo inter cibos, *cum autem veniſſent, ſegregabat ſe ab illis, timens eos, qui ex circumciſione venerant, & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi.* Et ideo ſequitur reprehenſio: *Si tu Judæus, cum ſis, gentiliter & non judaicè vivis, quomodo gentes cogis judaizare.* Quod Scotus aſſerit factum non diu poſt illud tertium Concilium Jeroſolymis habitum, nempe Anno 14. vel 15. poſt paſſionem Chriſti. Ad hæc autem dicit Scotus cit. *Reſpondeo, quòd de iſto facto Petri, ſi peccaverit; vel non, videbatur controverſia inter duos egregios Apoſtolos ſcilicet Petrum & Paulum, & poſtea inter duos Doctores famoſos Auguſtinum & Hieronymum. Salvâ reverentiâ aliorum teneo cum Paulo & Auguſtino, licèt enim Apoſtoli in actibus vel verbis, quæ dixerunt ut homines potuerunt errare, tamen nullus Apoſtolus vel Propheta in quantum ſcriptor alicujus partis Scripturæ aliquo modo erravit.* Unde tenet Paulum ſcribentem de Petro, quòd reprehenſibilis erat, non erraſſe, & ideo Petrum verè peccaſſe, licèt tantùm venialiter, non tamen peccato Judaiſmi illiciti, cùm & Paulus illo tempore judaizaverit, & liceret, ſed tantùm vel alicujus levioris ſcandali, ut ſentit Auguſtinus, quia in hoc, quod ſe iterum ſegregaverit à gentibus ad mores Judæorum dabat occaſionem gentibus ſervandi legem quaſi neceſſariam, ut aliquis poſſet communicare cum Judæis, vel alicujus timiditatis indecentia quemdam Prælatum non utendo authoritate Prælati, cum enim Petrus eſt Superior illis nuntiis Jacobi, magis debebat ipſe veritatem conſtanter tenere in opere, & eos adducere ad rectitudinem ſuam, quàm propter timorem eorum flecti ad illud, quod erat eis placitum & magis acceptum, & talis remiſſio ſeu timiditas Prælati eſt pro tempore reprehenſibilis. Ita ferme in terminis Scotus. His notatis

Propoſitio 1. *Lex nova excellentior eſt veteri.* Ratio eſt ex omni genere cauſarum: ex efficiente, nam licèt Author utriuſque legis ſit Deus, differunt tamen, quod veterem dederit per miniſterium angelorum, novam autem per unigenitum filium, ut tradit Apoſtolus ad Galat. 3. *Lex propter tranſgreſſores poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris* ſcilicet Moyſis. Et Act. 7. dicitur: *Accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum.* Ex materiali, quia myſteria Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis & alia in lege veteri fuerunt occulta, aut imperfectè cognita; ut in Evangelio ſunt apertè revelata, ita pariter Sacrificiis & ceremoniis veteribus propè infinitis ſucceſſit efficax & incomparabile ſacrificium & Sacramentum. Ex cauſa formali, quia lex nova non fuit ſcripta in membranis aut tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis. Ex cauſa finali, quia lex nova eſt finis legis veteris juxta illud ad Rom. 10. *finis legis Chriſtus.* Aliæ adhuc differentiæ aſſignari poſſunt, nam effectus legis veteris ſunt mandata, & non gratia, quæ implerentur, nam hanc ex fide in Chriſtum & ex lege nova mendicabat, juxta illud Act. 4. *neque enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Legis verò novæ effectus eſt Spiritus & gratia ex paſſione Chriſti. Præterea lex nova eſt magis univerſalis ex parte locorum, temporum, & perſonarum. Demum lex nova eſt filiorum, lex vetus verò ſervorum, eò quòd lex nova fideles velut filios per amorem potiùs quàm timorem ad ſui obſervantiam inducit, juxta illud ad Rom. 8. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.*

Nec dicas: Lex nova non eſt ab excellentiore Legiſlatore, aut ob excellentius bonum commune, aut circa excellentiorem materiam, in quibus debet excellentia legum attendi, quàm lex vetus, cùm utraque ſit à Deo propter æternam felicitatem, & de Meſſia ac honore ejus cum prohibitione peccatorum: ergo

Re-

Reſpondeo diſting. antec. non eſt ab excellentiore Legiſlatore aut ob excellentius bonum commune &c. quoad ſubſtantiam conc. non eſt de excellentioribus quoad modum neg. antec. nam excellentia legis veteris fuit in umbra & figuris percepta, excellentia verò novæ legis fuit in re ipſa agnita, & cum majori facilitate & virtute adimplendi poſita.

6 Propoſitio 2. *Lex nova non eſt tam gravis ſicut lex vetus.* Ratio eſt ex Scoto in 3. diſt. 40. quæſt. un. §. *hic ſunt duo.* Quia gravitas alicujus legis in comparatione ad aliam pendet ex duobus, ſcilicet ex onere impoſito, & ex defectu ad portandum onus impoſitum, onera autem in lege veteri fuerunt moralia, ceremonialia, de quibus dicitur Numer. 15. *Anima quæ fecerit vel non fecerit ſic morte morietur;* unde licèt Hebræi tangere poſſent mortuum & alia hujusmodi, incurrebant tamen ex hoc multas immunditias, ad quarum purgationem, ſi non faciebant quod lege mandabatur, peccârunt mortaliter. Item tenebantur ad omnia judicialia, præſertim quæ Sacerdotes decèrnebant, juxta illud Deut. *Omnis anima, quæ contempſerit judicium Sacerdotis, morte moriatur;* in lege autem nova ſunt eadem quidem præcepta moralia, ſed magis explicata, ceremonialia ſunt multò pauciora & leviora, & judicialia à Chriſto nulli ſunt impoſita, unde lex Chriſti dicitur lex mititatis & ſuave jugum, adeo, ut, qui illud animo bono portant, reficiantur gratiâ Dei per paſſionem & mortem Chriſti, qui nobiscum portet, & per exemplum ejus multum nos movet.

Nec dicas: In lege nova Chriſtus plura prohibuit quàm lex vetus prohibuerat: ergo hæc eſt gravior. Antec. prob. Chriſtus Matth. 5. prohibuit odium inimicorum dicens: *Audiſtis quia antiquis dictum eſt, odio habebis inimicum tuum, ego autem vobis dico diligite inimicos veſtros.* Item in Decalogo dicitur: *Non mœchaberis*, Chriſtus autem addit: *Ego vobis dico, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

Reſpondeo neg. antec. ad probam dico odium inimicorum jam fuiſſe alias de ſe jure naturali prohibitum, ſed potuit Deus illud permittere quatenus tanquam Dominus vitæ & mortis potuit permittere Judæis, ut ſe de inimicis vindicarent, vel potuit Deus ſimilem actum odii præcipere in inimicum non quà nobis, ſed ſimul quà Dei inimicum: unde Chriſtus prohibendo iſtam vindictam in lege gratiæ id fecit auferendo jus in bona aut vitam alterius, & tunc ſtatim eam vindictam prohibet lex naturalis, ſicut ſi quis licentiam dat alteri utendo ſuo equo & revocat, hoc ipſo jam præcepto naturali redditur illi illicitus uſus equi; præterea & ille viſus inhoneſtus mulieris jam ex natura rei eſt malus, & ideo jam fuit implicitè prohibitus ſub præcepto Decalogi, Chriſtus autem illud magis declaravit eam obligationem naturalem eſſe non ſolùm ad uxorem alienam, ſed etiam ad omnem fœminam non ſuam, & non ſolùm concupiſcentiam ſed etiam omnem viſionem ad eam diſponentem per ſe eſſe illicitam, quod ille populus excæcatus facilè poterat ignorare. His propoſitis:

7 Aſſero 1. ad quæſt. *Chriſtus Dominus inſtituit veram legem novam non ſolùm directivam, ſed & præceptivam, nec ſolùm continentem præceptum fidei, ſed & varia alia præcepta,* Eſt de fide, & Scoti in 4. diſt. 3. quæſt 4. §. *iſta quæſtio.* Contra Lutherum & Calvinum volentes in lege nova nihil eſſe ſub præcepto præter fidem, unde hanc ſolam putant juſtificare & ſufficere ad ſalutem.

Probatur 1. pars: Tam ad providentiam ſummi Pontificis pertinet ferre leges in iis, quæ ad cultum divinum & bonum Eccleſiæ ſpectant, quàm ad providentiam Regis ſtatuere leges ad regni conſervationem & tranquillitatem neceſſarias vel utiles; ſed Chriſtus fuit ſummus Pontifex & Rex Eccleſiæ, uti docetur de incarnatione: ergo fuit etiam verus Legiſlator. Min. ultra patet Matth. 8. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, euntes ergo docete &c.* & per talem poteſtatem videtur quomodo potuerat veterem legem abrogare, hinc etiam Iſ. 2. dicitur: *De Sion exibit lex.* Et 33. *Dominus judex noſter, & Legiſfer noſter.* Et in Evangelio pluries Chriſtus loquitur, ut Joann. 14. *mandata mea ſervate.*

8 Probatur 2. pars: Chriſtus non tantùm de præcepto fidei ſed etiam de aliis præceptis loquitur in ſuo Evangelio: ergo antec. patet, nam præceptis moralibus dicit Chriſtus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et Matth. 9. divortium & libellum repudii prohibuit, & ſtatuit, ut vinculum matrimonii non ampliùs diſſolvatur: pariter de ſacramentalibus loquitur Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.*

9 Objicies cum hæreticis: Chriſtus Dominus fuit datus hominibus, ut Redemptor, cui fidamus, & non ut Legiſlator, cui obediamus: ergo nullam inſtituit veram legem. Antec. patet ex illo Joann. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per JEſum Chriſtum facta eſt*, quòd indicat Moyſen fuiſſe Legiſlatorem, non verò Chriſtum, ſed eum tantùm gratiam & juſtificationem prometuiſſe.

Reſpondeo neg. antec. Nam Chriſtus ſimul ut Redemptor & ut Legiſlator nobis eſt datus, ad probam autem ex Joanne dico, non ideo gratiam dici per Chriſtum, & legem per Moyſen factam, quod Chriſtus nullam legem tulerit, ſed quia Moyſes dedit Judæis nudam

legem

legem ſine gratia, id eſt legem præcipientem non adjuvantem, Chriſtus verò dedit nobis legem cum gratia, id eſt legem præcipientem & adjuvantem; ob quam cauſam dicitur jugum ſuave & onus leve. Unde S. Auguſt. Serm. de Verb. Apoſt. comparat legem novam alis avium, nam aves ſuas alas portant in terra, & ab illis portantur in cœlo.

Dices: 2. ad Cor. 3. dicitur: *Ubi Spiritus Domini ibi libertas* ſcilicet ab obligatione legis; ſed fideles habent Spiritum Domini, nam dicit Apoſtolus ad Rom. 8. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* Unde novum Teſtamentum ad Gal. 5. vocatur lex libertatis, & ad Rom. 6. dicitur de fidelibus: *Non eſtis ſub lege ſed ſub gratia:* ergo.

Contra neg. explicationem maj. nam Chriſtiana libertas non conſiſtit in eo, quòd ſimus liberi ab obſervantia legum Dei, ſed quia ſumus liberi à ſervitute peccati & mortis juxta illud Joann. 8. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, ſi ergo vos filius liberavit, verè liberi eritis.* Vel quia ſumus liberi à jugo legis ceremonialis & judicialis Judæorum juxta illud ad Gal. 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena Elementa, quibus denuo ſervire vultis.* Adeóque per annexum divinum auxilium fideles ſponte & libere faciunt ea, quæ lex imperat, & ideo potiùs ſunt ſupra legem quàm ſub lege; & pariter magna eſt differentia inter eſſe ſub lege, & eſſe in lege, nam ſub lege erant Judæi, quia tanquam ſervi ſubjecti erant pœnis & terroribus legalibus, nos autem ſumus in lege, quia tanquam filii ex amore & charitate vivimus ſecundùm legem, & hoc ſenſu Paulus ſe negat eſſe ſub lege, & affirmat ſe eſſe in lege, ut explicat D. Auguſt. Lib. de Continentia c. 3. *Non ſumus ſub lege, bonum quidem jubente, ſed non dante, ſed ſumus ſub gratia, quæ id, quod lex jubet, faciens nos amare, poteſt liberis imperare.*

Dices: ad Heb. 3. dicitur, *juſtus ex fide vivit*, & non dicitur juſtus ex Sacramentis aut aliis præceptis vivit: ergo lex nova ſolùm continet præceptum fidei, cui ſolùm juſtificatio adſcribitur.

Contra diſting. antec. ex fide vivit ſola neg. cum adjunctis Sacramentis ad ſalutem neceſſariis conc. antec. & neg. conſeq. nam Apoſtolus non dicebat: Juſtus ex ſola fide vivit; ergo quoque Sacramentis locum reliquit. Vel aliter dici poſſet, ex fide vivit diſpoſitivè, non autem formaliter, nam multæ ſunt cauſæ juſtificationis in diverſo genere, nam homo juſtificatur per fidem tanquam præviam diſpoſitionem, per Sacramenta tanquam cauſas inſtrumentales morales, per Deum tanquam cauſam principalem, per Chriſtum tanquam cauſam meritoriam, & per gratiam tanquam cauſam formalem.

Aſſero 2. *Lex vetus non fuit ſtatim mortifera, quando cœpit ejus obligatio ceſſare, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem fuit licitum ſervare illius præcepta ceremonialia, quamvis non erat neceſſarium.* Eſt Scoti in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. *quantum ergo ad iſtum articulum* dicentis: *Sed quantùm ad circumciſionem* (intellige abrogandam) *diſtinguo quatuor tempora: pro primo erat neceſſaria, pro ſecundo utilis, non neceſſaria, pro tertio nec utilis, nec neceſſaria, tamen licita, pro quarto omnino illicita & mortifera.* Eſtque contra D. Hieronymum. 10

Obſerva hæc tempora Scotum exponere 11
ſic: primum tempus præceſſit tempus baptiſmi tam inſtituti, hoc eſt adhuc ſub conſilio poſiti, quàm promulgati, hoc eſt jam ſub præcepto dati; ſecundum tempus comitabatur tempus baptiſmi inſtituti, ſeu adhuc ſub conſilio poſiti, potuit enim tunc Judæus vel gentilis eligere vel circumcidi vel baptizari, quia circumciſio non fuit revocata adhuc quantùm ad utile, nec quantùm ad licitum, licèt non fuerit neceſſaria inſtituto jam baptiſmo; tertium tempus currebat cum tempore baptiſmi jam ſub præcepto obligantis. & quidem quoad Judæos usque ad illud tempus Pauli, ubi Act. 21. legitur de Paulo, qui aſcendit Jeroſolymam, & conſilio Jacobi poſt quartum Concilium Apoſtolorum purificatus eſt ſecundùm legem, ut pro ſe offerret ſacrificium, quamvis ſolemniter jam ante Evangelium fuerit promulgatum. Imo currebat adhuc ultro ut colligitur ex Act. Apoſt. & hoc tempore Judæus licitè fuiſſet circumciſus, nec tamen utiliter, nec neceſſariò. Quantùm autem ad gentiles currebat illud tempus baptiſmi jam præcepti ſimul cum quarto tempore circumciſionis ſaltem poſt 14. circiter annos à Chriſti paſſione, quando Paulus aſcendebat Jeroſolymam conſultum Seniores ſuper illa quæſtione Act. 15. de ſanguine, ſuffocato, idolothyto, & fornicatione, de quibus quatuor duo neceſſariò ſunt vitanda, nempe idolothytum cum idolorum cultu, & fornicatio, & ideo de his ſpecialiter fuit ſcribendum, quia de illis gentes minùs curabant. Duo autem reliqua, nempe ſanguis & ſuffocatum, in quo manet ſanguis, non erant neceſſariò in comeſtione vitanda, ſed benè erat congruum, ne gentes eſſent abominabiles à Judæis, per conſequens ſecundùm tempus baptiſmi nempe ſatis promulgati à principio ſui totaliter fecit circumciſionem illicitam quantùm ad gentes converſas. Judæis autem converſis circumciſio primò penitus illicita fuiſſe videtur circa annum trigeſimum à paſſione Chriſti, ut nempe Synagoga cum honore ſepeliatur & ceſſet. In Synopſi igitur loquendo, ponit Scotus pro baptiſmo duo tempora: primum usque ad promulgationem ſolemnem, ſecundum poſtea ſemper;

pro

pro circumciſione verò ſtatuit quatuor tempora: primum neceſſitatis uſque ad inſtitutionem baptiſmi. Secundum concomitentiæ ſeu utilitatis cum baptiſmo uſque ad Pentecoſten. Tertium liceitatis, quod currebat cum ſecundo tempore baptiſmi quoad Judæos pro aliquot annis nempe viginti vel triginta poſt paſſionem, ubi Paulus adhuc purificatus eſt Act. 21. quoad gentiles verò pro annis quatuordecim vel quindecim à paſſione Chriſti, ubi habitum fuit illud Concilium pro gentibus Act. 15. allegante Petro factum Cornelii, & Jacobo proferente ſententiam: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Quartum, quando circumciſio omnino eſt illicita & mortifera, hinc ſecundum tempus baptiſmi à principio ſui totaliter fecit circumciſionem illicitam quantùm ad gentes converſas, vel ſaltem poſt tempus tertii Concilii Act. 15. quantùm autem ad judæos converſos ſecundùm tempus baptiſmi nec à principio ſui, nec poſt Concilium illud tertium excluſit omninò circumciſionem tanquam illicitam, ſed multò poſt tempore licitè ſervabatur. D. Thomas verò 3. parte quæſt. 66. art. 2. ponit baptiſmum fuiſſe ſub Concilio uſque ad paſſionem Chriſti, & poſtea ſtatim ſub præcepto: circumciſionem verò uſque ad paſſionem neceſſariam fuiſſe, inde uſque ad Pentecoſten licitam ſed inutilem, à Pentecoſte autem mortiferam. Quod partim quæſt. priori, aſſert. 2. refutavimus: partim in hac aſſertione impugnabimus. Unde

Probatur: illud non poteſt cenſeri mortiferum, quod ab Apoſtolis repletis & illuſtratis Spiritu ſancto fuit uſurpatum; ſed etiam poſt legis novæ Pentecoſtalem evulgationem ipſimet Apoſtoli uſurparunt legis Moyſaicæ præcepta ceremonialis, quamvis ea ſervatu neceſſaria non judicaverint: ergo min. prob. Divus Paulus, qui ad Gal. 2. non eſt paſſus Titum gentilem circumcidi, ne veritati Evangelicæ præjudicaret, nihilominus Act. 6. Timotheum ex matre judæa & patre gentili natum circumcidit, & cap. 21. ſe ipſum purificavit cum judæis, ut illos ſibi conciliaret, imò omnes Apoſtoli in Concilio convenientes Act. 15. ſtatuerunt ut Chriſtiani abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, quæ abſtinentia erat ex ceremoniis legalibus, & hujus rei congruentiam dat D. Auguſt. quia ſicut ſolemus homines mortuos aliquamdiu ante ſepulturam ſervare, ut cum honore ſepulturæ tradantur, ita decuit legalia, quæ ut viva poſt Chriſti mortem ſervari non poterant, ut mortua uſque ad perfectam Evangelii divulgationem ſervare, ut cum honore mortua Mater Synagoga ſepeliretur, & ne homines exiſtimarent, ſi ſtatim rejecta fuiſſet, veterem legem fuiſſe abominabilem, ſicut cultum gentilem, quem nulla unquam hora voluerunt ſuſtinere Apoſtoli.

Reſpondet D. Hieronymus: nunquam Apoſtolos poſt reſurrectionem Chriſti legalia obſervâſſe ſecundùm veritatem, ſed ſolùm ex quadam pia ſimulatione ne ſcandalizarent judæos, & eorum converſionem impedirent.

Contra eſt: illæ ceremoniæ, cum fuiſſent mortiferæ, non potuiſſent licitè uſurpari ſimulatoriè ab Apoſtolis, quia eſt contra fidei profeſſionem adhibere cultum ſuperſtitioſum, aut profiteri aliam falſam religionem, cujuſmodi eſſet religio judæorum quoad illos cultus, ſi jam erant mortiferi & ſuperſtitioſi, & ita ſi licuiſſet Apoſtolis uti ſimulatoriè cultu ſuperſtitioſo judæorum, ſimiliter & licuiſſet uti ſimulatoriè cultu ſuperſtitioſo gentilium, ut faciliùs lucrarentur, imò & nunc liceret uti ceremoniis judaicis ſimulatoriè, ut eos lucrifaceremus.

Objicies cum D. Hieronymo: ad Gal. 5. dicit D. Paulus: *ſi circumcidimini Chriſtus vobis nihil proderit*; unde Titum cum eſſet gentilis noluit circumcidere ad Gal. 2. ergo circumciſio oberat. 12

Reſpondeo cum D. Auguſtino Lib. de mendacio cap. 5. Chriſtum omnino non prodeſſe iis, qui circumcidebantur, exiſtimantes circumciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem vel juſtificationem, & ideo Titum merè gentilem noluit circumcidi, ne putarent judæi circumciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem; Timotheum autem voluit circumcidi, non quidem ex neceſſitate ſalutis, ſed ex conſuetudine ſolemnitatis, ut loquitur D. Auguſt. & ideo alii volunt, quòd ſolis judæis licuerit uſus legalium poſt novæ legis promulgationem.

Dices: ſi licitum erat poſt abrogationem veteris legis per aliquod tempus ſervare legalia, non potuiſſet rationabiliter D. Paulus ad Gal. 2. reprehendere D. Petrum, eò quòd illa uſurparet; ſed D. Paulus jure reprehendit Petrum, *quia*, ut ibi dicitur, *reprehenſibilis erat*: ergo.

Contra neg. ſequelam maj. nam D. Petrus jure fuit reprehenſus à Paulo ex libertate charitatis, non quòd ſimpliciter judaicâſſet, quod etiam D. Paulus fecerat; ſed quia nimis judaisâſſet cum aliquali ſcandalo gentilium, ſcilicet ſuo exemplo eos inducens ad ceremonias legales velut neceſſariò obſervandas, inducens etiam in eandem exiſtimationem ipſos judæos, in quo igitur facto Petrum peccâſſe venialiter cum S. Auguſtino docet Scotus cit. quamvis Suarez lib. 9. docet in Petro tantùm fuiſſe defectum majoris boni. Dixi ex libertate charitatis, nam inferior poteſt Superiorem reprehendere libertate charitatis, non verò authoritatis; interim tamen diſpar fuit Petri & Pauli obſervatio legalium, quia Paulus hæc omnia præſtitit compatientis affectu, ne ſcilicet judæis aut gentibus foret in ſcandalum, Petrus verò non ita, ſed id præſtitit, ut ſimularet ſe cum judæis zelare legis veteris obſervantiam, ut dicit S. Auguſt. adeóque Pe-

trus

trus non peccavit in hoc, quòd ad tempus legalia obſervaret, quia hoc ei licebat tanquam ex judæia converſo, ſed peccabat in hoc, quòd circa legalium obſervantiam adhiberet nimiam diligentiam ne ſcandalizaret judæos, ita ut ex hoc ſequeretur ſcandalum gentilium; Paulus autem adhibebat moderatam diligentiam, quia tantùm oſurpabat legalia, ut non videatur damnare Synagogam, ut eam cum honore ſepeliret; præterea peccatum Petri, ſi quod fuit, non fuit peccatum doctrinæ, ſed ſolùm veniale converſionis vitium, ut explicat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem.

Dices: obſervantia legalium in morte Chriſti conſummata habuit rationem mendacii, cum fuerint conſummata myſteria, quæ per ceremonias figurabantur: ergo erat illicita.

Contra neg. antec. quia poterant legalia obſervari abſque ſignificatione præfigurativa, ſed potiùs tanquam ſignificativa Chriſti & myſteriorum ejus abſolutè, quæ tunc partim præterita, partim præſentia, partim durante ſtatu Eccleſiæ futura, vel perſeveratura erant, imò cùm ante adventum Chriſti ſignificarent eum futurum, adhuc tamen Chriſto nato poterant & debebant exerceri, etſi non ampliùs tanquam ſigna venturi. Denique hoc argumentum potiùs urgeret D. Hieronymum, qui magìs videtur favere mendacio pernicioſo, dum ait Apoſtolos id ſimulatoriè exercuiſſe, cum id jam ſit falſum & mortiferum.

Dices: ex eadem ratione ſequeretur adhue de facto eſſe licitum exercere ritum judaicum, quod tamen modo eſt contra fidem: ergo.

Contra neg. ſequelam, nam teſtantur Acta Apoſtolorum uſum legalium fuiſſe permiſſum gratiâ Evangelii, nedum ſatis divulgati ob congruentias prius poſitas, quibus ceſſantibus omninò nunc fides docet eorum uſum eſſe illicitum, quod modò Eccleſia ex divino inſtinctu declarat & tradit, determinatio autem temporis, quo lex vetus primò cœpit eſſe mortifera eſt incerta, probabiliter autem plerique Theologi docent illam legem cœpiſſe eſſe mortiferem trigeſimo vel quadrageſimo circiter anno poſt Chriſti mortem, poſtquam Evangelium ſufficienter jam toto orbe judæis promulgatum fuit per Apoſtolos, templúmque Jeroſolymitanum una cum ſtatu Reipublicæ judaicæ à Romanis Imperatoribus everſum, tunc enim non ampliùs erat neceſſarium deferre honorem Synagogæ jam exſtinctæ, nec opus erat condeſcendere judæis tam diu Dei vocationi rebellibus. Cæterùm aliud eſt præcepta antiquæ legis eſſe mortua, aliud ea eſſe mortifera, nam mortua ex eo dicuntur, quòd careant efficacia obligandi ad ſui obſervantiam, mortifera verò dicuntur, quòd ſine gravi peccato obſervari non poſſint, ideóque ſuis obſervatoribus mortem inferrent.

DISTINCTIO IV.

De Lege humana, ejúsque obligatione, & ceſſatione.

QUÆSTIO I.

An Legislator ſummus Pontifex ſit ſuprà Concilium generale, & an poſſit ferre leges Civiles?

ADvertendum eſt 1. Legem humanam, quæ eſt ordinatio pro bono communi ab habente legitimam poteſtatem, dividi poſſe primò in generalem & particularem, illa eſt, quæ fertur à ſummo Principe ut à ſummo Pontifice, Imperatore, vel Rege, particularis, quæ fertur ab inferiori & ſubalterno Prælato, dividitur ultra in præceptivam & pœnalem, præceptiva eſt, quâ aliquid abſolutè præcipitur vel prohibetur, ut præceptum de audiendo ſacro in diebus feſtivis, pœnalis eſt, quâ pœna vel mulcta imponitur, v. g. ſi lex dicat, qui frumentum è Provincie evexerit, ſolvat viginti florenos, ſi verò pœna eſt capitalis ſpecialiter Sanctio nominatur. L. 41. ff. *de pœnis*. Lex autem pœnalis rurſus dividitur in purè pœnalem & mixtam, prima eſt, per quam ſub conditione alicujus actus poſiti directè pœna injungitur, ut ſi lex dicat, qui frumentum è Provincia evexerit, ſolvat viginti florenos, mixta eſt, quæ ſimul actum prohibet & pœnam taxat, & iterum dividitur in copulativè & disjunctivè mixtam, prima eſt, ſi actui prohibito ſine disjunctione pœna imponitur v. g. frumentum non evehatur ſub pœna viginti florenorum, altera eſt, ſi ſub disjunctione aut actus prohibetur, aut pœna imponitur v. g. aut frumentum non evehatur, aut viginti floreni perdantur. Præterea lex dividitur in favorabilem & odioſam, prima eſt, quæ principaliter fertur in alicujus favorem, licèt in alterius odium vergat, odioſa eſt, quia principaliter fertur in alicujus odium vel pœnam, licèt etiam in alterius cedat favorem, de quibus regula Juris in 6. dicit, quòd leges favorebiles amplam, & odioſæ ſtrictam patiantur interpretationem.

Advert. eſt 2. Cum genus humanum non 2
ſolum indigeat directione in ordine ad bonum honeſtum contentum intra limites rationis naturalis, vel ad extremam & temporalem felicitatem, ſed etiam ad bonum honeſtum ordinis ſupernaturalis ad ſpiritualem animæ ſalutem & æternam felicitatem conſequendam, ideo lex & ejus poteſtas legislative præcipuè dividitur in Eccleſiaſticam & politicam ſeu civilem, quarum hæc temporalem illa ſpiritualem ſubditorum felicitatem primariò intendit; utrarumque autem poteſtas legislativa eſt ſpecies juriſdictionis, quæ eſt facultas alicujus habentis publicam poteſtatem & emi-

nentiam

nentiam ſupra alios ad eorum gubernationem: unde lages condere, ac in iis diſpenſare ſunt actus juriſdictionis, quæ primò dividitur in ordinariam & delegatam, ordinarius autem judex eſt, qui ex officio exercet juriſdictionem, delegatus verò, qui illam non ex officio, ſed ſolùm ex commiſſione ſibi facta exercet; & ultra dividitur in contentioſam & voluntariam, ad primam pertinet leges condere, præcipere & punire, ad ſecundam verò legitimare, diſpenſare, beneficium conferre, Sacramenta adminiſtrare &c. Contentioſa extra proprium territorium exerceri non poteſt ſine conſenſu tacito vel expreſſo ordinarii Judicis; voluntarie verò validè & plerumque licitè exercetur v. g. abſolvendo à peccatis, diſpenſando cum ſubditis, & aſſiſtendo eorum matrimoniis juxte Layman; ad vitandum tamen ſcandalum & contentiones non debet in aliena diœceſi benedictio nuptiarum vel ordinatio aut confirmatio exerceri ſine licentia ordinarii, ut tenet Sanchez Lib. 3. de Matrim. juriſdictio tandem debet eſſe apud abſolutum principem vel apud perfectam communitatem, unde cum communitas Mechanicorum v. g. Sartorum deficiat à perfacta communitate, ite deficit in perfecta juriſdictione ad leges condendas, interim tamen ejusmodi membra poſſont obligari ad ſervandas juſtas ordinationes & pœnas quaſi contentionales, & hoc ex vi pacti mutui aut juramenti præſtiti.

3 Advertendum eſt 3. Concilium generale nil aliud eſſe quàm Congregationem Cardinalium, aliorúmque Epiſcoporum, & Præſulum Eccleſiaſticorum ex diverſis Provinciis juſſu & authoritate Romani Pontificis convocatorum, quaſi ipſam totam Eccleſiam præſantantium, & inde colligitur etiam alia Concilia poſſe dari, nempe Concilium Nationale, quod ſub uno Patriarcha vel Primate ex Archi-Epiſcopis & Epiſcopis integræ nationis congregatur pro ſola & tota natione, præterea Concilium Provinciale ſeu Metropolitanum, qood ſub Archi-Epiſcopo ſeu Metropolitano ex Epiſcopis ſuffraganeis congregatur pro ſola & tota provincia, rurſus Concilium Diœceſanum, quod ſub uno Epiſcopo ſeu ordinario ax Prælatis, Paſtoribus, & Rectoribus Eccleſiarum congregatur pru tota & ſola diœceſi; hæc ergo Concilie valde ſunt proficua pro ferendis perfectis legibus, ita ut etiam ſpecialirer ſtatutùm ſit Can. 1. *nullus Primas*. 9. q. 3. ne quis Primas vel Metropolita leges ferat pro tota natione aut provincia, niſi in nationali aut provinciali Concilio de conſenſu ſuorum Provincialium. Intarim tamen Capitulum Cathedrale ſede vacante eandem habet poteſtatem ferendi leges, quam habet illius Eccleſiæ Epiſcopus, quæ tamdiu obligant, donec à Summo Pontifice vel ſucceſſore revocantur, quia Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo in omni juriſdictione tam voluntaria quàm contentioſa exceptis caſibus in jure prohibitis ut habetur Cap. *unicum*. de M. & O. in 6.

4 Advertendum eſt 4. De eminentia Pontificia ſupra Concilium Generale & Pontificis infallibilitate independente à Concilio doctrinam eſſe antiquiſſimam in Scriptura, Traditione & SS. PP. agnitione fundatam, ut hiſtorias perluſtranti parere poterit. Aſt poſt Concilium Conſtantienſe, quod fuit contra graviſſimum ſchiſma fermè quadraginta annis durans, in quo octo interea Pontifices fuerunt electi incipiendo à Gregorio XI. uſque ad Martinum V. qui ambo fuerunt indubitati Pontificea, maximè verò contra ſchiſma trium ultimorum Pontificum nempe Joannis XXIII. Benedicti XIII. & Gregorii XII. nuncupatorum anno 1414. in quintum annum durans congregatum, in quo Concilium ſuam ſingularem authoritatem ſede vacante oſtendit, & multa ad orthodoxam fidem ſpectantia ordinavit, quæ tamen omnia Martinus V. legitimè pro tunc electus Pontifex confirmavit; poſt hoc inquam Concilium aliqui in Galliis elevare conati ſunt Concilium Generale ſopra Pontificem, quibus præivit multùm laudatus ille Eccleſiæ Gallicanæ Cancellarius Joannes Gerſon, qui & Concilio Conſtantianſi intererat, ejúsque definitiones & Decrete ordinaverat, ſimúlque Tractatum de auferibilitate Pontificis ab Eccleſia, item de poteſtate Eccleſiaſtice ediderat. Nunc verò noſtræ memoriæ tempore Clerus Gallicanus ſub Ludovico XIV. tunc videlicet, cum inter Galliæ Coronam & Summum Pontificem Innocentium XI. ratione extenſionis Regaliæ contentiones fervérent, id luculentiori emphaſi protruſit; Clerus igitur Gallicanus Pontificem in partibus ſenſibilioribus, quarum præcipua infallibilitas in decidendis fidei dogmatibus, & præeminentia ſupra Concilium videbatur, aggreſſus eſt, ac in quodam Conventu anno 1682. derelicta veteri etiam propriarum Eccleſiarum traditione ſic ſtatuit: *in fidei quoque Quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes ejúsque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere: nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* En ſpecioſum verbale Pontificis encomium, & reale ejusdem eminentiæ ſubvertimentum! quomodo enim præcipuas in quæſtionibus fidei habere poterit partes, ſi judicium ejus ab Eccleſia reformabile ſit? quæ utique cauſa magis præcipua foret: ubi tamen prædeceſſores Galliæ non obſtante illa particulari Gerſonis doctrina longè ab hac opinione abfuerunt, dum adhuc anno 1626. in aliquo ſcripto ad omnes regni Epiſcopos directo efficaciſſimè ſtatuerunt: *hortamur igitur Epiſcopos omnes, ut ſacram Apoſtolicam Sedem Romanámque Eccleſiam utpote in DEI ſponſione infallibili, & Apoſtolorum ac Martyrum ſanguine fundatam, omniúmque Eccleſiarum Matrem omni honore cultúque proſequantur - - - Sanctiſſi-*

ctiſſimum quoque Patrem & Pontificem noſtrum - - - is enim ſucceſſor eſt Petri - - - ſuper quem Chriſtus JESUS Eccleſiam ſuam fundavit, quando illi claves Regni Cœlorum atque infallibilitatis donum in cauſis fidei reliquit. - - - hac verò at nihil detrimenti capiat Epiſcoporum munus erit, curabúntque illorum improbitatem coërceri, qui obſequii omnis legúmque impatientes ſacram hanc tot divinis humaniſque legibus ſancitam firmatámque Authoritatem in dubium revocare caſſámque reddere attentant & conantur. Ecce quomodo infra tam paucum temporis Clerus Gallicanus ab ipſa ſuorum prædeceſſorum ſinceritate & veritate deflexerat, quod non vulgari exemplo recentiſſimè in obſiſtentiâ Bullæ Pontificiæ *Unigenitus* fermè 14. annis protractâ comprobârunt.

5 Advertendum eſt. 5. Occaſione præcedentium narratorum factum fuiſſe ut ex mandato Regis Galliæ dato 23. Martij Anno 1682. per totum regnum in omnibus Univerſitatibus quatuor propoſitiones authoritatem Pontificis aliquo modo conſtringentes doceri debeant, & à quolibet ad Doctoratûs gradum promovendo publicè defendi. Quarum propoſitionum

I. *Pontifici & Eccleſia jus omne in temporalia Regum, tum directum, tum indirectum omnino abrogat.*

II. *Papam infra Concilium Generale*, diſſertè ponit, *ejuſque infallibilitatem mirè dubiam* facit.

III. *Exercitium poteſtatis Pontificia limitandum & juxta Canones reſtringendum, ita, ut Papa nihil facere valeat in prajudicium antiquarum conſuetudinum ac libertatum Eccleſia Gallicana*, definit.

IV. *Quod in rebus quidem fidei Papa pracipuam authoritatem habeat, nihilominus ejus deciſiones ſine conſenſu Eccleſia certa & infallibiles non ſint*, decernit.

Hæc ita doceri, & defendi Rex præcepit per ſcholas univerſi Regni poſtquam Clerus Gallicanus acceptis ab Innocentio XI. monitis in Comitiis anno 1682. congregatus Pontifici reſpondit, ſe Regaliæ jus nec poſſe Regi ſuo eripere, nec velle. Alii adhuc alias addunt propoſitiones, ſeu potiùs ex adductis èruunt, quas Sorboniſtæ propugnare obligantur, ut, *quòd Pontifex non poſſit excommunicare Reges.* Item *quòd Pontifex non poſſit ſubditos juramento ſolvere.* &c.

6 Propoſitio 1. *Poteſtas legiſlativa pro tota Eccleſia eſt Romano Pontifici immediatè à Chriſto collata.* Ratio eſt, quia Chriſti in terris Vicarius habet ſupremam poteſtatem gubernativam ac juriſdictionem per conſequens legiſlativam in Eccleſia Chriſti, & quidem jure divino ſeu immediatè à Chriſto, quod ex duplici loco Evangelii eruitur, uno, quô Chriſtus poteſtatem gubernativam Petro promiſit Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum* &c. in altero, quo eandem tradidit Joann. 21. *Paſce oves meas.* Quo verbo paſcendi ſupremum Eccleſiæ regimen & cura paſtoralis deſignatur, ut indicatur 2. Reg. 5. *Tu paſces populum meum Iſraël, & eris princeps ſuper eum: ergo.* De his vide plura Tom. II. Tract. 4. D. 11. q. 3. item D. 12. q. 3.

Nec dicas: Electio ad Papatum fit ab hominibus: ergo etiam poteſtas & authoritas legiſlativa ei traditur ab hominibus.

Reſpondeo neg. conſeq. quia cum legitima ſucceſſio non fiat jure ſanguinis aut modo hæreditario ſed viâ electivæ deſignationis, ideo electores deſignant quidem perſonam, quæ Petro ſuccedat, non tamen tribuunt ei juriſdictionem, quam ipſimet nunquam habuerunt, ſed poſita hac deſignatione tanquam neceſſaria conditione poteſtas juriſdictionis ſupremæ immediatè confertur à Chriſto.

Propoſitio 2. *Epiſcopi habent poteſtatem legiſlativam pro ſuis diæceſibus non quidem immediate ſed mediate à Chriſto.* Ratio primi eſt, quia in tantùm Epiſcopi habent poteſtatem condendi leges, in quantùm ſunt paſtores & rectores Eccleſiæ; ſed ſunt rectores Eccleſiæ non quidem univerſalis, ſed quivis ſuæ particularis diœceſanæ juxta illud Pauli Act. 20. *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam.* Ergo. Ratio ſecundi eſt, quia ſic magis conſulitur hierarchiæ & unioni Eccleſiæ; unde & Chriſtus ſoli Petro dixit: *Tibi dabo claves*, ut oſtenderetur poteſtas clavium per eum ad alios derivando ad conſervandam Eccleſiæ unitatem data. 7

Nec dicas: Munus Epiſcopale etiam eſt juris divini juxta illud Apoſtoli: *deſcendit ſupra vos Spiritus Sanctus*, & æquè Epiſcopi ſuccedunt aliis Apoſtolis ſicut Romanus Pontifex Petro: ergo pariter habent ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto.

Reſpondeo diſting. primam partem antec. eſt juris divini quoad poteſtatem ordinis Conc. quoad poteſtatem juriſdictionis neg. vel aliter, eſt juris divini radicaliter & in genere, quatenus eſt divinum præceptum, ut inſtituantur Paſtores etiam particularium Eccleſiarum Conc. eſt formaliter & in particulari, quatenus alicui confertur poteſtas in determinatam partem populi neg. antec. ſecundam partem pariter diſting. ſuccedunt aliis Apoſtolis in Epiſcopatu Conc. in Apoſtolatu neg. antec. nam licèt etiam Apoſtoli ſuam ordinariam poteſtatem Epiſcopalem habuerint ſubordinatam poteſtati Divi Petri, extraordinariam tamen & Apoſtolicam hoc eſt miſſionalem habuerunt immediatè etiam à Chriſto.

Dices: Matth. 18. Chriſtus Apoſtolis & ejus ſucceſſoribus promiſit: *quacunque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlis* &c. ergo hanc poteſtatem habent immediatè à Chriſto.

Contra neg. conſeq. quia illa verba Matth. explicari poſſunt juxta priorem diſtinctionem; vel dici poteſt, poteſtatem ligandi in ſucceſſore Petri eſſe principaliter, in cæteris verò Eccleſiæ paſtoribus participativè.

8 Propoſitio 3. *Poteſtatem legislativam etiam obtinent alii Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.* Ratio eſt, quia juriſdictio Epiſcopalis in ipſos juxta jus Canonicum transfertur, & ipſi ſunt veri ordinarii ſuarum Eccleſiarum; hinc Legati, & Nuntii Apoſtolici poſſunt leges ferre pro tota illa provincia, ad quam mittuntur, cùm habeant juriſdictionem ordinariam juxta Cap. ult. de Offic. Legat. probabiliter etiam Generales Ordinum pro toto ſuo Ordine unà cum capitulo generali; imo etiam Abbates pro ſuis Abbatiis; cùm etiam Prælati Eccleſiæ in Sacris Canonibus nominentur ut Cap. *decernimus.* de judiciis: ergo.

Nec dicas: ergo etiam Abbatiſſæ haberent poteſtatem legislativam, cùm ſuarum ſubditarum ſint veræ ordinariæ Prælatæ & Superioriſſæ.

Reſpondeo neg. illatum, nam fœminæ juriſdictionis ſpiritualis & Eccleſiaſticæ jure ordinario ſunt incapaces; ideo nec poſſunt imponere præcepta ſpiritualia, ſed ſolùm civilia tanquam Matres familiæ œconomicam poteſtatem habentes, Abbates verò habent juriſdictionem ſpiritualem & ordinariam in ſuos Religioſos, uti habetur cit. Cap. *decernimus.*

9 Propoſitio 4. *Sancto Sylveſtro Romano Pontifici facta donatio Provinciarum & civitatum à Conſtantino Romano Imperatore de jure valida eſt.* Ratio eſt, quia plus quàm certum eſt, lege Regia populum Romanum omnem ſuam poteſtatem & imperium in Imperatorem tranſtuliſſe, adeóque eum imperii ſui verum Dominum eſſe; ſed quilibet Dominus agere poteſt cum ſuis rebus, quod ipſi libet; cùm quilibet rei ſuæ ſit moderator & arbiter, non tantùm utendo, ſed etiam abutendo: ergo Imperator tales Provincias à regno ſuo alienare & donare jure potuit. Hoc idem ſupponit Scotus de privilegio fori in 4. diſt. 13. §. *ad Quæſtionem.* dicens: *illud privilegium videtur conceſſum ab Imperatore Conſtantino, ordo non.* Quamvis alii dicant, quòd ſtatus Eccleſiaſticus illud antea habebat, ſed alii Imperatores abſtulerant & Conſtantinus reſtituit. De hoc autem privilegio fori, an maneat in degradato vel ſpoliatur eò, dicit Scotus eſt quid *brocardicum juriſtis*, id eſt vexatorium juriſtas, quia ſi Papa exuit aliquem privilegio Eccleſiaſtico commendans eum curiæ ſæculari, judex ſæcularis eſt miniſter, vel executor judicis Eccleſiaſtici; nullus autem alius à judice Eccleſiaſtico poteſt eum committere judici ſæculari: ergo non eſt poſſibile, quòd ſpolietur privilegio, quia dum manet privilegium, poteſt aliquis ſæcularis in eum eſſe miniſter judicis Eccleſiaſtici. De hoc plura in Tract. 11. de Jure & Juſt. D. 6. q. 3. Aſſert. 1. de immunit. Eccleſ.

Nec dicas: Imperator nominatur *Auguſtus* ab *augendo* regno, adeóque non poteſt illud minuere; ideo etiam alienatio facta in præjudicium regni non valet, licèt Rex juraverit ſe eam non revocaturum, uti habetur Cap. *intellecto* 33. X. de *jure jurando*: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. nam licèt ly *Auguſtus* deſcendat ab *augendo*, ad hoc tamen ſufficit Imperatorem habere propoſitum, quòd imperium ſuum velit augere, etſi hoc non ſemper in effectum deducat; imo juxta aliquos ly *Auguſtus* deſumitur ab *augurio*, eò quòd Imperator quaſi bonis auguriis ſit conſecratus. Illud autem Capitulum Juris diſting. alienatio talis non valet, ſi facta ſit ad piam cauſam, quæ ſemper cedit in bonum regni neg. ſi facta ſit non ad cauſam piam, ſed contra Regiæ honorem conc. imo negari poteſt ſuppoſitum, quòd illa donatio ſit in præjudicium Imperii, quia tunc temporis imperium non ſolùm erat Monarchicum quoad ſtatum, ut hodie, ſed etiam quoad adminiſtrationem, in re autem ſua quilibet eſt moderator & arbiter L. 21. Cod. *mandati.* nec ſubditis alienatis factum eſt præjudicium, quia non alienavit dominium privatum, ſed altum. His propoſitis:

Aſſero 1. ad Quæſtionem: *Romanus Pontifex ita eſt ſupra Concilium generale, ut etiam volens non poſſit ſe illi ſubmittere.* 10
Deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 19. quæſt. un. de Pontifice dicente: *Oportet, quod hoc ſit præceptum illius, cui tenetur obedire quilibet Chriſtianus.* Eſtque Barboſæ, Zoeſii & aliorum de jure Eccleſiaſtico.

Probatur 1. pars. Tum quia prima ſedes à nemine venit judicanda. Can. *Aliorum.* 9. quæſt. 3. ſed Romanus Pontifex eſt prima ſedes: ergo eſt ſupra Concilium. min. patet, quia à Pontifice non appellatur ad Pontificem Superiorem Can. *cuncta per mundum.* 9. quæſt. 3. ſed potiùs à Concilio Generali ad ſummum Pontificem appellatur. Can. *ipſi ſunt.* 9. quæſt. 3. quapropter Pontifex ſæpius mutavit, quæ à Concilio Generali fuerunt ſtatuta, ut habetur de reſcriptis in 6. imo Pontifex eſt Caput Eccleſiæ & Paſtor univerſalis Can. *præceptis.* diſt. 12. ſed ſupra membra eſt Caput, & ſupra oves Paſtor; nam languente capite cætera membra languent. Tum quia, quod tribuit formam & robur, ſuperius eſt iſto, cui tribuit formam & robur; ſed ſic eſt cum Romano Pontifice reſpectu Concilii Generalis, qui illud confirmat Can. *multis.* diſt. 17. unde in illa diſtinctione Pelagius Papa II. inquit ad Epiſcopos (qui vocati ſunt à Joanne Conſtantinopolitano Patriarcha ad Concilium univerſale) *multis Apoſtolicis & Canonicis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari, quapropter, ut jam dictum eſt, rectè non Concilium, ſed veſtrum conventiculum*

culum vel conciliabulum caſſatur; & quidquid in eo actum eſt, irritum habetur. Tum quia Chriſtus dixit Petro ut Pontifici, quòd ille ſit coofirmaturus fratres ſuos in fide juxta illud Luc. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et non legitur promiſſio, ut fratres confirment Petrum: ergo. Plura de his vide in Tom. II. Tract. de fide diſt. 11. quæſt. 3. Item diſt. 12. quæſt. 3. & diſt. 13. quæſt. un.

11 Probatur 2. pars: Tum quia quod Deus dedit tollere nemo poteſt; ſed supereminentiam Deus ſoli Romano Pontifici dedit Can. 1. diſt. 22. ergo nemo hominum conſequenter nec ipſe Pontifex, etiamſi vellet, tollere poteſt. Tum quia Clerici etiam conſentientes non poſſunt ſe jorisdictioni civili ſubmittere cap. *ſignificaſti.* X de ſoro competenti, pariter nec Epiſcopi alieni ex proprii Epiſcopi licentia jurisdictionem in hujus territorio peragere valent hæc omnia prohibente jure divino Can. *ſi Imperator.* Diſt. 96. ergo etiam Pontiſex non poteſt ſpontè ſe ſubjicere, etiamſi velit, ideo Can. *mandaſti.* 2. q. 5. Sixtus III. criminatus à quodam & injuſtè perſecutus Concilio congregato ſe ſponte ſubjecit, & tamen à Concilio tanquam inferiore judicari non potuit Can. *nunc autem.* Diſt. 21.

12 Ex his duabus probia elucet, quàm derogatoriam poteſtati Pontificiæ ejúsque Superioritati Quesnelli calamoa exaraverit propoſitionem, inter illas 101. à Clemente XI. Conſtitutione *Unigenitus* juſtè proſcriptas, quarum 90. hujus erat tenoris: *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis.* Cujus paſſionis ſunt etiam quatuor alæ prædictam immediatè ſequentes, quarum fuſam refutationem dedimus io noſtria *Nubilis Janſenismi*, ad hoc ſpecialiter editia, ad quæ lectorem remitto. Interim verò pro fine finali diu actitatæ Gallorum reſiſtentiæ circa illas propoſitiones & acceptationem Conſtitutionis *Unigenitus*, hoc annotatum volo, nimirum, Conſtitutionem illam 101. Quesnelli articulos proſcribentem jam anno 1713. emanâſſe, méque ibidem damnatas propoſitiones in ſcholia ooſtris etiam jam anno 1715. refutâſſe, ad typum autem ante annum 1726. pervenire non potuiſſe ob varios tum politicos, tum domeſticos fines, dum præſertim ex recuſatione illius Conſtitutiooia Pontificiæ à Cardinali Noallio Cleri Gallicani Primate, quæ usque in annum 1728. perduravit, oppoſitâ, ſperabatur fore, ut Conſtitutio illa limitatione quadam non ſperanda coarctaretur. Aſt tandem felici hoc pro Eccleſia Catholica anno 1728. Eminentiſſimus ille Noallius pro juſtiſſima veritatis agnitione, & ſuæ Chriſtianiſſimæ pietatis conteſtatione finem ab omnibus Chriſtianis tam ardenter exoptatum tergiverſationi Gallorum impoſuit, & Romanam Eccleſiam in tranquillum, uti neceſſum fuit, repoſuit, qui pro ſinceritate ſuæ fidei Romano-Catholicæ, & pietate veræ filiationis in antiquiſſimam & univerſalem legitimorum Chriſti fidelium matrem, in ædificationem & gaudium univerſi populi Chriſtiani ſequens edidit Decretum Anno 1728. die 11. Octobris.

DECRETUM

Eminentiſſimi Domini Domini Cardinalis de Noailles, Archi-Epiſcopi Pariſienſis.

Pro acceptanda & publicanda Conſtitutione SS. D. N. Papæ Clementis XI. data 8. Septemb. 1713. & damnationem complurium Propoſitionum continente &c.

LUdovicus Antonius de Noailles, ex permiſſione divina S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tit. S. Mariæ ſuper Minervam, Archi-Epiſcopus Pariſienſis, Dux S. Claudii, Par Franciæ, Commendator Ord. S. Spiritûs, Proviſor Sorbonæ, & Superior domûs Navarræ: Omnibus fidelibus noſtræ Diœceſis ſalutem & benedictionem. 13

Gratia & pax D. N. JEſu Chriſti ſint vobiſcum.

Quo viciniores indies ſumus nocti illi, in qua nemo amplius poterit operari, eo magis ſentimus augeri dolorem continuum, qui affligit cor noſtrum ex conſideratione triſtium diſſenſionum, quæ adhuc perdurant in iſta Diœceſi propter Conſtitutionem *Unigenitus*.

Quid enim plus amaritudinis & doloris afferre nobis poſſit, quàm videre perpetua diverſorum ſtudia ad excitandas ſuſpiciones de ſinceritate profundi reſpectûs noſtri erga Sanctam Romanam Sedem, atque de candore filialis noſtri affectus erga ipſum Summum Pontificem, qui in eadem tanta cum dignitate præſidet? Quaſi cauſa adhuc ſubeſſet dubitandi de noſtra unione cum Collegis noſtris in Epiſcopatu; & quod neglecta intentione, ipſóque charactere noſtro, uſurpetur nomen noſtrum pro nomine partialitatis ac diſſenſionis.

Ad os igitur obdurandum, rumores veritati adeò contrarios ſpergentibus, ardenter deſideramus in lucem publicam protrahere animi noſtri ſenſa, quæ cordi etiam noſtro inſculpta manent; & ſi fortè nimis diu diſtulimus ſequi inclinationem noſtram, id factum unicè fuit ex ſpe, mentes etiam duriſſimas

illas reducendi per viam charitatis indulgentiâ plenæ, antequam uteremur authoritate noſtra.

13 Verùm indulgentiæ huic meta jam figenda eſt; atque ætas noſtra quotidie per ipſum defectum virium noſtrarum nos admonet, quod brevi à nobis Deo reddenda ſit ratio de adminiſtrato tam diu & laboribus pleno Epiſcopatu ea inſuper juſto nos metu percellit, ne ingruente ſubitò morte præveniamur, antequam dediſſemus argumenta certa & irrefragabilia obedientiæ noſtræ erga S. Romanæ Sedis Decreta, atque conformitatis ſententiæ noſtræ cum ſententiis Epiſcoporum Galliæ, & totius Eccleſiæ in acceptatione Bullæ *Unigenitus*.

Nos quidem non minus parati erimus, Chariſſimi Fratres mei, ad diſſipanda dubia & ſcrupulos aliquorum inter vosmetipſos, qui adhuc opus habent majori lumine in materiâ tanti momenti; nunc tamen nobis ſufficit, illos inſtruere exemplo, ex quo Eorundem profectum optamus, ut ita perfruamur ſolatio placidè moriendi in medio gregis perfectè uniti cum ſuo Paſtore, qui ſanè quàm maximè abeſt à Spiritu diſceptandi & contendendi, quique ipſe non quærit veritatem & pacem, niſi per ſubmiſſionem altiori Authoritati exhibitam.

Audite igitur, Fratres mei chariſſimi, vocem Patris, qui fortè extremùm jam vos alloquitur, quique pauculos dies, quibus eidem vobiscum vivere licebit, melius impendere non poteſt, quàm procurando vobis bonum illud omnium bonorum maximum, pacem nimirum, quam reliquit JEſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tanquam pretioſiſſimam hæreditatis ſuæ portionem.

Quapropter plenè conſideratis omnibus, & ſacroſancto Dei nomine invocato, acceptamus eum ſinceriſſimo reſpectu & ſubmiſſione Conſtitutionem *Unigenitus Dei filius*, datam octavo Septembris anno 1713.

Librum verò reflexionum Moralium æquè, ac centum & unam Propoſitiones, quæ ex libro illo extractæ ſunt, condemnamus eodem modo, ac cum iiſdem qualificationibus, quibus ſummus Pontifex Librum illum, ac Propoſitiones condemnavit.

Unde & omnibus fidelibus utriusque ſexûs in noſtra Diœceſi exiſtentibus teſtatum facimus, quod nullatenus liceat ſentire quidquam contrarium illi, quod definitum eſt in ſuprà memorata Conſtitutione *Unigenitus*. Pariter prohibemus omnibus, legere aut aſſervare prædictum Librum, ac omnes alios libros, vel inſtructiones manuſcriptas, aut impreſſas, quæ hactenus editæ ſunt, vel edi deinceps poſſent pro defenſione prædicti libri, ac damnatarum propoſitionum.

Mandamus præterea, ut hujusmodi exemplaria quàmprimùm perferantur ad noſtrum Secretariatum. Prohibemus pariter, docere, ſcribere, & loqui de ſuprà dictis propoſitionibus aliter, quàm in prædicta Conſtitutione decretum eſt; vel defendere, aut tueri aliquam ex condemnatis propoſitionibus; omnia ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis ipſo facto incurrendis, quæ latæ ſunt per dictam Conſtitutionem.

Declaramus etiam, nos animadverſuros eſſe per viam juris in illos, qui præſumpſerint loqui, docere, prædicare, aut ſcribere contra præfatam Conſtitutionem, ſive qui per falſas interpretationes averterint fideles ab obedientia illi debita, vel qui foverint diſceptationes, & diſſidia, nobis tam luctuoſa. Et ut plura adhuc ac majora demus documenta ſinceræ noſtræ erga Sanctam Sedem ſubmiſſionis, revocamus corde & animo tam Inſtructionem noſtram editam decimo quarto Januario 1726. quàm omne id, quod noſtro nomine publicatum, & contrarium eſt præſenti acceptationi; prohibentes ſimul omnibus & ſingulis, quocunque tempore exiſtentibus, omnem uſum & praxim eorum, quæ tenore hujus decreti revocamus, & quidem ſub iiſdem pœnis ſuprà memoratis.

Præcipimus denique, ut dicta Conſtitutio, & præſens noſtrum Decretum inſerantur actis Curiæ noſtræ Archi-Epiſcopalis; item publicentur, & affigantur ubicunque opus fuerit.

Datum Pariſiis die Lunæ
IX. Octobr. 1728.

(L. S.)

L. A. de Noailles Archi-Epiſcopus Paris.

Ex Mandato Eminentiſſimi

Chevalier.

Duravit igitur illa funeſta Janſeniana Eccleſiam Romanam exagitans factio 87. fermè annis; inceperat enim ſub Urbano VIII. anno 1641. & tandem ex integro ſublata eſt tempore Benedicti XIII. nunc anno 1728. feliciter regnantis.

Objicies 1. contra 1. partem. Eccleſia eſt corpus, cujus membra ſunt ſinguli fideles; ſed ſummus Pontifex eſt fidelis: ergo eſt membrum Eccleſiæ; ſed totum corpus eſt in dignitate majus quàm membra ſeorſim: ergo. 14

Reſpondeo diſting. min. Summus Pontifex eſt fidelis & æqualis cæteris fidelibus neg. eſt fidelis juriſdictione tamen à Chriſto immediatè qualificatus conc. min. ſic etiam caput humanum eſt quidem membrum & conſtituens corpus, & tamen eſt præſtantiſſimum,

quia majori virtute pollet, quàm alia membra, cum in eo ſit plenitudo ſenſuum.

Dices: Eccleſia univerſalis eſt mater omnium fidelium ad Gal. 4. ergo Pontifex eſt ejus filius, ſed inconveniens eſt dicere filium eſſe ſuprà matrem: ergo. Hinc D. Bernardus lib. 4. de conſideratione Eugenium Pontificem ita alloquitur: *Conſideres autem ſuper omnia Sanctam Romanam Eccleſiam, cui Dei authoritate præes, matrem eſſe non dominam, te non dominum Epiſcoporum, ſed unum ex Epiſcopis eſſe.*

Contra diſting. primum conſequens: ergo Pontifex eſt filius ſicut regeneratus ex baptiſmate conſideratur conc. eſt filius ſub ratione juriſdictionis & præeminentiæ neg. conſeq. nam tali modo Pontifex potiùs à D. Bernardo in Epiſt. ad Civitatem Viſanam vocatur honoratus & univerſitatis Pater, adeóque in priori loco D. Bernardus ſolùm voluit, Pontificem non eſſe Dominum Epiſcoporum, prout dominium eſt deſpoticum, quia Deus non inſtituit Pontificem ad elationem & ſuperbiam, ſed ad curam & miniſterium, voluit tamen eum eſſe Dominum, prout dominium dicit juriſdictionem & poteſtatem in ordine ad regimen ſpirituale directè, & ad temporale indirectè.

Dices: ipſemet Pontifex cap. *ſuper. de Hæret. in 6.* dicit: ſe de fratrum ſuorum Concilio reſpondere; ſed ſi eſſet ſupra Concilium non haberet opus fratres ſuos adhibere: ergo.

Contra diſting. min. non haberet opus fratres ſuos adhibere ex neceſſitate conc. non haberet opus ex decentia, honeſtate, & liberrima voluntate eos adhibere neg. min. & conſeq.

Dices: ſi Eccleſia univerſalis non eſſet ſupra Pontificem, non potuiſſet eum damnâſſe; ſed Eccleſia Pontificem Romanum Dioſcorum damnavit poſt mortem, uti habetur Can. *Romanorum.* c. 24. q. 2. ergo.

Contra neg. ſuppoſitum min. quia Dioſcorus non erat D. Petri Succeſſor ſed Patriarcha Conſtantinopolitanus, quia tamen Civitas Conſtantinopolitana nova Roma dicta erat L. 1. Cod. *de privilegiis urbis Conſtantinopolitana* Papa Romanus dictus fuit.

Dices: etiamſi Dioſcorus fuiſſet verus Romanus Pontifex Eccleſia in orbe univerſalis potuiſſet damnâſſe eum: ergo. antec. prob. ex Can. *legibus.* diſt. 11. q. 3. ubi dicitur: *ſi authoritas quæritur, Orbis major eſt Urbe:* ergo.

Contra neg. antec. ad ejus probam dico illum Canonem nihil probare, tum quia non eſt authenticus, ſed ſimpliciter ex D. Hieronymo relatus à Gratiano. Tum quia æquè Authoritas Pontificis Romani eſt authoritas Orbis & non ſolùm Urbis. Tum quia S. Hieronymus ibi non agit de authoritate juriſdictionis totius Orbis reſpectu Papæ, ſed ſolùm improbat conſuetudinem juxta quam Diaconi in urbe Romana ſolebant præferri Presbiteris, ne tractu temporis in conſequentiam trahatur.

Objicies 2. Ex Concilio Conſtantienſi; 15
hoc Concilium Seſſ. 4. & 5. clarè definit, quòd Concilia ſint ſupra Papam dicens: *Ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitimè generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatûs, vel dignitatis, etſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schiſmatis &c.* item, *quicunque cujuſcunque conditionis, ſtatûs, dignitatis etiam Papalis qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis hujus Sacræ Synodi & cujuſcunque alterius Concilii Generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis ſive ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur &c.* ergo hæreſis eſt, inferebat olim Cardinalis à Lotharingia ex Gerſone, quòd ſummi Pontifices ſint ſupra Concilium Œcumenicum, aut infallibiles.

Reſpondeo 1. Cum aliquibus: hanc Concilii definitionem non eſſe alicujus Concilii œcumenici, ſed tantummodò quorundam Epiſcoporum & Theologorum, qui Papæ Joanni XXIII. ſubjecti erant, prout ſentiunt Eugenius IV. & Cardinalis de Turrecremata Concilio Conſtantienſi contemporanei, qui ultimus ut ocularis teſtis refert Joannem XXIII. cum id percepiſſet, de eo quaſi de attentato adverſus Summorum Pontificum authoritatem, erroneâque doctrina, ipſo abſente, nec participante, in medium prolata, conqueſtum fuiſſe.

Reſpondeo 2. Cum aliis magis ad rem: definitionem illam Concilii Conſtantienſis non eſſe definitionem Generalem ad omnia ſe extendens Concilia œcumenica, ſed ſolùm eſſe quamdam definitionem particularem pro illo tempore tam diuturni Schiſmatis, quod & de Concilio Piſano immediatè antecedente illud Conſtantienſe dicendum eſt, Piſanum enim etiam duos ſimul exiſtentes Pontifices, nempe Benedictum XIII. & Gregorium XII. ſede dejecit, ut novus crearetur, qui fuit Alexander V. noſtri Ordinis per unum annum ſolùm regnans, ſed malum auxit, cum poſt illud Concilium locò duorum mortuo Alexandro V. & iterum alio electo nempe Joanne XXIII. tres reperti fuerunt Pontifices, qui univerſam Eccleſiam ſub ſua partiebantur obedientia, cui malo medebatur Concilium Conſtantienſe inducendo omnes tres Pontifices ad voluntariam abdicationem Pontificatûs in aliquo totius Eccleſiæ Conventu faciendam. Quare illæ adductæ definitiones non ſe extendunt ultra illius confuſionis & Schiſmatis tempora, prout citata verba Concilii Conſtantienſis non obſcurè indigitant, nimirum: *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem*

tionem dicti Schismatis &c. unde illa verba præcedentia *Dignitatis etſi Papalis* intelligenda ſunt de dignitate Papali ſolùm nominali & impropria, ſeu de Papa dubio, quatenus illo tempore Schismatis omnes tres Antipapæ voluerunt dici Papæ, non verò de Papali reali verâ & propriâ, cum pro illo tempore nullus fuerit verus Papa in facie Eccleſiæ. Quòd autem ita ſentiendum de Concilio Conſtantienſi, definitionem ſuam tantùm pro particulari illo caſu ſtatuente, variis argomentis evinco.

Primò: quia omnes profectò Canoniſtæ, omnésque Theologi, qui hujus ſchismatis tempora præceſſerant pro Superioritate Papæ ſupra Concilia ejúſque infallibilitate ſtatuerunt: ergo ſignum eſt, quòd tali antiquiſſimæ traditioni non voluerit præjudicare Concilium, cùm id rationabiliter intendere non potuerit, ſed ſolùm reſpexerit ad circumſtantiam ſchismatis efficaciter tollendi; per conſequens definitio illius ultrà limites ſuos non eſt extendenda.

Secundò: ſi definitio illa generalis & pro omnibus œcumenicis Conciliis fuiſſet, certum eſt, quòd vel Martinus V. noviter electus & illud Concilium confirmans hunc articulum non approbâſſet, vel in ipſo Concilio Bullam non edidiſſet, quæ probibet, ne à Papæ judiciis ad Concilium Generale appelletur, ridiculum certò eſſet ex una parte fateri, quòd Concilia Generalia ſint ſupremi Judices, illiſque ſummi Pontifices ſubjiciantur: ex altera verò contendere, quòd ad eadem à ſummorum Pontificum judiciis appellari non poſſit; quis enim affirmare poterit, quòd non liceat ab inferiori ad ſuperius tribunal appellare? prætereà quomodo fieri potuiſſet: ſi Concilium in rebus fidei haberet primas, quòd PP. Concilii ſine reclamatione paſſi fuiſſent talem contradictionem, nimirum illam Bullam Martini publicari? ergo ſignum eſt, quod PP. illi ſibi omninò perſuaſum habuerint, quemlibet legitimum Papam eſſe ſuper Concilia œcumenica, cum abſque ulla contradictione illius Bullæ publicationem acceptârint. Imò addidit Martinus varias reſtrictiones in confirmatione illius Concilii, quomodo autem, ſi Concilia eſſent ſupra Pontifices poſtulâſſent Concilii confirmationem à Papa, & præſertim ab eo tam variè reſtrictam?

Tertiò: ipſum Concilium Conſtantienſe eſt pro nobis, nam Seſſ. 8. damnatur ut hæreticus Joannes Wicleff ex eo, quòd inter alia dixerit prop. 37. --- *nec Papa eſt immediatus Vicarius Chriſti.* Sed hoc ſequitur, ſi non Papa ſupra Concilium, ſed Concilium ſupra Papam habeat authoritatem; nam tunc potiùs Concilium immediatus foret Chriſti Vicarius, & non Papa niſi mediatus: ergo, ne innovetur proſcripta hæreſis, Concilium Conſtantienſe nihil definit contra Superioritatem Pontificis ad Concilia. Quo eodem modo arguendum eſt ex illius Concilii Seſſ. 15. ubi damnantur errores Joannis Huſs, qui prop. 7. & 10, *Papam negavit eſſe Caput Eccleſia.*

Quartò: ſi definitio Concilii Conſtantienſis fuiſſet generalis, & non ad tempus ſchismatis reſtricta, cùm dictum Concilium ab univerſa Eccleſia ſit receptum, omnes Catholici illi deciſioni acquieviſſent, & Superioritatem & infallibilitatem Pontificis propugnantes fuiſſent declarati hæretici; aſt reperimus contrarium, ſtatim enim poſt illud Concilium Theologi illius temporis tueri continuârunt, prout omni tempore ſemper factum fuerat, quòd ſummi Pontifices ſint ſupra Concilia & infallibiles, ut patet in Cardinali Turrecremata & S. Antonino Florentino Archiepiſcopo parte 3. tit. 23. cap. 3. §. 3. dicente: *ſed nec ad Concilium Generale à Papa appellari poteſt; quia Papa omni Concilio ſuperior eſt --- ſentire ergo quòd ad Concilium à Papa appellari poſſit eſt hæreticum --- unde & Joann.* 10. *dicit Chriſtus: fiet unum ovile & unus paſtor; ſi licitum eſſet appellare à Papa, & ille, ad quem appellatur, eſſet caput, ſic Papa non eſſet caput, vel eſſent duo capita, quod eſt monſtroſum.* Per conſequens cùm Theologi ſtatim poſt Concilium Conſtantienſe Superioritatem & infallibilitatem Pontificis docentes non fuerint illico dejecti, nemini enim id in mentem venit, ſatis & abundè omnibus notum fuit Concilium tantùm de ſchismatis temporibus locutum fuiſſe. Quamvis doctrina Gerſonis & Cardinalis de Alliaco caliginem quamdam plurimorum Theologorum mentibus in Gallia offuderit; extra Galliam autem jam à longo tempore nullus reperitur Theologus, qui infallibilitatem ſummorum Pontificum eorúmque ſupra Concilia authoritatem non ſtrenuè propugnaret.

Dices: ut promiſſiones Chriſti de infallibilitate Pontificis ſalventur, ſufficit quòd Eccleſia non tota in errore verſetur, fidéſque in exigua etiam mundi parte conſervetur: ergo non debet propterea Papa eſſe ſuper Concilium Generale.

Contra neg. antec. nam talis doctrina unico ictu ſubverteret omnia, quæ olim magnus Auguſtinus pro Eccleſia adversùs Donatiſtas tanto cum fructu de ejus viſibilitate & dilatatione propugnavit, ut in pſal. 85. dicens: *Chriſto enim tales maledicunt, qui dicunt, quia perit Eccleſia de toto orbe terrarum, & remanſit in ſola Africa --- da illi gloriam, da illi latam gentem; quam latam gentem dabo, inquis? noli illi ex tuo corde dare & rectè dabis: unde do, inquies? ecce hinc da: omnes gentes quotquot feciſti venient & adorabunt coram te Domine.* Item lib. 3. contra Epiſt. Parmen. c. 5. *nulla eſt ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis Dei Eccleſia declarata, quæ ſupra montem, ut dictum eſt, conſtituta abſcondi non poteſt; &*

ideo

ideo neceſſe eſt, ut omnibus terrarum partibus nota ſit.

Dices: ſufficit ad ſalvandas varias definitiones aliorum Conciliorum & Pontificum de Superioritate Pontificis, eum poteſtatem habere ſupra ſingulos fideles & Eccleſias particulares, ipſorúmque Prælatos, non verò ſupra univerſalem Eccleſiam in unum congregatam: ergo.

Contra neg. antec. nam manifeſtè nimis ſequitur: Romanus Pontifex ex Florent. in litt. un. eſt totius Eccleſiæ Caput & omnium Chriſtianorum Pater & Doctor: ergo & Concilii Generalis, niſi ſentire velis Concilium eſſe extra Eccleſiam, & Patres in Concilio congregatos deſinere eſſe Chriſtianos & oves Chriſti, & Petri. Unde Concilium Lateran. quintum ſub Leone X. expreſsè ſtatuit: *ſolum Romanum Pontificem ſuper omnia Concilia authoritatem habere.*

Dices: Dux Venetorum habet poteſtatem ſupra ſingulos Venetos cives, ſed non ſupra totum Senatum collectivè ſumptum: ergo & id de Summo Pontifice dici poteſt.

Contra neg. conſeq. nihil enim hoc exemplum concludit, nam manifeſtum eſt diſcrimen inter talem Ducem & Pontificem; Dux enim Venetus accepit poteſtatem à Republica cum limitatione, ut non extendatur ad Senatum ſimul collectum, ſed ſolùm ad ſingulos Cives diviſim; Pontifex autem Romanus juriſdictionem non accepit ab Eccleſia, ſed unicè à Chriſto Domino ex allegatis in Tract. de fide; atqui Chriſtus ei conceſſit poteſtatem ſupra univerſalem Eccleſiam, cujus eſt Caput, ut ſupra dictum eſt ex Concil. Florent. & Lateran. meritò igitur ab Alexandro VIII. inter propoſitiones 31. damnata eſt ſequens 29. *futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium œcumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus infallibilitate.*

16 Objicies contra 2. partem: cùm inferior poſſit diſpenſare in lege Superioris, ſi urgeat neceſſitas, aut difficilis ſit aditus ad Superiorem, poterit etiam Pontifex ſecum diſpenſare, ut ſe ſubjiciat Concilio, uti & factum eſſe colligitur Can. *nos ſi incompetenter.* 2. quæſt. 7. ubi Leo Papa ſe ſubjecit judicio Ludovici Imperatoris: ergo.

Contra neg. conſeq. nam licèt in aliquibus caſibus inferior poſſit diſpenſare in lege Superioris regulariter, hoc tamen non procedit, quia inferior nequit relaxare jura Superioris cap. 16. de M. & O. præſertim in caſu noſtro, cum talis ſubjectio in omni caſu ſit contra naturam Pontificis, qui eſt Caput Eccleſiæ, unde non datur parvitas materiæ in ſubjectione ſicut datur parvitas materiæ in diſpenſatione, ut in præfatis caſibus difficilis aditûs ad Pontificem &c. Unde Leo Papa ſe ſolùm ex humilitate ſubjecit Ludovico Imperatori ut acciperet monitionem fraternam, non autem ſe ſubjecit Imperatori ut judici. Interim tamen

Obſervandum eſt Aſſertionem noſtram aliquando non valere: primò in caſu ſchiſmatis, quando duo vel plures contendunt de Pontificatu, ut viſum fuit ex Concilio Conſtantienſi, tunc enim Concilium eſt judex competens Can. *ſi duo* diſt. 79. ſecundò, quando electio Papæ non fuit Canonica, vel quia pecunia, vel gratia humana aut manu armata aliquis fuit in Sedem Romanam inthronizatus Can. *ſi quis pecunia* diſt. 97. tertiò, ſi Papa incidit in hæreſim formalem, tunc enim etiam Concilium eſt judex Can. *ſi Papa* diſt. 40. nihilominus tamen ſi Concilium eſt Acephalum ſeu Papali authoritate deſtitutum, non propriè habet poteſtatem legiſlativam: cum taliter careat juriſdictione requiſita; ſi igitur Concilium congregatur Sede vacante aut tempore ſchiſmatis poteſt quidem leges univerſales condere in quantum exigit temporis neceſſitas, quæ tamen non aliter habebunt efficaciam: niſi tunc à ſequenti Pontifice fuerint approbatæ, vel ab Epiſcopis congregatis pro ſingulis ſuis diœceſibus acceptatæ; nam aliàs tale Concilium juriſdictionem pro tota Eccleſia nec habet à Summo Pontifice, ut ſupponitur, nec jure Divino, de quo in Scripturâ, nec traditione conſtat; adeóque non plus habet, quàm cuilibet corpori myſtico jure naturæ competit, ut in defectu capitis poſſit ſe per Principes congregatos gubernare, ſuóque bono proſpicere, quouſque legitimum Caput obtinuerit, ut docet Suarez Lib. 4.

Aſſero 2. *Summus Pontifex habet poteſtatem ferendi leges Civiles in terris Romanæ Eccleſiæ ex donatione Principum ſubjectis: in aliis autem terris totius Orbis nullam habet juriſdictionem temporalem directè, bene tamen indirectè per ordinem ad finem Spiritualem in caſu neceſſitatis.* Deducitur ex Scoto in 4. diſt. 15. quæſt. 3. §. *de ſecundo.* éſtque Bellarmini Lib. 5. de Pontifice cap. 9. contra hæreticos. 17

Probatur 1. pars: In illas terras fungitur Pontifex authoritate Principis temporalis: ergo habet poteſtatem ferendi leges Civiles. antec. prob. non repugnat in eadem perſona reperiri poteſtatem Eccleſiaſticam & politicam: ergo antec. prob. poteſt idem Rex gubernare diverſiſſima Regna contraria moribus & legibus, poteſt idem præeſſe Senatui & exercitui, quæ magis ſunt contraria: ergo etiam poteſt unus homo gubernare res ſpirituales & temporales, imo poteſtates Eccleſiaſtica & politica non ſibi contrariantur, ſed utraque eſt bona; laudabilis & à Deo, & pariter habetur ex Scriptura Gen. 14. quod Melchiſedech fuerit Pontifex & Rex temporalis, præterea & Moyſes & Heli.

Probatur 2. pars: juriſdictio, quam Summus Pontifex accepit à Chriſto, eſt poteſtas clavium regni cœleſtis; ſed hæc directè & per 18

ſe

ſe ſolùm extenditur ad bonum ſpirituale fidelium: ergo directè in totum orbem non habet juriſdictionem temporalem. min. prob. Illa poteſtas clavium eſt poteſtas vicaria illius poteſtatis, quam Chriſtus habebat dum viveret inter homines; ſed Chriſtus ut homo, dum vixit in terris, non voluit habere ullum temporale dominium, ut patet Joan. 18. regnum meum non eſt de hoc mundo: ergo.

Probatur 3. pars. Tum quia in ordine ad
19 bonum ſpirituale debet Pontifex habere ſummam poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum: ergo indirectè habet juriſdictionem temporalem. antec. prob. Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecte & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem, nam tales debent eſſe omnes Reſpublicæ benè inſtitutæ: ergo debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum; ſed ad finem ſpiritualem neceſſaria eſt poteſtas diſponendi de rebus temporalibus, nam aliàs poſſent mali Principes impunè fovere hæreticos & evertere Religionem. Tum quia poteſtas civilis ſubjecta eſt ſpirituali, quando utraque pars eſt ejuſdem Reipublicæ Chriſtianæ: ergo Princeps Spiritualis poteſt imperare temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale, nam Superior poteſt imperare inferiori: ergo antec. prob. finis temporalis ſubordinatur ſpirituali, quia felicitas temporalis non eſt abſolutè ultimus ejus finis, ſed debet referri in æternum, qui eſt ſpiritualis, adeóque ſi temporalis adminiſtrator impedit ſpirituale bonum, tenetur immutare illum modum adminiſtrandi etiam cum detrimento boni temporalis: ergo certum ſignum eſt temporalem poteſtatem eſſe ſubjectam ſpirituali, ſicut enim ſe habent in homine caro & ſpiritus, ita in Eccleſia poteſtas ſpiritualis & politica, nam etiam caro & ſpiritus ſunt quaſi duæ Reſpublicæ, quæ & ſeparatæ & conjunctæ inveniri poſſunt. Tum quia Luc. 22. dicebant Apoſtoli Chriſto: *Ecce duo gladii hic, at ille dixit eis ſatis eſt*, quem textum exponunt SS. PP. de duplici poteſtate ſpirituali & temporali, & præſertim D. Bernardus in illud Matth. 26. *Converte gladium in locum ſuum.* ad Summum Pontificem ita ſcribit: *Gladium qui tuum negat non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: converte gladium tuum in vaginam, tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus.*

20 Objicies cum hæreticis contra 1. partem:
1 Luc. 12. dicitur: *Homo quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos?* ubi Chriſtus rejecit munus judicandi tanquam inconveniens Prædicatori & Paſtori: ergo hoc ipſo Pontifex non eſt Pontifex, ſi temporalia tenet.

Reſpondeo imprimis notandum eſſe hæreticorum oppoſitiones, cùm tamen illi ſuos principes ſæculares habeant pro Epiſcopis & Regibus: aſt ad argumentum neg. conſeq. quia per illum textum Scripturæ ſolùm admonentur Pontifices ne minutis & vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora, ſed ut conſtituant in ſuis territoriis minores judices, qui ſatisfacerent populo in rebus levioribus, & graviora tam politica quàm Eccleſiaſtica ſibi aſſumerent juxta illud Apoſt. Act. 6. *Non eſt æquum nos relinquere verbum DEI & miniſtrare menſis.* Quod in ſimili etiam oſtenditur Exod. 18. ex facto Jethri ad Moyſen.

Dices: 2. ad Timoth. 2. dicitur: *Nemo militans DEO implicet ſe ſæcularibus negotiis*: ſed non poteſt Pontifex ut Princeps politicus ſe non implicare ſæcularibus negotiis: ergo omnia ſæcularia ipſi adimuntur.

Contra neg. conſeq. quia in textu majoris per negotia ſæcularia non intelligitur regimen politicum, ſed curæ victum per negotiationes & commercia, adeóque ibi ſolùm interdicitur nimia cura corporalis, quod etiam attinet ad omnes Laicos Chriſtianos, ſunt enim etiam milites Chriſti.

Dices: ab initio Eccleſiæ Pontifices non exercuerunt poteſtatem temporalem aut depoſuerunt Principes bonum ſpirituale turbantes & Chriſtianos perſequentes: ergo ſignum eſt, quod in illis non ſit talis poteſtas.

Contra neg. conſeq. nam ex illo antecedente non ſequitur, quòd non potuerint illam exercere, ſed quia illi à Principibus nondum habuerunt bona donata temporalia pro augendis ſpiritualibus, necdum habuerunt vires, quibus potuiſſent impios Principes ſtringere & deponere, ideo actu non exercuerunt illam poteſtatem.

Dices: veteres PP. dicunt: interdicitur Epiſcopis dominatio & indicitur miniſtratio: ergo nullam poſſunt habere dominationem temporalem.

Contra neg. conſeq. quia PP. ſolùm volunt Epiſcopos directè non debere ſuis ovibus dominari, ſed eas paſcere, nihilominus tamen, ſicut iiſdem ovibus ut ſunt cives Reipublicæ dominatur Princeps politicus, ita eadem ratione poteſt eis dominari Eccleſiaſticus, ſi ſit ſimul eorum princeps politicus.

Objicies contra 2. partem. Chriſtus fuit 21
DEI Filius & Rex omnium creaturarum ſicut ejus Pater; ſed Pontifex habet eam poteſtatem, quam habuit filius: ergo habet directè poteſtatem etiam in omnes res temporales.

Reſpondeo vel neg. min. nam Pontifex non debet habere omnem prorſus poteſtatem, quam habuit Chriſtus, qui fuit ſimul DEUS & homo. Vel dico ad maj. quod licèt Chriſtus fuerit Rex creaturarum, voluit tamen in illis ſolùm exercere regimen ſpirituale non verò temporale; præterea cum regimen filii Dei ſit divinum & æternum, non tollit dominia aliorum hominum.

Dices: Chriſtus ejecit è templo ementes

& vendentes: ergo etiam exercuit poteſtatem temporalem.

Contra neg. conſeq. quia ejicere è templo inconvenientia non eſt Regis, ſed potius Sacerdotis.

Dices: Pontifices quandoque per leges contrarias derogant legibus Imperatoriis ut Cap. *vigilanti*. De præſcriptionibus; abrogavit legem civilem permittentem præſcriptionem cum mala fide. Et Cap. *nunc haberet*, de eo qui duxit in matrim. præcipit illegitimis prolibus alimenta præberi, quæ per leges civiles denegantur. Imo ſæpe de integris regnis diſpoſuerunt, unde Zacharias Pontifex exautorizato Childerico Rege III. ad Francorum preces conſtituit Pipinum Regem. Leo III. in Carolum Magnum transtulit jus Occidentalis Imperii. Et Innocentius IV. in Concilio Lateranenſi Fridericum II. imperio dejecit: ergo directam poteſtatem temporalem exercuerunt.

Contra neg. conſeq. quia illa omnia à Summis Pontificibus fuerunt facta non ex vi poteſtatis temporalis directè ſed indirectè, quia imperia, reges, & regna quatenus ad finem ſalutis æternæ ſubordinantur etiam Eccleſiaſticæ poteſtati, quæ aliter fidelium ſaluti non poſſit proſpicere, ſubjiciuntur.

22 Objicies contra 3. partem cum Clero Gallicano: D. Petro ejuſque ſucceſſoribus poteſtas rerum ſpiritualium & ad ſalutem æternam pertinentium, non autem civilium & temporalium à DEO tradita eſt dicente Domino Joan. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et iterum Matth. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei DEO:* ergo Pontifici nulla nec indirecta eſt tradita poteſtas temporalis in terras ſibi non ſubjectas.

Antequam reſpondeam ſciendum eſt præfatam objectionem tanquam propoſitionem primam eſſe ex quatuor in Conventu Pariſienſi à Clero Gallicano, fortè in favorem Regis & non in favorem veri reſolutis, quæ deinde ex mandato Regis dato 23. Martii Anno 1682. per totum regnum in omnibus Univerſitatibus doceri, & à quolibet ad Doctoratûs gradum promovendo defendi debebant, prout ſupra Advert. 5. inſinuavimus, ſed quam inconvenienter veritati & Scripturæ ac SS. PP. illa propoſitio ſit reſoluta, patet ex proba partis tertiæ, hinc in forma.

Reſpondeo neg. conſeq. nam per illud: regnum meum non eſt de hoc mundo, & reddite Cæſari &c. ſolummodo oſtenditur poteſtatem Summi Pontificis in civilia extra territorium Romanum non eſſe directam & pro libitu exercendam, ſed ſolùm indirectam, quatenus neceſſaria eſt ad exercendam poteſtatem ſpiritualem perfectè.

Dices: Apoſtolus Paulus dicit *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, non enim eſt poteſtas niſi à DEO, quæ autem ſunt à DEO ordinata ſunt; ſed poteſtas Principum ſæcularium eſt à DEO: ergo etiam eſt ordinata & perfecta & independens à poteſtate ſpirituali.

Contra diſting. conſequens eſt independens à poteſtate ſpirituali directa conc. eſt independens à poteſtate ſpirituali indirecta, quatenus nempe poteſtas Principum Sæcularium deordinari poteſt neg. conſequentiam.

Dices Apoſtolus Paulus Regentes & Principes nulli Eccleſiæ poteſtati, ſed ordinationi DEI ſubjicit: ergo nec authoritas clavium Eccleſiæ eos directè vel indirectè deponere aut illorum ſubditos ab obedientia ac præſtito fidelitatis juramento ſolvere poteſt.

Contra neg. antec. & conſeq. nam præterquam quòd authoritas Apoſtoli ſit negativa ex qua nihil ſequitur, certè clarum eſt Reges ſæculares quoad proprias perſonas poteſtati Eccleſiæ ſubjici, nemo enim prudens facilè id negare poteſt, nam vel ſunt oves Chriſti vel non? ſi non, hoc de Catholico Principe nullus dicet, tunc non intrant per oſtium in ovile, ſed aliunde aſcendunt, & ideo fures ſunt & latrones, ſi autem ſunt: ergo ſubſunt poteſtati & Paſtori Univerſali, cui à Chriſto dictum eſt: paſce oves meas, per conſequens etiam cum ſua poteſtate temporali ſubſunt, quatenus hæc poſſet obeſſe ſaluriferæ paſcuæ, & ideo dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. ad dubitantes: neſcitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia.

Dices: fortè cum Clero Gallicano hæc verba Apoſtolum tantùm ſcripſiſſe ad Corinth. non ad Gallos, ſicut quidam Bellidus Gallicus cuidam viro Eccleſiaſtico ſuadenti, ut ad vitanda multa peccata militibus matrimonia permitteret juxta illud Apoſtoli: *meliùs eſt nubere quàm uri*, reſpondit Paulum iſta ſcripſiſſe ad Corinth. non ad Regem Galliæ.

Contra: præterquam quòd hoc ſit ludibrium Sacræ Scripturæ, ſapit etiam magnam perverſitatem, cùm doctrina Apoſtoli ſit univerſalis ad omnes pertinens, & non ad ſolos Corinthios reſtricta.

QUÆSTIO II.

An Imperator pro toto orbe Leges Civiles, & an Regina veras Leges poſſit ferre?

ADvertendum eſt 1. Poteſtatem legislativam civilem non exiſtere ex natura rei in aliquo homine vel familia, quia naturæ permiſſione omnis homo liber naſcitur, ipſéque Adamus etiamſi quoad propagationem eſſet caput naturale omnium hominum, non tamen majorem quam œconomicam poteſtatem in ſuos deſcendentes habuit, neque etiam ipſi dictum fuit ut præeſſet hominibus, 1

nibus, ſed piſcibus maris & volatilibus cœli ac beſtiis terræ, adeóque cùm eadem ſit in cunctis hominibus naturæ principium, non eſt major ratio, cur uni potius quàm alteri ejusmodi poteſtas competeret, nihilominus tamen hæc poteſtas integris data eſt communitatibus ab Authore naturæ per modum proprietatis moralis communitatem politicam ſequentis, cum naturalis inſtinctus dictet hominibus non pecorum ritu ſolitarios & vagos eſſe, ſed in communem ſocietatem adunatim convenire, quod ſine adminiculo legum & imperii obtineri non poteſt, ideóque conſequens erat, ut hominibus inter ſe aggregatis oriatur poteſtas certis legibus communitatem ſtabiliendi & felicitatem communem tuendi, quam poteſtatem ſucceſſu temporis homines in communitate viventes tranſtulerunt in unum hominem, qui eos regeret, eisque imperaret, & ideo Imperator aut Rex nominatus fuit.

2 Advertendum eſt 2. Reginam dupliciter conſiderari poſſe, primò prout non eſt viro ſeu Regi alligata, ſecundò prout Regina eſt alligata & matrimonii vinculo obſtricta, ut de facto Anna Regina Angliæ, quæ filia fuit Regis Angliæ Jacobi ſecundi cujus ſucceſſor Wilhelmus III. ſine ſucceſſione diſceſſit, & ideò illius Jacobi filia Anna in hæredem ſui Regni inſtituta fuit, quæ ut Domina hujus regni alteri fuit nuptui tradita. Vel in alio caſu, ut Rex
8 Titius mortuus eſt abſque hærede in linea deſcendenti qui Bertham uxorem in teſtamento hæredem omnium ſuorum bonorum tam mobilium quàm immobilium adeóque etiam regni inſtituit. His ergò notatis

3 Propoſitio 1. *Provinciarum & rerum diviſio in hoc orbe facta eſt jure gentium, & quidem partim occupatione, partim ſortitione.* Ratio primi eſt ex Can. *jus gentium.* Diſt. 1. ubi dicitur: *jus gentium eſt ſedium occupatio.* Hoc eſt, commune eſt omnium populorum judicium, poſt ſtatum innocentiæ diviſionem rerum expedire, ut etiam docet Scotus in 4. diſt. 15. quæſt. 2. §. *hic ſunt quatuor videnda.* Tum ad pacem, tum ad meliorem rerum adminiſtrationem, idque ſpectata hominum conditione vitioſa, quæ ſui eſt amans, & alieni negligens, ideo ſi poſſeſſiones manſiſſent communes, neglectæ fuiſſent & incultæ, quia unus in alterum præſumpſiſſet, & reliquiſſet culturam, & interim neglecta fuiſſet; unde homines facilè negligunt communia, & colunt propria, & pariter ſi poſſeſſiones manſiſſent communes, mundus arderet perpetuis contentionibus & bellis, quia plerumque plures concurrerent ad eandem rem occupandam, qui ſe mutuò conarentur impedire & potentiores plerumque omnia raperent, unde cum plerumque hæc vitia in genere humano regnent apud omnes nationes, ideo maxime expediens fuit apud omnes fieri diviſionem, ex quo ſequitur, ſi in aliquo cœtu alio dono ſupernaturali hæc vitia poſſent ſupprimi, ut in ſtatu Innocentiæ, vel in monaſteriis Religioſorum, tunc jus gentium non poſtulare diviſionem rerum, ſed potius communitatem, cùm ex hoc plura ſequantur incommoda, ut temperantia, modeſtia, tranquillitas animi &c. Ratio autem ſecundi eſt, quia occupatio & ſortitio ſunt primi modi acquirendi dominium, nam Poſteri Adæ in hunc mundum repletiſſimum venientes, quisque, dum prior aliquid occupâſſet, ita quoque illius Dominus efficiebatur, quòd ſi dubium erat quisnam prior occupâſſet, vel ſi ante occupationem ad eandem rem plures aſpirâſſent, ſorte decidebatur, uti ſimiliter factum eſt inter filios Noë poſt diluvium Gen. 10. & 11.

Nec dicas: id eſt juris naturæ, quod ratio naturalis dictat omninò neceſſarium ad pacem generis humani; ſed diviſio provinciarum & rerum eſt hujusmodi: ergo eſt juris naturæ & non juris gentium.

Reſpondeo neg. min. quia ratio naturalis non dictat id eſſe omninò neceſſarium, ſed ſolùm congruens & expediens, nam poſſet in ſingulis communitatibus inſtitui politia, ſecundùm quam penè omnia manerent communia, ut fit apud Anabaptiſtas, excipe tamen uxores, quas illi fœdè nimis contra omnia jura communes faciunt, præterea quamvis furtum ſit contra jus naturæ, non tamen dominium rei eſt ex jure naturæ, quia jus naturale ſolùm dictat nihil eſſe alteri invito auferendum, quocunque jure id ſibi competat, ſicut etiam jus naturale jubet obedire Superiori, etſi illa poteſtas ei ſolo jure humano competat.

Propoſitio 2. Omnis poteſtas politica Imperatorum, Regum, Magiſtratuum provenit tanquam ex naturali radice ex ratione totius & partis. 4 Ratio eſt, qui pars naturaliter ſubeſt toti & regitur à toto: ergo Reſpublica per ſe libera ex natura rei habet Authoritatem & poteſtatem regendi ſe & omnia ſua membra; ſed hanc poteſt committere alteri ſive uni ſive pluribus, idque ſecundùm varias limitationes & conditiones, prout ei expediens viſum fuerit; ergo ex tali radice provenit poteſtas politica Imperatorum.

Nec dicas: juxta verba Apoſtoli ad Rom. 13. *Omnis poteſtas eſt à DEO:* ergo potiùs DEUS eſt immediata radix poteſtatis politicæ Imperatorum.

Reſpondeo diſting. Verba Apoſtoli, vel per poſitivam ordinationem vel naturalem inſtitutionem conc. ſemper per poſitivam ordinationem neg. antec. & ſic diſtincto conſequenti neg. conſequentiam. Nam per poſitivam ordinationem à DEO ſola poteſtas Eccleſiaſtica & ſupernaturalis derivatur, per naturalem inſtitutionem autem poteſtas politica, quia hoc ipſo quòd DEUS fecit ſingulos homines ſui juris, & dederit inclinationem ad vitam communem & politicam, cenſetur etiam

dediſſe communitati quæ ex ſingulis illis conflatur, poteſtatem regendi ſe, & ſingula ſua membra, nam naturaliter ex poteſtate ſingulorum ſic in ſocietatem vitæ coeuntium reſultat poteſtas communitatis, à communitate autem ulteriùs per commiſſionem derivatur ad Reges & officiales inferiores, adeóque ſolùm hoc ſenſu poteſtas politica dicitur eſſe à Deo, non verò quòd ſit ex immediata DEI commiſſione ſicut poteſtas Summi Pontificis.

5 Propoſitio 3. Defactò poteſtas populi regendi ſe tranſlata eſt ſuo conſenſu in unum aut plures Principes. Ratio eſt experientia, quâ videmus, quòd talis poteſtas legislativa modò liberaliùs, modò limitatiùs, modò in uno, modò in pluribus juxta ſtatûs Monarchici vel Ariſtocratici diverſitatem reſideat, non quidem immediatè, ſed mediante conſenſu populi & DEI conceſſione & approbatione.

Nec dicas: Regimen Monarchicum aliquando per tyrannicam invaſionem & armorum violentiam ſumpſit initium: ergo in talem Regem non fuit tranſlata poteſtas civilis conſenſu populi.

Reſpondeo neg. conſequentiam, quia regimen tyrannicè cœptum tractu temporis unanimi ſubditorum conſenſu in juſtam Monarchiam mutari potuit, & pariter jure belli & jure gentium integri populi ſub jugum mitti potuerunt. His poſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Imperator Romanus nec in totum orbem, nec in omnes provincias Chriſtianas poteſt ferre Leges civiles, ſed in ſolum Imperium Romano-Germanicum.* Eſt communis, & deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. *ad argumenta principalia* dicente: *licet uni Regi in regno ſuo ſtatuere legem, quæ eſt in alio regno, ſed illa non ligat ibi, quia Lex eſt alterius regni, ſed quia ſtatuta hic ab iſta Rege.*

Probatur: Romanus Imperator nec à DEO, nec jure belli, nec hæreditaria ſucceſſione obtinuit totum orbem, neque à toto orbe obtinuit electionem: ergo non videtur, quo titulo poſſit ferre leges in totum mundum, ſed ſolùm in provincias Romano Imperio ſubjectas, in quibus ſicut conſenſus communitatis Regi concedit poteſtatem legislativam in ſua inauguratione, ita conſenſus Imperii concedit eam Imperatori, atque ideo in eo poteſt propriis legibus ſuas provincias gubernare. Cæterùm tamen inferiores Principes non poſſunt leges perpetuas condere, niſi à ſupremo Principe eis concedatur, cum hujusmodi Principes nec ex ſe nec ex populi conſenſu habeant abſolutam authoritatem decernendi leges.

7 Objicies. L. *Deprecatio* ff. ad legem Rhodiam. habetur: *Imperator eſt Dominus totius mundi;* ergo poteſt legem ferre in totum orbem & omnes provincias.

Reſpondeo illam legem vel eſſe intelligendam de jure antiquo, nam olim Imperator Romanus qui ſimul & Conſtantinopolitanus erat majori terrarum parti ac ferè univerſo mundo legem dabat, ut videre eſt in principio proœmii Inſtitutionum Civilium, hodie autem impedientibus peccatis Imperatorum illorum, qui à S. Romana Eccleſia tanquam à tutiſſima Arca Noë exire voluerunt, translato in Germaniam Imperio vix minori Europæ parti dominantur. Vel illa lex eſt intelligenda, Imperatorem eſſe Dominum totius mundi quoad protectionem & defenſionem, non verò quoad poteſtatem & dominium, ut intelligit Portius in 1. §. Inſtit. de rerum diviſione.

Dices: Sanctus Auguſt. Tract. 6. in Joann. dicit: Quòd hæc villa ſit mea, & illa tua, eſt ex jure Imperatorum: ergo cum diviſio bonorum ſit facta per totum orbem, Imperatores in totum orbem jus habent.

Contra neg. conſeq. quia S. Auguſt. ſolùm loquitur de diviſione rerum in particulari ſcilicet hujus vel illius rei variis perſonis particularibus facta, quæ non eſt ita facta per totum orbem, ſed ſolùm proveniebat ex variis contractibus & modis jure Imperatorio civili approbatis, diviſio autem rerum in genere potiùs facta eſt jure gentium & quidem per totum orbem prima occupatione vel ſortione ut dictum eſt prop. 1.

Aſſero 2. *Quocunque modo Regina ſit regni Domina poteſt leges ferre obligantes ſuos ſubditos, ſicut alius ſupremus Legislator in ſuo territorio.* Eſt Bartoli L. ult. Cod. de LL. & deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 25. quæſt. 2. §. *hic breviter.* dicente: *Mulieri, ſi de lege divina poſſet competere Ordo Eccleſiaſticus, poſſet eſſe ad ſalutem, & earum, & aliorum per eas,* nempe quos regeret ſeu curaret; atqui in politia ſæculari non inhabilitatur aliqua lege divina mulier pro regimine, ſed ſolùm in ſtatu Eccleſiaſtico, cujus evidens ſignum eſt, quia Chriſtus nec Matrem ſuam poſuit in aliquo gradu Ordinis in Eccleſia, cui tamen nulla alia potuit nec poterit in ſanctitate æquiparari, & ideo Apoſt. 1. ad Corinth. 2. dixit: *Mulierem docere non permitto* intellige in Eccleſia, quod dictum Apoſtoli non eſt quidem ut id ſtatuentis, ſed ut non permittentis, quia nec Chriſtus permiſit, ut dicit Scotus cit. 8

Probatur: Tum quia ſi Regina regni Domina non poſſet leges in ſuos ſubditos ferre, ſequeretur mortuum Regem peccaſſe Reginæ regnum jure hæreditario relinquentem; ſed hoc ab omnibus tenetur falſum. ergo. Sequela prob. tunc peccaret Rex quando regnum exponeret periculo proximi diſturbii & confuſionis; ſed ſi poteſtatem legislativam non tribueret Reginæ, exponeret regnum tali periculo, cum Regina non poſſit ſubditos coërcere, & illis legem ponere. Tum quia Jus Canonicum cap. dilecti X de *arbitris*

dicit:

dicit: Fœminam eſſe capacem jurisdictionis regiæ: ergo Regina regni Domina poteſt leges condere, cauſas cognoſcere, ſententias ferre &c. cum hæc omnia ſpectent ad poteſtatem ſibi conceſſam.

Objicies: D. Paulus 1. ad Timoth. 2. dicit: *Docere mulierem non permitto, neque dominari viro;* ſed Regina legem ferendo docet viros quid facere debeant, illisque dominatur; ergo.

Reſpondeo D. Paulum ſolùm non permittere docere mulierem ea, quæ materiam fidei concernunt, non quaſi incapax eſſet, ſed quia indecens foret viros in fide inſtrui à mulieribus, hæc tamen ratio non pugnat in ferendis legibus. Præterea dum D. Paulus dicit, neque dominari viro intelligit virum fœminæ matrimonialiter conjunctum, cui fœmina per matrimonium ſubjicitur, aſt in gubernatione politica natura non efficit mulierem inferiorem viro, quia hanc poteſtatem leges & homines concedunt Reginæ.

Dices: variæ leges removent fœminas ab omnibus officiis publicis; ſed leges ferre eſt officium publicum: ergo.

Contra diſting. maj. removent fœminas communes conc. fœminas jurisdictionem habentes, à quibus officia publica pendent, quales ſunt Reginæ neg. maj.

Dices ad poteſtatem ferendi leges requiritur judicium virile, ſcientia, & prudentia conſtans; ſed fœminæ neque judicium virile, neque ſcientiam aut prudentiam ſufficientem habere ſupponitur: ergo.

Contra neg. min. vel tranſmiſſâ min. dici poteſt hunc defectum ſuppleri per conſilium prudentum, ſicut ſi Rex à natura ſimplex per hæreditatem acquireret regnum, nihilominus diceretur ferre, eſto magis per conſilium prudentum, quàm ſuo judicio conderentur.

Dices: Regina juncta matrimonio Regi non habet poteſtatem condendi leges, quia 1. ad Corinth 12. vir caput eſt uxoris, quod & Scotus ſentit in 4. diſt. 25. quæſt. 2. §. *hic breviter.* dicens: *Mulierem non permittit natura ſaltem poſt lapſum gradum tenere eminentem in ſpetie humana, ſiquidem eſt dictum ſibi in pœnam peccati ſui Gen. 2. ſub viri poteſtate eris.* Ergo neque in ſtatu cælibatus, quia ſemper manet mulier.

Contra neg. antec. Si enim Regina priùs habuit regnum ſibi ſubjectum antequam nupſerit Regi retinet jus diſpoſitivum in ſuum regnum tamdiu, quamdiu huic non renunciaverit. Unde illud ad Corinth. & Scoti intelligendum eſt de iis, quæ pertinent ad ſtatum matrimonialem aut familiæ domeſticæ ſcilicet filiorum filiarúmque gubernationem.

Dices: Licèt Regina ſtante matrimonio habeat jus in regnum ſibi ſubjectum, hoc jus ſolùm eſt de proprietate non verò adminiſtratione, quæ potius, competit Regi, qui tamquam vir tam in corpus quam voluntatem uxoris habet dominium: ergo. Antec. prob. à paritate rationis, in matrimonio adminiſtratio dotis transfertur in maritum, & tamen proprietas dotis manet penes uxorem: ergo etiam &c.

Contra neg. antec. quia talis translatio à Regina in Regem non poteſt fieri, quia unum nequit ſeparari ab altero, præſertim quia ad translationem adminiſtrationis requiritur etiam conſenſus regni, adeóque licèt vir habeat poteſtatem in corpus & voluntatem uxoris, hoc tamen præcisè intelligendum eſt de iis, quæ ad ſtatum matrimonii, non verò quæ ad ſtatum politicum ſpectant: Unde de dote diſparitas eſt, quòd dos propriè in finem matrimonii detur ad ſubeunda ſcilicet matrimonii onera, & ideo, quia vir in his, quæ concernunt matrimonium, eſt caput mulieris, benè ſtat, quòd in dote adminiſtratio maneat penes virum; aſt dominium habere in regnum nec quoad minimum attinet ad ſtatum matrimonii, quia non eſt datum ad ſubeunda onera matrimonii, ſed ad regendos ſubditos, adeóque cùm leges ferre ſit de ſtatu politico, vir autem juxta dicta noſtra in gubernatione politica non ſit caput mulieris, competet ei adminiſtratio regni ſui.

QUÆSTIO III.

An Leges humanæ poſſint præcipere actus internos, & an obligent in conſcientia?

ADvertendum eſt 1. actus internos eſſe duplicis generis, aliqui ſunt purè interni, qui ſcilicet nullo modo connectuntur cum actibus externis, & de iis non eſt magna quæſtio, alii autem ſunt interni, qui tamen connexionem habent cum externis & quidem in duplici conſideratione primò, ut actus internus ſit cauſa & forma actus externi quoad eſſe phyſicum & materiale v. g. volitio efficax furandi connectitur cum furto exteriori, & hæc connexio dicitur per ſe, ſecundò, ut actus internus ſit cauſa & principium actus externi quoad eſſe formale virtutis aut vitii in genere moris v. g. attentio connectitur cum oratione vocali, & dolor internus cum confeſſione ſacramentali, ac intentio baptizandi cum externa ablutione; inter hos autem actus internos connexos eſt magna differentia, nam actos priores ſufficienter manifeſtantur per exteriores, quis enim non videt volitionem furandi manifeſtari per furtum externum, actus verò poſteriores non ſufficienter manifeſtantur per actus exteriores, recitatio enim divini officii non ſufficienter manifeſtat attentionem & devotionem, cum poſſet eſſe ſine illa, imò intentio & motivum pœnitentiæ per accidens eſt connexum cum jeju-

jejunio externo. Adeóque hic univerſaliter procedit quæſtio an lex humana tam Civilis quàm Eccleſiaſtica poſſit obligare ad actus ioternos tam ſecundum ſe, quàm ut connexos cum externis.

2 Adverteodum eſt 2. Certum eſſe præcipuum effectum legis eſſe obligare ſobditos ad ſui executionem ſeu impletionem, dubium autem eſt an tanta ſit vis legis humanæ tam Civilis quàm Eccleſiaſticæ, ut ſub reatu peccati obliget tranſgreſſionem in conſcientia, &. hic præſertim quæritur de lege præceptiva oon pœnali, & potiſſimùm an obligare quandoque poſſint ſub mortali, ita, ut ſi violetur lex humana, nequeat obtineri abſolutè beatitudo ſine pœnitentia in hac vita: interim autem certum eſt oon omnes leges humanas ad ſui obſervantiam obligare ſub mortali, cum oec ipſæ leges divinæ talem obligationem importent, nam leve furtum v. g. denarii oon cenſetur eſſe mortale ob levitatem materiæ, licèt omne furtum tam divina quàm homana lege ſit vetitum, adeóque multò minùs omnis lex humana ſub mortali obligare cenſenda erit. His ootatis:

3 Propoſitio 1. *Potuit Eccleſia habere poteſtatem in actus merè internos, defacto tamen non habet.* Ratio primi eſt, licèt Eccleſia non poſſit habere poteſtatem ut ipſa immediate puniat delicta interna, cùm ad juridicam punitionem prærequiratur cognitio delicti, quæ de internis ab Eccleſia haberi non poteſt, potuiſſet tamen ut mioiſtra Chriſti accipere poteſtatem, ut ipſa immediatè tantùm ſub culpa obligaret ad actus internos, ſub pœna autem tantùm mediatè illâ ſcilicet à Deo infligendâ, ſicut Princeps inferior & ſubordinatus poſſet immediatè obligare homines ſibi ſubjectos ad aliquod opus ſub pœoa à ſupremo Principe infligenda. Ratio ſecundi eſt, tum quis multa jura teſtantur de occultis ſolum Deum judicare, unde cap. *Chriſtiana Religio* 32. quæſt. 5. oon habere in latentia peccata viodictam dicitur. Tum quia hæc poteſtas excedit modom ordinarium gubernationis humanæ, qui tantùm ſe extendit ad ea quæ ſub ſenſum cadunt, Chriſtus autem ſuæ Eccleſiæ tantùm eam authoritatem reliquit, quæ humanæ gubernationi eſt coo ſentanea, igitur cum actus merè interni ſub ſenſum non cadant non habet in illos Eccleſia poteſtatem à Chriſto communicatam.

Nec dicas: Solum propoſitom violandi legem humanam etiam non ſecuta violatiooe externa eſt peccatum: ergo lex homana habet etiam poteſtatem in actus purè interoos.

Reſpoodeo neg. conſeq. Nam tale peccatum cordis ſeu propoſitum violandi niſi prodeat in actum exteroum, non eſt prohibitum niſi lege naturali, nam poſita prohibitione actus externi per legem humanam lege naturali prohibemur in talem actum ferri non aliter ac eadem lege prohibemur actu interno ferri in actum ex ſe malum, cùm non minùs rationi adverſetur velle actum malum per extrinſecam prohibitionem legis, quàm per intrinſecam oaturam ipſius.

Propoſitio 2. *Defactò poteſtas humana habet authoritatem in actus internos, qui per ſe ſunt principia externorum quoad eſſe phyſicum & materiale eorum.* Ratio eſt, quia qui habet poteſtatem in actum humanum externum conſequenter habet poteſtatem ſaltem indirectè in principium liberum à quo ut à cauſa per ſe actus ipſe externus pendet, aliàs fruſtranea eſſet poteſtas in actum externum, ſi oon ſe extenderet ad internum à quo pendet; ſed poteſtas humana habet authoritatem in actus humanos: ergo. Hinc ſi quis violenter aſſiſtat ſacro non ſatisfacit præcepto & incurrit cenſuram, ſi quæ poſita eſſet, aliter autem ſe res haberet, ſi quis violenter detentus non occidat aut non percutiat Clericum, quia cum hæc præcepta ſint negativa, ſufficienter ſervantur per negationem actûs externi, quocunquetandem modo ille non fiat. 4

Nec dicas: Quando lex humana præcipit aliquem contractum externum, quem aliquis init, non adhibendo conſenſum internum non violat illam legem humanam; ergo actus ioterous, qui eſt per ſe cauſa externi ooo cadit ſub poteſtate humana.

Reſpondeo oeg. conſeq. nam licèt talis ſolùm violet legem oaturalem, quæ dictat non eſſe fictè contrahendum, talis tamen ut cauſam adhuc ponit actum ioternum volendi ponere contractionem externam, cùm non violentetur ad hoc; quamvis non ponat actum internom volendi verè contrahere, qui oon eſt cauſa cootractus externi io eſſe phyſico & materiali, uti prænotatum eſt.

Propoſitio 3. *Actus externi occulti ſubjacent pœnis legis humanæ.* Ratio eſt, quia habent omnia, ut ſint materia proxima legis pœnalis, nam licèt ſint occulti, ſunt tamen ejuſdem oaturæ cum publicis, ſolùmque illis deeſt extrinſecum teſtimonium, quod per accidens eſt ad naturam actûs externi, qui ex ſe ſubjectus eſt humano judicio; ſed lex reſpicit quod eſt per ſe, nam aliàs ſi tantùm actum publicum reſpiceret lex non obligaret ratione obedientiæ, ſed ſolùm ratione ſcandali, ubi tamen tenemur obedire legi ratione ſubjectionis, quam ut membra myſtica habemus ad caput: ergo etiam præciſo ſcandalo nos reſpicit lex & tenemur ei obedire. Tum quia etiam delicta occulta nocent publico ut homicidium, furtum &c. ergo æquè ſubjacere debent pœnis, & licèt quædam occulta noo noceant publico cujuſmodi ſuot blaſphemia, hæreſis &c. quia tamen oocere poſſunt, ſubjacent legibus; adeóque quotieſcunque lex noo limitat pœnam ad actum publicum & ootorium, extenditur etiam ad occultum; hinc quia excommuni- 5

muni-

municatio lata contra hæreticos vel percuſſores Clericorum non limitatur ad actum publicum & notorium, comprehendit etiam ejuſmodi occultos.

Nec dicas: Actus externi occulti habent ſe per modum actus interni vel actûs externi incompleti; & inchoati tantùm ſeu imperfecti; ſed actus interni & externi imperfecti non ſubjacent pœnis humanis: ergo nec occulti.

Reſpondeo neg. maj. Nam utrinque diſparitas eſt, quia actus internus naturâ ſuâ & ex ſe eſt occultus, adeóque humano judicio pœnæ non ſubjicibilis, externus verò ſolùm per accidens & defectu extrinſeci teſtis eſt occultus, adeóque manet per ſe ſubjicibilis pœnæ, deinde actus imperfecti & inchoati non veniunt ſub nomine actûs humani ſimpliciter, ac proinde, niſi lege exprimantur, non cenſentur comprehenſi ſub ſignificato legis prohibentis actus humanos ſimpliciter, hinc non contrahit pœnas contra homicidas latas, qui ex Eccleſia aliquem foris exiſtentem occidit, aut extra territorium cenſuræ latæ delictum conſummat, benè tamen qui exiſtens extra Eccleſiam homicidium perficit in Eccleſia, quia cenſura non contrahitur niſi ob peccatum in ſua ſpecie conſummatum; ſed in Eccleſia conſummatur: ergo ibi contrahitur cenſura, ſecus autem eſt de pœnis civilibus, nam qui peccatum inchoat in uno territorio & in alio conſummat fit ſubjectus pœnis utriusque loci, ut docent communiter Juriſtæ.

6 Propoſitio 4. *Lex fundata in falſa præſumptione facti non obligat in conſcientia.* Ratio eſt, quia alia eſt præſumptio juris ſeu periculi, & alia præſumptio facti propter quam lex fertur, prima oritur non quidem ex aliquibus indiciis; ſed ex judicio moraliter certo, quòd in tali actu vel contractu licèt non ſemper ſed ut plurimum fraus & damnum eveniat, unde per eam non præſumitur aliquod factum, ſed ſolùm periculum damni; ſecunda autem oritur ex judicio & certis indiciis definiente actum ſe hoc & hoc modo habere, ex quo ſic: lex fundata in tali præſumptione eſt conditionata, ſi videlicet factum ſe ita habeat, ſicut à Legiſlatore judicatur: ergo ſi fallit præſumptio, ceſſat obligatio legis. Conſeq. patet, quia deficiente motivo obligandi nulla eſt legis obligatio; ſed ſi præſumptio facti eſt falſa, deficit motivum obligandi, unde qui ſcit ſe alterius bona mala fide poſſidere, non poteſt illa ex lege præſcriptionis, aut ſententia judicis per falſos teſtes informati retinere, etſi altera pars in probanda mala fide deficiat, imo hæc poſſet illa clam auferre, quia lex præſcriptionis aut ſententia præſumit bonam fidem & veritatem. Secus autem ſe res habet in lege fundata in præſumptione juris, quæ habet ſuum effectum licèt falſificetur præſumpta fraus in aliquo caſu particulari, quia adhuc ſubſiſtit motivum principale Legiſlatoris, nempe bonum Reipublicæ & periculum moraliter certum aut alia ſcandala evitanda, adeóque legis manet obligatio, quapropter lex irritans votum ſolemne ante annos pubertatis emiſſum fundata in præſumptione periculi, quòd ante illam ætatem deſit judicii requiſiti maturitas & alia gravia ſcandala oriantur, etiam locum habet in illo, cui ſufficiens judicium non defuit, cum præſumptio juris non ſit de judicii defectu in ſingulis, ſed de plerisque, & ſic etiam lex Trident. de matrimonio clandeſtino obligat in conſcientia, licèt in aliquibus contrahentibus non ſit periculum.

Nec dicas: Cap. *quo jure.* Diſt. 8. univerſaliter dicitur: Lex poſitiva ſervanda eſt in foro conſcientiæ: ergo quæcunque lex poſita ab humano etiam Legiſlatore obligat in conſcientia.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud Capitulum eſt intelligendum, quando lex ſe fundaret in præſumptione juris, & quando lex eſt juſta; hinc leges, quæ concedunt uſuras aut permittunt contrahentibus ſe invicem decipere, non habent locum in foro conſcientiæ. His poſitis:

• Aſſero 1. ad Quæſtionem: *Lex humana non poteſt præcipere actus internos concomitantes externos, qui horum ſolùm ſunt principia quoad eſſe formale virtutis, ſed ſolùm illos, qui eorum ſunt principia quoad eſſe phyſicum & materiale.* 7 Eſt Scoti in 4. Diſt. 19. quæſt. un. §. *ad quæſtionem.* circa finem dicentis: *Quod ſi pœnitens oſtendat ſe dolentem cum tamen non ſit, eſt fictus & recedit à vera pœnitentia* 8 *& cum novo peccato, nec clavis ſcientiæ errat, ſed pœnitens in ſui periculum errat; & tunc ratificatur judicium Sacerdotis in cœlo, quia fecit quod ſuum eſt, quia ut homo non poteſt cor videre niſi per ſigna exteriora, ſed non ratificatur quantum ad illum ſuſcipientem, quia non eſt capax iſtius ſicut oſtendit ſe capacem.* Eſtque Sylveſtri, Vaſquez, & aliorum contra multos alios.

Probatur 1. pars: Primò poteſtas legiſlativa humana per ſe primò tendit in actum externum & commune Reipublicæ regimen; ſed illi actus interni non ſunt apta materia hujus regiminis. Ergo min. prob. Si eſſent materia apta hujus regiminis, tunc poteſtas humana deberet poſſe ad eos cogere; ſed non poteſt ad illos cogere: ergo. Sequela maj. patet, quia poteſtas legiſlativa ad præcipiendum vel prohibendum eſt etiam ad cogendum, ut docet Ariſtoteles 10. Eth. 5. quia aliàs talis poteſtas eſſet inutilis & ineffícax. Min. prob. coactio legis eſt per metum pœnæ, ut pariter dicit Ariſtoteles 1. Eth. ult. Sed pœna ab humana poteſtate non infligitur niſi pro illis, de quibus Legiſlator poteſt judicare, cum ex judicio lex puniat: ergo ad illos actus, de quibus

bus humana poteſtas non poteſt judicare, non poteſt cogere; ſed de illis actibus internis non poteſt humana poteſtaa judicare: ergo nec ad illos cogere. Min. præpoſita patet, quia juridica punitio, cum ſit ſententia de pœna proportionata culpæ, prærequirit notitiam culpæ, ſine qua non poteſt proportionata ſtatui. Min. ſubſumpta pariter patet, quia idem actus externus v. g. auditionis ſacri poteſt manere invariatus quoad eorum ſuum eſſe phyſicum, in quod tantùm directè per ſe cadit præceptum humanum ſive adſit ſive non adſit interna attentio concomitans: ergo de talibus actibus non poteſt judicare humana poteſtas.

Probatur ſecundò: Si de facto humana poteſtas poſſet hujusmodi actus judicare & punire juridicè, tunc poſſet etiam punire reliquos actus merè internos; ſed non poteſt ita hos actus punire, ut tenet communis ſentententis, de qua eſt propoſitio 1. ergo neque illos. Sequela maj. prob. quantùm ad humanam cognoſcibilitatem eodem modo ſe habent actus mere concomitantes ac cæteri purè interni, cum eodem ſenſibilitatis defectu nobis ſint ignoti, quia actus externi nullo modo ſunt indices internorum concomitantium, nam perinde ſe habent ſi adſint ſive non adſint actus concomitantes: ergo cum hæc ſententia non laxet diſciplinam Eccleſiaſticam cùm aliunde fideles obligari poſſint ad internas attentiones ex lege naturali, ut patebit ex Aſſert. 2. tutè tenenda erit.

Probatur 2. pars: per propoſitionem ſecundam.

8 Objicies 1. Poteſtas Eccleſiaſtica eſt ſpiritualis & ordinata ad perfectam animarum internam ſalutem; ſed ad finem conſequendum eſt neceſſarium ut extendatur ad actus internos præcipiendos, cùm in his præcipuè conſiſtat animarum ſalus, & D. Petro abſolutè dictum fuerit. Quidquid ligaveris ſuper terram &c. ergo.

Reſpondeo diſting. maj. eſt ordinata ad internam ſalutem tanquam finem remotum conc. tanquam finem proximum neg. maj. nam ejus finis proximus eſt bonum ſenſibile & externum pertinens ad hierarchiam ſenſibilem, unde hic ſolus cadit ſub ejus præcepto, & ex conſequenti actus internus qui per ſe connexionem habet cum externo, & ideo meritò Chriſtus poteſtatem legislativam Petro datam reſtrixit ad ſolos actus externos, quia eam poteſtatem Chriſtus ſuæ Eccleſiæ conceſſit, quæ non excedit gubernationem humanam & ſenſibilem hierarchiam, & ideo nec expediens fuit Eccleſiæ talis poteſtas excedens poteſtatem humanam.

Dices: Lex humana præcipit vel prohibet directè actus humanos liberos; ſed actus humani liberi non poſſunt eſſe ſine actu voluntatis interno: ergo lex humana præcipiens actus humanos hoc ipſo, præcipit actum internum.

Contra diſting. maj. Lex humana præcipit directè actus humanos prout ly directè appellat ſuper humanos externos conc. prout directè appellat ſuper internos neg. maj. nam ſic lex humana ſolùm quatenus eſt cauſa actûs externi poteſt præcipere internum.

Objicies 2. In Concil. Conſtant. in fine excommunicantur omnes etiam hæretici interni & occultè credentes & conſentientes erroribus Wicleffi. & Clement. 1. de ſtatu Monach. excommunicantur Regulares, qui ſine licentia ſpeciali ſuorum Prælatorum ſe conferunt ad Curias Principum animo inferendi damnum Prælatis aut Monaſteriis; & tandem Clement. un. *de hæreticis* excommunicantur Inquiſitores qui amoris vel odii cauſâ omiſerunt procedere ubi procedendum erat: ergo Eccleſia punit actus internos, & per conſequens eos etiam poteſt præcipere.

Reſpondeo neg. conſeq. quia tales actus internæ hæreſis ſolùm excommunicantur ab Eccleſia quatenus foras prodeunt per aliquod ſignum ſufficienter manifeſtativum interioris hæreſis, unde per ly occultè credentes & conſentientes ſolùm comprehendit etiam illos, qui licèt hæreſim non manifeſtant voce, manifeſtant tamen alio ſigno externo ſufficienter manifeſtativo: unde etiam in excommunicatione Regularium ille acceſſus ad Principe potuit eſſe ſufficiens ſignum interioris animi, vel à Pontifice conſtitui pro tali ſigno, nocendi Prælato vel monaſterio, quo poſito talis acceſſus ſine licentia ſufficienter ſubjectus eſſet excommunicationi, ſecus ſi cum tali animo non fuiſſet factus, quia tunc, licet in foro externo præſumeretur excommunicatus, non tamen in foro interno talis eſſet, quia in tali non contrahitur niſi propter mortale. Tandem etiam Inquiſitores non aliter excommunicantur, niſi ſuppoſito aliquo ſigno talis odii vel amoris ſufficienter manifeſtativo.

Dices: Cap. *Commiſſa*. de elect. & electi poteſtate. Statuitur, ne quis beneficium parochiale ſuſcipiat abſque intentione ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum, & aliter faciens tenetur ad reſignationem beneficii & reſtitutionem fructuum ex eo perceptorum: ergo Eccleſia præcipit actum internum intentionis.

Contra neg. conſequent. quia Eccleſia non præcipit reſignationem aut reſtitutionem propter ſolam internam intentionem, ſed ut manifeſtatam per externam omiſſionem ipſius ſuſceptionis Sacerdotii, quo fit, ut etiamſi toto anno intentionem habuerit non ſuſcipiendi Sacerdotii, ſi tamen ultima die voluntate mutata id ſuſcipiat non tenetur ad reſtitutionem fructuum. Vel tutiùs procedendo dici poſſet talem teneri ad reſtitutionem non propter transgreſſionem legis Eccleſiaſticæ ſed Divinæ naturalis, quâ tenetur, qui parochiale beneficium

Digitized by Google

neficium recipit, ſe idoneum Miniſtrum tali beneficio reddere, nec aliâ viâ poſſet hoc beneficium compenſare, cùm hoc ipſo, quòd Eccleſia ſua lege determinet certum genus officii, quòd beneficiarius debeat præſtare in compenſationem beneficii, non eſt ampliùs in ejus poteſtate illud mutare, ſicut hoc ipſo quòd Eccleſia ſua lege determinet præceptum Divinum de Sabbato ſanctificando per auditionem Sacri, non eſt ampliùs in poteſtate fidelium illud in aliud opus commutare.

Dices: Eccleſia præcipit annuam confeſſionem, quæ obligat ad confitenda peccata interna & occulta: ergo obligat ad actus internos puniendos.

Contra diſting. antec. præcipit vi propria neg. vi legis Divinæ conc. antec. unde Eccleſia non poteſt præcipere fidelibus ut confiteantur peccata purè interna aut ponant dolorem internum, ſi id non fuiſſet præceptum à Deo; adeóque ſuppoſita inſtitutione confeſſionis interioris à Chriſto facta præceptum Eccleſiæ eſt tantùm determinativum ejus quoad tempus, in quo obligat præceptum Chriſti, præcipiendo ſcilicet ut fiat ſaltem ſingulis annis, hinc non incurrit pœnas Eccleſiaſticas, qui ſine interno dolore confitetur, aut interna peccata omittit, peccat tamen contra præceptum Divinum, cui non ſatisfit niſi per integram confeſſionem bonam.

Dices: Pontifex poteſt ſibi reſervare peccata interna: ergo etiam poteſt ea prohibere.

Contra neg. conſequent. nam poteſt ea ſibi reſervare per reſtrictionem juridicæ poteſtatis abſolvendi, qua reſtrictione facta nequit Sacerdos inferior defectu juriſdictionis à talibus peccatis abſolvere.

Dices: Pontifex diſpenſat in votis purè internis & mentalibus; ergo & talia poteſt præcipere.

Contra negari poſſet antec. nam non diſpenſat in iis niſi ut manifeſtatis per actum externum, nam non poteſt probabiliter ſine juſta cauſa diſpenſare, ſed talem rationabilem cauſam debet cognoſcere & examinare per actum externum. Sed neg. conſequent. diſparitas eſt, quia obligatio voti oritur ex interno actu, nec indiget ſigno externo, obligatio verò legis humanæ ex ſolo actu externo; unde, qui diſpenſat, tollit obligationem propria voluntate voventis inductam, non verò ipſe diſpenſans inducit, quod non ſolùm poteſt Pontifex erga fideles, ſed etiam parentes erga filios: cum ſit favorabile & in bonum voventis cadens: qui verò præcipit ponit obligationem per voluntatem Legiſlatoris, quod eſt odioſum & reſtringi debet, imò minùs requiritur ad tollendam obligationem, quàm inducendam, ac ad ſuavem Dei providentiam ſpectat, ut daret poteſtatem ad tollenda vota, non verò imponendam obligationem in actus internos.

Dices: Pontifex cap. *dolentes.* de celebr. Miſſ. virtute obedientiæ præcipit, ut Divinum Officium ſtudiosè & devotè celebretur; ſed devotio eſt cordis officium, ut dicit gloſſa ibidem: ergo.

Contra neg. conſeq. nam cum Pontifex non addat attentè, ſic ſolùm præcipit devotionem & modeſtiam externam, ne ſcilicet confabulando Divinum officium recitetur: interim tamen præceptum de recitando Divino officio & audiendo Sacro in die feſto obligat ex præcepto Divino naturali ad internam attentionem adhibendam, ac proinde ea ſunt repetenda, quoties ſine interna attentione perſolvuntur, non tamen ſunt punienda pœnis Eccleſiaſticis. De hoc paulò pòſt plura in Aſſert. 2. interim

Objicies 3: Lex humana habet poteſtatem præcipiendi veros actus virtutum & prohibendi vitia: ergo habet poteſtatem præcipiendi tales actus internos concomitantes, qui ſunt principia in eſſe virtutis actuum externorum per conſequens præcipiendo orationem vocalem ſimul præcipit attentionem internam ſine qua externa oratio non eſt verus actus Religionis, & præcipiendo adminiſtrationem Sacramentorum præcipit debitam intentionem ad validitatem ejus requiſitam.

Reſpondeo diſting. antec. habet poteſtatem præcipiendi actus virtutum quoad eſſe materiale Conc. quoad eſſe formale neg. antec. nam eſſe formale virtutis excedit humanam poteſtatem, quæ nequit de internis, à quibus eſſe formale virtutis dependet judicare, adeóque Eccleſia præcipiendo orationem vocalem non præcipit internam attentionem ſimul, ſed ſolùm internum actum voluntarium, qui eſt neceſſarius ad externam orationem quoad eſſe materiale; unde ſolùm præcipit actum Religionis externum & materialem, & pariter in adminiſtratione Sacramentorum non præcipit attentionem internam ad validitatem Sacramenti requiſitum.

Dices: Eccleſia præcipiendo Sacrum Ordinem, ſimul præcipit internum votum caſtitatis: ergo verum formalem actum virtutis præcipit.

Contra diſting. antec. ſimul præcipit directè votum Caſtitatis neg. confert ordinem ſub hac conditione voti Conc. antec. adeóque hoc ipſo quòd quis Ordinem ſuſcipit, cenſetur illum cum hac conditione ſuſcipere, & in tale votum conſentire.

Aſſero 2. *Non obſtante priori Aſſertione, qui* 9
in auditione Sacri in die feſto vel recitatione Divini Officii obligata omittit internam attentionem ex præcepto Divino naturali tenetur illa repetere, non tamen incurrit pœnas ab Eccleſia pro transgreſſoribus hujus præcepti taxatas. Eſt Vaſquez 1. 2. diſt. 160. cap. 5. contra Joannem Medinam & plures alios.

Probatur 1. pars: tum quia præceptum

Decalogi de colendo Deo non ſolùm eſt negativum de non dishonorando Deo aut abſtinendo de operibus ſervilibus, ſed etiam eſt affirmativum de vero cultu ſuo tempore Deo præſtando non ſolo actu externo ſed & interno, ſicut præceptum Divinum de profitenda fide non ſolùm obligat ad externam ſed & internam & attentam profeſſionem, cùm Deus veros & fructuoſos ac validos actus virtutum præcipiat; ſed præceptum affirmativum habet hoc jus, ut quamdiu illud non ſervatur, ſemper obliget ad ſui obſervantiam intra totum illud tempus (quod præceptum, ſi omni die feſto tale eſt, quod tamen adverſarii negant, omnino erit grave, cum ſit de actu Religionis in materia gravi) ergo cùm hoc præceptum Divinum ab Eccleſia ſit determinatum per auditionem Sacri in die Dominico, ſi non impletur cùm interna attentione, ſemper illo tempore repeti debet. Tùm quia ad Divinum Officium obligantur ab Eccleſia omnes beneficiarii, & in Sacris conſtituti, hi ex officio aſſumpto, illi ex pacto tacito cum fundatoribus; ſed hi omnes jure Divino tenentur attentè orare Deum pro popolo: ergo jure Divino tenentur attentè orare officium, cùm Deus veros actus Religionis præcipiat. Maj. patet ex Jure Canonico. min. prob. ad Hebræos 5. ubi munus Sacerdotum Miniſterii Dei dicitur dona & Sacrificia pro populi peccatia Deo offerre, ut etiam patet ex Lev: imò etiam ex ratione, quia tales Miniſtri conſtituuntur mediatores inter Deum & populum; ſed naturali & Divino jure tenetur, qui officium mediatoris recipit, intercedere pro populo apud Deum: ergo cùm non ſit verus homo ſine anima, nec vera externa oratio ſine interna attentione, cum hæc ſit anima ejus: ergo illi jure Divino tenentur attentè orare, quando illud jus Divinum ab Eccleſia fuerit determinatum.

10 Probatur 2. pars: illæ pœnæ taxantur ab Eccleſia ob præceptum quod ipſa imponit; ſed hujus præceptum ſervari poteſt abſque interna attentione, uti in Aſſert. 1. conſtat: ergo talis propter omiſſionem attentionis internæ non incurrit pœnas ab Eccleſia ſtatutas præſertim cenſuras in non devotè orantes: interim tamen Confeſſarius poteſt obligare Canonicos ad reſtitutionem fructuum, qui ſuas horas abſque interna attentione recitarunt propter tranſgreſſionem legis Divinæ & naturalis, cum officium teneatur jure Divino & naturali perſolvere, & non perſolvendo eodem jure Divino & naturali privetur fructibus beneficii, cùm hoc detur propter beneficium, & ideo ad reſtitutionem jure naturali obligatur, cum orans ſine attentione interna dat falſam pecuniam pro beneficio, & ſine fructu ſpirituali quem deſiderat fundator pro anima ſua, ſicut tenetur reſtituere equum, qui dat falſam pecuniam pro eo.

11 Objicies: Deus præcipit exhibere honorem parentibus, & tamen ſatisfacit filius parenti, ſi illi externa tantùm obſequia exhibeat: ergo etiam ſatisfaciet quis Deo externo ſolùm corporis cultu.

Reſpondeo dubito de antecedenti, interim tamen diſparitas eſt, quia honor quem debemus parentibus principaliter conſiſtit in reverentia & ſubmiſſione externa, quam facit homo homini, cultus verò Deo debitus principaliter conſiſtit in actibus internis.

Dices: licèt recitatio officii externa non ſit opus validum apud Deum, poterit tamen eſſe validum ex intentione Eccleſiæ, in cujus perſona Clericus abſolvit officium, ſicut & actio ſacramentalis ex mala intentione Miniſtri, licèt ſit invalida, ad impetrandum apud Deum eſt tamen valida ex intentione Chriſti, in cujus perſona à Miniſtro exercetur.

Contra licèt probabile ſit recitationem illam taliter poſſe eſſe validam, non tamen à Deo acceptatur ad tantam gratiam, ad quantam acceptaretur, ſi cum debita attentione perſolveretur, & quantam fundator beneficii deſideraverat, adeóque adhuc ad repetendum jure naturali & Divino obligabitur.

Dices: ex hoc ſequi: quòd beneficiarius Divinum Officium non tantùm attentè ſed etiam in ſtatu gratiæ debeat perſolvere, cùm etiam majoris valoris ſit apud Deum, ſi in gratia perſolvitur; ſed hoc non admittitur: ergo nec id unde ſequitur.

Contra neg. ſequelam, quia qui beneficium confert ſolùm cenſetur cum Beneficiario contrahere de valore, qui per ſe conſequitur ex natura operis, de quo contrahitur, non de valore, qui ab extrinſeco derivatur v. g. à gratia habituali vel ædificatione aliorum per ſolam externam orationem præſtitam.

Aſſero 3. *Lex humana tam civilis quàm Eccleſiaſtica poteſt obligare ſubditos in conſcientia.* Eſt Scoti in 4. diſt. 19. quæſt. un. §. *de quarto.* ubi dicit: *quòd invalidè abſolvit & peccet mortaliter, qui poſt ordinationem in Sacerdotem abſolverit contra prohibitionem Superioris.* Item in 4. diſt. 37. quæſt. un. §. *Ad argumenta.* ubi conjugatum ſuſcipere ordines contra prohibitionem Eccleſiæ tenet peccare, & alibi ſæpius. Eſtque communis contra Gerſonem & quaſi de fide ex illo ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* 12

Probatur 1. Lex humana ſive civilis ſive Eccleſiaſtica derivatur à lege æterna juxta illud Proverb. 8. *per me Reges regnant &c.* ergo habet vim obligandi in foro conſcientiæ. conſeq. prob. quod derivatur ab aliquo, participat rationem ejus ſuo modo ſcilicet juxta naturam ſuam: ergo cùm de ratione legis æter-

næ

næ ſit obligare poſſe in foro conſcientiæ, id ipſum erit dicendum ſuo modo de ratione Legis humanæ.

Reſponderi poſſet hanc poteſtatem humanos principes ſolùm habere ex ſpeciali commiſſione DEI, non verò ex vi natura poteſtatis gubernativæ humanæ.

Contra eſt hoc ipſo quòd Principes humani accipiant poteſtatem gubernativam à DEO vel à populo, ſimul accipiunt authoritatem obligandi in conſcientia ex natura rei juxta materiæ gravitatem & non ex ſpeciali commiſſione DEI, nam eo ipſo quòd Princeps ſit legitimus Superior, populus ſit illi ſubjectus in ordine ad bonum commune conſervandum: ergo in conſcientia tenetur ei populus obedire, cùm lex naturalis dictet obediendum eſſe Superiori. Nec inferas: ergo non obligant ut leges humanæ, ſed ſola Lex naturalis in conſcientia, nam contra diſting. non ut leges humanæ particulariter & formaliter neg. univerſaliter & originativè conc. nam hoc à Lege naturali oritur, ut à cauſa univerſali remota, à Lege autem humana ut à proxima & particulari; adeoque ſicut effectus tribuitur cauſæ particulari ſua actione determinanti cauſam univerſalem, ita obligatio in conſcientia tribuitur legi humanæ, quæ ut cauſa particularis ſua obligatione determinat proximè legem naturalem univerſalem. Nec inferas: ergo etiam Lex humana poteſt dici obligare ad actus internos, cùm lex humana poſſit determinare præcepta naturalia & Divina obligantia univerſaliter ad actus internos, uti in Aſſert. 2. conceditur. Nam contra eſt: hæc illatio quidem valdè urget contra Aſſertiones priores, ſed diſparitas eſſe poteſt, quia quamvis Lex humana poſſit determinare Legem divinam & naturalem de actibus internis, horum tamen effectus obligationis non debet adſcribi naturæ legis humanæ determinativæ, quia finis naturalis & efficax directio boni communis ſolis obligantibus ad actus externos legibus humanis poteſt obtineri; aſt ſolis legibus humanis non obligantibus in conſcientia non poſſet obtineri; cùm aliàs Leges humanæ eſſent valdè debiles & inefficaces, & ſic ſæpe ſuo fine poſſent fruſtrari; cùm frequenter poſſent violari abſque periculo incurrendi pœnam æternam; adeoque merito talis obligatio etiam ingreditur naturam Legis humanæ. Igitur etiam ad actionem externam ponendam in conſcientia obligabit Lex humana.

Probatur 2. Poteſtas obligandi in conſcientia reperitur in quavis communitate imperfecta, quæ conſtat ex viro, uxore, & filiis ac famulis: ergo multò magis in communitate perfecta. Antec. patet ex illo Deut. 21. ubi jubetur morte puniri filium inobedientem & contumacem. Conſeq. verò prob. majus debitum eſt obedire Principi propter bonum Reipublicæ, quàm patrifamilias propter bonum unius domûs.

Probatur 3. Ipſa natura gubernationis humanæ infert neceſſitatem obligandi ſubditos in conſcientia. Ergo. Antec. prob. tum quia aliàs poteſtas legislativa foret inutilis & inefficax, nec bono communi conſuleretur. Tum quia ſine hac obligatione ſubditi interioſeè eſſent hypocritæ, & ſolùm ob timorem pœnæ ſervarent humanas Leges, quod eſſet contra rectam rationem: ergo.

Objicies 1. Lex humana præſertim civilis habet temporalem finem & pacem externam; ſed obligatio in conſcientia reſpicit bonum internum: ergo Lex humana non ponit obligationem in conſcientia. 13

Reſpondeo diſting. maj. Habet finem temporalem ratione objecti quia ſecundùm ſe tota eſt de perſonis & actionibus temporalibus conc. ratione obligationis quam inducit neg. maj. ratione obligationis ergo poteſt Lex dici ſpiritualis & habere finem ſpiritualem, præterea licèt obligatio conſcientiæ ſit interna, & cujusque proprium bonum reſpiciat, deſervit tamen ulteriùs ad bonum commune, quia in bonitate morali ſeu conſcientiæ fundatur bonum commune politicum, adeóque licèt finis Legis civilis ſit pax externa, habet tamen annexum, quòd ſalva conſcientia ei non poſſit reſiſti.

Dices: Si Legislator humanus poſſet ſub culpa præſertim gravi obligare, deberet huic culpæ etiam poſſe imponere pœnam debitam; ſed non poteſt talem pœnam, quæ eſt infernalis & extra tribunal humanum imponere: ergo.

Contra diſting. min. Non poteſt imponere pœnam infernalem directè conc. non poteſt indirectè neg. min. nam Legislator humanus poteſt indirectè obligare ad eam, eò quòd cum ejus obligatione ſit conjuncta obligatio legis æternæ, ut leges humanæ ſerventur, ut patet inſtantiâ, quâ poteſt princeps aſſignare pœnam illis, qui transgrediuntur in ſua abſentia Leges ſuorum gubernatorum, adeóque licèt gubernatores ſub illa pœna non poſſint directè ſubditos obligare ad ſervandas leges, eò quòd pœnam non dictaverint, obligare tamen poſſunt indirectè, ut exinde obligatio principis exequatur, unde licèt pœna ſit extra tribunal humanum, non tamen extra ejus tribunal 14 eſt actus, pro cujus transgreſſione ipſe Deus pœnam alterius vitæ infligit, nec eſt neceſſè, ut à Legislatore humano talis pœna cognoſcatur, cùm non debeat ab ipſo, ſed à DEO infligi, qui ut ſupremus Judex punit condignâ pœnâ omnem culpam rationi adverſantem.

Dices: nequit poteſtas humana pœnam alterius vitæ remittere: ergo nec ad hanc obligare indirectè.

Contra neg. conſeq. ut patet de Lege naturali, quæ etiam non poteſt remittere pœnam

alterius vitæ, poteſt tamen ad eam obligare indirectè & mediatè, imò in hoc ſenſu pœnam etiam poteſt remittere, non quidem poſtquam per transgreſſionem jam eſt contracta, ſed tollendo obligationem à lege, quâ ſublatâ Lex non ampliùs obligat ad pœnam.

Dices: Valdè durum eſt transgreſſorem duplici puniri pœnâ; ſed ſi Lex humana poteſt obligare ſub peccato idem transgreſſor ob peccatum perpetratum bis puniretur, ſemel à Principe ſæculari, & ſemel à DEO in altera vita: ergo.

Contra neg. maj. nam aliàs ſequeretur nec furta or homicidia punita à Principibus ſæcularibus eſſe punienda à DEO, adeóque ſufficit, quòd Legislator intendat ſubditos obligare ad ſervandam ſuam Legem, ad quam pro materiæ qualitate etiam ſub peccato gravi obligantur.

Dices: Nihil poteſt judex inferior in foro Judicia Superioris; ſed forum conſcientiæ & alterius vitæ pertinet ad DEUM, unde dicitur forum poli: ergo.

Contra diſting. maj. Nihil poteſt, ſi non acceperit poteſtatem à ſuperiori Judice conc. ſi acceperit neg. maj. Legislator autem humanus jurisdictionem indirectam in ſubditorum conſcientias ſemper habet à DEO, & diſting. min. forum conſcientiæ & alterius vitæ pertinet ad DEUM directè & immediatè conc. indirectè & mediatè neg. min. & conſequent.

Dices: Ergo cùm ſolius DEI ſit aliquid ſub tali pœna inſtituere & eam infligere, nec poteſt dici Legislator humanus ad talem pœnam obligare indirectè, ſicut cùm ſolius DEI ſit Sacramenta inſtituere, quia ſolùm ipſe poteſt gratiam efficaciter præſtare, nulla creatura dicitur indirectè inſtituere Sacramenta.

Contra neg. illatum, nam licèt ſolius DEI ſit pœnam alterius vitæ taxare ſeu inſtituere, ad eam tamen ſemel à DEO taxatam poteſt homo indirectè & mediatè per ſuam legem obligare; ſed DEUS non ſolùm taxavit pœnam violantibus legem ſuam, ſed etiam leges humanas. Paritas de inſtitutione Sacramentorum etiam eſt pro nobis, quia potuit talis poteſtas communicari Chriſto, ut ſcilicet ad quodlibet ſignum ab ipſo poſitum DEUS infunderet gratiam ut Inſtitutor & Legislator primarius.

14 Objicies 2. Defraudatores tributorum & vectigalium in judicio pœnitentiali non damnantur gravis peccati, neque ad reſtitutionem vel pœnam exſolvendam ante judicia ſententiam obligantur: ergo Leges civiles tributorum & vectigalium non obligant in conſcientia.

Reſpondeo diſting. antec. Non damnantur, ſi adſint omnes debitæ conditiones ad juſtam legem neg. quia modo plerumque deficiunt debitæ conditiones ad talem juſtam legem conc. antec. hinc probabiliùs dicendum eſt leges tributorum, ſi verbis præceptivis exprimuntur, obligare in conſcientia, ſi adſint debitæ conditiones ſcilicet legitima authoritas Principis, finis juſtus pro bono publico, & quantitas moderata non exceſſiva, quia tales fundantur in juſtitia legali & commutativa, in legali, quatenus tenetur membrum juxta proportionem ſuarum virium concurrere ad ſublevandas neceſſitates communes, in commutativa verò, quatenus ſubditi debent principi ſuſtentationem & redditus congruos propter onera & curam publici. Unde Matth. 22. dicit Chriſtus: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris* &c.

Dices: Similibus legibus ſemper adjungitur pœna; ſed hoc probat intentionem talium legum non eſſe obligare ad culpam, ſed ſolùm ad pœnam: ergo.

Contra neg. min. Quia ſola pœna adjuncta non probat legem eſſe purè pœnalem, ſed potiùs arguit gravitatem & roborat obligationem, unde ſi Legislator non dicat expreſsè ſe non velle obligare ſub culpa, ſemper obligabit in conſcientia, imò etiam lex purè pœnalis licèt non obliget in conſcientia ad actum, qui immediatè præcipitur, obligat tamen in conſcientia ad acceptandam pœnam propter transgreſſionem impoſitam.

Dices: Ergo etiam ſi expreſsè diceret ſe tantùm velle obligare ad pœnam obligabit ſemper in conſcientia, quia pœna ſupponit culpam.

Contra neg. illatum & ejus rationem diſtinguo pœna ſupponit culpam vel Theologicam vel civilem conc. ſemper Theologicam neg. vel aliter pœna rigoroſa ſupponit culpam conc. pœna latè accepta & medicinalis neg. ſi autem lex merè & explicitè eſt pœnalis, tunc non eſt rigoroſa pœna, quia eſt tantùm quædam moleſtia in finem boni communis inflicta; nec proinde ſupponit culpam Theologicam ſed civilem, quæ eſt inordinatio boni communis ad hoc non neceſſaria, ſed ſolùm ad melius eſſe, ut ſunt ſtatuta Religionum non obligantia ad culpam ſed ſolùm aliquam pœnam. Hinc eſt quod defraudatores tributorum plerumque excuſentur in foro pœnitentiali, quia aliquando eſt tantus exceſſus vectigalium impoſitorum, ut Legislator ad eorum ſolutionem conſcientias onerare non præſumatur, ſed tantùm ad pœnas obligare. Tum quia aliquando eſt vana perſuaſio ſub prætextu publicæ neceſſitatis aut congruæ ſuſtentationis luxum & pompam quæri, & aliquando tributa ad publicam neceſſitatem primitus impoſita ſublata neceſſitate in luxum vertuntur. Tum quia legitimè aliquando de juſtitia tributi impoſiti dubitatur, & tunc poteſt eſſe melior conditio poſſidentis. Tum quia extraneis, quibus propter ſolum tranſitum magna ſæpè vectigalia ſunt ſolvenda, non tanta eſt obligatio ad bonum alieni principis, quàm propriis ſubditis. Tandem ſententia dicens leges tributorum eſſe purè pœnales videtur

detur

deatur eſſe practicè probabilis, ut ſuo loco dicemus de Lege pœnali.

QUÆSTIO IV.

An Leges humanæ in materia gravi poſſint inducere obligationem levem, & an poſſint obligare cum diſpendio vitæ?

1 ADvertendum eſt 1. Obligationem legis potiſſimùm pendere ex voluntate Legiſlatoris, ſi utatur verbis non ſolùm voluntatem, ſed etiam præceptum ſignificantibus, ut præcipio, jubeo, prohibeo, nemini liceat &c. tunc enim etſi nulla ſit expreſſa mentio de obligatione in conſcientia, nihilominus obligare cenſebitur, & pariter, ſi ſit de materia gravi, licèt non expreſsè indicetur gravis obligatio, graviter tamen obligare cenſebitur, quia præſumitur Legiſlator efficaciam legis velle admenſurare capacitati materiæ, quæ dum eſt gravis, eſt capax gravis obligationis, neque in tali caſu poteſt eſſe propriè dubium de voluntate graviter obligandi, quia voluntas abſolutè obligativa non ſupponit pro voluntate obligandi ſecundùm quid, qualis eſt obligatio ſub veniali, ſed pro voluntate obligandi ſimpliciter, quæ tanquam cauſa ſufficienter applicata in materia capaci operatur effectum quantum poteſt, niſi aliunde ejus activitas limitetur, quæ limitatio non adeſt in caſu; præterea etiam niſi conſtet ex tenore legis illam eſſe purè pœnalem, tunc ex gravitate pœnæ adjunctæ rectè colligitur gravitas obligationis, quia de Legiſlatore præſumi debet, quòd legem prudenter condiderit, levi autem culpæ non prudenter adjicitur pœna gravis.

2 Advertendum eſt 2. Aliquam materiam de ſe abſolutè & materialiter levem, poſſe eſſe reſpectivè & formaliter gravem ſcilicet in ordine ad finem à Legiſlatore intentum & expreſſum, ſic per ordinem ad talem finem proximum aliqua Religioſorum præcepta ſunt de materia gravi & magni momenti reſpectivè, hinc poteſt Prælato interdum eſſe ſufficiens motivum prohibendi mortaliter, ne talis Religioſus ingrediatur certam aliquam domum, nam licèt tale in ſe & intrinſecè ſit parvi momenti, extrinſecè tamen & reſpectivè ad bonum Religionis vel evitandum ſcandalum, ſæpè multùm refert, tale etiam fuit præceptum Adæ impoſitum de abſtinentia à fructu arboris, nam licèt hæc in ſe ſit parva, finis tamen erat graviſſimus, nam præcipiebatur illi in recognitionem obedientiæ Deo debitæ & quaſi in tributum humanæ ſubjectionis ad Deum. Pariter tale præceptum grave eſt nunc in Eccleſia propter altiſſimum & graviſſimum myſterium admixtionis modiciſſimæ aquæ in Sacrificio Miſſæ. Econtra verò materia omnino levis eſt, quæ nec ratione ſui nec ratione talium circumſtantiarum ad prædictum finem multùm conducit; quòd ſi verò oriatur dubium, an materia per ſe gravis ſit? Eſt præſumenda ut talis, ſi Legiſlator exprimat ſe velle obligare ſub mortali, nam in dubio prævalet jus Superioris & pro illo ſtat poſſeſſio, meliórque proinde eſt ejus conditio, ſi verò etiam dubium eſt an Legiſlator intenderit velle obligare ſub mortali pro communi regula inſpiciendus eſt communis doctorum ſenſus aut hominum opinio reputantium obligationem eſſe mortalem, ut de præcepto jejunii Eccleſiaſtici communiter tenetur.

Advertendum eſt 3. Cum deciſum ſit 3
quæſt. priori legem humanam poſſe in conſcientia ſub mortali obligare, oritur etiam dubium, an poſſit cum diſpendio vitæ obligare? quia parùm diſpar utriuſque videtur ratio, cum æquè gravis ſit obligatio cum mortali quàm cum diſpendio vitæ, non autem inſtituitur quæſtio an perfecta communitas aut ejus Princeps poſſit obligare ſuos ſubditos etiam cum manifeſto vitæ periculo? Si periclitetur ſalus publica, ut fit in bello juſto, in quo ob publicam pacem regni Rex ſubditos & Dux milites exponit evidenti periculo mortis, in quo caſu etiam ſubditi & milites cum periculo vitæ tenentur obedire, nam omnis perfecta communitas debet habere medium conſervandi ſalutem totius etiam cum diſpendio alicujus partis, cum non minùs de jure naturæ ſit, ut totum ſe conſervet etiam cum deſtructione partis, quàm ut pars periculo ſe exponat propter conſervationem totius. Hinc pro univerſali regula habetur: quotieſcunque id, quod Lege humana obſervandum proponitur prudentis ac præcipuè Legiſlatoris arbitrio judicatur ceſſurum in longè majus bonum communitatis quàm ſit conſervatio vitæ unius quàm alterius, certò tenendum eſt talem legem obligare cum diſpendio vitæ ad ſuam obſervantiam, cùm bonum commune debeat prævalere bono privato, & bonum privatum jure naturæ teneatur cedere bono communi, tales autem leges obligantes ad exponendam vitam pro conſervatione Reipublicæ non ſunt merè humanæ ſed naturales, nam natura dictat, ut partes cum diſpendio ſui ad conſervationem totius Reipublicæ ſe exponant. Hinc conſervatio vitæ alicujus in particulari concernens eſt ſolùm juris naturalis immutabilis, non verò conſervatio vitæ concernens bonum totius communitatis, adeóque ſola difficultas eſt, an leges humanæ etiam extra caſum Reipublicæ conſervandæ univerſaliter poſſint ſubditos obligare cum diſpendio vitæ. His notatis:

Propoſitio 1. *Nec divina nec humana Lex* 4
poteſt obligare ſub culpa mortali in materia tam abſolutè quàm reſpectivè levi. Ratio eſt, quia de ratione legis eſt ut ſit juſta & rationabilis; ſed lex non eſt juſta aut rationabilis,

quæ ſub graviſſime pœna, qualis eſt pro mortali culpa, præcipit materiem levem, cum omnis pœne debeat proportionnari culpæ: ergo. Ex quo petec, licèt Deus poſſit ut ſupremus Dominus pœnam æternam infligere pro transgreſſione materiæ levie, non tamen poteſt eam infligere ut judex, nem taliter debet eam infligere eum proportinne ad culpam.

Nec dices: poteſt vovene ſub mortali ſe obligare ad ſervandum votum in materia levi v.g. quotidie orendo quinque Pater & Ave: ergo etiam poteſt Legislator obligare ſuos ſubditos greviter in meterie levi.

Reſpondeo neg. entec. Nam etiam tale votum eſt irrationabile & injuſtum, & ideo tale lepidum votum acceptatur à Deo.

Dices: Saltem fecere contra præceptum Superinris, quo jubet, ut ſibi etiem in materia levi obediatur, eſt ſemper graviter offendere Superiorem in virtute obedientiæ: ergo etiam ſemper poteſt graviter obligare.

Contra neg. ancec. Nam etſi expreſsè præcipiat, ut ſibi in materia levi ſub mortali obediatur, non graviter offenditur ſuperior, cùm grevitas offenſionis impediatur per materiam levem, quæ eſt incapax gravia obligetionis, niſi novum obediendi titulum ad materiam ſub mortali obligantem ſufficientem eddat.

5 Propoſitio 2. *Ad obligationem ſub mortali neceſſaria eſt gravitas materiæ præcepta vel prohibita.* Ratio eſt, quia Legislator obligat ſubditum medio virtutis actu, quem ſua lege in certa ſpecie conſtituit: ergo niſi virtus ipſa præcepta ſit grevis ad bonum commune notabiliter conducene, vel oppoſitum vitium vetitum notabiliter læſivum virtutis aut boni communis, non erit gravis transgreſſio ſub mortali.

Nec dicas: Lex non ſolùm obligat ad medium virtutis, ſed etiam ad imperium Superioris; ſed imperium Superioris etiam in minimie contemnere eſt mortale: ergo ed obligationem ſub mortali non requiritur gravitas materiæ.

Reſpondeo diſting. min. Sed imperium materiale comparatum ed rem præceptam contemnere in minimie eſt mortale neg. imperium formale comparatum ad præcipientem contemnere in minimis eſt mortale conc. min. quia in ordine ad præcipientem inducit novam rationem contemptûs formalis contra Superiorem ut Superior eſt, quæ ſemper eſt culpa gravis. Quare etſi omittere quod Superior, præcipit, ſit leve peccatum, illud tamen ex formali inobedientia omittere eſt ſemper grave, unde qui frangeret ſilentium hac intentione, ut faceret contra voluntatem præcipientium verè eos contemneret & mortaliter peccaret.

6 Propoſitio 3. *Non ſemper nec omnis lex divina obligat cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam, niſi quando honor divinus, aut Chriſtianæ Religionis Fides, aut bonum commune Sacramenti periclitetur.* Ratio primi eſt, quia multa habemus in Scriptura exemple, in quibus lex divine cum tanto periculo non fuit ſerveta ut 1. Reg. 21. Lex de panibus propoſitionie à Laicie non comedendis ob neceſſitatem è Devide non fuit ſervata. 1. Machab. 2. Lex de Sabbato ſanctificando non eſt ſervata à Machabæis, cum in die Sabbatorum prælium conſtiterint, quod per legem fuit prohibitum. Tandem Matth. 12. Chriſtus ſuos diſcipulos apud Phariſæos excuſat, quod die Sabbati propter neceſſitatem ſpicas vellerent, quòd erat lege prohibitum. Ratio ſecundi eſt, quia honor divinus in fide Religionis eſt majus bonum quàm vita hominis, ut ſi quis Chriſtianam fidem coram tyranno taceat, vel æterna ſalus proximi in diſcrimen adducitur, niſi etiam ei cum periculo vitæ ſubveniatur, ut ſi tempore peſtis homo eſſet rudis, ut neſciat contritionem elicere, deberet à Confeſſario vel alio doceri, vel ſi propriæ animæ ſalus periclitetur, ut ſi quis exiſtimet ſe ſalvari non poſſe, niſi cum evidenti periculo mortis Sacramentum Confeſſionis vel Communionis ſuſcipiet. Vel tandem ſi ſigillum Confeſſionis frangere ſub minitatione mortis compelleretur, cùm ſic maximum damnum odioſitatis Sacramento pœnitentiæ inferret. Extra hos autem caſus vix reperiretur lex divina, quæ ad ſui obſervantiam cum manifeſto vitæ periculo obligaret, unde ſub tali periculo non tenemur obſervare præcepta divina de integritate Confeſſionis, de ſumptione Euchariſtiæ aliquando in vita, & ideò multò minùs præcepta Eccleſiaſtica de jejunio, feſtis &c. niſi in contemptum fidei aut Eccleſiaſticæ poteſtatis transgredi deſiderarentur.

Nec dicas: omnis lex divina obligat ad culpam plerumque gravem, ſed omnis culpa cum quovis periculo vitanda eſt, præſtat enim millies mori, quàm Deum vel leviſſimè offendere; ergo.

Reſpondeo diſting. min. eſt vitanda, niſi lex ceſſet conc. ſi ceſſat lex neg. min. unde potiùs neg. ſuppoſitum min. quia legis divinæ obligatio communiter in prædictis caſibus ceſſare cenſetur, ſi periculum vitæ aut aliud magnum incommodum immineat, ac proinde talis ceſſatio obligationis multò magis in lege humana oritur ex periculo vitæ hoc adhuc diſcrimine, quòd dum lex divina non obligat cum vitæ diſpendio id ſit tribuendum benignitati divinæ temperanti uſum ſui Supremi dominii in noſtras vitas, dum autem lex humana non obligat cum ejusmodi diſpendio, id ſit tribuendum defectui poteſtatis, quia Legislator humanus ab authore naturæ mediante communitate non accepit poteſtatem diſponendi de vita & bonis ſubditorum, niſi in ordine ad bonum communitatis, ut magis patebit Aſſert. 2.

Pro-

7 Propoſitio 4. *Poteſt in aliquibus caſibus lex humana per ſe obligare cum diſcrimine vitæ, quando ſcilicet boni communis magis intereſt obſervatio legis, quàm vita ſubditi.* Ratio eſt, tum quia poteſtas legislativa ordinatur ad conſervationem totius communitatis; ſed aliquando nequit conſervari tota communitas, niſi pars exponatur periculo vitæ ut in bello milites, in perditis vigiliis, in peſte Medici & Sacerdotes, aliàs ſicut unus aut alter in particulari ſe excuſaret, ſic tertius & quartus, ac ſi Legiſlator non poſſet efficaciter providere bono communi: ergo lex humana poteſt hoc præcipere, quæ autem & quando neceſſitas publicæ ſalutis & boni communis cenſenda ſit prævalere privato bono civium, prudenti judicio Legiſlatoris, cujus eſt de bono publico judicare relinquitur.

Nec dicas: quod obligat milites ad pugnandum cum periculo vitæ contra hoſtes communitatis, eſt lex naturalis: ergo non obligat lex humana.

Reſpondeo diſting. antec. Quod obligat milites ad pugnandum in communi & indeterminatè eſt lex naturalis conc. quod obligat in particulari & determinatè neg. antec. licet enim lex naturalis obliget ſubditos in communi ad pugnandum, lex tamen humana legem naturalem determinat, atque id, quod pro boni communis conſervatione hic & nunc eſt neceſſarium, poteſt ex multis ei præcipere, cui judicaverit convenire, qua lege poſita jam obligatur talis in particulari, qui per legem naturalem non plùs obligabatur quam cæteri; adeóque illa lex 10. ff. de J. & J. dicens: *quòd nemo ſit lædendus*, intelligenda eſt, ſi ob æquale motivum fiat, nos autem dicimus in caſu quò minùs motivum cedere debet majori.

8 Propoſitio 5. *Quamvis ſanctiùs ſit Carthuſianum in extrema neceſſitate ægritudinis teneri cum diſpendio vitæ à carnibus abſtinere, mihi tamen probabiliùs videtur ex Victoria recollect. de temper. Carthuſianum in caſu poſito poſſe quidem à carnibus abſtinere, non tamen teneri, adeóque licitè poſſe veſci carnibus, ſi id judicio Medicorum omnino ſit neceſſarium ad vitam conſervandam.* Ratio primi eſt, quia videtur majoris momenti conſervatio ſtrictioris obſervantiæ in toto Carthuſianorum ordine, quàm vita unius Religioſi; & ſimiliter etiam deberent aliorum Ordinum Religioſi ex amore & reverentia ſuæ Regulæ illam ſervare, ut à morbo liberari nolint, ſi neceſſe ſit Conſtitutiones ſuæ religionis violare, præſertim ſi ex tali violatione non parùm minueretur diſciplina religioſa. Ratio autem ſecundi eſt, quia apud bonos & pios Religioſos non videtur poſſe turbari bonum commune Religionis ex ſimili extraordinario caſu, qui ſolùm contingit in tanta neceſſitate cum prudenti conſilio Medicorum & aliorum prudentum: ergo ad hoc non poteſt tam rigidè obligari amore virtutis, cum lex naturalis potiùs urgeat conſervationem vitæ, ſi non eſt gravis neceſſitas conſervandi bonum commune.

Nec dicas cum Doctoribus Pariſienſibus: Carthuſianus planè tenetur comedere carnes, & aliàs peccaret contra jus naturæ de conſervanda vita propria, ſi ab illis abſtinet: ergo nec poteſt cum diſpendio vitæ talem legem Monaſticam obſervare.

Reſpondeo neg. antec. quod parum probabile videtur, nam poteſt quis ad liberandum amicum ſe exponere periculo mortis, & in naufragio licitum eſt filio Patri aut Principi vel alio egregio viro tabulam relinquere, cùm eam poſſet commodè capere & mortem vitare: ergo etiam poterit Carthuſianus tutâ conſcientiâ abſtinere à carnibus impellente ad id obligatione & virtute ſuæ Regulæ. His propoſitis

Aſſero 1. ad quæſt. *Poſſunt leges humanæ in materia gravi inducere obligationem levem.* 9
Deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 38. quæſt. un. §. *dico quod votum*, dicente: *Eccleſia non omnia mala punit, nec ſic ea prohibet, ut propterea pœnas Eccleſiaſticas injungat.* Eſtque Suarez Lib. 3. de LL. cap. 27. contra Vaſquez & Amicum.

Probatur 1. non eſt repugnantia ex parte Legiſlatoris, neque ex parte materiæ præceptæ ut materia gravis, de ſe tamen indifferens ut recipiat obligationem levem: ergo leges humanæ poſſunt illam inducere. Antec. prob. quoad 1. partem cauſa moralis & libera non habet neceſſitatem applicandi totam activitatem quam poteſt; ſed Legiſlator eſt cauſa moralis libera obligationis per ſuam voluntatem: ergo non habet neceſſitatem applicandi totam virtutem obligativam, ideo vel poteſt omnino cohibere omnem virtutem obligativam proponendo materiam levem ſolùm per modum conſilii, vel poteſt obligationem extendere ad ſolam pœnam vel disjunctivè ad actum vel pœnam, vel tandem poteſt materiam gravem ſolùm præcipere ſub culpa vel pœna levi, cujus omiſſio ſit venialis, vel potuiſſet præcipere ſub pœna gravi. Prob. antec. quoad 2. partem, materia gravis de ſe tamen indifferens ideo eſt indifferens, quia ab intrinſeco non exigit eſſe prohibita ſub gravi obligatione: ergo poteſt eſſe prohibita ſub minori eſt levi obligatione, ſic jejunium octo dierum poſſet ab Eccleſia præcipi ſolùm ſub obligatione veniali & pari ratione ſolùm ſub levi obligatione voveri.

Probatur 2. Effectus moralis non poteſt ſine conſenſu voluntatis; ſed dum Legiſlator in materia gravi vult leviter obligare, nullus adeſt conſenſus ipſius, ut oriatur gravis obligatio: ergo vel oritur tantùm levis obligatio vel nulla? ſed non nulla, quia Legiſlator intendit obligare, & materia capax gravis obli-

gatio-

gationis non ideo efficitur incapax levis obligationis ut liget liberam voluntatem præcipientis: ergo oritur ſolùm levis obligatio; quod efficaciſſimè confirmat praxis quarumdam Religionum, quarum regulæ & ſtatuta etiam in materia gravi, ut eſt abſtinentia, perpetua à carnibus apud Carmelitas Diſcalceatos ſolùm obligant ſub veniali; ſed hæc ratio ob ſenſum communem totius alicujus graviſſimæ Religionis & ob confirmationem Pontificum talis ſtatuti ſic intellecti eſt optima proba: ergo.

10 Objicies: non eſt in poteſtate Legislatoris humani reſtringere poteſtatem legis naturalis; ſed ex hypotheſi quod Legislator humanus poſuerit præceptum de materia gravi, lex naturalis, quæ jubet obedire Superioribus juſta præcipientibus, concomitanter obligat in materia gravi ſemper graviter: ergo Legislator humanus non poteſt leviter obligare in materia gravi.

Reſpondeo diſting. maj. non poteſt reſtringere obligationem juris naturalis immediatè influentis independenter à voluntate Legislatoris Conc. ſolùm remotè & mediatè influentis ac dependenter ab intentione præcipientis neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. ſicut ergo lex naturalis nullo modo obligat v. g. ad abſtinendum à carnibus, antequam Legislator vult obligare ad abſtinendum, ita nec obligabit graviter, quando Superior non vult graviter ſed ſolùm leviter, non enim lex naturalis graviter obligat ad parendum Superioribus graviter non obligantibus, unde talis obligatio totaliter & immediatè ex voluntate humani Legislatoris oritur.

Dices: Legislator ſua lege obligat ſubditos conſtituendo eis medium; ſed hoc præcipit in materia virtutis neceſſariæ ad bonum commune: ergo eo medio obligationem inducit; ſed medium grave inducit obligationem gravem: ergo.

Contra neg. min. præmiſſam, & diſting. ſubſumptam medium grave formaliter & in ratione medii inducit obligationem gravem conc. medium grave materialiter ſolùm & in ratione rei neg. ſubſumptam, nam materia de ſe indifferens accipit rationem medii à libera ordinatione Legislatoris ad finem per ſe intentum: ſi ergo per levem obligationem velit hanc materiam non eſſe medium neceſſarium ad obtinendum finem intentum, eo ipſo non erit materia formaliter gravis & medium ex natura rei neceſſarium, ſi verò per gravem obligationem velit eſſe neceſſariò connexum erit formaliter gravis & abſolutè neceſſarium medium.

Dices: radix tam malitiæ mortalis quàm venialis non eſt intentio Legislatoris, ſed natura objecti, quæ ſi dicit gravem repugnantiam cum charitate & lege rationis fundat malitiam mortalem, ſi repugnantiam levem, malitiam venialem; ſed transgreſſio legis humanæ in materia gravi habet gravem repugnantiam cum ratione, ſicut transgreſſio legis Divinæ in materia gravi habet gravem repugnantiam cum ratione: ergo.

Contra diſting. maj. talis radix eſt natura objecti ita tamen, ut in materia extrinſecè mala habeat latitudinem & capacitatem majoris vel minoris inordinationis dependenter ab intentione Legislatoris Conc. ita ut non habeat talem capacitatem neg. maj. unde eo ipſo quòd materia ſit indifferens, licèt ſit quantumcunque in ſuo genere & materialiter gravis habet hanc capacitatem, ut ſi per aliquam legem præcipiatur, inducat rationem medii ad finem à Legislatore intentum, ſi ergo Legislator judicat ſe meliùs aſſequi finem v. g. charitatis perfectionem non conſtituendo v. g. abſtinentiam perpetuam in ratione medii neceſſarii graviter obligantis, ſed ſolùm aſſumendo ut medium rationabile & valdè accommodatum per levem obligationem, non erit materia gravis formaliter & in ratione medii, aut graviter contra rationem; quod etiam dicendum eſſet de lege Divina circa materias extrinſecè tantùm malas, ſi obligationem levem exprimeret, ſed quia talem non exprimit, cenſetur gravem dediſſe obligationem proportionatè ad materiam gravem, uti ſæpius exprimitur in Scriptura.

Dices: non poteſt Legislator gravem imponere obligationem in materia levi, ut tenemus propoſ. 1. ergo nec levem obligationem in materia gravi. conſeq. tenet, cum utriusque ſit aliqua proportio materiæ & obligationis, imò ſicut materia levis parat levem, ita materia gravis gravem deordinationem ad rationem rectam.

Contra vel nego conſequent. nam diſparitas eſt, quòd materia levis non habeat capacitatem gravis obligationis, materia autem gravis habet capacitatem obligationis levis. vel diſting. conſequens: ergo nec levem obligationem in materia formaliter & actualiter gravi Conc. in materia ſolùm materialiter & potentialiter gravi neg. conſeq. materia autem indifferens formalem gravitatem non habet ab intrinſeco ex natura rei, ſed ab extrinſeca intentione Legislatoris connectentem illam cum ſuo fine.

Aſſero 2. ad quæſt. *Leges humanæ non obligant univerſaliter cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 4. quæſt. 4. §. *hic diſtinguo.* de lege Divina dicente: *obligare noluit Deus hominem ad impoſſibile, vel ſecundùm ſtatum hujus vitæ nimis difficile.* Eſtque Amici contra Cajetanum. 11

Probatur: Legislator humanus non habet poteſtatem diſponendi de vita & bonis civium niſi in ordine ad ſalutem & bonum communitatis; ſed non quodlibet bonum communitatis præponderat vitæ & bonis civium: ergo

Digitized by Google

ergo Legiſlatot humanua non poteſt univerſaliter diſponere de vita civium per ſuaa leges. maj. patet, qoia Legiſlator ea conditione acceepit poteſtatem à Republiea, ut non niſi in gravi orgente neceſſitate publicæ ſalutis & boni totios valeat de vita & bonis civium diſponere: min. etiam patet, quia ſic non videtut bonum decentiæ celebrandi in Saeria veſtibus præponderare vitæ Sacerdotis, & ideo non videtut obligatus Sacerdos metu mortis ad celebrandum oiſi in veſtibus Saeria, aut ad ſumendam Euchariſtiam in tempore Paſehæ, niſi ei metus ineutiatur in contemptum proteſtationia fidei aut poteſtatis Eccleſiaſtieæ. Vide plura ex prop. 3. ex qua ſic: nec lex Divina univerſaliter obligat cum diſpendio vitæ: ergo multò minùs lex humana oniverſaliter.

12 Objicies: Quivis homo magis eſt communitatia quàm ſui ipſius etiam quoad propriam vitam, ſicut quævia para magis eſt totius quàm ſui: ergo lex humana, quæ ſemper reſpicit bonum communitatis, habet poteſtatem diſponendi de vita ſuorum civiom, per conſequena ſemper in quocunque caſu tenetur ſe homo propter legem exponere morti.

3 Reſpondeo diſting. antec. magis communitatia io occurrentia periculi communitatia impediendi per partem Conc. ſine occurrentia talis periculi neg. antec. unde ſolùm probatur, quòd aliquando lex humana poſſit obligare cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam, quando ſeilicet obſervatio legis humanæ plùs prodeſt bono communi, quàm conſervatio vitæ propriæ, adeóque lex jejunii in caſu ægritudinis non obligat, ſicut lex militis ſervandi ſtationem cum periculo vitæ, nam ſolùm in caſu militia expedit pro bono communi vitam exponere, non verò in caſu ægtoti.

Dices: homo potiùs debet mori quàm contrahere matrimonium in gradu prohibito abaqoe diſpenſatione; ſed gradus aliqui ſolo jure homano ſunt prohibiti: ergo ſi in hoc cur non in aliis?

Contradiſting. maj. quàm ſimpliciter contrahere oeg. quàm eontrahere conſummando conc. maj. ad mortem argo vitandam poteſt ſimpliciter contrahere, eum hoc poſſit fieri ſina culpa, non verò poſſet ad eam aeeedere ut ſuam, cùm non ſit ſua, & ideo non poſſet fieri ſine culpa fornicationia, adeóque licet aecedendo ad eam non violaret in caſu mortis minitatæ legem humanam, violaret tamen legem naturalem, quæ ut fornicationem prohibet acceſſum ad non ſuam.

Dices: talem conjugem noo eſſe ſuam, cum qua ex metu ſimpliciter contraheret, hoc ipſum pendet ex lege humana: ergo cùm lex humana non obliget io metu mortia, poterit talis contractua reddere validom matrimooium, & ſic etiam fieri aceeſſus ad conjugem licitus.

Contra diſting. antec. pendet ex lege humana in occurrentia periclitantis boni communia conc. ſine tali occurrentia neg. antec. adeóque talia lex humana decernens conjugem in gradu prohibito non eſſe ſuam cum periculo vitæ eſt obſervanda, eùm eam eſſe ſuam non ſit expediens magis propter multa matrimonia, quæ in megnum Reipublieæ damnum contra hanc legem prætextu gravis metûs fierent.

Dices: in cap. *Sacris de his quæ vi.* decernitur eum, qui propter metum eum excommunieato communicat non exeuſari ab excommunicatione, quæ eſt mors in ſpirituali judicio, ſieut decapitatio io judicio civili: ergo.

Contra neg. conſeq. quia ille Canon intelligi debet de communicatione in Sacria interveniente ſcandalo, vel de communicatione in crimine crimino ſo.

Dices: Lex humaoa ſicut præcipiendo ponit actum in ſpecie virtutia, ita prohibendo conſtituit actum in ſpecie vitii; ſed homo nullo metu excuſatur vel ab omiſſione actus virtutia præcepti vel à commiſſione actus vitii prohibiti: ergo.

Contra neg. min. primæ partis, ſi obſervatio illius virtutis non cenſeatur neceſſaria ad bonum publicum vel propriam aut proximi ſalutem, ſecundam aotem partem min. conc. oullum mortia excuſare à commiſſione actus vitioſi, ſed neg. ſoppoſitum in tali caſu actum prohibitum imputari ad vitium, cùm lex humana illum prohibens in tali caſu eſſet obligare.

QUÆSTIO V.

Ad quid obligent leges humanæ pœnales & leges irritantes?

ADvertendum eſt 1. Legem pœnalem dici, quæ aliquam pœnam ſtatuit, & diſtinguitur à lege morali, quæ nollam pœnam ſtatuit, ſed mores dirigit obligando ad actum vel omiſſiooem ejus, quod ſi verò lex obliget ad actum ſimul & pœnam, dicitur lex mixta ex morali & pœnali, ſi verò ſolam pœnam irroget, nec ad actum faciendum vel omittendum obliget, appellatur purè pœnalia, quæ etiam purè obligat ad pœnam, noo verò io conſcientia ad ipſum opus, difficilè autem eſt dignoſcere legem purè pœnalem à mixta vel obligante io conſcientia; interim tamen hie ſequentibus regulis id commodè poterit diſcerni: primò, ſi pœna ſit Eccleſiaſtica ut excommunicatio, ſuſpenſio &c. quæ ſaltem de facto omnium ſenſu ſupponit culpam in conſcientia. Secundò, ſi in aliqua alia particulari lege vel conſuetudine omninò conſtet legem non obligare in conſcientia, verè noo obligabit, quia conſuetudo eſt optima legis interprea, licèt fortè re ipſa Legislator aliter intenderit. Tertiò, quando lex ita fertur, ut non tam dieatur præcipi actus vel omiſſio ejus quàm ipſa pœna ſtatui v. g. ſi quis 1

in proprio ſuo fundo ſuas proprias feras occidit, ducentoa aureos ſolvat, probabiliſſimè dicitur non obligare in conſcientia, ſed ſolùm ad pœnam, quia ſine fundamento diceretur talem peccare, eò quòd aliqualiter impediat ne Princeps poſtea pro recreatione tot feras inveniat, nam ſufficiens gravamen eſt illud pecuniarium: excipiunt tamen aliqui pœnas graviſſimas ut mortis vel mutilationis, nam aliàs lex eſſet imprudens, ſi propter rem, quæ culpâ caret, pœnam mortis imponeret. Quarcò, ſi res præcepta ſit directè pertinens ad mores, ut maximè in rebus ſpiritualibus, tunc erit obligatio in conſcientia, ſi autem concernit alias commoditates temporales, noo tam facilè obligabit in conſcientia, quia in rebus morum valdè conveniens eſt obligatio in conſcientia; in purè politicis verò ſufficit obligatio in foro externo ad pœnam. Tandem quintò optimum diſcrimen eſt, ubi Legislator dicit, ſe nolle niſi ad pœnam obligare, nam tunc non eſt dubium, quin talis lex ſit purè pœnalis, ſi verò rationabile ſit dubium, tunc melior erit conditio libertatis rei, cui ſemper favendum eſt ex Reg. Juris 49. in 6. quòd etiam ex jure ſtandum ſit in dubio pro cuſtodia legis hoc ſolùm intelligendum eſt de legibus non pœnalibus, vel quando aliàs nullo modo lex ſervatur.

2 Advert. eſt 2. Famoſiſſimam legis pœnalis diviſionem eſſe io legem pœnalem ferendæ ſententiæ, & latæ ſententiæ, prima eſt, quâ Legislator ſolùm comminatur pœnam, ſeu mandat judici, ut reo pœnam infligat, ſecunda verò eſt, quâ Legislator defactò transgreſſori pœnam imponit, ac ad eam condemnat, & dicitur ſententia à jure ad differentiam ſententiæ ab homine, quæ in judicio citatis reo & teſtibus fit, difficile autem iterum eſt dignoſcere an lex pœnalis contineat ſententiam latam vel ferendam, nihilominus tamen ſæ ſequentibus regulis poterit id colligi. Primò, ſi lex tantùm comminetur pœnam, vel ſi tantùm de ea loquatur per tempus futurum v. g. ſi dicat: ſub pœna excommunicationis, ſub pœna privationis actuum legitimorum, vel dicendo reus erit, pœnæ ſubjacebit, pœnam ſe noverit incurſurum, his enim & ſimilibus verbis non ſatis indicatur ſententia lata, cum rectè explicari poſſit per ordinem ad ſententiam à judice ferendam. Secundò, ſi lex utatur verbis etiam imperativi modi, quæ tamen non im̃ediatè afficiunt ipſam pœnam, ſed potiùs reatum pœnæ, vel ipſam actionem judicis v. g. reus ſit talis pœnæ, reatum pœnæ incurrat, vel excommunicetur, ſuſpendatur à Divinis &c. hæc ſolùm continent ſententiam ferendam. Tertiò, lex erit latæ ſententiæ, ſi ſententiam judicis expreſsè excludat, ut ſi additæ ſint quædam particulæ id indigitantes & nullam dilationem temporis admittentes v. g. ipſo facto, ex tunc, mox, v. g. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: item ſi lex dicat reum eſſe in conſcientia obligatum ad pœnam, item ſi, Legislator ſibi vel legi ſuæ adſcribat ſententiam, v. g. authoritate noſtra, virtute hujus legis ipſo jure ſubjaceat pœnæ, item ſi lex utatur ſolo verbo indicativi modi præſentis aut præteriti temporis v. g. excommunicamus, ſuſpenditur, excommunicationem ſe noverit incurriſſe. Item ſi lex aliàs eſſet inutilis, ut eſt in lege pœnali irregularitatis, quæ non ab homine ſed ſolo jure infligitur, & in legibus ſtatuentibus impedimenta matrimonii vel profeſſionis quæ poſtmodum irritari non poſſent: ad hæc pariter reduci probabiliter poteſt pœna conventionalis, quam ipſi contrahentes ſolent imponere contractibus ſolvendum ab eo, qui contractui non ſteterit, attamen regulariter non videtur hæc pœna deberi quouſque pars illam exigat, eò quòd petitio partis ex mente contrahentium videatur ſuccedere locò ſententiæ judicis & non petens cenſeatur pœnam condonare. Tandem in his omnibus, ſi dubium eſt an verba legis contineant ſententiam latam vel ferendam, cenſendum eſt continere ſolùm ferendam, quia in pœnis benignior pars eſt ſequenda.

3 Advert. eſt 3. Quarumdam legum ſpecialem effectum eſſe irritationem alicujus actus humani, quâ fit, ut actus humanus contra formam legis præſcriptam exercitus ſit invalidus, careátque ſuâ efficaciâ morali, dicuntúrque leges irritantes, quæ aliquando ſunt pœnales aliquando non; pœnales ſunt, quando inducuntur propter culpam aut dolum ſive in odium culpæ v. g. irritatio matrimonii propter crimen uxoricidii aut adulterii vivente conjuge cum promiſſione futuri matrimonii; non pœnales ſunt, quando fiunt in bonum Reipublicæ vel privatæ perſonæ, non autem in pœnam peccati v. g. irritatio profeſſionis ante decimum ſextum annum ætatis, vel irritatio matrimonii inter conſanguineos & affines ob decentiam & honeſtatem; ſunt autem quædam leges irritantes & non ſimul prohibentes actum, ſed tantùm præſcribentes quaſdam conditiones neceſſarias ad valorem actus vel contractûs v. g. lex præſcribens formam, quâ teſtamentum condi debet, non obligat ſimpliciter & abſolutè, ut homo ſine ulla forma teſtetur, ſed ſolùm, quòd ſi ita teſtatur, nullum ſit teſtamentum, nam ſicut liberè nullum poteſt facere teſtamentum, ita illud poteſt facere ſine forma præſcripta; præterea autem leges prohibentes ſimul velle etiam irritare actum prohibitum dupliciter cognoſci poſſunt, primò, vel formaliter v. g. ſi dicatur: actus ſit invalidus, nullius momenti &c. vel æquivalenter v. g. ut in impedimentis matrimonii, qui contraxerint debent ſeparari, poſſunt tranſire ad alia vota, prolem eſſe illegitimam. Secundò ex præſcripta forma ſubſtantiali, quâ fieri debet certus actus & contractus, tunc

enim

enim per omiſſionem talis formæ redditur actus nullus, ſicut in phyſicis ſine forma ſubſtantiali actus non ſubſiſtit, ſic in contractu matrimonii Tridentinum requirit pro forma ſubſtantiali præſentiam proprii Parochi & teſtium, adeóque ob horum defectum matrimonium eſt irritum, ſecus autem eſt, ſi lex tantùm præſcribit formam accidentalem & circumſtantionalem, qualiter Tridentinum in matrimonio requirit denuntiationes prævias, quarum defectu contractus tamen non eſt irritus, ſed ſolùm illicitus, quando autem præſcripta forma ſit ſubſtantialis vel accidentalis colligi potiſſimùm debet ex clauſulis irritantibus, vel ex conſuetudine, aut communi acceptatione legis in hoc vel illo ſenſu, videndum autem potiſſimùm eſt, an per ſimilia verba ad actum concedi debeat poteſtas per Principem vel legem, vel nova poteſtas detur ſub certa conditione; primum contingit in forma ſervanda in electionibus & alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, ſecundum ſi v. g. datur poteſtas abſolvendi à cenſura injuncta pœnitentia Sacramentali, aut aliquid agendi de conſilio vel conſenſu alterius, tunc enim actus aliter facti ſunt irriti, aliàs autem non videtur forma ſubſtantialis, ſi jam habenti poteſtatem præſcribatur forma in executione ipſius poteſtatis ſervanda, etſi dicatur aliter non poteſt &c. quia hæc intelligi poſſunt; non poteſt licitè jure &c. quod enim jure non poſſumus dicimur non poſſe, licèt actus aliàs ſubſiſtat. His notatis:

4 Propoſitio 1. *Lex pœnalis de ſententia ferenda non obligat reum ſe habere ut punitum, aut pœna ſubjectum.* Ratio eſt, quia reus non obligatur ad plus quàm lex ipſa continet; ſed talis lex ſolùm continet, ut reus pœnæ adjudicetur, quod magis judicem quàm reum concernit: ergo antequam judex ipſum puniat, non debet ſe habere ut punitum, ideo tamdiu poteſt reus validè & licitè ſe gerere tanquam non excommunicatum ſi per legem ſolùm excommunicandus decernitur; ſimiliter poteſt acceptare officium & beneficium & fructus percipere, etſi crimen commiſerit, ob quod ab officiis & beneficiis eſt arcendus; item poteſt validè & licitè alienare bona temporalia per ſententiam confiſcanda, etſi fiat in detrimentum fiſci, ſi per ſententiam illa bona ſint fiſco adjudicanda. Hinc dicit Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 8. §. *juxta hoc: non enim verba conſtitutionum pœnalium ſunt amplianda, ſed reſtringenda.*

Nec dicas: fraus & dolus nemini debet patrocinari; ſed ſi delinquens & puniendus per ferendam ſententiam poſſet priùs bona ſua fiſco adjudicanda alienare, dolus in fiscum ipſi patrocinaretur: ergo ſaltem in hoc ultimo caſu &c.

Reſpondeo neg. min. nam nec fraus aut dolus debent nocere in iis, ubi jus id non ſtatuit, nec fiſco in hoc fit injuria: nam utens jure ſuo nemini facit injuriam, ille autem priùs alienans bona ante ferendam ſententiam utitur jure ſuo, cum nullo jure impediatur.

Propoſitio 2. *Judex in conſcientia tenetur reo de tranſgreſſione legis pœnalis per ſufficientes teſtes convicto pœnam infligere.* Ratio eſt, quia judex eſt ad hoc poſitus à Republica, ut illam per legum cuſtodiam in pace & concordia conſervet, cùm ad hoc ſtipendium acquirat: ergo contra ſuum officium ageret, ſi legum tranſgreſſores debitâ pœnâ non puniret, cùm ſic Reipublicæ eſſet infidelis, & anſam daret vitiis cum detrimento Reipublicæ graſſandis, ex quo etiam inferendum eſt teneri judicem ad reſtitutionem, ſi per omiſſionem ſententiæ, quam ex officio ferre tenebatur, aliquis tertius vel Reſpublica damnum aliquod pateretur. 5

Nec dicas: ſi Judici ut privatæ perſonæ certò conſtet de delicto rei non poteſt ſecundùm illam ſcientiam judicare reum, qui nec tenetur obedire tali judici: ergo nec Judex tenetur ſemper reo pœnam infligere.

Reſpondeo concedendo totum in præfato caſu, ideo in propoſitione dixi, tenetur infligere pœnam reo per ſufficientes teſtes convicto, quia omnino non licèt judici reum punire niſi ſecundùm allegata & probata in judicio publico, quod fit per juridicos teſtes, & non per illam ſcientiam privatam.

Propoſitio 3. *Nec poteſt Judex arbitrio ſuo per legem taxatam pœnam moderari augendo vel minuendo.* Ratio eſt, quia judex non habet poteſtatem in lege diſpenſandi, niſi ſit ſupremus: ergo debet juxta illam ferre ſententiam & pœnam infligere. Conſequent. patet, quia moderari pœnam in lege poſitam eſt aliquomodo in lege diſpenſare, ſi non in toto ſaltem in parte. antec. verò etiam patet, quia ad eum ſolùm pertinet in lege diſpenſare, qui legem condidit, quod non eſt judicis, qui tantùm eſt legis cuſtos, ſed ſolùm ſupremi Legislatoris. 6

Nec dicas: Si pœnæ ſunt delicti vindicativæ ut incarceratio, flagellatio, exilium poteſt judex in favorem rei aliquid minuendo indulgere L. *auxilium ff. de min.* ubi dicitur: *Si quatenus interdum miſeratio ætatis ad mitiorem pœnam produxerit, & hoc eſt conforminus benignitati divinæ citra condignum puniendi:* ergo.

Reſpondeo ex illa lege judicem interdum ideo ſolùm per accidens id poſſe facere, quando ſcilicet talis indulgentia exigitur ab aliqua rationabili cauſa, ut eſſet tenera ætas, debilis valetudo, graviſſima tentatio peccandi aut aliquid ſimile, aliàs etiam in his pœnis debet judex leges judicare, nam propterea ſunt taxatæ à lege, ne relinquantur arbitrio judicis, eique anſa daretur pœnas infligendi juxta propriam paſſionem.

7 Propoſitio 4. *Lex irritans ſimul & prohibens actum obligat in conſcientia ad non ponendum actum illum.* Ratio eſt, quia qui agit contra legem peccat; ſed qui ſcienter actum invalidè facit agit contra legem: ergo qui ſcienter actum invalidè facit, peccat, ſed peccatum ſupponit obligationem in conſcientia: ergo. Dixi ſcienter, quia lex irritans habentem ignorantiam invincibilem non obligat, cum hæc à culpa excuſet, habet tamen ſemper vim annullandi actum, ſi ſufficienter eſt promulgata, nam annullatio eſt ex poteſtate Superioris, quam habet ſuper actus & contractus ſuorum ſubditorum, ut videre eſt communiter de impedimentis dirimentibus matrimonii.

Nec dicas: In multis legibus irritantibus irritatio actûs eſt pœna; ſed lex pœnalis non obligat in conſcientia: ergo lex irritans & ſimul prohibens actu non obligat in conſcientia ad eum non ponendum.

Reſpondeo diſting. min. Lex pœnalis concernens mores & quæ aliàs eſſet inutilis, ſi non obligaret in conſcientia ad pœnam, non obligat in conſcientia neg. lex pœnalis concernens commoditates temporales & quæ commodè poteſt dirigere per obſervantiam ſolius pœnæ conc. min. Lex autem irritans actus plerumque concernit mores, & ſi non obligaret ad omittendum actum, eſſet inutilis, cùm nil aliud pœnæ ſit præſtandum quàm omiſſio actûs. His poſitis

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Lex humana pœnalis poteſt obligare ad pœnam ipſo facto incurrendam, etiamſi ad ipſius pœna executionem requiratur aliqua actio ipſius delinquentis.* Deducitur ex Scoto in 4. diſt. 7. quæſt. 5. §. *reſpondeo!* dicente: *Univerſaliter nulla pœna Canonica, qua non eſt inflicta à Papa condente jus, incurritur ipſo jure*: ergo pœna, quæ eſt inflicta à Papa ita incurritur. Quamvis autem Scotus non diſtinguat inter pœnam, quæ ſecum fert actionem, & quæ non habet actionem, ob paritatem tamen rationis, uti videbimus, idem eſt ſentiendum. Eſtque Suarez & Vaſquez contra alios de lege pœnali civili.

Probatur tum quia ad pœnas ſubeundas, quæ in ſola paſſione & privatione bonorum ſpiritualium conſiſtunt poteſt transgreſſores lex humana obligare ipſo facto ante judicis ſententiam: ergo etiam ad aliquas pœnas, quæ in ipſa actione conſiſtunt. Antec. patet, quia delinquens debet Eccleſiaſticas cenſuras ſtatim obſervare ceſſando & abſtinendo ab operibus per tales cenſuras prohibitis licet communibus, quæ ſæpè majoris ſunt æſtimationis quàm bona privata, ut eſt illius legis pœnalis privatio beneficii parochialis, qui intra annum poſt acceptum beneficium non ſuſcipit Sacerdotium. Imo leges inhabilitantes ipſo facto ante judicis ſententiam privant perſonas proprio jure tam ad agendum quam recipiendum, ut ſunt quædam impedimenta dirimentia matrimonii. Conſequent. etiam patet, quia qui pœnam excommunicationis incurrit, debet aliqua activè exequi, ut abſentare ſe à fidelium conſortio &c. tum quia reus poſt judicis ſententiam poteſt aliquam pœnam activè exequi: ergo etiam ante ipſo facto. Antec. patet de pœna exilii, traditione tributorum &c. quæ activa egent cooperatione. Conſequent. etiam prob. non minùs ſubditus per legem ſubjicitur Legiſlatori, quàm per ſententiam judici: ergo ſi per ſententiam ita poteſt obligari, cur non etiam priùs per legem? v. g. ſi lex ſtatueret, ut qui non interſit divino officio, ſolvat ipſo facto hoſpitali quinque aureos.

Objicies 1. Nomen pœnæ importat formaliter paſſionem; ſed contra naturam eſt, ut idem ſit agens & patiens: ergo lex quæ reum pœnæ executorem facit adverſatur naturæ, ac proinde non poteſt obligare 9

Reſpondeo diſting. min. ut idem ſit agens & patiens naturale & phyſicum tranſeat, ut idem ſit agens & patiens morale & liberum neg. min. ſicut enim contra naturam non eſt, ut idem ſit agens & patiens poſt judicis ſententiam, ita nec ante.

Dices: Contra jus naturæ eſt, ut quis damnetur antequam audiatur: ergo contra jus naturæ eſt, ut quis ad pœnam damnetur ante judicis ſententiam. Antec. patet tam ex textibus juris quàm ratione, quia ſæpè reus poſſet allegare infirmitatem vel vehementem occaſionem, vel fortè quòd non tam graviter in legem impegerit, ut dignus ſit totius pœnæ acerbitate.

Contra diſting. antec. ut quis damnetur damnatione per judicis ſententiam conc. damnatione per legem neg. antec. nam omnino illa, quæ ſit per judicis ſententiam debet omni meliori modo delicti cauſa à judice examinari, & ideo oportet illam non ſolùm ex teſtium judicio, ſed etiam ex ipſius delinquentis confeſſione examinare, quæ autem ſit per legem relinquitur judicio & conſcientiæ ipſius delinquentis, qui meliùs quam quivis alius poterit de ſuo delicto judicare, an pœnam lege taxatam meruerit? Per hæc patet ad probas, nam etiam excommunicatus poſſet excuſationis cauſas aſſignare, & ſic non ipſo facto incurrere excommunicationem, quod tamen negant adverſarii.

Dices: Nemo in propria cauſa poteſt eſſe judex ſui: ergo nemo tenebitur ante judicis ſententiam ſubire pœnam.

Contra quamvis antecedens plerumque verum ſit in favorabilibus, nego tamen pro univerſali in odioſis, quia ſicut contra naturam non eſt, ut quis ſit ſui judex in cauſa excommunicationis, ita nec erit in aliis pœnis.

Dices: Lex eſt regula inanimata actionum humanarum per juſtitiæ miniſtros ſubditis

ditia applicanda: ergo pertinet ad juſtitiæ miniſtroa ſubditoa ad legia obſervantiam per pœnæ inflictionem cogere.

Contra diſting. antec. eſt regulariter ita per juſtitiæ miniſtros applicanda conc. eſt abſolutè talia neg. antec. nam etiam poteſt abſolutè ex Principis voluntate ab ipſis ſubditis immediatè ſibi applicari etiam quoad pœnam.

Objiciea 2. Leges humanæ debent eſſe tolerabiles ad hominum imbecillitatem accommodatæ; ſed leges ad pœnam obligantes ante judicis ſententiam non ſunt accommodatæ imbecillitati humanæ: ergo non ſunt obligatoriæ. Min. patet, quia hominum conditio eſt pœnaa refugere & relinquere.

Reſpondeo neg. min. de omnibua legibus humanis, nam licèt aliquæ ob maximam acerbitatem non poſſint obligare ipſo facto, id tamen de omnibus ſtatuere eſſet rejicere prudentiam multorum Legislatorum, qui multas tales leges condiderunt, ut eſſet de diſciplina facienda in religione.

Dices vel reua propter occultum ſuum delictum ſtatim incurrit pœnam taxatam v. g. hæreticus confiſcationem bonorum, vel non ſtatim, ſed quando illud delictum profert coram teſtibus? Sed non primum, quia eſt valdè durum propter tale delictum nulli mortalium notum pœnam tam manifeſtam aſſumere: non ſecundum, quia hoc non cohæret cum aſſertione, quia ſicut ad illam pœnam incurrendam non requiritur ſententia judicis, ita nec debent requiri teſtes, qui ſolùm requiruntur ad juridicam ferendam ſententiam.

10 Aſſero 2. *Lex pœnalis, ſtatuens pœnam valdè acerbam & atrocem, non poteſt reum obligare ad pœnam exequendam ante ſententiam judicis.* Eſt communis & deducitur ex Scoto in 4. diſt. 15. quæſt. 4. §. *in tertio.* à pari, ubi tenet reum à judice interrogatum non teneri fateri crimen, ſi non eſt plene convictua, præſertim in cauſa ſanguinis.

Probatur: tum quia judex non habet authoritatem imponendi pœnam, quæ conſuetum modum humanæ pœnæ excedit; ſed hunc modum excederent pœnæ valdè acerbæ, ut eſt ſe ipſum occidere, ſibi manum abſcindere, ſe publicè & cum infamia flagellare &c. cùm hoc nec apud barbaras nationes legatur practicatum: ergo. Hinc infertur judicem non poſſe præcipere ut ad ſuſpendium damnatus ſe ex ſcala projiciat, nec taliter damnatua poteſt ſe projicere, nec eadem eſt ratio de carnifice, qui id poteſt, cùm talem pœnam per carnificem exequi nulla ſit inhumanitas aut crudelitas, ut patet apud omnes aliaa nationes. Nec eadem eſt ratio de actionibus remorè concurrentibus ad mortem, ut aſcendere patibulum, denudare collum &c. quia tales actiones ex natura ſua ſunt indifferentes, ideo nec crudeles redduntur, ſed potiùs commodiores & laudabiliores, ſi ab ipſo reo executioni mandentur. Tum quia lex humana propter hæreſim vel læſam Majeſtatem decernit ipſo facto confiſcationem omnium bonorum ſed hæc non obligat ad hanc pœnam in foro conſcientiæ ante judicis ſententiam propter acerbitatem magnam, ut habetur cap. *cùm ſecundùm leges. de hæreticis in 6.* ergo.

Objicies: Legislator habet poteſtatem 11
obligandi in conſcientia ad pœnam juſtam ante Judicis ſententiam; ſed hanc ſuam voluntatem explicat per ly ipſo facto, aut ipſo jure: ergo ſi in pœna acerba dicat ipſo facto, obligabit etiam ante judicis ſententiam.

Reſpondeo diſting. maj. habet talem poteſtatem, ſi id expediat bono communi conc. ſi non expediat neg. maj. nam ubi expedit illud non eſt exiſtimandum intolerabile, & ſic reus tenebitur exercere rationem rei & miniſtri ipſius legis: in pœna autem valdè acerba id non eſſet expediens bono communi, ſed potiùa eſſet nimis rigidum & intolerabile, ideo regulariter non poteſt legislator ſic obligare, nam ſufficit bono communi, ſi reus patiatur illam poſt Judicis ſententiam.

Dices: ergo illæ particulæ ipſo facto aliquando ut in confiſcatione omnium bonorum eſſent fruſtraneæ.

Contra neg. illatum, quia alium adhuc inducunt effectum, nempe aſſignationem pœnæ ipſo facto, ita ut non requiratur ſententia judicis ad aſſignandam illam pro tali delicto ſicut in aliis legibus de ferenda ſententia, unde ſolùm requiritur ſententia judicis ad declarandum crimen fuiſſe patratum à tranſgreſſore legia, ſi autem additur abſque alia declaratione incurritur pœna, hoc ſolùm dicitur ad majorem præcedentium explicationem de pœna non de delicto.

Dices: ſi ly *ipſò facto* in lege pœnali de confiſcatione bonorum non inducit ipſam executionem talis pœnæ ante ſententiam judicis, nec etiam ly *ipſò facto* in cenſura excommunicationis importabit ipſam excommunicationem ante judicis ſententiam: ergo ſic omnimodè erunt fruſtraneæ illæ particulæ: ſequela patet, quia eadem verba *ipſò facto* ſunt poſita in lege privante omnibus bonis temporalibua, ſicut in lege privante omnibua bonis ſpiritualibus.

Contra neg. ſequelam, quia ſolùm ſequitur, quòd ad illud dignoſcendum non ſint attendenda præcisè verba legis, non verò quòd nulla poſſit aſſignari ratio: adeóque ratio cur hæretici non priventur ſuis bonia niſi poſt ſententiam judicia eſt communis doctrina & praxis, nec non acerbitas pœnæ & manifeſtum infamiæ periculum; de pœna autem excommunicationia & irregularitatis contraria eſt communia Authorum ſententia.

Dices: poteſt reus obligari ad venenum ſibi propinandum, vel abſtinendum à cibo ut inedia conficiatur, vel ad non fugiendum è carcere

cere in quo eſt occidendus poſt judicis ſententiam: ergo & ante eam. antec. patet, quia cooperari ad tale genus mortis non eſt crudele, nec in aliquibus eſt poſita actio ſed ſola negatio actionis v. g. ſumptionis cibi &c. ergo cùm judex illud poſſit præcipere, etiam obligabitur id exequi reus, & omne id, quod judex juſtè poteſt præcipere. Conſequentia autem prima etiam patet, quia homo tam benè eſt ſubjectus legi quàm judici.

Contra neg. antec. licèt illæ pœnæ ſint privativæ actionis reddunt tamen pœnam inhumanem & crudelem, ſi ab illo reo exigantur, cum privent ipſum beneficio maximo quod unusquisque habet à natura ad propriam vitam conſervandam absque alterius innocentis læſione, non enim liceret reo fugere cum læſione cuſtodum aut damno per ſe, benè tamen ſi damnum per accidens ſequeretur ex fuga, igitur nec à lege nec à judice poteſt imponi, conſequenter nec reus tenebitur eam exequi, nec poteſt ejus crudelitas à rationabili cauſa temperari, cum ſemper poſſit judex conſuetâ viâ reum expedire, adeóque ſolùm obligabitur reus parere judici activè ſe habenti non reſiſtendo.

Dices: Licèt reus ad iſta abſolutè obligari non poſſit, poterit tamen illa licitè ſibi permittere à ſe fieri, ſi velit, cùm multa ad quæ obligari non poſſumus, licitè tamen permittere poſſimus v. g. poſſum permittere eb injuſto invaſore me occidi, ad quod tamen obligari non potero: ergo cùm ſubditus voluntatem ſuam tranatulerit in poteſtatem Legislatoria, lex etiam poterit ad id deinde obligare, quod ſubditus licitè poteſt facere.

Contra eſt cum diſtinctione ad antec. ſi enim ſermo eſt de iis actionibus, quas judex præcipere non poteſt, ut à reo exequantur, tunc nec reus licitè poteſt eas exercere & immediatè cooperari ad jugulationem, cum hæc à reo exercita intrinſecam includat malitiam, nam reus nec in ſuam vitam nec in membra habet jus ut privata perſona, neque id poteſt accipere à publice poteſtate, cùm ob nimiam crudelitatem nullus judex in eas habet jus, ſi autem ſermo eſt de actionibus negativis, quæ conſequuntur ad poſitivas juſtè à judice inflictas ut damnatum è carcere non fugere &c. nihil vetat eas licitè poſſe exerceri à reo, ſi enim poſſum permittere me occidi ab injuſto invaſore, cur non me occidi à juſto judice, nam licèt unusquisque habeat jus à nature ad propriam vitam conſervandam, poteſt tamen huic juri cedere ob altiorem finem honeſtum, cujusmodi eſſet ad patienter & fortiter ſuſtinendam mortem injunctam. Imo addit Vaſquez poſſe aliquem, ſi ei detur à judice optio, ad vitandam acerbiorem mortem eligere venenum ſibique ipſi propinare, aut venam ſibi ſcindere, ut effuſo ſanguine extinguatur.

Dices: ergo damnatus per ſententiam judicis ad mortem vel mutilationem poſſet è carcere fugere, cum oppoſitum ſit valdè crudele; ſed hoc non, cum fractores carcerum puniantur, quæ pœna non eſt ſine culpa: ergo adhuc reus poteſt obligari ad tales acerbas pœnas.

Contra conc. illatum neg. min. quia tales fractores non puniuntur propter culpam, ſed ad bonum Reipublicæ conſervandum, & ad terrorem aliis incutiendum, hæc fugiendi licentia etiam extendi poteſt ad perpetuos carceres, ad triremes & ſervitutem; excipe tamen niſi quia juramento aut voto ad permanendum ſit obligatus, ſic religioſus juſtè ob crimen damnatus ad carcerem non poteſt fugere, quia ratione voti obedientiæ tenetur prælato obedire in omnibus, quæ ſunt ſecundùm Regulam & acceſſoria ad illam conſervandam, limitat tamen hoc Suarez, niſi pœna capitis vel mutilationis imponenda eſſet religioſo aut perpetuitas carceris, tunc enim naturale conſervandæ vitæ deſiderium jus fugiendi præbet, quod nullo voto religioſi abdicatum eſt, non tamen licebit religioſo vagari, ſed ire ad Summum Pontificem pro diſpenſatione. Cæterùm an quis redire debeat ad carcerem ob præſtitum judici aut cuſtodi juramentum, diſtinctione utendum eſt, ſi enim carcer & pœna juſta eſt, tenetur, quia quoties juramentum ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis & cum virtute ob reverentiam teſtis, obligat ad ſui obſervantiam, ut communis docet; ſed in caſu juramentum ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis & cum virtute fidelitatis in re juſte: ergo. Si autem injuſta timeretur ſententia, tunc ad carcerem redire non eſſet opus virtutis ſed temeritatis vel audaciæ, quod eſſet absque juſta cauſa vitam prodigere, juramentum autem non obligat, niſi poſſit cum virtute ſervari ut tenet Sylveſter.

Dices: ergo etiam licitum eſſet reo conſulere fugam, quia ſuaderetur id quod eſt honeſtum & licitum; ſed hoc non, cum conſulentes & cooperantes puniantur: ergo.

Contra conc. illatum & neg. min. nam ſolùm non licet principaliter & proximè ad effractionem cooperari, cum hoc eſſet violare publicam authoritatem & taliter ceſſat ratio, ob quam reo licita eſt effractio, & ſic nihil eſſet judicibus ſat tutum & firmum. Dixi principaliter, quia ſi ſpectatis circumſtantiis aliquis agat ut inſtrumentum v. g. famulus intra cuſtodiam juſſu domini captivi perforans muros in conſcientia tutus eſt juxta Laymon, nam quod quis per ſe id etiam per alium tanquam inſtrumentum facere poteſt. Interim tamen miniſtri juſtitiæ publicæ non poſſunt conſulere nec præbere inſtrumenta reo ad fugam, quia ipſorum eſt curare ex officio, ut reus ibi detineatur.

Aſſero 3. *Lex prohibens non eo ipſo irritat actum, ſi non alio ſufficienti modo irritationem contineat.* deducitur ex Scoto in 4. diſt. 37. quæſt. un. §. *hic eſt.* dicente: *ſtatutum Eccle-* 12

ſia

ſta prohibens fieri matrimonium univerſaliter de jure non illegitimat, ſed oportet, quòd contineat, talem ſententiam. Eſt communis contra quosdam Juriſtas.

Probatur: tum quia aliud eſt actum eſſe irritum, & aliud prohibitum: ergo ex ſola prohibitione non poteſt inferri irritatio. antec. patet, Sacerdos in mortali validè conſecrat, & tamen hoc eſt illi prohibitum jure divino; emiſſo voto ſimplici caſtitatis matrimonium eſt illicitum, ut habetur cap. *rurſus. de Cleric.* ut adducit Scotus. Sic pariter cap. ad Apoſtolicam. De Regular. dicitur: *multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Tum quia Trident. Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. & alibi ſæpe utitur clauſula irritante, dum actum vult prohibere; ſed hæc clauſula non eſſet addenda, ſi actus prohibiti eo ipſo eſſent irriti: ergo. Dixi in Aſſert. ſi non alio &c. quia in nulla lege etiam civili de rigore loquendo verbum prohibeo ex ſe irritat, niſi vel per aliam legem conſtet ibi fuiſſe mentem Legiſlatoris invalidare actum, vel in ipſa lege ſint talia verba, quæ eorum irritationem ſignificant.

13 Objicies: *L. non dubium. cod. de LL.* annullantur omnes contractus & acta contra legem, etſi hæc ſolùm ſit prohibens: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illa lex non habet locum in foro Eccleſiaſtico, cum Imperatoris non ſit leges Pontificis extendere aut coarctare, nec locum habet in foro civili extra terras Imperii, imo in ipſis terminis Imperii ob extraordinarium rigorem eſt conſuetudine abrogata, ut varii etiam Juriſtæ teſtantur; aliàs quidem illa lex valebat, ſed cum his tamen limitationibus, quòd ſcilicet, cùm irritatio talia legis ſit pœna delinquentis contra legem, omne id excuſet, quidquid excuſet à culpa, & quod requiratur ſententia declaratoria criminis, aliàs actus valebant.

Dices: voluntas inferioris non poteſt eſſe efficax contra voluntatem Superioris: ergo non poteſt ſubditus facere validè, quod Superior prohibet.

Contra conc. totum ſi Superior velit, ut non fiat validè, ſi autem Superior permittat valorem, etſi prohibeat ne fiat licitè, non prævalet voluntas inferioris, quia in puncto valoris non reſiſtit Superior.

Dices: actio peccaminoſa non poteſt alicui afferre fructum: ergo actio facta contra jus prohibens non poteſt eſſe valida ſeu fructuoſa.

Contra neg. antec. ſi enim Legiſlator id permittit, cur non poſſet eam utilitatem habere?

Dices: Tam Lex naturalis prohibendo actum facit illum invalidum v. g. matrimonium invalidum inter fratrem & ſororem, quàm Leges Canonicæ prohibendo matrimonia inter certos gradus: ergo ſola prohibitio irritat actum.

Contra neg. antec. pro univerſali, nam multa etiam jure naturæ prohibentur, quæ tamen non irritantur v. g. vendere aliquid carius quàm valeat, non tamen ideo venditio eſt nulla, illa autem, quæ Lex naturalis reddit illicita & invalida, non ſolùm prohibentur ſed etiam, irritantur lege naturæ: in legibus autem Canonicis, ſi irritant actum, ſemper adduntur talia verba, quæ id oſtendunt, vel certò ex aliis legibus diverſis colligitur mens Legiſlatoris, quæ in eis abſolutè fuerit irritans, quando autem nec ex verbis nec alia lege quidquam inferri poteſt, tunc prohibitio non poteſt extendi ad irritationem.

QUÆSTIO VI.

Quinam & quomodo obligentur Legibus humanis, an ſcilicet ipſe Legiſlator, Clerici & Religioſi, peregrini & advenæ?

Advertendum eſt 1. Certum eſſe infideles non teneri legibus de Religione Eccleſiaſticis, cùm non ſint ſubditi Eccleſiæ defectu Baptiſmi, adeóque diebus vetitis poſſunt carnes comedere, & alii has ipſis poſſunt miniſtrare, ſi talis adminiſtratio non ſit ſpecialiter interdicta. Præterea pueri ante uſum rationis (qui præſumitur adeſſe completo ſeptennio) non ligantur legibus humanis præceptivis aut prohibitivis, cùm deſit obligationis fundamentum ſcilicet uſus rationis, unde poſſunt diebus jejuniorum carnibus veſci, monialium clauſtra ingredi, non tamen in talia clauſtra poſſent intromitti infideles & amentes adulti, cum magnæ inconvenientiæ ex his oriri poſſent: Dixi legibus præceptivis aut prohibitivis, quia leges ſimpliciter conſtitutivæ ut aliquid ſit aut non ſit etiam feruntur in eos, qui non ſunt capaces rationis v.g. quod nullus non baptizatus ſit capax Sacramentorum aliorum &c. Diſparitas autem eſt, quia qui carent uſu rationis, licèt non ſint capaces moralis obligationis, cui teneantur parere ſub pœna peccati, ſunt tamen capaces impedimenti quaſi naturalis, & non pendentis à libero uſu voluntatis eorum. Cæterùm tamen ebrii & ignorantes legem licèt in ſenſu compoſito ebrietatis vel ignorantiæ per accidens excuſentur à formali legis tranſgreſſione, attamen dicendi ſunt per ſe affici legibus ſicut afficiuntur dormientes tanquam ſubditi, ideo non liceret ignorantibus die jejunii aut ebriis cibos vetitos miniſtrare, quia ipſi peccant materialiter, & invitarentur ad actum de ſe malum, amentibus autem eos miniſtrare licebit, non tamen quia carent ratione, ſed quia amentia eſt infirmitas, quæ excuſat à jejunio, ut cenſet Palav. 1

Advertendum eſt 2. Potiorem difficultatem eſſe de Legiſlatore, an ſcilicet etiam obligetur ſuis propriis legibus, & quidem ſolum 2

iis

iis legibus, quæ æquè Legiſlatorem ac ſubditos concernunt, qualis v. g. eſt quæ taxat pretium frumenti, aut præcipit jejunium Eccleſiaſticum &c. non verò de iis, quæ ad ſolos ſubditos aut cives diriguntur v. g. de ſolvendis tributis, de non ferendis armis de nocte, de non portandis veſtimentis holoſericis, quia nihil vetat poſſe Regem leges ferre, quas ſervare non decet Principem. Duplex autem pro præſentis difficultatis deciſione eſt obligatio, una ſolùm quoad vim directivam, ita quòd Legiſlator duntaxat teneatur exequi aut cavere id, quod lege præcipitur, ut ſubditis ſuis ad legum obſervantiam viam demonſtret, altera quoad vim coactivam ſeu punitivam, ita quòd quis pœnis à lege præſcriptis ſubjaceat, ſi id, quod præceptum eſt, non adimpleat.

3 Advertendum eſt 3. Eodem modo poſſe duplicem ſpectari poteſtatem legiſlativam circa perſonas ſcilicet directam, quæ eſt in eas perſonas, quæ propriè & immediatè ſubjectæ ſunt, & via coactiva ad ſervandas leges coërceri poſſunt, & indirectam, quæ eſt in eas perſonas, quæ immediatè quidem Legiſlatori ſubjectæ non ſunt, decet tamen ob alia motiva leges ſequi, tales perſonæ non ſubjectæ immediatæ juriſdictioni Laicæ ſunt Clerici, qui jure divino exempti ſunt à poteſtate laicali, ut habetur cap. *quamquam. de cenſibus in 6.* unde oritur difficultas an tamen Clerici teneantur legibus à Principe Laico poſitis & quidem iis legibus, quæ tam Clericis quàm Laicis ac rectæ gubernationi Reipublicæ conveniunt, ut ſunt leges pretia rerum taxantes, evectionem mercium prohibentes &c. Si enim leges immunitatem Eccleſiaſticam læderent, ut eſſent, quæ Cleros & ſolùm eorum bona reſpiciunt, certiſſimum eſſet eas non obligare Clericos. Præterea eadem difficultas poteſt moveri de religioſis reſpectu Legum Synodalium Epiſcoporum, nam Regulares præſertim mendicantes de facto omnino liberi ſunt à juriſdictione ordinariorum, cujus cauſam aſſignat noſter Prognoli reſol. 6. quia nempe Clerici erga Regulares ſemper infenſum habent animum, unde etiam quæſtio eſt, an hi teneantur ordinationibus Synodalibus particularibus, nam quoad vim directivam & in conſcientia ſine dubio etiam tenentur in omnibus caſibus de jure communi & Pontificio expreſſis v. g. de diebus feſtivis & interdictis ſervandis ut habetur in Trident. Seſſ. 25. c. 12.

4 Advertendum eſt 4. Certum eſſe nullum Principem poſſe aliis quàm ſibi ſubjectis ſubditis ferre leges: variis autem modis poteſt quis fieri ſubditus; primò, domicilio, vel quaſi domicilio, domicilium autem duplex eſt, unum naturale ſeu originis, quod eſt locus, in quo pater tempore nativitatis noſtræ ut civis vel municeps domicilium habebat, alterum eſt accidentale ſeu habitationis, quod eſt locus, in quo quis habitat animo perpetuo ibi manendi, niſi quid avocet, ad hoc ergo domicilium non tam animus perpetuò commorandi in loco, quàm habitatio requiritur, adeóque licèt quis res immobiles in aliquo loco poſſideat, nec tamen ibidem habitet, non cenſetur habere domicilium, & viciſſim legatus per longiſſimum tempus in civitate cauſa legationis commorans, non contrahit domicilium, quia non animo lares ibi figendi ſubſiſtit. Studioſi tamen & alii per longius tempus in loco morantes, quaſi domicilium ſortiri dicuntur, & ideo tenentur legibus & conſuetudinibus loci, niſi leges eſſent præſcribentes onera propriam & rigoroſam ſubjectionem ſupponentia, nam tunc non niſi ſubditos propriè tales onerant, ſicque Studioſi aut alii tales perſonæ non tenerentur ſuſcipere tutelas, aut alia Reipublicæ munera ſubire, cùm non veniant in ſenſu propriorum ſubditorum, neque in loco ſtudiorum propriè dictum domicilium obtineant. Secundò, contrahendo, ubi enim quis contrahit, ibi etiam regulariter conveniri poteſt, ut habetur. *L. ult. ff. de Judiciis.* Tertiò delinquendo, ubi enim quis delinquit, ibi & conveniri & puniri poteſt, ut habetur *L. ult. ff. de accuſation.* his ergo notatis:

Propoſitio 1. *Quivis Legislator in conſcientia obligatur ad ſuas leges communes.* Ratio eſt ex L. *Princeps ff. de LL. pareto legi, quisquis legem ſanxeris.* & ex cap. juſtum. d. g. *juſtum eſt principem legibus obtemperare ſuis:* & ne videatur id ſub Concilio dixiſſe addit: *ſi quod populis principes prohibent, ſibi licere non patiantur.* Horum autem omnium ratio eſt, æquitas naturalis, quia lex naturalis dictat poſita lege obligante totam communitatem obligari & principem ipſum ut caput ejuſdem corporis myſtici, nam non minùs contra rationem eſt caput diſcordare à membris & totum à partibus, quàm membra à capite & partes à toto, cum igitur princeps ſit communitatis caput, ſubditi verò membra ſub eodem capite in eadem communitate, non minùs cum ratione naturali pugnat, ut princeps diſcordet à reliqua communitate, ſub qua ipſe comprehenditur, quàm communitas à ſuo Principe, quem agnoſcit ut caput: ergo. 5

Nec dicas: ergo Legislator non poſſet ſecum diſpenſare in ſua lege, & ſic pejoris eſſet conditionis quàm ſubditi cum quibus poteſt diſpenſare prob. illatum, non poteſt Legislator in lege naturali diſpenſare: ergo neque ſecum ipſo, ſi lege naturali obligetur ad ſervandam ſuam legem.

Reſpondeo neg. illatum, nam in his caſibus lex naturalis eſt tantùm permiſſiva, & permittit, ut poſſit princeps ſecum ipſo & cum ſubditis diſpenſare ex juſta cauſa, quia diſpenſatio ex juſta cauſa non poteſt obeſſe, ſed potiùs prodeſſe Reipublicæ.

Dices: ſaltem ſequeretur unum Principem ſua lege poſſe obligare alium Principem ſuc-

ſucceſſorem, ubi tamen par in parem non habet poteſtatem. Sequela prob. nam ſi lex naturæ obliget Legiſlatorem ad ſervandam ſuam poſitam legem, jam obligatur etiam ſucceſſor ad legem à prædeceſſore latam.

Contra neg. ſequelam, ſi enim communitati expedire videtur, poteſt ſuceeſſor mutate priorem legem, ſuppoſito autem quod hia velit legem ab aliis ſarvari, jure naturæ etiam tenebitur eam ſervare, hoc autem non eſt eum obligari à prædeceſſore, ſed ab ipſa lege naturali poſita ſucceſſoris voluntate de lege prædeceſſoris ſervanda. Interim tamen ſucceſſor non poteſt ſtatim ſine juſta cauſa prædeceſſoris legem mutare, cùm non habeat Princeps poteſtatem irritandi leges cum Reipublicæ detrimento, hine minùs poteſt unus Pontifex mutarc Bullas concernentes univerſalem Eccleſiam ab Anteceſſoribus latas, niſi urgens nova cauſa id ſuadeat, cùm tales Bullæ ſaltem pro eo tempore, quo ſunt editæ, credantur cum infallibili aſſiſtentia Spiritûs ſancti conditæ, ac proinde non eſſe ampliùs in poteſtate ſuccedentis Pontificis.

6 Propoſitio 2. *Principes leges municipales unius Provinciæ vel civitatis ſibi ſubjectæ non tenentur ſervare.* Ratio eſt, quia hujusmodi leges ſunt latæ ab inferiori poteſtate nempe à Magiſtratu civitatis vel Provinciæ, à quo nequit ſupremus Princeps obligari. Imo etiamſi hujusmodi leges eſſent à ſupremo Principe confirmatæ, non teneretur eas ſervare, quis non cenſentur eſſe confirmatæ niſi pro eâ Provincia ſolùm, non autem pro toto regno, aſt Princeps non adſtringitur ſuis legibus, niſi quando latæ ſunt pro toto regno, quia ſicut contra rationem non eſt ut una pars regni non obligetur legibus alterius partis ejusdem regni, ita nec contrs rationem erit, ut Rex non obligetur legibus municipalibus unius tantùm partis ſui regni: ergo.

Dices: Si Princeps commoratur in aliqua civitate & non ſervat ejusdem leges municipales, diſcordat tanquam caput à ſuis membris; ſed hoc eſt contra rationem naturalem: ergo.

Reſpondeo concedendo totum in hoc caſu ubi locus eſt ordinaria habitatio ſeu reſidentia Principis cujusmodi eſt Roma reſpectu Pontificis, Madritum reſpectu Regis Hiſpaniarum &c. & præſertim ſi illæ leges ſint ab ipſo Principe confirmatæ, ſi enim non ſint confirmatæ, non ſe haberent ut leges à perfecta communitate exeuntes, cum communitas illa ſine influxu capitis non eſſet perfecta communitas obligativa.

7 Propoſitio 3. *Principes ſæculares nullam omnino habent poteſtatem in perſonas Eccleſiaſticas.* Ratio eſt ex Concil. Lateran. Seſſ. 9. ſub tit. reformationis Curiæ, ubi dicitur: *& cum à jure tam divino quàm humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.* Cujus ratio eſt, quia totus Status Eccleſiaſticus eſt à Christo inſtitutus, & demandatus Petro & ejus Succeſſoribus: ergo in nullo eſt ſubjectus poteſtati ſæculari: nam ſi quoad aliquas leges directè eſſet ſubjectus poteſtati ſæculari, poſſent ab hoc cogi Eccleſiaſticæ perſonæ ad ſubeundas pœnas lege taxatas, ubi contra jus divinum eſſet Eccleſiaſticos puniri à poteſtate ſæculari.

Nec dicas: ex illo ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ubi Apoſtolus neminem à poteſtate ſæcularium eximit, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, ideo Chriſtus Matth. 17. miſit Petrum ad mare, ut prctio in capto piſce reperto, poſſit pro ſe & Petro tributum ſolvere, in quem locum dicit D. Chryſoſt. hom. 23. *Omnis anima ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſive Evangeliſta, ſive Propheta, ſive quiſque tandem fueris:* ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. nam illud Pauli vel intelligitur in ſenſu accommodo, ut omnis anima ſubdita ſit poteſtati ſublimiori ſcilicet ſæcularis ſæculari, Eccleſiaſtica Eccleſiaſticæ, vel juxta ſubjecti capacitatem, ut anima ſæcularis ſubdita ſit poteſtati ſæculari titulo obedientiæ & legalis ſubjectionis, anima verò Eccleſiaſtica ſolùm titulo naturalis conformitatis, quam ſervare debet pars cum ſua comparte, & membrum cum ſuo capite. Hinc pariter D. Chryſoſtomus intelligendus eſt de ſubjectione naturali non legali, & de obedientia generali non ſpeciali; exemplum autem Chriſti potiùs eſt pro nobis, nam ſubdit ibi Chriſtus, ut autem non ſcandalizemus eos &c. non igitur Chriſtus & Petrus ſolverunt tributum ex obligatione aut titulo obedientiæ, ſed ad vitandum ſcandalum, imò apertè dixit, liberi ſunt filii; ſed perſonæ Eccleſiaſticæ appellantur filii principum quoad tributa ſolvenda, ubi in omni regno liberi ſunt filii à vectigalibus.

Propoſitio 4. *Probabilius eſt vagos hinc inde circumeuntes ſubjici legibus particularibus locorum per quos tranſeunt.* Ratio eſt, quia 8
rectæ rationi diſſentaneum videtur ut aliquis nullis particularibus legibus ſit adſtrictus: ergo vagi debent adſtringi legibus locorum per quos tranſeunt, quod approbat communis conſuetudo, quâ vagi puniri ſolent in loco, ubi comprehenduntur etiam ratione delicti in alieno territorio commiſſi.

Nec dicas cum Sanchez: vagi nullibi habentes domicilium non ſunt ſubditi ratione domicilii aut alterius tituli in illo loco ubi vagantur: ergo non poſſunt adſtringi eorum legibus.

Reſpondeo diſting. antec. non ſunt ſubditi ratione domicilii proprii conc. non ratione domicilii fictione juris neg. antec. cùm ergo vagi aliàs prorſus eſſent liberi ab omnibus particularibus legibus, quod videtur eſſe con-

eta rectam rationem debitæ gubernationis, ſic fictione juris ſola præſentiali habitatione ſibi domicilium comparant, ratione cujus præſentis loci legibus ſubjiciuntur, alii autem peregrini ſaltam legibus proprii territorii ligantur, quando iterum redeunt ad proprium domicilium, ubi non eſt tanta inconvenientia, ſi non tenentur legibus loei, per quem tranſeunt. His poſitis:

9 Aſſero 1. ad quæſt. *Legislator humanus non ligatur ſuis legibus quoad vim coactivam, ſed ſolùm quoad vim directivam.* Eſt communis contra paucos, & quoad ſecundam partem deducitur ex Scoto in 4. diſt. 21. quæſt. 2. §. *in iſta quæſtione.* dicente: *Communitas aliqua in hoc habet unitatem proportionatam unitati corporis, quia ibi eſt ordo ſuperioris & inferioris: & tenetur ſuperior influere in inferiorem, & inferior ſubminiſtrare ſuperiori juxta illam parabolam Pauli: de corpore myſtico & naturali in diverſis locis.* Eſt quoad primam partem contra paucos.

Probatur 1. pars: Vis coactiva in phyſicis ſimpliciter, in moralibus ſaltem connaturaliter exigit principium extrinſecum, quo transgreſſor cogi poſſet ad pœnæ ſolutionem; ſed nemo ideo nec Legislator poteſt ſe ipſum cogere ad pœnæ ſolutionem; ergo. Min. prob. pœna ut pœna debet ab alio juriſdictionem habente infligi: ergo non à ſe ipſo. Antec. prob. pœna debet eſſe malum voluntatis afflictivum; ſed hoc ipſo quod à propria voluntate aſſumitur non eſt amplius voluntatis afflictiva: ergo. min. prob. nihil poteſt eſſe afflictivum voluntatis, niſi ſit contra propriam inclinationem; ſed omnis actus voluntatis elicitus eſt juxta ipſius vitalem inclinationem, cùm activè ideóque inclinativè eliciatur: ergo. Hinc ſi Papa percutiat Clericum, non ligatur excommunicatione, ſi omittit recitationem divini officii, non privatur fructibus, nihilominus tamen cautiùs debent Principes ſervare ſuas leges, nam cùm ad earum pœnam ſubeundam à nullo in terris cogi poſſint, cavendum eſt, ne acerbiores pati cogantur à Supremo Judice Deo, cujus manus nemo effugere poteſt. Præterea contra Principem ſaltem poteſt ferri ſententia declaratoria juris prout ſæpè in tribunalibus contingit, de damnis illatis à Principe per transgreſſionem legis, ad quod damnum reſarciendum tenetur ex conſcientia, eſto ad reſarciendum à nullo cogi poſſit.

10 Probatur 2. pars: Licèt Legislator non poſſit à ſe cogi, poteſt tamen à ſe dirigi per ſuam rationem & lumen naturale, ut patet propos 1. ergo ſuis legibus ſolùm ligatur quoad vim directivam, ideo §. *ult. Inſtitut. quibus modis teſtamenta infirmentur.* dicit Imperator: *Legibus ſoluti ſumus, attamen legibus vivimus.*

11 Objicies: Legislator lege naturali obligatur ad ſuas leges obſervandas quoad vim directivam: ergo etiam quoad vim coactivam conſequent. patet, quia leges potiſſimùm dicuntur à vi coactiva, quâ ſublatâ, non ſunt ampliùs leges, ſed ſolùm directiones: ergo ſi Princeps obligatur ſuis legibus ut legibus formaliter, obligabitur coactivè, qualiter lex formaliter eſt lex, imo lex naturalis poteſt Principem obligare ad culpam, cur non etiam ad pœnam.

Reſpondeo neg. conſequent. diſparitas eſt, quia poteſt lex naturalis hominem obligare ad culpam & ad certum actum virtutis exercendum, non tamen poteſt obligare ad certam pœnam ſubeundam, nam non eſt contra obligationem ad virtutem talem actum liberè & ſpontè ponere, benè tamen eſt contra obligationem ad pœnam ſubeundam, ut ea ſpontaneè ac liberè à reo aſſumatur, cùm natura pœnæ poſtulet ut ſit afflictiva & contraria voluntati, & qui pœnam infligit ex vi legis debeat eſſe perſona diſtincta ab eo, cui infligitur; licèt ergo lex in ſui adæquata conſtitutione includat tam vim activam quàm directivam, quia tamen non repugnat unam ab altera ſeparari, ut patet in beatis & damnatis, cùm in beatis poſſit eſſe lex directivè, non verò coërcitivè, quia ſunt incapaces transgreſſionis legis, ideo adhuc poteſt Princeps dici eſſe obligatus univerſalibus legibus, licèt non earum adæquato vigore.

Dices: Etiamſi Princeps ſpontè pœnam ſua lege taxatam ſubeat, adhuc talis pœna reſpectu Principis habet rationem pœnæ: ergo nulla diſparitas. Antec. prob. dum peccator propria ſua voluntate aſſumit ſibi pœnitentias, tales habent rationem pœnæ reſpectu peccatoris, & ut tales acceptantur à Deo: ergo etiam &c.

Contra neg. antec. ad prob. pariter neg. antec. Nam tales pœnitentiæ acceptantur à Deo non tam in ratione pœnæ quàm ſatisfactionis, inter quam & pœnam hæc eſt differentia, quod ſatisfactio debeat eſſe voluntaria, quia debet per modum obſequii exhiberi offenſo, obſequium autem eò acceptiùs eſt, quò liberiori animo exhibetur, quod non eſt de pœna.

Dices: Populus tranſtulit per legem Regiam poteſtatem legislativam in Principem eam quam habuit; ſed populus à lege à ſe lata non erat exemptus: ergo nec Princeps, ideò Lacedæmones pecuniâ mulctarunt ſuum Regem, eò quòd contra legem duxerit uxorem puſilli corporis, & Trajanus dando poteſtatem ſuo præfecto dixit: Utere hoc gladio adversùs hoſtes meos in juſtis cauſis, ſin minus juſtè egero, tunc in me ipſum ſtringito.

Contra diſting. min. non erat exemptus quà populus neg. quà homo privatus conc. min. & diſting. conſequens ergo nec Princeps ſi ſimilem contineret formalitatem, quarum

unâ

unâ ſubeſſe, alterâ præeſſe poſſet, illâ, quâ ſubeſſet, non eſſet exemptus conc. illa, quâ præeſſet neg. conſequent. de illis autem Lacedæmonibus conſtat lib. 3. Polit. poteſtatem Regum Laced. valdè fuiſſe imperfectam & limitatam, unde cùm poteſtas legislativa pendeat ex humano pacto & conventione inter Principem & Rempublicam, nihil obſtat, quin cum hac conditione Princeps eam poteſtatem recipiat, ut etiam à populo poſſet cogi: illud autem Tidiani poteſt intelligi non ſecundùm jus, ſed ſecundùm voluntatem & affectum dicentis. Præterea ſi Princeps ponit leges irritantes actus & contractus, videndum eſt an irritatio ſit pura pœna, ut Simoniacus per ſuum contractum nihil operetur, & tali lege Princeps non comprehenditur coactivè ſed ſolùm directivè, ſi autem irritatio ſit ad publicam morum honeſtatem ſervandam facta, ut ſi requirit ad contractum certas ſolemnitates, quibus non ſervatis contractus eſſet nullus, tunc ſub tali lege etiam comprehenditur Princeps licèt poſſet ſecum diſpenſare.

Dices: Legislator humanus transgrediendo propriam legem debet puniri pœnâ ſaltem à Legislatore divino infligenda: ergò ſemper quoad vim coactivam ligatur ſuis legibus.

Contra neg. conſeq. quia Aſſertio noſtra ſolùm vult Legislatorem non ſubjacere pœnæ per ipſam legem ſubditis conſtitutæ, quod enim transgrediendo legem ſuam peccet mortaliter in conſcientia, & pœna à Deo infligenda ſit puniendus eſt, quia eſt ſubditus legi naturali, præſertim ſi materia legis fuerit gravis, & ipſe Legislator intenderit ſuos ſubditos ſub mortali obligare, quia æquitas naturalis non minùs violatur, ſi talem legem non ſervet Legislator, quàm æquitas poſitiva violetur, ſi ſubditus eam non ſervat, & ideo non minus Legislator graviter peccat, & quidem contra eandem virtutem contra quam peccant ſubditi, unde ſi Papa non jejunet, peccat contra temperantiam. Præterea aſſertio noſtra eſt intelligenda de Principe abſoluto non habente Superiorem ſe, nam qui Superiorem habent, non ſolùm quoad vim directivam ſed etiam coactivam ligantur legibus à ſe latis v. g. Dux Venetorum, qui licèt cum Republica ferat leges, & ſit Superior ſingulorum, quia tamen Rempublicam habet Superiorem ſe, ab illa ad pœnam ſubeundam cogi poteſt, talis paritas eſt Generalis alicujus Ordinis, cùm habeat totam Religionem Superiorem ſe, à qua cogi poteſt. Regina autem, quamvis ex natura legislationis teneatur humanis legibus, cùm non ſit Legislator, & ideo ſubdita eſſe poſſit, ex privilegio tamen non tenetur legibus, cùm non tam ſit ſubdita quàm ſponſa Legislatoris, & pariter indignum eſſet Regiæ Majeſtati ac amori conjugali difforme à legibus à marito

Rege latis non eximi, uti habetur Eſther 15. *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Eſt habetur L. Princeps 31. ff. de LL. *& Senatusconſulto Princeps legibus ſolutus eſt, Auguſta autem licèt legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem ipſi privilegia tribuit, quæ ipſe habet.*

Aſſero 2. *Nec Clerici ſecundùm vim coactivam, benè tamen ſecundùm vim directivam obligantur communibus Principum ſæcularium legibus: Religioſi autem privilegiati nec quoad ullam vim obligantur legibus ſynodalibus Epiſcoporum.* Quoad 1. partem deducitur ex Scoto in 4. diſt. 13. §. *ad quæſtionem*, dicente de Clerico criminoſo: *nullus alius à judice Eccleſiaſtico poteſt eum committere judici ſæculari.* Quoad 2. partem deducitur ex Scoto in 4. diſt. 17. quæſt. un. §. *de tertio articulo.* ubi dicit: propter talem exemptionem hodie fieri altercationes inter Sacerdotes ordinarios ſeu Parochiales & Commiſſarios ſeu Religioſos exemptos inquiens: *non enim ita faciliter audent Curati reſiſtere Epiſcopis, ſicut pauperibus privilegiatis.* Eſt communior contra Navarrum & Salas. 12

Probatur 1. pars: Clerici non poſſunt cogi à Laicali poteſtate, ut patet propoſ. 3. benè tamen mediante æquitate naturali ab ea poſſunt dirigi: ergo antec. prob. Clerici non obſtante Clericatu ſunt cives Reipublicæ & ejus membra: ergo ex naturali æquitate & ratione conformitatis cum aliis membris Reipublicæ tenentur ſervare leges Principum ſæcularium, quæ non obſtant privilegiis & ſtatui Clericorum, ſed communitati valdè proſunt, cùm non minus ſit diſſentaneum rationi unam partem communitatis diſcordare à reliquo corpore, quàm caput à membris, ex quo, Aſſertione priori ſtatuimus etiam Legislatorem ſuis legibus ligari directivè.

Probatur 2. pars: Religioſi privati ſunt exempti à juriſdictione ordinariorum; ſed ſi ligarentur legibus ſynodalibus etiam quoad vim directivam, non eſſet, in quo principaliter horum exemptio ſalvari poſſet: ergo min. prob. eorum exemptio non poteſt ſalvari in legibus ſynodalibus communibus, ut patet Advert. 3. ergo in ſynodalibus particularibus; ſed per Adverſarios nec in his eſſent exempti: ergo non eſſet, in quo ſalvetur exemptio. Unde cap. *de privil. in 6.* dicitur: exemptos non teneri parere Epiſcopo niſi in caſibus jure exceptis: atqui non excipiuntur leges ſynodales: ergo. 13

Objicies 1. Poteſt à Clericis ingredientibus ſylvas causâ venationis pœna dictata exigi, aut mulcta pecuniaria ex ipſorum bonis accipi: ergo ſignum eſt quod Clerici directè ac coactivè ligentur legibus Principis ſæcularis. 14

Reſpondeo neg. antec. quia illa pœna dictata non poteſt à Laico exigi hac ratione, quòd habeat poteſtatem directam in Clericos

trensgreſſores, ſed hoc poteſt, vel quia Principes Eccleſiaſtici eam legem acceptârunt, vel quia conſenſu expreſſo vel tacito id permittit Summus Pontifex, non verò id poteſt de jure, adeóqoe ſi ad talem transgreſſionem cognitio cauſæ prærequiritur, hæc coram Judice Eccleſiaſtico non Laico inſtituenda eſt.

Dicas: ergo nec Clerici directivè obligabuntur legibus civilibus, quia nullo modo ſunt ſubditi imperio civili cap. *quanquam. de conſib. in 6.*

Contra neg. illatum, rationem diſting. non ſunt ſubditi Imperio civili obligatione proveniente ab ipſis legibus civilibus conc. obligatione proveniente ab ipſa lega naturæ neg. nam ipſum jus naturæ dictat in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem Reipublicæ: ut pars ſe conformet toti.

Objicies 2. Clerici quoad vim directivam ligantur legibus civilibus: ergo & Religioſi privilegiati legibus ſynodalibus. Conſequentia patet, quia & Religioſi ſunt pars communitatis.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ſtatus Religionis à ſtatu aliorum Clericorum eſt longè diverſus propter modum vivendi in ea diverſum, unde lex naturalis non poteſt obligare Religioſos ad conformandum ſe legibus ſæcularium ſecloſo ſcandalo, cùm ipſi per ſuas altiori modo ordinentur ad bonum commune totius Reipublicæ chriſtianæ, unde ad prob. conſequentiæ dico illam conformitatem partis non obligare exemptos, aliàs adhuc illa, cum quo validè diſpenſatur, teneretur legibus, quia etiam poſt diſpenſationem eſt pars communitatis. Imò poſſet dici quod Religioſi exempti non ſint pars communitatis diœceſanæ, cùm nulli Epiſcopo ſubjaceant, ſed immediatè Summo Pontifici; quare ad leges Epiſcoporum non obligantur niſi ex decentia & ratione vitandi ſcandali.

Dices: Tridentinum obligat Religioſos ad feſta ſynodalia celebranda: ergo ſignum eſt, quod etiam Religioſi ad alias leges ſynodales obligentur.

Contra neg. conſequentiam, antec. autem eſt pro nobis, nam Trident. ideo voluit id ſpecialiter ſtatuere, quia judicavit Religioſos vi proprii ſtatûs eſſe ab illis exemptos; quare hoc ipſo quia de aliis legibus tacet; judicat eos ad reliquas leges ſynodales non obligari, maximè, cum odia ſint reſtringenda.

Dices: qui ſentit commodum ſentiat & onus *ex Clement. un. de Decimis*; ſed religioſi ſentiunt commodum ex defenſione Epiſcoporum ſæpè proveniens: ergo.

Contra eſt 1. Illud axioma valere, quando onus habet quamdam connexionem cum commodo, ſicut beneficiatus meritò ſentit onus obligationis ad recitandas horas, qui etiam ſentit commodum beneficii, non verò quando onus & commodum ſunt diſparata, ut eſt in noſtro caſu. Secundò valet ſolùm quando ſentiens commodum Sedis Apoſtolicæ privilegio non eſt munitus & exemptus ab onere, Religioſi autem meritò ſic ſunt a Pontifice exempti, cùm alia habeant plurima onera ſcilicet Miſſarum, Concionum, viſitationum infirmorum diu noctúque in pluviis, frigore, aliiſque moleſtiis vocati.

Dices: à Religioſis exiguntur vectigalia & aliæ gabellæ à legibus ſæcularibus, ut patet experientia: ergo multò magis poſſunt ligari legibus ſynodalibus.

Contra diſting. antec. exiguntur juſtè neg. injuſtè Conc. nam nec Clericis de bonis verè Eccleſiaſticis poſſunt imponi tributa, unde bona, quæ ad Eccleſiaſticos tranſeunt nullo onere reali & perpetuo obligata, ſunt immunia à tributis, quia ab eis tributa exigere ſacris Canonibus & ſtatui Clericorum repugnat, ut docent Canoniſtæ communiter, unde multò minùs poſſent juſtè exigi à Religioſis gabellæ carni, vino, ligno etſi ob communem Reipublicæ neceſſitatem (multò minùs ad quamdam privatam utilitatem) impoſitæ, quia eorum immunitati ſaltem indirectè hoc videtur nocere, ut tenet Sperellus in deciſionibus fori Eccleſiaſtici, graviter peccare cum obligatione reſtitutionis miniſtros & officiales Laicos imponentes exactiones extraordinarias ſuper carnem, panem, & vinum &c. unde ſi Religioſi iſtas ſolvunt, conſuetudo in multis locis obtinuit, quod Princeps vel Reſpublica damnum reſarcit pecuniaria reſarcitione: immunitas ergo Clericorum eſt ex jure Divino, c. 3. & 18. Numer. & Exod. 30. ubi omnes Levitæ cum ſuis rebus fuerunt immunes, & illud præceptum non eſt cæremoniale ſed ſimul morale, quia ratio naturalis hoc dictat; ideo etiam obligat in novo Teſtamento, ſicut præceptum de ſanctificatione ſabbati eſt partim cæremoniale partim morale.

Aſſero 3. *Peregrini tam phyſicè quàm moraliter conſtituti extra ſuum territorium nec tenentur legibus ſui territorii, nec legibus particularibus ejus loci, in quo per tranſitum ſunt.* 15
Deduci poteſt ex Scoto in 4. diſt. 14. quæſt. 4. §. *quoad ſecundum*, dicente: *Sententia, à judice non ſuo lata, eſt nulla*: ergo à pari lex à Principe non ſuo data, non ligat. Eſtque communior cum Sanchez contra Navarrum & alios.

Probatur 1. pars: ceſſante cauſa ſubjectionis ceſſat legis obligatio; ſed extra territorium ceſſat cauſa ſubjectionis: ergo. min. prob. cauſa ſubjectionis hujus vel illius Legislatoris eſt territorium ſeu diſtrictus alicui juriſdictioni ſubjectus cum acquiſitione vel mutatione territorii acquiratur vel mutetur ſubjectio; ſed hæc ceſſat extra territorium: ergo. ex quo patet eum, qui extra territorium, in quo furtum eſt affectum pœnâ excommunicationis, furatur, non incurrere excommunicationem ut habe-

habetur in cap. *à nobis*, de ſent. excom. Dixi in Aſſert. tam phyſicè quàm motaliter peregrini, nam ſi ſit præſens moraliter, etſi abſens ſecundùm perſonalem præſentiam, adhuc legibus ſui territorii ſubjacebit, nam obligatio legum tangit perſonas propter operationes intra territorium exercendas, quapropter perſona ſecundùm poſſeſſionem, actionem vel omiſſionem ſit præſena, talis præſentia ad obligationem contrahendam erit ſufficiens, cùm alias malè conſultum eſſet bono communi, quod ſæpe plùs nocumenti patitur à cauſis moralibus quàm phyſicis, ideo parochus extra diœceſim vagans, ſi omittat agere, quæ ipſi ex officio parochiali incumbunt, peccabit contra leges diœceſanas ab Epiſcopo puniendus, nam omiſſionis culpa & effectus intra territorium conſummantur, hoc eodem modo obligant ſtatuta prohibentia exercitium mercaturæ extra territoriom, quis damnum, quod ejusmodi exercitio Reſpublica patitur, intra territorium peragitur.

16 Probatur 2. pars: tum qoia ut aliquis obligetur requiritur juriſdictio in obligante & ſubjectio in obligato ex cap. 16. X *de M. & O.*; ſed per ſolum tranſitum præcisè non acquiritur juriſdictio in obligante aut ſubjectio in obligato: ergo. min. prob. ad hoc ut aliquis fiat ſubditus alteri, fit vel ratione originis vel domicilii aot quaſi domicilii vel delicti; ſed aliquis per modum hoſpitis in aliquo loco per tranſitum commorans non acquirit domicilium aut quaſi domicilium: ergo ex quo patet Epiſcopum non poſſe diſpenſare cum extraneo in ſua diœceſi per tranſitum commoraturo, neque illi Sacramenta conferre exceptâ pœnitentiâ & Euchariſtiâ, niſi ex tacita Epiſcopi conceſſione. Tum quia *cap. à nobis* X *de ſententia Excomm.* Clemens III. dicit: ſententiam generaliter latam in furtum committentes obligare ſubditos qui incolæ ſunt, ergo extranei non habentur pro ſubditis. Tum quia in dubiis præferenda eſt pars benignior L. 192. ff. de R. I. ſed dubium eſt an particularibus territorii legibus adſtringantur advenæ: ergo cenſendum eſt illos non obligari, cum nullum jus id exprimat, nec boni communis neceſſitas id exigat, ſi ſcandalum abſit, nam in periculo ſcandali erit obligatio juris naturalis, ut advenæ ſeſe incolis conforment.

17 Objicies: D. Ambroſius relatus in cap. illa. diſt. 12. dicit: cum Romam venero, ſabbatum jejuno, cum Mediolani ſum non jejuno, ſic & tu ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi, ex quo illud tritum oritur, ſi fueris Romæ Romano vivito more, ſi fueris alibi, vivito ſicut ibi. Unde Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. *quantùm ergo*, dicit: *Eccleſiæ, ad quamcunque veneris, te conformes ait Ambroſius & Auguſtinus: ergo in Petro reprehenſibile fuit in Eccleſia gentium ad Gal. 2. non conformare ſe eorum modo vivendi, vel quia hoc dabat occaſionem gentibus ſervandi legem, vel quia oſtendens facto illud eſſe neceſſarium, vel ſaltem neceſſarium ad hoc, ut converſi ex judæis vellent communicare cum eis: & ſæpè inferiores facerent aliqua difficilia, ne excluderentur à communione Superiorum. ergo.*

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud Ambroſii, Auguſtini & Scoti tantùm eſt de conſilio non præcepto, vel de legibus per ſe ad bonos mores ſpectantibus, quarum tranſgreſſiones habentur pro flagitiis, vel eſt tantum de caſu ſcandali, uti ex ejus verbis colligitur, vel de aliquo commorante per notabilem partem anni.

Dices: ergo peregrini eſſent omnino exleges, non enim obligantur proprii territorii legibus, nec legibus illius loci, ad quem veniunt per conſequens nullis, quod eſt contra rectam gubernationem.

Contra neg. illatum, nam imprimis obligantur legibus generalibus & communibus ſuæ Patriæ, ſecundò etiam particularibus & municipalibus, quando ſpecialem Reipublicæ utilitatem & pacificam extraneorum cum incolis communicationem concernunt, v. g. ut ſolvant vectigalia, ut frumentum non evehant, &c. nam tunc Magiſtratus ſub hac conditione peregrinis tranſitum videtur concedere, ut & ipſi leges bonum commune conſervantes ſervent. Tertiò tenentur etiam ad leges vel conſuetodines loci, ſi eædem in ſua Patria ſervantur, nam aliàs oriretur ſcandalum.

Dices: præceptum comitatur perſonam etiam extra territorium: ergo & lex.

Contra neg. conſequent. quia præceptum primariò reſpicit privatam utilitatem ſubditi, cui expedit ubique terrarum poſſe obligari: lex verò per ſe reſpicit publicam utilitatem territorii, cujus non intereſt qoid ſubditi agant ſuo arbitrio extra illud, unde licèt diebus Veneris & Sabbati ſervetur abſtinentia ab eſu carnium, & in certis locis Hiſpaniæ liceat comedere inteſtina animalium, attamen poterit Viennenſis perveniens in Hiſpaniam his diebus inteſtina comedere, quia gaudent peregrini privilegio locali, ſi volunt, quamvis non teneantur, non tamen viciſſim Hiſpanus poſſet Viennæ comedere inteſtina animalium, quia peregrini tenentur legibus locorum, ubi jus commune viget, viget autem jus commune diebus vetitis de non comedendo inteſtina animalium, nam conſuetudines & privilegia ejusmodi communibus legibus, quibus omnes obligantur, derogantia, ſunt localia, & hoc ipſo ad loci terminos reſtringenda, eò quod à jure communi exorbitent, licèt etiam contrarium probabile judicet Sanchez, nam licèt tale privilegium ſit conceſſum loco, adhuc tamen uti poſſunt eo, qui moraliter cenſentur loco præſentes, ut ſunt illi, qui mox in patriam ſunt reverſuri. Præterea tamen ſubditi quando etiam extra

ſuam patriam exiſtentes obligentur legibus ſui Principis, ſi ſcilicet leges præciſè in eorum perſonas ſunt latæ, nam præceptum & ſententia directè fertur in perſonam ad contumaciam ejus coërcendam, quæ in territorio, etiam extra illud exiſtente ſubdito manet, quapropter decreta Magiſtratus loci, quibus vetat, nequis territorium exeat ad aliquid operandum, obligat etiam ſubditos extra territoriom, & pœna pro hoc impoſita rectè exigitur, ut habetur L. 4. cod. de commerc. & mercat.

Dices: Diſcedens à proprio loco ſtatim deobligatur legibus & conſuetudinibus talis loci: ergo econtrariò incipiens incolere alium locum ſtatim obligabitur legibus hujus loci, nam præterea, qui permanenter vult habitare in aliquo loco, conſequenter etiam velle debet ſe ſubjicere illius regimini: ergo etiam qui tranſeunter vult in aliquo loco morari, debet etiam velle ſe tranſeunter ſubjicere illius loci legibus.

Contra neg. conſequent. quia juxta regulam juris favores ſunt ampliandi & odia ac pœnæ ſunt reſtringendæ, eſt autem favor, ut diſcedens à proprio loco non obligetur legibus ſui loci, eſt verò odium & pœna, ut obligetur ſtatim legibus loci, per quem tranſit, adeóque nec peregrini tenentur habere voluntatem tranſeunter ſe ſubjiciendi legibus illius loci, cum non ſint membra talis communitatis per domicilium aut quaſi domicilium, nec ipſe communitas poteſt habere voluntatem cogendi tales advenas ad ſuas leges, quando eorum tranſgreſſio nullum affert ſuis civibus damnum.

Dices: ergo poſſet quis cum ea intentione tranſire ad aliud territorium, ut ſe eximeret à lege jejunii, ut effugeret reſervationem caſuum ſui territorii, ubi in alio territorio poſſet comedere carnes, abſolvi à reſervatis &c. Sed hoc non, cùm id fiat in fraudem legis, fraus autem & dolus nemini patrocinari poteſt: ergo.

Contra conc. illatum, ſi præcepta ſint mere localia, uti ſunt præfata, nam illa poſſunt dici conditionata ſcilicet hoc ſenſu: volo eſſe obligatos, quamdiu ſunt in tali loco vel diœceſi, ſi verò ad aliam tranſirent, non ſint obligati. Unde neg. min. quia talis non agit in fraudem legis, ſed utitur jure ſuo, nemo autem utens jure ſuo videtur dolum agere, ut habetur per regulam 55. *ff. de R. I.* ſicut etiam alia præcepta obligant ſub hac tacita conditione, ſi non fuerit impetrata diſpenſatio, & ideo non eſt illicitum ſe eximere ab obligatione eorum per petitionem diſpenſationis.

Dices: ſi licitum eſt opponere impedimentum adimpletionis legis per tranſitum ad aliud territorium, etiam licitum eſſet ex intentione ludere ludo pilæ vel pyramidum, aut ſe occupare labore alio non neceſſario, ex quo violatio jejunii vel omiſſio ſacri ſecutura eſt poſito impedimento debilitatis & fatigationis.

Contra neg. ſequelam, quia illud impedimentum per tranſitum eſt rationabiliter conditionatè incluſum in lege, & ideo non contingit dolus, alia autem impedimenta ut luſus, aut comeſtio cibi nocivi, ex quo immediatè die ſequenti naſcitur infirmitas & impedimentum auditionis ſacri, non ſunt rationabiliter incluſa in legibus propter nimias fraudes & laxitates, quæ devotionem extinguerent, unde in his caſibus non poteſt aſſignari diſparitas contra hos caſus in quibus aliquis die feſtivo vel nocte proxima ante ſe inebriaret, prævidens ſe ideo impediendum ab auditione Miſſæ vel recitatione Divini officii, vel ſi quis abjiceret Breviarium, ut ſit impotens ad recitandum officium, quos caſus omnes authores peccati damnant; dixi autem nocte proximè antecedente, quia ſi non ſit in proximo ut obliget præceptum, licitum erit apponere aliquod impedimentum indifferens ea intentione, quia præcepta non videntur extendi ad media & impedimenta ita remota, interim tamen Joannes Sanchez docet in his caſibus eſſe attendendum ad neceſſitatem vel utilitatem impedimenti, an ſcilicet proximè vel remotè præceptum impleri impediat, & an medium impeditum per ſe & intrinſecè ad rei præceptæ materiam pertineat ut Breviarium ad recitandum officium Divinum, & talia media eſſe adhibenda impedimentaque eſſe removenda, quæ ex natura rei obſtant adimpletioni præcepti, eſt obligatio, quia Superior præcipiens finem, cenſetur præcipere hæc media, ſine quibus nullo modo poteſt obtineri finis, unde ſtante connexione medii cum fine, eo ipſo quòd quis non vult medium, nec etiam vult finem, per conſequens nec vult ſervare præceptum, & ideo contra iſtud peccat, vel ſi media tantùm per accidens pertineant ad rei præceptæ materiam, ut eſt bona valetudo corporis, & docet, quòd præceptum non obliget ad media per accidens requiſita aut impedimenta talia media impeditiva removenda & ideo concedit licitum eſſe laborem vel luſum incompatibilem cum jejunio ea intentione & fine ut non jejunet; ſed ad hoc approbandum me reſolvere non poſſum ob omnimodam paritatem rationis priùs dictorum caſuum illicitorum, ubi etiam impotentia perſonalis oritur; nihilominus tamen in hac materia benè attendendum eſt ad neceſſitatem vel utilitatem impedimenti apponendi & honeſtatem ejuſdem. præterea ad ipſa media & impedimenta; alia enim per ſe & intrinſecè impediunt ac proximè, alia autem per accidens & remotè, & circa hæc non eſt tanta obligatio, quanta eſt circa prima, tandem ad ipſam conſuetudinem & unanimem Doctorum ſenſum quo præcepta ſunt recepta. Ex his,

Infe-

18 Inferendum eſt 1. Quamvis alter Sanchez putet irritum eſſe matrimonium clandeſtinum in loco ubi Tridentinum ſervatur ab incola loci, ubi Tridentinum non ſervatur, & econtra validum eſſe celebratum in loco ubi Tridentinum non ſervatur ab incola loci, ubi ſervatur Tridentinum etiam ea intentione, ut in alio loco non ſervet, cum contractus ſequantur conſuetudines loci, ubi celebrantur, matrimonium autem eſt quidam contractus: ergo ad ejus validitatem ſpectandæ ſunt leges & conſuetudines loci ubi celebratur. Contrarium tamen ſcilicet de invaliditate matrimonii incolæ ubi Tridentinum ſervatur apud eos ubi non ſervatur eſt verius, quia Congregatio Cardinalium præpoſita interpretatione Concilii Tridentini & Urbanus VIII. in ſpeciali reſcripto & Brevi Apoſtolico ad Archiepiſcopum Colonienſem dato 14. Auguſti 1629. hujusmodi matrimonia tanquam fraude contracta invalida eſſe declararunt, ut refert Lugo in reſponſ. moral. L. 1. dub. 37.

Inferendum eſt 2. Cajum Græcii exiſtentem in feſto Ægidii, quod eſt ſub præcepto in civitate & non pro tota Diœceſi, cogitantem à prandio diſcedere extra civitatem, obligari ad Sacrum audiendum, & abſtinendum ab opere ſervili pro ſolo matutino tempore, quo exiſtit Græcii, non vero pro veſpertino, quo exiſtit in loco immuni à tali obligatione, nam præceptum ſervendi dies feſtos eſt duplex, unum quo præcipitur auditio ſacri, alterum quo abſtinentia ab opere ſervili, prioris obligatio extenditur ſolùm ad tempus matutinum, eóque finitur, cum igitur toto illo tempore Cajus exiſtat Græcii, ibi tenebitur audire Sacrum. Alterius verò præcepti obligatio urget pro qualibet parte notabili diei totius, cum ergo Cajus mediam diei partem in loco obligatorio, alteram verò partem in loco non obligatorio tranſigat, in priori & non in altero tenebitur abſtinere ab opere ſervili.

Inferendum eſt 3. ſi autem Cajus matutino tempore diſcederet ab aliquo loco, ubi eſt dies feſtivus ad locum ubi non eſt feſtivus, ſub diſtinctione eſt obligatus ad audiendum Sacrum, vel enim Sacrum unica & determinata hora celebratur, ut fit in parochiis, vel plura ſuccedunt, ut fit in civitatibus & monaſteriis, ſi primum, tunc communis docet, quod lex obliget ante diſceſſum, nam lex affirmativa obligans pro determinato tempore pariter obligat ad præcavendum impedimentum illius obligationis; ſed in tali caſu lex obligat pro determinato tempore v. g. hora octava, & diſceſſus eſt certum impedimentum legem implendi: ergo. Si verò ſecundum contingit iterum videndum eſt, an Cajus ingrediatur alienum territorium tempore, quo legem audiendi Sacrum implere poſſet, vel tempore, quo domi exiſtens ampliùs implere non poſſet, ſi ſecundum, tenebitur ante diſceſſum implere legem, quia impedimentum ſupervenit adhuc obligato & exiſtenti in proprio territorio, ſi primum, non tenebitur audire Sacrum quia tempore egreſſus è territorio nondum habet proximam obligationem implendi legem. Nihilominus tamen eſt probabilis ſententia in hoc caſu Cajum eſſe abſolutè deobligatum, eò quòd impotentia illa implendi legem adveniat obligatione jam extincta per ingreſſum alterius territorii.

Inferendum eſt 4. Abeuntem manè ex proprio domicilio, in quo jejunium obligat, & nocte perventurum ad locum ubi jejunium non obligat poſſe nocte cœnare carnéſque comedere, cum diſcedens non teneatur ſervare leges ſui domicilii, imo poterit manè ſumere jentaculum, quia jejunii obligatio completur veſpertino tempore, pro quo ſcit ſe fore deobligatum, nec obſtat, quòd poſſit mutata ſententia non pervenire ad locum exemptum, quia ad hoc ſufficit moralis certitudo, non tamen licebit manè comedere carnes, quia præceptum abſtinentiæ obligat pro qualibet hora diei.

Inferendum eſt 5. Abeuntem econtra ex loco ubi jejunium non obligat & perventurum ad locum proprii domicilii, ubi jejunium obligat poſſe manè comedere carnes non autem nocte, imo etiam in ſuo domicilio tenebitur non cœnare, ſi fortè jejunium non ſit fractum: ratio primi eſt, quia poſſumus ſequi leges moréſque loci ex quo diſcedimus; ratio autem ſecundi eſt, quia reverſi ad proprium domicilium tenemur ſervare noſtras leges. Ratio tandem tertii eſt, quia jejunium ſemel fractum non ampliùs obligat: ergo ſi illud ſupponitur ſemel fractum in loco ubi non obligat, non poterit obligare in loco, ubi viget Lex jejunii. Cæterùm præceptum non comedendi carnes die jejunii eſt negativum, quod obligat ad ſemper, ſicut præceptum non furandi, præceptum autem non comedendi ſatis ex reliquis cibis eſt affirmativum, quod non obligat ad ſemper, niſi antequam per duplicem comeſtionem ſit fractum, quia eſt præceptum de unica comeſtione in die ſumenda, quam qui per ſecundam transgreditur, non peccat novo peccato per tertiam vel quartam comeſtionem, cum ſolùm ſub præcepto cadat ne unica comeſtio excedatur.

QUÆSTIO VII.

An conſuetudo pro Lege introducta debeat eſſe per actus judiciales, & determinato tempore continuatos?

ADvertendum eſt 1. Ex Decreto Gratiani C. *conſuetudo*. diſt. 1. dici: *conſuetudinem eſſe jus quoddam moribus hominum inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur* 1
cum

sum deficit lex. Dicitur primò jus, in quo genericè convenit cum lege ſcripta, & ideo debet conſuetudo eſſe juſta & rationabilia pro nova lege inducenda, quæ juſtitia & rationabilitaa conſuetudinis eſt tunc, quando juſtæ legia conditiones includit, nam cum conſuetudo ſuccedat loco legia, ideo juxta conditiones legis dijudicanda erit, quapropter ſi conſuetudo non eſſet juſta ſaltem ratione objecti ſeu materiæ, circa quam verſatur, potius eſſet corruptela & abuſus. Dicitur ſecundò hominum moribua inſtitutum, per quod jam incipit à lege differre, nam lex fertur originaliter à Superiore, conſuetudo verò originaliter à ſubditis, cùm ſolo tacito Principie conſenſu introduci poſſit. Dicitur tertiò: quod pro lege ſuſcipitur; quia conſuetudo habet vim legis & loco ejus ſuſcipitur, ubi deficit lex, quæ tripliciter poteſt deficere, primò dum non eſt, ſecundò, dum eſt inutilia, tertiò, dum eſt dubia & obſcure; ideo ubi lex non eſt, ſuſcipitur conſuetudo legie introductiva, ubi lex eſt inutilie, ſuſcipitur conſuatudo legie abrogativa, & ubi lex eſt dubia vel obſcura, ſuſcipitur conſuetudo legie interpretative, ideo etiem benè dividitur conſuetudo contra legem, præter legem, & juxta legem, quia vel conſuetudo ſupponit aliquam legem humanam contrariam, & ſic eſt contra legem, vel nullam ſupponit ſibi contrariam, & ſie eſt præter legem, aut denique ſupponit legem humanem conſtitutam ſibi conformem, & ſie erit ſecundùm legem, quamvis hoc modo non ſit propriè conſuetudo de qua hic quæritur, cum nullum novum jus introducat, ſed ſolùm antiquum repetitia obſervantiæ actibue confirmet.

2 Advertendum eſt 2. Certum eſſe conſuetudinem à majori parte communitatis frequentatam poſſe abrogare legem humanam; contra legem enim naturalem & divinam nulla conſuetudo poteſt jus novum inducere, uti habetur in utroque jure & apud omnes nationes. Cæterùm autem hæc via conſuetudini ab humania Superioribus eſt attributa, ut plurimorum malorum evitetur occaſio, & quia plerumque minua utilis eſt Reipublicæ Lex, cui conſtanter moribua populi contradicitur: neque tamen omnia conſuetudo eſt tanti valoris, ut priorem legem valeat abrogere, ſed ſolùm illa, quæ habet omnia neceſſaria requiſita, & quidem eadem, quæ ſunt legie; hinc primò requiritur, ut ſit rationabilis, quia ſi ratione caret, potius corruptela, quàm conſuetudo dicenda eſt; præterea non debet militare contra jus divinum & naturale, ſed debet eſſe talie, in quam Legialator poſſit juſtè conſentire: Ex hia infert Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 2. §. *de ſecundo.* conſuetudinem baptizandi Eccleſiæ Græcæ eſſe legitimam dicens: *quamdiu tolerata fuit ab Eccleſia Romana forma illa baptiſmi: baptizetur ſervus Chriſti, licita fuit eis, & pro tempore, pro quo inſtituta fuit, rationabilis fuit, durante cauſa prædicta - - - ſi permiſit ſeu conceſſit, licitum videtur eis illam formam continuare.* Aſt in 4. diſt. 17. quæſt. 1. §. *in iſta quæſtione.* reprobat conſuetudinem Græcorum non confitendi, cum confeſſio ſit de præcepto divino dicens: *nec neceſſariò iſtius* (Eccleſiæ) *actus inducit conſuetudinem.* Non tamen cenſenda eſt conſuetudo irrationabilis ex eo præciſe quod repugnet legi humanæ, ſi nullam aliam contineat indecentiam, ſicut ex hoc non cenſetur irrationabilie lex ſcripte, quæ interdum aliam legem abrogat; unde quamvis actus, quibus conſuetudo inchoatur contra legem, non forent excuſati à formali peccato, per ignorantiam tamen aut bonam fidem tractu temporis poteſt cenſeri conſuetudo ad ſenſum præſentis loci rationabilia nempè ex parte materiæ ſeu objecti. Secundò requiritur ut per actus conſuetudinem introducentes in tacitum & unanimem conſenſum populi veniri poſſit, ut habetur L. 1. cod. *quæ ſit longa conſuetudo.* quot verò actua ad introducendam conſuetudinem requirantur, diſcreti judicis arbitrio eſt tribuendum, qui judicabit quotnem requirantur, ex quibus conſenſus populi colligi queat L. 1. ff. *de jure deliberandi.*

Advertendum eſt 3. Duo adhuc aſſignantur requiſita conſuetudinis, de quibus Authores non conveniunt, unum eſt, quod actus conſuetudinem introducentes deberent eſſe judiciales, hoc eſt, quod talee actue debeant eſſe publici & notorii ipſo facto, hoc eſt quod non in occulto ſed in publico fieri debeant, ſunt autem actus publici & verè notorii illi, qui aliquo publico judicio contrario, judice ita judicante ſunt firmati. Alterum eſt diuturnitas temporis, de qua aliqui requirunt decem annoe in materie civili, & quadraginta annos in materia Canonica, alii verò requirunt centum annos aut immemorabile tempue, alii tandem hoc tempus reliquerunt judicis arbitrio determinandum. Cæterùm tamen ultra tanquam certiſſimum requiſitum eſt, ut illi actue introducentes conſuetudinem ſint liberi & voluntarii ac animo introducendi conſuetudinem & abrogandi legem antiquam poſiti; nam dicit Gloſſa in C. *fruſtra.* diſt. 8. quia actua agentium non operantur ultra illorum intentionem, unde conſuetudines introductæ ſolùm devotionis gratia, vel ad melius eſſe non habent vim legis, ut conſuetudo ter pulſandi ad Salutationem Angelicam, vel tria Sacra audiendi in die Natalis Domini; quomodo autem dignoſci poſſit an conſuetudo cum animo obligandi ſit introducta hæ ſunt obſervandæ regulæ: prima, ſi materia & obligatio conſuetudinis ſit reipublicæ valdè utilis, ſecunda, ſi difficilis conſuetudo ſervetur à majori parte populi, nam difficilia non ſolent à multis obſervari, niſi obligentur, tertia, ſi prudentiores malè ſentiant de violantibus conſuetudinem, 3

quarte,

quarta, ſi violatores à ſuis Superioribus puniuntur, in dubio autem potius pro voluntaria quàm obligatoria conſuetudina juris erit habenda. His norstis ſic

4 Propoſitio 1. *Licèt contra jus gentium in aliqua natione poſſit introduci conſuetudo, impoſſibile tamen moraliter eſt introduci conſuetudinem contra totum jus gentium.* Ratio eſt, quia ad talem conſuetudinem introducendam requiritur conſenſus omnium nationum; ſed moraliter impoſſibile eſt, ut omnes nationes conveniant ad univerſum jus gentium per contrarias conſuetudines abrogandum, cum ſit juri naturali valdè conſentaneum: ergo.

Nec dicas: illa conſuetudo, quæ eſſet contra jus gentium non eſt intrinſeca mala, ſed ſolùm illud quod intrinſecè malum eſt, nequit conſuetudine introduci: ergo adhuc contra jus gentium poſſet introduci conſuetudo.

Reſpondeo neg. min. nam etiam id quod eſt valdè difficilè ad immutandum ſenſum omnium nationum nequit moraliter per conſuetudinem introduci, aut multis actibus continuatis confirmari.

5 Propoſitio 2. *Non eſt requirendum idem tempus ad legem conſuetudinis introducendam, quod requiritur ad legem præſcriptionis.* Ratio eſt, quia hæ leges ſunt diverſæ rationis; nam lex præſcriptionis eſt poſita in pœnam negligentiæ dominorum, ut ſua bona diligentius curent, & ne dominia rerum maneant ſpoliata dominio, lex autem conſuetudinis eſt ad providendum bono publico, ſed non provideretur bono publico ſi ad introducendam rationabilem conſuetudinem tam contra legem Canonicam quàm Civilem idem tempus requireretur ſicut ad præſcribendum: ergo. min. prob. quia nimis violentum eſſet, ſi poſt moraliter ſufficientem & à communitate conſtanter ſervatam conſuetudinem vellet Princeps ſua lege illi reſiſtere: ergo. Antec. patet; quia lex eſt in favorem boni publici, quòd maximè ſpectare debent Principes, & ideò magis favere debent bono publico ut rationabilis conſuetudo habeat vim abrogandi contrariam legem.

Nec dicas: *Cap. cum tanto. de conſuet.* dicitur: Conſuetudinem longævi temporis non vilis eſſe authoritatis, valituramque contra ipſum jus poſitivum, ſi rationabilis ſit & legitimè præſcripta: ergo ſi conſuetudo legitimetur per præſcriptionem idem tempus præſcriptionis ad conſuetudinem requiritur.

Reſpondeo neg. conſequent. quia in illo ly legitimè præſcripta non intelligitur præſcriptio propria, in qua requiritur bona fides & titulus, quæ eſt de rebus mobilibus vel immobilibus in pœnam negligentium dominorum, ſed ſolùm intelligitur præſcriptio impropria ſeu diuturna frequentatio cum aliis ſuis requiſitis aliquorum actuum rationabilium contra priorem legem, quæ in favorem boni publici tanquam regula & lex nova præſcribitur, nec requiritur bona fides, aut titulus; unde conſuetudo non tollit legem via præſcriptionis, ſed vi conniventiæ ſeu tacitæ approbationis perſonalis Principis, & ideo ſolùm tempus determinandum à prudenti viro requirit. His poſitis:

Aſſero ad quæſt. *Actus conſuetudinem inducentes non debent eſſe judiciales, nec tempus inducendæ conſuetudinis eſt à jure determinatum, ſed prudenti arbitrio judicis eſt relinquendum, ut determinet, & plerumque tam in lege Civili quàm Canonica decennium ſufficere poteſt.* Deducitur quoad priores partes ex Scoto in 4. d. 3. q. 2. *§. in iſta quæſtione.* Eſtque Azorii & Vaſquez contra alios. 6

Probatur 1. pars: Tum quia eatenus requiruntur actus conſuetudinem introducentes, quatenus conſenſus & uſus populi colligi poteſt; ſed ex actibus extra judicialibus æquè colligitur conſenſus populi quàm ex actibus judicialibus: ergo min. prob. nam licèt pro talibus actibus nunquam in judicio contradicentibus aliis judicatum fuerit, adhuc tamen rationabiliter aliquos actus pro conſuetudine unanimiter ſenſus populi contra legem obſervare poteſt & ſic novam legem conſtituere: ergo. Tum quia ſi indifferenter actus judiciales ad introducendam conſuetudinem requireretur, tunc jure Civili lapſu decem annorum conſuetudo contra legem induci non poſſet; ſed hoc eſt contra communem: ergo. Sequela prob. ſententiæ judiciales contra legem latæ ſunt ipſo jura nullæ, & poſſunt uſque ad triginta annos nullitatis argui: ergo.

Probatur 2. pars: Quæ in jure expreſsè non ſunt definita, judicis arbitrio ſunt relinquenda *l. 1. §. 2. ff. de jure deliberandi*; ſed tempus introducendæ conſuetudinis nullibi eſt jure determinatum; ergò relinquendum eſt arbitrio judicis, qui ut vir prudens circumſpectè ſtatuet an conſuetudo legitimo tempore ſit firmata min. patebit ex reſolutione objectorum jurium, quæ licèt conſuetudinem inveteratam eſſe debere dicant, illam tamen inveterationem non exprimunt determinatè, aut ſolùm de præſcriptione inter privatas perſonas, non verò de conſuetudine communitatis loquuntur. 7

Probatur 3. pars: Ideo per adverſarios ad introducendam conſuetudinem contra legem Canonicam non ſufficeret decennium; quis hoc ipſum tempus non ſufficit ad præſcribendum contra Eccleſiam; ſed neque decennium ſufficit ad præſcribendum contra poteſtatem civilem: ergo nec hic erit decennium ſufficiens, vel ſi hic ſufficit, ſufficit etiam contra legem Canonicam. Min. patet, quia juxta communem ſententiam præſcriptionis majus tempus requiritur ad præſcribendum contra Prin- 8

Principis poteſtatem ac dominium, quam contra dominium privatorum civium. Conſeq. etiam patet, quia non minus per conſuetudinem contra legem Civilem præſcribitur contra poteſtatem Legiſlatoris Principis ſæcularis, quam per conſuetudinem contra legem Canonicam, contra poteſtatem Principis Eccleſiaſtici: ergo ſi decennium in una non ſufficit, nec ſufficiet in alia &c. imò non bene arguitur à lege præſcriptionis ad legem conſuetudinis, ut diximus propos 2.

9 Objicies 1. *L. cum de conſuetudine* 34. ff. de LL. dicitur: *Cum de conſuetudine civitatis vel Provinciæ confidere quis videtur, primùm quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradictorio aliquo judicio conſuetudo firmata ſit*: ergo requiruntur actus judiciales.

Reſpondeo neg. conſeqnenr. quia illa lex ſolùm loquitur de confirmatione conſuetudinis jam introductæ, non verò de introductione, hoc eſt, quòd allegans conſuetudinem, quàm aliàs tanquam rem facti per teſtes probare deberet, liberetur ab onere probandi, ſi talis conſuetudo jam aliquando in judicio ſit recepta, & pro ea judicatum, vel illa lex ſolùm loquitur per modum conſilii, non verò per modum neceſſitatis juridicæ.

Dices: Jus Canonicum cap. *Abbate*. de verb. ſignif. dicit: Conſuetudinem eligendi in dicto cap. Ideo non valere, quia non fuit contrario judicio approbata: ergo de neceſſitate introductionis requiruntur actus judiciales.

Contra neg. conſeq. quia ille textus non probat ad conſuetudinem introducendam neceſſariò requiri contrarii judicii confirmationem, ſed potius vult, quod pars inducens conſuetudinem eam non ſufficienter probaverit, adeóque contrariam partem illam conſuetudinem nec approbâſſe, ut tamen ad conſuetudinem introducendam requiritur conſenſus totius communitatis, aut ſaltem majoris partis.

Dices: Si non requiritur judicialis approbatio, neque requirendus eſſet conſenſus ipſius Principis ſaltem tacitus in conſuetudinem, cum etiam ille ſit ſupremus judex, & ideo actus ab eo approbati ſunt judiciales: ergo ſi requiruntur actus informati conſenſu Principis etiam requiruntur actus judiciales.

Contra neg. conſequent. quia cum conſuetudo habeat vim legis, & lex ſit à voluntate ſolius Principis ſine alio formali judicio notorio, ideo etiam conſuetudo requirit conſenſum Principis, & non aliud judicium formale approbativum talium actuum; interim autem poteſt Princeps conſentire in conſuetudinem vel perſonaliter vel legaliter ſeu juridicè; perſonaliter, quando per ſe immediatè conſentit tacitè vel expreſsè, legaliter verò, quando vel ipſe vel prædeceſſores tolerant aliquam legem, vel cujus talis conſuetudo approbatur; hinc non valet conſuetudo etiam immemorabilis adversùs immunitatem Eccleſiaſticam, ſi nullo privilegio aut fama privilegii Summi Pontificis adjuvetur, nec etiam valet conſuetudo per quam homines inducuntur ad peccandum, vel bona ſua diſſipanda, quia in tales conſuetudines nullus poteſt eſſe conſenſus Principis, cum tales conſuetudines, quæ grave damnum inferunt Eccleſiis & animabus, ſint irrationabiles & irritæ; nam eſſent bonis moribus adverſæ, & fomentum diſſolutionum, & ideo potius corruptela ſunt dicendæ; unde conſtat competentem modum ſe defendendi contra antiquam conſuetudinem eſſe, ut oſtendatur ejus irrationabilitas, nam talis eſt invalida quantocunque tempore duraverit, uti habetur cap. ult. *de conſuetudine*. Cæterum conſuetudo differt etiam à ſtylo, quia ſtylus eſt propriè modus, qui in ſcribendo vel loquendo ſervatur, conſuetudo verò obligativa ad operandum vel omittendum eſt.

Objicies 2. Conſuetudo vocatur longi temporis uſus L. 2. Cod. *quæ ſit longa conſuetudo*; ſed uſus longi temporis eſt uſus centum annorum L. *an uſus fructus*. ff. de uſu fructu. Ergò tempus conſuetudinis determinatur à jure. 10

Reſpondeo diſting. min. eſt præcisè uſus centum annorum neg. eſt etiam conc. min. nam licèt in illa lege tempus longævum nuncupetur tempus centum annorum, ſunt tamen aliæ leges, quæ aliod tempus aſſignant ut biennium quinquennium &c. unde non valet inferri: immemorabili tempore conſtituitur uſus fructus: ergo non breviori tempore.

Dices: Saltem leges requirunt ad introducendam conſuetudinem longum tempus; ſed tale tempus regulariter habetur in jure decennium inter præſentes & vicennium inter abſentes in uſucapionibus & præſcriptionibus, ut habetur in principio inſtitutionum tit. de uſucap. ergo.

Contra neg. conſeq. Nam præterquam quòd non liceat argumentari à lege præſcriptionum ſeu uſucapionum ad legem conſuetudinis, & diximus propos. 2. dico illas leges potius conſilium quam neceſſitates perſuadere; nam dicunt decem annos ſufficere ly *ſufficere* autem non neceſſitat, unde licet. Decennium longum tempus dicatur à legibus, hæc tamen determinatio ſe non ad conſuetudinem legalem, ſed ad præſcriptionem præcisè extendit.

Dices: ſi pro conſuetudine non requirantur decem vel plures anni ut à jure determinati, ſic etiam non requirerentur multiplices actus aut eorum frequentia; ſed hoc non admittitur: ergò nec pauciores anni quàm decem. Sequela prob. etiam duobus actibus poteſt introduci conſuetudo; ſed duo actus non dicunt frequentiam: ergo maj. prob.

L. 3.

Digitized by Google

L. 3. Cod. *de Epiſcoporum audientia.* Cenſetur eos babere conſuetudinem, qui bic delinquunt, nam dicit: conclodimus, ut remiſſionem veniæ crimina niſi ſemel commiſſa non habeant ---- cum impunitatem criminis veteris admiſſi non emendationi potius quàm conſuetudini depotaverint.

Contraneg. ſequelam, nam quemvis etiam multiplicitas actuum ſit dijudicanda prudentis judicis arbitrio, attamen ſemper debet adeſſe frequentia actuum, unde ad prob. neg. maj. ad cujus probam dico, quod illa lex citata ſolùm loquatur de conſuetudine facti, quæ eſt frequentis liberè operandi ad quam ſufficiunt duo actue, non verò de conſuetudine juris, quamvis etiam pro hac unicus actus habene tamen perpetuitatem ſufficere poſſet, v. g. ſi pons publico loco ædificatus à populo tolleretur.

Dices: Jus Codicillorum duobus actibus fuit introductum, ut habetur in principio Inſtit. Tit. de Codicillis: ergo.

Contra neg. antec. ut patere poteſt ex ſequenti contextu illius loci citati, hinc etiam conſtat totum negotium de multiplicitate & frequentia actuum pro conſuetudine eſſe relinquendum prudenti judicio alicujus ſuperiorie. Cæterum juris Codicillorum primus inventor fuit Lucius Lentulus, ejuſdem tamen primus Approbator & Authoritatis Allator fuit D. Auguſtinus.

QUÆSTIO VIII.

De Legis humanæ Epicheja & diſpenſatione, earúmque validitate & liceitate.

1 ADvertendum eſt 1. Epichejam eſſe interpretationem legis, ſeu eſt explicatio verborum legis de vero ſenſu à Legiſlatore intento, & præcipoè triplex eſt: prima eſt authentica, quæ fit authoritate ipſius, qui legem condidit, qui ſuam mentem circa legis obſervantiam in dubiis aperit, & hæc interpretatio habet vim legis. Secunda eſt uſualis, quæ fit quodam uſu vel conſuetudine, quâ leges hoc vel illo modo obſerventur, unde dicitur, quòd conſuetudo ſit optima legum interpres. Tertia eſt doctrinalis, quæ fit per doctrinam peritorum virorum, & hæc differt à prioribus in eo, quod vim legis non obtineat, tum non procedat à poteſtate juriſdictionis, ſed à judicio prudentum; hine per ſe non inducit obligationem, ſed ſolùm eam aperit: de hac dicit Scotus in 4. diſt. 7. q. 5. §. *reſpondeo.* De exponentibus Canones: *Poſſunt exponere jus conditum, non autem condere novum per ſuas expoſitiones. Unde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cùm feciſſet magnum opus exponendo jus Canonicum, cum fuiſſet requiſitus ab aliis quale robur vellet illum tractatum habere, dixit: quod nollet ipſum eſſe authenticum, ſed tantummodo magiſtralem.*

2 Advertendum eſt 2. Illam doctrinalem Epichejam adhuc eſſe triplicem, prima eſt declarativa, quæ eſt congrua dubiorum vel obſcurorum verborum expoſitio, pro qua obſervanda ſunt primò ipſa proprietas verborum legis, ſecundò cauſa vel motivum legis propter quod Legiſlator legem poſuit, cum legis rationabilitas ſit anima legis, tertiò mens & intentio Legiſlatoris, quæ detegi poterit ex verbis antecedentibus & conſequentibus aut ſimilibus in aliis legibus. Secunda eſt extenſivs & vel comprehenſivs vel merè extenſiva; comprehenſiva eſt, quâ lex extenditur ad perſonam vel caſum verbis quidem non expreſſum, intentione tamen Legiſlatoris comprehenſum ob adæquatam rationis legis identitatem, uti plerumque eſt in correlativis, in quibus quod diſponitur de uno, diſpoſitum cenſetur de altero, ita ſi vir eximitur ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor deobligabitur reſpectu mariti adulteri, vel in ſubordinatis & connexis, ut ſi lex concedit alicui facere teſtamentum, etiam concedit facere codicillum &c. in lege autem pœnali non datur extenſio comprehenſiva ad caſus non expreſſos, licèt ſit identitas rationis, hinc quamvis in jure æquiparentur conſulentes, mandantes, & facientes, ſi tamen excommunicatio lata ſit adversùs facientes, non extenditur ad conſulentes: merè autem extenſiva eſt, quâ diſpoſitio legis ob ſimilitudinem rationis ad perſonam vel caſum neque verbis neque mente Legiſlatoris eſt comprehenſiva, hæc interpretatio non habet vim extra judicium & in foro conſcientiæ, quia lex non obligat ad id, quod eſt extra intentionem Legiſlatoris, in judicio autem ad deciſionem cauſarum forenſium ſeu tribunalium habet vim; cum enim nequeant omnes caſus legibus comprehendi, prudentia dictat, ut in caſu non expreſſo procedatur ad normam expreſſi, uti habetur L. 13. de LL. tertia eſt reſtrictiva, quæ interpretatur aliquem caſum particularem propter certas circumſtantias ſub lege & intentione Legiſlatoris non contineri, & hæc ab Ariſtotele dicitur emendatio legis, quâ parte deficit propter univerſalitatem, & ideo eſt reſtrictio legis ſecundùm æquum & bonum.

3 Advertendum eſt 3. ex Scoto in 3. diſt. 37. quæſt. un. §. *ſed iſta expoſitiones,* erui definitionem diſpenſationis, quod ſit relaxatio legis abſolvens particulare aliquod individuum vel corpus politicum ab obligatione remanentibus aliis ſub obligatione. Differt ergo diſpenſatio ab abſolutione, quia per hanc non relaxatur vinculum legis per ſe omnes obligantis ſed ulterius obligationis ut peccatorum ſtringentis particularem perſonam;

ideo abſolutio non eſt contra ſed joxta legem,
cum jus Divinum potius præſeribat abſolven-
dum eum, qui diſpoſitus accedit. Differt etiam
ab interpretatione, quia per hanc non tollitur
obligatio legis, ſed ſolùm declaratur ceſſare,
& poteſt fieri à ſubditis, diſpenſatio autem re-
laxat legem alioquin obligantem, & ſolùm fit
à Superiore. Hinc etiam in ſententia requi-
rente juſtam cauſam pro validâ diſpenſatione
discrimen eſt, quia etſi illa juſta cauſa ſit ne-
ceſſaria ad diſpenſationem, non tamen talis,
quæ ſola ſubditum valet eximere à legis obli-
gatione, ſed quæ ſolùm præbet rationabile
motivum Prælato, ut illum à lege, etſi ſub
ea comprehendatur, liberet: differt pariter
ab abrogatione, quia hæc totam legem vel
partem abſolutè & univerſim tollit, diſpenſa-
tio verò relaxat vinculum legis reſpectu certæ
perſonæ: differt tandem à privilegio; nam
etſi aliquod privilegium requirat cauſam, ut
licitum ſit, & ſic privilegium non discrimine-
tor à diſpenſatione v. g. privilegium, per quod
derogatur legi communi, non tamen omne
privilegium cauſam requirit; cum poſſit ali-
quod privilegium nullum præjudicium inferre
legi communi, cujusmodi ſunt ea omnia pri-
vilegia, quæ tantùm cedunt in præjudicium
ſolius Principis concedentis, eſt ergo forma-
lis effectus diſpenſationis eximere ſubditum à
vinculo legis, & iodubitatum manet, dari
poteſtatem juſtè & licitè diſpenſandi in lege
humana, quod praxis quotidiana oſtendit, &
ratio infert; cùm detur poteſtas totam legem
abrogandi quoad omnes: ergo etiam remit-
tendi eam quoad aliquos.

Advert. eſt 4. Diſpenſationem dividi in
4 partialem & totalem, totalis eſt, quæ obli-
gationem legis ex toto, partialis, quæ illam
tantùm ex parte relaxat, ut ſi diſpenſetur in
pœna remanente obligatione culpæ erit partia-
lis, ſi verò diſpenſatur tam quoad obligatio-
nem culpæ quam pœnæ eſt totalis. Dividi-
tur præterea in tacitam & expreſſam, tacita
eſt, quæ ſignia obſcurioribus, expreſſa verò,
quæ ſignia evidentibus exhibetur: tacitæ di-
ſpenſationis exemplum eſt, ſi Prælatus ſciens
aliquem eſſe lege impeditum, & ei injungat
vel concedat aliquid quod incompoſſibile ſit
cum lege v. g. ſi ſcit Petrum eſſe irregularem,
concedat ei dimiſſoriales ad ſuſcipiendos ordi-
nes, vel conferat beneficium, cenſetor tacitè
diſpenſare in irregularitate, eò quòd non poſ-
ſet prudenter præſumi velle Soperiorem, ut
ſubditus agat contra legem, non tamen pro
tacita diſpenſatione ſufficit præſumpta volun-
tas Superioris de futuro; quia diſpenſatio à le-
ge deobligans ſolùm eſt voluntas Superioris
præſens vel antecedens actum, & non volun-
tas, quæ tantùm eſſet vel erit, ſic ut aliquis in
vetito gradu cum conſanguinea legitimè con-
trahat non ſufficit, quod præſumat à Pontifi-
ce diſpenſationem obtinendam: tandem ad-
huc dividitur in diſcretam & indiſcretam, pri-
ma eſt, quâ Superior diſpenſat cum ſubditis,
altera, quâ ſecum ipſo diſpenſat, & hoc tri-
bus modis: primò, quando cum tota com-
munitate diſpenſat v.g. in lege jejunii; hoc ipſo
à lege naturali ad obſervantiam ſuæ legis non
obligatur amplius: ſecundo, quando dat al-
teri licentiam v. g. Confeſſario, ut cum ſuâ
perſonâ diſpenſet, de quibus non eſt difficul-
tas: tertiò, quando ſecum ipſo directè di-
ſpenſat, ſeu ſe ipſum eximit à lege.

Advert. eſt 5. Diſpenſationem poſſe eſſe 5
licitam & validam, licita eſt, quando habet
omnia neceſſaria requiſita & juſtam cauſam,
ita ut communiter Authores damnent pecca-
ti reum Principem in concedendis diſpenſatio-
nibus ſine juſta cauſa, & quidem ad minimum
venialiter, niſi fortè ratione ſcandali aut diſſidii
inter ſubditos magnum incommodum adveniat;
interim tamen poſſet dari caſus, in quo per ac-
cidens ſine rationabili cauſa diſpenſatio fieret
ſine ullo peccato, ut ſi Princeps unum aut al-
terum à lege tributi ſibi perſolvendi ſemel aut
bis eximat ex ſola ad eum benevolentia; cum
enim ex tali benevolentia licitè poſſit reddere
tributum jam ſolutum, pariter poterit ab illo
non velle accipere tributum; cavendum ta-
men erit, ne illam ſummam notabilem cæteri
cogantur ſupplere; ſic enim cederet in grave
detrimentum aliorum; valida autem eſt, ſi
habet ſua intrinſeca requiſita; ut legitimam
poteſtatem & voluntatem diſpenſandi, unde
ſupponitur diſpenſationem poſſe reddi invali-
dam, & præſertim obreptione & ſubreptione;
unde ſi ſupplicans pro diſpenſatione alleget
falſas cauſas cenſebitor diſpenſatio obreptitia,
id eſt per expreſſionem falſi obtenta, ſi verò
ſupplicans taceat verum, qood deberet ex ju-
re allegare, vocatur diſpenſatio ſubreptitia,
id eſt obtenta per ſuppreſſionem veri, qua-
propter ſi à divite poſtuletur diſpenſatio in
forma paupertatis, aut in petitione taceatur
gradus affinitatis aut conſanguinitatis, diſpen-
ſatio foret invalida; quia diſpenſatio ſemper
datur ſub hâc tertiâ conditione, ſi preces veri-
tati nitantur; obſervandum tamen eſt, hoc
ſolùm intelligi debere de veritate alicujus cau-
ſæ finalis & motivæ ſine quâ aliàs diſpenſans
non diſpenſaret, non verò de veritate cauſæ
impulſivæ, ſine quâ quidem etiam Supetior
diſpenſaret, ſed non tam facilè aut favorabili-
ter. His notatis ſit

Propoſitio 1. *Quamvis diſpenſatio ſit ſtri-* 6
*ctè interpretanda, poteſtas tamen diſpenſandi
eſt latè interpretanda.* Ratio primi eſt; quia
diſpenſatio eſt odioſa; quia exorbitat à jure,
unde & juris vulneratio dicitur, præterea
odioſum eſt eximi à lege, quæ æqualiter
omnes obligat, ſed odioſa ſunt reſtringenda,
excipe tamen diſpenſationem, quæ contin-
geret in materia favorabili, quæ nulli præju-
dicat, tunc enim favor à Soperiore conceſſus
ſub-

ſubdito latè interpretandus eſt: excipe præterea diſpenſationem quæ non privatis perſonis ſed toti communitati & religioni fit; nam talis diſpenſatio æquiparatur legi communi, ac proinde juxta naturam beneficii erit latè interpretanda. Ratio autem ſecundi eſt; quia poteſtas diſpenſandi eſt gratia & beneficium Principis; ſed gratia & favores ſunt ampliandi: ergo maj. prob. principalis finis, qui in liberali conceſſione ſpectatur non eſt ipſa diſpenſatio, ſed favor & dignitas quâ principalis per communicationem ſuæ poteſtatis diſpenſantem honorat: ergo eſt ejus gratia & beneficium.

Nec dicas: diſpenſatio eſt ſtrictè interpretanda: ergo & poteſtas diſpenſandi. conſeq. prob. poteſtas diſpenſandi eſt propter diſpenſationem, nam in ipſa poteſtate continetur actus: ergo ſi actus diſpenſationis eſt limitatus etiam poteſtas erit limitata, alià poteſtas ſe extenderet ad actum, qui cum poteſtate non conceditur.

Reſpondeo neg. conſeq. ad ejus probam neg. antec. nam non eſt gratia diſpenſationis, ſed præcipuè gratia honorandi ipſum diſpenſantem, qui finis cenſetur principalior reſpectu Principis privilegium concedentis: ad illud autem quod actus contineatur in poteſtate, dico, ſequi in ea poteſtate non ſolùm contineri actum diſpenſationis, quâ indiget diſpenſandus, ſed & omnes alios actus, ad quos ipſa poteſtas diſpenſandi amplè intellecta poſſet ſe extendere, ut ſi concedatur poteſtas diſpenſandi in votis, etiamſi diſpenſandus non egeat niſi ſola diſpenſatione voti, poſſet tamen poteſtas ipſa ſe extendere ad relaxandum vinculum juramenti. De quo

7 Propoſitio 2. *Poteſtas diſpenſandi vel commutandi vota etiam extenditur ad vota jurata ſeu juramenta.* Ratio eſt, quia cui conceditur majus conceditur etiam minus; ſed major eſt poteſtas poſſe diſpenſare in votis quàm relaxare juramenta: ergo maj. eſt axioma juris. Min. prob. quia votum eſt promiſſio facta Deo, quæ magis obligat quàm juramentum, quod ſolùm obligat ratione reverentiæ debitæ teſti Divino; prætereà ſaltem votum & juramentum æquiparantur inter ſe, cum utrumque inducat debitum religionis erga Deum; ſed quod diſpoſitum eſt in uno æquiparatorum, cenſetur etiam diſpoſitum in altero, uti jura loquuntur: ergo. imò quando juramentum accedit voto per modum confirmationis, eſt acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis, & licèt etiam juramentum de jejunio eſſet prius factum, & poſtea etiam ſuper hoc votum emiſſum, diſpenſans in votis poterit juramentum tollere; nam talis poſſet relaxare juramenta in aliis diverſis perſonis aut materiis, cur non etiam in eadem perſona & materia?

Nec dicas: majus non continetur in minori; ſed majus eſt commutare vel diſpenſare vota jurata quàm non jurata: ergo min. prob. nam votum juratum includit duplex vinculum, hinc in Bulla Pauli III. conceditur Societati JESU facultas commutandi vota, non tamen vota jurata, nam hæc facultas conceditur in Bulla Gregorii XIII.

Reſpondeo neg. min. ad ejus probam dico duplicitatem vinculi non urgere, quia ſaltem utrumque eadem virtute religionis ligat hominem DEO, ac proinde eadem poteſtas poterit utrumque debitum eodem religionis jure DEO acquiſitum ſolvere, ſicut eadem virtus religionis poteſt utrumque vinculum inducere, hinc nego in Bulla Pauli III. non concedi poteſtatem in vota jurata, quod autem Gregorius XIII. id de novo expreſſerit, hoc ſolùm fecit ad majorem declarationem, vel ad tollendum omnem ſcrupulum, qui in aliis ſententia probabili eſſe poterat.

Propoſitio 3. *Poſſunt Principes ſecum ipſis* 8
directè diſpenſare. Ratio eſt, quia ſecum ex juſtâ cauſâ diſpenſare nulli repugnat juri, aut oſtendatur: ergo. conſeq. patet; quia nemo debet eo jure privari, quod cum aliis habet commune; ſed omnes ſubditi jus habent, ut ſecum in lege diſpenſari poſſit; ergo idem jus debent habere Prælati, cùm hi non debeant eſſe deterioris conditionis quàm ſubditi, quamvis ſæpè conſultum eſſet Principes ſuas cauſas ſecum diſpenſandi alteri præſertim Confeſſario committere, ab eóque diſpenſationem expectare, cum ſæpè poſſit dubitare, an ſuum proprium judicium non ſit corruptum ab occulto amore ſui, qui non ſinit hominem in propriâ causâ rectè cogitare juxta illud proverb. 3. *ne innitaris prudentiæ tuæ.*

Nec dicas: diſpenſatio eſt actus juriſdictionis & Superioris in ſubditum ac judicis in prætendentem; ſed nemo in ſeipſum actum juriſdictionis exercere poteſt, aut ſibi ſubditus vel judex in propria cauſa eſſe poteſt: ergo min. patet; quia nemo poteſt ſe ipſum à culpa vel pœna abſolvere ideo, quia actum juriſdictionis circa ſeipſum exercere non poteſt.

Reſpondeo diſting. maj. eſt actus juriſdictionis pœnalis aut coactivæ nèg. voluntariæ & directivæ conc. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. hinc etiam ſecundùm diverſas rationes idem poteſt eſſe ſubditus & Superior, judex & prætendens in viâ directivâ, non tamen viâ coactivâ & pro juſtitiâ litigativâ, unde ad prob. min. nego illam cauſalem eſſe præciſam & formalem, ſed quia nos abſolvere à culpa vel à pœna per culpam contracta prohibemur jure Divino.

Dices: cap. fin. *de inſtit.* dicitur: inter dantem & recipientem debere intercedere perſonalem diſtinctionem; ſed diſpenſans eſt dans: ergo. item cap. *Venerabilem.* de elect. dicitur: neminem poſſe ſuum votum aut ju-

ramentum interpretari, ſed ſpectare ad Superiorem.

Contra eſt: Cap. fin. ſolùm requirit diſtinctionem perſonalem inter dantem & accipientem reale beneficium, & quidem ad evitandum perniciosum Superioris exemplum. Et Cap. *Venerabilem* ſolùm intelligendum eſt de conſilio, de quo in propoſitione locuti fuimus.

9 Propoſitio 4. *Diſpenſatio per ſe effectum ſuum non operatur, niſi poſtquam fuerit nota & acceptata ab ipſo diſpenſando.* Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt relaxatio à lege adhuc vigente & obligante: ergò ut licitè ſuum effectum habeat, debet eſſe nota diſpenſando. Conſeq. patet, quia ante diſpenſationis notitiam nequit eſſe licitus uſus cum dubio de lege obligante. Hinc non eſt præſumendum de Superiore, quòd velit ſubditum à legis obligatione eximere, niſi quando tuta conſcientia poteſt contra illam agere, ante notitiam autem diſpenſationis non poteſt tutà conſcientiâ agere, cum illa Lex in conſcientia ſubditi obtineat ſuam vim obligandi. Hinc ſi Petrus v. g. in Sacris conſtitutus contrahat matrimonium ante notitiam diſpenſationis, tale eſt nullum defectu voluntatis diſpenſantis, qui non præſumitur velle ſuam diſpenſationem habere valorem contra legem antequam ipſius notitia ad diſpenſandum perveniat.

Nec dicas: poteſt ſaltem aliquis habere probabilem conjecturam de diſpenſatione obtentâ; ſed conſcientia probabilis ſufficit ad validitatem & honeſtatem actûs: ergo.

Reſpondeo in hoc caſu perículoſo neg. min. quia ſi hoc ſufficeret hic, eſſet ideo; quia diſpenſans cum hac conditione ſuum effectum conceſſit, ſi probabilis conjectura de obtenta diſpenſatione etiam adſit in diſpenſando, cum diſpenſatio non operetur ultra voluntatem concedentis; ſed non ita conceſſit: ergò. min. patet; quia talis modus eſt inconſuetus & expoſitus multis erroribus & fraudibus, quibus non debet prudens diſpenſator patrocinari; nam alias facilè quisque privato affectu perſuadere ſibi poſſet obtentam eſſe diſpenſationem, quæ tamen re ipſa obtenta non eſſet, ſic multi poſſent ex præſumpta validitate contractus ſpe obtentæ diſpenſationis celebrati iniri, qui poſtea diſpenſatione non obtenta non ſubſiſterent, neque ſine gravi ſcandalo poſſent revocari. His poſitis:

10 Aſſero ad quæſt. *Admittenda eſt declaratio & Epicheja in legibus humanis.* Eſt communis, & deducitur ex Scoto in 4. diſt. 7. q. 5. §. *reſpondeo.* prout in Advert. 1. adducitur.

Probatur: Leges humanæ feruntur univerſaliter ſolùm cum reflexione quid in pluribus, non quid in ſingulis caſibus particularibus contingere poteſt & ſolet: ergò nonnunquam opus eſt exceptione alicujus caſus & perſonæ particularis, cum æquitas naturalis dictet legis univerſalitatem & Legislatoris intentionem ad ejusmodi caſum non ſe extendere v. g. ad perſonam debilem vel labore fatigatam ſe non extendere legem jejunii, hinc plerumque in ſequentibus caſibus locum habebit Epicheja: primò, ſi caſus particularis foret pernicioſus bono communi, ſeu quando ratio legis deficit contrariè: ſecundò, ſi propter ſupervenientem circumſtantiam caſus fieret illicitus v. g. repugnaret legi naturæ, aut alteri ſtrictius obliganti: tertiò, ſi ob circumſtantiam aliquam lex fieret valdè difficilis, nam regulariter leges humanæ ſinè graviſſima cauſa non ſolent obligare ad valde difficilia; hinc ratione gravis damni in vita, honore, bonis fortunæ, regulariter ceſſat obligatio legis humanæ etiam eccleſiaſticæ, & cenſetur non fuiſſe intentionem Legislatoris ad hoc obligare, unde regula generalis eſt, quotiescunque poteſt moraliter conſtare, quod Legislator noluerit aliquem caſum comprehendere, etſi verba legis ſint generalia, licitum eſt contra illam operari.

Objicies: per Epichejam magnum infertur præjudicium Legislatoribus, cum ſic potius ſubditi judicent & diſponant de legum rationabilitate & expedibilitate: ergo non eſt admittenda. 11

Reſpondeo neg. antec. Nam præſumuntur Legislatores in ſimili caſu idem fuiſſe dicturos, uti conſtat L. *nulla juris*. ff. de LL. ubi dicitur: *nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ubi quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem.*

Dices: ſi Epicheja admittitur in legibus humanis multis dubitationibus ſubjiceretur validitas matrimonii; ſed hoc non eſt admittendum: ergò.

Contra diſting. maj. ſi admittitur in legibus irritantibus conc. ſi in aliis legibus præceptivis neg. maj. unde concedimus Epichejam non eſſe admittendam in lege irritante, quia etiamſi gravis cauſa ſubſit, non poteſt actus poni ſine ſua forma aut à perſona inhabili; ſed per Epichejam non ponitur forma ſubſtantialis aut habilitas perſonæ: ergò.

Dices: ergo in aliis legibus ſemper licitus eſſet uſus Epichejæ, quando etiam ſolùm probabiliter judicatur Superiorem non potuiſſe aut voluiſſe caſum ſub lege comprehendere, quod etiam videtur ſubjacere multis fraudibus.

Contra conc. illatum & nego intervenire fraudes, ſi ratio eſt verè probabilis & Superior pro declaratione conveniri non poſſit; nam ſi Superior conveniri poterit, & caſus patitur moram, neceſſarium erit conſulere Superiorem; quia tunc ceſſat ratio Epichejæ & æquitatis, cum ſic potius contra æquitatem eſſe videatur.

Aſſero

12 Aſſero 2. *Quamvis ad licitam diſpenſationem juſta requiratur cauſa, ſicut & ad validam diſpenſationem Superioris inferioris in lege Superioris majoris; probabilius tamen eſt diſpenſationem alicujus ſupremi Legiſlatoris in ſua lege ſine juſta cauſa eſſe validam.* Quoad 1. partem deducitur ex Scoto in 4. diſt. 3. q. 2. §. *tertio de forma.* dicente: *licèt diſpenſaverit Chriſtus in illa lege prò tempore primitivæ Eccleſiæ; quia fuit ratio diſpenſandi ut divulgaretur nomen Chriſti, tamen illa ratione ceſſante non diſpenſavit.* Quoad 2. partem in 4. diſt. 4. quæſt. 9. §. *de parvulis.* dicente: *Imperator debet ſententiare aliquem obedire debere proconſuli præcepto contempto curatoris ſcilicet inferioris proconſulis, ſi contradiceret proconſuli.* Quoad 3. partem in 4. diſt. 19. quæſt. un. §. *de ſecundo articulo.* dicente: *auctoritatem ſine juſtitia habens & aliquid ſententians facit, quod eſt poteſtatis, licèt indebitè fiat.*

Probatur 1. pars: tum quia, contra fidelitatem & implicitum pactum cum communitate operatur Princeps ſine juſta cauſa eximens à lege commune bonum ſpectante: ergò ſic peccat, antec. prob. Princeps poteſtatem legiſlativam, in qua comprehenditur diſpenſative, ea conditione à populo recepit, ut non ſit in nocumentum ſed ædificationem regni; ſed ſinè juſta cauſa diſpenſare eſt nocivum communitati, ut teſtatur Trid. Seſſ. 25. de Reform. dicens: tales diſpenſationes nil aliud eſſe, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, ideo c. 18. ſtatuit in matrimoniis omnino nullam aut raro idque ex cauſa dandam eſſe diſpenſationem. Tum quia ratio naturalis dictat tam ſingulas partes cum toto quàm caput cum reliquo corpore concordare debere; ſed per diſpenſationem legis pars diſcedit à toto: ergò niſi hanc ſegregationem juſta cauſa compenſet, non poterit eſſe licita & rationi conformis.

Obſervandum ergo eſt, juſtas cauſas debere deſumi ex variis circumſtantiis tum perſonæ diſpenſandæ, tum diſpenſantis, ſcilicet hujus clementià & liberalitate in ſubditos, & illius neceſſitate, utilitate, virtute, & nobilitate, & ideo cit. Trident. monet in diſpenſationibus habendum eſſe delectum perſonarum, unde ſi adſit neceſſitas vel utilitas publica vel privata, gloria DEI, periculum incontinentiæ in habente votum caſtitatis, indigentia mulieris in impedimento matrimonii, bonum pacis inter Principes &c. licita ſit diſpenſatio, plures cauſas vide ex P. Engel L. 4. tit. 16. §. 3. num. 8. præterea addit Maſtrius de LL. q. 6. art. 2. poſſe interdum ſufficere cauſam, quæ veluti conſeqüenter in iſta diſpenſatione injungitur, imponendo certam recompenſationem pro juſta cauſa, quamvis nullà alia antecedenter adeſſet præter commoditatem diſpenſati, imò in dubio an juſta ſit cauſa addit Sanchez poſſe Legiſlatorem diſpenſare, nam in dubio inclinanda eſt ad benigniorem partem, & ideò etiam poteſt aliquis uti diſpenſatione, licèt dubitet an ſit valida, cum in dubiô inclinandum ſit in favorem actûs.

Probatur 2. pars. nequit inferior in lege Superioris diſpenſare validè, niſi per poteſtatem ſibi à Superiori conceſſam; ſed rationabiliter præſumi non poteſt Superiorem concedere poteſtatem inferiori, ut ſinè juſta cauſa in ſua lege diſpenſet: ergò. min. prob. nullus Superior præſumitur poteſtatem concedere inferiori in ipſius poteſtatis abuſum & aliorum deſtructionem; ſed omnis diſpenſatio ſine juſta cauſa eſt manifeſtus abuſus: ergò. ideo nec Superior poteſt præſumi dare poteſtatem diſpenſandi ſine juſta cauſa, cum non præſumatur dare facultatem ad actum illicitum & peccaminoſum, qualis eſſet actus, quo inferior diſpenſaret in lege Superioris temerè & ſinè juſta cauſa. 13

Obſervandum ergò eſt omnem diſpenſationem in jure divino aut naturali à Pontifice ſinè juſta cauſâ datam eſſe invalidam, cum Pontifex nullam authoritatem habeat in jus divinum, niſi quantum DEUS ipſi conceſſerit, nequit autem talem poteſtatem cum abuſu concedere, & multò minus talem diſpenſationem ut rationi diſſonam approbare; hinc invalida erit voti diſpenſatio ſine juſta cauſa vel contra jus tertii impetrata.

Probatur 3. pars: obligatio legis ſolùm pendet ex voluntate Legiſlatoris: ergò etiam ea ſublata per injuſtam diſpenſationem tollitur obligatio legis. Conſeq. patet, quia ſublatâ adæquatâ cauſâ tollitur effectus. Antec. etiam patet, quia ſola voluntas Principis ſufficienter promulgata eſt forma moraliter obligans ſubditos ad legem ſervandam; hinc ſicut ad tollendam obligationem, quam habet debitor ad ſuum creditorem ſufficit, ut re ipſa tollatur id, quod erat cauſa obligationis v. g. ut debitum remittatur ex quacunque tandem cauſa etiam culpabili prodigalitatis id fiat, ita etiam ſufficit, quod per diſpenſationem voluntas Legiſlatoris tollatur. 14

Obſervandum tamen eſt non ſolùm Legiſlatorem ſed etiam ſubditum ſine juſta cauſa petentem diſpenſationem peccare, quia ſubditus petens cooperatur peccato diſpenſatoris cum hac tamen differentia, quòd diſpenſans, quamdiu injuſtam diſpenſationem non revocat dum poteſt, tamdiu peccet novo peccato, ſicut fur non reſtituendo dum poteſt, diſpenſatus verò cum id ex officio ei non incumbat, non tenetur revocationem petere, peccat tamen ea utendo ſcienter, nam licèt talis non peccet contra legem humanam, quæ per diſpenſationem etiam injuſtam tollitur, peccat tamen contra legem naturalem, quæ dictat non debere partem abſque legitima cauſa à toto diſcordare, tale tamen peccatum in ſubdito reputandum eſt pro ſolo veniali, gravius

tamen

tamen peccatum, quando Legielatot ſecum ipſo diſpenſat injuſtè, quia peccat duplici titulo, uno, eem non revoeendo dum poteſt, altero ea utendo. Dixi dum poteſt, quia interdum injuſtam diſpenſtionem tevocare non poteſt, ut in diſpenſatione matrimonii circa gradus humano jure prohibitos, vel in religioſo profeſſo, talem diſpenſationem poſt matrimonium conſummatum revocare non poteſt, quia vinculum matrimonii jure divino eſt inſolubile, & prævalet cuicunque alteri incommodo, quod ex illegitima diſpenſatione naſcitur.

15 Objicies 1. Gloſſe in L. *relegati*. ff. de pœnis dicitur: quod ſola voluntae Principie ſit juſta cauſa, quod etiam confirmet jus Canonicum ex cep. *cum noſtris*. de conceſſ. præb. ergò nec ad licitam diſpenſetionem requiritur alia cauſa quàm voluntae Legielatorie.

Reſpondeo neg. conſeq. quie illa jura non excludunt à voluntete Principie eliam juſtam ceuſem, cum ſupponant voluntatem eſſe prudentem & rationabilem, quæ ſine juſta cauſa ad diſpenſandum non inducitur.

Dices: Lex pendet ex ſola libera voluntate Principis: ergo etiam ſine ceuſa poteſt in ea diſpenſere. Conſeq. petet, nem ſicut potuit eam non ponere, ite poteſt poſitam tollere vel diſpenſare.

Contra neg. conſeq. nam licèt lex pendeat à ſola voluntate Principis ut ponatur vel non ponatur, non temen eb ea ſole pendet ut quicunque eximentur ab illa lege, ſed ſolùm quos publica neceſſitae vel priveta utilitee civium ſuadet eximere, ſicut poſita ſemel lege non amplius pendet à voluntate Principis, ut ipſe non obligetur directivè, nem multe ſunt, quæ ſunt in noſtre poteſtate, ut ponantur vel non ponantur, quæ tamen ſi ſemel poſita ſunt, non amplius in noſtra poteſtate ſunt v. g. in noſtra poteſtate eſt emittere vel non emittere votum, illud tamen emiſſum non eſt in noſtra poteſtate ſervare vel non ſervare.

Dices: ſi neceſeè eſt juſta ceuſa, ut quis eximatur à lege, non eſſet opus authoritate Superioris in lege diſpenſantis, cum ipſe juſta cauſa ſubditum eximeret, unde ſola interpretatio juſtæ cauſæ ſufficeret ad eximendum ſubditum à lege.

Contra neg. ſequelam, non enim quævis juſta cauſa eximit, ſed ea ſola, quæ eſt contraria fini Legis & Legielatoris, ac proinde obſervantiam legis reddit illieitem, poteſt autem eſſe aliqua juſta cauſa, quæ tamen, ut à legis obſervantie eximeret, requirit Superioris diſpenſetionem, ſine qua ſubditus non eſſet tutus in conſcientia.

16 Objicies 2. Si Princeps ſupremus dat poteſtatem diſpenſandi inferioti Principi, dat ipſi, aut ſeltem poſſet dere eam poteſtatem, quam ipſe habet, ſed ipſe, quendò diſpenſat ſine cauſa, adhuc validè diſpenſat, licet non licitè: ergò etiem inferiot diſpenſans in lege Superioris validè diſpenſat ſine cauſa etiamſi non licitè.

Reſpondeo diſting. maj. Dat ipſi eandem poteſtatem abſolutè & ſimpliciter neg. eandem ſed reſtrictè conc. maj. & neg. conſeq. nam Superiores ſemper dant inferioribus facultatem diſpenſendi cum hac conditione, ut eam licitè exerceant; nam onerant conſcientiae inferiorum; hinc ſi Superiot non aliter exprimit datam feeultatem diſpenſandi, ſemper eſt præſumendum, quòd ſub hac conditione det, ut inferior licitè eam exereeat; cum talie conceſſio debeat eſſe rationabilie & prudene, unde ſi deficit illa conditio, nec perſiſtit voluntas concedendi illem feeultatem, ſine qua voluntats non poteſt eſſe velida diſpenſatio & exemptio à lege, quod ſi tamen de voluntate Superioris conſtaret abſque hujusmodi conditione facultatem diſpenſandi delegere inferiori, vel ſi inferior bona fide putet eſſe juſtam cauſam, quæ non eſt, velebit diſpenſatio deta ab inferiore; quia cenſetur eſſe voluntas conſentiendi Superioris in tales diſpenſetiones.

Dices: ſi ergò inferior ſine juſta cauſa invalidè diſpenſat in lege Superioris v. g. Epiſcopus in lege Ponrificis, hoc ipſo invalida eſt diſpenſatio ſine juſte cenſa: ergò nec in ſupremo Principe poteſt eſſe valor diſpenſationis, ſi abſit juſte cauſa.

Reſpondeo diſting. antec. Hoc ipſo invalida eſt diſpenſetio ideo, quia eſt facta præcisè ſinè juſta cauſa neg. ideo, quia eſt facta excedendo ſimul limites commiſſæ poteſtatis conc. antec. & neg. conſeq. quia cum Pontifex Epiſcopis committat diſpenſandi ſacultetem in lege univerſali, non præſumitur dare facultatem temerè & iniquè diſpenſandi, quòd ſi ergo ſic diſpenſant, diſpenſatio eſt nulla, non quidem præcisè quia fieret ſine cauſa, ſed quia fieret contra voluntetem ordinarii.

Objicies 3. Etiamſi cauſa illegitima tol- 17
lat legem humanam, quæ pendet ex ſola voluntate Legiſlatoris, non etiam tollit legem naturalem obligantem ad conſervandam legem: ergo adhuc ſublata lege humana per injuſtam diſpenſationem manet lex obligans diſpenſatum ſine valore diſpenſtionis. Antec. prob. nam ſublatê lege humanâ manet naturale dictamen ſtimulane ſubditum ut tanquam pars communitatis non debeat ſine juſta cauſa diſcordere è toto.

Reſpondeo neg. antec. cum ſua proba, nam lex naturelis ad aliqua ſolùm obliget ſtente vinculo legie poſitivæ, nec in tali caſu tenetur jure naturæ ſe aliis conformare; habet enim legitimam cauſam exemptionis ſcilicet diſpenſationem validam, licèt ſine cauſa obtentam.

Dices: omnis actus excedens limites poteſtatis eſt invalidus, cum nulla poteſtas poſſit

eſſe

eſſe valida ultrà ſuam ſphæram; ſed diſpenſatio etiam à ſupremo Principe in propris lege excedit limites ipſius gubernativæ poteſtatis: ergò. min. prob. Princeps cum ea cooditione eam accipit, ut ooo niſi in utilitatem boni publici & ædificationem aliorum eâ uti poſſit: ergò cum talis Princeps abutatur ſuâ poteſtate oon poteſt talis abuſus eſſe validus.

Contra diſting. min. Excedic limites poſitivè neg. privativè cooc. min. adeóque ſolùm contingit aliquis abuſus privativus, qui non obeſt valori diſpenſationis; hinc duobus modis poteſt Princeps abuti poteſtate legialativâ, uno modo poſitivè, ut cum ſubditos obligat ultra ſphæram limitésque ſuæ poteſtatis, & talis abuſus omnino redderet invalidam diſpenſationem, imò & ipſas leges, altero verò modo privativè, ut dum non obligat ad aliquid, ad quod ex officio obligare ceneretur, & talis abuſus non reddit invalidam diſpenſationem; nam ut hæc adhuc ſit valida, ſufficit, ut re ipſa legia obligatio non ponatur ex quacunque cauſa id contingat, ſicut ut valida ſit diſpenſatio cum tota communitate ſeu legis abrogatio, ſufficit, ut re ipſa legis obligatio à tota communitate tollatur, ex quacunque cauſa id contingat, ſicut defectus virtutis phyſicæ in cauſa undequaque proveniat ſemper re ipſa caret effectu, quem habuiſſet virtus poſitiva, ita defectus virtutis moralis ſeu voluotatis io lege undequaque proveniat caret effectu obligationis, quem habuiſſet ipſa virtus moralis poſitiva.

Dices: omnis poteſtas eſt vel à DEO vel à populo, ſed undequaque ſit excedit limites poteſtatis gubernativæ, ſi Superior ſine juſta cauſa diſpenſet, cùm omnem poteſtatem acceperit in ordine ad bonum commune: ergò.

Cootra neg. min. & ejus rationem; quia non omnis diſpenſatio injuſta cedit in detrimentum Reipublicæ, ſi autem aliqua cedat, tunc tenebitur Princepa ita diſpenſans reſarcire damnum, quod ex tali injuſta diſpenſatione accidit Reipublicæ. Ad hæc

18 Addo quædam obſervanda in petendis & expediendis diſpenſationibus; nam cum à ſacra Sedis Apoſtolicæ pœnitentiaria pro foro interno ſæpè Confeſſariis committantur diſpenſationes in quadruplici præſertim caſua quorum primus eſt in voto Religionis: ſecundus, in voto caſtitatis ob incontinentiæ periculum: tertius in affinitate ex fornicatione occulta ad ineundum matrimonium: quartus, in affinitate occulta ex fornicatione poſt matrimonium contractum, ideo io expediendis hiſce diſpenſationibus per reſcriptum à pœnitentiaria commiſſis Confeſſario per pœnitentem electo ſequentes ſervari debent conditiones.

Prima: is, cui reſcriptum tale Apoſtolicum licet expedire, debet de rigore juris eſſe Doctor Theologiæ, vel Juris Canonici; quibuscunque autem Magiſtris & Doctoribus in noſtro Ordine æquivalent Lectores Jubilati, vel Emeriti apud Reformatos, ut declaravit Innocentius XI. Dixi de rigore juria, nam quid alii poſſint ex privilegio patebit in ſeq.

Secunda: ille debet eſſe Confeſſarius approbatus ab Ordinario.

Tertia: Diſpenſatio facienda eſt com examinatione & approbatione cauſæ in litteris expreſſæ; adeóque Confeſſarius debet pœnitencem ſeu Oratorem exhortari ad dicendam veritatem ingenuè, oſtendendo aliàs diſpenſationem ooo valituram. In diſpenſatiooe autem voti caſtitatis ob periculum incootinentiæ non ſufficeret quodcunque periculum lapſûs, ſed requiruntur ipſi lapſus frequentiores ſive ex fragilitate, ſive prava conſuetudine accidentes.

Quarta: ex præfatis litteris exactè obſervanda eſt voti caſtitatia commutatio, quæ fiat in frequentiam confeſſionis ſcilicet ſingulis menſibus ſemel, vel quoties videbitur Confeſſario, aut in alia pietatis opera juxta arbitrium Coofeſſarii, & hæc ideo, ut adimplens ſemper meminerit obligationis, quà hojoſmodi voto adſtringebatur.

Quinta: cùm in præfatia litteris mandetur, ut à Confeſſario lacerentur, & hoc ſæpe ſub pœna excommunicationis, id ſtatim fieri debet, & congruentiſſimè eas comburendo, & licèt hoc oon ſit de ſubſtantia diſpenſationis, eſt tamen de mente Pontificis; ne ejuſmodi litteræ in foro externo Oratori ſuffragentur. Imo poſſet Confeſſarius illud breve Apoſtolicum apud ſe retinere, dummodo non retineat ad forum externum, tunc enim ſolùm eſſet materialis retentio; unde nec prohibita, maximè ſi in illo fiat aliqua ſciſſura præſertim ſigilli.

Sexta: ſi ejuſmodi litteræ diſpenſatoriæ ſint pro impedimentis matrimonii conſanguinitatis, vel affinitatis, talia debent eſſe occulta & non deducta ad forum contentioſum; occultum autem eſt illud, quod probari non poteſt, ſeu quod non eſt à majori parte viciniæ, in qua ad minimum ſint decem perſonæ, cognitum, & licèt per citatiooem ſit deductum ad forum contentioſum, ſed noo probatum, fueritque reus abſolutus, etiam tunc impedimeotum eſſet occultum, & poſſet diſpenſari.

Septima: cùm in præfatia litteria habeatur, ut conjux impedimenti ignarus certificetur de nullitate prioris matrimonii, debet id accipi non pro valore diſpenſationia, ſed pro reſtauratione matrimonii, unde ſi ſine inimicitia, alióque gravi incommodo revelatio illa aliquando non poſſet fieri, expedit, ut conſenſum io matrimonium alia modis, de quibus agitur in Tractatu matrimonii, occultè revalidantem matrimooium procuremus.

Octava: poteſtas legitimaodi prolem etiam in his diſpenſationibus conceditur, & quidem

dem ſolum pro foro interno non externo: ſi ex parte unius conjugis fuerit bona fides, tuoc pro otroqoa foro proles reputabitur legitima.

Nona: licèt in præfatis litteris caveatur, ut antequam fiat diſpenſatio, ſeparentur conjuges, ſi fieri poſſit abſque ſcandalo, vel alioquin cohabitent, ut frater & ſoror, illud non eſt neceſſarium io periculo incontinentiæ, præſertim cum id Bulla committat prudentiæ Confeſſarii per verba: Si fieri valeat, vel ſi viſum fuerit.

Decima: Ejuſmodi diſpenſationes debent omnioo gratis fieri, adeò, ut nec per modum compenſatioois poſſit aliquid peti, ut patet ex communi ſtylo pœnitentiariæ.

Uodecima: Confeſſarius recurrens ad ſacram pœnitentiariam, debet allegare juſtas caoſas ſopra aſſignatas, vel unam ex illis, ſi adſit, & alias, quæ communius occurrere ſolent, & has urgere debet. Plura de his vide ex Sanchez Lib. 8. de Matrimonio Diſp. 34.

QUÆSTIO IX.

De legum humanarum abrogatione & ceſſatione ceſſante fine legis.

1 ADvertendum eſt 1. Certum eſſe leges homanas mutationibus eſſe ſubjectas, cùm etiam res humanæ circa quas lex humana occupatur ſiot mutabiles, talis autem mutatio aliquando ab intrinſeco, aliquando ab extrinſeco fieri poteſt, ab iotrinſeco fit, dom deficit finis intrinſecus & adæquata ratio legis, ut ſi lex incipit fieri manifeſtè iniqua. aut nociva, aut impeditiva majoris boni, aut ſaltem ad finem intentum inutilis: ab extrinſeco verò fit, dum lex à Legislatore vel à contraria conſuetudine abrogatur; porrò fiois legis eſt intrinſecus & extrioſecus, intrioſecus eſt ipſa honeſtas rei præceptæ, extrinſecus verò ipſa honeſtas à Legislatore intenta, intrinſecus præterea reperitur, quotieſcunqoe lex cadit ſupra actum alicujus virtutis, ut in lege jejunii honeſtas temperantiæ, io lege Sacri audiendi honeſtas Religionis, extrinſecus verò aliquando eſt conjunctus cum intrinſeco ut in præfatis exemplis à Legislatore honeſtas illorum actuum intenditur ad bonum commuoe, ad Deum placandum, aliquando autem non eſt conjunctus, ut ſi materia præcepta ſit indifferens v.g. ingreſſus alicujus domûs, geſtatio armorum.

2 Advertendom eſt 2. Finem legis poſſe ceſſare adæquatè vel inadæquatè, & tam ex parte motivi quàm ſubjecti, ex parte motivi ceſſat lex adæquatè, quando ceſſat tota ratio propter quam Legislator judicavit materiam legis eſſe expedientem bono publico, ceſſat autem inadæquatè, ſi concurrentibus ad unum finem totalem pluribus particularibus motivis unum quidem ceſſat, non tamen ceſſante altero. Ex parte ſubjecti fiois legis ceſſat adæquatè, quando ratio legis pro tota communitate ceſſat, inadæquatè verò ceſſat, quando ſolùm pro una vel altera parte & perſona communitatis in particulari ceſſat. Difficultas ergò noo agitatur de ceſſaoone finis adæquata & oniverſali, nam taliter ſivè ſic ceſſet finis intrinſecus ſivè extrinſecus ceſſabit obligatio legis, quia lex ſolùm obligat, quantum ejus materia judicatur expediens & neceſſaria pro bono publico, ſed ceſſante univerſim causâ finali legis adæquatâ materia præcepta ooo judicatur expediens: dixi aotem causâ finali adæquatâ, nam ſi ſolùm ceſſaret particulare motivum non ideo legis vigor extingueretur, ſic Iſraëlitæ, quamvis aliâ viâ fuiſſent ab origioali liberati, nihilomious tenebantur lege circumciſionis, quia finis illius non erat ſolùm originalis extinctio ſed etiam diſtinctio à gentibus.

Advertendum eſt 3. Finem & rationem 3
legis in caſu particulari poſſe ceſſare vel poſitivè & contrariè vel oegativè & contradictoriè: contrariè ceſſat; quando propter mutationem circumſtantiarum materia legis in caſu particulari fit iniqua, impoſſibilis, nimis ardua & difficilis, & in hoc caſu certum eſt ceſſare legem reſpectu perſonæ etiam particularis, cum lex ad illicitum & impoſſibile oon poſſit obligare: oegativè verò ceſſat, quando ratio legis reſpectu particularis caſus & perſonæ noo militat v. g. ſi lata ſit lex prohibens, ne arma noctu deferantur ad evitandas rixas plerumque nocte ſubeſſe ſolitas, quæ tamen inconvenientia hic & nunc in aliquo leniculo noo timetur, ideò oritur difficultas, an tamen poterit abſqoe legis violationa arma deferre? His adverſis.

Propoſitio 1. *Licitum & expediens eſt* 4
quandoque leges mutare & abrogare, non tamen niſi major utilitas ſperetur pro Republica. Ratio primi eſt, vel ex parte rationis humanæ, quæ non ſtatim à principio valet prævidere omnia, quæ ad completam Reipublicæ utilitatem conducere poſſuot, igitur poſteri beneficio temporis potuerunt perfectius aliqua excogitare pro otilitate Reipublicæ, vel ex parte morum ac variationis temporum, ſæpè anim lex aliquo tempore expedit, quæ alio variatis hominum moribus expedire oon judicatur, ita Deus aliis legibus & præceptis uſus eſt pro regimina homioum anta & poſt Chriſti adventum, hinc Scotus io 4. d. 25. q. 2. §. *ad argumenta.* dicit: *Nonnulla leges, ut dicit Gratianus diſt. 4. in moribus utentium in contrarium abrogata ſunt, ut poſtea probatur ibi per multa exempla, & maximè, quando mores contrarii innituntur rationi nova.* Ratio ſecundi eſt, quia ſemper plus detrimenti timendum eſt quàm utilitatis ſperandum in legum mutatione propter periculum contemptûs legum, & pro-

Digitized by Google

propter majorem facilitatem ſervandi leges antiquas: ergo niſi hæc compenſetur certa & evidenti ſpe majoris utilitatis, non licebit eas mutare.

Nec dicas; aut prior lex retinet omnes conditiones legis aut non? Si non, hoc ipſo lex eſſe ceſſat & non abrogatur, ſi verò adhuc retinet, non erit licitum eam tollere, cùm ſemper prævaleat obligatio legis.

Reſpondeo priorem legem retinere conditiones legis ſed minus utiles quàm poſterior, ideo non per puram præciſè deſitionem, ſed per ſublationem obligationis abrogari poterit, adeóque talis authoritas ad minus concedi poteſt in caſu, quo nocivitas aut inutilitas non ita eſt manifeſta, tunc enim ratio commerciorum non permittit, ut ſine Superioris authoritate quilibet poſſet jugum legis excutere, adeóque oportet accedere authoritatem Principis.

5 Propoſitio 2. *Si tamen ſine utilitate lex mutetur valida erit mutatio, nec ſubditi amplius tenebuntur eam ſervare.* Ratio eſt, quia lex eſſentialiter conſtituitur voluntate & imperio Principis: ergò eâ ablatâ ob quamcunque demum rationem ceſſabit lex.

Nec dicas: Si lex fiat inutilis Reipublicæ non obligat cives: ergo è converſo ſi mutatio legis fiat inutilis Reipublicæ non deobligabit cives à lege priori ſervanda.

Reſpondeo neg. conſequent. Nam ad legem conſtituendam plura requiruntur, quàm ad eam deſtruendam, cum illa deſtrui poſſit defectu unius tantùm conditionis, conſtitui autem non poſſit niſi concurſu omnium conditionum, quæ ad legem conſtituendam requiruntur.

6 Propoſitio 3. *Quivis Legislator poteſt tam legem quam condidit, quàm legem ſui inferioris Legislatoris abrogare, niſi à Superiori poteſtate impediatur.* Ratio primi eſt, quia lex in fieri & conſervari pendet à libera voluntate Legislatoris, & quidem tam lex propria, quàm lex inferioris; cum Superior reſpectu hujus habeat plenam poteſtatem: ergo poteſt ab eodem abrogari; nam ab eo res deſtrui poteſt, à quo in eſſe & conſervari dependet: Ratio autem ſecundi eſt, quia omnis inferior quà inferior ſubjicitur ſuperiori, à quo impediri poteſt, ne ſuum effectum operetur. Hinc Scotus in 4. d. 3. q. 2. §. *tertio de forma.* inquit: *Legem Superioris nullus inferior poteſt revocare nec ſimpliciter nec ad tempus.*

Nec dicas: Poteſt ſtatutum ab inferiori conditum & ſolum à Superiori confirmatum ad majorem authoritatem & robur obtinendam ab ipſo inferiore abrogari ſine influxu Superioris: ergo etiam Legislator inferior poteſt ſuam legem abrogare.

Reſpondeo diſting. antec. Sine influxu actuali & abſoluto conc. ſine influxu virtuali & conditionato neg. antec. Nam tale ſtatutum ab inferiore conditum ſaltem ſemper eſt conditionale, quamdiu ſcilicet inferior illud ſervare voluerit, vel poteſt dari talis facultas per modum privilegii, cui cedere poteſt Superior. His propoſitis

Aſſero ad quæſt: *Si finis legis in particulari ſolùm ceſſat contradictoriè, non ceſſat obligatio legis.* Deducitur ex Scoto in 4. d. 14. q. 2. §. *primus articulus.* dicente: *Finis legis poſitæ ab homine ferente legem non eſt ipſe Legislator, ſed bonum commune, & ideo propter illum finem eſt lex & obſervatio ejus.* Eſtque Maſtrii, Suarez, contra aliquos Recentiores. 7

Probatur: Manente fine legis in communi non tollitur adæquata ratio legis in particulari: ergo etiamſi finis legis ceſſet in caſu particulari, non ceſſabit obligatio legis in particulari. Antec. prob. ratio legis in particulari etiam eſt bonum commune, ſic finis illius legis de non portandis armis de nocte non eſt avitatio cujusvis rixæ in particulari, ſed periculum rixarum & tumultuum, quæ ex iſta geſtatione armorum evenire ſolet, cum lex per ſe reſpiciat bonum commune omnium, non verò ſingulorum; ſed ceſſante fine in particulari adhuc in eodem manet finis boni communis: ergo min. prob. talis obſervatio ſemper præſtat bono publico, tum ut cives aſſueſcant facilius obedire Superioribus, tum ne alii facilè arripiant occaſionem transgrediendi legem, prætextu quod eorum cauſa in caſu particulari ceſſet, ideo ſimplex fornicatio ſemper manet mortale peccatum propter damnum prolis, licèt in aliquo caſu particulari educationi prolis ſatis poſſit provideri, communiter tamen non providetur, nec evitatur periculum damni in communi; ideo ſemper adhuc manet lex obligans, quia non reſpicit caſus particulares, ſed ea, quæ communiter contingunt, ut habetur L. *jura.* ff. de LL.

Objicies: Ceſſante cauſa ceſſat effectus; 8
ſed in caſu aſſertionis ceſſat cauſa legis in particulari: ergo etiam effectus legis, qui eſt obligatio ſubditi.

Reſpondeo diſting. maj. ceſſante cauſa in univerſali vel ceſſante omni cauſa tam impulſiva, occaſionali, efficiente, quàm finali conc. ceſſante cauſa in particulari, vel ceſſante cauſa ſolùm impulſiva ceſſat effectus neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſequent. unde diſparitas eſt, ſi ceſſat cauſa legis in univerſali obſervatio illius redditur abſolutè inutilis, non ſic autem, quandò ſolùm ceſſat in particulari caſu.

Dices: ita ſe habet lex in communi ad cauſam in communi, ſicut lex in particulari ad rationem acceptam in particulari caſu; ſed quando cauſa legis ceſſat comparatione omnium, ceſſat obligatio legis reſpectu omnium: ergo etiam quando ceſſat reſpectu unius, ceſſat obligatio reſpectu unius.

Contra neg. maj. quia ut dictum eſt ceſſante ratione legis in communi, hæc non poteſt amplius eſſe utilis neque reſpectu communita-

nitatis neque ſingulorum, ſi autem ceſſat in particulari, adhuc ejus obſervatio poteſt eſſe utilis reſpectu aliorum, qui ad legis obſervantiam magis animantur, quando vident eam ab omnibus ſervari.

Dices: Ex hac reſponſione ſequitur, quod non tollatur tota ratio legis etiam in particulari: ergo ruit ſuppoſitum hujus difficultatis.

Contra neg. ſequelam, nam ita intelligitur à multis Authoribus etiam diverſimodè ſentientibus præſens controverſia, ſi enim ita ceſſaret ratio legis in particulari, ut nulla omnino remaneret ratio in hoc vel illo caſu cur particulari perſonæ imponatur lex, tunc omnino omnis obligatio ceſſaret, cum pro tunc lex non amplius eſſet rationabilis.

Dices: Ceſſat obligatio correctionis fraternæ, ſi in ea non ſperetur utilitas ſolùm etiam in particulari caſu, ut docet communis: ergo etiam &c.

Contra neg. conſeq. quia illa correctio eſſet omnino inutilis, & talis corripiens ſimilis eſſet medico, qui amaram potionem præberet invito ægroto, quam ſciret ei nullatenus profuturam, in caſu autem noſtro obſervatio legis adhuc manet valde utilis, nihilominus tamen tenet Amicus Tom. V. Diſp. 7. Sect. 4. ceſſante cauſa legis in particulari interdum licitum eſſe poſſe, ex benignâ interpretatione voluntatis Legislatoris eam non ſervare, etiamſi honeſtè ſervari poſſet, quando ſcilicet ex hujusmodi cauſæ particularis ceſſatione lex redditur notabiliter gravis & ſervatu difficilis ei, cui legis ratio ceſſat, ſed hic potius dicendum eſſet reſpectu illius legem non ſolùm ceſſare contradictoriè, ſed etiam aliquomodo contrariè, ſic enim obſervatio ei eſſet notabiliter gravis.

QUÆSTIO X.

De Privilegiorum humanorum contra leges humanas ceſſatione.

1 ADvertendum eſt 1. Privilegium benè definiri, quod ſit conſtitutio Principis ſpecialem favorem concedens ultra vel contra jus commune, ſeu ut dicitur cap. *Abbate*, de Verb. ſignif. privilegium eſt quaſi privata lex contra jus commune obtentum: dicitur autem contra vel ultra jus; quia privilegium non ſemper concedit aliquid quod eſt contra jus, ſed ſæpè quod eſt ultra jus, ut patet in facultatibus abſolvendi, diſpenſandi, quas Pontifices conceſſerunt religionibus: differt autem privilegium à lege, quod lex ſit perpetua, & communitati perfectæ data, privilegium non petit perpetuitatem, nec perfectam communitatem, & quia Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, ut poſſint uti in foro conſcientiæ omnibus conceſſis à Sede Apoſtolica ſive per Bullas, ſive vivæ vocis Oraculo, prout in libris Ordinis reperiuntur, ideò Scriptura non eſt de eſſentia privilegii.

Advertendum eſt 2. Privilegium primariò dividi in reale & perſonale; reale eſt, quod directè conceditur alicui rei diſtinctæ à perſona v. g. loco, officio, ſtatui, dignitati &c. & plerumque tale privilegium dicitur perpetuum; perſonale eſt, quod directè alicui perſonæ aut intuitu perſonæ datur, & hoc ut dicitur cap. *privilegium*, de R. I. in 6. perſonam ſequitur & extinguitur cum perſona: Secundò dividitur in generale & perſonale, primum dicitur, quod pluribus vel omnibus conceditur, ſecundum econtra: Tertiò, dividitur in gratioſum & remuneratorium, primum datur ſine reſpectu ad merita, alterum cum reſpectu. Quartò, in favorabile, quod nulli nocet, & odioſum quod tertio nocet: quintò, in affirmativum & negativum: Sextò in privilegium pro foro interno & externo, quæ diviſiones ex ſe patent. 2

Advertendum eſt 3. Circa privilegiorum liceitatem & validitatem ea eſſe conſideranda, quæ dicta ſunt de diſpenſatione quæſt. 8. cum eadem ſit ratio, nam diſpenſatio eſt quoddam privilegium, unde etiam ſupponimus non dari privilegium niſi ex juſta & honeſta cauſa, nam etſi ad validitatem non requiratur cauſa, cùm ſit liberalis donatio Principis, quæ etiam ſine cauſa ex mera Principis voluntate valida eſt, hac tamen ſuppoſitâ juſtâ cauſâ oritur difficultas, an ea ceſſante ceſſet privilegium, intelligitur autem de cauſa motiva & finali, ſine qua Princeps privilegium non conceſſiſſet, & præterea intelligitur, an quando privilegii uſus ceſſante tali cauſa non redditur iniquus & injuſtus ſed manet indifferens, an tunc adhuc licitè poſſemus uti tali privilegio; nam ſi ejus uſus ob circumſtantias redditur iniquus & injuſtus, omnino ceſſabit vel ſaltem ſuſpendetur privilegium, ſic conceſſum privilegium infirmo de comedendis carnibus recuperata valetudine ceſſat, ſi per ejus uſum vellet contemnere præceptum Eccleſiaſticum vel alios ſcandalizare aut inducere ad fractionem præcepti. 3

Advertendum eſt 4. Circa privilegiorum uſum potiſſimum ſequentia eſſe obſervanda: Primò, mens & intentio concedentis, quæ colligi poterit tum ex poſtulatione & præmio, tum ex materia privilegii & circumſtantiis tam perſonæ conferentis, quàm ejus cui confertur: Secundò, quando quis dubius eſt de voluntate privilegiantis interpretatio facienda eſt ſecundùm communem & uſitatum vel proprium verborum ſenſum; nam privilegia non plus operantur, quàm verba exprimunt: Tertiò, privilegium favorabile ultra verborum vim & acceptationem ad alias perſonas eſt extendendum, quando æquiparatio juris talem extenſionem exigit, ſic privilegium 4

gium in Trident. conceſſum Epiſcopis, quod poſſint diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio, ad Epiſcopum etiam ſolum confirmatum & non conſecratum extendi poteſt: quartò, privilegium eſt interpretandum ita ut privilegiato non ſit oneroſum, ſive ut illi potius aliquid tribuat, quàm auferat: quintò tandem, quamvis ſolus Papa privilegia dederit regularibus, ita, ne etiam ipſe ſolus illa ordinariè & juridicè poſſit interpretari, nihilominus ex conceſſione Clementis VIII. poſſunt etiam Generales Ordinum in dubiis ſua privilegia interpretari.

5 Advertendum eſt 5. Variis modis poſſe ceſſare privilegia: primò per renunciationem privilegiati, ſi privilegium in ejus ſolius favorem ſit conceſſum: ſecundò per revocationem concedentis ejúſque ſucceſſoris. Tertiò per rerum mutationem, ſi fiat iniquum. Quartò, per abuſum, ſi quis ex privilegio ſumat occaſionem peccandi: quintò, per ceſſationem cauſæ finalis ſeu motivi principalis, quod motivum duplex eſſe poteſt, unum per modum meriti, alterum per modum rei repugnantis cum obſervatione legis, ob quam opus fuit concedere privilegium contra legem, de ſecundo ergo motivo ceſſante intelligendum eſt privilegium ceſſare non de primo, nam licèt motivum primi generis ceſſaverit phyſicè, adhuc tamen moraliter permanere cenſetur, motivum tamen ſecundi generis nec phyſicè nec moraliter aliquid poſt ſe relinquit; unde ſi alicui Sacerdoti in negotio magni momenti occupato detur privilegium non orandi officium, peracto negotio ceſſabit privilegium, ſi verò alicui eximio Doctori perfectè ſano ob doctrinam & labores pro Eccleſia detur privilegium, licèt amplius nova obſequia non præſtet non ceſſat; illud enim meritum æquivalenter durat ratione ſuæ condignitatis. De his plura Aſſert. 1. interim

6 Propoſitio 1. *Privilegium conceſſum non ſubdito non poteſt à concedente vel ejus ſucceſſore revocari; niſi ſit de re notabiliter præjudicante ſucceſſori.* Ratio primi eſt, quia privilegium eſt quædam liberalis donatio, quæ ſemel acceptata tranſit in dominium acceptantis; ſed nullus Princeps habet poteſtatem privandi non ſubditum jure legitimè acquiſito: ergo privilegium ſemel conceſſum, & à non ſubdito acceptatum non poteſt amplius à concedente aut ſucceſſore revocari, hinc non poſſunt Imperatores revocare jura aut privilegia à præcedentibus Imperatoribus Eccleſiæ conceſſa, cùm ſint non ſubdito conceſſa. Ratio autem ſecundi eſt, res notabiliter præjudicans non poteſt abſolutè concedi, ſed ſub tacitâ conditione, ſi ſucceſſor conſenſerit, cùm prædeceſſor non poſſit abſolutè privilegium concedere cum maximo detrimento ſucceſſoris.

Nec dicas: ergo poſſent privilegia Regibus conceſſa à Pontificibus revocari, cùm omnes Principes ſæculares Chriſtiani quoad ſpiritualia directè, & quoad temporalia indirectè ſint ſubditi Summo Pontifici ut univerſali Paſtori, ſed hoc non, cùm talis donatio tranſierit in dominium acceptantium Regum, & ideo non poſſint tali jure privari: ergo æque &c.

Reſpondeo conc. maj. neg. min. ejus ratio ſolùm valet in iis privilegiis, quæ tranſierunt in juſtum contractum, vel quæ conceſſa ſunt in juſtam remunerationem ob ſervitia Eccleſiæ præſtita, de quibus ſtatim plura dicuntur in ſubſequentibus propoſitionibus. Unde

7 Propoſitio 2. *Privilegium oneroſum aut remunerativum præteriti aut futuri laboris non poteſt abſque urgente cauſa ad publicum bonum ſpectante revocari à Principe.* Ratio eſt, quia Princeps non eſt abſolutus Dominus bonorum ſuorum civium, ſed ſolùm in caſu communis neceſſitatis: ergo non poteſt eos privare bonis ac juribus niſi urgente neceſſitate; ſed privilegium fundatum in labore & meritis & à fortiori in juſtitia contractis tranſit in dominium privilegiarii: ergo non poteſt eo privari ſine urgente neceſſitate.

Nec dicas: privilegium remuneratorium fundatur in gratitudine: ſed hæc non obligat ex juſtitia ad illud concedendum: ergo nec erit contra juſtitiam illud revocare.

Reſpondeo conc. totum, nam licèt non ſit irrevocabile ex juſtitia ſicut privilegium datum propter aliquem contractum præſtitum, adhuc tamen ex naturâ ſua eſt irrevocabile; cum non ſit merè gratuitum, ſed oneroſum, fundatum in propriis laboribus & meritis privilegiarii, quæ ſuâ naturâ poſtulant illud ut mercedem & præmium.

8 Propoſitio 3. *Privilegium omnino gratuitum, ſi per modum liberalis donationis transfert jus Principis in privilegiarium, ſine urgenti ratione revocari non poteſt, benè tamen omnino gratuitum, ſi per modum facultatis agendi vel non agendi contra jus commune confertur.* Ratio primi eſt; quia per liberalem donationem Princeps jus ſuum transfert in ſubditum, & ſubditus per acceptationem acquiſivit jus in rem ſibi à Principe donatam: ergo non poteſt amplius ſine urgenti cauſa ad publicum bonum ſpectante eâ à Principe privari. Ratio ſecundi eſt, quia tale privilegium non tranſit in dominium privilegiati, ſed continuò pendet à voluntate Principis, à quo ſicut pendet jus commune ita & privata lex contra jus commune per privilegium conceſſa.

Nec dicas: ſi validè poteſt Princeps privilegium ſemel conceſſum revocare, etiam poterit Pontifex diſpenſationem in voto vel profeſſione religionis abſolutè conceſſam revocare, & illos iterum ad votum & profeſſionem obligare, quod videtur inconveniens: ergo nul-

nullum privilegium ſine urgente cauſa poteſt validè revocari.

Reſpondeo neg. ſequelam, quia non poteſt Pontifex votum aut profeſſionem ſemel ſolutam abſque conſenſu voventis aut profitentis reſtaurare, cum hæc pendeant à proprio conſenſu voventium ac profitentium. His propoſitis:

9 Aſſero 1. ad quæſt. *poſt integrè & perfectè obtentum privilegium aut diſpenſationem ceſſante cauſâ motivâ non ceſſat licitus uſus privilegii.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. d. 19. quæſt. un. §. *de quinto articulo.* ubi explicans illam regulam juris: *quod non eſt conceſſum eſt prohibitum.* dicit: *vera eſt regula de his, quæ non conveniunt regulariter, niſi alicui ex aliqua conceſſione ſpeciali*; atqui in his, quæ non conveniunt regulariter, facilè ceſſat ratio motiva conceſſionis, ob quam judicabatur convenire talis conceſſio. Eſtque Suarez L. 6. de LL. contra Sanchez lib. 8. de matrimonio.

Probatur 1. Quod ſemel à Principe abſolutè conceditur, quamdiu ab ipſo non revocatur, ſemper eſt validum: ergo quod ſemel fuit ab ipſo abſolutè conceſſum etiam ceſſante poſtea cauſa validum erit. Antec. prob. totus valor conceſſionis pendet ex voluntate Principis abſoluta; ſed hæc ab initio exiſtente cauſa fuit abſoluta: ergo quamdiu illa non revocatur, manet conceſſionis valor. min. prob. nullum eſt fundamentum aſſerendi Principem diſpenſationem concedere ſemper ſub conditione, niſi ceſſaverit cauſa, nam favores ſunt ampliandi, ideo cenſetur fuiſſe abſoluta voluntas Principis de uſu privilegii, dummodo ejus uſus non fiat iniquus, unde ad ſummum voluntatis Principis cenſenda eſt conditionata quoad has conditiones ſcilicet iniquitatis & injuſtitiæ.

Probatur 2. Privilegium abſolutè conceſſum tranſit in dominium privilegiati: ergo, niſi uſus ejus reddatur iniquus, non ceſſat, etiamſi ceſſet cauſa, propter quam ab initio fuit motus Princeps ad illud concedendum. Conſeq. patet; quia licèt neceſſaria fuerit cauſa ad illud ab initio honeſtè concedendum, non tamen eſt neceſſaria ad illud conſervandum, cum plura requirantur ad rem primò producendam, quàm ad conſervandam, etiam in moralibus, cum in primo plura incommoda intercurrere poſſint, quàm in ſecundo. antec. verò prob. per plures caſus ab Authoribus approbatos: primò privilegium conceſſum monaſterio decimas non ſolvendi propter indigentiam non ceſſat ceſſante indigentia; cum in rem privilegio conceſſam perfectum & conſummatum jus acquirat. Secundò privilegium conceſſum alicui de Divino officio anticipando ob nimias occupationes non ceſſat ceſſantibus occupationibus. Tertiò, ſi cum fœmina caſtitatis voto adſtricta ob morale periculum incontinentiæ diſpenſatur, ut poſſit nubere, ſi poſtea periculum incontinentiæ ceſſet, vel ob ſenilem ætatem, vel ob diuturnam infirmitatem, non ceſſat privilegium, quin ceſſante periculo, propter quod cum illa diſpenſatum fuit, licitè nubere poſſit, præſertim cum multoties non ſimus ſecuri an non illæ cauſæ iterum redeant. Ex his etiam inferendum eſt probabiliter non ceſſare privilegium conceſſum Subdiacono vel Religioſo ducendi uxorem, ne ipſius familia extingueretur, licèt poſt aliquod tempus ipſius frater, qui antea putabatur ſterilis, excitet prolem, quâ ſuſceptâ ceſſavit cauſa finalis propter quam ab initio fuit conceſſa diſpenſatio.

Objicies: ceſſante cauſa diſpenſationis, reviviſcit jus commune obligans ad ſui obſervantiam: ergo etiam ceſſat valor diſpenſationis, qui eſt deobligatio à jure communi. antec. prob. ceſſante cauſa diſpenſationis diſpenſatus naturali jure ſubjicitur legi communi, quia ceſſante cauſa lex naturalis dictat ſubditum non debere diſcordare à lege communi: ergo. 10

Reſpondeo neg. antec. & ejus probam, nam lex naturalis ad aliqua ſolùm obligat ſtante vinculo legis poſitivæ, ideo cum hoc ab initio validè & licitè fuerit ſolutum, non tenebitur diſpenſatus poſtea ceſſante cauſa ſe conformare aliis, cum habeat legitimam cauſam exemptionis ſcilicet diſpenſationem validè & licitè abſolutè conceſſam.

Dices: non minus honeſtam cauſam requirit privilegii uſus, quàm privilegii conceſſio: ergo licèt honeſtam cauſam habuerit privilegii conceſſio, ſi tamen ceſſat in uſu privilegii ceſſat privilegium. Antec. prob. privilegium conceditur propter uſum ad quem per ſe Princeps privilegii conceſſionem dirigit: ergo ipſe non minus honeſtatem cauſæ requirit in uſu quàm conceſſione privilegii.

Contra diſting. antec. non minus requirit privilegii uſus in ipſa petitione & diſpenſatione intentus quam privilegii conceſſio conc. non minus privilegii uſus ipſam licitam, & validam diſpenſationem ſuperveniens neg. antec. unde omnino ille, qui ſine juſta cauſa peteret & obtineret diſpenſationem, & hâc uteretur, ille in ſuo uſu peccaret ſaltem venialiter ut diximus L. 8. non autem ille, qui validè & licitè obtinuit, & deinde ceſſante cauſa utitur privilegio; dummodo cauſa non ceſſet contrariè, ita ut iniquum redderet uſum.

Dices: L. Uranius ſive Granius ff. de fidejuſſ. dicitur: quod pervenit ad ſtatum in quo incipere non poſſet, in eo remanere non poteſt, ubi Gloſſa dicit: quod impedit faciendum, deſtruere quoque jam factum: ergo ſi privilegium ſine juſta cauſa non poſſit incipere, nec poteſt ſine ea permanere.

Contra neg. conſeq. nam etiam Gloſſa in Regulis Juris reg. 58. dicit: quod ſemel à Principe abſolutè conceditur, quamdiu ab ipſo non revocatur, ſemper eſt validum; unde illa lex

citata

citata cum Gloſſa eſt intelligenda de illis, quæ ad ſui conſtitutinnem requirunt aliqua eſſentialia permanentia, ut contingit in fidei commiſſis, unde ſi veniunt ad eum ſtatum, in quo non pnterant incipere, nec poterunt eſſentialiter permanere, non autem de illis, quæ ad ſui conſtitutionem requirunt ſolùm actus tranſeuntes permanentiam moralem inducentes, uti fuit voluntas Principis ſemel validè & licitè data per privilegium, qua tranaeunte deinde ſemper moraliter perſeverat indulgentia Principis, niſi expreſsè revocetur.

Dices: Si diſpenſatio executio committitur alicui delegato, vel ſcriptæ expeditioni, licèt in conſeſſionia tempore fuerit juſta cauſa, ſi tamen prius ceſſat antequam delegatus exequatur, aut in Scripturam redigat diſpenſationem non eſt valida, nec licitus talis diſpenſationis uſus: ergo etiam quandocunque ceſſat cauſa finalis privilegii. Antec. patet per cnmmunem Canoniſtarum ſententiam.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia ante diſpenſationis executionem & litterarum expeditionem nondum eſt integra & completa diſpenſatio, cùm diſpenſatio debeat fieri per cauſæ recognitionem & examen; quod ordinariè dirigitur ad ipſum executorem; unde ut ſit valida etiam pro tempore executionis requirit cauſæ veritatem; quia voluntas Principis nnn ſolùm ſe extendit ad diſpenſationis conceſſionem, ſed etiam ad ipſam diſpenſationis executionem & perfectionem, ideo ut Principis voluntas juſta ſit non minus requirit veritatem cauſæ tempore conceſſionis quàm executionis, nam completa diſpenſatio pendens ex voluntate Principis, etiam pendet ex ipſa delegati executione, ad quem ipſe Princeps ſuam voluntatem dirigit, ut communiter eruitur ex illis verbis: ſi preces veritati nitantur, diſpenſo. Cæterum ſi cauſa juſta fuit tempore conceſſionis, & tempore intermedio uſque ad executionem evanuit, tempore autem executionis iterum advenit, tunc privilegium non fuit extinctum, ſed ſolùm ſuſpenſum; nam diſpenſatio totam ſuam vim ſortitur ex conceſſione Principis & delegati executions: ergo ſufficit ſi his temporibus verificetur cauſa; alii verò textus juris loquuntur vel quod diſpenſatio non fuerit completa, vel quod talis diſpenſatio foret iniqua, vel nullo modo ad effectum nec diviſibilem nec indiviſibilem redacta.

11 Aſſero 2. *Quamvis privilegium ad lites in foro contentioſo dirimendas conceſſum morte concedentis re integra manente ceſſet, privilegium tamen ad gratiam concedendam in foro conſcientia abſolutè conceſſum non expirat morte concedentis.* Eſt communis Canoniſtarum.

Probatur 1. pars: C. *gratum*. de Offic. & poteſt. Jud. deleg. docetur: delegationem ceſſare morte delegantis re integra maoente: tunc autem manet res integra, quandn delegatus, cui poteſtas litem dirimendi commiſſa eſt, nullum juridicum actum acceptæ poteſtatis exercuit, tunc verò non manet integra, quandn jam unum talem actum exercuit, primus autem talis actus juridicus cenſetur ipſa citatio partium etiam tantummodò nuntio commiſſa, licèt adhuc partibus non intimata, quia per actum juriſdictionis transfertur juriſdictio in delegatum, ut dicit Gloſſa ibidem; aliud autem eſt de præcepto; nam hoc etiam non manens integrum ſed jam inceptum ſervari expirat morte præcipientis. Item aliud eſt de actu ſubdelegationis; nam licèt delegatus ſuam poteſtatem alteri delegaverit morte concedentis, per talem tamen actum adhuc res manet integra; quia non quivis actus juriſdictioois, ſed ſolùm ille, qui eſt in ordine ad litem dirimendam eſt ſufficiens ad rem de integritate ſolvendam, per actum autem ſubdelegationis res adhuc manet integra, igitur expirat morte concedentis.

Probatur 2. pars: C. *ſi cui nulla*. de præb. in 6. docetur: gratiam factam non expirare morte concedentis, quia natura gratiæ eſt liberalis & irredibilis donatio igitur ſua natura petit ut ſit perpetua niſi à concedente revocetur, cùm tamdiu maneat effectus primæ voluntatis moraliter conſervantis quamdiu non revocet; ſed privilegium ad gratiam faciendam in foro conſcientiæ eſt gratia facta ipſi privilegiato vel ſaltem fundatur in præſumpta voluntate Pontificis, quæ in ordine ad ea, quæ bonum animæ recipiunt, cenſetur facultatem concedere uſque ad effectum conſummatum non obſtante morte, cum hoc poſtulet animarum ſalus, ne propter executionis moram detrimentum patiantur. Hinc omnia jura, quæ in contrarium citari poſſunt, ſolùm loquuntur de facultate reſpectu tertii in ordine ad res temporales, vel de beneficio conferendo. 12

Obſervandum ergo eſt: gratiam, quæ nondum facta, ſed facienda eſt, non habere omnia requiſita ad gratiam; nam hæc fundatur in actuali voluntate Principis actu gratiam conferentis; ſed qui delegat poteſtatem uni, ut alteri gratiam conferat, nondum cenſetur actu gratiam conferre (excipe in eis, quæ ad forum animæ dantur, ut diximus probâ priori) ſed collaturus ſcilicet quando delegatus ipſe nomine delegantis actu illam conferret, quamdiu autem non confert, manet illa ſub poteſtate delegantis: ergo mortuo delegante ceſſat poteſtas faciendi gratiam in delegato. Cæterum verò ad gratiam factam, ut non ceſſet morte concedentis, etiam ſufficit, ſi ſolùm ſit conceſſa & litteris expedita, licèt nondum acceptata aut in uſum redacta à privilegiato.

Objicies, ſi privilegium de approbatione, juriſdictione, aut diſpenſatione cum aliis in voto & præſertim de poteſtate ſibi eligendi 13

Con-

Confeſſarium non ceſſat morte concedentis, non videtur à quo mortuo concedente delegetur facultas abſolvendi à peccatis ipſi Confeſſario electo à privilegiario: ergò potiùs cenſendum eſt ceſſare.

Reſpondeo neg. conſeq. nam delegatur à Pontifice mortuo per privilegium, quo ſuam facultatem ab ipſa conceſſionis die delegavit cuicunque, quem velit privilegiatus eligere, adeóque cenſetur talis facultas moraliter perſeverare in ipſo reſcripto à Pontifice conceſſo.

Dices: ſi gratia eſſet conceſſa ſub his clauſulis, concedimus tibi hanc gratiam ad beneplacitum noſtrum, vel ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, ceſſaretne morte concedentis?

Contra dico: primo modo ceſſaret, non ſecundo; quia primus modus eſt ad beneplacitum perſonæ, quod cum pendeat ab ipſa voluntate perſonæ concedentis, expirat cum ipſa perſona, ſecundus verò modus eſt ad beneplacitum Sedis, quæ cum perſona non moritur, ſed permanet, quia datum eſt nomine dignitatis vel officii, quod ſemper manet.

Dices: ſi ergò diceret concedo gratiam quamdiu voluero, vel quamdiu revocavero, quid tunc?

Dico probabiliter juxta primum modum ceſſare non juxta ſecundum, quia primus modus concedit perſeverante voluntate concedentis, quæ, quia morte concedentis extinguitur, etiam gratia extinguitur; ſecundus verò modus concedit quamdiu concedens ipſe actum contrarium non fecerit, adeóque morte concedentis contrario actu non ſecuto perſeverat gratia.

14 Aſſero 3. *Non ceſſat privilegium ſolâ expreſſâ vel tacitâ voluntate privilegiati renuntiatum, donec illa ſit nota concedenti, & ab eo acceptata.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. d. 8. q. 3. §. *reſpondeo.* de præceptis à pari dicente: *præceptis duobus ordinatis ſimul concurrentibus præceptum Superioris magis ligat.* eſtque Sanchez & Suarez.

Probatur 1. pars: Tum quia, perſeverante adæquata cauſa perſeverat effectus; ſed adæquata cauſa privilegii eſt voluntas concedentis & acceptatio privilegiati: ergo ſi utraque perſeverat, etiam privilegium perſeverat; ſed in caſu factæ privatæ renuntiationis utraque perſeverat, quia legitima acceptatio ad validitatem privilegii ſufficiens eſt acceptatio nota & manifeſtata Principi. & privata renuntiatio, quamdiu non eſt nota Principi, quam ſolum poteſt legitimè acceptare, non eſt ſufficiens ad invalidandum privilegium, cum, ut unus actus alterum invalidet, debeat illi opponi, ubi tamen privata renuntiatio non opponitur legitimæ renuntiationi, quæ etiam Principis conſenſum requirit. Tum quia, ſi alter conjux in matrimonio conſentiat altero fictè conſentiente convaleſcet matrimonium, ſi is, qui fictè conſenſit, verè conſentiat, permanente altero in priſtino conſenſu: ergò pariter convaleſcet privilegium, ſi privilegiatus priori legi renuntiavit & poſtea illud acceptet permanente Principe in priori voluntate, ita ut licitè adhuc poſſit uti tali privilegio, hinc diſpenſatus in impedimento conſanguinitatis, etiamſi nolit poſtea tali diſpenſatione uti, ſed cum alia contrahere, poſſet poſtea conjuge defunctâ cum conſanguinea contrahere.

15 Probatur 2. pars: tacita voluntas renuntiandi privilegio eſt potiſſimum factum contrarium vel non uſus privilegii; ſed poſito, quod privilegia non amittantur per privatam renuntiationem privilegiarii niſi à Principe acceptatam, ſequitur, quod nec per tacitam privilegiarii renuntiationem niſi à Principe acceptatam amittatur, niſi ille non uſus per legitimam præſcriptionem legem communem iterum ſtabiliret, quia præſcriptio ex diſpoſitione legis vim habet mutandi rerum dominia: ergò.

16 Objicies 1. Privilegium validè non conceditur niſi à privilegiato acceptetur: ergò nec validè conſervatur, ſi ab eodem renuntietur.

Reſpondeo neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia ad validitatem privilegii, cum ſit quædam donatio requiritur acceptatio privilegiati, quâ ſemel poſitâ privilegium manet validum, quamdiu illa acceptatio legitimè non revocatur per Principis conſenſum, cum ejuſdem Principis conſenſu legitimè poſita fuerit.

Dices: poteſt quis ſola voluntate abdicare ſe proprio dominio: ergo & privilegio.

Contra neg. antec. nemo enim poteſt ſe abdicare dominio, niſi illud in alium transferat, cum ſit per leges ſtatutum, contra quas nemo operari poteſt efficaciter, & hoc ideo, ne rerum dominia vacent, ac ſub nullius poteſtate ſint, idque ob publicum bonum.

Dices: ſaltem qui voti aut juramenti diſpenſationem obtinuit, & dein renuntiavit, non poteſt amplius tali diſpenſatione uti: ergo nec privilegio. Antec. prob. renuntiatio voti aut juramenti eſt virtualis voluntas redeundi ad priſtinum ſtatum; poteſt enim votum aut juramentum ſemel remiſſum privata voluntate reaſſumere, cum hæc pendeant à ſola voluntate voventis.

Contra neg. antec. ſi cum renuntiatione non habuit formalem & expreſſam voluntatem ſe iterum voto obligandi; nam præciſa renuntiatio diſpenſationis à voto non eſt formalis & expreſſa voluntas obligandi ſe ad votum, cum per diverſam voluntatem poſſit quis renuntiare diſpenſationi, & obligare ſe voto, ſine autem expreſſa voluntate obligandi ſe non tenetur quis ſervare votum; cum ſit res oneroſa, quæ abſque expreſſa voluntate voventem non obligat, interim autem in praxi difficile eſt unam voluntatem ab alia in hoc caſu diſtingui, ideo pro praxi contraria opinio

de

de voto & juramento renuntiatio eſſet tutior.

17 Objicies 2. Gloſſa in Cap. *ſi terra.* de privileg. docet amitti privilegium per non uſum: ergo per renuntiationem tacitam ceſſat privilegium.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam illa gloſſe & alia jura ſolum volunt ceſſere privilegia non vi ſolius non uſûs, ſed vi accedentis legitimæ præſcriptionis, ſi non uſus habet etiam aliqua requiſita ad legitimam præſcriptionem.

Dices: Nicolaus IV. conceſſit privilegium Carthuſienſibus, quod poſſint uti privilegiis conceſſis, etiamſi propter ignorantiam juris eis non fuerint uſi retroactis temporibus, dummodo eis non ſit derogatum legitima præſcriptione: ergò ſufficit per non uſum ceſſâſſe privilegia, aliàs non fuiſſet opus novo privilegio.

Contra neg. conſeq. quia ſæpè conferuntur privilegia ſolùm ad ſecuritatem ſcrupulósque tollendos, uti eſt privilegium de poſtponendo divino officio Miſſæ conceſſum Religioſis.

. Dices: per ſolam deſuetudinem decennio continuatam etiam à Principe non acceptatam abrogatur Lex: ergò multò magis per decennalem non uſum abrogatur privilegium.

Contra neg. antec. quia nulla deſuetudo niſi tacito ſaltem conſenſu à Principe approbata vim habet legem abrogandi, ut dictum eſt diſtinct. priori de conſuetudine, & ſic pariter deſuetudo contraria privilegio non niſi tacito conſenſu à Principe acceptetur, qui tacitus conſenſus de non uſu decennali alicujus privilegii in nulla alia lege decernitur abrogare privilegium, ſicut decernitur de conſuetudine contra legem; nam omnes leges hoc ſtatuentes ſolùm loquuntur de privilegii abrogatione vie præſcriptionis: ratio autem diſparitatis eſſe poteſt; quia conſuetudo contraria legi per decennium introducta reddit legem ſervatu difficilem, ac proinde ipſa ratio dictat, ſi conſuetudo rationabilis ſit, ſervandam eſſe, quæ ratio non militat in longo uſu contra privilegium ſervato, cùm talia uſus non reddat privilegium ſervatu difficile, cùm ſemper cedat privilegium in ſpecialem favorem & commoditatem privilegiarii eliàs non eſſet privilegium, tempus autem præſcribendi privilegium ſunt 40. anni ex jure, ut habet Gloſſa C. *de terra.* de privilegiis. Imo ex privilegio ab Eugenio IV. dato Ordini S. Benedicti ſunt 60. anni.

QUÆSTIO ULTIMA.

An Religio Fratrum Minorum communicet in privilegiis aliarum Religionum per Tridentinum non revocatis?

1 Advertendum eſt 1. Religioni Fratrum Minorum à diverſis Pontificibus plurime fuiſſe privilegia authenticè conceſſa juſtiſſimis de cauſis. Primò, propter ſtatum profeſſionis ſuæ Minoriticæ indiſſolubili vinculo DEO, & ſacræ Sedi Apoſtolicæ conſecratum. Item propter eorum virtutes, capacitatem, & indefeſſum laborem pro defendenda Eccleſiæ & Papæ authoritate. Item propter fervorem in peccatoribus, hæreticis, & infidelibus convertendis cum vitæ periculo impenſum. Secundò, propter promptam & expeditam eorum obedientiam in exequendis Pontificum mandatis in partibus hæreticorum & Catholicorum. Tertiò, propter eximiam Religioſorum Sanctitatem & ſcientiam, ex quibus tot ſancti Doctores, Epiſcopi, Cardinales, & Summi Pontifices prodierunt cum magno Eccleſiæ incremento. Quartò, propter maximos labores præſtitos in adminiſtrandis Sacramentis & aliis functionibus ſpiritualibus, ex quibus conſtat privilegia Regularibus non eſſe conceſſa ex mera liberalitate, ſed ob merita ipſorum, adeóque hæc privilegia ſine graviſſima cauſa non ſolent à Pontificibus auferri.

2 Advertendum eſt 2. Inter Bullas Apoſtolicas concedentes Ordini Fratrum Minorum privilegia celeberrimam eſſe Mare magnum Sixti IV. ſic dictum, eo quod ingentem copiam privilegiorum Apoſtolicorum contineat, & Bullam auream ejuſdem Sixti IV. quæ privilegia etiam poſt Tridentinum ſunt valida, manentque in ſuo vigore, iis exceptis, quæ decretis & Canonibus ejuſdem Concilii contrariantur, ut patet ex Brevi Clementis VIII. anno 1579. emanato, & Bulla Pii V. quæ poſt Trident. Anno 1609. die 1. Decemb. omnia privilegia à Summis Pontificibus Ordini noſtro conceſſa in genere & ſpecie etiam per modum communicationis perpetuò approbavit, innovavit, & confirmavit, quæ privilegia Minoritica, ut & aliorum Regularium non cenſentur revocari per generalem revocationem privilegiorum, quamvis in ea apponantur ſimilia verba privilegia in contrarium penitùs abrogatis, uti conſtat ex Mari magno Sixti IV. & Bulla Leonis X. pro Benedictinis emanata, in quo communicant Minores, ubi habetur, quod non poſſit ipſorum derogari privilegiis, niſi de ipſorum Ordine & hujusmodi litteris fiat de verbo ad verbum expreſſa mentio. Hanc communionem cum Ordine Benedictorum, PP. Prædicatorum, & PP. Societatis Jeſu recentiſſimè iterum nobis Fratribus Minoribus confirmavit Benedictus XIII. per Bullam. *Summè decet.* de qua Bulla poſt hanc quæſtionem plura.

3 Advertendum eſt 3. Communicationem privilegiorum apud religiones eſſe uſitatam, & conſiſtit in extenſione quadam ſeu multiplicatione privilegii, per quam fit, ut jus uni conceſſum religioni, etiam alteri concedatur, & quidem cum proportione, adeóque ſi in quibusdam privilegia ſubinde addantur quædam

dam reſtrictiones ad coarctandum favorem ipſum, tunc etiam ipſa reſtrictio communicacat aliis religionibus, cùm non poſſint communicare majorem favorem, quàm ſit datus in principali conceſſione, ſic privilegia conceſſa Superioribus, vel in feſtivitatibus Sanctorum Ordinis Minorum, communicantur Ordini Prædicatorum cum ſimili reſtrictione, ut conceſſum Magiſtro Generali Prædicatorum, cenſetur conceſſum Miniſtro ſeu Vicario Generali Minorum &c. & indulgentiæ conceſſæ Eccleſiis Fratrum Minorum pro feſtivitatibus S. Franciſci, Antonii &c. cenſentur conceſſæ pro feſtivitatibus S. Dominici, & Thomæ Aquinatis &c. & econtra, ſi autem aliqua reſtrictio additur non ad reſtringendum favorem, ſed potius ad concedendum favorem ſpeciali inſtituto prout ex declaratione Gregorii XIII. conceduntur Societati Jeſu privilegia cum hac reſtrictione, ut ſinguli ejusdem Societatis Religioſi eis non poſſint uti, niſi à Præpoſito Generali, vel alio ab eo ſubſtituto eis communicentur, hæc reſtrictio non communicatur aliis religionibus, adeóque ſine communicatione à Superiore facta poſſunt alii Religioſi uti ſuis & Societati conceſſis privilegiis, non tamen ipſi Clerici Societatis ſuis & aliis religionibus conceſſis privilegiis ſine illa reſtrictione poſſunt uti. Cæterum cum per communicationem fiat privilegium religioni communicanti ita proprium ac ſpeciale, ac ſi primò ei fuiſſet conceſſum, poteſt illa ſe tueri per tale privilegium contra aliam religionem, cui illud primò fuiſſet conceſſum, ſic ſi aliqua religio habet privilegium ne aliquis poſt profeſſionem poſſit tranſire ad aliam religionem, poteſt utraque religio ſuos impedire ne ad aliam religionem tranſeant. His notatis ſit

4 Propoſitio 1. *Concilium Tridentinum potuit revocare & actu revocat aliqua privilegia Regularibus & Mendicantibus conceſſa.* Ratio primi eſt, quia etiam privilegia remuneratoria urgente bono communi poſſunt revocari, ut ex propoſit. quæſt. priori; ſed non diſputandum, ſed ſupponendum eſt illud Sanctiſſimum Generale Concilium Tridentinum habuiſſe talem urgentem rationem pro meliori & neceſſario ſtatu Eccleſiæ conſervando: ergo. Ratio autem ſecundi eſt ex multis Decretis Tridentini Seſſ. 5. 10. 20. &c. ubi expreſſe dicit non obſtantibus quibuscunque privilegiis, uti magis patebit in Aſſertione 2.

Nec dicas: Sixtus V. poſt Concilium Tridentinum Anno 1587. pro Congregatione S. Benedicti confirmavit eorum omnia privilegia his formalibus: non obſtantibus Conſtitutionibus ſeu revocationibus, nec non in univerſalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus & generalibus Conſtitutionibus; ſed per illa verba non obſtantibus univerſalibus Conciliis videtur quod prædicta Congregatio poſſit uti privilegiis etiamſi ſint contra Trident. quod fuit generale Concilium: ergo Tridentinum de facto illa non revocat.

Reſpondeo neg. min. nam ſolùm conceditur dictæ Congregationi communicatio privilegiorum aliarum religionum, ſicut hæ religiones utuntur, & gaudent, ac gaudere poſſunt non obſtantibus Conſtitutionibus etiam Conciliorum Generalium, nec autem Concilium ullum, nec Tridentinum obſtat, quo minus poſſet Regularibus concedi communicatio privilegiorum aliarum religionum, eo modo, quo aliæ religiones gaudent, ac gaudere poſſunt; ſed his poſt Tridentinum uſus ſuorum privilegiorum non abſolutè conceditur, niſi quatenus ipſius Concilii Decretis non contradicunt, ut patet, & licèt collector privilegiorum à Gregorio XIV. dicat Societati Jeſu eſſe datam confirmationem privilegiorum ſine illa additione, quæ non contradicunt Tridentino, attamen etiam illa confirmatio annullatur per poſteriores Pontifices illud expreſsè ſtatuentes & excipientes, & præſertim per propoſitiones damnatas, ut conſtabit propoſ. 4.

Propoſitio 2. *Non omnia privilegia Regularium contraria Tridentino ſunt revocata, ſed ſolum illa, de quibus in Decretis Tridentini fit ſpecialis & expreſſa mentio, quod privilegia in contrarium illi decreto omnino annullentur.* 5 Ratio eſt, ſicut privilegia inſerta Corpori Juris non revocantur ſub generali derogatione, ut habet Henriquez Tom. 1. L. 7. c. 28. ita, ſi de privilegiis Regularium non fit ſpecialis mentio; hinc ſolùm illa Decreta Tridentini ſunt derogantia privilegiis Regularium, in quibus expreſsè dicitur: non obſtantibus privilegiis in contrarium, non autem alia Decreta, in quibus hoc minimè dicitur, unde ubi Tridentinum requirit interſtitia ſervanda in ſuſcipiendis Ordinibus, cum quantùm ad hoc non expreſsè deroget privilegiis Regularium, poſſunt Regulares uti privilegiis, ſi quæ quantùm ad hoc habeant.

Nec dicas: Tridentinum Seſſ. 25. de Regularibus c. 22. dicit: hæc omnia & ſingula in ſuperioribus Decretis contenta obſervari S. Synodus præcipit non obſtantibus eorum privilegiis ſub quibuscunque formis verborum conceptis: ergò omnia privilegia ſunt revocata, quæ quibuscunque Decretis Tridentini ſunt contraria.

Reſpondeo neg. conſeq. quia in illo c. 22. ſolùm revocantur privilegia, quæ ſunt contra illud, quod decretatum eſt in Seſſ. 25. de Regularibus, & non privilegia quæ ſunt contra Decreta aliarum Seſſionum dicti Concilii; nam notandum eſt quod Tridentinum dicat, hæc omnia & ſingula in ſuperioribus Decretis, & non dicit in ſuperioribus Seſſionibus, ex quo liquet, quod omnia illa Decreta Seſſ. 25. debeant obſervari contra privilegia Regularium, etiamſi in aliquo eorum non fiat derogatio expreſſa privilegiorum, non autem hoc obſervandum

vandum eſſe in aliis ſeſſionibus, niſi fiat expreſſa mentio: & ſic etiam explicanda eſt aliqua Bulla Pii IV. qui generaliter revocat privilegia, quæ ſunt Decretis Tridentini contraria; nam in dubio mens Principis ſemper præſumitur fuiſſe talis, qualis de jure eſſe debet; adeóque illa Bulla Pii IV. regulanda eſt ſecundùm ipſa Decreta Tridentini, & reſtringenda ad ea tantùm, quæ per illa prohibita ſunt, & illicita revocando privilegia in contrarium; nam illa Bulla Pii IV. fuit ad roboranda Tridentini Decreta, ut patet ex verbis Bullæ; ſed easdem limitationes & extenſiones, quas recipit Bulla corroborata, debet recipere corroborans, ut docet Felinus: ergo.

6 Propoſitio 3. *Multò minùs alia privilegia regularium contra alia Concilia & Canones, de quibus non fit ſpecialis mentio, ſunt per Tridentinum revocata.* Ratio eſt, quia multi Pontifices etiam poſt Tridentinum confirmârunt privilegia regularium; ſed ſi per Tridentinum revocata eſſent omnia privilegia contra ſacros Canones, tunc fermè nulla confirmâſſent, cùm ferè omnia privilegia ſacris Canonibus contradicant, & ſic tales confirmationes eſſent nullius momenti.

Nec dicas: Bulla Gregorii XIII. confirmans privilegia Ordinis Minorum expreſsè dicit: ſe confirmare privilegia dicti Ordinis, quæ Decretis Concilii Tridentini & ſacris Canonibus non contradicunt: ergo omnia privilegia, quæ ſunt quomodocunque contra ſacros Canones abrogat, & pauciſſima confirmat.

Reſpondeo neg. conſeq. Quia illa Bulla de ſacris Canonibus ſolius Tridentini eſt intelligenda, nam patet ipſum Concilium Tridentinum Decretis & Canonibus conſtare, & ideo illa copula *&* conjungit Canones cum Decretis Tridentini, & non cum aliis Decretalibus Summorum Pontificum; nam aliàs inutilis eſſet talis confirmatio privilegiorum, quia vix ullum maneret privilegium Mendicantium, cum fermè quodlibet ſit contra Canones. Imò hæc verba in confirmatione Sixti V. & Gregorii XIV. jam fuerunt ſublata.

7 Propoſitio 4. *Quamvis regulares etiam poſt Tridentinum aliquando potuerint uti ſuis privilegiis etiam Decretis Concilii Tridentini contrariis in foro tantùm conſcientia, modò tamen eis nec in foro conſcientia poſſunt uti.* Ratio primi eſt, Pius V. vivæ vocis oraculo ſupplicanti noſtro Patri Generali Aloyſio de Puteo confirmavit omnia privilegia, ut eis, etſi per Tridentinum abrogata ſint, uti poſſimus in foro conſcientiæ tantùm. Ratio ſecundi, quia ut habet Octavius Maria in ſuis interrogation. Alexander VII. anno 1666. die 18. Martii damnavit ſequentem propoſitionem: *Regulares poſſunt in foro conſcientia uti privilegiis ſuis, qua ſunt expreſsè revocata per Tridentinum Concilium.* Item damnavit hanc: *Prælati regulares poſſunt in foro conſcientia abſolvere quoſcunque ſaculares ab hæreſi occulta & ab excommunicatione propter eam incurſa.* Item & hanc: *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus reſervatis ipſis Epiſcopis non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Quæ omnia prius fuerunt privilegia pro foro conſcientiæ adhibenda.

Nec dicas: Illa damnatio poteſt intelligi ſolùm de conſcientiali uſu privilegiorum per litteras Apoſtolicas conceſſorum & contrariorum Tridentino, non vero vivæ vocis oraculo conceſſorum, ut fuit illud privilegium conceſſum noſtro Generali, ut poſſimus uti privilegiis in foro conſcientiæ: ergo in hoc foro adhuc poſſumus illis uti.

Reſpondeo neg. conſequent. Quia illa damnatio generaliter de omni privilegio loquitur & nihil excipit, imò ut habetur in bullario romano Urbanus Papa VIII. anno 1635. die 11. Aprilis expreſsè revocavit omnia & quæcunque privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, etiamſi non eſſent contra Tridentinum; hinc potius econtra permanere cenſentur privilegia per litteras data, ſi quæ non obſtant Decretis Tridentini; adeóque ſi uni religioni conceſſum fuit privilegium vivæ vocis oraculo nec hæc nec altera poteſt in hoc privilegio uſum habere, benè tamen ſi uni religioni eſſet conceſſum per Bullam, & alteri vivæ vocis oraculo, poſſet utraque uſum habere, ſcilicet propter communicationem invicem privilegiorum. Ex his ergo patet, quod modo omnino nec in foro conſcientiæ, nec in foro externo ampliùs aliquid poſſint regulares per ſua privilegia, quæ expreſsè à Tridentino ſunt revocata, bene tamen per alia privilegia, quæ Tridentini Decretis expreſsè revocantibus non ſunt contraria. De quibus

Aſſero ad quæſt. *Religio Fratrum Minorum communicat & participat pleniſſimè in privilegiis aliarum religionum tam mendicantium quàm non mendicantium.* 8

Probatur: exſtat ampliſſima conceſſio Clementis VII. Bulla 2. apud Rodericium motu proprio & ex certa ſcientia, qua tribus Ordinibus S. Franciſci communicat omnia indulta, conceſſa, & concedenda aliis quibuscunque Ordinibus tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, perinde ac ſi ſpecialiter eis conceſſa fuiſſent, quæ Bulla confirmata eſt à Paulo IV. Pio IV. & V. Gregorio XIII. Sixto V. &c. quæ tamen communicatio non fit in pœnis & cenſuris latis contra aliquam religionem, cum odia ſint reſtringenda; hinc ſi in una religione lata ſit excommunicatio Papalis contra ſubornatores, hæc non extenditur ad alias religiones, ut notat Portell. ex his

Inferendum eſt 1. Provincialem Ordinis Minorum poſſe ſuos à cenſuris & ſimoniaca pravitate abſolvere & diſpenſare cum ſuis ſub- 9

ditis etiam hoſpitibus & Novitiis in omni ſpecie irregularitatis, excepta illa homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis publicæ, ita conceſſit Sixtus IV. in Bulla *Regimini*; hinc cum conſenſu Provincialis Capituli vel etiam Congregationis intermediæ poteſt diſpenſare cum illegitimo profeſſo, ut ad Prælaturas & dignitates Ordinis quoscunque poſſit promoveri, eásque licitè poſſidere, ut conſtat ex Bulla Gregorii XIV, *circumſpecta*, ita tamen, ut diſpenſans debeat obſervare ſequentia: Primò, ut adſit legitima cauſa v. g. idoneitatis perſonæ, ejusdem zelus, merita Lecturæ vel Prædicaturæ, bona indoles &c. quibus natalium defectus ſuppleri poteſt. Secundò, debet attendi ad ejus continentiam, quia filii illegitimi ut plurimum vitia parentum imitari ſolent c. *ſi gens Anglorum*. diſt. 56. Tertiò, debet fieri in ſcriptis juxta communem DD. ſententiam: pro hoc privilegio adhuc aliquid magis favorabile eſt notandum ex Navarro in Reſponſ. moral. parte 1. caſu 2. quod ſi illegitimè natus & occultus interſit aperturæ viſitationis Canonicæ, in qua Provincialis diſpenſat in omnibus in communi, ille manet cum omnibus diſpenſatus etiam ab irregularitate tunc occulta, ita ut non indigeat poſtea ulla diſpenſatione: nec obſtat quod diſpenſans non imponat aliquam pœnitentiam diſpenſato, nam ſi res, in qua diſpenſatur, non eſt pœna contracta ex aliquo delicto, non tenetur diſpenſans imponere pœnitentiam, ut colligitur ex Suarez de LL. lib. 6. c. 18. imo etiam aliqualem ibi imponit pœnitentiam poſſibilem, proſternuntur enim illi religioſi, & dicunt Confeſſionem Generalem, cum impoſitione unius vel alterius Sacri vel Communionis &c.

10 Inferendum eſt 2. Provincialem Ordinis Minorum poſſe diſpenſare in foro conſcientiæ cum ſuis ſubditis in omnibus omnino irregularitatibus publicis & occultis etiam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis Die Lunæ poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, ita conceſſit Paulus III. in Bulla *exponi nobis*, data Benedictinis Valleſoleti, in quo privilegio participant omnes Mendicantes.

11 Inferendum eſt 3. Provincialem Ordinis Minorum poſſe concedere ſuis ſubditis litteras dimiſſoriales ad ſuſcipiendos Ordines à quovis Epiſcopo ſine dimiſſoriis Epiſcopi loci, ita habet Bulla Pii V. *Etſi Mendicantium*, quam Bullam infrà poſt Aſſert. 2. ſæpius adducemus, in qua Pontifex dicit: Tridentinum Seſſ. 23. c. 8. in regularibus locum non habere. Idem Provincialis poteſt diſpenſare cum ſuis ſubditis in interſtitiis, quæ ſunt intervalla alicujus temporis, videlicet unius anni inter aſſumptum Ordinem & aſſumendum, ita conceſſit Eugenius IV. & alii, & ait Averſa hoc Romæ eſſe ſæpius practicatum etiam poſt Tridentinum; poſt quod hoc etiam de novo conceſſit Clemens VII. hinc patet Mendicantes poſſe ordinari tribus feſtis duplicibus vel Dominicis. Conſequenter

Inferendum eſt 4. Provincialem noſtrum poſſe redimere vota diſpenſando cum ſubditis ſuis in omnibus illis votis, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis diœceſanis, quod conceſſit Sixtus IV. imo ut advertit Sorbus in compendio privilegiorum Ordinis Minorum, ſi Superior per viam authoritatis & non virtute Bullæ vel Jubilæi cum ſuis ſubditis diſpenſat, vel commutat eorum vota, tunc id fieri poterit in foro exteriori & extra Sacramentum. 12

Inferendum eſt 5. Fratrem Minorem profeſſum præter privilegia Canonis & fori, ſequentia quoque habere privilegia: primò, quod per religioſam profeſſionem conſequatur inſtar Jubilæi remiſſionem omnium peccatorum tam quoad culpam quàm quoad pœnam, ita conceſſit Paulus V. quam conceſſionem etiam aliqui extendunt ad Novitios, dum prima vice habitum ſuſcipiunt, imo D. Bernardinus Sen. in Tract. 2. Serm. 24. in Quadrageſima affirmat toties prædictam indulgentiam renovari, quoties ſeria voluntate Sacra renovatur profeſſio. Secundò, quod per profeſſionem obligatio omnium aliorum præcedentium votorum tollatur. Tertiò, quod ſtatus religioſus purget maculam Canonicam nempè irregularitatem ortam defectu natalium, ſed in ordine ad ſuſcipiendos Ordines tantùm; imò Sanchez in præcepta Decalogi id probabiliter defendit de ſuſceptione habitûs profeſſione etiam non ſecuta, eò quòd in favorabilibus nomine Monachi vel religioſi veniant etiam Novitii, & jura non requirant expreſsè profeſſionem. Quartò, quod profeſſio religioſa diſſolvat matrimonium quoad vinculum. 13

Inferendum eſt 6. Fratrem Minorem Confeſſarium acquirere quidem approbationem ab Epiſcopo, juriſdictionem verò à ſolo Pontifice, ita habetur in Clement. *dudum*. de ſepulturis, quam non eſſe revocatam à Tridentino dicit Prognoli, ſed ibi tantùm eſſe datam quandam formam agendi; illa autem approbatio ab Epiſcopo facienda ſolùm eſt quoad doctrinam; undè cum nemo præſumendus ſit communiter dediſcere, vix poteſt dari cauſa, quâ ſemel approbatus, reprobetur, ita DD. communiter, interim tamen caſu quo Ordinarius negaret regulari idoneo & præſentato ſine cauſa & ex malitia approbationem, talis regularis non poſſet validè audire confeſſiones ſæcularium, quia Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem 13. *ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.* Hæc præſentatio etiam jam tracta eſt in conſuetudinem ut paſſim videmus: & ideo ob- 14

tinuit

tinuit vim legis poſt Tridentinum contra privilegium Mendicantium.

15 Inferendum eſt 7. Fratrem Minorem Confeſſarium poſſe abſolvere ſæculares pro quibus eſt approbatus toties, quoties ab omnibus peccatis & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis cenſuris contentis in Bullæ Cœnæ, ita concesſerunt varii Pontifices, ut teſtatur Rodriquez, addit autem Tamburinus de caſibus reſervatis, ſatiſfacta ſemper parte, quia ſi illud peccatum eſt obnoxium reſtitutioni pecuniæ vel famæ, debet ſatisfieri parti læſæ, quod ſi impotentiæ ſatisfaciendi non ſolùm eſt præſens, ſed moraliter certò prævidetur ſemper eſſe futura, à pœnitente nihil requirendum eſt, ſi verò potentia probabiliter futura prævidetur, tunc antequam abſolvatur debet promittere cautionem, id eſt, debet dare vel pignus, vel fidei juſſionem, aut ſi non poſſit, debet juramentum proferre, uti habetur cap. *ex tenore.* de ſentent. excom. verum hoc intelligendum eſt de foro externo; quia loquendo de foro ſacramentali prædicta cautio non eſt neceſſaria, ſed ſufficit, ſi pœnitens habet propoſitum ſatisfaciendi, quando poterit.

Dictum fuit exceptis cenſuris in Bulla Cœnæ, quia caſus Papales ſemper habentes annexam excommunicationem ſunt in duplici differentia, alii ſunt communes reſervati Papæ à jure communi, ut Can. *ſi quis ſuadente.* de ſent. excom. quos omnes noſſe non multum opus eſt privilegiato, cum poſſit abſolvere ab omnibus, habeat ergò ſemper intentionem abſolvendi ab omnibus in quantùm poteſt, & pœnitens indiget; alii verò ſunt caſus ſpeciales reſervati Pontifici in Bulla Cœnæ ſic dicta, quod ſingulis annis in cœna Domini de novo promulgentur, in quibus præcipuus eſt hæreſis formalis, & lectio librorum hæreticorum &c. reliqui in noſtris partibus vix contingunt, & ideo hos noſſe omnes non multùm opus eſt, videri tamen poterunt apud Tamburinum L. 2. c. 7. §. 4. in his ergo Bullæ Cœnæ caſibus vi privilegiorum nihil poſſunt Mendicantes.

16 Inferendum eſt 8. Fratrem Minorem Confeſſarium virtute ſuorum privilegiorum etiam Maris magni non poſſe abſolvere à caſibus, quos ſibi ſpecialiter reſervant Epiſcopi, quia Alexander VII. hoc expreſſè damnavit, ut diximus propoſ. 4. ideóque cum illud Decretum damnationis ſit per viam legis & conſtitutionis generalis; abrogavit omnia privilegia in contrarium etiam in corpore juris clauſa. Obſervandum tamen eſt illam damnationem ſolùm procedere de reſervatis ab Epiſcopo ut homine, non de reſervatis ab eodem à jure, quia ſolùm ut ſcandaloſa fuit damnata illa opinio; cui innixi regulares non obſtantibus Decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. adhuc privilegiorum ſuorum prætextu abſolvebant à caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſervabant, in quibus tamen Decretis nunquam fiebat mentio de caſibus reſervatis jure ordinario ab Epiſcopo; tales autem caſus ſunt ſequentes & ſimiles: ſcilicet mutatio votorum, diſpoſitio malè ablatorum incertorum & certorum, quando non exſtant hi, quibus facienda eſt reſtitutio, item matrimonium clandeſtinè contractum, vel contra interdictum Eccleſiæ, item pœnitentiæ omnium publicorum enormium criminum homicidii, falſi teſtimonii, perjurii, inceſtûs, violationis monialis, beſtialitatis, oppreſſio filiorum tam ex propoſito quàm caſu, ſuppoſitio partûs, infractio & incenſio Eccleſiarum, & alia ſacrilegia, item procuratio abortûs, ſterilitatis, veneficia, ingreſſus ad Monialium clauſtra, comeſtio carnium in quadrageſima, poſſeſſio decimarum & bonorum Eccleſiaſticorum & alia, quorum caſus aliqui numerant 26. alii 32. alii 50. ex diverſis locis Juris Canonici præſertim ex ſexto Decret. & ex Clementinis. Vide Rodriquez in praxi Criminali Tit. 4. de Viſitatione c. 14. Quos caſus ſcire omnes non multùm intereſt, cum ab omnibus poſſint ut talibus abſolvere regulares. Nec etiam illa damnatio eſt intelligenda de Confeſſariis electis virtute Bullæ Cruciatæ, quos poſſe abſolvere etiam à reſervatis Epiſcopo ut homini toties, quoties electi fuerint, tenet Andreas à Matre Dei de privil. cap. 4. puncto 1. quia illa prohibitio facta eſt ſine ulla mentione privilegii Bullæ Cruciatæ.

Inferendum eſt 9. Fratrem Minorem Confeſſarium poſſe diſpenſare in votis ſæcularium in quibus poſſunt Epiſcopi, & conſequenter in omnibus votis præterquam in quinque reſervatis Summo Pontifici, & ideo à fortiori poſſunt eorum vota commutare, ita conceſſit Paulus III. Societati JEſu, & Innocentius VIII. Ordini Minorum, & hoc tam intra quàm extra forum ſacramentale tam cum abſentibus quàm præſentibus, cum id nullo jure aut clauſula reſtringatur, ut tenet Sanchez lib. 4. moral. c. 43. eſt tamen diſcrimen inter Epiſcopum & privilegiatum, quia poteſtas Epiſcopi eſt ordinaria, unde poteſt ſuam poteſtatem delegare aliis, Mendicantes verò non poſſunt delegare, cum ipſimet ſint delegati, præterea tamen Mendicantes poſſunt ſua privilegia exercere circa omnes fideles undequaque accedentes, Epiſcopi verò ſolùm circa ſuos diœceſanos, quia agunt per ſuam juriſdictionem, quæ ultra diœceſim ſe extendere non poteſt. Dictum fuit præterquam in quinque reſervatis, quia hæc quinque vota ſemper excipiuntur, nempe votum caſtitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum, & in Terram ſanctam, at quia reſervatio horum votorum eſt odioſa, utpote ordinariam poteſtatem reſtringens, debet ſtrictè interpretari, ut ſolùm comprehendat illa 17

quinque ſtrictè talia, id eſt perfecta, determinata, abſoluta quoad ſubſtantiam & integritatem eorum, adeò, ut quandocunque in iis deficit materia & ratio voti, ſimpliciter reſervata non ſint, & conſequenter diſpenſabilia à Mendicantibus. Hinc

18 Inferendum eſt 10. Fratrem Minorem Confeſſarium in ſimilibus votis poſſe diſpenſare, vel in melius commutare aliàs Papæ reſervatis: primò, quando non ſunt vota propriè dicta, ſeu non facta ipſi DEO v. g. puellæ promittentis B. Virgini ſervare perpetuam virginitatem, hinc reflexè eſt examinanda, an, quando promiſit, reverà tantùm cogitaverit de B. Virgine & non de DEO, vel ſi cogitavit de DEO, an etiam cogitaverit de promiſſione facienda DEO vel ſoli ejus Matri, & ſic, ſi dicat ſoli ejus Matri, tunc non eſt votum propriè dictum, in dubio tamen præſumendum eſt pro actûs perfectione potiùs quàm defectu. Secundo quando vota non ſunt cum perfecto voluntario & aliis requiſitis emiſſa, hinc vota metu injuſto extorta, etiamſi levi & in conſtantem virum non cadente, probabiliùs non ſunt reſervata. Tertiò, quando vota non ſunt determinata, unde votum alternativum, cujus altera pars non eſt reſervata v. g. vovet quis aut religionis ingreſſum, aut Sacerdotium, non eſt reſervatum, ſed diſpenſabile. Quartò, quando vota non ſunt abſoluta, unde votum conditionatum pœnale v. g. ſi fornicatus fuero, voveo in pœnam me ingreſſurum religionem, vel aliud propriè conditionatum de futuro v. g. ſi morbum evaſero, voveo caſtitatem reſervare, ſemper eſt diſpenſabile. Quintò, quando vota non ſunt talia quoad ſubſtantiam & integritatem ſuam, unde ſequentia vota ſunt diſpenſabilia v.g. votum peregrinandi Romam intra certum tempus peditando, mendicando &c. in quo diſpenſari poteſt, ut differatur votum, ut poſſint expenſæ fieri &c. item votum paupertatis tantùm, vel obedientiæ tantùm. Item votum religionis ſolùm quoad modum v. g. ingrediendi religionem ſtrictiorem, votum caſtitatis temporalis v. g. ad certum tempus ad tempus opportuni conjugii, vel votum partiale, ut votum caſtitatis ſolùm conjugalis, vel votum non petendi debitum, aut votum virginitatis, ſolùm intendendo integritatem clauſtri, votum non nubendi, votum non fornicandi, non tangendi mulierem &c. imò & ipſum votum ſuſcipiendi Sacros Ordines, cui acceſſorium tantùm eſt votum caſtitatis; nam qui vovet Sacrum Ordinem ſuſcipere, non actu & directè vovet caſtitatem, ſed talem ſtatum, cui tacitè annexum eſt votum caſtitatis. Præterea ſi Papa commutavit votum abſolutum v. g. religionis in aliqua opera onerosa v. g. in Confeſſiones & Communiones menſtruas, talis commutatio poteſt iterum commutari in aliud æquivalens à Confeſſario Mendicante.

Inferendum eſt 11. Fratrem Minorem Confeſſarium poſſe etiam diſponere in votis Papæ reſervatis, quæ poſſunt Epiſcopi propter extraordinariam neceſſitatem diſpenſare, ut docet noſter Sannig. Ratio eſt, quia authoritas delegata Epiſcopis diſpenſandi vota alias Papæ reſervata in circumſtantia extraordinaria neceſſitatis manet perpetuò annexa dignitati Epiſcopali, adeóque jure ordinario eis competere videtur; ergo cum Confeſſarii Mendicantes poſſint diſpenſare in omnibus votis, quæ Epiſcopi jure ordinario poſſunt diſpenſare, hinc ſi quis poſt editum votum perpetui cœlibatûs ineat matrimonium, idque conſummet, imò etiam ante conſummationem poteſt privilegiatus diſpenſare in petitione debiti ob periculum incontinentiæ, ſi difficilis ſit aditus ad Papam, præterea ob idem periculum poteſt diſpenſare cum conjugibus, qui conſummato matrimonio vovent caſtitatem, tandem ob idem periculum, dum tractatur de ineundo matrimonio, poteſt cum quacunque perſona laica obſtricta voto perpetuæ caſtitatis etiam extra matrimonium diſpenſare, quando ad Papam vel ejus Delegatum non eſt facilis aditus, monentur tamen privilegiati, ne officio Ordinarii præjudicent, poſtquam talia vota in publicum devenerunt. 19

Inferendum eſt 12. Fratrem Minorem Confeſſarium poſſe cum ſæcularibus diſpenſare ſuper omnes irregularitates ex delicto occulto provenientes ſuper quas poſſunt Epiſcopi. Ratio eſt ex Sixto IV. qui conceſſit Fratribus Ordinis Minorum facultatem ad confeſſiones audiendas, ab omnibus excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, & ſuper quacunque irregularitate ordinaria tam ab homine, quam à jure reſervatis toties, quoties opus fuerit, abſolvendi, diſpenſandi, ac vota quæcunque permutandi, ſicut poteſt Diœceſanus &c. ſed Diœceſanus poteſt ex Tridentino Seſſ. 24. c. 6. in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare cum ſæcularibus excepto homicidio voluntario &c. 20

Inferendum eſt 13. Fratrem Minorem Confeſſarium poſſe abſolvere à ſuſpenſione, quam incurreret aliquis promotus ad omnes Ordines fictis dimiſſorialibus litteris, ita conceſſit Gregorius XIII. Confeſſariis Societatis JESU à Superioribus deputatis, in quo omnes Mendicantes communicant, imò ſi talia etiam habuiſſet primitias, ex quibus effectus fuiſſet irregularis, in hac ſimiliter potuiſſet diſpenſare privilegiatus, ut conſtat ex illatione præcedenti. 21

Inferendum eſt 14. Fratrem Minorem Confeſſarium ex conceſſione Pii V. poſſe de licentia ſui Provincialis diſpenſare cum uxoratis, qui fornicati ſunt cum conſanguineis alte- 22

rius

rius conjugis ad petendum debitum, quibus tamen debet imponere pœnitentiam particularem, quia diſpenſat in pœna vel impedimento orto ex delicto, ita à fortiori dicendum eſt eum poſſe diſpenſare cum adultera ad idem debitum petendum, quod etiam fieri poteſt extra Sacramentum pœnitentiæ & cum abſentibus, adeóque ſi aliquis Parochus ſcribit ad aliquem privilegiatum: peto à veſtra Reverentia ut cum Titio, tacito nomine proprio, in petitione debiti diſpenſet, erit res ſalva, ſi Confeſſarius reſcribat, diſpenſo, dummodo ſubſit rationabilis cauſa, quæ vix poterit deeſſe.

23 Inferendum eſt 15. Fratrem Minorem Confeſſarium doctum & à Provinciali deputatum poſſe aperire litteras deſtinatas à Papa Magiſtris Theologiæ & Canoniſtis, etiamſi talis Confeſſarius non ſit Doctor aut Magiſter, & per illas poſſe delatores earum abſolvere juxta illarum tenorem & imponere pœnitentias in illis contentas, ita conceſſit Gregorius XIII. Generali Societatis JESU, in quo privilegio communicant omnes Mendicantes, attamen Provincialis non poterit deſignare ad hoc niſi viros valdè doctos. Tum quia Summus Pænitentiarius has litteras clauſas non dirigit niſi ad Doctores graduatos Theologiæ vel Juris Canonici, tum quia tales litteræ continent multas clauſulas, quæ requirunt magnam litterarum peritiam, ac majorem, quam non habent Confeſſarii ordinarii.

Plura adhuc privilegia exhibebimus poſt Aſſert. 2. ex monumento recentiſſimo Benedicti XIII. interim

24 Aſſero 2. ad quæſt. *licèt Regulares præſertim Mendicantes ſint exempti à foro Epiſcopali, ut habet Mare magnum Sixti IV. pro Fratribus Minoribus emanatum, eorum tamen exemptio eſt limitata à Tridentino plerumque in 15. ſequentibus punctis.*

Probatur: Tridentinum in variis locis dat Epiſcopis expreſsè poteſtatem ſupra Regulares, non obſtantibus eorum privilegiis; ergo. antecedens probatur.

Primo: *ſupra Prædicatores.* Seſſ. 5. c. 2. *de Reform.* dat facultatem Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis procedendi contra Prædicatores Regulares ſcandala ſeminantes in populo. Item eadem Seſſ. c. 3. *de Reform.* & Seſſ. 24. c. 4. *de Reform.* mandat, ne Regulares prædicent in ſuis Eccleſiis, niſi à Superioribus ſuis approbati, & cum benedictione Epiſcopali, imò & extra Eccleſias ſuas cum licentia Ordinarii.

Secundò: *ſupra delinquentes extra clauſtra.* Seſſ. 6. c. 3. *de Reform.* & Seſſ. 25. *de Regularibus.* concedit Ordinariis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, quod poſſint procedere contra Regulares delinquentes extra clauſtra degentes. item Seſſ. 7. c. 14. *de Reform.* concedit, quod Regulares extra clauſtra degentes in cauſis civilibus poſſint conveniri coram Epiſcopo.

Tertiò: *ſupra celebrantes in privatis domibus.* Seſſ. 22. in Decreto. *de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ* ſtatuit, ut Ordinarii omnino prohibeant, quidquid pro novis Miſſis datur, & ne cuivis vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare permittatur, neque in privatis domibus extra Eccleſiam vel Oratoria ab Ordinario deſignanda ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus aut Regularibus quibuscunque peragi patiantur.

Quartò, *ſupra vagantes & degentes extra monaſteria.* Seſſ. 25. cap. 4. *de Regularibus.* ordinat, quod locorum Ordinarii poſſint procedere contra Regulares ſine licentia ſui Prælati à Conventibus recedentes, etiam prætextu accedendi Superiorem. Item quòd Regulares ſtudiorum cauſa miſſi ad Univerſitates, ſi non habitant in Conventibus, poſſint corrigi ab Epiſcopis.

Quintò: *ſupra Ordinandos à proprio Epiſcopo, & ſupra Abbates conferentes Ordines.* Seſſ. 23. c. 8. & 10. *de Reform.* prohibet, ne Abbates conferant primam Tonſuram & Ordines minores illis, qui ſibi ſubditi non ſunt. Item c. 10. decernit: quòd omnes debeant ordinari à propriis Epiſcopis, intra quorum diœceſis fines exiſtunt.

Sextò: *ſupra interſtitia & ætatem Ordinandorum.* Seſſ. 23. c. 11. *de Reform.* præcipit ſervari interſtitia. Item c. 12. prohibet, ne ullus Regularis ante annum 22. ad Subdiaconatum, & ante 23. ad Diaconatum, & ante annum 25. ad Præsbyteratum ſine examine promoveatur.

Septimò: *ſupra excipientes confeſſiones.* Seſſ. 23. c. 15. *de Reform.* interdicitur, ne quis etiam Regularis poſſit ſæcularium, etiam Sacerdotum confeſſiones excipere, niſi Parochiale habeat beneficium, & ab Epiſcopo per examen aut aliàs idoneus approbatus facultatem obtineat.

Octavò: *ſupra electiones bonorum Eccleſiæ, & ſupra quartam funeralium.* Seſſ. 25. c. 11. *de Reform.* prohibet, ne locationes bonorum Eccleſiæ, neve ſolutiones anticipatæ fiant. Item eadem Seſſ. c. 13. *de Reform.* decernit, quod in quibuscunque locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, etiam modo perſolvatur.

Nonò: *ſupra Regulares curam animarum exercentes pro ſæcularibus, & ſupra factas pias diſpoſitiones ipſis Regularibus.* Seſſ. 22. c. 8. *de Reform.* ordinat, ut omnes piæ diſpoſitiones factæ quibuscunque ſubſint viſitationi Epiſcoporum, ſicut & Seſſ. 25. c. 11. *de Regularibus.* ut Regulares exercentes curam animarum pro ſæcularibus, ſubjaceant viſitationi & correctioni Ordinariorum.

Decimò: *ſupra publicationes cenſurarum & feſtorum.* Seſſ. 25. c. 12. *de Regularibus.* requirit ut cenſuræ Ordinariorum etiam à Regularibus debeant publicari in eorum Eccleſiis, & ſervari dies feſtivi ab Ordinariis deſignati.

Undecimò: *ſupra acceſſum ad publicas*

pre-

proceſſiones. Seſſ. 25. c. 13. *de Regularibus.* mandat, ut Regulares ad publicas proceſſiones juſſu Epiſcoporum veniant, & compelli poſſint.

Duodecimò: *ſupra clauſuram Monialium Regularium.* Seſſ. 25. c. 5. *de Regularibus.* concedit, quòd Epiſcopi poſſint compellere Moniales Regularium ad clauſuram.

Decimo tertiò: *ſupra Novitios Regularium renuntiationem facientes.* Seſſ. 25. c. 16. *de Regularibus.* definit, quòd nulla renuntiatio facta à Novitio ſine licentia Epiſcopi valeat.

Decimo quartò: *ſupra Regularium controverſias de præcedentia.* Seſſ. 25. c. 13. *de Regularibus.* ordinat, quòd omnis controverſis de præcedentia inter Regulares ſit ab Epiſcopis componenda, amota omni appellatione.

Decimo quintò: *ſupra puellas Novitias Regularium.* Seſſ. 25. c. 17. *de Regularibus.* præcipit, quòd puellæ Novitiæ Regularium debeant examinari ab Epiſcopis & eorum Vicariis.

Nota tamen præcitata loca non ita crudè eſſe accipienda, ac ſi nullas admitterent modificationes aut explicationes, quas ipſi Pontifices aliquando ſuperaddiderunt, aut probati Authores appoſuerunt, uti videbitur in obſervationibus ſequentibus.

25 Obſervandum eſt quoad primum: Regulares dum volunt prædicare in alienis Eccleſiis, debere petere licentiam ab Epiſcopo, dum verò volunt prædicare in ſuis, ſatisfaciunt, dum petunt benedictionem ab eo, nam ut dicit Pius V. Conſt. *etſi Mendicantium.* explicans Tridentinum, *imò volumus, quòd in ſuis Eccleſiis, quando eis placuerit, licitè, & abſque ullo impedimento vel contradictione etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicaverit, prædicare poſſint.* Præterea notandum eſt quoad Benedictionem accipiendam ab Epiſcopo ſatis eſſe eam petere, licèt non obtineatur, nam Tridentinum ſolùm dicit, ut petant, uti declaravit Sacra Congregatio teſte Laurentio de Peyrinis Tom. 1. privil. n. 20. Item ut poſſint in aliis Eccleſiis prædicare aliquoties, ſufficit ut Parochus loci det licentiam.

Obſervandum eſt quoad ſecundum: Decretum de Regularibus delinquentibus extra clauſtra, ut notat Panormitanus, ſolùm intelligi debere de Regularibus abſque licentia ſui Prælati extra monaſterium ſtabiliter manentibus, & ab eo quotannis non viſitatis; Regularis verò exemptus intra clauſtrum degens, & extra illud notoriè delinquens cum ſcandalo populi inſtante Epiſcopo à ſuo Superiore ad tempus ab Epiſcopo præfigendum debet ſeverè corrigi, de qua correctione Superior Epiſcopum certiorem reddere tenetur, ut explicat Pius V. Conſt. *etſi Mendicantium.* ex quibus patet, Ordinarium non poſſe per ſe vel per alios procedere ad punitionem vel capturam Religioſi delinquentis etiam Novitii, uti habetur Clemen. un. *de excessibus Prælatorum.* quòd ſi capi faciat, incidit in excommunicationem una cum capientibus, ut docet Navarrus & alii. ex C. *ſi quis ſuadente diabolo.* 17. q. 4. excipitur tamen caſus, in quo timeretur fuga Religioſi ob crimen enorme patratum, tunc non tantùm Epiſcopus, ſed & Judex ſæcularis in abſentia Judicis Eccleſiaſtici capere poteſt Religioſum in flagranti & enormi delicto deprehenſum; debet tamen Superiori Regulari intra 20. horas reſtitui, qui debet illum proceſſare & punire juxta proportionem delicti, ut tradit Abbas, Tamburinus, & alii. Præterea cauſæ civiles plerumque in Regularibus attenduntur mercedes perſonis miſerabilibus debitæ, ad quas ſolvendas cogi poſſunt ab Epiſcopo, perſonæ autem miſerabiles dicuntur pauperes, vel diuturno morbo fatigati, ut habetur c. *ſignificaſti.* de privilegiis in 6.

Obſervandum eſt quoad tertium: Regulares in Oratoriis extra Eccleſiam ab Epiſcopo ad cultum Divinum dedicatis & deſignatis celebrare poſſe, dummodo nullum Parochiæ damnum inferatur. Ita habent declarationes ad illum locum Tridentini annexæ.

Obſervandum eſt quoad quartum: punitionem Regularium ſine licentia ſui Prælati à Conventibus recedentium etiam ſub prætextu accedendi Superiorem fieri debere ſecundùm modum in obſervatione ſecunda inſinuatum.

Obſervandum eſt quoad quintum: Pium V. Conſt. *Etſi Mendicantium.* poſt Tridentinum emanata, declaraſſe Tridentinum Seſſ. 23. c. 8. *neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe, ſtatuens in Regularibus locum non habere, ita quod Fratres hujuſmodi præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antiſtite gratiam & Communionem Apoſtolicæ Sedis habente Ordinarii loci minimè requiſita in locis ſeu domibus Fratrum hujuſmodi aut alibi recipere poſſint.* Hanc Bullam *Etſi Mendicantium* ſpecificè de novo confirmavit nuper Benedictus XIII. Conſt. *ſummè decet.* notabis autem de illa Bulla Pii V. *Etſi Mendicantium.* cùm ſit declaratoria Concilii Trident. nobis non dare novum jus aut privilegium poſt vel contra Tridentinum, ſed affirmare in nobis perſiſtere jus & privilegium antiquum, quod habuimus ante Tridentinum, & illud per Tridentinum nobis non fuiſſe ademptum.

Obſervandum eſt quoad ſextum: in ordine ad interſtitia ſervanda à Regularibus docere Doctores noſtros, quòd quoad hoc vigeat adhuc privilegium antiquum, vel potiùs quòd apud nos ceſſet motivum prohibitionis hujus, cùm nos in ordine ſuſcepto quaſi quotidiè verſemur.

Obſervandum eſt quoad ſeptimum: declaraſſe Pium V. Conſt. *Etſi Mendicantium.* illud Tridentini Seſſ. 23. c. 15. de Confeſſionibus à Regularibus non audiendis niſi ab Epiſcopo examinati ſint his verbis: *ſtatuimus etiam, quòd ille, qui ſemel in una Diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem Diœceſi habeatur pro admiſſo, nec ampliùs examinari*

minari

minari vel præſentari in dicta Diœceſi debeat - - - Confeſſores Monialium, quæ degunt ſub cura Regularium ab Ordinario examinari nolumus &c. Lectores inſuper ex eiſdem Fratribus & in Theologia graduati - - - cum de eorum doctrina ambigendum non ſit tam Confeſſiones audituri, quàm prædicationis munus ſubituri ab Epiſcopis minimè examinentur.

Obſervandum eſt quoad octavum: quartam funeralium ſolvere non teneri Regulares, quorum Religio quadraginta annis ante Tridentinum non conſuevit ſolvere, neque quoad ceram ullam, ubi priùs eam ſolvere non erat ſolitum, ſic enim Pius V. Conſt. *Etſi Mendicantium* Tridentinum explicans loquitur: *ubi verò non eſt conſuetudo ſolvendi quartam hujuſmodi, de nullo ſupra ſcriptorum* (ubi & cera recenſebatur) *ſolvi debere declaramus.*

Obſervandum eſt quoad nonum: illud, quod Regulares curam animarum pro Sæcularibus exercentes ſubjaceant correctioni & viſitationi Epiſcoporum intelligi debere non ſolùm de correctione emendativa prout olim juxta Leonem X. Bullâ *Regimini univerſalis Eccleſiæ* erat moris, ſed etiam de punitiva, ut habetur per Bullam *inſcrutabili* Gregorii XV. quapropter licet Epiſcopi non poſſint Regulares cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis & aliis pœnis quà Ordinarii corrigere, poſſunt tamen tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati; unde notandum eſt, quòd, quando Ordinariis datur poteſtas tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatis, ſemper habeant juriſdictionem in Regulares, quia pro tunc non ſunt Ordinarii, ſed Legati Pontificis; tales autem Legati habent eam poteſtatem, quam habet Pontifex ut Dominus principalis.

Obſervandum eſt quoad decimum: Regulares teneri cenſuras & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis locorum promulgata, mandantibus Ordinariis in ſuis Eccleſiis promulgare: nec non dies feſtivos noviter introductos obſervare.

Obſervandum eſt quoad undecimum: Regulares etiam Monachos ad publicas Proceſſiones vocatos teneri accedere, & compelli poſſe, iis ſolùm exceptis, qui in ſtrictiori Clauſura perpetuò vivunt. Publicæ autem Proceſſiones vocantur illæ, quæ ex cauſa publica & gravi v. g. peſtis imminentis, vel pro gratiarum actione, vel in adventu novi Epiſcopi, vel in Feſto Corporis Chriſti, vel Patroni Terræ, vel tandem ex antiqua conſuetudine ordinantur. Quia tamen ex Cap. 1. de privil. in 6. generaliter prohibentur omnes Ordinarii ex quavis cauſa contra Regulares cenſuras fulminare, & Tridentinum nullam facit mentionem cenſuræ, ideo Regulares nolentes accedere Proceſſiones publicas, licèt poſſint compelli, cenſuris affici non poſſunt.

Obſervandum eſt quoad duodecimum: Epiſcopis ut Sedis Apoſtolicæ Legatis omnino datam eſſe facultatem ad compellendum Moniales omnes ad obſervantiam Clauſuræ, excommunicando rebelles & inobedientes.

Obſervandum eſt quoad decimum tertium: decreviſſe Tridentinum nullam renuntiationem aut obligationem factam à Novitio valere, niſi cum licentia Epiſcopi inter duos menſes proximos ad profeſſionem, & ut Novitiis abeuntibus omnia reſtituantur; contravenientes poſſunt ab Epiſcopis per cenſuras compelli. Hujus autem decreti finis eſt, ne Novitius omnibus deſtitutus cogatur profiteri non liberè: nomine autem renuntiationis vel obligationis non intelligitur teſtamentum, nec donatio mortis cauſâ, neque codicillus. Hinc Novitius Regularis, quandocunque voluerit, poterit teſtari ſine licentia Epiſcopi, ut tenet Vega & alii. Solùm igitur intelliguntur prohibiti contractus illi, quibus Novitius ſe ſpoliat notabili parte hæreditatis, cujuſmodi eſt donatio, alienatio.

Obſervandum eſt quoad decimum quartum: cautum ibidem loci eſſe omnem controverſiam de præcedentia inter Regulares in Proceſſionibus & funeribus eſſe ab Epiſcopo componendam amota omni appellatione, & quidem non niſi controverſias durantes ab illo dirimi, finitas autem nullo pacto innovari, ut determinat Pius V. Conſt. *Etſi Mendicantium.*

Obſervandum eſt quoad decimum quintum: Ordinâſſe Pium V. Conſt. *Etſi Mendicantium.* quod puellarum DEO dedicandarum, an ſcilicet coactæ vel ſeductæ fuerint examen faciendum non niſi infra quindecim dies poſtquam juxta Concil. Trid. Epiſcopi vel eorum Vicarii requiſiti fuerint, fieri poſſit; quibus elapſis amplius in hoc illis ſe intromittere non liceat, cujus occaſione nec Epiſcopus nec ejus Vicarius intra ſepta Monaſteriorum ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream, & interrogationes alias quàm eas, quas præfatum Tridentinum jubet, eis fieri omninò prohibitum eſt, ac ſimiliter ſtatuitur, quod puellæ ſeu Novitiæ ipſæ ad alias interrogationes reſpondere minimè teneantur. Interrogationes autem, de quibus Tridentinum mentionem facit, ſunt hæ: an ſit coacta, an ſeducta, an ſciat quid agat, quæ ſit ætas ejus? debent igitur vi illius Decreti puellæ bis examinari, primò ante ſuſceptionem habitûs, deinde ante profeſſionem. Ne autem profeſſionis tempus Epiſcopus ignoret, tenetur Præfecta Monaſterio eum ante menſem certiorem facere, quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.

Ad ampliorem noſtrorum privilegiorum notitiam, ac eorundem plurimorum poſt Tridentinum ſubſiſtentium, innovatorum, & reſtitutorum, nec non Tridentinum minimè offendentium cognitionem ſequens monumentum

tum Benedicti XIII. Ordini noſtro inſcriptum ſubjicere volui.

MONUMENTUM

Recentiſſimum Confirmationis & innovationis Privilegiorum & exemptionum trium Ordinum S. Patris Franciſci Seraphici.

Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Benedicti XIII. Pontif. max. Conſtitutio, qua omnes literæ Apoſtolicæ, Privilegia, Immunitates, & Exemptiones Ordini Fratrum Minorum, nec non B. Claræ, & Tertio de Pœnitentia, à Romanis Pontificibus olim conceſſa, approbantur, confirmantur, & ſpeciali forma innovantur. Edita Romæ MDCCXXVII. Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

I. *Proæmium.*

SUmme decet, ut quæ Romani Pontifices Anteceſſores Noſtri Ordinibus Regularibus magna pietatis, & doctrinæ laude in Eccleſia fulgentibus privilegia conceſſerunt, ea iterum per Nos confirmentur, qui Regularem profeſſionem emiſimus, quique ex injuncto Divinitùs Parvitati Noſtræ Apoſtolatus officio tenemur eosdem Ordines Sanctæ Matri Eccleſiæ diù, noctuque famulantes, gratiis, & largitionibus Apoſtolicis in tam laudibili propoſito confovere.

II. *Motiva hujus Conſtitutionis.*

Sanè ex parte dilecti Filii Fratris Joſephi Mariæ ab Ebora Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Beati Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Nobis expoſitum eſt, hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam eidem Ordini in Religioſa vivendi Regula, & Evangelica Paupertate per veſtigia Beati Franciſci Auctoris ſui fideliter incedenti, plurimis privilegiis ſe munificam, & liberalem oſtendiſſe. Quidam enim ex Romanis Pontificibus Anteceſſoribus Noſtris Seraphicam eorumdem Fratrum Minorum Regulam ſæpenumerò, etiam in ſecundo generali Concilio Lugdunenſi, approbaverunt; Alii verò quamplurimas exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, Indulgentias etiam plenarias, atque animabus in Chriſti charitate defunctorum applicabiles, peccatorum remiſſiones, abſolutiones, privilegia, prærogativas, atque Indulta ſpiritualia, & temporalia, aliasque inſignes gratias eidem Ordini, & præcipuè Fratribus Minoribus, qui à Regulari Obſervantia nuncupantur, & Beatæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia appellato Ordinibus conceſſerunt, atque Apoſtolica auctoritate impertiri fuerunt: Alii demùm ad quaecumque contentiones extinguendas, pacem retinendam, unitatem, diſciplinamque religioſam ſervandam, & Prælatorum, Miniſtrorumque Regularium electionem ritè, & pacificè peragendam, ejusdemque Ordinis Sanctum, & felix regimen adminiſtrandum, præſertim eorundem Fratrum de Obſervantia, Beatæ Claræ, & Tertii Ordinum præfatorum multas Sanctiones, Ordinationes. Conſtitutiones, Declarationes, & Decreta ediderunt, ac promulgarunt, de quibus omnibus exiſtunt literæ Apoſtolicæ tenoris ſequentis, videlicèt.

III. *Literas Apoſtolicas Prædeceſſorum Pontificum, quæ hic ſpecialiter confirmantur, enunciat.*

1. Honorii III. incipientes - *Quia populares* - Pontificatus ſui anno IX.

2. Aliæ Gregorii IX. incipientes - *Cum illorum* - Pontificatus ſui anno III.

3. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Devotionis Veſtræ* - Pontificatus ſui anno VI.

4. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Ad Audientiam* - IX. Kalendas Martii Pontificatus ſui anno XIV.

5. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Quia confuſio* - Idibus Decembris Pontificatus ſui anno eodem.

6. Aliæ Alexandri IV. incipientes - *Ut in Veſtris* - V. Kalendas Julii Pontificatus ſui anno I.

7. Aliæ ejusdem Alexandri incipientes - *Convenit ut Sacer* - XVII. Kalendas Novembris Pontificatus ſui anno eodem.

8. Aliæ ejusdem Alexandri incipientes - *Mente ſolicita* - VII. Kalendas Auguſti Pontificatus ſui anno V.

9. Aliæ Martini IV. incipientes - *Exultantes* - XV. Kalendas Februarii Pontificatus ſui anno II.

10. Aliæ Nicolai IV. incipientes - *Quia nonnulli* II. Idus Maji Pontificatus ſui anno I.

11. Aliæ Bonifacii VIII. incipientes - *Inter cæteros* - III. Idus Novembris Pontificatus ſui anno I.

12. Aliæ Eugenii IV. incipientes - *Ad ſtatum ſingulorum* - IV. Idus Maji Pontificatus ſui anno I.

13. Aliæ ejusdem Eugenii incipientes - *Licet Romanus Pontifex* - Idibus Auguſti Pontificatus ſui anno IX.

14. Aliæ Nicolai V. incipientes - *Quia nonnulli* - XI. Kalendas Maji Pontificatus ſui anno I.

15. Aliæ ejusdem Nicolai incipientes - *Et ſi cunctorum* - XVII. Kalendas Februarii Pontificatus ſui anno IV.

16.

16. Aliæ Sixti IV. incipientes - *Cum ſemper* - IV. Maji Pontificatus ſui anoo I.

17. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *Sacroſancta Romana* - XII. Kalendas Decembris Pontificatus ſui snno III.

18. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *Dum ſingulos Regulares Ordines* - V. Kalendas Maji Pontificatus ſui anno IV.

19. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *Ut veſtris in hac parte* - XI. Junii Pontificatus ſui anoo eodem.

20. Aliæ ejusdem Sixti - *Quæ & Mare magnum nuncupantur* - pridie Kalendas Septembris Pontificatus ſui anoo eodem.

21. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *Scripſimus* - XXIV. Octnbris Pontificatus ſui anno VII.

22. Aliæ ejusdem Sixti - *Quæ & Bulla aurea nuncupantur* - VII. Kalendas Auguſti Pnntificatus ſui snno VIII.

23. Aliæ Ionocentii VIII. incipientes - *Admonet Nos* - XIV. Kalendas Februarii Pontificatus ſui sooo IV.

24. Aliæ Alexandri VI. incipientes - *Sacræ Religionis* - V. Februsrii Pontificatus ſui anno IX.

25. Aliæ Junii II. incipientes - *Hodie à nobis* - XV. Kalendas Julii Pootificatus ſui anno I.

26. Aliæ ejusdem Julii incipientes - *Aliàs ad ſupplicationem* - I. Junii Pontificatus ſui ann VI.

27. Aliæ ejusdem Julii incipientes - *Chariſſimi in Chriſto* - I. Junii Pontificatus ſui anno VI.

28. Aliæ Leonis X. incipientes - *Notum facimus* - VII. Januarii Pontificatus ſui snno I.

29. Aliæ ejusdem Leonis iocipientes - *Religionis* - III. Februarii Pontificatus ſui anno eodem.

30. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Affectu benevolentia* - XVI. Februarii Pontificatus ſui sono eodem.

31. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Dudum ſiquidem* - X. Junii Pontificatus ſui anno II.

32. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Cum ſicut Nobis* - XV. Martii Pontificatus ſui snno III.

33. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Superioribus diebus* - XIV. Msji Pnntificatus ſui snno V.

34. Aliæ ejusdem Leonis - *Quæ Bulla Unionis nuncupantur* - IV. Kalendas Junii Pootificatus ſui anno eodem.

35. Aliæ ejusdem Leoois - *Quæ & Bulla concordia nuncupantur* - pridie Idus Junii Pnotificatus ſui anno eodem.

36. Aliæ ejusdem Leooia incipieotes - *Exponi Nobis* - XXIX. Julii Pontificatus ſui anno eodem.

37. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Licet aliàs* - VI. Decembris Pontificatus ſui anno eodem.

Tom. IV. Theolog. Scotiſt.

38. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Celebrato nuper* - XI. Aprilis Pontificatus ſui anno VI.

39. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Poſtquam* - VIII. Auguſti Pontificatus ſui anno eodem.

40. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Dudum per Nos accepto* - X. Decembris Pontificatus ſui annn VII.

41. Aliæ ejusdem Leonis Incipientes - *Affectu benevolentia* - XI. Decembris Pontificatus ſui anoo VIII.

42. Aliæ ejusdem Leonis incipientes - *Etſi pro injuncta* - X. Januarii Pootificstus ſui anoo IX.

43. Aliæ Adriani VI. incipientes - *Exponi Nobis* - X. Msji Pontificatus ſui anno I.

44. Aliæ Clementis VII. incipientes - *Dum fructus uberes* - XXX. Msji Pontificatus ſui anno II.

45. Aliæ ejusdem Clementis iocipientes - *Dum conſideramus* - XVII. Aprilis Pontificatus ſui sono III.

46. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Cum ſicut Nobis* - XXVIII. Januarii Pontificatus ſui snno VII.

47. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Vacantibus ſub Religionis* - XIX. Septembris Pnotificatus ſui anno VII.

48. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Accepimus quod* - XX. Martii Pontificatus ſui annn VIII.

49. Aliæ Psuli III. incipientes - *Altitudo divini* - Kalendis Junii Pontificatus ſui anno III.

50. Aliæ ejusdem Pauli incipientes - *Dudum ſiquidem* - XIV. Janosrii Pontificatus ſui anno V.

51. Aliæ ejusdem Pauli incipieotes - *Dudum Felicis* - XVII. Aprilis Pootificatus ſui anno VI.

52. Aliæ ejosdem Psuli ſimiliter incipientes - *Dudum Felicis* - XXXI. Martii Pontificatus ſui anno X.

53. Aliæ ejusdem Pauli incipientes - *Solet Romanus Pontifex* - XIX. Auguſti Pontificatus ſui anno XII.

54. Aliæ ejusdem Pauli iocipientes - *Cum ſicut accepimus* - XVII. Msji Pootifiestus ſui anno XIII.

55. Aliæ Julii III. incipientes - *Paſtoralis Officii* - pridie Nonas Octobris Pnntificatus ſui anno IV.

56. Aliæ Psuli IV. incipientes - *Ex clementi Sedis* - I. Julii Pontificatus ſui aooo I.

57. Aliæ Pii IV. incipientes ſimiliter - *Ex clementi Sedis* - XXVII. Aprilis Pontificatus ſui anoo II.

58. Aliæ B. Pii V. incipientes - *Dum ad Uberes* - XXIX. Julii Pontificatus ſui anno I.

59. Aliæ ejusdem B. Pii incipientes - *Etſi Mendicantium* - XVII. Kalendas Jolii Pontificatus ſui anno II.

60. Aliæ ejusdem B. Pii incipientes - *Ex ſuperna* - XVII. Kalendas Septembris Pontificatus ſui anno eodem.

61. Aliæ ejusdem B. Pii Incipientes - *Ea eſt officii Noſtri ratio* - V. Nonas Julii Pontificatus ſui anno III.

62. Aliæ ejusdem B. Pii incipientes - *Romani Pontificis* - XIX. Julii Pontificatus ſui anno VI.

63. Aliæ Gregorii XIII. incipientes - *Conſuevit Romanus Pontifex* - VIII. Septembris Pontificatus ſui anno II.

64. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Quoniam noſtro* - VIII. Aprilis Pontificatus ſui anno III.

65. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Paſtoralis Officii* - XXII. Martii Pontificatus ſui anno IX.

66. Aliæ ejusdem Gregorii incipientes - *Significaſti Nobis* - XXII. Decembris Pontificatus ſui anno XIII.

67. Aliæ Sixti V. incipientes - *Etſi Mendicantium* - III. Octobris Pontificatus ſui anno III.

68. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *Romani Pontificis Providentia* - XXIX. Martii Pontificatus ſui anno eodem.

69. Aliæ ejusdem Sixti incipientes - *De ſalute Gregis* - VIII. Novembris Pontificatus ſui anno II.

70. Aliæ Clementis VIII. incipientes - *Cum ſicut* - X. Maji Pontificatus ſui anno IX.

71. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Viſo Memoriali* - XXV. Januarii Pontificatus ſui anno XI.

72. Aliæ ejusdem Clementis Incipientes - *Licet in Sacro* - XII. Januarii Pontificatus ſui anno XIII.

73. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Expoſitum Nobis* - XXVIII. Januarii Pontificatus ſui anno eodem.

74. Aliæ ejusdem Clementis incipientes - *Quæcumque à Sede* - VII. Decembris Pontificatus ſui anno eodem.

75. Aliæ Pauli V. incipientes - *Expoſitum Nobis* - XXV. Junii Pontificatus ſui anno IV.

76. Aliæ ejusdem Pauli incipientes - *Cum inter Fratres* - XX. Novembris Pontificatus ſui anno XI.

77. Aliæ ejusdem Pauli incipientes - *Pro parte* - III. Junii Pontificatus ſui anno XIII.

78. Aliæ ejusdem Pauli incipientes - *Congregatio Sacrorum* - XXIII. Martii Pontificatus ſui anno XV.

79. Aliæ Gregorii XV. incipientes - *Cum alias* - XVII. Auguſti Pontificatus ſui anno I.

80. Aliæ Urbani VIII. incipientes - *Romanus Pontifex* - XV. Martii Pontificatus ſui anno I.

81. Aliæ ejusdem Urbani Incipientes - *Aliàs à felicis recordationis* - VII. Februarii Pontificatus ſui anno II.

82. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Cum ſicut Dilectus* - XXX. Junii Pontificatus ſui anno eodem.

83. Aliæ ejusdem Urbani incipientes ſimiliter - *Cum ſicut* - eisdem die, & anno.

84. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Exponi Nobis* - VIII. Auguſti Pontificatus ſui anno III.

85. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Expoſitum Nobis* - XIX. Februarii Pontificatus ſui anno V.

86. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Ex incumbentis* - IX. Januarii Pontificatus ſui anno VII.

87. Aliæ ejusdem Urbani Incipientes - *Cum Procurator* - XXII. Martii Pontificatus ſui anno IX.

88. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Exponi Nobis* - XII. Julii Pontificatus ſui anno eodem.

89. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Cum ſicut* - II. Martii Pontificatus ſui anno XV.

90. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Exponi Nobis* - XXVIII. Julii Pontificatus ſui anno eodem.

91. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Alias poſtquam* - IX. Decembris Pontificatus ſui anno XVII.

92. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Sacra Congregatio* - XXIX. Januarii Pontificatus ſui anno XVIII.

93. Aliæ ejusdem Urbani ſimiliter incipientes - *Sacra Congregatio* - X. Septembris Pontificatus ſui anno eodem.

94. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Juſtis ac Honeſtis* - III. Maji Pontificatus ſui anno XX.

95. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Sacra Congregatio* - eisdem die, & anno.

96. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Aliàs à Nobis* - X. Junii Pontificatus ſui anno eodem.

97. Aliæ ejusdem Urbani incipientes - *Cum ſicut* - XVII. Novembris Pontificatus ſui anno eodem.

98. Aliæ Innocentii X. incipientes - *Aliàs pro executione* - XXVII. Martii Pontificatus ſui anno III.

99. Aliæ ejusdem Innocentii incipientes - *Sacra Congregatio* - XV. Decembris Pontificatus ſui anno eodem.

100. Aliæ Alexandri VII. incipientes - *Cum ſicut* - XI. Junii Pontificatus ſui anno V.

101. Aliæ ejusdem Alexandri incipientes - *Aliàs pro parte* - XXII. Junii Pontificatus ſui anno IX.

102. Aliæ Clementis X. incipientes - *Exponi*

poni Nobis-XXIII. Septembris Pontificatus ſui anno VI.

103. Aliæ Innocentii XI. incipientes-*Nuper à Congregatione*-XXVI. Novembris Pontificatus ſui anno III.

104. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes-*Exponi Nobis* - XXVII. Novembris Pontificatus ſui anno IV.

105. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes-*Aliàs ad ſupplicationem* - XVI. Septembris Pontificatus ſui anno IX.

106. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes-*Aliàs pro parte* - XVI. Junii Pontificatus ſui anno X.

107. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes - *Exponi Nobis* - XVI. Octobris Pontificatus ſui anno eodem.

108. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes ſimiliter - *Exponi Nobis* - X. Februarii Pontificatus ſui anno XII.

109. Aliæ ejuſdem Innocentii ſimiliter incipientes - *Exponi Nobis* - X. Aprilis Pontificatus ſui anno eodem.

110. Aliæ Innocentii XII. felicis recordationis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum incipientes - *Chriſti fidelium* - XIV. Kalendas Martii Pontificatus ſui anno III.

111. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes - *Nuper pro parte* - VII. Aprilis Pontificatus ſui anno eodem.

112. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes - *Debitum* - XIX. Maii Pontificatus ſui anno eodem.

113. Aliæ ejuſdem Innocentii incipientes - *Aliàs à felicis Memoria* - V. Decembris Pontificatus ſui anno VI. reſpectivè expeditæ.

Quum autem, ſicut eadem petitio continebat iidem Fratres Minores de Obſervantia Apoſtolicas largitiones, tam ante literas ſel. mem. Leonis X. anteceſſoris Noſtri incipientes - *Ite, & Vos* - Univerſo Ordini Beati Franciſci, quàm poſt Leonem ad hæc uſque tempora iiſdem Fratribus de Obſervantia, Beatæ Claræ, & Tertio de Pœnitentia Ordinibus, collata Privilegia illæſa, & ſarta tecta tueri optent, memoria repetentes per Sedem Apoſtolicam ſemel conceſſa licèt ſæpenumerò approbata, & confirmata, ſi denuò Apoſtolicæ auctoritatis præſidio fulciantur in ſuo robore magis perſiſtere, & maximum pondus apud omnes Chriſti fideles obtinere, propterea iidem Fratres Minores de Obſervantia prædictas literas Apoſtolicas Noſtra Auctoritate approbari, confirmari, & innovari cupientes per eundem Joſephum Mariam Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut dicti Ordinis Minorum ſtabilitati, & decori juxtà eorum vota conſulere, deque Apoſtolica benignitate providere, ut in aliis jam fecimus, dignaremur,

IV. *Apoſtolicas Literas in favorem Ordinis Minorum nuper à ſe expeditas commemorat.*

De Exemptione à Gabellis.

114. Dudum enim per quaſdam literas Noſtras IV. Idus Decembris 1725. incipientes -*Sollicitudo Eccleſiæ*- inter alia ſuperius indicatam Conſtitutionem Pii Papæ V. cujus initium - *Dum ad uberes* - qua Ordines Regulares Mendicantium utriuſque ſexus, eorumque eorum à quibuſcumque exactionibus, & vectigalibus eximuntur de verbo ad verbum inſertam confirmavimus, & Ordinem Fratrum Minorum Regularis, & ſtrictioris Obſervantiæ inter quatuor Mendicantium Ordines comprehenſum, ideóque privilegiis in eadem Conſtitutione expreſſis gaudere declarantes, illum ab omnium vectigalium onere, & literarum ſolutione, præſertim in dominiis S.R.E. perpetuò eximimus, aliiſque gratiis Apoſtolicis cumulavimus.

De plena in Tertiarios Juriſdictione.

115. Per alias etiam literas Noſtras Romæ datae apud Sanctum Petrum anno 1725. IV. Idus Decembris Pontificatus Noſtri anno II. incipientes - *Paterna Sedis Apoſtolicæ* - alias literas, & privilegia à Romanis Pontificibus anteceſſoribus Noſtris in Tertiarios quoſcumque, eorumque Ordinem quomodolibet collata, ipſoſque Tertiarios habitum pœnitentiæ à Fratribus Minoribus de Obſervantia ſumentes, & ab eis dependentes omnimodæ Juriſdictioni, & regimini Superiorum Generalium denuò ſubjecimus, & commendavimus.

De Præcedentia ſuper Reformatos quoſcumque.

116. Ad hæc per alias literas Noſtras ſub annulo Piſcatoris Romæ pariter datas apud Sanctum Petrum die XIV. Februarii 1726. Pontificatus Noſtri anno II. incipientes - *Paſtoralis Officii* - Statuimus, & ordinavimus, ut Fratres Minores de Obſervantia ubique terrarum tam in Proceſſionibus quàm in publicis, & privatis actibus, & functionibus ſuper omnes Fratres Reformatos Miniſtro generali totius Ordinis Minorum ſubjectos præcedentia gauderent.

De erectione Archiconfraternitatis Conceptionis Immaculatæ in Eccleſiis Ordinis.

117. Mox per alias Romæ datas apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1727. Kalendis Martii Pontificatus Noſtri anno III. incipientes - *Ex quo Sedes Apoſtolica* - conceſſimus, & indulſimus, ut in Eccleſia BEATÆ MARIÆ DE ARACÆLI de Urbe Conventus eorumdem Fratrum Minorum Obſervantium Archiconfraternitas Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ institueretur, cui aliæ quæcumque Confraternitates aggregari poſſent cum Nonnullis Indulgentiis in iiſdem literis latiùs adductis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus.

De Altaribus Privilegiatis perpetuis in Ordinis Eccleſiis.

118. Præterea Eccleſiis Miniſtro generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum ſubjectis Indulgentias Altaris Privilegiati ſub nonnullis modis, & formis conceſſimus, ut in Decreto ea de re die XIV. Decembris anni 1725. vulgato pleniùs continetur.

De Privilegiorum Terræ Sanctæ Confirmatione, & Exercitii Viæ Crucis approbatione.

119. Hodie verò per literas incipientes -*Loca Sancta*- Indulgentias, & Privilegia quæcumque ad loca Sancta Paleſtinæ accedentibus, & Guardiano, & Fratribus Minoribus de Obſervantia ibidem morantibus, & exercitium Viæ Crucis in Eccleſiis eorumdem Fra-
(a) trum peragentibus antea conceſſa, (a)
120 Noſtris quoque literis incipientibus - *Inter plurima*- approbavimus, confirmavimus, extendimus, & ampliavimus, ut in iisdem Noſtris literis hodie confectis latiùs exprimitur.

V. *Præmiſſa omnia ampliſſime confirmat, & approbat. Poſſe extra tempora Ordinari declarat. Communicationem Privilegiorum cum FF. Prædicatoribus antea conceſſam confirmat, & cum Ordine S. Benedicti, & Societate Jeſu expreſſe concedit.*

Quare eidem Joſepho Mariæ ſpecialem gratiam facere volentes & à quibusvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, approbationes jam dictas, explicationes, declarationes, exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, Indulgentias etiam Plenarias, & animabus in Chriſti charitate defunctorum applicabiles, peccatorum remiſſiones, abſolutiones, privilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam, quoad ſuſceptionem Sacrorum Ordinum extra tempora à jure ſtatuta abſque exhibitione literarum Apoſtolicarum in forma Brevis, ſed vigore privilegiorum per Apoſtolicam Sedem, vel expreſſè, vel per viam communicationis regularibus conceſſorum, ut noper à Nobis ipſis in Concilio Lateranenſi, & per Congregationem particularem decre-
(b) tum eſt; (b) aliasque gratias per mo-
121 dum etiam communicationis, & extenſionis cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium præſertim S. Benedicti, ac, quem Nos profeſſi ſumus, Ordinis Prædicatorum, necnon Societatis Jeſu; item Sanctiones, Ordinationes, Decreta, Moderationes, Conſtitutiones tam in Univerſi Ordinis Beati Franciſci ſub Fratrum Minorum tantum, aut ſub alia quacumque denominatione, quæ hic pro expreſſa habeatur; quàm in eorumdem Fratrum Minorum Obſervantium, Beatæ Claræ, & Tertii de Pœnitentia Ordinum, quorum privilegiorum confirmatio per Nos facta ſalva, & illæſa perſiſtat etiam quoad Superiores, Fratres, Moniales Sorores eorumdem trium Ordinum, perſonasque quascumque, & Procuratores, & Syndicos quorumvis Conventuum, ipſosque Conventus, Monaſteria, Domus Regulares, Eccleſias; & alia loca, etiam quoad ritum celebrationis Miſſarum, recitationis horarum Canonicarum, & aliarum precum, ac feſta Sanctorum Ordinis Minorum.

VI *Confirmatio generalis omnium Privilegiorum Ordinis etiam hic non expreſſorum in iisque pacificum ſtatum aliorum Ordinum ſecundæ, & tertiæ Regulæ non perturbant.*

Confirmamus etiam ſuperiùs memoratas literas Apoſtolicas, in iis quæ præſentem ſtatum pacificum aliorum Ordinum Beati Franciſci nulla in re perturbant, & præcipuè literas Apoſtolicas prædictorum Anteceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum, & alias quascumque Apoſtolicas literas quomodocumque editas, atque vulgatas, dummodò earum exiſtentia legitimè, & validè comprobetur, etiamſi eædem literæ ſæpius conceſſæ fuiſſent, quas omnes, & ſingulas inque iis contenta quæcumque, atque inde poſtea legitimè deducta pariter confirmamus una cum reſcriptis per Venerabiles Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales inde confectis in favorem dictorum Fratrum; volentes, ut hic pro ſufficienter expreſſis, atque inſertis tenores eorumdem reſcriptorum, & literarum cum omnibus clauſulis, decretis, & derogationibus ſuis habeantur.

VII. *Nonnulla Decreta favore Syndicorum edita, expreſſa approbat.*

Una cum his præterea confirmamus duo alia decreta per eosdem Venerabiles Fratres S.R.E. Cardinales Immunitati Eccleſiaſticæ tuendæ præpoſitos, quorum prius editum eſt
die X. Maii 1669. (c) quo Procuratores. (c)
& Syndicos Fratrum Minorum de Obſervan- 122
tia ex literis Apoſtolicis fel. mem. Anteceſſoris Noſtri Clementis Papæ VII. gaudere declarantur privilegio Fori in Cauſis Civilibus Criminalibus & mixtis, nec poſſe compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec ab ullo moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore. Alterum verò die XIV. Januarii 1698.
vulgatum, (d) quo Agentes Monaſterio- (d)
rum Monialium Ordinis Beatæ Claræ exem- 123
pti dicuntur à repreſaliis.

Confirmamus item declarationem S.R.E. Cardinalium Bono Regimini Præpoſitorum
die XXIV. Januarii 1599. factam, (e) (e)
quà ſinguli Apoſtolici Syndici pro ſingulis 124
Conventibus Fratrum Minorum Obſervantium legitimè deputati à ſolutione Collectarum

Digitized by Google

tum in oneribus Communitatum exempti eſſe ſtatuuntur.

VIII. *Quacumque alia Decreta favore Trium Ordinum Beati Franciſci emanata, & literas omnes Prædeceſſorum quamvis revocatas innovat, & denuo concedit, dummodo Conc. Trid. non adverſentur.*

Demum confirmamos, & perpetuò approbamua qoæcumque alia Decreta, Apoſtolicaſque declarationes per eoſdem S. R. E. Cardinales quandocumque, & qoomodocumqoe vulgatas pro Fratribus Minoribus Obſervantibua, & Beatæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia Ordinibus, dummodò ejusmodi literæ, & declarationes Concilii Tridentini decretiá noo adverſentur: In plenam etiam obſervantiam, priſtinom, & validiſſimum ſtatum reſtituimua, revocamua ionovamus omnia, & ſingula præmiſſa, & quatenus opus eſt ea omnia denuò concedimus, & indulgemus, illiaqoe perpetuæ, & inviolabilia Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſiogulos juris, aut facti quarumcumque ſolemnitatum de jure, uſu, conſuetudine, aut alias quomodolibet requiſitarum, ac in præmiſſis fortaſsè omiſſarum, nec noo quoſcumque alios quantumvis ſubſtantiales defactus, ſi qui forſan quomodolibet reperirentur, auctoritate Noſtra ſopplemus.

IX. *Clauſula præſervativa harum literarum.*

Volomus autem præſentes Noſtras Literas, & io eis, ut dictum eſt, contenta quæcumqoe, ſemper validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque totos plenarios, & integros effectos ſortiri, & obtioere, & ab omnibus, & ſiogulis, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & in futurum ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, neque ullo unquam tempore ex quocumque capite etiam in corpore juris expreſſo, aut ex qualibet cauſa, quantumvis pia, legitima, privilegiata, & juridica, ex eo etiam quod quicumque in præmiſſia, & circa ea quomodolibet ex qualibet caoſa, ratione, actione, vel occaſione jus, aut intereſſe habentes, vel ſe habere prætendentes illis non conſenſerint, nec ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & cauſæ, propter quas eædem præſentes literæ prodierint, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, ſeoinvaliditatis vitio, vel intentionis Noſtræ, aut quolibet alio quantumvis magno, ſubſtantiali, inexcogitato, ac ſpecificam, & individuam mentiooem requirente defectu, ſive etiam ex eo quod in præmiſſia, eorumve aliquo ſolemoitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta oon forent, aut ex quocumque alio colore, prætextu, ratione, aliave cauſa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda eſſet, ootari, invalidari, retractari, limitari, infringi, reſtringi, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos Juris reduci non poſſiot, & nemo contra eas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliod quodcumque facti, vel gratiæ remedium impetrare, ſeu quomodolibet etiam motu proprio conceſſo uti, vel ſe juvare in judicio, vel extra illud valeat, oec eaſdem præſentes ſob quibusvis ſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus per Nos etiam, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, etiam die proxima poſt eorum aſſumptionem, vel aliàs motu ſimili, & Conſiſtorialiter etiamſi de his Noſtris præſentibus ſpecialis mentio fieret, pro tempore factis, & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe volumus, & quotieſcumque illæ emanabunt toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac denuò etiam ſub quacumque poſteriori data cooceſſas eſſe, & fore decernimus.

X. *Decretum irritans.*

Sicque, & noo aliàs per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavia Auctoritate fungentea, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios Judicari, & definiri debere volumus; quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XI. *Cardinalis Protector Ordinis, vel etiam Auditor Cameræ eas faciant inviolabiliter obſervari.*

Quo circa Dilectis Filiis Noſtro dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Cardinali Protectori, nunc, & pro tempore exiſtenti, ſeu in illius abſentia, vel defectu alteri ex parte S. R. E. Cardinalibus munus Protectoris hujusmodi gerenti, ac Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per eaſdem præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opoa fuerit, & quotias deſuper fueriot requiſiti ſolemniter publicaotes, faciant Auctoritate Noſtra plenum eorum effectum ſortiri, illiſque omnes, quoa concernunt pacificè frui, & gaudere, noo permittentes quemquam contra præſentium tenorem ſuper his quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri, contradictores quoslibet, & rebelles per Senteotias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & Facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper hia habendis ſervatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii Secularis.

XII. *Clauſ.*

XII. *Clauſula derogatoria.*

Non obſtantibus Noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis de non tollendo jure quæſito, & Conſtitutione fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris Noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant, ac in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque quibusvis in contrarium præmiſſorum forſan quomodolibet editis, vel edendis ſpecialibus, vel Generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Capitularibus dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Nuncupatorum etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuscumque tenoribus, & formis per Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & Nos ipſos, & Sedem prædictam cum quibusvis irritativis, annullativis, caſſativis, revocativis, modificativis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogativis, aliisque efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie etiam motu pari, et Conſiſtorialiter, aut aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium eorumdem præmiſſorum conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuscumque.

XIII. *Harum exemplis omnimoda fides habeatur.*

Volúmus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis manu alicujus ex Secretariis Miniſtri, vel Commiſſarii generalis Ordinis eorumdem Fratrum de Obſervantia, ſeu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Officii ejusdem Miniſtri, vel Commiſſarii, aut Procuratoris generalis ipſius Ordinis, vel alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

XIV. *Nemo hanc Conſtitutionem infringere audeat.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, novæ conceſſionis, roboris, adjectionis, defectuum ſuppletionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſo temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo Septingenteſimo vigeſimo ſeptimo quinto Nonas Aprilis. Pontificatus Noſtri anno III.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Viſa de Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Loco † Plumbi.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Obſerva 1. Præſentem Bullam non in ge- 27
nere tantùm nobis noſtra reſtituere privilegia, ſed novi Pontificis gratiâ planè in ſpecie, ſeu in forma ſpecifica, prout initia adductarum Bullarum à variis Pontificibus editarum oſtendunt, denuo nobis ea concedere & innovare, dummodo Concilio Tridentino non adverſentur; quare hâc in formâ ſpecificâ renovata ubique, & in omnibus ſuum ſortiri debent effectum, & in omni & optimo juris vigore valere. Quæ autem in ſpecie ſint illa privilegia, & exemptiones? proſciendi cupidis ſuccinctè ea ex adductis Bullis excerpta recenſere volui.

Obſerva 2. Me non potuiſſe quidem o- 28
mnia omnino privilegia nobis confirmata hac in doctionis ſeriè accuratè adducere; cùm non omnes omnino Bullae in illa Benedictina ſpecificatas inſpicere licuerit. Quamvis enim omnem adhibuerim conatum Bullas illas ex diverſis Regeſtis etiam Romanis mihi adſciſcendi, idque multiplicibus litteris expetierim, omnibus tamen potiri haud poſſibile fuit; quare ſolùm illas, quas in authoribus, quos ad manus habui, reperi, inſpexi, ex eisque ſuccinctos quosdam privilegiorum noſtrorum extractos deſumpſi, & privilegis ipſa pro eruditione ea ſcire deſiderantium hic ſubnectere volui. Licet ergo non omnia adduxerim: recenſuero tamen plurima & quidem principaliora; reliqua enim facilè in his contenta delibari, atque ex illis divinari poterunt, vel in alio authore, qui Bullas illas omnes in uno Codice congeſſerit, perlegi. Imò conſpici poterunt multò plura adhuc alis privilegis ordini noſtro conceſſa in aliis litteris Apoſtolicis hac in Benedictina non quidem confirmatis, attamen in quantum Tridentino non contrariis, ſemper in ſuo vigore ſubſiſtentibus; ex qua eadem ratione nec adeo reprehendendum erit, ſi fortaſſis

taſſis unam vel alteram Bullam pro alia ex errore datæ vel anni minus cum originali ſuo correſpondentis adduxero, dummodo Tridentino non contradixerit. Pro quibus & ſimilibus gratiarum Apoſtolicarum Brevibus etiam lectorem ad alios Authores remitto. Hic autem eas indicabo Bullas, quas tempore editionis Theologiæ meæ inſpicere nequivi, ideóque alibi quærendas fore.

28 1. Bulla: *Quia populares.* Honorii III. concedit Fratribus Minoribus, cùm ſint amantes ſecretorum receſſuum, quòd poſſint cum Altari viatico ſeu portatili in ſuis locis & Oratoriis Divina celebrare, ut habet tenor verborum Bullæ: *Authoritate præſentium veſtris inclinati precibus indulgemus, ut in locis & Oratoriis veſtris cum Altari viatico poſſitis Miſſarum ſolemnia & alia Divina officia celebrare.* Hæc Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum Beatiſſimi Patris noſtri Franciſci.

2. Bulla: *Cùm illorum.* Gregorii IX. concedit Fratribus de pœnitentia, poſſe tempore interdicti audire Divina, ut ſonant verba Bullæ: *Mandamus, quatenus vos eos* (Fratres de pœnitentia) *in Eccleſiis veſtris, in quibus à Sede Apoſtolica eſt conceſſum generaliter tempore interdicti hujusmodi, dummodo ipſi cauſam interdicto non dederint, ad Divina officia, quæ ſuppreſſa voce, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, januis clauſis celebrantur, & ad alia Eccleſiaſtica Sacramenta, nec non ad ſepulturam Eccleſiaſticam admittatis.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci.

3. Bulla: *Devotionis veſtræ.* Gregorii IX. concedit Fratribus Minoribus tempore generalis interdicti, clauſis januis, ſubmiſſa voce, poſſe Divina clebrare. Tenor verborum eſt in Mari magno Sixti IV. pariter confirmato, ut videbitur in Bulla 20. plenius adducenda. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio. Tom. 1.

4. Bulla: *Ad audientiam.* Gregorii IX. mandat, ut mulieres discalceatæ cum habitu Regulari non circumeant, ſecùs ad deponendum ipſum per Diœceſanos compellantur. Tenor Bullæ eſt: *Ad audientiam noſtram noveritis perveniſſe, quod nonnullæ mulieres per civitates veſtras & Diœceſes - - - - discalceatæ vadunt - - - - - mandamus, quatenus mulieres ipſas ad abjiciendum cum ejuſdem cingulis & chordulis hujusmodi habitum monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam, cum ſuper hoc requiſiti fueritis, appellatione poſtpoſita compellatis.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci. Et apud Rodericum in collect. privil. &c.

5. Bulla: *Quia confuſio.* Gregorii IX. inhibet, ne quis deferat habitum Fratrum Minorum, neque ei ſimilem, niſi fuerit ejuſdem Ordinis, aliàs ad deponendum eum per Diœceſanos compellendus eſt, tenor Bullæ: *Inhibemus, ut nulli, ſive ſit in Religionis Ordine vel extra Ordinem conſtitutus, habitum veſtrum aut ita conſimilem, quapropter cum Frater Minor credi poſſit, deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali &c.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci.

6. Bulla: *Ut in veſtris.* Alexandri IV. concedit Servitiales domeſticos Fratrum Minorum, negotiorúmque ſuorum procuratores & operarios non ligari cenſuris, poſſéque audire Divina tempore interdicti. Tenor Bullæ: *Quod ſi quando in perſonas vel terras, in quibus reſidetis, excommunicationis vel interdicti ſententiam contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorúmque veſtrorum procuratores & operarii, qui in veſtris locis, eorúmque operibus perſonaliter conſtituti inſtiterint, hujusmodi ſententiis obnoxii nullatenus habeantur, ibique poſſint audire Divina juxta formam, quæ in locis ipſis, in eo caſu à Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter ſeu interdici contingat eosdem, auctoritate vobis præſentium indulgemus.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

7. Bulla: *Convenit ut Sacer.* Alexandri IV. concedit Prælatis Ordinis Minorum poſſe quibuscunque Pontificibus ordinandos fratres præſentare. Tenor Bullæ: *Liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis, quibuscunque malueritis, Catholicis Pontificibus communionem & gratiam prædictæ Sedis habentibus præſentare; ipsíſque Pontificibus præſentatos à vobis Fratres ſine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione & obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere.* Bulla habetur apud Rodericum in collact. privileg. Nota hanc Bullam non eſſe contra Tridentinũ Seſſ. 23. cum Pius V. poſt Concilium Tridentinum per ſpecialem Bullam: *Etſi Mendicantium.* de novo confirmatam, ut videbitur infra in Bulla 59. expreſſe declaret, Tridentinum Seſſ. 23. in Regularibus locum non habere.

8. Bulla: *Mente ſolicita:* Alexandri IV. decernit conventiones & pacta in præjudicium Ordinis facta eſſe irrita. Tenor Bullæ. *Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati compoſitiones, & obligationes & pacta omnia, quocunque nomine cenſeantur, quæ ſuper præmiſſis abſque tua & dictorum Miniſtrorum Provincialium licentia & aſſenſu contra hujusmodi prædicti Ordinis ſtatutum & conſuetudinem taliter inita eſſe noſcuntur, cum ſint temeraria, penitus & indigna, præſentium auctoritate irrita decernimus, & nullius exiſtere firmitatis, ac Miniſtros, Guardianos, Cuſtodes, & Fratres eosdem ad obſervantiam eorum non teneri.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

9. Bulla: *Exultantes:* Martini IV. concedit facultatem Miniſtris & Cuſtodibus Ordinis nominandi procuratores & Syndicos

Apoſtolicos ſive adminiſtratores Papæ & Eccleſiæ Romanæ pro ſingulorum indigentia locorum. Tenor Bullæ: *Perſonas ſpeciales, quæ non ſint de ipſo ordine nominandi pro locorum indigentia ſingulorum, quas perſonas per vos taliter nominatas in his adminiſtrationem legitimam generalem & liberalem gerere, & ipſos veros & legitimos adminiſtratores, œconomos, ſyndicos & actores Eccleſiæ de plenitudine poteſtatis præſentium auctoritate conſtituendo decernimus: qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium & dictas eleemoſynas nomine ipſius Eccleſiæ recipiant per eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates, prout eis licet ex Regula & declaratione Regulæ convertendas, ſicut & quando à te fili Generalis vel ſingulis aliis veſtrum in provincia vel cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu veſtro extiterint requiſiti, ac eadem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, tranſigendi quoque & paciſcendi, conveniendi, compromittendi, remittendi, refutandi quitationem, faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius juramentum præſtandi - - - & generaliter in omnibus cauſis pro rebus & locis hujusmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus ipſorum Fratrum uſui conceſſis, nec non pro immunitatibus, libertatibus & juribus ac privilegiis eorundem, ſive cujuslibet ſatisdationis & cautionis onere plenam & generalem & liberam habeant auctoritate Apoſtolica in judicio & extra judicium poteſtatem, revocandi quoque perſonas eaſdem & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi vel nominandi per ſupra dictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, qui eandem in prædictis vel ſimilem habeant poteſtatem plenam & liberam concedimus auctoritate præſentium facultatem.* Bulla habetur in firmamentis S. P. Franciſci.

10. Bulla. *Quia nonnulli.* Nicolai IV. declarat Fratres Minores & eorum bona eſſe immediatè ſubjecta juriſdictioni Sedis Apoſtolicæ & exempta ab Ordinariis. Tenor Bullæ: *Decernentes vos & eundem Ordinem immediatè Sedi ſubjacere dictæ* (Apoſtolicæ) *Eccleſias verò & Oratoria, domos, loca, & libros, & utenſilia, & alia mobilia, quorum uſum habeatis ex licito, cum cæteris quocunque modo pertinentibus ad prædicta & aliquod prædictorum in jus & proprietatem Beati Petri Apoſtolica auctoritate ſuſcipimus - - - præterea Eccleſias, Oratoria, domos, & loca prædicta, quæ tenetis & inhabitatis, & tenebitis & inhabitabitis in futurum; dum & quoties illa vos tenere & inhabitare contigerit eſſe omnino exempta decernimus, nullóque medio Sedi memoratæ ſubeſſe.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

11. Bulla. *Inter cæteros.* Bonifacii VIII. concedit noſtro Ordini exemptionem, eum Sedi Apoſtolicæ ſubmittens, recipiendo in ſe proprietatem, jus & dominium omnium rerum mobilium & immobilium Ordini conceſſarum. Tenor Bullæ: *Nos tamen Ordinem ipſum ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus fidelium provenire gerentes in viſceribus charitatis, & propterea volentes omnino, ut quiscunque cujuscunque ſit Ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatûs vos generaliter aut ſpecialiter ac præfatum Ordinem ſuper exemptionem ipſius ac aliis veſtri Ordinis libertatibus & immunitatibus quibuscunque ſub quavis forma vel expreſſione verborum vobis & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis impugnare, turbare & impetere valeat, vel quomodolibet moleſtare vos & Ordinem ipſum ab omnium & ſingulorum quorumlibet Prælatorum & perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate juriſdictione prorsùs eximimus de Apoſtolica plenitudine poteſtatis - - - præterea Eccleſias, Oratoria, domos, loca, libros, utenſilia & alia qualibet mobilia & immobilia, quorum uſum licitum habere noſcimini cum cæteris omnibus quocunque modo vel quâvis causâ pertinentibus ad prædicta & ad aliquid prædictorum in jus & proprietatem Beati Petri auctoritate Apoſtolica ſuſcipimus in perpetuum valitura, illis ex eis duntaxat exceptis in quibus evidenter & expreſſè donatores ſeu tranſlatores ſibi proprietatem & dominium conſtiterit reſervaſſe, Eccleſias inſuper & Oratoria, domos, & loca prædicta, quæ tenetis & inhabitatis ad præſens, & tenebitis & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illas tenere & inhabitare contigerit exemptos prorsùs exiſtere nullóque medio Sedi ſubeſſe decernimus prælibatæ.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci.

12. Bulla. *Ad ſtatum ſingulorum:* Eugenii IV. concedit omnimodam auctoritatem Generali Miniſtro pro vera reformatione monaſteriorum Ordinis S. Claræ. Tenor Bullæ: *Tibi omnia & ſingula hujusmodi monaſteria eorúmque perſonas tam in capite quàm in membris auctoritate noſtra viſitandi, ac ea de quibus tibi videtur apta monaſteria ſub debita clauſura ponendi: nec non ipſorum Abbatiſſas ſecundùm demerita earum deponendi, & alias de novo inſtituendi & deſtituendi, Moniales quoque cum rebus & bonis ſuis de uno monaſterio ad aliud transferendi; bona inſuper unius monaſterii ad aliud applicandi, & omnia alia & ſingula agendi, faciendi & ſtatuendi, quod in ipſis monaſteriis ſecundùm Deum pro earundem & hujusmodi perſonarum ſtatu, utilitate, reformatione & quiete, ac Divini cultûs obſervantia de Concilio tamen & aſſenſu diſcretorum correctionis & reformationis officio noveris indigere - - - plenam & liberam auctoritate Apoſtolica tenere præſentium facultatem concedimus & etiam poteſtatem.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci.

13. Bulla. *Licet Romanus Pontifex:* Eugenii IV. concedit Monialibus S. Claræ exemptionem

ptionem monaſteriorum earum ab omnibus Legatis Apoſtolicis & Ordinariis & decimis ac ſubſidiis charitativis, aliiſque gabellis & gravaminibus & ſubjectionem illarum immediatè Sedi Apoſtolicæ & Prælatis Ordinis. Tenor Bullæ: *Nos igitur, qui ad eosdem Fratrum Minorum & S. Claræ Ordines ſpecialem gerimus devotionis affectum piæ memoriæ Nicolai III. Bonifacii VIII. Joannis XXII. Clementis III. Alexandri IV. & Benedicti XI. Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes earum Abbatiſſarum & Conventuum, nec non dicti filii Gulielmi de Caſoli ejuſdem Fratrum Ordinis Minorum Generalis Miniſtri Sacræ Paginæ Profeſſoris nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut in eiſdem monaſteriis eò devotis laudibus intendatur, quò perſonæ in illis vacantis ſtudio piæ vitæ potiori fuerint immunitatis privilegio communita, Abbatiſſas, Conventus, Moniales, Monaſteria, atque loca hujuſmodi cum omnibus juribus, pertinentiis; ac bonis eorundem mobilibus & immobilibus, quibuſcunque tam præſentibus, quàm futuris ab omni juriſdictione, dominio, poteſtate, quorumcunque Legatorum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Nuntiorum, & aliorum quorumcunque Judicum ad inſtar præfatorum Pontificum conceſſorum privilegiorum, quæ hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, auctoritate Apoſtolica, & certâ ſcientiâ, tenore præſentium prorſus eximimus; & perpetuò liberamus; ac ſub Beati Petri & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus quinimò Abbatiſſas, Conventus, & Moniales eaſdem cum earum Monaſteriis, ac locis, perpetuo exemptas eſſe volumus immunes & liberas ab omni decimarum, ſubſidiorum, gabellarum, pedagiorum, fructuumque, & aliorum hujuſmodi ſolutione, contributione, reſponſione & aliis quibuſcunque.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

14. Bulla. *Quia nonnulli.* Nicolai V. eximit Fratres & eorum bona à quacunque juriſdictione prout ſupra Nicolaus IV. & Bonifacius VIII. Bulla habetur in Archivio Aracælitano teſte P. de Alva in indiculo Bullarii Seraphici.

15. Bulla. *Etſi cunctorum.* Nicolai V. confert exemptionem ab Ordinariis, & auctoritatem Generali ſuper Ordinem, ac correctionem & punitionem Fratrum etiam auctoritate Apoſtolica exemptorum. Tenor Bullæ: *Statuimus & mandamus; quòd nulla perſona cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs; vel conditionis exiſtat, de cætero eoſdem Fratres moleſtare, capere, perturbare, carcerare, vel de eorum domibus antedictis expellere quoquomodo præſumat - - - & nihilominus, ne eiſdem Fratribus delinquendi tacitè concedi videatur impunitas, aut occaſio malignandi, Miniſtro Generali dicti Ordinis pro tempore exiſtenti concedimus, quòd omnes & ſingulos Fratres - - - etiam ab obedientia, viſitatione, & correctione dicti Miniſtri per ſpecialia Sedis Apoſtolicæ indulta ſe exemptos eſſe præter Regulam dicti Ordinis fortè prætendentes, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, exemptionibus & indultis - - - corrigere, viſitare, punire & emendare, ac in criminibus gravioribus, ſi res ita exegerit, cum moderatione tamen, torturæ ſubjicere poſſit & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

16. Bulla. *Cùm ſemper.* Sixti IV. confirmat omnia noſtri Ordinis privilegia, ſpecialiter Bullam concordiæ. Tenor Bullæ. *Auctoritate Apoſtolica omnia privilegia, gratias, & indulta hactenus vobis à Summis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa per præſentes confirmamus, roboramus, & firmiter authenticamus. Et maximè Bullam fel. record. Papæ Pauli II. quæ prohibet, quòd nullus Frater Familiæ poſſit ipſam exire: nec à Fratribus ſub Miniſtris degentibus recipi, niſi ſervatâ ipſius Paulinæ formâ & in ea contentis.* Bulla eſt apud Rodericum in collect. privileg.

17. Bulla. *Sacroſancta Romana.* Sixti IV. determinat, quod Fratres & Sorores tertii Ordinis clauſtraliter, aut in habitu viventes gaudeant privilegiis & immunitatibus Eccleſiaſticis, tam fori, quàm perſonæ, & rerum, ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, datis eis conſervatores & defenſores contra quoſdam eorum perſecutores, & moleſtatores in Italia. Tenor Bullæ: *Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati communitatibus, poteſtatibus, & Officialibus præfatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per poteſtates, & officiales ipſos ac ſingulares perſonas earundem communitatum, ſi contra fecerint incurrenda, ne eiſdem Fratribus, & Sororibus gravamina aliqua libertati Eccleſiæ contraria inducere, aut ipſos Fratres, & Sorores, quo minus gaudeant privilegiis, & immunitatibus, tam fori, quàm perſonæ & rerum, ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quomodolibet impedire præſumant, Apoſtolica auctoritate præſentium tenore inhibemus &c.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. Franciſci.

18. Bulla. *Dum ſingulos Regulares Ordines.* Sixti IV. excommunicat ipſo facto procurantes, ut Fratres Minores Conventuales, & Moniales Ordinum Mendicantium viſitentur per alios à ſuis Prælatis, aut ſine eorum licentia, & procurantes, ut aliquod ſolvant tributum. Tenor Bullæ: *Sed de noſtra vera deliberatione litteras Prædeceſſoris hujuſmodi ratas habentes, & innovantes omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis Religioſis de Bulla, vel aliàs de Obſervantia nuncupatis, Ordinum quorumcunque, ac aliàs utriuſque ſexûs, cujuſcunque dignitatis, gradûs, Ordinis vel Conditionis fuerint, etiamſi Regali, Marchionali, Ducali, Comitali, Militari, Patriarchale, Archiepiſcopali, Abbatiali, & alia quacunque Eccleſia-*

ſtica vel mundana fulgeat dignitate, vel auctoritate, ſub pœna excommunicationis lata ſententia eo ipſo, toties, quoties illos contrafacere contigerit, ne quòd domus, & loca Profeſſorum dictorum Ordinum Conventualium nuncupatorum, aut Monaſteria Monialium eorum cura commiſſa aliis Fratribus, Monialibus, ſeu Sororibus etiam ejuſdem Ordinis, quorumvis nomine nuncupatis quomodolibet concedatur --- procurare, quærere, aut tentare, niſi apud Magiſtrum, Miniſtros & Priores, Generales vel Provinciales dictorum Ordinum pro tempore exiſtentes --- injurias aut gravamina aliqua inferre, ſeu ab iiſdem Fratribus pro rebus & bonis, quæ habent, & negotiationis cauſa non deferunt, pedagia, quindagia, gabellas aut alia quovis nomine nuncupata nova onera petere, exigere, vel levare quodammodo præſumant. Bulla invenitur apud Rodericum in collect. privileg.

19. Bulla. *Ut veſtris in hac parte.* Sixti IV. concedit inhærendo conceſſioni Nicolai V. quod Fratres Minores poſſint omnes & ſingulos quarumcunque Diœceſium, & in illis extraneos abſolvere. Tenor Bullæ: *Vobis auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem audiendi in confeſſionibus omnes & ſingulos quarumcunque Diœceſum, & in illis extraneos & forenſes abſolvendi, etiam in caſibus, quos Diœceſani locorum, in quibus ad audiendum deputati eſtis, duxerint concedendos. Omni tempore præterquam in die reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrando Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.* Bulla habetur in firmamentis trium Ordinum S. Franciſci.

20. Bulla. *Quæ & Mare magnum nuncupatur.* Sixti IV. plurima privilegia, & gratias à Prædeceſſoribus conceſſa & ordinata continet, & alia addit, quorum potiora ſunt.

I. Concedit, quòd Miniſtri poſſint Fratres Ordinandos quibuscunque Epiſcopis præſentare. Tenor Bullæ: *Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius transmittuntur, propter quod ſtabilem & perpetuam in certis & determinatis ejuſdem Ordinis domibus non faciunt manſionem: quia etiam bonos & idoneos ac approbatos à vobis Fratres facitis ad Ordines promovere, liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis, quibuscunque malueritis, Catholicis Antiſtitibus communionem & gratiam Apoſtolicæ Sedis habentibus præſentare, ipsiſque Pontificibus præſentatos à vobis Fratres ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione & obligatione ipſorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere.*

II. Concedit, quòd Fratres in locis, in quibus degunt, poſſint habere Oratoria, & in eis Divina celebrare. Tenor Bullæ: *In locis quoque, in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili poſſitis Miſſarum ſolemnia, & alia Divina officia celebrare, ac etiam Eccleſiaſtica recipere Sacramenta.*

III. Quòd tempore interdicti liceat Fratribus Divina celebrare. Tenor Bullæ: *Cùm autem generale interdictum terræ fuerit in Eccleſiis, & Oratoriis veſtris, ac aliis quibuscunque, cùm ad loca perveneritis Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis & ſubmiſſa voce vobis liceat celebrare Divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis ſpecialiter interdici, niſi Eccleſiæ & Oratoria eadem fuerint ſpecialiter interdicta.*

IV. Quòd tempore interdicti liceat Fratribus miniſtrare Sacramenta ſuis ſervitoribus. Tenor Bullæ: *His verò, qui in veſtris immorantur obſequiis, cuncta liberè miniſtrare poſſitis Eccleſiæ Sacramenta, & ipſos, cùm decedant, in veſtris cœmeteriis ſepelire.*

V. Quòd in locis, in quibus Fratres reſident, ſi contingat excommunicationem, vel interdictum promulgari, pueri Fratrum minimè obnoxii habeantur. Tenor Bullæ: *Si quando in terras, in quibus reſidetis, vel eorum perſonas excommunicationis, ſeu interdicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorúmque veſtrorum procuratores, & operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continuò exſtiterint, hujusmodi ſententiæ obnoxii minimè habeantur.*

VI. Quòd in terris excommunicatorum liberè poſſint Fratres commorari, & ab eis neceſſaria recipere. Tenor Bullæ: *Ut in terris excommunicatorum liberè commorari & ab eis, tunc etiam, quando per ipſos vos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere, & recipere valeatis.*

VII. Quòd Miniſtri & Cuſtodes valeant ab omnibus cenſuris abſolvere ſuos ſubditos, & diſpenſationis beneficium eisdem impertiri. Tenor Bullæ: *Generalis quoque & ſinguli Provinciarum Miniſtri, & eorum Vicarii, etiam Cuſtodes in Provinciis, & cuſtodiis ſibi commiſſis prædictis Fratribus conſtitutis ibidem, nec non Fratribus aliis ejuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus undecunque, abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, ſive priusquam intraverint Ordinem, ſive poſt in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrunt ſententias, à jure, vel à judice generaliter promulgatas, & hujusmodi ſententiis innodati, aut in locis ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto Divina officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines, ſic ligati notam irregularitatis incurrerint, abſolutionis & diſpenſationis beneficium valeant impertiri, niſi ſit adeo gravis, & enormis exceſſus, quòd ſint ad eandem ſedem merito deſtinandi.*

VIII. Quòd Generales, & Provinciales, ac eorum

eorum Commiſſarii poſſint abſolvi à Confeſſoribus, ab eis electis. Tenor Bullæ: *Fratres etiam veſtri quos --- in proprios habueritis Confeſſores, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis, cùm expedierit, valeant impertiri.*

IX. Quòd Generales, & Provinciales etiam poſſint abſolvere noſtro volentes aggregari conſortio. Tenor Bullæ: *Ad hoc volentibus veſtro aggregari collegio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis, à jure, vel ab homine promulgatis, generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium obſervatâ formâ Canonicâ impertiri &c. --- quòd niſi mox Ordinem intraverint (etiamſi ſuper hoc inducia eis à Prælatis ejuſdem Ordinis concedantur) eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos totaliter abſolvi contigerit, relabantur.*

X. Quòd non poſſimus à quocunque conveniri etiam per litteras Apoſtolicas, nec compelli ad colligendam pecuniam, nec ad viſitandum monaſteria Monialium, nec ad confeſſiones earum excipiendas, nec ab aliquo judice ad faciendum citationes partium, & cognitiones cauſarum. Tenor Bullæ: *Quòd per litteras Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu delegatorum, conveniri à quocunque minimè valeatis, & quòd ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis --- quòd nullus veſtrûm correctionis, aut viſitationis, vel inquiſitionis officium monaſteriis, vel eccleſiis, ſeu quibuscunque perſonis, impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium &c. ---- aut recipere curam Monialium teneatur, niſi hujusmodi Apoſtolica littera de hoc indulto, & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem.*

XI. Quòd Generales, & Provinciales poſſint corrigere, & revocare Fratres, de quibus fuerit proviſum Epiſcopis in ſocios. Quòd nullus Legatus, niſi à Latere, nullúsque Prælatus valeat aliquem Fratrem aſſumere in ſocium, niſi aſſignatum à Generali, & Provinciali; quòd Genaralis poſſit revocare deputatos ad prædicandam crucem, vel contra hæreticam pravitatem. Tenor Bullæ: *Non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel etiam impoſterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.*

XII. Quòd nullus poſt profeſſionem poſſit diſcedere ab Ordine, & recipientes eum poſt denunciationem ſint excommunicati. Quòd Genaralis, & Provincialis poſſit procedere contra Fratres habentes licentiam transeundi ad aliam Religionem, ſi infra tres menſes ſe non transferant. Quòd Prælati poſſint ſuos Fratres excommunicare, & apoſtatas capere, in quocunque habitu inveniantur. Quòd expulſi ab Ordine, vel egreſſi proprio motu non poſſint prædicare, neque confeſſiones audire. Quòd Generalis, & Provincialis poſſint dare licentiam Fratribus ex Ordine pulſis transeundi ad alios Ordines approbatos, præterquàm ad Beati Auguſtini Templariorũ, Hoſpitaliorum, & aliorum Religioſorum arma portantium. Quòd nullus poſſit tranſire ad alium Ordinem, nec transeuntem recipere abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Quòd nulli liceat habitum noſtrum portare. Tenor Bullæ eſt conſimilis.

XIII. Quòd de hortis, & virgultis, nulli teneantur decimam dare. Quòd bona ingredientium Ordinem reſtituenda poſſint in pios uſus convertare non inventis creditoribus. Tenor Bullæ eſt fermè idem.

XIV. Concedit Fratribus licentiam ſepeliendi quoscunque in eorum Eccleſiis. Tenor Bullæ: *Sepulturam quoque in Eccleſiis veſtris concedimus, ut eorum devotioni & externæ voluntati, qui ſe illic ſepelire deliberaverint, niſi excommunicati, aut interdicti, aut etiam publicè neceſſarii fuerint, nullus obſiſtat; ſalvâ tamen juſtitiâ Eccleſiarum illarum, à quibus corpora mortuorum aſſumuntur. -- Diſtrictiùs inhibemus, ut nulli Religioſi, vel ſæculares vobis invitis aliquorum corpora defunctorum in veſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſine veſtro aſſenſu, & voluntate præſumant.*

XV. Declarat libertatem ſepulturæ apud Fratres, & eximit eos omnino tam à decimis, quàm à quarta funerali, etiamſi alii Mendicantes ſolvere tenerentur. Tenor Bullæ: *Declarantes libertatem hujusmodi intelligi debere, etjam quoad hoc, ut Fratres ipſi nullius ſuper hoc petita licentia parochiam, in quibus corpora prædicta forent, cum cruce proceſſionaliter ingredi, ac corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre poſſint, ubi hoc fieri conſuetum foret: vel ſi presbyteri de levatione requiſiti id facere recuſarent, nec cogantur inviti etiam prætextu cujuscunque conſuetudinis ipſi, vel defunctorum conſanguinei, illa ac parochiales Eccleſias, aut alia loca deferre, & cum illis, vel inibi celebrare; vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua Divina officia ante vel poſt ſepulturam eorundem.* Quoad quartam verò funeralem ſpecialiter definit: *Nec ſimiliter aliqua portio debeatur de iis, quæ ad certos & determinatos uſus eisdem Fratribus, vel eorum domibus, in genere, vel ſpecie; etiam de bonis ipſorum, quorum corpora apud eos contingeret ſepeliri, nec etiam in caſibus, in quibus per ejusdem Clementis, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum ſpecialia privilegia Fratres ipſi ab hujusmodi ſolutione quartæ ſunt exempti, nec aliquo caſu de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, quarta aliqua quomodolibet detrahatur. In reliquis verò caſibus, quæ in præmiſſis, in quibus quarta ipſa ſolvenda veniret, conventiones (ſi quæ inter Fratres prædictos, & locorum*

rum Ordinarios, & Eccleſiarum Rectores intra laudabiles & honeſta impoſterum ſervent uri. Et ſi forte per nos, vel Sedem Apoſtolicam, de piè legatis, diſpoſitis, & relictis, in genere, vel ſpecie, decima, aut alia portio, ſeu quarta alteri piæ, vel non piæ cauſa, ex quavis cauſa hactenus conceſſa foret, aut impoſterum concedi, & ſolvi, aut dari, mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domus, ac eis legata, & relicta, aut aliàs in illorum favorem diſpoſita, in conceſſione, & mandatis hujusmodi decernimus, volumus non includi, niſi de eis, & præſenti decreto, ac voluntate noſtra, non per generales clauſulas, quæ etiam ſpecialem mentionem importare videntur, ſed vera, & ſpecifica mentio fieret in eisdem; indultum verò ejusdem Clementis Prædeceſſoris de decimis non ſolvendis ad quæcunque bona dictorum Fratrum, & quaſcunque decimas, etiam quas vulgus Papales appellat, & Apoſtolicæ Sedes pro Chriſtianæ fidei defenſione, aut aliis imminentibus perſæpe neceſſitatibus indicit, ad quæcunque alia onera motu & ſcientia prædictis extendimus, decernentes ipſos Fratres Minores, etiamſi per quoscunque exemptos, & Mendicantes ſolvi mandarentur, cum quibusvis derogatoriis, & fortioribus clauſulis, ad illorum ſolutionem non teneri. Mare magnum hoc emanavit Anno 1474. ex quo patet, nos jam fermè 100. conie ante finem & publicationem Conciliì Tridentini non ſolviſſe quartam funeralium, ita ut nos tot annis jam exemptos etiam meritiſſimo jure exemerit ipſum Tridentinum Seſſ. 25. cap. 13. de Reformatione.

XVI. Quòd nullus Fratrum poſſit confiteri niſi Prælatis, & Fratribus, excepto neceſſitatis urgente erticulo. Quòd neque Prælati Eccleſiarum præſumant audire confeſſiones Fratrum illis invitis. Tenor Bullæ fermè eſt iisdem verbis expreſſus.

XVII. Quòd Fratres non teneantur ad ſolutionem ſubſidiorum quarumcunque perſonarum: neque ad ſubjectionem Ordinariorum in quibuscunque caſibus & delictis. Tenor Bullæ: *Indulgemus vobis, ut ad præſtationem procurationum Legatorum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ejus, ſeu Diœceſanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, ſeu ſubſidiorum vel proviſionum quarumcunque minimè teneamini - - - decernimus enim irritum & inane, quidquid contra tenorem conſtitutionum, conceſſionum, & inhibitionum hujusmodi per quoscunque fuerit attentatum, & interdicti ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conſtitutiones, conceſſiones, & inhibitiones easdem in vos, vel veſtrum aliquos, aut loca noſtra, ſeu benefactores veſtros, vel executores, aut heredes impoſterum promulgari contigerit, penitus non tenere.* De delictis plura dicentur paulo poſt num. XX.

XVIII. Extendit privilegium de Altari viatico ad alia etiam loca honeſta extra Oratoria Fratrum. Tenor Bullæ: *Cum contingat eos perſæpè requiri, ut etiam extra Oratoria ſuper hujusmodi Altari portatili celebrent Divina officia - - concedimus iisdem Fratribus, ut non ſolùm in Oratoriis, & locis, in quibus degunt, ſed etiam in quovis alio loco congruenti, & honeſto poſſint ſuper Altari portatili hujusmodi Miſſas, & alia Divina officia celebrare, exceptis Eccleſiis ab Ordinarii jurisdictione non exemptis, quoties in eisdem Fratribus per Ordinarios contigerit inhiberi.*

XIX. Determinat caſus, propter quos abſolvendi ad Sedem Apoſtolicam à Fratribus ſunt deſtinandi. Tenor Bullæ: *Declaramus hæreticos, relapſos, ſchismaticos, & qui litteras Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, duntaxat eſſe ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandos. In reliquis verò omnibus etiam Simoniæ pravitate qualitercunque irretitis poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium, & gratiam juxta caſuum exigentiam impertiri.*

XX. Quòd Fratres, & domus eorum non poſſint excommunicari, nec interdici ab Ordinariis ſub nullitate illorum ſententiæ. Quòd Fratres poſſint Sacramentum Euchariſtiæ & extremæ unctionis ſibi confeſſis miniſtrare negantibus Parochis. Tenor Bullæ: *Diſtrictius inhibemus, ne quiſpiam abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione, aut auctoritate in perſonas, domos, loca dicti Ordinis Fratrum Minorum, utpote prorſus exemptos, aliquas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias generaliter; & ſpecialiter quomodolibet promulgare, aut in perſonas, domos, aut loca hujusmodi aliquam præeminentiam, ſuperioritatem & jurisdictionem quomodolibet exercere præſumant, etiam ratione contractûs, vel delicti, ſeu rei, de qua ageretur, ubicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipſa conſiſtat - - decernimus ſententias nullius roboris, vel momenti eſſe, & pro infectis prorſus haberi debere - - - concedimus ipſis Fratribus Ordinis Minorum, ut eisdem perſonis eis confeſſis, quibus Rectores præfati ſine rationabili cauſa denegaverint, ſeu malitioſè diſtulerint Euchariſtiæ, ſeu Extremæ Unctionis Sacramenta (ſuper quo eorundem Confeſſorum aſſertioni ſtari debeat) illa petentibus poſſint impunè exhibere.*

XXI. Quòd ratione parochialis Eccleſiæ, apud quem domus Fratrum conſtruuntur, nullam ſuperioritatem ſibi ſuper eas vendicent Ordinarii. Tenor Bullæ: *Cæterum ne ſi ratione parochialium Eccleſiarum, apud quas domus eorundem Fratrum conſtructa fuere, aut conſtruantur impoſterum; locorum Ordinarii in eosdem Fratres aliquam ſuperioritatem tentarent vendicare, Fratrum eorundem quies in aliquo perturbaretur, concedimus eisdem Fratribus, ut in ſic conceſſis, & quas eis concedi contigerit, curatis Eccleſiis poſſint per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum & amovendum*

vendum curam hujuſmodi exercere, qui, quamdiu hujuſmodi Capellanatûs fungetur officio, ac ſi dicti Ordinis Minorum Profeſſor exiſtat, dictorum Fratrum Minorum libertate & exemptione fruatur: Eccleſia vero prædicta, & illorum bona illa, quæ domus Fratrum dicti Ordinis prærogativa lætentur.

XXII. Quòd Provinciales Miniſtri poſſint diſpenſare cum irregularibus defectu natalium & aliorum. Tenor Bullæ: *Ut tollatur vagandi occaſio, & ad Sedem Apoſtolicam recurrendi ſubtrahatur pro poſſe neceſſitas, Generali & Provincialibus Miniſtris dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicariis diſpenſandi cum dicti Ordinis Minorum Profeſſoribus defectu natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, aut quovis alio nefario, & illicito coitu provenientem patientibus: nec non cum his, qui ex quavis cauſa præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, poſtquam ipſum Ordinem profeſſi fuerint, ut defectu, & irregularitate hujuſmodi non obſtantibus irregulares iſti ad quoſcunque etiam Sacros Ordines promoveri, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quàm defectum natalium patientes prædicti, ad quaſcunque adminiſtrationes & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & aſſumi, illáque gerere, & exercere liberè & licitè valeant.*

XXIII. Quòd confeſſi Fratribus non tenentur iterum ſua peccata confiteri ſuis curatis. Tenor Bullæ: *Rurſus intelleximus, quòd etſi bonæ memoriæ Joannes Papa XXII. Prædeceſſor noſter illorum opinionem, qui aſſerebant, quòd confeſſi Fratribus prædicti Ordinis, & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confeſſiones juxta juris diſpoſitionem deputatorum pro tempore tenebantur eadem peccata Rectori eorum Parochialis Eccleſiæ confiteri, reprobaverit, & econtra talia aſſerentes tanquam de hæreſi ſuſpectos per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandaverit, ac ſucceſſivè piæ memoriæ Nicolaus Papa V. ſimiliter Prædeceſſor noſter geſta in præmiſſis ab eodem Joanne & Eugenio Prædeceſſoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreverit, nihilominus nonnulli adhuc eorum inhærentes protervia opinionem prædictam & deſuper factos, damnatos, male ſonantes, ac reprobos articulos, veros eſſe affirmare non verentur, ut talium præſumptuoſa temeritas tantò minùs invaleſcat, quantò plurimùm erit Superiorum correctioni ſubjecta, conceſſam contra tales per ejuſdem Eugenii Prædeceſſoris litteras locorum Ordinariis facultatem ad inquiſitores hæreticæ pravitatis extendimus, ac volumus, quòd inquiſitores ipſi, quicunque fuerint, eadem, quâ Ordinarii, contra tales auctoritate fungantur.*

XXIV. Adduntur pœnæ Prælatis, & aliis turbantibus Fratres Minores intentatis, repetendo exemptionem quoad quartam funeralium, & adminiſtrationem Euchariſtiæ. Tenor Bullæ: *Diſtrictius inhibentes eiſdem locorum Ordinariis ſub interdicti ingreſsûs Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtratione Eccleſiarum, ac Rectoribus, & aliis quibuſcunque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis earundem Eccleſiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent: nec non inhabilitationis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, pœnis eo ipſo per eos, qui contra fecerint incurrendis: ne Ordines prædictos Fratrum Prædicatorum & Miniſtrorum, & illorum domos & Profeſſores, præter, aut contra prædictorum Clementis, & Eugenii, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum, & præſentium litterarum noſtrarum tenorem inquietare, ſeu moleſtare, & eos, aut teſtamentorum, ultimarumque voluntatem Executores, & hæredes prædictos, ſeu quoſcunque alios, directè, vel indirectè ad ſolutionem alicujus quartæ parochialis, ſeu canonicæ, vel alterius portionis, ſeu oneris, & ad faciendum celebrari aliquod officium in eorum Eccleſiis, vel alibi, dum apud ipſos Fratres decedentium cadavera tumulantur, ante vel poſt eorum ſepulturam cogere: nec confeſſis dictis Fratribus pro tempore Euchariſtiæ, ſeu extremæ unctionis Sacramenta, ſine rationabili cauſa denegare, & illorum exhibitionem malitioſè differre, aut eorum parochianis, ne dictis Fratribus confiteantur prohibere, vel perſuadere: nec etiam ad præmiſſa, ſeu ad aliquod præmiſſorum, auxilium, conſilium, vel favorem dare directè, vel indirectè, quoquomodo præſumant. Et nihilominus cuilibet in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto, & Metropolitanæ vel alterius cathedralis Eccleſiæ Canonico per univerſum orbem, qui deſuper per prædictorum Ordinum Priores aut Guardianos, & Fratres, ac illorum ſeu ad commodum eorum Romanæ Eccleſiæ Syndicos etiam requiſitus fuerit, per Apoſtolica Scripta in ſolidum mandamus, quatenus per ſe, vel per alium, ſeu alios præmiſſa, ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ac iiſdem Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, & illorum domibus, ac Profeſſoribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant eos pacificè poſſeſſione, vel quaſi, privilegiorum & conceſſionum hujuſmodi gaudere - - - contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita ita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.* Hæc Bulla Mare magnum nuncupata habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci. Et apud Rodericum in collect. privileg. Sed in firmamentis correctior.

21. Bulla. *Scripſimus.* Sixti IV. Eximit Fratrès Minores à portione canonica in funeralibus & Legatis. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Regeſto Pontificio. Tom. 7.

22. Bulla. *Quæ & Bulla aurea nuncupatur.*

Digitized by Google

tur. Sixti IV. concedit varias gratias & privilegia Ordini Prædicatorum & Minorum ; præcipua ſunt.

I. Concedit Fratribus indulgentiam plenariam ſemel in vita, & in mortis articulo, eligendo ſibi Confeſſorem idoneum de Superioris licentia.

II. Prohibet, ne aliquis impediat dare eleemoſynam Fratribus. Tenor Bullæ : *Intelleximus exortis nonnunquam controverſiis inter locorum Ordinarios, eorúmque Vicarios, ſeu Officiales, & Curatos, & Fratrum Prædictorum Ordinum variis occaſionibus locorum Ordinarii, eorúmque Vicarii, ſeu Officiales, & Curati prædicti, ne Chriſti fideles Fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare præſumant, ac etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore, prædicare, ſeu prædicari facere præſumunt ; his ac etiam aliis quibuscunque dicta authoritate mandamus, ut ab hujuſmodi perſuaſionibus, & inhibitionibus omnino abſtineant, & niſi pœnituerint, & inhibitiones & perſuaſiones revocaverint intra triduum, poſtquam denique requiſiti fuerint, eo ipſo Ordinarios interdictum ingreſſûs Eccleſiæ, ac ſuſpenſionem à regimine, alios verò inferiores ab eis excommunicationis ſententiam incurrere.*

III. Quòd habitus Ordinis Minorum non dentur, niſi per Prælatos, & teneantur mortui induti habitu illorum ſepeliri in Eccleſiis Ordinis Minorum, & deferri poſſunt corpora diſcooperta.

IV. Concedit, quòd Generales Ordinum Prædicatorum & Minorum poſſint examinare, & corrigere inquiſitores hæreticæ pravitatis.

V. Concedit, quòd præfati Ordines ſcilicet Prædicatorum & Minorum gaudeant privilegiis, & indultis aliorum Ordinum. Tenor Bullæ: *Quia Prædicatorum, & Minorum Fratrum prædictorum Ordinum Profeſſores pro fidei dilatatione, incremento, & defenſione continuo indefeſſè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi DEI, audientia confeſſionum, ſana doctrina, aſſidua ſacrarum litterarum inſtructione, & devota Divinorum Officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, aliiſque innumeris piis operationibus præ cæteris Ordinum Mendicantium Profeſſoribus fructus in Eccleſia DEI ſalutares copioſius attulerunt, hactenus, & continuo afferre non ceſſant, atque allaturos in futurum, DEO propitio ſpe firma tenemus ; & propterea convenit, ut ipſi ampliores præ cæteris favores, & gratiarum prærogativas à præfata Sede recipiant & reportent, aliorúmque Ordinum Mendicantium indultis, & privilegiis apud Sedem præfatam gaudeant, & ne illis inferiores eſſe videantur, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones & peccatorum remiſſiones, immunitates, exemptiones, facultates, privivilegia & indulta ſpiritualia & temporalia, qualiacunque ſint, aliis conceſſa - - - dictis Fratribus Prædicatorum & Minorum de novo concedimus, & in eis locum habere volumus, ac ſi eiſdem nominatim directè & expreſſè conceſſa fuiſſent.*

VI. Ponit pœnam interdicti ingreſſûs ad Eccleſiam, & ſuſpenſionis regiminis ipſis Prælatis : & excommunicationis aliis quibuscunque non obedientibus huic Bullæ, ſeu aliquid in contrarium mandantibus. Bulla hæc habetur in firmamentis trium Ordinum S. P. Franciſci, & apud Rodericum in collect. privileg.

23. Bulla. *Admonet Nos.* Innocentii VIII. commendat Mendicantes Epiſcopis, ut ſervent privilegia Mendicantium. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

24. Bulla. *Sacra Religionis.* Alexandri VI. concedit omnia privilegia Ordinibus Mendicantibus conceſſa Fratribus Minoribus, ac ſi eis ſpecialiter eſſent indulta : & prælertim exemptionem à quarta, potiori jure nobis, quàm aliis conceſſam. Tenor Bullæ: *Vobis, ut de cætero omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis ſpiritualibus & temporalibus - - - omnibus aliis Mendicantibus - - - etiam per litteras Apoſtolicas Mare magnum nuncupatas, etiam quoad exceptionem à ſolutione quartæ locorum Ordinariis, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus debita, à qua vos potiori pro cautela eximimus, hactenus conceſſis - - - uti, potiri, & gaudere liberè & licitè poſſitis - - - de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, illáque vobis de novo concedimus.* Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

25. Bulla. *Hodie à Nobis,* Julii II. confirmat privilegia Ordini Minorum per ſuos Prædeceſſores conceſſa ; præſertim autem concedit, quòd Prælati poſſint abſolvere Fratres ſuos à quibuscunque cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Tenor Bullæ : *Ac quòd etiam Prælati dicti Ordinis & alii Fratres, quibus ipſi commiſerint, alios Fratres Ordinis hujuſmodi usque ad diem datæ præſentium duntaxat à quantumcunque excommunicationis ſententia quantumcunque & ſub quibuscunque verbis & clauſulis, tam per caſus in jure expreſſos, quàm per litteras Apoſtolicas Sedi Apoſtolicæ reſervata etiamſi in ſe contineant clauſulam, quòd qui contra fecerint non poſſint abſolvi, niſi ab ore proprio Romani Pontificis, vel ſimilia, aut majora verba (hæreſis, relapſus, ſchiſmatis, delationis prohibitorum ad infideles, ac falſitatis litterarum Apoſtolicarum caſibus duntaxat exceptis) aliàs juxta privilegia eis conceſſa de præterito duntaxat, & non aliter abſolvere poſſint.*

Item declarat, quòd tempus prioris anni probationis alicujus Novitii poſſit computari cum reliquo tempore poſterioris. Tenor Bullæ : *Et quòd, cùm aliqui Fratres, qui annum probationis inceperint, & deinde habitu*

emiſſo

miſſo ad ipſum Ordinem redierint, tempus prioris receptionis habitûs cum tempore poſterioris in anno probationis ſibi computari, vel non computari poſſe juxta diſcretionem, & determinationem ſuorum Superiorum eisdem auctoritate, & tenore præſentium concedimus. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

26. Bulla: *Aliàs ad ſupplicationem.* Julii II. facit nos communicare in privilegiis cum aliis Religioſis. Bulla habetur in monument. Seraph. teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

27. Bulla: *Chariſſimi in Chriſto.* Julii II. declarat communicationem privilegiorum Fratrum Prædicatorum factam Fratribus Minoribus, quomodo ſit intelligenda, nempe juxta proportionem Superiorum, & Prælatorum, monaſteriorum, vel domorum, feſtivitatum & ſolemnitatum, licèt feſta apud Fratres Minores ſint in majori numero, quàm feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum. Tenor Bullæ ferme eadem verba refert. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

28. Bulla: *Notum facimus.* Leonis X. indulget, quòd omnes ſe ſepelientes in habitu S. Franciſci aſſequantur plenariam remiſſionem culpæ & pœnæ. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo ad finem de prætermiſſis.

29. Bulla: *Religionis.* Leonis X. concedit Prælatis, ut Generalibus, Provincialibus, & Guardianis Ordinis Minorum facultatem, vel per ſe ipſos Superiores Ordinis benedicendi paramenta Eccleſiaſtica, ubi Chriſma non intervenerit, etiam Eccleſias ſuas, & cœmeteria vel per alios Epiſcopos, ſi proprius recuſaverit, ac ipſas, cùm pollui contigerit, reconciliandi. Verba Bullæ ſunt eadem. Hæc Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

30. Bulla: *Affectu benevolentia.* Leonis X. communicat Fratribus Minoribus, & de novo concedit omnia privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, ut Fratrum Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, ac B. MARIÆ de monte Carmello & aliorum, ubi Fratres Minores iterum pro potiori cautela eximit à quarta funerali. Verba Bullæ ſunt quaſi ipſiſſima. Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

31. Bulla: *Dudum ſiquidem.* Leonis X. deputat Conſervatores, & Judices pro Ordine noſtro. Bulla habetur in Chron. Provinciæ Polon. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

32. Bulla: *Cum ſicut Nobis.* Leonis X. concedit, quòd poſſint expelli ab Ordine illi, qui fuerunt maculati in ſæculo gravibus delictis, & ea tacuerunt, tempore profeſſionis. Verba Bullæ ſunt ſimillima. Ut videre eſt apud Rodericum in collect. privileg.

33. Bulla: *Superioribus diebus.* Leonis X. confirmat omnia privilegia Mendicantium non obſtante modificatione Concilii Lateranenſis. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio Tom. 8.

34. Bulla: *Quæ Bulla unionis nuncupatur.* Leonis X. in ea de Reformatione Ordinis Fratrum Minorum, & electione illius Generalis Miniſtri ex Reformatis de Obſervantia, inter quos recenſentur Amadæi, Coletani, Clareni, & alii ſimiles, ſine diſpenſatione Regulam ſimpliciter obſervantes, varia ſtatuuntur, prout Ordo de facto practicat. Bulla hæc habetur apud Rodericum in collect. privileg.

35. Bulla: *Quæ, & Bulla concordiæ nuncupatur.* Leonis X. de unione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, & Ordinis Minorum Conventualium varia ſtatuit: ubi Generalem Reformatorum de Obſervantia in Ara cœli electum vocat Miniſtrum Generalem totius Ordinis; Generalem vero Conventualium in domo Apoſtolorum electum vocat Magiſtrum Generalem Fratrum Conventualium: ubi Magiſtrum Generalem Conventualium teneri petere confirmationem à Miniſtro Generali totius Ordinis affirmat, ſine Superioritate tamen judiciali illius Miniſtri totius Ordinis in Conventuales; ubi Fratribus de Obſervantia præcedentiam ante Conventuales in proceſſionibus, & aliis actibus publicis concedit. Bulla hæc reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

36. Bulla: *Exponi nobis.* Leonis X. concedit: quòd Fratres Minores poſſint recipere aliqua, quibus opus non habent, & ea pro aliis commutare. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

37. Bulla: *Licet aliàs.* Leonis X. concedit Fratribus Minoribus de Obſervantia, ut in proceſſionibus, & aliis actibus publicis habeant locum magis dignum, quàm Conventuales. Item declarat Obſervantes, nunquam interrupta ſerie à S. Franciſci tempore usque ad præſens, ſub ejus Regula tanquam veros filios militâſſe. Tenor Bullæ quoad punctum ſecundum eſt ſequens: *Quódque Fratres de Obſervantia, & Reformati veri, & indubitati Fratres Ordinis S. Franciſci, & ejus Regulæ Obſervatores ſemper fuerint, ac Divina favente gratia ſint futuri ſine aliqua interruptione, ſeu diviſione à tempore edita Regula per Beatum Franciſcum usque ad præſens, ac ſub ipſius B. Franciſci Regula militaverint, & etiam ad præſens militent, ſicque ab omnibus teneri, & obſervari, ac dici debere decernimus, & mandamus.* Bulla habetur in Bullario Romano.

38. Bulla: *Celebrato nuper.* Leonis X. præcipit ſub cenſuris Eccleſiaſticis Epiſcopis & locorum Ordinariis, ut potentem præſtent protectionem Fratribus Minoribus de Obſervantia contra Fratres Minores Conventuales indebitè prædictos Fratres de Obſervantia importunantes. Bulla habetur apud Patrem Joannem de Neapoli.

39. Bulla: *Poſtquam.* Leonis X. confirmat

mat ſtatuta in Capitulo Lugduni nuper celebrato, & ſpecialiter cavet, ne Moniales S. Claræ habeant Viſitatorem, & Coofeſſarium, niſi datum à Capitulo Provinciali. Bulla reperitur apud Rodericum.

40. Bulla: *Dudum per nos accepto.* Leonis X. concedit communicationem omoium privilegiorum Mendicantium tam conceſſorum, quàm concedendorum inter ſingulos eorum Ordines, eorum loca, Eccleſias, Fratres, Moniales, Tertiarios, Converſos, & Oblatos. Bulla habetur in Bullario Romano.

41. Bulla: *Affectu benevolentiæ.* Leonis X. concedit Fratribus de Obſervantia, ut gaudeant omnibus privilegiis aliorum Ordinum Mendicantium. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

42. Bulla: *Ex ſpro injunctæ.* Leonis X. ordinat, quòd Fratres Minores Obſervantiæ habeant in proceſſionibus, & aliis actibus publicis eundem locum, quem Conventuales ejuſdem Ordinis tenere conſueverant, antequam ab his tempore Generalis Concilii Lateranenſis auferretur dignitas Miniſteriatûs: per conſequens, ut præcedant Conventuales, & Eremitas S. Auguſtini. Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg. ibidem incipiens. *Chriſtophorus de Forlivio.*

43. Bulla: *Exponi Nobis.* Adriani VI. Fratribus ſponte ad Indos pergentibus impertitur Benedictionem Papalem. Eóſque ire impedientes excommunicat. Superiori illorum confert omnimodam poteſtatem Generalis in utroque foro, & ſuper ipſos Indos. Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

44. Bulla: *Dum fructus uberes.* Clementis VII. confirmat omnia privilegia Ordinis Minorum eíque communicat privilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, & eximit Fratres Minores, præſertim à quarta funeralium ſolvenda, & ab inquiſitoribus. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

45. Bulla: *Dum conſideramus.* Clementis VII. concedit noſtris Syndicis & eorum uxoribus & liberis, quòd poſſint gaudere omnibus gratiis conceſſis Fratribus, & Monialibus S. Claræ, Conceptionis, & Annuntiationis. Item quòd ipſe Syndicus non poſſit conveniri pro cauſa criminali, civili, aut mixta, niſi coram Judice Conſervatore noſtrorum monaſteriorum. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

46. Bulla: *Cum ſicut Nobis.* Clementis VII. inhibet ſub pœna excommunicationis, ne ſe monaſteriis Monialium S. Claræ, & domibus Sororum tertii Ordinis S. Franciſci, ac illorum Monaſteriorum, & Ordinum hujuſmodi ſub cura noſtra degentium negotiis ſpiritualibus vel temporalibus, quovis quæſito colore intromittant Conſules, Priores, Viſitatores, Communitates, Univerſitates, aut quæcunque perſonæ ſæculares. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio Tom. 8.

47. Bulla: *Vacantibus ſub Religionis.* Clementis VII. declarat inſtitutionem noſtrorum Syndicorum, ſeu Procuratorum non eſſe contra Regulæ puritatem, cùm Regula permittat ad amicos ſpirituales recurrere. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio Tom. 8.

48. Bulla: *Accepimus quòd.* Clementis VII. ordinat, ut Fratres Obſervantes præcedant Eremitas Ordinis S. Auguſtini, prout Leo X. jam prius ordinavit. Bulla habetur apud noſtrum Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio Tom. 8.

49. Bulla: *Altitudo Divini.* Pauli III. dat noſtris varia privilegia pro converſione Indorum occidentalium, & meridionalium. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

50. Bulla: *Dudum ſiquidem.* Pauli III. coërcet inferentes injurias Fratribus Minoribus, & Conſervatoribus eorundem privilegiorum. Bulla habetur in Regeſto Ciſmont. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

51. Bulla: *Dudum Felicis.* Pauli III. deputat Conſervatores Ordinis Regularis Obſervantiæ, & Monialium eidem ſubjectarum: & præcipit ne Conventuales recipiant Obſervantes ſine ſpeciali Prælatorum licentia. Bulla habetur apud Wadingum in Annalibus in Regeſto Pontificio Tom. 8.

52. Bulla: *Dudum Felicis.* Pauli III. concedit Fratribus Boſoæ argentinæ, ut à quolibet Antiſtite poſſint recipere Ordines. Bulla habetur in Regeſto Ciſmont. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

53. Bulla: *Solet Romanus Pontifex.* Pauli III. concedit Monialibus S. Claræ exemptionem à ſolutione decimarum, ſi non habeant reditus ſufficientes pro ſuſtentatione; taxantur autem pro qualibet Moniali ſexdecim ducati auri de Camera. Bulla eſt apud Rodericum in collect. privileg.

54. Bulla: *Cum ſicut accepimus.* Pauli III. confirmat authoritatem Miniſtri Generalis circa Fratres & Sorores totius Ordinis. Bulla habetur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Seraphici Bullarii.

55. Bulla: *Paſtoralis Officii.* Julii III. reſtaurat Confraternitatem S. Sepulchri. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Seraphici Bullarii.

56. Bulla: *Ex Clementi Sedis.* Pauli IV. confirmat omnia privilegia Fratrum Minorum de Obſervantia, Monialium S. Claræ, & de pœnitentia nuncupatorum, ab aliis Pontificibus conceſſa; inter quæ privilegia ſunt præſertim exemptio omnium locorum noſtrorum etiam per Imperatores, Reges & alios Principes conceſſorum, oblatorum, & donatorum, ab Ordinariis, & ab inquiſitoribus, item exemptio à quarta, & quota funeralium, à collectis, decimis, ſubſidiis, pedagiis, gabellis,

lis, aliiſque quibuscunque gravaminibus: item facultas conſtituendi Syndicos ad recipiendum, commutandum & exigendum nomine Romanæ Eccleſiæ pretium rerum immobilium & mobilium relictarum, conceſſarum & donatarum. Item facultas audiendi confeſſiones perſonarum forenſium, & extranearum non obſtantibus conſtitutionibus ſupra cathedram Bonifacii, & Concilii Viennénſia, ac Clementinæ *Religioſi* de privilegiis. Et *dudum*, de ſepulturis. Nec non *ex frequentibus*, de ſentent. excom. & Extravag. *Ad Conditorem*. Joannis XXII. ac Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ jam editis & in futurum edendis. Et tandem conſuetudinibus, ordinationibus, reſtrictionibus, & exceptionibus, etiam juramento, & quaſi firmitate alia, roboratis. Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

57. Bulla: *Ex Clementi Sedis*. Pii IV. confirmat omnia privilegia Fratrum Minorum de Obſervantia, Monialium S. Claræ, & de pœnitentia nuncupatorum à Paulo IV. conceſſa, & loquitur fermè eodem modo ſicut Paulus IV. mox adductus. Bulla eſt apud Rodericum in collect. privileg.

58. Bulla: *Dum ad uberes*. Pii V. eximit Fratres, & Moniales Ordinum Mendicantium tum quoad perſónas; Eccleſias, domos, Capellas, Oratoria, & alia loca, etiam unita, & dependentia, tum quoad bona, ut prædia, agros, & alia mobilia, & immobilia a ſolutione gabellarum, quadrantis pro ſingulis libris carnium, & quarumcunque contributionum, oneréque hoſpitandi milites. Bulla habetur in Bullario Romano.

59. Bulla: *Etſi Mendicantium*. Pii V. concedit varias gratias Fratribus Mendicantibus, interpretando Concilium Tridentinum, in quibus non obſtet illis. Hæc Bulla ſpecialiter eſt conſideranda ob interpretationem Tridentini; concedit ergo.

I. Quòd Fratres Mendicantes poſſint prædicare in Eccleſiis ſuorum Ordinum. Tenor Bullæ: *Declaramus Canonem Seſſ. 24. c. 4. de Reform. per quem omnibus Regularibus, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis; contradicente Epiſcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum Fratres hujusmodi, quando à ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris Provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, nec eos afficere. Imò volumus, quòd in ſingulis ſuis Eccleſiis, quando eis placuerit, licitè, & abſque ullo impedimento, vel contradictione etiam Epiſcopi (niſi ipſe prædicaverit) prædicare poſſint.*

II. Quod Fratres approbati à ſuis Superioribus Generalibus, vel Provincialibus ad audiendas confeſſiones utriusque ſexus Chriſti fidelium, poſſint confeſſiones in ſuis Eccleſiis, & extra eas, & infirmorum in domibus audire. Tenor Bullæ: *Quòd verò in Seſſ. 23. c. 15. circa confeſſiones à Regularibus non audiendis ſtatuitur, hoc etiam dictorum Ordinum Fratres à præfatis ſuis Generalibus, vel Miniſtris Provincialibus ad audiendas confeſſiones utriusque ſexus fidelium approbatos, ut præmittitur, minimè comprehendat, ita, ut à confeſſionibus audiendis tam intra eorum Eccleſias, domos, quàm extra, minimè, prohibeantur - - - poſſe confeſſiones ſæcularium perſonarum, etiam infirmarum - - - ubilibet audire approbando.*

III. Quòd Fratres ſemel præſentati ad confeſſiones audiendas, & ad prædicandum in eadem Diœceſi ſemper debeant haberi pro præſentatis. Tenor Bullæ: *Statuimus etiam, quòd ille, qui ſemel in una Diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem Diœceſi habeatur pro admiſſo, nec amplius examinari, vel præſentari in dicta Diœceſi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad confeſſiones audiendas.*

IV. Quòd Confeſſores Monialium, quæ degunt ſub cura Regularium, non debeant ab Ordinario examinari, nec etiam Fratres, ſi debeant audire confeſſiones aliorum Fratrum. Tenor Bullæ eſt ipſiſſimus.

V. Lectores Fratrum Minorum, & in Theologia graduati, qui cum licentia ſuorum Superiorum ad gradum admiſſi ſunt, cùm de ipſorum doctrina ambigendum non ſit, tam confeſſiones audituri, quàm prædicationis munus ſubituri ab Epiſcopis minimè examinentur. Sunt verba Bullæ.

VI. Quòd Epiſcopi non poſſint dare licentiam ad ingrediendum monaſteria Monialium, quæ non ſunt ipſis pleno jure ſubjecta, & ſic nec contra tales Moniales formare proceſſus. Tenor Bullæ: *Quod in Trident. Seſſ. 25. c. 5. prohibetur, hoc tantum in illis monaſteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipſis pleno jure ſubſunt, in quibus in caſibus neceſſariis ipſi dare licentiam poſſint, & non in aliis monaſteriis. Ita, ut in præfatis monaſteriis, quæ Ordinariis ipſis pleno jure non ſubſunt, ipſi Ordinarii ingredi non poſſint, prout in Regulis earum, ſed de jure ſtatuitur, & eis aliquos proceſſus adverſus Moniales ipſas, ſeu Fratres hujusmodi propterea, ſeu aliàs, ipſorum Ordinum Superioribus irrequiſitis, quoquo modo formare, aut facere omnino prohibemus.*

VII. Eximuntur Fratres Minores, & Moniales eorum à jurisdictione Ordinariorum, & ſimiliter eorum Conventus & bona. Tenor Bullæ: *Prohibemus, ita ut aliquam jurisdictionem, ſeu aliud quodcunque dominium in Moniales, & Fratres hujusmodi reſpectivè habere exercere, aut exequi nullatenus poſſint, aut debeant. Imò illas, & illos omnes ab eorum Superioritate, dominio, & jurisdictione, & poteſtate eximimus & liberamus - - - ut etiam in illarum, vel illorum Syndicis, & Procuratoribus deputandis, vel in diſponendis illorum facultatibus, vel alia ſibi non competentia facienda non ſe intromittant.*

VIII. Ordinarii non debent ſe intromittere

in bonis Fratrum degentium, aut decedentium extra clauſtra, quamvis in habitu, ſive abſque habitu moriantur: nec eos ſub ſua protectione recipere eóſque invitis ſuis Superioribus detinere. Tenor Bullæ eſt idem.

IX. Ordinarii non poſſunt impedire Regulares, ne campanas pulſent pro Miſſis celebrandis, & aliis Officiis Divinis tam in diebus Dominicis, ſeu Feſtivis, quàm aliis totius anni temporibus, etiam tempore, quo ipſi celebraverint: & ne corpora defunctorum aſſocient, aut ne liberè ad eorum Eccleſias deferantur. Tenor Bullæ eſt ipſiſſimus.

X. Concedit, quòd puellarum DEO dicandarum, ne ſcilicet coactæ, vel ſeductæ fuerint, examen faciendum, non niſi infra quindecim dies, poſtquam juxta Concilium Tridentinum Epiſcopi, vel eorum Vicarii, requiſiti fuerint, fieri poſſit; quibus elapſis amplius in hoc illis ſe intromittere non licest, cujus occaſione nec Epiſcopus, nec ejus Vicarius intra ſepta monaſteriorum ingrediantur; ſed ſtent ante cratem ferream, & interrogationes alias, quàm eas, quæ præfatum Concilium Tridentinum jubet, eis fieri omnino prohibetur: nec puellæ ad alias interrogationes reſpondere tenentur. Tenor Bullæ eſt ferme idem.

XI. Concedit, quòd Fratres Minores à quolibet Epiſcopo Catholico, & unito poſſint Ordines accipere. Tenor Bullæ: *Seſſionis vero 23. c. 8. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe, ſtatuens in Regularibus locum non habere omnino declaramus: ita quòd Fratres hujusmodi præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente (Ordinarii loci minimè requiſitâ licentia) in locis ſeu domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere poſſint.*

XII. Quod Regulares non poſſint impediri, ne celebrent Miſſas, aut alia Divina in ſuis Eccleſiis, & quòd non concionentur in mortuariis etiam extra ſuas Eccleſias, & quòd fideles non audiant Miſſas in ſuis Monaſteriis, etiam in diebus feſtivis, & quòd non communicent ibidem, excepto die Paſchatis. Tenor Bullæ: *Inſuper Seſſ. 22. Decretum, per quod populum ſæpe ad ſuas Eccleſias, ſaltem Dominicis, & majoribus feſtivis diebus convenire debere monet, inſequendo volumus, quòd Fratribus Mendicantibus hujusmodi non ſolum prohiberi non poſſit, ne Miſſas, & alia Divina Officia faciant in eorum Eccleſiis, verùm etiam in quibuscunque aliis, ubi celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſeu ad id requiſitis celebrare valeant --- etiam antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebraverit -- etiamſi tunc in Eccleſia cathedrali prædicetur --- ipſique Chriſti fideles ullatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores parochialium Eccleſiarum, aut alios quoscunque ullo pacto, cauſa, vel occaſione, non valeant, ſeu debeant, ſed præfati Chriſti fideles audiendo Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſiis Fratrum hujusmodi diebus Dominicis, aut feſtivis præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur. Ipſique Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ (Reſurrectionis Dominicæ feſtivitate duntaxat except â) ſumere, eisque illud per Fratres hujusmodi adminiſtrari valeat.*

XIII. Quòd privilegia conceſſa Regularibus tempore interdicti non ceſſent. Tenor Bullæ: *Et licet Seſſ. 25. c. 12. caveatur, quòd cenſuræ, & interdicta Eccleſiaſtica etiam à locorum Ordinariis promulgata mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſia publicari debeant, tamen ſi tempore celebrationis alicujus ex feſtis Sanctorum, Ordinum eorundem, ac in aliis feſtivitatibus, & earum octavis interdictum hujusmodi emanaverit, illud ſuſpendimus.*

XIV. Quòd finitas controverſias de præcedentia inter Regulares Epiſcopi poſſint innovare. Tenor Bullæ: *Controverſias autem omnes de præcedentia in eadem Seſſione 25. c. 13. per Epiſcopum terminari mandantur, non niſi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innovari poſſe ſtatuimus.*

XV. Quòd pro cura animarum ſæcularium etiam poſſint Regulares applicari. Tenor Bullæ: *Licet c. 11. Seſſ. 25. ſtatuat, quòd in monaſteriis ſeu domibus virorum, ſeu mulierum; quibus animarum perſonarum ſæcularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amovibiles inibi deputentur, niſi de Ordinarii conſenſu, ac prævio examine hujusmodi præcedente, ad curam hujusmodi admitti poſſe omnino volumus præfatos Regulares.*

XVI. Quod quartam funeralium non teneantur ſolvere monaſteria Fratrum Minorum. Tenor Bullæ: *Quartam autem funeralium, de qua Seſſ. 25. c. 13. nequaquam ſolvere teneantur monaſteria, quæ à quadraginta annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquatur tantùm de monaſteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipſam quartam ſolvere conſueverunt, & ubi ſolvi conſuevit, Id tamen ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeu Legatis, vel aliis, Fratribus ipſis, ſeu Monialibus hujusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis ſolvi debet: ſicque intelligi Concilii Decretum quoad quartam hujusmodi ſolvendam debere decernimus. Ubi vero non eſt conſuetudo ſolvendi quartam hujusmodi, de nullo ſupra ſcriptorum ſolvi debere declaramus.* NB. ergo nec de cera, ubi nunquam fuit conſuetudo de ea aliquid ſolvendi.

XVII. Quòd nec Mendicantes, nec eorum Moniales teneantur ad contributionem aliquorum onerum, aut ſubſidiorum, aut ad decimas de ſuis bonis ſive donatis, ſive pecunia emptis, aut alias quomodolibet acquiſitis. Tenor Bullæ eſt ferme idem. Ubi additur:

ditur: *Nec ſub c. 12. Seſſ. 25. comprehendi poſſe, vel debere, decernimus.*

XVIII. Quòd mendicatio nobis ubique ſit libera. Tenor Bullæ: *Quòd vero de uſu quæſtorum eleemoſynarum auferendo loquitur Seſſ. 21. c. 8. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri poſſe, vel debere, etiam decernimus, quin potius quam ex eleemoſynis hujusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino eſſe declaramus.*

XIX. Quòd Ordinarii non poſſint procedere contra Religioſos intra clauſtra delinquentes. Tenor Bullæ: *Quoniam verò ex nimia Epiſcoporum ſibi irrogata auctoritate ipſi perſonas Regulares ſuæ juriſdictioni ſubjicere omnino ſtudent, ac Decreto Concilii præfati Seſſ. 25. c. 14. edito, quo cavetur, quòd ſi Regularis intra clauſtra exiſtens, & extra ea, ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandaloſus ſit, termino ab Epiſcopo præfigendo à ſuo Superiore omnino puniatur, ſin minus ab Ordinario delinquens puniri poſſit, confiſi variis indebitisque gravaminibus Regulares afficiat, Ordinarios præfatos aliquid contra Regulares in clauſtris degentes hujusmodi quovis prætextu, occaſione, vel cauſa innovare non poſſe, vel debere, nec aliquos proceſſus contra ipſas perſonas Regulares formare, aut facere poſſe volumus, niſi propter manifeſtum ſcandalum, & ſuorum Ordinum Superioribus prius Conſultis, & negligentibus: alioquin omnia, & ſingula contra præmiſſa facta, & geſta, ac facienda in futurum, pro nullis, & infectis habeantur.*

XX. Concedit, quòd mandatum in die Cœnæ celebrari & prædicari in noſtris monaſteriis licite poſſit. Tenor Bullæ: *Mandatum in die Cœnæ Domini fieri ſolitum in Eccleſiis ſeu domibus Fratrum cujuslibet Ordinis prædictorum ſolemniter facere & prædicta die prædicare, hora, qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios prohiberi poſſe etiam decernimus & declaramus.*

XXI. Mandatur univerſis locorum Ordinariis, ne mortuorum Officia agere Rectores parochialium in Eccleſiis (contra illorum voluntatem) permittant, ac Moniales dictis Fratribus ſubditas, vel perſonas ſepulturam in eorum Eccleſiis eligentes) nulla ſoluta Parocho portione) ſepelire, vel ſi Fratres ad mortuorum corpora aſſocianda vocati fuerint, illa abſque Fratrum hujusmodi præſentia ſepeliri facere audeant, vel præſumant. Sunt ipſa verba Bullæ. Bulla habetur apud Rodericum in colleɛt. privileg. item in Bullario Romano.

60. Bulla: *Ex ſuperna.* Pii V. extendit prædicta privilegia Mendicantium ad alios Ordines, etiam non Mendicantes, exceptis immunitatibus à contributionibus ratione Seminariorum pauperum Clericorum; nec non immunitate ſubſidiis Apoſtolica authoritate impoſitis, & quæſtuationibus eleemoſynarum. Bulla habetur in Bullario Romano.

61. Bulla: *Ea eſt Officii noſtri ratio.* Pii V. reformat Fratres; & Sorores tertii Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci in communione, & ſub trium ſubſtantialium votorum profeſſione viventium. Subjicit eos Generali & Provincialibus Miniſtris Fratrum Minorum de Obſervantia. In eorum Capitulis interveniant Superiores de Obſervantia. Nihil privatum habere poſſunt. Sorores ſub Clauſura vivere debent. Dubia eorum declarentur à Generali & Provincialibus. Privilegia Minorum de Obſervantia conceduntur tertio Ordini. Bulla habetur in Bullario Romano. Et apud Rodericum in collect. privileg.

62. Bulla: *Romani Pontificis.* Pii V. eximit Fratres Minores à quarta funerali. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

63. Bulla: *Conſuevit Romanus Pontifex.* Gregorii XIII. modificat & declarat Bullam valdè rigidam Pii V. de modo ſervando in electione Prælatorum Ordinis, præſertim Miniſtri Generalis, Commiſſarii, & Procuratoris Generalis. Item remiſſiùs tractat Subornatores & Deferentes. Bulla habetur apud P. Joannem de Neapoli.

64. Bulla: *Quoniam noſtra.* Gregorii XIII. prohibet appellationem per Religioſos Ordinis S. Franciſci de Obſervantia à Prælatis ejusdem Ordinis ad tribunalia ſæcularia, & permittit habere recurſum ad Miniſtrum Generalem, vel Protectorem, aut Romanum Pontificem. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

65. Bulla: *Paſtoralis Officii.* Gregorii XIII. concedit Monialibus S. Claræ, conceptionis, & Annuntiationis, & Tertiariis in Congregatione viventibus exemptionem à decimis in monaſteriis, in quibus ſolum habent ſexdecim ducatos auri de Camera pro ſuſtentatione uniuscujusque. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

66. Bulla: *Significâſti Nobis.* Gregorii XIII. concedit, quod pro decem Monialibus poſſet una ancilla deputari ad obſequia. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

67. Bulla: *Etſi Mendicantium.* Sixti V. confirmat omnia privilegia in genere, & ſpecie Fratribus Minoribus de Obſervantia, & Sororibus S. Claræ, nec non de pœnitentia nuncupatis per Summos Pontifices conceſſa, Quæ Decretis Concilii Tridentini non adverſantur. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

68. Bulla: *Romani Pontificis providentia.* Sixti V. concedit, quòd Fratres tertii Ordinis Italiæ ſibi Viſitatorem Generalem eligere poſſint, ſub cujus Superioritate, & gubernio vivant. Bulla habetur in Bullario Romano.

69. Bulla: *De ſalute gregis.* Sixti V. benedicit Fratribus Minoribus euntibus ad partes infidelium pro eorum converſione: & in die ingreſſus in Indiis, & in articulo mortis in itinere plenariam indulgentiam elargitur eis. Item omnibus Chriſti fidelibus utriusque ſexûs, qui aliquam Eccleſiam dictorum Fratrum in Indiis die 2. Auguſti, & qui Hoſpitale

tale S. Annæ ibidem exſtructum in feſto Epiphaniæ, Conceptionis B. V. & omnium Sanctorum viſitaverint, plenariam indulgentiam impertitur. Nec non aliam indulgentiam 20. annorum & tot quadragenarum concedit adjuvantibus, operâ, exemplo, aut verbo converſionem infidelium. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

70. Bulla: *Cum ſicut.* Clementis VIII. prohibet, ne aliquis ad monaſteria Monialium ſub Fratrum S. Franciſci de Obſervantia cura exiſtentium accedat concionaturus, niſi ſit à dicti Ordinis Superioribus probatus, & miſſus. Bulla reperitur apud Rodericum in collect. privileg.

71. Bulla: *Viſo Memoriali.* Clementis VIII. dat aliquam præcedentiam Procuratori Obſervantium in Capella Sanctiſſimi. Bulla reperitur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

72. Bulla: *Licet in Sacro.* Clementis VIII. concedit Fratribus Minoribus, quòd poſſint levare corpora defunctorum abſque Parocho, ſi ſalutatus non compareat. Bulla habetur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in Indiculo ſæpe dicto.

73. Bulla: *Expoſitum Nobis.* Clementis VIII. prohibet Parochis, ne poſſint petere majorem eleemoſynam pro illis, qui apud monaſteria S. Franciſci in partibus Indiarum ſepeliuntur, quàm pro illis, qui in parochialibus Eccleſiis eligunt ſepulturam. Bulla habetur apud Rodericum in collect. privileg.

74. Bulla: *Quæcunque à Sede.* Clementis VIII. præſcribit formam erigendi confraternitates, vel Archiconfraternitates, quòd nempe, qui habent facultatem erigendi, vel aggregandi confraternitates, poſſint erigere tantummodo in ſingulis locis de conſenſu tamen Ordinarii. Huic erectæ congregationi poſſunt concedi indulgentiæ, & gratiæ Spirituales, quæ Ordini erigenti, vel Archiconfraternitati aggreganti nominatim ſunt conceſſæ, non autem indulta illa, quæ per extenſionem, vel communicationem ſibi quovis modo conceſſa ſunt. Bulla habetur in Bullario Romano.

75. Bulla: *Expoſitum Nobis.* Pauli V. prohibet Rectoribus Eccleſiarum parochialium Indiarum Occidentalium & Orientalium, ne ab iis, qui in Eccleſiis Fratrum, & Monialium S. Franciſci de Obſervantia ſepeliuntur majorem exigant eleemoſynam, quàm à Concilio Tridentino præſcripta & à Pio V. declarata eſt. Bulla habetur in Bullario Romano.

76. Bulla: *Cùm inter Fratres.* Pauli V. vult, ut corpora Tertiariorum ad noſtras Eccleſias deportentur. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

77. Bulla: *Pro parte.* Pauli V. aſſignat Fratribus Minoribus de Obſervantia præcedentiam ante alios quosdam Religioſos in actibus publicis. Bulla reperitur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in ſuo dicto Indiculo.

78. Bulla: *Congregatio Sacrorum.* Pauli V. aſſignat Capucinis locum in proceſſionibus poſt Fratres Minores de Obſervantia. Teſte P. de Alva in dicto Indiculo.

79. Bulla: *Cum alias.* Gregorii XV. prohibet ædificare Conventus Regularium, niſi diſtet unus ab altero per quatuor milliaria. Teſte P. de Alva in ſuo Iodiculo.

80. Bulla: *Romanus Pontifex.* Urbani VIII. revocat Breve Gregorii XV. concedens Vicarium Generalem Fratribus ſtrictioris Obſervantiæ, ſeu Reformatis, hóſque reducit ad ejusdem Ordinis Miniſtri Generalis obedientiam, prout antea vivebant. Bulla habetur apud Joannem de Neapoli.

81. Bulla: *Aliàs felicis recordationis.* Urbani VIII. ordinat varia circa funeralia pro provinciis Indiarum. Bulla habetur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo.

82. Bulla: *Cùm ſicut dilectus.* Urbani VIII. concedit Fratribus Minoribus in partibus Indiarum Occidentalium exiſtentibus expreſsè profeſſis, quòd de ſuorum Superiorum licentia poſſint à quocunque Catholico Antiſtite ordinari extra tempora, & non ſervatis interſtitiis. Bulla habetur in Bullario Romano.

83. Bulla: *Cum ſicut.* Urbani VIII. concedit Fratribus Minoribus in Indiis, quòd promoti ad Ordines non teneantur ſervare interſtitia. Teſte P. de Alva in ſuo ſæpe dicto Indiculo.

84. Bulla: *Exponi Nobis.* Urbani VIII. agnoſcit antiquitatem Fratrum Tertiariorum reſpectu PP. Minimorum de Paula. Teſte P. de Alva in ſuo dicto Indiculo.

85. Bulla: *Expoſitum Nobis.* Urbani VIII. inhibet parochis, ne exigant majores eleemoſynas pro ſepultura apud Fratres. Bulla reſervator in Archivio Coloni. Teſte P. de Alva in ſuo Iodiculo.

86. Bulla: *Ex incumbentis.* Urbani VIII. ſtatuit, ut Fratres discalceati antecedant PP. Auguſtinianos. Bulla reperitur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in dicto Indiculo.

87. Bulla: *Cum Procurator.* Urbani VIII. confirmat titulum noſtri Miniſtri Generalis, quòd debeat dici Miniſter totius Ordinis Fratrum Minorum. Bulla reperitur in Bullario Ordinis teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

88. Bulla: *Exponi Nobis.* Urbani VIII. eximit Moniales S. Claræ in Regno Hiſpaniarum à decimis dandis. Bulla reſervatur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in ſuo indiculo mox dicto.

89. Bulla: *Cum ſicut.* Urbani VIII. ſtatuit, ut nullus admittatur ad Jubilationem, qui non prius Philoſophiam tres annos, & Theologiam decem abſque ulla intermiſſione docuerit, vel ſi intermitti contigerit duodecim annos Theologiæ Lector extiterit. Habito teſtimonio publi-

co à Conventu, ubi docuit, & plura alia. Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in Chronologia Seraphici Ordinis.

90. Bulla: *Exponi Nobis.* Urbani VIII. concedit Superioribus Ordinis Fratrum Minorum, quòd poſſint Fratribus ſuis litteras dimiſſoriales concedere. Bulla reperitur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo.

91. Bulla: *Aliàs poſt quam.* Urbani VIII. eximit monaſteria in Regno Hiſpaniarum à ſolutione decimarum. Bulla habetur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in Indiculo.

92. Bulla: *Sacra Congregatio.* Urbani VIII. concedit ſepulturam parvulorum in noſtris Eccleſiis. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo.

93. Bulla: *Sacra Congregatio.* concedit poſſe ſepeliri in Eccleſiis Regularium, qui nullam elegerunt ſepulturam. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo Bullarii Seraphici.

94. Bulla: *Juſtis ac honeſtis.* Urbani VIII. confirmat omnia privilegia tertii Ordinis. Bulla habetur in Regeſto Fratrum Reformatorum teſte P. de Alva in dicto Indiculo.

95. Bulla: *Sacra Congregatio.* Urbani VIII. prohibet Epiſcopo Moguntino viſitare monaſteria Monialium tertii Ordinis. Bulla habetur in Archivio Colonienſi teſte P. de Alva in ſuo Indiculo.

96. Bulla: *Aliàs à Nobis.* Urbani VIII. concedit, quod Fratres Minores Diſcalceati, ſeu Reformati in publicis proceſſionibus, & actibus præcedant Fratres Eremitas S. Auguſtini, & quoad hoc Epiſcopos obligat, ut ſint defenſioni Fratribus Minoribus. Bulla habetur apud P. Joannem de Neapoli.

97. Bulla: *Cum ſicut.* Urbani VIII. ordinat, ut in Religione noſtra Clerici ſemper præcedant Laicos. Teſte P. de Alva in ſuo Indiculo.

98. Bulla: *Aliàs pro executione.* Innocentii X. eximit noſtra monaſteria à quarta funeralium. Bulla habetur in Regeſto Ultramont. Teſte P. de Alva in Indiculo Bullarii Seraphici.

99. Bulla: *Sacra Congregatio.* Innocentii X. permittit Fratribus de Obſervantia recipere annua legata eiſdem relicta. Teſte P. de Alva in dicto Indiculo.

100. Bulla: *Cum ſicut.* Alexandri VII. concedit Indulgentias plenarias Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ S. Franciſci ac Reformatis Cismontanæ familiæ exercitiis ſpiritualibus per octiduum vacantibus. Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in chronologia, Seraphici Ordinis.

101. Bulla: *Aliàs pro parte,* Alexandri VII. prohibet erigi fundationes Conventuum Ordinis Minorum intra ſpatium quatuor vel quinque Leucarum à jam erectis etiam aliorum Regularium. Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in chronologia Seraphici Ordinis.

102. Bulla: *Exponi Nobis.* Clementis X. declarat Exminiſtros Generales totius Ordinis gaudere privilegiis talium quocunque parvo tempore officio miniſterlatûs Generalis functi ſint. Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in Chronologia Seraphici Ordinis.

103. Bulla: *Nuper à Congregatione.* Innocentii XI. concedit præcedentiam in proceſſionibus Fratribus Minoribus Obſervantibus reſpectu Capucinorum, licèt hi ſint priores fundatione quatuor annis in eodem loco; cùm ſint filiales ex eadem Religione Obſervantium, & longe poſteriores in approbatione Apoſtolica, quo caſu non intrat Bulla Gregoriana de antetioritate Conventûs in eodem loco. Bulla habetur apud Julium de Venetiis in chronol, Seraph. Ord.

104 Bulla: *Exponi Nobis.* Innocentii XI. concedit Lectoribus Jubilatis Ordinis Minorum eadem privilegia & præeminentias, quibus alii Regulares Doctores artium & in Theologia Magiſtri fruuntur. Bulla eſt apud P. Julium de Venetiis in chronol. Seraph. Ord.

105. Bulla: *Alias ad ſupplicationem.* Innocentii XI. prohibet ſub gravi pœna, ut res ad Eccleſias, Altaria, Capellas, Oratoria, & Sacriſtias Fratrum Minorum ſpectantes extra illud ad uſum, vel officium cæterorum diſtrahantur, vel aſportentur, aut aliis commodentur. Bulla eſt apud P. Julium in chronol. Ord. Seraph.

106. Bulla: *Alias pro parte.* Innocentii XI de hujus Bullæ contentis non potui exactam adipiſci notitiam. In quantum autem ab aliquo noſtri Ordinis Secretario Romæ informabar, deberet continere confirmationem Bullæ Clementis VII. nec non quorundam Decretorum S. Congreg circa immunitates, & ſpeciales favores reſpectu conventuum Indiæ.

107. Bulla: *Exponi Nobis.* Innocentii XI. innovat excommunicationem Sanctæ Sedi reſervatam contra quoscunque auferentes Libros, & alias Scripturas ab Ordinis Bibliothecis. Bulla habetur apud Julium de Venetiis in chronolog. Seraph. Ord.

108. Bulla: *Exponi Nobis.* Innocentii XI. taxatur pœna cenſurarum per Ordinarios infligendarum, ſi ad hoc requiſiti fuerint, etiam cum aſſiſtentia brachii ſæcularis contra Syndicos, & Æconomos ipſarum Monialium, vel ipſas Moniales S. Claræ, & aliquos ſub cura Fratrum Minorum exiſtentes, qui juxta eorundem Statutorum, & Decreti Felic. Record. Clementis VIII. tenorem rationem redituum bonorum, & expenſarum dictarum Monialium Superioribus præfati Ordinis Minorum reddere renuerint. Bulla reperitur apud P. Julium de Venetiis in chronolog. Seraph Ord.

109. Bulla: *Exponi Nobis.* Innocentii XI. præcipit obſervari Decreta pro novis erectionibus, ſeu fundationibus Conventuum Regularium aliàs edita: aſſignátque Judices, qui contra Regulares ea violantes procedere poſſint, ac debeant. Bulla reperitur apud P. Julium de Venetiis in chronolg. Seraph. Ord.

110 Bulla: *Chriſti fidelium.* Innocentii XII. moderat poteſtatem Protectoris Ordinis, qui ex Regula noſtra à Domino Papa de S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus peti debet, quæ ſe aliquando nimium extendiſſe dicebatur. Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in chronologia Seraphici Ordinis fol. 247. item in Bullario Romano Tom. 7.

111. Bulla: *Nuper pro parte.* Innocentii XII. concedit, quòd ff min. S. Franc. de Obſervantia poſſint per viam puræ & ſimplicis eleemoſynæ recipere legata perpetua pro celebratione miſſarum, ornamentis Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis procurandis juxta doctrinam D. Bonaventuræ relatam in Conſtit. Urbani VIII. incipiente: *Sacroſanctum Apoſtolatûs.* Bulla habetur apud P. Julium de Venetiis in chronol. ſub nomine Clementis X & clauditur nomine Innocentii XII.

112. Bulla: *Debitum.* Innocentii XII. confirmat, & concedit Fratribus, & Sororibus Trium Ordinum S. P. Franciſci indulgentias plenarias quotidianas coram Venerabili Sacramento orantibus Tenor Bullæ: *Et quia Indulgentiæ ſtationis Sanctiſſimi Sacramenti revelata non ſunt,*

[illegible]

ipſius voritatio quotidiana tam Fratribus, quàm Monialibus & Tertiariis ſecularibus enixè commendatur.

113. Bolla: *Aliàs à felicis Memoriæ.* Innocentii XII. præter confirmatam nobis communicationem privilegiorum cum aliis Ordinibus etiam Societate JEſu, concedit easdem Indulgentias & Privilegia omnibus Chriſti fidelibus in locis Viæ Crucis à Fratribus Ordinis Minorum S. P. Franciſci erectis lucrandas, licet loca non ſint ſub eorum jurisdictione, quæ ſunt conceſſæ locis Sacris in Jeruſalem. Teſte P. de Pauck in ſua tertia Vinea Seraphica.

Tandem adverteris ſæpius tam ex frequentiſſimis colloquiis, quam variis vulgatis Scripturis à RR. PP. Conventualibus anterioritatem & Primatum Ordinis S. P. Franciſci nobis eripere molientibus, aliàsque præcellentias à nobis poſſeſſas diminuere conantibus, non modicè perplexum hac de re inter audientes redditum fuiſſe plurimorum ſentiendi animum; quare ut Apoſtolica & certa de nobis ſentiendi habeatur regula, recenóſſimum ſenſum Sedis Apoſtolicæ ex mente SS. P. Benedicti XIII. poſſeſſionem anterioritatis & Primatûs Ordinis, aliàsque quasdam ejus prærogativas nobis illæſas conſervantis (ut Breve Apoſtolicum loquunt: *à cujus mente prorsùs alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis obſervantiæ quicquam ſui juris, aut poſſeſſione erga Conventuales detraheretur*) ſubjicere volui.

Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Benedicti XIII. Pont. max. Conſtitutio Pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci. Controverſia, & lites de Primatu, & Anterioritate, perpetuò Silentiò impoſitò, extinguuntur: Quæ pro Univerſis Tertiariis in propriis domibus viventibus in Conſtitutione Paterna Sedis ſancita ſunt, denuò confirmantur, & Baſilica S. Mariæ de Portiuncula, S. Franciſci Civitatis Aſſiſienſis ſub diverſis rationibus Ordinis Matrices decernuntur. Edita Romæ M.DCC.XXVIII.

Benedictus Papa XIII. Dilectis Filiis Miniſtro Generali Totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, nec non Generali Miniſtro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.

Dilecti Filii ſalutem, &c. Qui pacem loquitur in plebem ſuam, ſuper Sanctos ſuos, certam illam avertendæ contentionis viam, rationemque diſcipulis deſignavit, monitis, exemplisque ſuis eosdem adhortatus, ut qui major eſſet inter ipſos, fieret ſicut minor; ac proinde eſſe contenderent, non præeminentia, & primatu, ſed miniſtrandi, ac ſubjecendi humilitate præceſſores Hæc autem documenta B. Franciſcus Seraphici veſtri Ordinis Conditor, & ipſe mirabiliter arripuit, & expreſſit, & cuſtodiendæ pacis firmamentum eſſe voluit alumnis ſuis, qui modeſta ipſa Fratrum Minorum appellatione evangelicam illam cæleſtis Magiſtri normam præ ſe ferentes, ſinceræ charitatis veræque Fraternitatis diſciplinam, & cultum per totam Chriſti Eccleſiam latiſſimè propagarunt Nos igitur, quemadmodum uberes ex religioſiſſima inſtitutione dominici agri proventus largitori DEO reique Catholicæ gratulamur; ita omnem dare operam debemus, ne diſſidia, & lites de locu, & dignitate bonam frugem ſuffocare poſſint, fraternamque concordiam diſcindere, aut perturbare. Porrò cum tres Conſtitutiones ediderimus pro inſtitutione, ac regimine Tertiariorum ejusdem Seraphici Ordinis in propriis Domibus viventium, primam die 10. Decembris 1725. pro Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ, quæ incipit: *Paterna Sedis Apoſtolicæ providentia*, alteram 24. Maji 1726. pro Fratribus Minoribus, qui Cappuccini appellantur, quæ incipit: *Ratio Apoſtolici miniſterii*; tertiam denique die 5. Julii ejusdem anni pro Fratribus Minoribus Conventualibus, quæ incipit: *Singularis devotio*, non ſine ingenti animi moleſtia reſcivimus, controverſias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluiſſe de primatu, & antiquitate alterius præ altera, de multiplici erectione Congregationum Tertii Ordinis, deque tranſitu Tertiariorum unius Congregationis ad aliam, quæ cum religioſæ diſciplinæ detrimento, ſcandala etiam in populis ſerere poſſint, & B. Patris Franciſci ſpiritum in diſcipulis ejus extinguere. Diſſenſionibus igitur, ac jurgiis aditum obſtruere, & neceſſariam regulari diſciplinæ pacem, & tranquillitatem fovere, aut reſtituere cupientes; Motu proprio ex certa ſcientia, non ad oblatæ cujusquam petitionis inſtantiam, imprimis omnes, & ſingulas de memoratis cauſis lites, & controverſias, utcunque, & in quacunque inſtantia ſuper his ortas, agitatas, & actu pendentes, coram quibuscunque Judicibus, ac Tribunalibus, etiam ſpeciali mentione dignis, quorum nomina pro expreſſis haberi volumus, ad Nos avocantes, perpetuo ſilentio impoſito extinguimus, & abolemus. Prætereà quascunque Indulgentias, Indulta, Privilegia, prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extenſiones, & conceſſiones tam in genere, quam in ſpecie in memorata Conſtitutione, quæ incipit: *Paterna*, Tertiariis Fratrum Minorum de Obſervantia tributas, & per alias ſuperius indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, & Cappuccinorum, eorumque Superiores extenſas, & ampliatas, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus ſit, ipſis Fratribus Conventualibus, & Cappucinis, eorumque Tertiariis, in iis tamen, quæ præfatæ noſtræ Conſtitutioni pro Obſervantium Tertiariis editæ non adverſantur, & non alias, de novo concedimus; mandantes potiſſimùm, ut quæ in ipſa circa erectionem unius dumtaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque Civitate, aut Loco deque eorum tranſitu præſcripta, & ſancita ſunt, aliis poſterioribus noſtris non obſtantibus, inviolabiliter obſerventur. Quoniam autem à mente noſtra, & à propoſito memoratæ Conſtitutionis, quæ incipit: *Singularis devotio*, prorsùs alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ quidquam ſui juris, aut poſſeſſionis erga Conventuales detraheremus, aut ipſis Fratribus Conventualibus majorem antiquitatem, aut aliam quamcunque prærogativam præ obſervantibus concederemus, motu pari & ſcientia ſimilibus decernimus & declaramus, verba & enunciationes, quæ antiquitatem & prærogativas ejusmodi reſpiciunt, nullius roboris, atque eo prorſus modo, ac ſi appoſita non eſſent, de cætero habenda fore & eſſe; imò pro totius præfati Ordinis tranquillitate & pace perpetuum ſilentium ſuper hujusmodi controverſia imponimus, & pro impoſito haberi volumus, & mandamus. Nequis denique Baſilicam Beati Franciſci Civitatis Aſſiſienſis, ubi Sacrum ejus Corpus requieſcit, à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris variis privilegiis auctam, ita ſupra cæteras ejusdem Ordinis Eccleſias verbis aut ſcriptis extollat & efferat, ut debitus honor ac reverentia denegetur Baſilicæ Beatæ Mariæ de Portiuncula extra muros ejusdem Urbis, in qua conſtat Seraphicum Patrem inſtitutum ſuum inchoaſſe; præcipimus, & mandamus, ut ambæ Baſilicæ, diverſis licet rationibus, Beatæ Mariæ quidem propter Ordinis primordia, Aſſiſienſis verò propter Sacrum Corpus Sanctiſſimi Inſtitutoris, tanquam Ordinis Matrices ab omnibus Fratribus Minoribus agnoſcantur, & obſerventur, prout Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri aſſeruerant, & conceſſerunt. Quascumque autem juris, verborumque ſolennitates noſtra auctoritate ſupplentes, & quibusvis in contrarium facientibus ampliſſimè derogantes; fore confidimus, ut familiis veſtris per hoc providentiæ noſtræ judicium priſtinam, veſtroque nomine dignam concordiam partam eſſe gaudeamus. Veſtrum autem erit, ut pari vigilantia, ſtudioque curis noſtris obſequentes, indecoram importunamque altercationum, libellorumque licentiam, in eorum auctores diſtrictè animadvertentes, ſedulò inhibeatis. Ac Vobis, Dilecti Filii, paternæ voluntatis pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 21. Julii 1728. Pontificatûs Noſtri Anno Quinto.

Carolus Archiep. Emiſſenus.

Loco † Sigilli.

TRA-

TRACTATUS
UNDECIMI
DE
JURE ET JUSTITIA.

Digitized by Google

INDEX
TRACTATUS UNDECIMI
DE JURE ET JUSTITIA.

Ordo & numerus quæſtionum, quomodo in ſingulis diſtinctionibus proponuntur.

ANNOTATIO PROLOGETICA.

De Juris origine, Diviſione, & Citatione.

§. I. De Juris Canonici Conſideratione, & Citatione. pag. 129
§. II. De Juris Civilis Conſideratione, & Citatione. 132
§. III. De utriuſque Juris Contrarietate Concordanda. 133

DISTINCTIO I.

De Jure prout Juſtitiæ objecto.

Quæſt. I. Qualiter Jus ſit objectum Juſtitiæ, & quomodo dividatur principaliter? 134
Q. II. An poſſit eſſe perfectum Jus inter DEum & hominem, inter patrem & filium, inter Dominum & ſervum, maritum & uxorem? 138

DISTINCTIO II.

De Juſtitia & partibus Juſtitiæ.

Quæſt. I. Quid ſit Juſtitia, & quomodo dividatur? 146
Q. II. Quomodo differant juſtitia commutativa & diſtributiva, & an Juſtitia legalis ſit eadem ſpecie in principe & ſubditis? 149
Q. III. An Juſtitia reſpiciat medium rei vel rationis? 154

DISTINCTIO III.

De Juſtitia in Dominio ut ſic.

Quæſt. I. Quid ſit Dominium perfectum, & quæ ad illud requirantur? 154
Q. II. An à Dominio ſit omnimodè ſeparabilis uſus rei? 158
Q. III. An Dominium in ſolidum circa eandem rem poſſit eſſe penes Duos? 162
Q. IV. Quid ſit Dominium imperfectum ſeu uſusfructus, & quomodo uſufructuarius diſponere poſſit, & uſumfructûs amittere, præſertim per ingreſſum Religionis? 168

DISTINCTIO IV.

De Juſtitia objecti dominii, ut eſt vita & fama.

Quæſt. I. An liceat ſe ipſum, vel alium omnimodè innocentem occidere? 174
Q. II. An judex furem ſimplicem, & alium ſecundùm allegata & probata reum, quem tamen privatâ ſcientiâ ſcit innocentem, poſſit ad mortem condemnare? 178
Q. III. An liceat occidere injuſtum invaſorem, non tantum vitæ, ſed etiam honoris, & aliorum bonorum fortunæ, tam ſe, quàm proximum defendendo? 184
Q. IV. An homo poſſit ſe ipſum aut alium detractorem, ad elidendam ejus authoritatem ad ſuam innocentiam defendendam diffamare? 191

DISTINCTIO V.

De Juſtitia Belli, Duelli, & Obſidionis.

Quæſt. I. Quæ ſit cauſa juſta belli, & an bellum poſſit ex utraque parte eſſe materialiter juſtum? 195
Q. II. De quibuſdam quæſitis circa Principes tempore belli maximè occurrentibus, & ſcitu perutilibus. 201
Q. III. De variis quæſitis circa Clericos etiam tempore belli ad bellandum implicatos. 207
Q. IV. An ad repellendam infamiam, aut ignaviæ notam ſit licitum inire duellum vitæ invaſivum, aut defenſivum. 211

Q. V.

Q. V. An in obſidione liceat indirectè occidere innocentes, aut aliquem innocentem tradere tyranno, ut ab obſidione ceſſet? 215

DISTINCTIO VI.

De Juſtitia circa ſubjecta Dominii, qualia præſertim ſunt Religioſi & Clerici, & per conſequens de eorum immunitate in tributis & deductionibus.

Quæſt. I. An & quo jure Religioſi ſint incapaces Dominii? 217

Q. II. An Epiſcopi & Clerici ſæculares ſint veri Domini ſuorum redditnum ſuperfluorum? 224

Q. III. De immunitate eccleſiaſtica, Cujus ſit juris, & an ex ea Clerici & Religioſi eximantur à tributis & deductionibus, etiam quoad bona ſua patrimonialia? 228

DISTINCTIO VII.

De Juſtitia modi acquirendi jure naturali, ſive gentium rerum Dominia, ut per ſervitutem, acceſſionem, alluvionem, venationem, piſcationem, inventionem theſauri &c.

Quæſt. I. De hominibus & variis animalibus captis, quomodo illi fugere, & hæc capi juſtè à Principe poſſint prohiberi? 235

Q. II. An theſaurus inventus, vel alia bona inventa ab inventore juſtè poſſint retineri, vel an debeant pauperibus erogari? 241

DISTINCTIO VIII.

De Juſtitia modi acquirendi jure civili rerum Dominia, ſcilicet per uſucapionem, ſeu præſcriptionem.

Quæſt. unica. An præſcriptio in Dominiis, juribus, & ſervitutibus rerum, etiam in foro Conſcientiæ, habeat locum, & quas conditiones, & quantum tempus requirat? 245

DISTINCTIO IX.

De Juſtitia modi acquirendi jure privato contrahentium rerum dominia, ſeu potius de modo transferendi dominia per contractus ut ſic.

Quæſt. I. Quid requiratur ad valorem Contractûs, & quomodo firmetur juramentô? 253

Q. II. An error, præſertim ſubſtantialis, vis, metus, cauſa turpis, invalidenc contractum? 258

DISTINCTIO X.

De Juſtitia modi transferendi Dominium per promiſſiones & donationes.

Quæſt. I. An & quomodo promiſſio obliget in conſcientia ante & poſt acceptationem? 265

Q. II. Quæ, & quorum donationes, ac quo jure, ſint invalidæ? 269

DISTINCTIO XI.

De Juſtitia in teſtamentis, codicillis, legatis, & eorum deductionibus per falcidiam & trebellianicam.

Quæſt. I. An teſtamentum ſcriptum ſine ſolemnitatibus ſit, etiam in foro animæ, nullum, &, ſi non ut ſcriptum, valeat ſaltem ut nuncupativum? 274

Q. II. De Codicillo & ſubſtitutione hæredis, præſertim an hæc etiam excludat patrem & matrem hæredis? 280

Q. III. De ruptione, revocatione, & exhæreditatione teſtamentaria. 283

Q. IV. An unà cum legitima poſſit detrahi falcidia vel trebellianica? 289

DISTINCTIO XII.

De Feudo, & Emphyteuſi.

Q. I. Quomodo fiat ſucceſſio in feudis? 292

Q. II. De valore Emphyteuſis. & ejuſdem fructibus percipiendis in mora. 296

DISTINCTIO XIII.

De Mutuo & uſura, & variis contractibus, in quibus uſura nidulari conſuevit, ut de Monte pietatis, Antichreſi Cambio, locatione, negotiatione, ſocietate, precario &c.

Quæſt. I. An in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, aut ratione periculi, vel poteſtatis, qua quis ſe privat certo tempore pecuniâ ſuâ utendi, ſine uſura poſſit aliquid ſupra ſortem accipi, aut ſaltem cum Dominio uſuræ? 299

Q. II. An montes pietatis, pacta Antichreſeos, Legis commiſſoriæ, & petitio penſionis rei locatæ in omnimoda ſterilitate ſint licita? 307

Q. III. An contractus Cenſualis, & Cambium, cum lucro poſſint licitè fieri? 311

Q. IV. De reliquis contractibus uſuræ expoſitis, ut de Olla fortunæ, Mohatra, Monopoliis, Negotiatione, Societate, commodato, depoſito, precario, ludo, ſponſione, & aliis contractibus ſubſidiariis, ut pignore & hypotheca, fidejuſſione & aſſecuratione. 315

DISTINCTIO XIV.

De Contractu Emptionis, & venditionis.

Quæſt. I. Quo pretio ſit licitum vendere & emere res ſuas? 319

Q. II. An venditor ſemper teneatur vitium mercis emptori manifeſtare, & cuinam res vendita ante traditionem pereat? 322

Q. III. An liceat currente pretio vendere merces, quando venditor privatè ſcit earum pretium brevi minuendum: & an liceat cariùs vendere ob dilatam, vel minoris emere ob anticipatam ſolutionem? 326

DISTINCTIO XV.

De Juſtitia in Judiciis.

Quæſt. unica. An Reus à Judice legitimè interrogatus ſine amphibologia teneatur fateri crimen occultum verum? 330

DISTINCTIO ULTIMA.

De Reſtauratione Juſtitiæ læſæ, ſeu de Reſtitutione.

SUBDISTINCTIO I.

De Natura Reſtitutionis.

Quæſt. I. Cujusnam præcepti ſit Reſtitutio, & an volenti poſſit fieri injuria? 337

Q. II. An non reſtituentes continuo peccent actualiter, quamdiu non reſtituunt: & inter plures damnificantes an quivis teneatur reſtituere in ſolidum? 339

Q. III. An in homicidio pro vita ablata debeat fieri reſtitutio: & in adulterio an cum manifeſtatione criminis adulterii occulti, ſi aliter fieri non poteſt reſtitutio? 342

SUBDISTINCTIO II.

De Radicibus reſtitutionis.

Quæſt. I. An obligatio reſtitutionis requirat culpam theologicam, & qualem tam in officio, quàm conſilio, & contractu? 347

Q. II. Ad quid teneatur, qui malâ, & qui bonâ fide poſſidet rem alienam? 351

Q. III. An ſit gravis obligatio reſtituendi ablata per minuta furta: & an occulta compenſatio ſit licita ex propria auctoritate facta? 357

SUBDISTINCTIO III.

De Circumſtantiis Reſtitutionis, præſertim pluralitate cooperantium, ordine, & loco.

Quæſt. I. De variis quæſitis circa poſitivè, & negativè cooperantes ad damna illata. 360

Q. II. De variis quæſitis circa ordinem, & locum reſtitutionis. 363

SUBDISTINCTIO IV.

De materiis reſtitutionis, circa res ſpirituales, temporales, vitæ & famæ.

Quæſt. I. De variis quæſitis circa reſtitutionem in damnis ſpiritualibus & Religionis. 365

Q. II. De variis quæſitis circa reſtitutionem in materia famæ detractæ. 367

Q. III. De variis quæſitis circa reſtitutionem in materia fortunæ, & deflorationis virginum. 370

SUBDISTINCTIO V.

De cauſis excuſantibus à Reſtitutione, præſertim de impotentia, neceſſitate, bonorum ceſſione, & ingreſſu Religionis.

Quæſt. unica. De variis quæſitis circa varias cauſas excuſantes à reſtitutione. 371

TRA-

TRACTATUS XI.

DE JURE ET JUSTITIA.

Annotatio Prologetica De Juris Origine, Diviſione, & Citatione.

§. I.

De Juris Canonici conſideratione & citatione.

1 ADvertendum eſt 1. ne illotis, ut ita dicam cum P. Engel manibus, ſeu omiſſis rerum initiis jurisprudentiam noſtram tractemus, monitum Conſultiſſimi Ulpiani ſequendum primitùs occurrit, qui in L. 1. ff. de J. & J. ſcribit: *Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat. Eſt autem à juſtitia appellatum, & eſt ars æqui & boni.* Juſtitiam verò definit Imperator Juſtinianus in principio Inſtit. *quòd ſit conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Jus ergo quandoque accipitur pro ipſis legibus ſeu conſtitutionibus, quandoque verò pro legum notitia, & ſcientia, aliquando etiam pro ipſa materia & objecto legum, ut in illis verbis patet, jus ſuum cuique tribuendi. Ad propoſitum verò jus quomodocunque ſumptum notam & vulgarem patitur diviſionem in jus Canonicum & Civile. Pro illo

2 Advertendum eſt 2. jus Canonicum provenire ab etymo græco canon, quod regulam ſignificat, & ideo definitur: quod ſit jus ex ſacris Canonibus id eſt regulis eccleſiaſticis collectum & ad rectè vivendum æternámque ſalutem acquirendam inſtitutum. Prima ergo origo Canonici juris à Deo deſumi poſſe videtur, qui primus præc[illegible] decalogi aliáſque rectè vivendi regulas hominibus præſcripſit quas deinde Summi Pontifices in ſuis canonibus circa ſingulos caſus expoſuerunt, hinc non ineptè in Inſtit. §. 1. deſcribitur jurisprudentia: *Quod ſit divinarum atque humanarum rerum notitia juſti atque injuſti ſcientia*, & ideo etiam non immeritò ſtudium juris Canonici Divini juris appellatur C. 2. *de privil.* in 6. Canones autem iſti jus Divinum declarantes in nova lege primò ab Apoſtolis introducti, & à Clemente I. Pontifice in unum congeſti ac canones Apoſtolorum nuncupati ſunt, iíque in Decreto Gratiani ad finem ponuntur, poſtea autem ſucceſſores Apoſtolorum Summi Pontifices alias conſtitutiones Canonicas addiderunt, ex quibus corpus juris Canonici compoſitum eſt, cui noviſſime Concilium Tridentinum & Bullarium acceſſit.

Advertendum eſt 3. Corpus juris Canonici dividi in ſex partes, ſcilicet primò in Decretum Gratiani ſic dictum, quod à Gratiano Monacho Ordinis S. Benedicti ex monaſterio S. Felicis Bononienſis ex diverſis tum Summorum Pontificum, tum SS. PP. tum Conciliorum dictis decenti ordine in unum volumen tempore Eugenii III. Pontificis Anno 1150. compilatum & ab ipſo Gratiano Concordia diſcordantium Canonum appellatum fuit. Solet autem Gratianus in hoc ſuo opere dubias quæſtiones ab initio ponere, & pro utraque parte authoritates adducere, atque in fine conciliare, ut cautè advertendum ſit legenti, ne indifferenter firmam deciſionem ex primis occurrentibus capitulis deſumat, ſed etiam reliqua perluſtret. Secundò in Decretales Gregorii Papæ IX. ſic dictas, quia præfatus Papa varias conſtitutiones & Decretales Epiſtolas ad dubios caſus ſuorum Prædeceſſorum per Sanctum Raymundum de Pennafort ejusdem Pontificis Capellanum & Pœnitentiarium Ordinis Fratrum Prædicatorum in unum volumen colligi curavit, quibus idem Pontifex multas conſtitutiones ſuas ac decretales epiſtolas adjecit. Tertiò in ſextum librum Decretalium, ſic dictum, quod poſt quinque libros Decretalium Gregorii IX. in lucem ſit editus à Bonifacio VIII. Summo Pontifice, licet & hic liber ſextus iterum in quinque libros ſit diviſus. Quartò in Clementinas (intellige conſtitutiones) ſic dictas à ſuo authore Clemente V. Pontifice, qui multas conſtitutiones ante & in Concilio Vienneſi in Gallia à ſe editas, in unum volumen congeſſit, quod tamen morte præventus in lucem edere non poterat, quare Joannes XXII. ejus ſucceſſor dictas Clementinas evulgavit & roboravit. Quintò in Extravagantes (intellige conſtitutiones Joannis XXII. ſic dictas, quia vagantur extra ſex libros Decretales, ob quam rationem etiam aliquando extravagantes di- 3

cuntur, additur à Joanne XXII. eo quod ſint editæ à Papa Joanne XXII. & ad differentiam aliarum extravagantium: unde ſexto in extravagantes communes, ſic dictas, quòd à diverſis Romanis Pontificibus emanaverint, & antehac ante corpus juris incertâ quaſi Sede vagarentur.

4 Advertendum eſt 4. plures adhuc alias conſtitutiones Canonicas extra corpus juris extare, ſcilicet ſeptimus liber Decretalium, Concilium Tridentinum, Bullarium Romanum, regulæ Cancellariæ, declarationes Cardinalium, & deciſiones Rotæ Romanæ. Liber ſeptimus Decretalium à Petro Matthæo Juriſconſulto Lugdunenſi ex variis Bullis & conſtitutionibus Pontificiis fuit compilatus, & licèt meras conſtitutiones Pontificias contineat, quia tamen ſine mandato alicujus Summi Pontificis, ſed privatâ tantùm induſtriâ editus eſt, non cenſetur ex omni parte authenticus, nam tales extravagantes Bullæ, quas non conſtat debito modo promulgatas, acceptatas, & cum ſuo originali per omnia concordes, in rigore non obligant, niſi producantur in forma authentica cum plumbo & ſubſcriptione. Concilium Tridentinum 18. annis continuatum plurimas Eccleſiæ Catholicæ conſtitutiones tum articulos fidei, tum morum reformationes complectitur, & non eſt dubium, quin legis univerſalis authoritatem obtineat, & in ſuis Seſſionibus non habet capitula, ſed capita, quod in lectione citationis ejus debet obſervari. Bullarium Romanum ſeriem omnium Summorum Pontificum eorumque diverſas Bullas complectitur, primum operâ Laertii Cherubini Juriſconſulti Romani compilatum, deinde ab Angelo Maria ejus filio Monacho Caſſinenſi tempore Urbani VIII. denuò editum eſt, hoc opus habet quidem privilegium conceſſum à Pontifice, ut nullus alius typographus imprimat aut vendat, per hoc tamen non habet ſpecialem authoritatem Canonicam, aliàs omnes alii libri talia privilegia præ ſe ferentes eſſent libri Canonici & legales; hinc illæ Bullæ in ſcholis ſolùm probabilem fidem merentur, & in rebus magni momenti non facerent plenam probationem, niſi in authentica forma producerentur. Regulæ Cancellariæ ſunt certæ quædam conſtitutiones Pontificiæ majori ex parte cauſas beneficiales concernentes, quas Joannes XXII. primùm edidiſſe fertur, harum natura eſt, ut cum morte Summi Pontificis exſpirent, & nullam vim habeant ſede vacante, ſed à quolibet novo Pontifice renovantur. Declarationes Cardinalium à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum proficiſcuntur, nam Pius IV. graviter prohibuit, ne quis Prælatus aut alius in Tridentinum faciat interpretationes, & ideo ſtatuit, ut dubia inde oriunda ad Sedem Apoſtolicam pro declaratione deferantur, ad quam faciendam Congregatio Cardinalium eſt erecta, hæ declarationes omnino habent authoritatem legis univerſalis, ſi fiant conſulto Pontifice, quia Sixtus V. in facultate interpretandi Tridentinum, Congregationi Cardinalium conceſſa, expreſſè addit clauſulam, nobis tamen conſultis &c. Rota Romana eſt Summi Pontificis in cauſis litigioſis tribunal ſeu judicium; quamvis autem deciſionibus hujus Rotæ extra territorium Pontificis magna authoritas tribuatur, attamen ſolùm faciunt jus inter perſonas litigantes, non verò jus univerſale, nec alii judices præcisè ſecundùm illas debent judicare, niſi nullas alias rationes meliores haberent, cum & ipſa Rota ſæpius contra eas judicet, ut teſtatur Cardinalis in C. *paſtoralis.* de fide inſtrumentorum; unde ſi aliqui textus in contrarium citarentur, ſolùm intelligendi ſunt de deciſionibus ab ipſo Principe, non vero ab ejus ſenatu; interim tamen, ſi in eadem quæſtione ſæpius conformiter deciditur, tales deciſiones facient conſuetudinem; unde nec eſt verum illas deciſiones extra territorium Romanum haberi pro reſponſis prudentum, quibus olim à Principe dubias juris quæſtiones decidendi poteſtas tradita fuit, ut habetur in Inſtit. Juris Civilis, quia non conſtat in forma authentica quòd Pontifex judicibus Rotæ dederit poteſtatem aliquod novum jus condendi, qualis olim prudentibus à Principe data fuit.

5 Advertendum eſt 5. circa Decretum Gratiani non levem eſſe authorum controverſiam, qualemnam in utroque foro authoritatem habere debeat? aliqui volunt illud ſolùm habere authoritatem probabilem ſicut quivis alius author, cum tantùm à privato Doctore & privatâ induſtriâ, & non ex mandato & approbatione alicujus Pontificis fuerit compoſitum, ſicut compoſiti fuerunt quintus & ſextus liber Decretalium. Alii directè contrarium ſentiunt, & dicunt illud habere vim authenticam legis ſecundùm quam judices tenentur judicare, quia Pontifices illud in ſuis poſterioribus conſtitutionibus allegârunt, & pro tali habuerunt, & operâ Cardinalium ad id deputatorum fuit emendatum & perfectum redditum, ſed communiter tenetur aliqua media & tertia ſententia, quod ſcilicet non conſtet decreto Gratiani in univerſum authoritatem legis eſſe attributam, propter emendationem tamen & correctionem Pontificis Gregorii XIII. mereri fidem, quod Canones ibidem allegati cum ſuis originalibus ſine errore aut falſitate correſpondeant, ſed de reliquo eos canones revocari ad primævam authoritatem, id eſt ad illam, quam à ſuis conditoribus acceperunt; hinc ſi Gratianus refert Summorum Pontificum vel Conciliorum generalium conſtitutiones, illæ habent authoritatem legis deciſivam, ſi referat leges civiles & Imperatorum conſtitutiones, illæ eatenus obſervandæ ſunt in foro eccleſiaſtico, quatenus ſupplent de-

defectum juris Cannnici, & non contrariantur immunitati eccleſiaſticæ, ſi verò propriam ſententiam ponat Gratianus, ea probabilis ſolùm habebitur. Cæterum etiam aliqui Canones illius decreti Gratiani dicuntur palea, non ideo, ut aliqui volunt, quia de rebus vilibus tanquam paleis tractant, cum ſæpe ſint de rebus magni momenti, ut de donatione totius regni Sylveſtro Pontifici à Conſtantino Imperatore donati, ut habetur Can. 13. & 14. Diſt. 96. ſed ideo, quia eſt à verbo græco palaja, quod ſignificat antiqua, vel ut alii ab adverbio græco palin, quod ſignificat rurſum, quod idem eſt ac additiones rerum antiquarum, cum conſtitutinnes palearum jam apud antiquiores Gratiano reperiantur congeſtæ.

6 Advertendum eſt 6. Decretum Gratiani conſtare ex quatuor partibus: prima pars habet centum & unam diſtinctiones diviſas in Canones ſeu capitula, ex hac parte ſolent textus ſic citari primò ponendo initium canonis vel capituli v. g. parvum C. *placuit*. Diſt. 16. lege, ut habetur canone, qui incipit placuit diſtinctione 16. vel Diſt. 89. C. *indicatum*, lege diſtinctione 89. capitulo quod incipit indicatum. Altera pars continet triginta ſex cauſas, quarum fermè quælibet continet plures quæſtiones, & quælibet quæſtio plures canones, modus citandi in hac parte eſt talis, ut primò ponatur numerus cauſæ ſine ullo addito, deinde numerus quæſtionis & tandem initium Canonis v. g. 17. q. 4. C. *ſi quis ſuadente*. lege ut habetur cauſa 17. quæſtione 4. canone, qui incipit: *ſi quis ſuadente*. vel ſic magis uſitatè C. *homicidium*. 23. q. 5. lege canone qui incipit *homicidium*, cauſa 23. quæſtione 5. tertia pars eſt tractatus de pœnitentiâ, qui inſcribitur in cauſa 33. q. 3. & habet ſeptem diſtinctiones diviſas in Canones vel capitula, ex qua parte talis eſt citatio omiſſo numero cauſæ 33. ponitur numerus diſtinctionis & additur de pœnitentia ad differentiam primæ & quartæ partis, & additur initium canonis vel ſaltem numerus canonis v. g. *cogitationis* Diſt. 1. de pœnit. lege, ut habetur canone qui incipit cogitationis diſtinctione 1. tractatu de pœnitentia. Vel ſic de pœnit. Diſt. 3. c. 33. lege, ut habetur de pœnitentia diſtinctione 3. canone 33. quarta denique pars tractat de conſecratione, & continet quinque diſtinctiones diviſas in cannnes, modus citandi eſt talis, primò ponitur ly de conſecratione, deinde numerus diſtinctionis, & tandem initium cannnis v. g. de conſecratione Diſt. 1. *nocte ſancta*; lege ut habetur de conſecratione, diſtinctione 1. canone, cujus initium eſt *nocte ſancta*.

7 Advertendum eſt 7. Decretales Gregorii IX. dividi in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula: primus liber tractat de Judicibus, quia agit de conſtitutionibus, reſcriptis, conſuetudine, electione Prælatorum, jurisdictione judicum, de tranſactionibus, reſtitutionibus &c. Secundus liber agit de proceſſu judiciario; liber tertius tradit de vita Clericorum, de beneficiis, contractibus, feudis, decimis, ſepulturis &c. Quartus liber decidit cauſas & quæſtiones matrimoniales: quintus liber agit de delictis, modo accuſandi, inquirendi & puniendi &c. quæ pro memoria hoc verſu clauduntur: *Judex, judicium, Clerus, ſponſalia, Crimen*. Modus citandi ex his libris talis eſt, primò ponitur initium capituli deinde titulus v. g. C. *damnamus* de ſumma Trinit. lege, capitulo quod incipit *damnamus*. titulo de ſumma Trinitate; vel de *electione* C. venerabilem, lege ut habetur titulo de electione, capitulo quod incipit venerabilem. Hic ultra notandum eſt aliquando præter inſcriptionem tituli ac initii capituli ſolere apponi ly extra aut litera X. v. g. C. 1. extra. de elect. quod extra vel X. aliquando apponitur ad ſignificandum hujusmodi textus haberi extra Decretum Gratiani, præſertim quando in uno corpore juris ſunt Decretum & Decretales, & hoc bene obſervandum eſt, ne quis ſtatim exiſtimet per illam particulam *extra*. ſignificari Extravagantes. Cæterum ſive apponatur *extra* ſive non, ac fiat citatio ſolius tituli & initii capituli, & nihil aliud addatur, ſignum erit, textum illum haberi in quinque libris Decretalium.

Advertendum eſt 8. Librum ſextum Decretalium & Clementinas dividi iterum in quinque libros, libros in titulos, & titulos in capitula, modus autem citandi ex libro ſexto & ex Clementinis eſt idem per titulos & capitula ſicut in prioribus quinque libris Decretalium cum hoc ſolùm diſcrimine quod addatur ly *in ſexto*. vel ly *Clement*. v. g. C. *cum quis*. de ſepult. in 6. lege, ut habetur capitulo quod incipit *cum quis* titulo de ſepulturis in ſexto Libro Decretalium. item C. *ficut*. de appellat. in Clem. lege ut habetur capitulo quod incipit *ficut* titulo de appellationibus in Clementinis, Vel ſic brevius Clem. un. *de rer. permut*. lege ut habetur in Clementina, quæ habet unicum capitulum in illo titulo de rerum permutatione. Interdum etiam ſimpliciter ponitur ly Clem. cum initio capituli ſive mentione tituli, quod præſertim fit, quando illud capitulum eſt notius, v. g. Clem. *exivit*. lege, ut habetur in Clementina, quæ incipit exivit. Præterea cum conſtitutiones Clementis V. quandoque appellentur Extravagantes, eo quod vagentur extra ſex libros Decretalium, ſolent nonnunquam citari ad modum aliarum Extravagantium v. g. Clem. 5. in extravag. *exivit*. lege ita Clemens V. in Extravaganti, quæ incipit *exivit*. 8

Advertendum eſt 9. Extravagantes Joannis XXII. continere viginti quinque conſtitutiones ſeu epiſtolas decretales in quatuordecim titulos diſtributas & ſolent citari ponendo nomen Papæ Joannis XXII. ad differen- 9

tiam extravagantium communium, & citando initium conſtitutionis una cum addito ly *extra* v. g. ut inquit Joannes XXII. extra. *quia quorumdam.* lege, ut ſtatuit Joannes XXII. in extravaganti conſtitutione, quæ incipit *quia quorumdam.* Extravagantes vero communes dividuntur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula, quorum ſingula novam & diſtinctam continent Conſtitutionem extravagantem, modus citandi eſt idem, qui eſt in Decretalibus ſcilicet citando titulum & ponendo initium capituli ſeu extravagantis addendo ly extra v. g. extravag. *unigenitus.* de pœnit. & remiſs. lege in extravaganti quæ incipit *unigenitus*, titulo de pœnitentiis & remiſſionibus.

§. 2.

De juris Civilis conſideratione & citatione.

1 ADvertendum eſt 1. Jus civile ſeu imperiale ortum ſuum habere à Juſtiniano Imperatore, qui partim ipſe per ſuas leges & ſanctiones aliquod corpus juris congeſſit, partim autem per alios prudentes & eorum reſponſa ſupra controverſias hominum tanquam ut leges impoſterum obſervandas congerere fecit, plerumque autem totum Corpus Juris continet in ſe quinque partes: prima pars eſt Digeſtum ſeu Pandectæ; ſecunda pars eſt codex; tertia pars ſunt Inſtitutiones Juſtiniani; quarta pars ſunt Authenticæ ſeu novellæ conſtitutiones; quinta pars ſunt libri feudorum. De aliis autem legibus Longobardorum & Conſtitutionibus Imperatoris non eſt opus aliquid dicere, cum earum citatio vix occurrat: prædictæ autem partes juris civilis habent propria ſigna diſtinctiva ſuis citationibus apponi ſolita, & quidem duplex ff. vel græcum π. vel littera D. ſignant Digeſtum ſeu librum Pandectarum. Deinde littera majuſcula C. ſignat codicem. ly Inſtit. denotat Inſtitutiones, ly Auth. vel Novel. ſignat Authenticas vel novellas conſtitutiones, ac tandem ly Feu. libros feudorum. Cæterum littera L. ſignificat legem, tit. titulum §. & ly eodem idem eſt ac eodem titulo hoc eſt proximè citato & pleræque partes juris civilis dividuntur in Libros, libri in titulos, tituli vero non in capitula ſicut in jure Canonico, ſed in leges, & poſtmodum nonnullæ leges in §. hinc in citandis textibus juris civilis idem fermè ſervatur modus citandi, qui in Decretalibus, excepto quod loco capituli ponatur initium legis addito quandoque, ſi lex eſt longior, initio §. aut ejuſdem numero.

Advertendum eſt 2. Digeſtum ſeu librum
2 pandectarum continere in ſe quinquaginta libros, qui omnes dividi ſolent in tres tomos. Primus appellatur Digeſtum vetus, & continet priores viginti quatuor Libros: ſecundus dividitur in fortiatum, & continet ſequentes quatuordecim libros usque ad triginta octo incluſivè: tertius vocatur Digeſtum novum, & continet reliquos duodecim Libros, quamvis modernæ editiones totum Digeſtum in unum tomum conſtringant, libri autem iſti ulterius dividuntur in titulos, tituli in leges, & leges nonnunquam in §§. & ex illis ſic citari ſolet: primo ponitur initium aut numerus legis, & dein, ſi lex longior eſt, additur §. ff. vel π. vel D. & tandem titulus v. g. L. *ſi quis vi.* §. *differentia.* ff. de aquir. poſſ. legatur, ut habetur lege quæ incipit *ſi quis vi.* §. qui incipit *differentia*, in Digeſtis titulo de acquirenda poſſeſſione.

Advertendum eſt 3. Codicem Juſtiniani 3
habere duodecim libros, qui poſtmodum dividuntur in titulos, tituli in leges, & leges longiores in §§. in novem primis libris, qui ſimul conjungi ſolent, eſt eadem citationum ratio, quæ in Digeſtis, niſi quod loco ff. pro ſigno diſtinctivo ponatur majus C. v. g. *L. in teſtam.* C. de teſtam. id eſt, lege quæ incipit *in teſtamento* in codice titulo de teſtamentis, vel aliter: de fidejuſſ. C. L. fin. id eſt, titulo de fidejuſſoribus in codice lege finali, quæ lex ideo dicitur, quia eſt lex ultima citati tituli; aliqui autem applicant ly fin. ſolis §§. & capitulum ſeu legem ultimam titulorum denotant per ly L. ult. cæterum in tribus poſtremis libris codicis ſcilicet in 10. 11. & 12. qui ſeparatim à prioribus novem libris collocantur, exprimitur etiam numerus libri v. g. *omnes profugi* C. de agric. Lib. 11. id eſt lege quæ incipit *omnes profugi* in codice Libro 11. titulo de agricolis. Quod ſi numerus libri non apponatur, quærenda erit citatio in prioribus novem libris Cod.

Advertendum eſt 4. Inſtitutiones Juſti- 4
niani dividi in quatuor libros, libros in titulos, & titulos in §§. non vero in leges, ſolet autem citatio fieri nullà factà mentione libri, ſed primò ponendo initium §. deinde ſignum diſtinctivum inſtitutionis, & tandem ſubjungendo titulum in quo §. ille continetur v. g. §. *ferè* inſtit. de rer. div. legatur ſic §. qui incipit *ferè* in inſtitutionibus titulo de rerum diviſione.

Advertendum eſt 5. Novellas ſeu authen- 5
ticas conſtitutiones conſtare novem authenticis collationibus, quibus recenter decima eſt adjecta, ex his quælibet collatio in plures titulos ſeu novellas dividitur, ex novellis vero quædam ſubdividuntur in plura capitula, & in illis ſolet fieri citatio: primo ponendo initium capituli, ſi quod habet, deinde numerum novellæ cum titulo ejus, & tandem numerum collationis v. g. cap. *ſed tamen*, novella 129. titulo de Samar. coll. 9. legatur capitulo quod incipit *ſed tamen* novella 129. titulo de Samaritis, collatione 9 interdum vero pro novella ſcribitur authentica, & fit citatio ponendo titulum vel potius rubricam ejus & initium §. v. g. auth. ut *facta nov.*

nov. conſt. §. ſancimus. legatur ſic in authentica, cujus titulus eſt *ut facta nova conſtitutiones &c.* §. qui incipit ſancimus, & tunc in indice libri authenticarum eſt quærendum ly *ut facta nova conſtitutiones &c.* ſicque præfata citatio facile invenietur.

6 Advertendum eſt 6. Libros feudorum, qui & conſuetudines feudorum appellantur, eſſe duos partiales Libros, qui dividuntur in titulos, & tituli in §§. & citatio fieri ſolet ponendo primùm ſignum diſtinctivum ſcilicet
1 feud. deinde titulum, ac tandem §. v. g. in lib. feud. de prob. feud. alien. per Frid. §. calidis inſuper. id eſt in libro feudorum, titulo *de prohibita feudi alienatione* per Fridericum §. qui incipit calidis inſuper. interdum §. ponitur primo loco v. g. §. calidis inſuper feud. *de prob. feud. alien.* per Frid.

§. 3.

De utriusque juris contrarietate concordanda.

1 ADvertendum eſt non raro in recenſitis jurium partibus reperiri antinomiam ſeu contrarietatem conſtitutionum, ideo de conciliatione talium contrariarum conſtitutionum quædam regulæ ſunt memoriæ imprimendæ, quibus tam contrarietas conſtitutionum unius juris, quàm contrarietas juris Canonici & Civilis pacificari poterit, nec propterea nobis prohibitum erit etiam aliquid ſtudere de jure civili per cap. ult. *ne Clerici vel Monachi &c.* ubi ſub pœna excommunicationis interdicitur perſonis eccleſiaſticis ſtudium juris civilis; quia illa prohibitio tantùm intelligi debet de tali ſtudio, quod abſtrahit à vita eccleſiaſtica, & fit intentione ſubeundi munera & officia advocatorum ſæcularium vel judicum; non autem quod fit in ordine ad perfectum juris Canonici intelligentiam. Ad majorem tamen cautelam Univerſitates ſolent à S. Pontifice expreſſum privilegium admittendi Clericos ad publicas lectiones legum civilium impetrare, quale etiam habet Univerſitas Salisburgenſis, nos autem non indigentes tali privilegio de jure civili in particulari parùm tractabimus, ſed tantùm de illo in communi conciliando cum jure Canonico ſequentes regulas ſubjicimus. Hinc

Prima regula eſt, ſi contrarietas reperitur
2 in unius Pontificis vel authoris compilatione v. g. ſi uterque canon contradicens ſit in Decretalibus, vel utraque lex in codice &c. per congruam interpretationem conciliatio eſt facienda, ſi verò inter priores & poſteriores compilationes v. g. inter Decretales & librum ſextum, vel Clementinas, vel inter codicem & libros feudales ſit contrarietas eaque manifeſta, ſtabitur poſteriori deciſioni. Ratio primi eſt, quia in una eadémque legum compilatione non debet eſſe contrarietas, ut habetur L. 2. §. *contrarium.* C. de vet. jur. enucl. niſi fortè canon expreſsè terminos correctorios alterius canonis habeat ut in *C. 2. & 3. de elect.* In 6. ratio verò ſecundi eſt, quia jus poſterius derogat priori, ut habetur Cap. *ult.* de ſent. excom. in 6. ſi autem dubia eſt contrarietas, quæ commoda aliqua interpretatione ſalvâ verborum proprietate exponi poſſit, expedit jura juribus concordare, ut evitetur jurium correctio & contrarietas, ut habetur C. *cum expediat* 29. de elect. in 6.

Secunda regula eſt, quoties caſus aliquis
dubius eſt in jure civili, jure autem Canonico clarè deciſus, hæc deciſio etiam in foro civili eſt obſervanda, & è converſo, ſi quid in jure Canonico dubium eſt & obſcurum, ut præſertim eſt circa contractus, jure autem civili clarum, in foro eccleſiaſtico etiam juri civili locus eſt. Ratio primi eſt, quia jus Canonicum in multis præcedit jus civile, & eſt purius à periculis peccatorum, quàm jus civile. Ratio vero ſecundi eſt, quia *C. 1. & 2.* de nov. oper. nunt. habetur: quod *ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum Canonum inſtituta Principum conſtitutionibus adjuvantur.* 3

Tertia Regula eſt, ſi inter jus Canonicum
& civile ſit pugna & contrarietas, eaque ſit de re profana, nec attingat conſcientiam vel peccatum, ut circa ſolemnitates teſtamentorum, judiciorum, contractuum &c. tunc quodlibet jus in ſuo foro obſervandum eſt, nimirum in terris Summo Pontifici ſubjectis jus Canonicum, in terris imperii jus civile, ut habetur C. *cum ad verum.* 6. Diſt. 96. in cauſis tamen Clericorum temporalibus etiam extra territorium Romani Pontificis juri Canonico eſt inſiſtendum, ut habetur C. *quod Clerici.* de for. compet. niſi Clericus, ut docet Barboſa in eundem tit. tanquam actor conveniat Laicum coram judice ſæculari, quo caſu, ſicut Clericus actor forum rei Laici, ita etiam ejuſdem fori leges ſequi debet; hinc illa verba capituli cit. intelligi debent de Clericis coram judice tamen eccleſiaſtico actionem inſtituentibus. 4

Quarta regula eſt, ubi de re conſcientiæ
& materia peccati agitur, ſi inter jus Canonicum & civile ſit differentia, tenendum eſt jus Canonicum etiam in terris imperii. Ratio eſt, quia in ſpiritualibus, ubi de ſalute animæ agitur, juriſdictio Pontificis & ejuſdem jus extenditur in totum orbem, hinc in C. *ult.* de præſcript. corrigitur jus civile permittens præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide, & C. *audite.* Diſt. 34. abrogantur leges civiles permittentes impunè concubinatum. Nec obſtat C. *Chriſtiano.* 5. Diſt. 34. ubi ex ſententia PP. Chriſtiano una tantùm aut uxor, aut concubina permittitur, quia ibi nomine concubinæ non intelligitur ſcortum, SS. PP. 5

contra prohibitionem juris divini admittere non potuiſſent, ſed uxor ducta quidem per verum conſenſum matrimonii, qui ante Tridentinum absque alia ſolemnitate ſufficiebat ad matrimonium, ſed quia clandeſtinè ſine dotalibus inſtrumentis, talis uxor in foro externo concubina præſumebatur.

6 Quinta regula eſt, in materia ſpirituali & Sacramentorum neglecta diſpoſitione juris civilis univerſim ad jus Canonicum recurrendum eſt. Ratio eſt, quia hæc tractare & definire non ad ſæcularem ſed eccleſiaſticam poteſtatem pertinet, ut habetur cap. *decernimus.* de judiciis. Unde licet in jure civili invalidum ſit matrimonium quod filii familias contrahunt ſine conſenſu parentum in quorum poteſtate exiſtunt, ut L. *nuptia.* ff. de rit. nupt. jure tamen Canonico & Concil. Trid. ſi non ſimpliciter licitum ſaltem validum pronuntiatur.

7 Sexta regula eſt, quod leges civiles diſponentes de perſonis & rebus eccleſiaſticis ex defectu jurisdictionis invalidæ reputentur, etiamſi favorem eccleſiæ concernant ut habet C. *eccleſia.* De conſtit. ratio eſt; quia perſonas eccleſiaſticas & res earum jure Divino à ſæcularium dominorum poteſtate exemptas eſſe à Conciliis generalibus, quibus competit de jure Divino agnoſcere, apertè declaratum eſt, ut hab. C. *quamquam.* de cenſib. in 6. & Trident. Seſſ. 25. de Reform. c. 20. Dixi etiamſi leges civiles eccleſiæ faverent, ſed hoc ita accipiendum eſt, ſi lex favorabilis contineat aliquam obligationem & mandatum aut jurisdictionis ſpeciem, ne prætextu favorabilis conſtitutionis Principes ſæculares in eccleſiaſticos uſurpent jurisdictionem, adeóque tales leges nullam aliam haberent vim, quàm quatenus à SS. Canonibus ſunt receptæ; ſi verò leges nullam habent annexam obligationem, ſed ſint merè favorabiles & pura privilegia, non eſt dubium quin ſubſiſtant, nam inconveniens eſſet quod in favorem Eccleſiarum introducitur, & legi ſæculari ſubjacere non facit, in earum odium retorqueri, & ſic nullo ſæcularium Principum privilegio poſſent affici, quod eſt contra C. *quod ob gratiam.* de Reg. Jur. in 6. & tale privilegium eſt in auth. *quas actiones.* C. de ſacros Eccleſ. ubi contra Eccleſiam Romanam tantum centenaria, contra alias quadragenaria præſcriptio admittitur, & in auth. *item nulla communitas.* C. de Episc. & Cler. ubi Eccleſiæ & perſonæ eccleſiaſticæ ab oneribus realibus per ſæculares magiſtratus imponendis liberæ pronuntiantur.

DISTINCTIO I.

De Jure prout Juſtitiæ objecto.

QUÆSTIO I.

Qualiter jus ſit objectum juſtitiæ, & quomodo jus dividatur principaliter?

Advertendum eſt 1. jus in primaria ſua ſignificatione idem eſſe quod juſtum, juſtum verò idem eſt quod æquum, ſeu aliquid adæquatum & commenſuratum alteri; ex quo patet juſtum poſſe dupliciter accipi, primò genericè, prout ſignificat opus conformè & commenſuratum legi tanquam regulæ operationis humanæ, & hoc dicitur juſtum legitimum: Secundò accipitur ſpecificè, prout eſt æqualitas inter debitum ſeu obligationem unius & jus activum alterius, quod jus activum dicitur poteſtativum tanquam radix obligationis & titulus, quem juſtitia reſpicit ex parte ſocii proximi; hinc etiam eſt, quòd juſtitia principaliter & immediatè ſolùm reſpiciat & rectificet actiones voluntatis, quæ ſunt ad alterum, non verò paſſiones, niſi ſecundariò, in quantum ſcilicet poteſt imperare actus aliarum virtutum circa paſſiones verſantium v. g. actum manſuetudinis, ne ex inordinata paſſione iræ damnum inſeramus proximo. 1

Advertendum eſt 2. etiam obligationem ex jure ſeu debitum eſſe duplex, unum eſt morale ſeu ſimplicis honeſtatis, & aliud legale ſeu rigoroſum: primum eſt, quod fundatur in honeſtate virtutis, qualiter ex lege charitatis tenetur quis abſtinere à ſcandalo, vel titulo gratitudinis ſe gratum exhibere patrono: ſecundum eſt, quod oritur ex jure activo alterius, & quod eſt correlativum ipſius, quare etiam appellatur jus paſſivum, dicitur autem debitum legale, quia fundatur in legitima poteſtate alterius in lege fundata, quæ poteſtas non eſt quid phyſicum ſed duntaxat morale, competens homini ex aliqua Dei ordinatione vel deputatione, ſicut alicui competit eſſe Doctorem vel conſulem &c. His notatis ſequitur: 2

Propoſitio 1. *Jus propriè ſumptum bene definitur: quod ſit libera & legitima poteſtas diſponendi de aliqua re juſtè non impedibilis, aliàs de novo reparabilis.* Ratio eſt, quia primò dicitur libera, quô ſignificatur ſolùm naturam rationalem uti libertatis ita & juris vel injuriæ eſſe capacem: dicitur ſecundò legitima, hoc eſt conformis legibus; alia enim quævis poteſtas non eſt jus, ſed vis & injuria, quâ latrones & tyranni utuntur: dicitur tertiò diſponendi de re aliqua ſub latiſſima acceptatione diſpoſitionis, ita ut comprehendat 3

etiam

etiam actum gubernandi, poſſidendi &c. per quod etiam ſignificatur objectum juris eſſe res, actiones, perſonas &c. dicitur quartò juſtè ſeu licitè non impedibilis, per quod denotatur effectus hujus juris, qui eſt obligatio & debitum in aliis, ne iſtud jus impediant; hoc ipſo enim, quod jus favet uni, ſimul gravat alios, cum ex jure activo in uno reſultet obligatio paſſiva & debitum in aliis, ut ſi illud violaverint, debeant reſarcire, ideo additur, alias de novo reparabilis.

Nec dicas: ſi jus definitur: Quod ſit legitima ſeu juſta poteſtas & juſtè non impedibilis, tunc per circulum vitioſum explicatur jus per juſtitiam, quia etiam juſtitia definietur ſuo loco, quod reddat alteri jus ſuum: ergo non benè definitur.

Reſpondeo neg. antec. nam difficile quidem eſt explicare quomodo non fiat circulus per præfatam definitionem, niſi eam magis explicando ſic, quod ſit tale debitum poteſtatis, quod quoties violatur, producitur ex eo nova obligatio reſtituendi, quod intercurrit in omni debito juſtitiæ, ut ſi occidiſti, ſi furatus es, contrahis obligationem ſatisfaciendi, ſi verò peccâſti contra votum, contra gratitudinem, non contrahis novam obligationem reſtituendi.

Dices: etiam talis obligatio eſt juſtitiæ: ergo ſi jus ſtrictum definitur quod ſit debitum ex quo naſcitur obligatio reſtituendi, pariter dicitur debitum ex quo naſcitur obligatio juſtitiæ, & ſic idem per idem, nam ideo tenetur aliquis reſtituere, quia ſtrictè debet, & ideo ſtrictè debet, quia tenetur reſtituere, quod pariter eſt circulus.

Contra neg. conſeq. nam quamvis talis obligatio ſit juſtitiæ; ſed in definitione non ponitur niſi ut nova obligatio abſtrahendo ab eo, quod ſit obligatio juſtitiæ, violatio enim gratitudinis non parit ex ſe novum debitum reſtituendi; hinc omnino concedendum eſt, quod aliquis teneatur ſatisfacere, quia ſtrictè debet, & ideo ſtrictè debet; quia tenetur ſatisfacere, ſed unum eſt à priori, alterum à poſteriori, ſicut rationale & riſibile ſe mutuò probant ſine circulo.

4 Propoſitio 2. *Objectum materiale juſtitiæ poſſunt eſſe vel res externa alteri debita ut pecunia, vel actiones, quibus alteri tribuitur quod ſuum eſt.* Ratio eſt, quia objectum materiale eſt res indifferens, ut à pluribus virtutibus & ſuis reſpiciatur, & ſub una formalitate rectè ad hanc virtutem & non ad aliam reducitur; ſed res externæ alteri debitæ poſſunt à pluribus virtutibus reſpici ſcilicet à prudentia, à charitate, obedientia &c. & rectè ſub formalitate reſarciendi jus alterius ad juſtitiam reducuntur.

Nec dicas: illud eſt objectum materiale, circa quod actus elicitus virtutis verſatur, & in quo juſtitia immediatè ponit ſuam mediocritatem; ſed hanc non ponit juſtitia in res externas v. g. in depoſitum, ſed in actiones, quibus illæ res reſtituuntur, aut diſtribuuntur: ergo non res ſed actiones ſunt objectum materiale juſtitiæ.

Reſpondeo diſting. maj. circa quod actus elicitus virtutis vel proximè vel remotè verſatur conc. circa quod proximè ſolùm verſatur neg. maj. diſting. min. ſed mediocritatem juſtitia non ponit in res externas remotè neg. non ponit in eas proximè conc. min. & ſic diſtincto conſequenti neg. conſeq.

Propoſitio 3. *Si jus accipitur pro juſto in genere ſeu quà legitimo, tunc eſt objectum virtutis obedientiæ.* Ratio eſt, quia ſi jus eſt idem ac legitimum ſeu quod lege ſtatutum eſt, tunc id aliquis reſpicit, quatenus illud vult & facit, quia eſt præceptum; ſed hoc eſt objectum formale virtutis obedientiæ: ergo. 5

Nec dicas: aliquid eſſe lege ſtatutum eſt objectum omnis virtutis, quia lex in omni virtute aliquid ſtatuit: ergo tale jus pro legitimo non eſt objectum ſolius virtutis obedientiæ.

Reſpondeo diſting. antec. aliquid eſſe lege ſtatutum materialiter tale eſt objectum omnis virtutis conc. formaliter tale ſeu quà tale neg. antec. hinc omnino ſi legitimum accipitur materialiter pro eo, quod eſt lege ſtatutum, eſt objectum omnis virtutis, non verò ſi legitimum ſumitur formaliter ſeu pro eo, quia eſt lege ſtatutum, pro tunc enim eſt objectum ſolius virtutis obedientiæ. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Jus paſſivum ſeu ſpecificativè acceptum pro æqualitate inter debitum unius & jus activum alterius; id eſt ipſa actio ut æqualis juri eſt objectum formale quod juſtitiæ: ratio verò formalis ſub qua eſt honeſtas prædictæ æqualitatis; objectum tandem cui eſt ipſa perſona, quatenus habens jus activum, cui æquale ſit.* Deducitur ex Scoto in 4. diſt. 46. q. 1. §. *hic primo.* ubi cum Anſelmo dicit: *juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata - - - Ariſtoteles addit ultra hanc rationem hoc, quod eſt eſſe ad alterum.* Quod deinde Scotus explicat per æqualitatem. Eſtque Amici Tom. 5. diſp. 10. ſect. 1. & communis Juriſtarum. 6

Probatur 1. Pars, tum quia, illud eſt objectum formale juſtitiæ, quod juſtitia per ſuos actus per ſe primò intendit; ſed per ſe primò intendit æqualitatem inter rem vel actionem legaliter debitam, & jus alterius: ergo. min. prob. actus primarius juſtitiæ, qui eſt tribuere ſuum, formaliter reſpicit ad debitum paſſivum æquale alteri: ergo: tum quia, is peculiari ratione dicitur juſtus, qui hanc æqualitatem debitam amat & ſervat, & injuſtus, qui eam non ſervat, ut patet in contractibus: ergo hæc æqualitas, quatenus debita eſt, eſt formale objectum juſtitiæ. conſeq. patet: quia objectum formale alicujus virtutis eſt illud bonum honeſtum, quod per illam virtutem in opere intenditur.

Probatur 2. pars: motivum formale cujuslibet virtutis moralis eſt honeſtas illius rectitudinis, quæ per ſe primò à tali virtute reſpicitur; 7

Digitized by Google

tur; ſed honeſtas æqualitatis inter debitum & jus activum alterius à juſtitia per ſe primò reſpicitur: ergo honeſtas illius æqualitatis eſt motivum ſeu ratio formalis ſub qua juſtitiæ, cum hæc ad nullam aliam virtutem pertinere poſſit.

8 Probatur 3. pars: Virtus juſtitiæ eſt ad alterum: ergo non ſolùm habet objectum *quod*, ſed etiam objectum *cui*, nempe perſonam, cui redditur æquale, non quidem illam perſonam nudè & materialiter ſpectatam, ſed formaliter conſideratam, quatenus eſt informata jure activo, ratione cujus fundat obligationem & debitum legale in altero, ita ut jus activum formaliter pertineat ad objectum *cui*. His

Addendum eſt, eodem modo injuſtitiam habere pro objecto ſuo injuſtum ſeu inæquale, ac proinde definiendum eſſe: quod ſit habitus vitioſus, quo quis lædit jus alterius; adeóque ejus proprius actus eſt injuria, ſeu violatio juris alieni: injuſtitia materialiter ſumpta poteſt eſſe in ignorantia, formaliter verò ſumpta non, niſi formaliter, vel virtualiter aut interpretativè ſit volita.

9 Objicies 1. Plures ſunt virtutes ad alterum, quarum objectum non eſt alteri debitum, ut liberalitas, gratitudo, qui enim donat, non alteri donat, quod ei debet, aliàs potius redderet quàm donaret: ergo nec juſtitiæ objectum eſt jus alteri debitum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia virtus juſtitiæ eſt ad alterum ſub debito perfecto & legali, ideo pro objecto habet jus alteri perfectè debitum, ad quod ſolvendum debitor lege poteſt cogi; aliæ verò virtutes ſunt ad alterum ſub debito imperfecto & morali fundato in honeſtate & decentia virtutis, ad quod ſolvendum debitor lege non poteſt cogi.

Dices: de ratione ergo juſtitiæ eſt ponere juris æqualitatem inter debitorem & creditorem, quæ ante non erat; ſed juſtitia non ponit, ſed ſupponit jura, inter quæ eſt ponenda æqualitas: ergo nec juſtitiæ objectum poteſt eſſe jus alteri debitum, quia talis virtus practica non poteſt ponere, & ſimul ſupponere ſuum objectum.

Contra diſting. min. juſtitia ſupponit jura prout ſumuntur pro æqualitate neg. min. prout ſumuntur pro dominiis rerum conc. min. jus ergo prout convertitur cum æqualitate eſt objectum juſtitiæ, & ponitur ab ipſa, prout verò convertitur cum dominio, eſt objectum *cui*, & hoc à juſtitia ſupponitur & adæquatur per juſtum.

Dices: datur etiam alia virtus, quæ pro objecto habet jus alteri debitum, & tamen non eſt juſtitia: ergo tale jus adhuc non eſt objectum formale. antec. prob. pœnitentia reſpicit jus divinum læſum propria ſatisfactione compenſabile; ſed nequit pœnitentia hoc jus compenſare ad æqualitatem: ergo non eſt juſtitia, & tamen reſpicit debitum alteri.

Contra neg. antec. ad prob. diſting. min. nequit compenſare ex ipſa eſſentia juſtitiæ quoad ſe neg. ex defectu pœnitentis, conſequenter ex defectu propriæ virtutis qua pœnitentia eſt conc. min. & neg. conſeq. hinc etiam vindicatio non reſpondet juri alterius, ſed ipſius vindicantis, quia hæc virtus non eſt ſpecies juſtitiæ particularis, ſed potius ejus pars potentialis & generica.

Objicies 2. Dantur varii actus juſtitiæ, 10
qui ſolùm reſpiciunt debitum rigoroſum juris alterius ſine æqualitate: ergo. antec. prob. tum quia, depoſitarius reddens depoſitum, non reddit æquale, ſed idem quod acceperat: tum quia, debitor depauperatus, ſi centum debeat, & non poſſit plus ſolvere quàm decem, facit actum juſtitiæ reddendo decem, nec tamen ponit æqualitatem.

Reſpondeo neg. antec. & ejus probam. tum quia, reddendo eandem pecuniam ponit æqualitatem inter ſuum debitum & jus depoſitoris. Tum quia æqualitas per identitatem eſt omnium perfectiſſima, nam nunquam magis tantùm redditur, quantùm debetur, quàm ubi hoc ipſum redditur: quod fuit acceptum, aliàs enim nec in reſtitutione rei furtivæ poneretur æqualitas. Ad probam ſecundam dico ipſum depauperatum debitorem cum animo ſolvendi centum, ſi quondam facultas ſuppetat, imperfectum actum juſtitiæ committere, eò quòd ponat æqualitatem inchoativè & inter partem ſui debiti cum parte juris, quod eſt in creditore, quæ ſolutio ordinatur ad perfectam æqualitatem ponendam, ſi facultates admiſerint.

Dices: in contractu emptionis non ſervatur æqualitas dati & accepti, nam equus v.g. emitur argento, quod quantumvis multiplicatum, nequit adæquare perfectionem equi: ergo adhuc non requiritur æqualitas pro objecto juſtitiæ.

Contra diſting. antec. non ſervatur æqualitas phyſica conc. non moralis, quam intendit juſtitia neg. antec. quamvis enim argentum quoad entitatem & perfectionem phyſicam non poſſit adæquare equum, utpote quid animatum, in ordine tamen ad uſus humanos ſeu moraliter tantùm valent nummi, quanti æſtimatur equus. Sic etiam occidens alterum verè peccat contra juſtitiam, qui licet eodem genere nihil poſſit ponere æquale, poteſt tamen in ſuperiori & diverſo genere ponere æquale.

Dices: ſi quis pro equo furtim abducto reponeret tantam ſummam pecuniæ, quantâ valet equus, non tamen ſatisfaceret ſecundùm juſtitiam, & tamen poneret æqualitatem: ergo æqualitas non eſt objectum formale juſtitiæ.

Contra diſting. ſecundam partem anteced. poneret æqualitatem præcisè inter equum & pretium equi tranſeat antec. poneret æqualitatem inter ſuum debitum & jus alterius, qui eſt dominus equi neg. antec. ad hoc ergo jus reparandum non tantùm tenetur pretium æquivalens

Digitized by Google

leus ſed ipſum equum reddere, ſi exſtet, ſiquidem dominus equi habet jus in equum ipſum in ſpecie & individuo.

11 Aſſero 2. *Quamvis fermè eodem modo dividatur jus ſicut lex, ſpecialiter tamen jus dividitur in jus naturæ, & jus gentium, in jus proprietatis & juriſdictionis, in jus in re, & in jus ad rem, in jus altum, & baſſum, in politicum, & œconomicum.* Deducitur ex Scoto Quodl. 18. §. *de primo.* item in 4. diſt. 15. q. 2. §. *hic ſunt.* item in 3. diſt. 37. q. un. §. *ad quæſtionem.* eſt communis.

Prima pars patet ex materia de legibus Diſt. 1. Quæſt. 1. Aſſert. 3. præterea de jure gentium patet ibidem diſt. 2. q. 1. advert. 1. & 2. ubi de jure gentium etiam dicitur eſſe immunitas & inviolabilitas alicujus legati; pro cujus tamen delictis puniendis diſtinguendum eſt: an ejus delicta ſint contra jus civile, an contra jus gentium; ſi primum, ſi forte hominem privatum occideret, non poteſt puniri à Principe, ad quem miſſus eſt, ſed à ſuo principali, à quo miſſus eſt, quia legatus non ſubeſt juri civili Principis, ad quem eſt miſſus; hinc non ſine cauſa ab aula Cæſarea liber ante aliquot annos fuit dimiſſus homicida aſſaſinus Legatus Portugalliæ, qui impiiſſimo juſſu comitem de Halibal in feſto S. Laurentii trajici fecit, non enim peccavit contra jus gentium, ſed contra jus civile, ſi tamen ejus delictum eſſet contra jus gentium, ut ſi fortè pacem turbaret, commoveret ſeditiones, poſſet puniri à Principe, ad quem miſſus eſt veluti hoſtis. Ex quo ſe-
1 quitur, ſi Legatus ad Summum Pontificem miſſus delinquat contra jus Canonicum, quòd ab hoc poſſit puniri, cum Summus Pontifex non tantùm in Territorio Romano ſed in tota Eccleſia ſit univerſalis Princeps Eccleſiaſticus.

12 Secunda pars declaratur ex eo, quod aliquando poſſideamus ipſas res pro libitu noſtro diſtrahendas; aliquando verò communitates perſonarum pro libitu noſtro dirigendas; unde fit, quòd in primis ſit jus proprietatis & quidem duplex ſcilicet perfectum & imperfectum; primum eſt, quod ſe extendit tam ad ſubſtantiam rei quàm ad ejus fructus & commoda; ſecundum eſt, quod ſe extendit vel ad ſolam ſubſtantiam rei ſine fructibus, vel ad ſolum fructum ſine dominio rei quoad ſubſtantiam; ut patet in uſufructuariis in ſecundis verò eſt jus juriſdictionis pariter duplex ſcilicet Eccleſiaſticum & ſeculare: primum eſt poteſtas gubernativa in ordine ad finem ſupernaturalem, ut poteſtas Pontificis; ſecundum eſt poteſtas gubernativa in ordine ad finem naturalem, ut eſt poteſtas Imperatoris. Cæterum autem jus proprietatis diſtinguitur à jure juriſdictionis, quod illud cedat in favorem & felicitatem propriam, hoc verò cedat in favorem & felicitatem aliorum.

13 Tertia pars eruitur ex communi Juriſtarum declaratione, quod jus in re ſit illud, quod eſt circa aliquam rem, quæ ad ipſum jus eſt devincta, ſeu quod rem ipſam ſibi immediatè habet obligatam: unde etiam dicitur jus reale, fundátque actionem realem, v. g. Petrus eſt tibi furatus equum, quem Paulo vendidit, tunc habes jus & actionem in equum ubicunque ſit, & tale jus regulariter habetur per emptionem alióſque contractus ſecuta traditione: jus verò ad rem eſt, quod ſibi non rem ſed perſonam habet devinctam & obligatam; unde etiam dicitur jus perſonale, tribuítque actionem perſonalem non circa rem, ſed circa perſonam v. g. dediſti mutuam pecuniam Petro, habes actionem in Petrum, non in pecuniam; ſiquidem obligatio adhæret Petro, & non pecuniæ, cùm pecunia, quam mutuò dediſti, non ſit tua, ſed Petri, hoc jus acquiritur per donationem, emptionem alióſque contractus ante traditionē rei.

Quarta pars accipitur à diviſione juris non 14
prout eſt objectum juſtitiæ, ſed prout eſt dominium, quod eſt fundamentum juſtitiæ, hinc jus altum dicitur dominium directum, quod Princeps habet diſponendi de bonis civium in ordine ad bonum commune, dicitur directum ad differentiam utilis, quod cives de ſuis bonis habent, ex quibus ipſi emolumenta capiunt; cùm ex directo dominio nulla utilitas accreſcat Principi ut privatæ perſonæ; dicitur diſponendi, hoc eſt utendi ea re ad uſum lege non prohibitum, dicitur de bonis civium, ad indicandum objectum adæquatum hujus juris, quod ſunt omnia bona civium etiam vitæ & famæ, quos Princeps præcisè propter bonum commune exponere poteſt: jus verò baſſum eſt dominium, quod cives habent in ſua bona, ſubordinatum dominio alto, nam omnis poteſtas, quæ ſe extendit ad aliquem finem, neceſſariò ſe extendit ad media ad talem finem neceſſaria, ne irrita ſit talis poteſtas; ſed bona civium aliquando ſunt neceſſaria ad bonum reipublicæ, quod ut finem ſpectat poteſtas Principis, cum aliquando occurrat caſus, in quo non poſſet reipublicæ pax conſervari, niſi civium vitæ & eorum bonorum diſpendio: igitur neceſſaria eſt talis poteſtas alta circa poteſtates baſſas civium.

Quinta pars traditur ab Ariſtotele 1. Polit. 15
c. 3. & jus politicum ſeu civile dicitur publicum & perfectum, jus verò œconomicum privatum & imperfectum, & variè differunt: primò ratione objecti; quia jus politicum pro objecto habet bonum communitatis perfectæ per leges dirigibilis, jus vero œconomicum pro objecto habet bonum privatum unius domûs dirigibilis per privatas inſtructiones; ſecundo ratione principii, quia jus politicum eſt poſitivum purè & morale, utpote libero conſenſu populi traditum Principi, œconomicum vero eſt mixtum partim naturale titulo generationis & naturalis ſuperioritatis in filios & uxorem ortum, partim poſitivum ortum ex libera voluntate ſervi ſponte ſe domino

ſubjicientis, vel ex jure gentium concedente victori facultatem utendi ſervo in bello juſto capto: tertiò ex diverſitate juriſdictionis & authoritatis in ſibi ſubditos, quia jus politicum plenam & perfectam habet juriſdictionem in ſuos cives, quorum non ſolùm bona, ſed etiam famam, liberos & propriam vitam propter bonum publicum exponere poteſt; jus verò œconomicum nullam habet poteſtatem in famam, vitam, & membra ſuorum ſubditorum, ſed habet ſolùm poteſtatem eos privatim dirigendi & puniendi pœnâ privatâ citra infamiam, mortem, aut membrorum mutilationem.

16 Objicies contra 2. partem: Deus habet jus proprietatis in omnes res creatas; ſed Deus non poteſt uti creaturis in propriam felicitatem: ergò jus proprietatis ſic non benè diſcriminatur à jure juriſdictionis.

Reſpondeo diſting. min. Deus non poteſt uti creaturis in quantùm Deo exinde reſultaret aliqua utilitas conc. in quantum reluceſceret ſua bonitas & omnipotentia neg. min. felicitas ergo, quæ ex jure proprietatis Dei in creaturas oritur, non tribuit Deo aliquod intrinſecum & utile, ſed purè manifeſtationem attributorum Divinorum: aliô ergo modô eſt jus proprietatis in Deo, quàm in creatura, in Deo enim eſt hoc jus abſolutum ſine imperfectionibus propriæ utilitatis & commoditatis, nam habere commoditatem ex aliqua re ſupponit imperfectionem ex parte illius, qui tali fruitur commoditate cùm ſignum ſit ex tali commoditate ſibi provenire aliquam felicitatem, quam antea non habuit, quod eſſet imperfectionis in Deo; adeòque jus proprietatis in Deo ſolum involvit dominium abſolutum agendi cum rebus creatis prout vult. Cæterum jus proprietatis ex parte ſubjecti eſt inſeparabile à jure juriſdictionis; nam qui habet jus proprietatis, poteſt ſolâ ſuâ voluntate inducere in alios obligationem; ſed jus juriſdictionis etiam eſt illud quod inducit obligationem in alios, ideo ex parte ſubjecti ſunt inſeparabilia. Tandem ſuitas nihil aliud eſt quam libera poteſtas habentis jus proprietatis ad diſponendum de ſuo quoad uſus lege permiſſos in propriam felicitatem; ubi ſuum eſt objectum juris proprietatis; quia cùm jus & ſuum ſint correlativa, ideò unum benè explicatur per alterum dicendo: quod jus proprietatis ſit forma ſui ſeu ratio formalis ſuitatis, ſuum vero objectum vel materia juris.

17 Objicies contra 4. partem: in jure alto non datur exactum & rigoroſum debitum, quia non obligat cives ad reſarcitionem & reſtitutionem, nec eſt perfecta alteritas juris & debiti, cum communitas ut una perſona conſtet ex civibus ut membris & Principe ut capite: ergo in tale jus non eſt dividendum principaliter jus propriè ſumptum.

Reſpondeo neg. 1. & 2. partem antec. primam quidem, quia Princeps tacitum pactum init communitate de procurando bono communi ipſius, unde ſi per ejus negligentiam aliquod damnum reſpublica patitur, tenetur ad reſtitutionem, ſic etiam cives ſi per eorum inobedientiam ea non præſtiterunt, quæ fuerunt neceſſaria ad bonum commune: verum tamen eſt, quod hoc jus exigens reſtitutionem principaliter & immediatè tantùm ſit in jure commutativo, quod eſt objectum juſtitiæ commutativæ, quâ mediante etiam alia jura ad ſui reſarcitionem obligant, ad perfectum autem jus etiam ſufficit obligatio reſtitutionis mediante alio jure, licèt non ad perfectiſſimum jus, uti ſuo loco Diſt. ſeq. patebit de debito diſtributivo, quod ſufficiens eſt ad juſtum perfectum juſtitiæ diſtributivæ. Secunda verò pars antecedentis negatur ideo, quia intercedit moralis alteritas, nam eſt diſtinctio includentis & incluſi, quæ ſufficit ad perfectum jus, ut patet in juſto diſtributivo, ſinguli enim cives diſtinguuntur à tota communitate ratione concivium, à quibus ſinguli diſtinguuntur moraliter & tota communitas à ſingulis ratione cæterorum incluſorum per quos diſtinguitur à ſingulis.

QUÆSTIO II.

An poſſit eſſe perfectum jus inter Deum & hominem, inter patrem & filium, dominum & ſervum, maritum & uxorem?

ADvertendum eſt 1. ex præcedenti quæſtione conſtare, quod jus perfectum tria in ſuo conceptu formali importet, ſcilicet æqualitatem, alteritatem & debitum; quia cum objectum juſtitiæ ſit juſtum ſeu æquale, & munus juſtitiæ ſit ponere æqualitatem in actionibus humanis, ut unuſquiſque habeat, quod ſuum eſt, ſic importat æqualitatem; ſed quia nihil eſt ſibi ſed alteri æquale, ſic etiam importat relationem fundatam ſupra diſtinctione reali; nam ideo duo quanta dicuntur æqualia, quia ſibi mutuò ſunt commenſa, ſicut econtra una quantitas non dicitur ſibi æqualis, ſed eadem, quia à ſe ipſa non diſtinguitur, ideò etiam jus importat alteritatem, & pariter quia illa æqualitas in objecto ſupponit jus, cui commenſuranda eſt, ſic importat debitum: hoc jus cum his tribus conditionibus etiam perfectam conſtituit juſtitiam; quia perfecta juſtitia eſt, quæ ita participat jus, ut in ſuo genere perfectius participare non poſſit, imperfecta autem juſtitia eſt, quæ ſe ipſa participat formalem rationem juris ſecundum illas tres conditiones, ſed imperfectius, ut accidens verè participat rationem entis, ſed imperfectè ſcilicet non in tanta perfectione, in quanta eſt participabile, hæc tamen juſtitia imperfecta adhuc differt à juſtitia impropria, quæ ſcilicet nullo modo participat rationem for-

formalem juſtitiæ aut juris, ſicut homo pictus metaphoricè dicitur homo, quia nullam participat rationem formalem hominis, qui eſt animal diſcurſivum, hinc juſtitia impropria dicitur illa, in qua ex tribus aſſignatis conditionibus aliqua deeſt, Imperfecta autem dicitur in qua nulla deeſt à perfectione, tamen quâdam deficit, ſecundum quam participatur à perfecta juſtitia. Ex his ergo decidendum erit, an jus inter Deum & creaturam, patrem & filium &c. ſit perfectum, an ſcilicet habeat illas tres conditiones.

2 Advertendum eſt 2. illud jus œconomicum de quo quæſt. priori Aſſert. 2. dictum eſt, ex parte ſubjecti dividi in jus paternum, domeſticum, & herile. Jus paternum eſt inter patrem & filium, cui pater tenetur theſaurizare, dupliciter autem poteſt conſiderari filius, nempè prout eſt ſub patria poteſtate, & prout eſt extra eam, ſeu ut emancipatus, & utroque modo conſideratus filius triplicia habet bona; prima ſunt peculium profectitium, & ſunt bona acquiſita à filio ex bonis paternis; ſecunda ſunt peculium adventitium, & ſunt bona acquiſita vel ex dote uxoris, vel ex hæreditate materna, vel ex donatione aut legato, vel ex propria induſtria aut fortuna v. g. theſauri inventi: tertia ſunt peculium caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe, primum eſt bonum acquiſitum intuitu militiæ, ſive re ipſa militet, ſive exerceat officium publicum ad militiam ſpectans, ut eſt officium Commiſſarii alimentorum, ad quæ bona etiam poſſunt reduci illa, quæ filius acquirit in aula ob obſequium aulicum: peculium verò quaſi caſtrenſe ſunt illa bona, quæ filius acquirit ex officio publico habente ſtipendium, ut eſt officium judicis, aſſeſſoris, profeſſoris, vel quæ acquirit à clientibus, vel quæ donantur ab Auguſto vel Auguſta, vel quæ acquiruntur ex officio & beneficio eccleſiaſtico & ratione Clericatûs, cum & hæc ſint ſtipendia publica propter officium publicum. Jus domeſticum, quod propriè œconomicum dicitur, & jus privatum inter maritum & uxorem, quæ uxor etiam quædam particularia bona habet, ſicut dictum eſt de filio, dicitur autem jus privatum ad differentiam juris civilis, quod dicitur politicum & publicum. Jus tandem herile eſt inter dominum & ſervum, quatenus dominus poteſt uti ſervo tanquam inſtrumento deſpoticè, & dominativè, intelligitur autem hic ſervus non qui ſervit voluntariè, ſed qui coactè ut mancipium v. g. ſi ſit bello captus; præterea filius uxor & ſervus adhuc dupliciter conſiderantur, primò formaliter ut filius, ut uxor &c. ſeu in quantùm filius eſt pars moralis ipſius patris, uxor mariti &c. eò quod horum voluntati ſubjiciantur ſicut manus voluntati, ſecundò materialiter ut homines ſunt, ſeu ut habent principium liberum potens fundare jus diſtinctum à jure patris, mariti &c.

quod jus vocatur independens. His notatis ſit

3 Propoſitio 1. *Jus perfectum importat æqualitatem perfectam poſſibilem ſecundum rem exhaurientem totum debitum.* Ratio eſt, quia juſtitiæ eſt conſtituere debitam æqualitatem: ergò perfectæ juſtitiæ eſt conſtituere perfectam æqualitatem; ſed perfecta æqualitas eſt, quæ ex parte debitoris exhaurit totum debitum, & ex parte creditoris adæquat totum jus: ergò. Dixi poſſibilem ſecundum rem, ut excludatur perfecta æqualitas ſecundum affectum, quæ non eſt per ſe objectum perfectæ juſtitiæ; nam hæc ſpectat æqualitatem, quæ re ipſa conſtitui poteſt, cum ſit virtus practica, cujus objectum eſt opus ab ipſa factibile. Dupliciter autem poteſt eſſe jus inadæquabile vel per accidens defectu alicujus circumſtantiæ accidentalis, ut dum debitor ſit impotens ad reſtituendum debitum, hoc tamen non tollit perfectum jus aut perfectam juſtitiam, quæ ſolùm attendit quod per ſe eſt poſſibile: vel eſſentialiter & per ſe ratione juris ab intrinſeco inadæquabilis, ut eſt jus Dei ad creaturam, quod tollit perfectam rationem juſtitiæ.

Nec dicas: virtus magis reſpicit affectum quàm effectum: ergò per accidens eſt, quod homo nequeat re ipſa reddere æquale, modò id reddat ſecundum affectum, quem virtus præcipuè attendit.

Reſpondeo diſting. antec. reſpicit magis affectum proportionatum tamen ſuo objecto, quàm effectum conc. magis affectum etiam improportionatum neg. antec. nam ſic tranſcenderet limites ſuæ ſphæræ, ſi plus ferretur affectu, quàm natura ſui objecti poſtulat. Cum igitur detur aliquod jus eſſentialiter inadæquabile, quale eſt, quod Deus ratione primi principii in creaturas habet, ſi quis affectu tenderet ad compenſandum tale jus ſecundum æqualitatem, non tenderet affectu religionis, quæ eſſentialiter reſpicit jus inadæquabile, ſed potius affectu juſtitiæ commutativæ, cum omnis conditionatus actus reducatur ad ſpeciem actûs abſoluti, conſequenter deſtrueret objectum religionis.

Propoſitio 2. *Perfectum jus importat alteritatem non neceſſariò actualem ex parte utriuſque extremi, nec ſemper alteritatem ſuppoſitorum formaliter diſtinctorum; ſed aliquando voluntatum virtualiter ſolùm diſtinctarum.* 4 Ratio enim eſt, quia poteſt Titius legare Cajo mille ſolvenda nepotibus nondum natis, quo caſu Cajus ex juſtitia tenetur ſolvere mille nepotibus, ubi juſtitiæ tranſcendentalis reſpectus poterit terminari ad terminum ad quem adhuc non exiſtentem. Ratio ſecundi eſt, ea alteritas ſat eſt ad perfectam juſtitiam quæ fundat diſtincta jura, in quibus debitum & jus fundari poteſt; quia juſtitia eſt formaliter ad æqualitatem inter hæc inducendam; ſed ubi ſunt diſtinctæ voluntates, etiam

virtualiter ſibi diſtincta jura eſſe poſſunt, cum jus nihil aliud ſit quàm moralis poteſtas operandi circa rem ſuam: ergo penes diverſas voluntates jus in rebus habemus.

Nec dicas: in quo eſt juſtum poteſt etiam eſſe injuſtum, ſed inter tutorem v. g. & ſe ipſum, dum etiam egerit perſonam pupilli, non poteſt eſſe injuſtum: ergo ad perfectum jus non ſufficit alteritas voluntatum in eodem ſuppoſito. Min. prob. hoc ipſo quod tutor ſibi non reſtituit, quod ſibi debet nomine pupilli, ſponte cedit juri ſuo: ergo ſibi non fit injuſtum, cum nemo volens patiatur injuriam.

Reſpondeo neg. maj. nam verum quidem eſt, quod ubi ſit injuſtitia etiam juſtitia eſſe, poſſit, tamen econtra non eſt; quia ad juſtitiam requiritur realiter diſtincta duplex voluntas, cum ad injuſtitiam requiratur involuntarium, cum nemo volens patiatur injuſtum; repugnat autem quod eadem realiter voluntas patiatur à ſe involuntarium, voluntarium autem quod requiritur ad juſtitiam poteſt à ſe haberi etiam ut virtualiter diſtincto, & ideo hoc ipſo, quod tutor non reſtituit, quod nomine pupilli ſibi debet, cedit juri ſuo, cum in ſua poteſtate ſit nomine pupilli ſibi debitum reſtituere, & ſi non facit, non facit ſibi injuriam: ſic etiam idem ſuppoſitum poteſt ſibi ſatisfacere, non quia poteſt ſibi injuriam inferre, ſed quia in diſtinctis naturis habet diſtincta jura, ut patet in Christo, in quo aliqui ponunt perfectam juſtitiam, omnes tamen negant potuiſſe ſibi injuriam inferre, quia nec poterat lædere naturam Divinam ſubſiſtens in humana, cum non potuerit peccare; nec humanam ſubſiſtens in Divina, cum ſit perfectus & abſolutus Dominus naturæ humanæ.

5 Propoſitio 3. *Debitum, quod exigit perfecta juſtitia, eſt debitum exactum & rigoroſum fundatum in activo jure exigendi creditoris, & non in ſola honeſtate virtutis & paſſiva exigentiâ creditoris.* Ratio eſt, quia perfecta juſtitia debet participare perfectam rationem generis; ſed de ratione juſtitiæ ut ſic eſt aliquod debitum, ut diximus quæſt. priori, cum ex variatione debiti colligatur variatio juſtitiæ, & æqualitas eatenus ſit objectum juſtitiæ, quatenus eſt debita: ergo de ratione juſtitiæ perfectæ erit debitum exactum & rigoroſum fundatum in jure activo exigendi creditoris.

Nec dicas: tam Princeps, dum peccata punit, quàm offenſus, dum vindictam petit, facit juſtum commutativum; quia tam qui petit, quàm qui punit, commutat culpam in pœnam ad æqualitatem; ſed neuter id facit ex debito juſtitiæ, quia tum Princeps poſſet non punire, quàm offenſus non petere vindictam ſine ulla læſione juſtitiæ: ergo juſtum perfectum non neceſſario petit debitum perfectum.

Reſpondeo conc. maj. de Principe, neg. min. de offenſo, & ſic neg. min. de Principe, conc. min. de offenſo, nam offenſus petendo vindictam non facit iuſtum commutativum, quia debitum ſatisfaciendi non ſequitur offenſum, ſed offendentem, qui alterum læſit, aſt Princeps, aut judex puniendo peccata offendentis facit juſtum commutativum; quia illi ex contractu tacito cum republica tenentur juſtam vindictam ſumere de peccatis delinquentium: an autem Deus puniendo peccata hominum exerceat actum juſtitiæ? ſtatim ſuo loco videbitur. His poſitis

Aſſero 1. ad quæſt. *Nec in Deo erga hominem, nec in homine erga Deum datur formale & perfectum jus, & nec quidem commutativum, nec diſtributivum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 46. q. 1. §. *non improbanda.* Eſtque contra Suarez. 6

Probatur 1. pars: perfectum jus includit perfectam alteritatem jurium & debitum perfectum retribuendi debitoris & jus exigendi creditoris; ſed inter DEUM & creaturam nihil horum intercedit: ergo min. prob. quoad primum, jurium alteritas eſt, quando unusquisque poſſidet jus ſuum independenter ab alio; nam ſi eſt dependens ab alio, ſic illud non tam poſſidet ut ſuum, quàm ejus à quo pendet, ut patebit de filio & ſervo, qui habent ſuum jus actu dependens à voluntate patris & domini, ſed magis quam filius & ſervus dependens jus ſuum habet creatura à Deo, nam quidquid Deo creatura dare poteſt, ante omnem donationem manet ſub perfecto dominio Dei, nec Deus huic dominio cedere poteſt, cum illud fundetur in actione creativa & dependentia creaturæ à creatore, quam implicat in creaturam transferre, de cujus eſſentia eſt actualis dependentia à creatore, ergo. Min. probatur quoad ſecundum; debitum perfectum ponit jus exigendi in creditore rem ſuam, quando illam non habet, & ad libitum diſponendi, quando habet, ponitque obligationem in debitore eam reddendi, & de ea non diſponendi; ſed repugnat tale jus exigendi de re Dei in creatura, & talis obligatio retribuendi, & amplius de re ſua non diſponendi in Deo: ergo. Min. prob. poſitâ quacunque promiſſione ex parte Dei & opere oneroſo ex parte creaturæ ſemper res promiſſa, & quodcunque jus, quod creatura acquiſit, manet ſub perfectiori dominio Dei, quàm res ſervo promiſſa ſub dominio Dei; ergo quantum eſt ex parte creaturæ & juris ab ipſo acquiſiti, nulla demitur Deo moralis poteſtas diſponendi de quacunque re creaturæ data. Min. patet, quia tum talis promiſſio, quàm ipſa creatura manet cum eadem dependentia ad Deum, quâ maneret, ſi nulla eſſet facta promiſſio, & ideo manente eodem fundamento & termino, manet eadem relatio dominii reſultans & ſubjectionis creaturæ dependentia.

Pro-

Probatur 2. pars: tam jus hominis erga
7 DEUM fundatum in obſequiis & honoribus, quos ante ullum pactum DEO debemus jure creationis & naturalis ſervitutis, quàm fundatum in pacto DEI cum homine, deficit in æqualitate & alteritate: ergo. Antec. prob. quoad primum, in obſequiis ante pactum, quod jure creationis & ſervitutis naturali reddimus DEO, ſunt actus accidentales; ſed quod ab ipſo accipimus eſt principium operandi ſubſtantiale: ergo deficimus in æqualitate. prob. eodem modo antec. quoad ſecundum, quia creatura ratione creationis magis eſt DEO,
11 quàm ſervus domino ſubjectus cum major ſit dependentia, & ideo dum creatura aliquid offert DEO, non offert aliquid, quod aliunde jure creationis & conſervationis non ſit DEI: ergo deficimus in alteritate jurium. Prob. antec. poſt pactum quoad primum, in tantùm poſſet æqualitas ab homine fieri erga DEUM, in quantùm DEO perfectè ſatisfaceret; ſed hoc non poteſt, ergo. Min. prob. ut perfectè ex rigore juſtitiæ ſatisfaceret, deberet aliquid exhibere ex bonis indebitis & non ſubjectis DEI dominio; ſed hoc repugnat: ergo. Min. prob. ut ad æqualitatem juri DEI ſatisfieret, deberet ita adæquari jus Divinum, ut non reſtaret aliquid eandem operationem exigendi; ſed hoc implicat, cum titulus ſupremi dominii & alii tituli ſint à DEO inabdicabiles, Prob. eodem modo antec. quoad ſecundum, nullum opus ſtricto jure debitum fundare poteſt juſtitiam erga alterum, cui debitum eſt, niſi prius abſolvatur à tali debito, ut patet in filio emancipato; ſed in nullo opere creatori ſtrictiſſimè debito abſolvi poteſt creatura: ergo nunquam poteſt intercedere perfecta alteritas jurium, cum ſic omne opus noſtrum ſit DEI. Maj. patet, quia nullum opus alteri ſtrictè debitum eſt aptum illum obligare ad illud ax juſtitia remunerandum, quod aliunde ſuum manet: Min. patet ex proba priori, & ſequitur ſolùm DEUM poſſe obligari & impediri à negatione remunerationis pacto poſito ex fidelitate & immutabilitate phyſica ad ea remuneranda; nam poteſt DEUS ex juſtitia obligari ad remunerandum, quod ſuum eſt.

8 Probatur 3. pars: jus commutativum rigoroſum eſt debitum legale fundatum in rigoroſo jure proprietatis, quod eſt excluſivum omnis alterius dominii, & obligat ad reſtitutionem; ſed implicat in DEO dari debitum legale fundatum in rigoroſo jure alicujus creaturæ & obligari ad reſtitutionem: ergo in DEO & creatura non poteſt dari jus commutativum. Min. prob. implicat DEUM dependere ab aliqua creatura, & ab illa impediri à ſuo pleniſſimo libero dominio ſupra quaſcunque res; ſed ſi in eo poſſet eſſe debitum legale, ratione hujus dependeret à jure activo creaturæ cique eſſet ſubjectus, & à tali jure impeditus, ne haberet moralem ac pleniſſimam poteſtatem pro ſuo libitu diſponendi de illa re reſpectu cujus habet debitum legale.

Probatur 4. pars: jus diſtributivum eſt debitum legale partibus reipublicæ, quæ quatenus ſunt partes, habent jus ad bona communitatis ſibi proportionalè diſtribuenda; ſed hoc 9
debitum implicat in DEO: ergo. Min. prob. homines non ſunt membra aut partes DEI, neque Deus gerit perſonam communitatis, ut proinde inter DEUM & creaturas poſſit oriri habitudo & connexio partis ad totum, in quo fundatur jus diſtributivum; ſed neque tota communitas hominum & creaturarum jus activum obtinet in bona Divina à DEO diſtribuenda, nec bona DEI ſunt hominum communitati propria: ergo.

Addendum eſt: perfectum jus hominis ad DEUM non repugnare ex defectu debiti, cum hoc in creatura reſpectu DEI ſit rigoroſius quàm in quovis debitore erga ſuum creditorem, cum ſit debitum ex naturali ſervitute, pietate & aliis titulis magis rigoroſis, ſed ſolùm ex defectu æqualitatis & alteritatis, ut diximus in proba ſecundæ partis.

Objicies contra 1. partem: Pſal. 10. dicitur: *Juſtus dominus & juſtitiam dilexit.* & 10
2. ad Tim. ult. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die juſtus judex:* ergo datur in DEO proprium & formale jus.

Reſpondeo neg. conſeq. quia tales authoritates ſolùm adſtruunt in Deo aliquam propriam & eminentialem rationem juſtitiæ prout abſtrahit ab omni imperfectione, & ſolùm dicit providentiſſimam inſtitutionem communitatum, ac æquiſſimam retributionem vel præmiorum pro meritis, vel ſuppliciorum pro peccatis, ſub qua ratione diſtinguitur à virtute fidelitatis & veracitatis, quæ in ſuo conceptu formali non obſervant illum ſpecialem modum, quem DEUS ut juſtus judex obſervat, ut pro meritis æque præmia, & pro demeritis æque ſupplicia decernat; non vero authoritates illæ loquuntur de juſtitia formali & perfecta, cum in DEO nullum poſſit eſſe formale & perfectum debitum legale; quod autem aliqua propria juſtitia & proprium jus non metaphoricum prout abſtrahit à formali & perfecto jure in DEO ſit ponendum, ratio eſt; quia jus & juſtitia prout abſtrahit à formali jure, dicit ſaltem imperfectam aliquam alteritatem, æqualitatem & debitum; ſed hæc omnia poſſunt reperiri in DEO abſque imperfectione, quia inter DEUM & creaturam eſt aliqua alteritas ſicut inter patrem & filium; eſt æqualitas rei datæ juxta exigentiam ſaltem paſſivam creaturæ, ut tanta ſit perfectio, quæ datur, quanta eſt paſſiva exigentia creaturæ cui datur; eſt debitum aliquod rei datæ, non quidem neceſſi-

tatis & obligationis, ſed condecentiæ ex parte dantis ac ejus liberalitatis ortum ex ſola honeſtate virtutis, vel ex paſſiva exigentia creaturæ: ergo ponenda eſt aliqua juſtitia in DEO non per modum habitûs vel actûs, ſed per modum attributi; & licèt juſtitia videatur importare reſpectum ad alterum, in DEO tamen eſt quid abſolutum non ſecus ac omnipotentia & reliqua attributa, quæ extrinſecum terminum connotant.

Dices: inter DEUM & hominem intercedit ſufficiens alteritas: argo. antec. prob. ubi eſt diſtinctio voluntatum, ibi poteſt eſſe realis diſtinctio jurium; ſed inter DEUM & hominem intercedit diſtinctio realis voluntatum: ergo.

Contra neg. antec. ad prob. diſting. maj. ubi eſt diſtinctio voluntatum tam phyſica quàm moralis conc. ubi eſt diſtinctio ſolùm phyſica neg. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. nam inter DEUM & hominem non eſt diſtinctio moralis voluntatum, cùm maneat hominis eſſentialis ſubordinatio & dependentia à jure Divino.

Dices: inter DEUM & hominem poteſt dari perfectum debitum: ergo. antec. prob. promiſſio ſimplex obligat DEUM ex ſola fidelitate: ergo promiſſio ſub conditione operis onerosi obligat ad plus, quàm ex fidelitate debitum, ſi ſemel à creatura acceptatur.

Contra neg. antec. ad prob. neg. conſeq. nam opus oneroſum eſt æquè DEO ſtrictiſſimè debitum titulo religionis; nam nequit transcendere limites fidelitatis ea virtus, quæ non operatur ex debito orto à jure activo alterius, ſed ex ſola rectitudine operantis; ſed non poteſt creatura jus activum acquirere in bona Divina ſub quacunque conditione oneroſa: ergo nec poterit DEUS debito plus quàm fidelitatis teneri ad retribuendam rem promiſſam creaturæ: hinc ad ſummum ſequitur majus eſſe debitum morale contractum ex promiſſione libera, non verò majus debitum legale; quod fundari debet in jure activo creaturæ, in primo enim non eſt neceſſe mutari dependentiam creaturæ à DEO, benè verò in debito legali, ſi DEUS aliquid deberet creaturæ.

Dices: eò quod DEUS non poſſit ſe privare dominio rei promiſſæ non tollitur, quin poſſit ex juſtitia obligari ad retribuendum: ergo. antec. prob. licèt Princeps nequeat ſe privare dominio alto rei promiſſæ, tenetur tamen eam dare promiſſario ex juſtitia, cum ſint diverſa jura, & unum non impedit alterum, cum unum ſcilicet DEI ſit univerſale, alterum acquiſitum creaturæ ſit particulare: ergo.

Contra neg. antec. ad prob. neg. conſeq. diſparitas eſt, quia jus altum Principis eſt imperfectum, ideo non repugnat cum jure perfecto civium; ſed jus, quod DEUS habet in bona creata, eſt perfectiſſimum continens perfectionem utriusque juris, & alti Principis propter univerſalitatem, & baſſi civium propter perfectam diſpoſitionem, præterea continent omnimodam independentiam ab alio, quam non habet jus creatum, unde ſolum tunc diverſa jura ſe non mutuò impediunt, quando ſunt limitata ad certum genus dominii, quia tunc unumquodque manet intra ſpeciem ſuæ perfectionis, non ſe extendens ad perfectionem alterius, jus verò DEI eſt illimitatum continens perfectionem omnium jurium: igitur nullum poteſt excludere, quin illud ſibi perfectè ſubjiciat.

11 Objicies contra 2. partem: ſi homo non poſſet actum perfectum juſtitiæ erga DEUM exhibere eſſet ideò, quia nihil poſſet DEO exhibere ex bonis propriis & indebitis; ſed hoc non requiritur: ergo min. patet, reſtitutio eſt actus juſtitiæ; ſed poteſt ex juſtitia reſtitui id, quod eſt ſub dominio illius, cui reſtituitur, veluti ſi ſervus aufugiens ſe ipſum reſtituat, & redeat ad obſequium domini: ergo.

Reſpondeo neg. min. ad prob. diſting. min. poteſt reſtitui id, quod eſt ſub dominio alterius quatenus fuit ſubtractum ab uſu aut poſſeſſione illius conc. ſecùs neg. min. & hoc patet in ipſo exemplo ſervi, qui ſe ipſum per fugam ſubtrahit, ne poſſit Dominus illo actualiter uti, & ideo facit ſe moraliter alium à Domino, aſt DEO tam uſus actualis, quàm jus utendi pro ſuo libitu non poteſt à quacunque creatura ſubtrahi; hinc patet rationem excluſivam perfectum jus à creatura ſolùm eſſe defectum alteritatis & æqualitatis non verò debiti.

Dices: opera conſilii ſunt DEO indebita, & propria alterius ſcilicet hominis: ergo poteſt homo tanquam alter DEO aliquid exhibere indebitum & proprium.

Contra diſting. antec. ſunt DEO indebita, in quantùm nullo præcepto ſunt impoſita conc. in quantùm in alium finem quàm ad DEUM eſſent referibilia neg. licèt ergo homo abſolutè non tenetur facere aliquod opus conſilii, ſuppoſito tamen quod illud facit, etiam obligatur illud referre in DEUM jure ſupremi dominii in creaturas.

Dices: non repugnat ſupra rem uno titulo obligatam fundare alium titulum perfectæ juſtitiæ: ergo licèt opera noſtra ſint titulo religionis obſtricta DEO, poſſunt etiam fundare alium titulum ſtrictæ juſtitiæ. antec. patet exemplis. Primò: ſi titulo gratitudinis centum debes Petro, potes ſuper ea fundare etiam titulum juſtitiæ, ſatisfaciendo unica ſolutione pro gratitudine & juſtitia. Secundò, ſi titulo juſtitiæ debes Petro centum, eique in extrema neceſſitate tenearis ſubvenire ex miſericordia, poteris centum ſolvendo ſatisfacere pro juſtitia & miſericordia, imò etiam pro voto, ſi eidem pauperi voveris centum. Tertiò, ſi Titius debeat Cajo ex juſtitia centum, poterit Cajus promittere Titio decem, ſi ea debito tempore reſtituat: ergo ſupra eandem rem poſ-

poſſunt fundari diverſi tituli perfectæ juſtitiæ. Quartò: non repugnat eandem rem pluribus titulis mereri, ut patet de Chriſto reſpectu gloriæ corporis: ergo etiam ſupra eandem rem poſſunt fundari plures tituli juſtitiæ.

Contra neg. antec. quia cum titulus juſtitiæ obliget totam rem indiviſibiliter, nequit eâdem re obligatâ uni titulo perfectæ juſtitiæ ſatisfieri alteri ſine formali vel virtuali condonatione talis obligationis, quæ obligatio à DEO propter eſſentialem dependentiam creaturæ ab ipſo condonari non poteſt. Hinc ad primum exemplum neg. ſatisfieri utrique, ſed ſemper manebit morale debitum gratitudinis ſolvendum. Ad ſecundum concedo quidem debitum miſericordiæ ceſſare, ſed non quia unica ſolutione ſatisfieret utrique, ſed quia ceſſat neceſſitas, conſequenter debitum miſericordiæ: de voto pariter eſt diſcurrendum, nam cum votum pendeat ex intentione voventis, ſic non obligat, niſi in quantùm intentio voventis ſe extenderit; unde ſi vovit ſe illa centum debita reddere, non poterit vovens ad aliud obligari, ſi verò abſolutè vovit centum dare, non poſſet ſupra illa fundare titulum juſtitiæ, quia votum non eſſet limitatum ad illa centum, nam uterque titulus ſcilicet juſtitiæ & voti eſt de re ſufficiens obligare rem perfectè alteri & conſequenter transferre omne jus ab altero. Ad tertium d'co eatenus centum debita Cajo poſſunt eſſe materia fundandi novum titulum juſtitiæ, quatenus includunt aliquam circumſtantiam indebitam titulo juſtitiæ, ut quod reſtituantur antè tempus, alio loco &c. quod ſi autem nulla talis circumſtantia adſit, non tenebitur Cajus ſolvere Titio decem niſi ex fidelitate, vel ſi à Titio ſit acceptata promiſſio, tenebitur Cajus ex juſtitia ſolvere; quia per acceptationem transfertur jus in Titium. Ad quartum neg. conſeq. nam poteſt quidem aliquis duplici labora diurno ex juſtitia bis ſibi mereri denarium debitum labori diurno, non tamen debitor poteſt eodem denario ex juſtitia ſatisfacere duplici labori diurno; quia qui pluribus titulis meretur, plus tribuit, quàm res meribilis valeat, ideò poteſt ſalva conſiſtere juſtitia, quia dare plus quàm res valeat, non eſt contra juſtitiam, qui autem una mercede vellet ſatisfacere pluribus meritis, retribuit minus, quàm valent merita, proinde deficit à juſtitia per defectum æqualitatis.

Dices: operatio libera ex hominis libertate procedens eſt ſub pleno dominio hominis, aliàs eſſet homo liber & non eſſet liber: ergo poteſt talem operationem ut propriam DEO retribuere.

Contra diſting. antec. operatio qua libera eſt in pleno dominio hominis reſpectu actûs, quatenus poſſit illum ponere vel non ponere conc. reſpectu DEI ut poſſit illum ſubtrahere DEI dominio neg. antec. nam cum hoc ipſum jus libertatis ſubſit dominio DEI, etiam ejus actus ſubſunt dominio DEI, ſicut ſi arbor tota ſubeſt dominio hominis, etiam ejus fructus ſubſunt dominio ejus; igitur creatura rationalis habet quidem jus in actiones ſuas, ſed dependens à DEO; quia magis ipſe quàm creatura eſt dominus juris creaturæ. Jure merito igitur in S. Congregatione Generali coram Innocentio XI. die 23. novembris 1679. damnatæ ſunt ſequentes duæ propoſitiones 1. *DEUS donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.* 2. *DEUS ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam.* Loquuntur enim hæ propoſitiones explicando libertatem creatam à DEO nobis donatam per exceſſum ineptum offendendo ſupremum DEI dominium, minùsque reverenter illud tractando; nam quamvis DEUS ex munere cauſæ primæ offerat voluntati creatæ concurſum omnipotentiæ in actu primo indifferentem, quatenus paratus eſt ad concurrendum in actu ſecundo ſive ad operationem bonam, ſive malam creaturæ, prout voluntati creatæ libuerit; quia tamen concurſus iſte omnipotentiæ non eſt concurſus ſubjectionis, ſed dignationis & dominii, cùm ſit concurſus DEI ut pleniſſimi Domini voluntatis creatæ, ejúsque actuum liberorum; ideo valde irreverenter de perfectiſſimo DEI dominio enuntiabant omnipotentiam ejus ita donari creaturæ, ut eâ utatur, ſicut homo utitur villâ, aut libro ſibi donato, quaſi nimirùm extraheretur aut alienaretur à DEO, & ſubjiciatur dominio creaturæ ut donatario, qui facultatem habet utendi re ſua ſibi donata ad arbitrium proprium independenter ab ulla diſpoſitione donantis, quod de voluntate creata reſpectu omnipotentiæ divinæ, eique in actionibus liberis ſummè ſubjecta nullatenus dici poteſt; cum ſit contra illud Prov. 21. *cor regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* & illud Auguſt. lib. de Spiritu & littera. c. 14. *DEUS magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.*

Dices: ſi quis infamet DEUM ut mendacem non ſolùm tenetur pœnitere, ſed etiam honorem ſublatum DEO reſtituere; ſed reſtitutio eſt actus perfectæ juſtitiæ commutativæ: ergo.

Contra neg. min. non enim omnis reſtitutio eſt actus juſtitiæ, ſed ſolùm ille, in quo adſunt & reliquæ conditiones, & præſertim moralis alteritas, quæ hic deficit; unde talis reſtitutio pertinet ad eam virtutem, cujus eſt honorem DEI illæſum ſervare: quæ eſt religio vel pietas &c.

Objicies contra 3. partem: compenſatio 12
meriti propriè dicti ad æqualitatem eſt actus juſtitiæ commutativæ; ſed DEUS juſtis compenſat merita ad æqualitatem: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. compenſatio meriti ad æqualitatem orta ex debito legali & cum ſufficiente alteritate conc. orta ex gratuito affe-

ctu

ſtu dantis & ſine ſufficienti alteritate neg. maj. illa ergo compenſatio non oritur ex debito legali; aliàs enim creaturæ ex promiſſione divina jus acquirerent, quod dici non poteſt; cum DEUS ſuâ promiſſione ſuum jus & dominium non poſſit abdicare.

Dices: non eſt neceſsè ut transferatur dominium; quia poteſt DEUS per votum accipere ab homine donationem, quin ipſi accreſcat dominium: ergo etiam poterit homini conferre jus, quin ipſi aliquid decreſcat ab excellentiſſimo ſuo dominio.

Contra neg. antec. ad ejus probam diſting. conſequens, poterit hoc dominium conferre homini cum omnimodâ ſubjectione ad ſuum inabdicabile dominium conc. ſine hoc neg. conſeq. adeóque defectu ſufficientis alteritatis non adeſt jus activum ſufficiens per titulo juſtitiæ commutativæ.

Dices: ſi inter DEUM & hominem non poteſt eſſe perfectum jus commutativum, nec etiam in homine poterit eſſe proprium meritum; ſed hoc negatur: ergo nec perfectum jus maj. patet; quia meritum reſpondet mercedi, merces autem & præmium datur in compenſationem impenſi laboris: ergo ſicut reddere juſtum pretium pro impenſo labore eſt actus juſtitiæ, ita digno præmio compenſare meritum, & ſi unum negatur, etiam alterum negari debet.

Contra eſt ad hoc ex materia de merito, & hoc triplex eſt; primum juſtitiæ ſcilicet laboris ad præmium ſtrictè debitum; ſecundum condignitatis ſcilicet operis ad præmium ex perfecta æqualitate: tertium congruitatis ſcilicet alicujus congrui valoris in aliquo opere: primum, quia fundatur in perfecto debito exigente perfectam alteritatem jurium, inter DEUM & hominem dari non poteſt: ſecundum, quia tantùm poſtulat æqualitatem operis ad præmium quocunque titulo debiti, poteſt inter DEUM & hominem eſſe; quia non facit præmiantem debitorem ex debito activo merentis, ſed ſolùm liberalem ex debito morali & condecentiâ virtutis: tertium tandem; cùm in ratione valoris moralis excedatur à præmio, illúdque reſpicit ut excedens, quale ſunt opera ſupernaturalia fidei, ſpei & contritionis à peccatore elicita in ordine ad præmium gratiæ ſanctificantis ad quam ſolùm ſunt merita de congruo; quia carent condignitate morali provenienté ex perſona grata.

13 Objicies contra 4. partem: jus diſtributivum dicit ſummam perfectionem nullis admixtam imperfectionibus: ergo eſt DEO tribuendum. Antec. prob. quoad primum, diſtribuere bona communia eſt actus Superioris ad inferiorem, & conſequenter maximè decet ſupremum mundi gubernatorem: probatur etiam quoad ſecundum; juſtitia diſtributiva non inducit in diſtribuente debitum ſimpliciter, aut ſi quæ obligatio oritur; illa ſolùm provenit à recta ratione, cui Princeps ſubjicitur, & cum in DEO ratio ſuæ ſapientiæ ſit talis lex juſtitiæ ſic nullam involvit imperfectionem.

Reſpondeo neg. antec. ad ejus prob. conc. 1. partem; quia hoc modo DEUS ſervat modum juſtitiæ diſtributivæ, neg. verò 2. partem; nam licèt juſtitia diſtributiva non inducat debitum ſimpliciter, quod oritur ex ſtrictiſſimo jure proprietatis, & dicitur jus commutativum, inducit tamen illud debitum, quod oritur ex jure diſtributivo, quod habet Princeps ad bona communitatis, creaturæ autem non ſunt pars communitatis bonorum divinorum, & prætérea nec DEUS poteſt abdicare hoc jus in bona divina.

Dices: non requiritur, ut diſtribuens abdicet à ſe dominium bonorum, quæ diſtribuit, ſicut fit, ſi Princeps bona communia ſolùm elargiatur quoad uſum fructum: ergo.

Contra neg. antec. nec inſtantia de Principe eſt ad rem, nam in tali caſu Princeps non diſtribuit bona, ſed uſum, vel uſum fructum bonorum, quem proinde à ſe abdicat, & transfert in privatos: cæterùm nec jus vindicativum eſt ſpecialis virtus in DEO, ſed reducitur vel ad charitatem ſui, ſi id facit, ut jus ſuum à peccatoribus læſum reſarciatur per pœnam, vel ad charitatem creaturarum, ſi ex motivo emendationis ipſarum, quas punit, illud vindicat, vel ad generalem providentiam, quâ ut ſupremus gubernator omnes res, quæ ſemel à præfixo ordine receſſerunt, ad eundem per condignam pœnitentiam revertantur; nam in DEO non eſt debitum legale extra ſe per aliquam communitatem, ex quo obligari poſſit ad pœnam inferendam pro delictis; cum tantùm reſpublica hominum, non verò reſpublica DEI damnificetur per delicta hominum.

Aſſero 2. *Nec inter patrem & filium, nec inter dominum & ſervum, nec inter maritum & uxorem quoad regimen domeſticum poteſt eſſe perfectum jus.* Eſt communis, & deduci poteſt ex Scoto in 4. Diſt. 6. q. 3. §. *ad iſtam quæſtionem.* Item Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* 14

Probatur 1. pars: ad perfectum jus requiritur perfecta & moralis alteritas, ſed inter patrem & filium quâ formaliter talem non intercedit perfecta alteritas: ergo. maj. patet ex ſæpè dictis. min. prob. primò inter illos non intercedit perfecta alteritas moralis, ubi alius titulus & lex pietatis intercedit; ſed inter patrem & filium hoc intercedit: ergo: ſecundò. Obſequia præſtita patri à filio ſunt debita patri jure generationis, ſuſtentationis, & ſunt ſub morali dominio patris: ergo: tertiò, inter patrem & filium non eſt poſſibilitas juris adæquandi, cum parentibus non poſſit reddi æquale. Dictum autem eſt in minori quâ formaliter talem; quia ſi conſiderentur ut homines ſunt, poteſt inter illos eſſe perfecta alteritas jurium ſufficiens ad fundandam perfectam juſtitiam, ut patet in

filio

filio emancipato habente perfectum dominium bonorum ſuorum adventitiorum & caſtrenſium, de quibus independenter à voluntate patris diſponere poteſt; illud jus non fundat filius quà pars patris formaliter, ſed ut homo & concivis illius.

15 Probatur 2. pars: ſervus ut ſervus non eſt alter moraliter: ergo. antec. prob. tum quia, ſervus ut ſervus non eſt ſui juris ſed domini: ergo quæ debet domino, non habet ut alter diſtinctus à domino; unde ſicut in filio ita in ſervo res poſſeſſa & debita ſunt idem, idem enim ſervus, qui jure ſervitutis debet ſua opera domino eſt res & poſſeſſio domini: tum quia voluntas ſervi quà talis eſt civiliter voluntas ipſius domini; ſed ubi eſt unica voluntas, non poteſt eſſe alteritas jurium, nec obligatio ex juſtitia: ergo. Dictum eſt ut ſervus, quia dantur aliqua in ſervo, quorum dominus non habet dominium, ut ſunt internæ operationes, vita, & membra ipſius; unde dominus non poteſt illum occidere, aut mutilare, præterea quidquid ſervo reſtituitur pro compenſatione injuriæ illatæ, aut quod à domino vel alio donatur tacitè vel expreſſâ conditione ut ſit ſolius ſervi, inter iſta perfectum jus poteſt intercedere.

16 Probatur 3. pars: ubi non eſt perfecta alteritas jurium, ibi non eſt perfectum jus; ſed inter maritum & uxorem quoad domeſticum regimen non eſt perfecta alteritas: ergo. min. prob. jus adminiſtrandi bona domeſtica eſt penes virum independenter ab uxore, & in uxore eſt dependenter à conſenſu mariti: ergo quoad hoc regimen uxoris voluntas eſt voluntas mariti conſequenter non adeſt perfecta alteritas jurium: dictum eſt quoad domeſticum regimen, quia quoad mutuum matrimonii uſum eſt perfectum jus perſonale, cum matrimonium ſit contractus, quo uterque conjux mutuò ſuum corpus obligat alteri ad finem ſuſcipiendæ prolis, imò quoad bona paraphernalia ſeu ultra dotem acquiſita donatione, hæreditate, legato, arrhâ eſt perfectum jus reale, ita ut uxor independenter à viro poſſit liberè diſponere.

17 Objicies contra 1. partem: inter patrem & filium quà tales eſt ſufficiens alteritas ad perfectam amicitiam: ergo & ad juſtitiam, quia non minor alteritas requiritur in amicitia quàm juſtitia.

Reſpondeo diſting. antec. ad perfectam amicitiam extraneitatis neg. ad perfectam amicitiam excellentiæ conc. antec. nam hæc amicitia excellentiæ non ſervat æqualem ſed ſolùm proportionalem affectum inter amicos, ita ut ea officia tribuantur ab uno ex charitate, quæ exigit dignitas & conditio alterius, & talis amicitia eſt inter quosque Superiores & inferiores, præterea filius nec poteſt ponere æqualitatem; cum omnia quæ facit filius, patri titulo pietatis & reverentiæ debeat, juſtitia verò vult habere æqualitatem rei ad rem & compenſationem perfectam juris in utroque extremo.

Dices: poteſt inter patrem & filium formaliter talem eſſe perfecta injuſtitia, ut ſi pater filium vel filius patrem occidat; ergo & perfecta juſtitia.

Contra neg. antec. nam ſicut occidere ſe ipſum non eſt injuſtum, ſed plus quàm injuſtum; quia non violatur æqualitas, in qua ſimpliciter conſiſtit jus, ſed identitas, ita occidere patrem non eſt injuſtum, ſed plus quàm injuſtum, quia non ſolùm violatur æqualitas, ſed etiam unitas inter patrem & filium, quæ ſicut major eſt æqualitate, ita ipſius violatio pejor eſt violatione juris: imò præter impietatem in parricidio, committitur etiam perfecta injuſtitia ratione damni temporalis quod reipublicæ & cohæredibus obvenit, ideo tenetur ad reſtitutionem non quà filius, ſed quà homicida.

Dices: tenetur quà filius reſtituere, quæ patri ſurripuit; ſed debitum reſtituendi naſcitur ex perfecta juſtitia: ergo.

Contra: vel neg. min. quia non ſemper debitum compenſandi jus læſum oritur ex juſtitia, ſed etiam ex ea virtute, cujus erat jus illæſum ſervare, ut patet in pœnitentia, pietate, & religione &c. nam ejuſdem virtutis eſt jus ſervare, & læſum reſarcire. Vel diſting. maj. tenetur quà filius incluſus in jure patris reſtituere neg. quà homo & excluſus à rigoroſo jure & dominio patris, quod injurioſè invaſit, & ideo propter delictum à jure naturæ excluditur à jure patris conc. maj. & min. & ſic diſtincto conſequenti neg. conſeq. hinc ſi filius accipit centum aureos à patre pro accipiendo Doctoratu, & illos diſſipat vivendo luxurioſè, tenetur ad reſtitutionem, quia non intendit pater ſuum dominium hujus pecuniæ transferre in filium, ſed reſtrictè ad accipiendum Doctoratum. Cæterùm tamen, cùm pater minùs ſit invitus reſpectu filii quàm extranei, plus requiritur ad furtum filii, quàm extranei; unde dicit Leſſius Lib. 2. c. 12. ſi filius duos vel tres aureos ſit furatus parenti diviti, non ſtatim peccat mortaliter, nec tenebitur ad reſtitutionem, imò nec peccaret, ſi putat patrem rogatum hos aureos facilè concedere; tunc enim pater non eſt invitus circa ſubſtantiam acceptionis, ſed circa modum.

18 Objicies contra 2. partem: ſervus fugiens à ſervitute facit actum injuſtitiæ, & reddendo ſe domino ſuo facit actum juſtitiæ: ergo etiam non laborans, dum deberet, facit actum injuſtitiæ: ergo inter dominum & ſervum formaliter talem eſt perfectum jus.

Reſpondeo neg. conſequentiam primam & ſecundam; nam ſicut filius non obſequens patri, aut creatura DEO, quando debet, non facit actum contrarium juſtitiæ, ſed pietati aut reli-

religioni, quâ tenemur DEUM & patrem colere debito tempore, ita ſervus non laborans, quando debet, non facit actum contrarium juſtitiæ ſed duliæ ſeu ſervitutis: disparitas autem eſt, quod ſervus fugiens à ſervitute committat injuſtitiam; quia ibi ſe facit alium moraliter domino ſuo, & taliter poteſt facere actum injuſtitiæ; hinc reddente ſe domino etiam facit actum juſtitiæ, non ſic eſt de ſervo non laborante; quia non laborando non facit ſe alium à domino, per conſequens non peccat contra juſtitiam, ſed contra virtutem obedientiæ.

Dices: ſui ad ſe ipſum datur jus naturale, quia jure naturali tenemur nos conſervare: ergo etiam ad ſe ipſum poteſt eſſe juſtitia, & ideo multo magis inter ſervum & dominum.

Contra neg. conſeq. quia jus naturale eſt quid ſtrictius & non petit alteritatem ſicut juſtitia.

Dices: qui jus ſuum ab altero illæſum cupit ſervare, facit actum juſtitiæ: ergo etiam qui illud ab altero illæſum ſervat, qui actus juſtitiæ eſt ad ſe ipſum.

Contra diſting. antec. facit actum juſtitiæ objectivæ conc. juſtitiæ formalis neg. & ideo neg. conſeq. quia qui jus ſuum ab altero illæſum ſervare cupit, ſaltem objectivam ſervat alteritatem; quia cupit, ut jus ſuum non à ſe ipſo ſed ab altero illæſum ſervetur, qui verò jus ſuum illæſum tuetur, non ſervat objectivam alteritatem, cum ſit idem qui jus, & cui jus tuetur.

Dices: Tutor poteſt ſibi reſtituere, quod ejus pupillus ei debet; ſed hic actus juſtitiæ non includit alteritatem: ergo.

Contra diſting. min. non includit alteritatem virtualem neg. actualem & formalem conc. nam ſi tutor ſibi nomine pupilli reſtituit, cenſetur eſſe virtualiter pupillus.

Dices: Si hæc diſtinctio virtualis ſufficit, etiam poteſt quis exercere actum juſtitiæ formalis per licitam vindicationem v. g. dum quis gerens perſonam offendentis ex juſtitiâ ſibi ſatisfacit, & ablata bona in perſona ſurantis ſibi reſtituit, quod communiter rejicitur: ergo nec alteritas virtualis ſufficiet pro perfecta juſtitia.

Contra neg. ſequelam; nam ut poſſit quis ex perſona alterius ſibi ex juſtitia ſatisfacere, debet cum eo unum facere moraliter ſaltem titulo juris humani, aliàs non cenſebitur id, quod facit, facere ex perſona alterius, ſed ex propria; cum ergo offenſus non faciat unum moraliter cum offendente, ut facit tutor cum pupillo, non cenſetur, cùm jus ſuum vindicat, ab illo vindicare ex perſona offendentis, ſed ex perſona propria, ideo nec ſaltem virtualis ſervatur alteritas perſonæ ſatisfacientis, & cui ſit ſatisfactio.

19 Objicies contra 3. partem: Barbara habens maritum ſine lege viventem inter alia media, quæ impendit ad ejus converſionem, tribuit multas eleemoſynas de bonis mariti ipſo inſcio; ſed ſi inter virum & uxorem non eſſet perfectum jus quoad regimen domeſticum Barbara hoc licitè & citra inobedientiam & injuſtitiam facere non poſſet, quod tamen communiter negatur: ergo.

Reſpondeo neg. 1. partem min. quia licèt Barbara horum bonorum non habeat dominium de jure, habet tamen ex diſpenſatione charitatis, cùm hæc ſuperflua bona mariti ordinentur contra tam notabile damnum ipſius animæ; tum quia, quando fit commutatio minoris boni cum majori, non poteſt maritus pati injuriam, nec rationabiliter eſſe invitus, adeóque in tali caſu Barbara non tenetur ad reſtitutionem.

DISTINCTIO II.

De Juſtitia & partibus Juſtitiæ.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Juſtitia, & quomodo dividatur?

ADvertendum eſt 1. Juſtitiam, cujus nomen derivatur à juſto, poſſe variè accipi, primò pro collectione omnium virtutum, ut Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem juſtitiam:* ſecundò pro virtute charitatis, ut apud D. Auguſt. de natura & gratia: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt &c.* tertiò pro ipſa gratia ſeu forma noſtræ juſtificationis à qua homo denominatur juſtus, ut in Trident. Seſſ. 6. c. 7. *Unica cauſa formalis eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit:* quartò tandem propriè ſumitur pro ſpeciali virtute morali inter quatuor Cardinales, ſeu pro habitu inclinante voluntatem ad reddendum alteri jus ſtrictè debitum adæqualitatem, & ſub hac acceptione definiemus eam in Aſſert. 1. Interim 1

Advertendum eſt 2. duplex eſſe genus virtutum moralium; quædam enim in ſuis operationibus non reſpiciunt immediatè alterum, ſed ipſum ſubjectum, in quo exiſtunt, ut temperantia, caſtitas, fortitudo &c. & dicuntur virtutes ad ſe; aliæ verò reſpiciunt immediatè alterum, ut eſt miſericordia, religio, juſtitia &c. utræque autem hæ virtutes conſiſtunt in medio, quod medium duplex eſt, ſcilicet medium rationis & rei; medium rationis dicitur, quod pendet præcisè à ratione indagante & præſcribente illud tanquam cauſa v. g. medium in virtute liberalitatis eſt id, quod neque nimis accedit ad avaritiam, neque nimium participat de prodigalitate; unde an quis ad unum vel alterum membrum accedat, 2

debet

debet recta ratio judicare, quæ judicat utique valde divitem poſſe plus expendere quàm minus divitem, & non tam facilè accedere ad prodigalitatem quàm alterum: medium verò rei eſt, quod non dependet à ratione indagante & præſcribente, ſed ex ipſa natura rei, licèt etiam hoc medium reguletur per rationem; cum omne medium à dictamine rationis debeat regulari, adeóque pro juſtitia ipſa natura ſine ulteriori ſpeculatione dictat tantùm eſſe reſtituendum quantum eſt ablatum. His poſitis ſit

3 Propoſitio 1. *Juſtitia eſt virtus per ſolam commenſurationem ad ſuum objectum debitè circumſtantionatum; etſi non referatur ad ulteriorem finem honeſtum.* Ratio eſt, quia præciſo omni alio fine reddere jus alteri debitum propter ſolam talem honeſtatem eſt conforme rectæ rationi: ergo licèt ultra non referatur talis actus, erit ex propria ratione ſui objecti moraliter bonus, & ad aliquam virtutem pertinens; cum faciat bonum habentem, & opus ejus bonum, quod eſt proprium munus virtutis.

Nec dicas: ut actus ſit honeſtus, debet includere reſpectum ad ultimum finem; ergo juſtitia per ſolam commenſurationem ad ſuum objectum ſine alio honeſto fine non eſt virtus.

Reſpondeo diſting. antec. debet includere vel actualiter vel aptitudinaliter conc. ſemper actualiter neg. antec. undè ſufficit ſi juſtitia talem ordinem includat aptitudinaliter, quatenus ex ſe aptus eſt referri ad illum ultimum finem; imò qui etiam debitum ſolvit ex malo fine adhuc facit juſtum materiale, licèt non formale, ſive ut dicit Ariſtoteles: *agit juſtum non juſtè*, ſic etiam in aliis virtutibus fit quandoque opus temperatum forte &c. non tamen temperatè & fortiter.

4 Propoſitio 2. *Juſtitia eſt virtus ſpecialis ab aliis virtutibus diſtincta.* Ratio eſt; quia reſpicit objectum ſpeciale, quod nulla alia virtus reſpicit; unde diſtinguitur primò à virtutibus intellectualibus; cum juſtitia ſit habitus voluntatis: ſecundò à Theologicis, quæ pro objecto habent immediatè ipſum DEUM, juſtitia vero quid creatum ſcilicet ipſum debitum æquale alteri: tertiò à religione; quia ipſa pro objecto habet cultum Divinum, qui pro æqualitate non poteſt exhiberi Deo: quartò à pietate; quia hæc pro objecto habet reverentiam patri & parentibus debitam, quam etiam pro æqualitate compenſare nequit. Et ſic de cæteris.

Nec dicas: pleræque virtutes citatæ reddunt illud debitum ſecundum exigentiam alicujus beneficii præſtiti à Deo, vel à creaturis: ergo in pleriſque virtutibus reperitur ipſa ratio juſtitiæ: imò omnis virtus moralis habet pro debito ut agat conformiter ad exigentiam rectæ rationis: ergo quælibet virtus eſt juſtitia.

Reſpondeo diſting. antec. reddunt illud debitum morale fundatum in honeſtate actionis conc. reddunt debitum legale fundatum in jure activo & ad reſtitutionem coactivo neg. antec. hinc etiam illud debitum agendi conformiter rectæ rationi eſt ſolum debitum morale; unde diſting. conſeq. quælibet virtus eſt juſtitia propria ac perfecta neg. impropria aut imperfecta ut in Advert. 1. adnotavimus conc. conſequentiam. His propoſitis:

Aſſero ad quæſt. *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi: & principaliter dividitur in juſtitiam legalem, diſtributivam & commutativam; ita ut juſtitia vindicativa & œconomica non ſint ſimpliciter ſpecies & partes ſubjectivæ, ſed ſolùm potentiales & generica juſtitia.* Eſt Ulpiani L. *juſtitia* ff. de Juſt. & Jur. & deduci poteſt ex Scoto in 4. Diſt. 46. q. 1. §. *hic primo.* 5

Probatur 1. pars: dicitur primò *voluntas*, hoc eſt actus voluntatis; quia habitus per ſuos actus ſpecificatur; hinc per actum voluntatis ſaltem mediatè habitus juſtitiæ ſignificatur, ſimùlque indicatur partim quòd illius proximum ſubjectum ſit voluntas, partim quod actus juſtitiæ ſit deliberatus & voluntarius: dicitur ſecundò *conſtans*, ad deſignandam firmitatem ſeu firmum propoſitum juſtitiæ: dicitur tertiò *perpetua*, quo ſignificatur continuatio non interrupta non quidem ſubjectiva aut effectiva; aliàs qui ſemel eſſet juſtus, nunquam poſſet fieri injuſtus, ſed affectiva & objectiva, hoc eſt efficax propoſitum & intentio ſemper & perpetuò tribuendi jus ſuum, quibus ultimis verbis continetur adæquatum objectum juſtitiæ, quô ab omni alterius virtutis objecto diſtinguitur, nempe per jus ſeu juſtum, quod eſt æqualitas debiti & obligationis cum jure activo ſeu poteſtate legitima alterius ad aliquid obtinendum vel agendum; hinc ly *tribuendi* accipiendum eſt poſitivè & negativè, hoc eſt, ſi jus alterius læſum eſt, poſitivè illud reſarciendo, ſi verò adhuc eſt integrum illud conſervando & præcavendo, ne contra illud agatur. 8

Probatur 2. pars: in aliqua communitate reperitur triplex habitudo vel partis ad totum, vel totius ad partem, vel partis ad partem; ſed juſtitia, quæ concernit habitudinem partis ad totum, dicitur juſtitia generalis ſeu legalis; generalis, quia reſpicit bonum commune, & ad illius conſervationem aliarum virtutum actus dirigit; legalis verò, quia hujus juſtitiæ principalis actus eſt legislatio; nam omnia ordinare ad bonum commune maximè pertinet ad leges: juſtitia, quæ reſpicit habitudinem totius ad partem, vocatur diſtributiva, quia hujus officium eſt bona communia di- 6

gnitates & beneficia juxta proportionem in civibus repertam diſtribuere: juſtitia tandem, quæ obſervat habitudinem partis ad partem, dicitur commutativa; quia tendit ad ſervandam æqualitatem in mutuis contractibus & commutationibus, in quibus homines privati inter ſe communicant: ergo juſtitia principaliter dividitur in juſtitiam legalem, diſtributivam & commutativam.

7 Probatur 3. pars: licèt juſtitia vindicativa ſit ſpecialis virtus, quâ ſuperior vel iudex intendit æqualitatem inter pœnam inflictam, & culpam delinquentis, non tamen hæc æqualitas eſt ex aliquo jure activo ipſi reo debita, qui potius habet voluntatem averſam à tali pœna, ac proinde obiectum juſtitiæ vindicativæ non eſt juſtum ſeu debitum æquale alteri: ſimiliter juſtitia œconomica cum ſit inter patrem & filium, maritum & uxorem &c. patitur defectum alteritatis, uti diximus diſt. priori. Cæterùm

8 Addendum eſt 1. tripliciter diviſam juſtitiam ſingulatim eſſe definiendam, ſcilicet *juſtitia legalis eſt conſtans & perpetua voluntas communitati tribuendi jus ſuum, ponendo æqualitatem proportionalem inter directionem actuum variarum virtutum & exigentiam boni communis. Juſtitia diſtributiva eſt conſtans & perpetua voluntas in magiſtratu vel communitate partibus communitatis tribuendi jus ſuum, ponendo æqualitatem inter proportionem partium & res diſtribuendas. Juſtitia tandem commutativa eſt conſtans & perpetua voluntas in parte vel quaſi parte communitatis alteri comparti tribuendi jus ſuum, conſtituendo æqualitatem inter rem & rem ſeu datum & acceptum.* Bonitas autem harum definitionum conſtat, quia ponunt genus proximum & ultimam differentiam, quâ una ab altera differt.

9 Addendum eſt 2. juſtitia vindicativa in Principe vel judice reſpectu boni particularis offendentis vel offenſi eſt commutativa, reſpectu verò boni communis eſt commutativa imperata à legali, in perſona verò offenſa particulari privata eſt legalis, vel alterius virtutis, ex cujus motivo vindicatio imperatur; ſi tandem ſit in perſona publica erit commutativa imperata à legali. Ratio 1. eſt, quia Princeps & judex iniit tacitum pactum cum communitate primò de procurando bono communi, deinde bono partium etiam privatorum; ideo enim accipiunt tributa honoris & ſtipendia mercedis: ergo tenentur ex debito commutativo reſpicere tam bonum commune quàm privatum in puniendis delictis. Ratio 2. eſt, quia reſpectu boni communis Princeps duplici tenetur titulo, nempè titulo tacitæ conventionis fundante debitum commutativum, & titulo moralis connexionis cum toto politico fundante debitum juſtitiæ legalis; ſed quando duæ virtutes concurrunt ad unum actum ſuperior & univerſalis ſe habet ut imperans, & inferior ut imperata. Ratio 3. eſt, ſi perſona offenſa eſt privata, vel ſumit vindictam ex ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel requirit à judice; ſed neuter eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ eſt ſolutio debiti legalis; atqui neuter ſolvit debitum legale, ſed tantùm morale fundatum in charitatis naturalis honeſtate, quâ unusquisque inclinat ad ſe ſuáque moderatè tuenda; non enim tenetur offenſus, ſi privatus eſt, ex juſtitia talem vindictam ſumere à delinquente: ergo tantùm erit juſtitia legalis, ſi offenſus moveatur ad vindictam ob bonum commune aut alterius virtutis, ex cujus motivo ſumit vindictam. Ratio tandem quarti eſt, ſi perſona eſt publica, injuria illi facta obeſt bono communi, quod perſona publica ex juſtitia commutativa tenetur defendere: ergo ex eadem juſtitia tenetur vindictam ſumere ad procurandum bonum commune, dicitur autem imperari à juſtitia legali, quia utroque titulo adſtringitur erga bonum commune, ut paulò antè dictum eſt.

Objicies contra 1. partem: ſi juſtitia eſt 10
voluntas tribuendi alteri jus ſuum, ſic tantùm cauſaliter & non eſſentialiter eſſet recta; ſed hoc eſt falſum; cum juſtitia ſit virtus, & omnis virtus ſit eſſentialiter rectitudo, cùm ſit forma ſe ipſa recta & commenſa rationis dictamini: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia juſtitia eſt etiam eſſentialiter rectitudo, & reddit voluntatem rectam formaliter, ſicut omnis forma informando ſubjectum reddit illud tale, qualis eſt ipſa; unde tantùm eſt recta cauſaliter reſpectu actûs, cujus ipſa eſt cauſa efficiens & in ordine ad eum definitur à Juriſconſulto.

Dices: Qui juſtam ſuſtinet pœnam exercet actum juſtitiæ; ſed hic nulli reddit jus: ergo.

Contra neg. min. quia reddit jus parti læſæ per æqualitatem paſſionis ad actionem, quâ alterius jus læſit.

Objicies contra 3. partem: non minus juſtitia legalis quàm commutativa requirit debitum legale, utraque enim fundatur in jure activo creditoris; ſed nec qui vindictam ſumit ab injuſto aggreſſore, nec qui eam petit à judice, id facit ex debito legali: ergo juſtitia vindicativa nec poteſt ad aliam juſtitiam reduci.

Reſpondeo neg. min. quia omnes cives ut partes communitatis habent debitum legale providendi bono publico, quamvis ad id non ſemper obligentur ex quo moveri poſſunt ad juſtam vindictam faciendam vel petendam, nam damnificatur reſpublica propter delicta hominum non tantùm in communi, ſed etiam in particulari, cum infringatur ſecuritas tutelæ ſub qua cives vivunt, & licèt in addit. 2. diximus actum juſtitiæ vindicativæ quan-

doqua

doque seduci ad virtutem charitatis naturalis; quia poteſt fieri ab eodem habitu, poteſt tamen ſemper eſſe actus diverſæ ſpeciei ab actu proſecutionis ob peculiarem circumſtantiam, ſcilicet juſtam & æqualem ſolvendo pœnam.

Dices: ergò nec Princeps poſſet ex gratia liberare delinquentem; quia nullus facere poteſt contra debitum juſtitiæ commutativæ.

Contra neg. illatum; quia hoc ipſum facit ad bonum commune, cui interdum expedit delinquentem liberare, ſive quia utilis reipublicæ; ſive quia hoc maxime declarat clementiam Principis, quæ multùm conducit bono publico, cui proſpicere eſt debitum Principis, judex tamen non poſſet talem gratiam facere, quia munus ipſius eſt proſpicere bono publico ſecundùm leges à Principe præſcriptas.

QUÆSTIO II.

Quomodo differant juſtitia commutativa & diſtributiva, & an juſtitia legalis ſit eadem ſpecie in principe & ſubditis?

1 ADvertendum eſt 1. Authores inter juſtitiam commutativam & diſtributivam varias afferre differentias; prima eſt, quod juſtitia commutativa diaponat ac ordinet hominem privatum ad alium privatum aut quaſi privatum; diſtributiva verò ordinet totam communitatem ad membra particularia: ſecunda, quod commutativa principaliter ſubjectetur in privatis, diſtributiva verò in Principe vel magiſtratu præſidente bonis communibus: tertia, quod commutativa per ſe reſpiciat æqualitatem arithmeticam inter datum & acceptum; diſtributiva verò proportionem geometricam ſeu æqualitatem proportionum, hoc eſt inter conditiones perſonarum, ut v. g. habenti meritum ut duo non detur præmium ut quatuor: quarta, quod vi juſtitiæ commutativæ aliquid debeatur ut rigorosè ſuum, hoc eſt debitum per modum proprii aut quaſi proprii, vi autem juſtitiæ diſtributivæ debeatur aliquid alteri non ut rigorosè ſuum, ſed ut bonum commune non proprium ſed appropriandum: quinta, quod juſtitia commutativa ponat actionem realem vel perſonalem, inferátque obligationem reſtitutionis; in diſtributiva autem nihil tale reperiatur; unde difficultas eſt quænam differentia ſit potiſſima.

2 Advertendum eſt 2. juſtitiam legalem potiſſimum eſſe in Principe; Princeps autem tripliciter ſumi poteſt; primò ut gerens perſonam reipublicæ; ſecundò ut pars & membrum ejuſdem; tertiò ut cuſtos & promotor boni publici ad id conſenſu populi ſtipendio conſtitutus; hinc aliud eſt quærere, an in Principe ſit juſtitia legalis? & aliud ob quam rationem ſit in eo? & ſupponendum eſt eſſe in eo præcipuè; quia eſt cuſtos & rector boni publici; nam non quatenus repræſentat perſonam reipublicæ; quia ſub hac formalitate non facit perſonam moraliter diſtinctam à republica, & ideo non eſſet ſufficiens alteritas, & ſic eadem reſpublica foret debitrix & creditrix; nec quatenus eſt pars & membrum reipublicæ; nam ut membrum ob politicam connexionem cum toto eadem lege, qua reliqui cives obligatur ad bonum totius curandum; adeóque ſolùm quia cuſtos & rector ſeu principale membrum. Licet autem Princeps etiam adſtringitur titulo juſtitiæ commutativæ, quo non adſtringuntur ſubditi ad commune bonum in gravi neceſſitate tuendum ob tacitum pactum initum cum populo, & ex hoc teneatur ad reſarciendum totum damnum, quod reſpublica pateretur, quod ſtrictum jus non tollit juſtitiam legalem à Principe, ſed potius firmat, ſicut, qui voto ſe adſtringit ad reddendum ablatum, non eximitur propter novum hunc titulum ab obligatione juſtitiæ, ſed firmatur: non tamen Princeps ſub eadem ratione exercet jus, & debitum accipit & reſtituit; nam jus exercet in cives, & accipit ut formaliter eſt cuſtos reipublicæ; debitum verò exercet erga rempublicam, & reſtituit ut membrum principale. His notatis ſit

Propoſitio 1. *Præter juſtitiam legalem datur alia eſſentialiter diſtincta juſtitia particularis, cujus eſt jus ſuum cuique privata perſona tribuere.* Ratio eſt, quia virtutes diſtinguuntur per objecta formaliter diverſa; ſed bonum commune totius reipublicæ & bonum particulare privatorum civium ſunt objecta formaliter diverſa; ergo. Min. prob. diverſa eſt difficultas curare bonum commune, & reſtituere privatum, quæ difficultas immediatè oritur ex diverſitate objecti; nam bonum commune non eò tantùm à privato differt, quod illud ad omnes, hoc ad ſingulos ſpectet, ſed præcipuè in ratione formali juris & debiti, à quo juſtitia ſpecificatur; cum enim bonum totius ſit etiam bonum partium, cum totum conſtet partibus, non poteſt inter civem & rempublicam intercedere perfectum jus & debitum, ſicut inter unam privatam perſonam & aliam, quarum jura ſunt perfectè condiviſa; cum unum jus non ſpectet ad alterum: ergo bonum commune & privatum ſunt objecta formalia diverſa virtutis juſtitiæ. 3

Nec dicas: objectum juſtitiæ legalis eſt bonum debitum totius; ſed in bono totius includuntur bona debita partium: ergo nullum ſupereſt objectum, quod ſpecificare poſſet juſtitiam particularem diſtinctam ab objecto juſtitiæ legalis.

Reſpondeo diſting. min. in bono totius ut objecto juſtitiæ legalis includuntur bona debi-

ta partium materialiter conc. includuntur formaliter, quod propriè eſt includi ſecundùm perfectam rationem juris & debiti ex quo deſumitur ratio formalis juſtitiæ neg. min. ex eo quod ſola juſtitia particularis habeat perfectum debitum & jus, non ſequitur inter cives & rempublicam non intercedere jus ſufficiens ad juſtitiam ſimpliciter dictam fundandam, ſed ſolùm ſequitur intra idem genus perfectæ juſtitiæ perfectiorem eſſe, quæ eſt inter perſonas privatas.

4 Propoſitio 2. *Non tantum juſtitia commutativa, ſed & diſtributiva eſt vera juſtitia ſpecie diſtincta.* Ratio 1. eſt, quia juſtitia commutativa omnes conditiones ad juſtitiam requiſitas in ſummo rigore obtinet: nam habet pro objecto jus primo cum debito legali fundato in rigoroſo jure proprietatis vel quaſi proprietatis: ſecundò cum alteritate, cum ſit inter privatas perſonas inter quas nulla eſt identitas vel ſubordinatio, quo nomine etiam veniunt integræ reſpublicæ, ſi inſtar hominis privati ineant contractum; cum in hac ratione nulla ſit comparatio partis ad totum: tertiò cum æqualitate; quia juſtitia commutativa intendit ponere æqualitatem arithmeticam rei ad rem, quantitatis ad quantitatem: ergo eſt ſtrictiſſima juſtitia. Ratio 2. eſt, quia etiam in diſtributiva ex parte objecti nulla deeſt conditio veræ juſtitiæ: nam primò adeſt debitum legale communitatis fundatum in jure activo non quidem proprietatis ſed condignitatis, quod habent membra communitatis ad munera & bona communia juxta proportionem meritorum & dignitatem perſonarum diſtribuenda; unde in communitate vel ejus gubernatore non eſt obligatio ex mera honeſtate virtutis, ſed eſt verum debitum legale bona communia juxta proportionem diſtribuendi, quod oritur ex jure activo exigendi & petendi in creditoribus, licèt non obliget ad reſtitutionem per ſe; ſecundò adeſt alteritas; nam licèt non ſit adeò ſtricta alteritas inter totum & partes ſicut inter civem & civem, eſt tamen talis, quæ admittit diſtinctum jus in uno & debitum in altero, nec tanta neceſſaria & phyſica connexio aut dependentia eſt partis cum tota communitate, quanta eſt filii cum patre, ſervi cum domino: tertiò adeſt ſufficiens æqualitas; quia communitas ſervando æqualitatem in diſtributione bonorum cum dignitate & jure civium tribuit illis quantum debet, adeòque tribuit cuique ſuum: ergo.

Nec dicas: ſola juſtitia quæ verſatur in mutuis hominum commerciis ſive ſpontaneis ſive invitis adæquandis habet omnes conditiones veræ juſtitiæ; ſed in mutuis hominum commerciis ſola verſatur juſtitia commutativa: ergo ſolùm eſt unica ſpecies veræ juſtitiæ. maj. patet, quia illa ſola præter alteritatem & æqualitatem habet debitum legale tale, quod obligat ad reſtituendum, quod eſt potiſſimum ſignum veræ & perfectæ juſtitiæ.

Reſpondeo neg. maj. & ejus probam; quia ad perfectam juſtitiam non præcisè requiritur debitum ad reſtitutionem obligans, ſed ſufficit debitum ſupponens jus activum exigendi vel petendi in creditore; quia per hoc ſufficienter diſtinguitur à debito morali ex ſola honeſtate virtutis conſurgente.

Propoſitio 3. *Juſtitia legalis eſt vera juſtitia ſpecialis diſtincta ab aliis virtutibus & juſtitiis.* 5
Ratio eſt; tum quia virtus habens ſpeciale objectum & ſpecialem difficultatem ſuperandam eſt ſpecialis; ſed hæc habet juſtitia legalis: ergo min. quoad primum patet; nam bonum commune ut legaliter debitum eſt objectum juſtitiæ legalis diſtinctum ab omni alterius virtutis objecto, ut de ſe patet: min. quoad ſecundum etiam patet ex Ariſtotele 3. polit. *non eſt ſimpliciter eadem virtus boni viri* (quod fit per juſtitiam particularem) *& boni civis* (quod fit per juſtitiam legalem) id eſt in ordinatione omnium virtutum ad bonum commune ut legaliter debitum reperitur longe alia & major difficultas, quàm in obſervatione boni particularis; ſed aliæ virtutes ſemper reſpiciunt aliquod bonum particulare: ergo eſt alia difficultas: tum quia in virtutibus ad alterum diverſum debitum conſtituit diverſam juſtitiam; ſed in juſtitia legali eſt diverſa ratio debiti: ergo min. 1
patet; quia debitum juſtitiæ legalis non eſt morale ex honeſtate virtutis, ſed legale ſupponens jus altum in Principe vel republica, nec eſt debitum obligans ad reſarcienda damna ex negligentia civium ſecuta, niſi cui ex officio incumbit talis boni conſervatio, nec eſt debitum condignitatis ſed neceſſitatis, ſi ſcilicet aliter non poſſit conſervari bonum commune: ergo habet diverſum debitum ab aliis juſtitiis & virtutibus.

Nec dicas: Ariſtoteles 5. Ethic. 1. dicit: *itaque nec hæc juſtitia pars virtutis ſed integra virtus eſt*: ergo juſtitia legalis non eſt virtus ſpecialis, ſed integra aggregatio omnium, quatenus ad bonum commune ordinantur; quod confirmatur ratione; nam omnis virtus non ſolum ſuum actum ordinat, ſed etiam debet in bonum commune ordinare ut in finem debitum: ergo non requiritur alia ſpecialis virtus. antec. patet: quia quævis virtus inclinat ad actum ſuum ſervatis debitis circumſtantiis; ſed potiſſima circumſtantia eſt bonum commune; nam homo exiſtens in communitate tenetur operari ut pars communitatis, pars autem dicit eſſentialem ordinem ad totum: ergo homo tenetur agere propter totum communitatis, ſicut ex eo, quod homo eſt, tenetur operari propter bonum rationis, quod in ipſo præcipuum eſt.

Reſpondeo Ariſtotelem intelligendum eſſe, quod juſtitia legalis ſit integra virtus ratione materiæ, quæ ſunt actus omnium virtutum, non

non verò ratione objecti formalis, ratione cujus non eſt virtus, ſed pars virtutis, non integralis, ſed ſubjectiva; hinc ad rationem neg. antec. nam nulla virtus poteſt tendere extra ſphæram ſui objecti, & bonum commune expreſsè intentum cum ſit peculiare objectum ſpecialem habens honeſtatem, nequit ad illud quævis virtus ferri: unde ad probam antec. diſting. maj. ad quamlibet virtutem ſpectat elicere actum propter bonum commune implicitè tantùm & negativè conc. expreſsè & poſitivè neg. maj. ſicut à pari ad quamlibet virtutem ſpectat elicere actum propter legem implicitè & negativè, hoc eſt ut non ſit ei difformis, non autem expreſsè, nam ſic eſt ſpeciale objectum virtutis obedientiæ. Tandem ad paritatem de bono rationis diſpar eſt ratio; quia bonum rationis concurrit ad omnem actum virtutis ut regula proxima & ſpeciale objectum in genere moris, & ideo ſi homo vult operari ex virtute, tenetur propter illud operari, bonum autem communitatis non eſt regula proxima ſed remota; nec objectum ſpeciale & generale virtutum, nec tamen juſtitia legalis debet dici virtus univerſalis prædicatione, ſed ſolùm virtute & imperio; cum habeat particulare objectum & honeſtatem diſtinctam, qualiter non habet illud, quod eſt generale prædicatione, ſed ſolum moveat & imperet omnibus virtutibus, ut actus ordinentur in bonum commune, ſicut charitas dicitur generalis, quatenus ordinat actus aliarum virtutum in ultimum finem: cæterùm quando cives reſtituunt reipublicæ, quod ab ipſa ſunt mutuati, non faciunt actum juſtitiæ legalis, ſed commutativæ; quia tale debitum non fundatur in jure alto orto ex neceſſitate boni communis, ſed ex jure baſſo nato ex contractu inter cives & rempublicam tanquam perſonam privatam: pariter ſi una reſpublica alteri reipublicæ periclitanti ſuccurrat, non facit actum juſtitiæ legalis, ſed miſericordiæ; cum non adſit jus altum ad petendum in neceſſitate ab altera republica.

6 Propoſitio 4. *Reſtitutio eſt actus elicitus & proprius ſolius juſtitiæ commutativæ.* Ratio eſt, quia actus reſpiciens æqualitatem cum rigoroſiſſimo jure eſt actus juſtitiæ commutativæ; ſed reſtitutio reſpicit æqualitatem cum rigoroſiſſimo jure alterius: ergo eſt actus ſolius juſtitiæ commutativæ: min. prob. actus, quo quis reponitur in dominium & poſſeſſionem rei ſtrictiſſimè ſuæ, pertinet ad ſolum jus commutativum & rigoroſiſſimè ſumptum; ſed reſtitutio eſt talis actus: ergo maj. patet; quia res communis in diſtributiva non eſt ita propriè civi magis merenti. quin & alii etiam habeant aliquod jus ad illam, cùm omnes cives communitatis ſaltem aliquod jus diminutum habeant in res communes, & ideo non eſt neceſſitas per ſe reſtitutionis, ut reponatur in dominium rei ſtrictiſſimè ſuæ, & nullo modo alterius; & ſic pariter eſt in juſtitia legali, ubi ſi damnum patitur bonum commune, etiam quivis civis, cum ſint partes, aliquid patiuntur, & ideo ab illis non tam eſſet reſtitutio facienda communitati, quàm ſibi ipſis: ergo ille actus ponendi aliquem in poſſeſſionem rei ſtrictiſſimè ſuæ pertinet ad ſolum jus commutativum.

Nec dicas: quando perſonis unius gymnaſii ex teſtamento relinquuntur mille aurei ſecundum dignitatem & meritorum proportionem in ipſos diſtribuendi, tenetur diſtributor ad reſtitutionem, ſi non ſervaverit leges juſtitiæ diſtributivæ: ergo actus reſtitutionis non eſt ſolius juſtitiæ commutativæ, ſed etiam diſtributivæ.

Reſpondeo neg. conſeq. quia talis diſtributor non tam violat juſtitiam diſtributivam, quàm commutativam; nam quatenus illa bona ex donatione gymnaſio facta ſunt communia, ſecundùm legem juſtitiæ diſtributivæ debent diſtribui juxta meritorum dignitatem & geometricam proportionem; aſt verò quatenus ſingulis perſonis de gymnaſio ex voluntate teſtatoris eſt jus ſtrictum acquiſitum ad certam illorum bonorum portionem, ſic obligat juſtitia comutativa ad portionem ejuſmodi dignitati ac meritis competentem concedendam; unde obligatio reſtituendi ob iniquam illam diſtributionem non ex violatione juſtitiæ diſtributivæ, ſed commutativæ oritur; hinc melius diſting. conſequens, actus reſtitutionis eſt etiam juſtitiæ diſtributivæ occaſionaliter & concomitanter conc. proximè & formaliter neg. conſeq. hinc in ſimilibus caſibus in juſtitia diſtributiva eſſentialiter includitur juſtitia commutativa, & ex illa oritur obligatio reſtituendi; unde ſi fieret diſtributio purè gratis & ex liberalitate, vel jure aliundè partibus non acquiſito, vel per donationem, teſtamentum, aut contractum, uti eſſet Princeps bona communia & officia diſtribuens, non teneretur ad reſtitutionem eorundem, ſed ad ſummum aliquando ad reſarcienda damna, quæ communitas eſſet paſſa ex tali injuſta diſtributione, idque ex tacita conventione inter ipſum & communitatem de conſervando bono publico per juſtam diſtributionem officiorum, quod debitum ſpectat ad juſtitiam commutativam: his poſitis

Aſſero 1. ad quæſt. *Juſtitia commutativa diſtinguitur ſpecie à diſtributiva, non ex medio arithmetico & geometrico, ſed ex diverſo jure ſcilicet perfecte & in re, & imperfecte & ad rem: & pariter juſtitia diſtributiva diſtinguitur ſpecie à legali.* Eſt Ariſtotelis 5. Ethic. 2. & deduci poteſt ex Scoto in 4. D. 46. q. 1. §. *hic primo.* 7

Probatur 1. pars: diverſitas juſtitiæ deſumenda eſt ex diverſitate juris: ergo ubi eſt diverſa ſpecies juris, ibi eſt diverſa ſpecies juſtitiæ; ſed diverſa eſt ſpecies juris in juſtitia commutativa & diſtributiva; ut patebit ex proba 3. ergo. Conſequentia verò prima patet; quia ex diverſo jure diverſum oritur debitum ac objectum juſti-

tiæ,

tiæ, cum debitum formaliter conſtituatur per reſpectum ad jua, ſeu quia debitum alicui juri eſt debitum.

8 Probatut 2. pars: medium diſtinctivum unlua virtutia non poteſt eſſe conſtitutivum alterius virtutis; quia diſtinctivum eſt ſimul conſtitotivum, & idem objectum formale diverſatum virtutum conſtitutivum eſſe non poteſt; ſed medium geometricum, quod ponitur diſtinctivum juſtitiæ diſtributivæ aliquando conſtituit juſtitiam commutativam & alias virtutes: ergo min prob. quia medium geometricum poteſt cadere in debitum rigotoſum obligans ad teſtituendum, quod eſt objectum juſtitiæ commutativæ; nam poteſt quis legare mille diſpenſanda pauperibus juxta proportionem geometricam, quantùm ſcilicet quis excedit aliom in paupertate, tantò plus accipiat, ubi legatatiua tenebitur ex juſtitia commutativa talem diſtributionem facere ſecundùm proportionem geometricam: pariter eadem proportio poteſt cadere in objectum omnium virtutom, quæ ſunt ad alterùm, poſſum enim titulo gratitudinis, liberalitatis, amicitiæ bona mea diſpenſare ſecundùm proportionem geometricam: ergo.

9 Probatur 3. pars: Juſtitia commutativa fundatut in mutuo contractu inter privatas perſonas: quarum onaquæque jus ſuum habet perfectè condiviſom à jure alterius, diſtributiva verò in jure, quod ſinguli cives habent ad bona publica; ſed illud eſt perfectum & in re, hoc imperfectum & ad rem: ergo min. patet; qoia bonum privatum ita eſt uniua, ut non ſit alterius perſonæ, bonum autem publicum non ita eſt unius, quin ſit & reliquorum civium; eſt enim bonom totius, quod eſſentialem ordinem dicit ad partes.

10 Probatut 4. pars: diverſum jus fundat diverſam juſtitiam; ſed in juſtitia diſtributiva eſt diverſum jus, quàm in legali; cum in illa ſit jus partium, cui reſpondet debito in toto, & in hac jus totius, cui reſpondet debitum in partibus, & pariter jus, quod habet communitas petendi tempore debito ad ſui conſervationem ſubſidia, eſt altius, cui ſtrictiua debitum reſpondet in partibus, quàm ſit jus, quod habent cives ad petenda bona communia à republica, nam illud eſt jus conſervandi totum, hoc verò jus conſervandi partes; bonum autem totius ſemper eſt præferendum bono partis: ergo conſeq. patet; ideo religiò eſt ſpecie diverſa à pietate: quia fundatur in altiori jure creationis, cui reſpondet ſtrictius debitum in creatura erga DEUM, quàm ſit jus generationis, in quo fundatut pietaa erga parentes: ergò etiam &c.

11 Objicies contra 1. 2. & 3. partem: habitus diſtinguuntur penes actus & objecta formalitet diverſa; ſed actus & objecta juſtitiæ commutativæ & diſtributivæ non ſunt formaliter diverſa: ergo min. prob. actus utriusque juſtitiæ eſt teddere jus privatæ perſonæ, & objectum utriusque eſt bonum debitum alteri & motivum utriusque eſt illæſum ſervare jua alteriua, quod autem materiâ unius ſit bonum privatum, alterius verò publicum ſolùm conſtituit differentiam materialem: ergo.

Reſpondeo neg. min. ad prob. diſting. antec. actus utriuaque juſtitiæ eſt reddere jus privatæ perſonæ ſecundùm diverſam tamen rationem conc. ſecundum eandem neg. antec. nam commutativa reddit jus propter utilitatem ipſius privatæ perſonæ, diſtributiva verò propter utilitatem totius; quia reddit jus parti ut parti formaliter; nam ut ſic habet jus ad bonum totius, ſic pariter objectum juſtitiæ commutativæ eſt bonum ſtricto jure alteri debitum, diſtributivæ verò bonum alto ſolùm jure debitum, tandem motivum illius eſt illæſum ſervare jus privatum, hujus verò illæſum ſervara jus altum; quod cives habent in bona reipublicæ.

Dices: ſaltem Ariſtoteles vult juſtitiam diſtributivam ſufficienter diſtingui à commutativa propter objectum medii geometrici, quod debet Princeps ſervare in diſtribuendia bonia reipublicæ: ergo non alio modo ſunt diſtinguendæ.

Contra neg. conſeq. quia Ariſtoteles & alii ſolùm volunt illam diſtingui materialiter & à poſteriori, qoia ſemper cum juſtitia diſtributiva connectitur forma diſtribuendi geometricè, & ideo adhuc rectè explicatur formale objectum ipſius, quamvis hæc geometrica diſtributio uti in aliquo priori fundetur in jure imperfecto ſolùm & ad rem.

Dices: hoc ipſo juſtitia diſtributiva non eſt vera juſtitia; quia non tribuit alteri quod propriè ſuum eſt.

Contra neg. illatum, rationem diſting. non tribuit quod ſuum eſt, ſumendo ſuum ut appropriandum vel appropriatum neg. ſumendo ſolùm ut appropriatum eſt conc. vera autem juſtitia unum ſaltem ex his reſpicit.

Objicies contra 4. partem: tam juſtitia diſtributiva quàm legalis fundatur in eodem jure imperfecto petendi, utraque reſpicit bonum commune totius; nam legalis fundatur in jure alto, quod habet reſpublica in bona civium ut partes reipublicæ, & in debito, quod ex tali jure reſultat in civibus; diſtributiva etiam in jure alto, quod habent cives ad petenda bona publica, & in debito, quod ex tali jure reſultat in republica, & ſola differentia eſt, quod in legali reſideat jus in toto, debitum in partibus, in diſtributiva verò jus in partibua, & debitum in toto, quæ ſolùm eſt differentia accidentalia: ergo. 12

Reſpondeo neg. conſeq. nam licèt utraque juſtitia fundetur in jure alto petendi bona communia, adhuc tamen altius & perfectius jus eſt, quod habet reſpublica petendi ſubſidia tempore neceſſitatia, quàm jus quod habent cives petendi bona communia à republica;

ca; quia illud per ſe primò reſpicit bonum particulare civium, ideo ſtrictius debitum reſpondet ei, quàm juri diſtributivo, & licèt etiam hoc bonum particulare redundet in bonum communitatis, adhuc tamen non eſt ita neceſſarium ad reipublicæ conſervationem ſicut eſt bonum, quod tempore neceſſitatis per ſubſidia civium debitum eſt reipublicæ; nam eſto reſpublica bona communia non diſtribueret ſuis civibus ſed alienis, non propterea periclitaretur, ſicut periclitaretur ſi tempore neceſſitatis per civium ſubſidia ei non ſuccurreretur; cujus ſignum eſt, quod ratione hujus juris reſpublica petere poteſt pro ſui conſervatione quævis bona à ſuis civibus etiam famæ & vitæ, quæ ſunt ſuprema inter temporalia, ad quæ tamen bona cum certo periculo amiſſionis famæ aut vitæ reipublicæ cives jus non habent.

Dices: charitas eadem ſpecie poteſt ſe extendere ad diligendum DEUM & proximum propter DEUM: ergo & eadem juſtitia poteſt ſe extendere ad actus legales & diſtributivos.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia charitas eſt virtus adinſtar potentiæ à DEO infuſa, ideo poteſt una ſpecie ſe extendere ad actus ſpecie diverſos, juſtitia verò moralis, cùm ſit virtus acquiſita ex actibus, & actus ſint diverſæ ſpeciei, diverſæ quoque erunt ſpecie virtutes ab actibus productæ.

13 Aſſero 2. *Juſtitia legalis eſt eadem ſpecie virtus in Principe & in ſubditis.* Eſt Scoti in 4. diſt. 46. q. 1. *§. non improbando.* Eſt contra D. Thomam.

Probatur: in utraque habetur idem objectum formale, quod eſt bonum commune ut commune & adæquabile per exhibitionem actus legaliter debiti, quod reſpicitur à juſtitia legali: ergo hæc in Principe & ſubdito eſt eadem ſpecie. antec. patet, quia non minus imò fortè majus reperitur debitum in Principe ad conſervationem boni communis quàm in ſubditis: ergo tam in Principe quàm ſubdito eſt objectum, quod reſpicitur à juſtitia legali. Addo tamen in Principe vel magiſtratu actum juſtitiæ legalis non reperiri disjunctum ab actu juſtitiæ commutativæ, ſiquidem Princeps & magiſtratus tacitum pactum init cum republica de procurando bono communi ipſius.

14 Objicies: habitus architectonicus ſpecie differt à miniſteriali, ut patet in arte militari & equeſtri reſpectu frænifactivæ; ſed juſtitia legalis juxta D. Thomam eſt architectonicæ in Principe & miniſterialiter in ſubditis: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. habitus architectonicus objectivè differt ſpecie conc. architectonicus ſolùm ſubjectivè neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. virtus ergo objectivè architectonica eſt, quæ intrinſecè ordinatur ad finem altiorem & univerſaliorem, ut ars militaris ad victoriam, miniſterialis verò ad finem minus univerſalem & ſubordinatum fini actis univerſalioris, ut ars frænifactiva, cujus finis eſt frænum, quod ut medium ſubordinatur militari & equeſtri; virtus verò architectonica ſubjectivè eſt, quæ per modum imperii dirigit ad ſuum finem potentias inferiores ratione materiæ vel ſubjecti ſolùm, juſtitia ergo legalis in Principe non eſt objectivè architectonica, cùm non habeat univerſalius objectū formale, ſed idem ſit in Principe & ſubdito; unde eſt ſolùm ſubjectivè architectonica, & ideo tantùm ratione materiæ & ſubjecti differt; quia dum reperitur in Principe ordinat ſubditos per modum imperii ad bonum commune, dum verò reperitur in ſubditis ordinatur miniſterialiter in hunc ipſum finem boni communis; ſicut eadem virtus in eodem ſubjecto ut eliciens actus ſuos & imperans alienos non eſt à ſe ipsâ diverſa; quia utroſque exercet ſub motivo ſui objecti formalis, & ſolùm à ſe ipsâ differt ratione materiæ, circa quam verſatur eliciendo & imperando.

Dices: Princeps bonum publicum promovet per rationes univerſaliores, ſubditus per leges communes & rationes minus univerſales: ergo etiam objectivè differunt.

Contra neg. conſeq. quia illud adhuc ſolùm facit diverſitatem materialem mediorum, non formalem finis; nam ſive media ſint magis ſive minus univerſalia, finis tamen à quo juſtitiæ legalis ſpecificatur, idem eſt in utraque ſcilicet bonum commune.

Dices: prudentia gubernativa, quæ eſt in Principe, ſpecie differt à politica, quæ eſt in ſubditis, ex eo; quia illa ut architectonica reſpicit agibilia per rationes univerſaliores, hæc ut miniſterialis per rationes minus univerſales, quamvis utraque reſpiciat bonum commune: ergo.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia prudentia immediatè verſatur circa media, non circa finem; nam eſt conſiliativa & electiva mediorum; ideo ſecundùm diverſitatem mediorum diverſificatur prudentia; ſed diverſa ſunt media, & diverſa eſt difficultas ad gubernandum & obediendum, quæ reſpicit prudentia gubernativa Principis & politica ſubditorum: juſtitia verò legalis ſicut & quævis alia virtus appetitûs rationalis immediatè verſatur circa finem, nempe bonum publicum, ac proinde non habet eſſentialem diverſitatem.

Dices: in intellectu ponitur alius habitus circa finem ut ſynterelis, & alius circa media ut prudentia: ergo etiam in voluntate.

Contra neg. conſeq. quia voluntas reſpicit bonum à quo perficitur, bonum autem principaliter ſolùm reperitur in fine & mediis ſolùm per ordinem ad finem, intellectus verò reſpicit verum, æquè autem reperitur verum in mediis ac fine. Cæterùm verò quamvis iidem videantur eſſe actus pietatis civium in patriam, quàm juſtitiæ legalis in rempublicam, ſunt tamen ſolùm iidem actus materialiter, formali-

maliter verò diverſi; quia ex diverſo procedunt motivo; nam pietas in patriam imperat tales actus ex eo motivo, quod teneamur conſervare patriam tanquam aliquod eſſendi principium, ex quo ortum trahimus; juſtitia verò legalis imperat hos actus ex obligatione & debito legali, quod habent partes ad conſervationem totius: unde fictione juris totum eſt diſtincta & altera perſona à partibus diſtributivè ſumptis; hinc etiam fit, licèt patriæ, ut eſt principium eſſendi, non poſſit reddi æquale, poteſt tamen ei reddi æquale ſub alia ratione, quatenus nempè bonum patriæ dicit habitudinem totius, & cives habitudinem partis ad totum.

QUÆSTIO III.

An juſtitia reſpiciat medium rei vel rationis?

HÆc Quæſtio fuit deciſa Tom. 2, Tract. 4. Diſt. 2. q. 1, vide eam ibi.

DISTINCTIO III.

De

Juſtitia in dominio ut ſic,

QUÆSTIO I.

Quid ſit dominium perfectum, & quæ ad illud requirantur?

1 ADvertendum eſt 1. perſpectâ naturâ & ſpeciebus juſtitiæ nunc accuratius eſſe inſpiciendum ejus objectum, quod diximus eſſe actiones ponentes æqualitatem cum jure id eſt dominio alterius, hoc ergo dominium communiter & primò dividitur in dominium proprietatis & juriſdictionis: primum eſt proprium & dicitur facultas liberè diſponendi de aliqua re in ſuum commodum, ſeu eſt aliqua relatio, quâ quis reſpicit aliquam rem ut ſuam, ex quo tanquam ex aliquo jure ſequitur connaturaliter facultas diſponendi de re; dominium verò juriſdictionis eſt jus ſeu facultas gubernandi ſubditos in ipſorum commodum & utilitatem, id eſt procurando pacem & publicam tranquillitatem,

2 Advertendum eſt 2. dominium proprietatis iterum dividi in plenum ſeu perfectum, & imperfectum: primum eſt, quod continet proprietatem rei & commodum ejus: imperfectum verò eſt, quod alterutrum ſolùm habet ſcilicet proprietatem absque emolumentis, vel emolumenta absque proprietate, & aliquando eſt imperfectum ex parte objecti, ut quando alicui tantùm debetur proprietas & non emolumenta, vel viciſſim; & hoc modo dominium iterum eſt duplex ſcilicet directum, & utile; primum continet ſolam proprietatem, & ab hoc aliquis denominatur proprietarius, ut eſt filiusfamilias, qui non per patrem, ſed extrinſecus aliquorum bonorum adventitiorum eſt dominus proprietarius; quia talium bonorum proprietas quidem ſpectat ad filium, uſum autem fructuum & liberam adminiſtrationem habet pater; item ſimile dominium habet Princeps in feudis: dominium verò utile eſt, quod continet ſolam rei utilitatem, quale dominium habet uſufructuarius, feudatarius &c. Tandem dominium imperfectum ex parte ſubjecti eſt, quando plenum ex parte objecti eſt, ſeu quando alicui debetur tam proprietas quàm uſus fructuum, non tamen ſoli, ſed habet in eo aliquem comparticipem in toto illo jure, ut quando aliqui adeunt hæreditatem inter ſe dividendam, & nondum facta diviſione.

3 Advertendum eſt 3. dominium proprietatis adhuc dividi in dominium univerſitatis, & particulare; primum eſt dominium locorum ſeu rerum pertinentium ad integram communitatem, ut dominio proprietatis ſint ad ſingularem uſum deputatæ, ut ſunt prata alicujus civitatis deputata ad paſcuam animalium eorum, quæ illius ſunt loci; item ſilvæ ad ligna ſcindenda, quæ quidem res & loca non ſunt ſolùm illius communitatis, ſed etiam domini, qui urbi aut oppido dominatur, idque in ſuo ordine & gradu, & ita poteſt pro ratione ſui gradus in populo aut civitate eis uti ſine præjudicio aliorum plura animalia alendo, vel plura ligna, ſi indigeat, ſcindendo, idque non ſolùm ſi immediatum dominium juriſdictionis in eo populo aut civitate habeat, ſed etiam ſi ſolummodo habeat dominium mediatum: alterum verò dominium ſcilicet particulare eſt, quod quilibet habet in particulari in res ſuas particulares, & eſt formaliſſimè dominium proprietatis. His notatis:

4 Propoſitio 1. *Verum datur dominium in res etiam incorporeas.* Ratio eſt; quia DEUS verum habet dominium in angelos, qui ſunt ſimpliciter ſubſtantiæ incorporeæ; item in animas noſtras ſpirituales; item dicimus hunc vel illum Clericum eſſe dominum hujus beneficii aut cathedræ, & ideo pariter C. *ſi tibi abſenti.* de præbend. in 6. dicitur per acceptationem beneficii jam collati comparari jus in re, ita ut dici valeat ſuum, id eſt illius acceptantis.

Nec dicas: L. 16. *ſi quis.* §. differentia ff. de aquir. vel amitten. poſſeſs. dicit Bartolus: quod dominium ſit jus perfectè diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur: ergo dominium non eſt de rebus incorporeis.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Theologi illam particulam *corporali* expungunt ob rationes allatas, Bartolus ergo ibi non loquitur de dominio ſimpliciter & quoad ſe, ſed ſolùm de dominio notiori & quoad majorem noſtram experientiam, quatenus res corporales

les

les manu tangi & teneri poſſunt in earum diſpoſitione, interim tamen etiam Bartolus dominium rerum incorporearum vocat ſaltem quaſi dominium & poſſeſſionem.

Propoſitio 2. *Ad dominium perfectum*
5 *exigitur facultas per ſe integrè diſponendi authoritativè.* Ratio eſt; quia qui habent bona, quæ dicuntur vinculata, quæ non poſſunt alienari v. g. majoratum vel fideicommiſſum, non poſſunt ſubſtantiam rei alienare ſine injuſtitia; ſed hoc non accideret, ſi haberent perfectum dominium & ſolummodo ligatum: ergo illorum dominium eſt tantùm imperfectum, & ideo ad perfectum exigitur facultas integrè diſponendi; hinc ſequitur dominium illorum bonorum fideicommiſſorum eſſe in tota familia, quæ habetur in jure tanquam aliqua perſona, quando autem Princeps vel Imperator aliquando dat facultatem quædam alienandi, non hoc facit, quod præſupponat dominium pleno jure, & quaſi ſolùm tolleret impedimentum, ſed ex ſuprema ſua poteſtate interpretatur rationabilem voluntatem teſtatoris, vel illam corrigit ex dominio alto ſi fuit irrationabilis; cùm propter juſtas cauſas expediat, ne illa bona ſint inalienabilia in his circumſtantiis.

Nec dicas: L. *generaliter.* §. ſub conditione ff. qui & à quibus &c. conceditur etiam poſſeſſibus majoratûs, fideicommiſſi ſimpliciter debere appellari dominum: ergo ad perfectum dominium non ſemper requiritur facultas integrè diſponendi. Quod confirmat paritas de pupillo & minorenni, qui ſunt veri domini ſuarum rerum, & quidem dominio pleno, licèt non expeditè poſſit diſponere, ut habetur ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium:* ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illa lex ſolùm concedit illum poſſeſſorem debere dici dominum per appropriationem, non verò per ſtrictam acceptionis veritatem; quia licèt ille poſſeſſor non habeat ſtrictum & plenum jus, nullus tamen alius eſt, qui magis eſt dominus, quàm ille, ſic etiam Cajus dicitur ſimpliciter dominus ſui palii, licèt Deus ſtrictius jus habeat in illud: ad paritatem diſparitas eſt; quia pupillus ſolùm per accidens habet dominium vinculatum; quia ille non faceret alteri injuriam, ſi bona ſua alienaret, neque teneretur ad reſtitutionem, ſed ſolùm peccaret contra legem hoc prohibentem in bonum ipſius, cum ſupponatur habere non ſufficientem vel ætatem, vel uſum rationis diſponendi de ſuis; poſſeſſor verò majoratûs peccat contra juſtitiam, & faceret injuriam ſucceſſoribus, in quorum bonum hujusmodi majoratus ſunt inſtituti, adeóque teneretur ad reſtitutionem; hinc horum dominium eſt per ſe vinculatum, ideo imperfectum, neque ex hoc ſequitur ſimilia bona eſſe ſub nullius dominio; nam quoad dominium directum ſunt in dominio poſſeſſoris, & ſimul totius familiæ, quæ licèt non exiſtat quoad omnes ſucceſſores, eſt tamen quædam perſona ficta fictione juris, ſicut etiam hæreditas vacans antequam animetur poſthumus in ventre matris eſt perſona repræſentans defunctum, in cujus dominio cenſentur conſervari illa bona.

Propoſitio 3. *Facultas moralis ſeu jus* 6
diſponendi de re ſua videtur eſſe ratio formalis dominii, & non quid poſterius dominio. Ratio eſt; quia ad perfectum dominium requiritur potentia, quâ res fiat domini, & authoritas, quâ de ea poſſit perfectè diſponere, cui duplex in re reſpondet relatio; una effectûs phyſici vel moralis, qua res formaliter dicitur mea; altera cujusdam paſſivæ ſubjectionis ad omnem uſum, ſed dominium non ſalvatur per ſolam relationem cauſæ ad effectum: ergo dominium illam facultatem non importat ut effectum, ſed ut ipſam rationem formalem: min. prob. ſol eſt cauſa luminis, Pater æternus eſt principium verbi, ratione cujus & lumen dicitur eſſe ſolis, & Verbum Patris; cum tamen nec ſol ſit dominus luminis, nec Pater Verbi; ſed relatio, de qua res dicitur mea, eſt effectus ad cauſam: ergo dominium non ſalvatur per ſolam relationem, quâ res dicitur mea, ſed per authoritatem ſeu moralem facultatem, quâ de re valeo perfectè diſponere, & per ſubjectionem rei quâ perfectè obſtringitur arbitrio dominantis.

Nec dicas: non ideo quis dominus rei dicitur; quia habet jus diſponendi de re; ſed econtra ideo jus habet diſponendi de re quia illius dominus eſt: ergo dominium antecedit jus diſponendi de re.

Reſpondeo neg. conſeq. nam etiam non benè dicitur, ideo quis habet auditum, quia poteſt audire, ſed ideo poteſt audire, quia habet auditum, nemo tamen dicit poſſe audire eſſe quid diverſum ab auditu, ideo pariter non eſt dicendum dominium diſtingui à jure diſponendi; nam in ſimilibus cauſalibus non ſolùm attenditur prioritas realis & adæquata, ſed etiam rationis & inadæquata; & quia omnis potentia inadæquatè conceptibilis prior eſt ad ſe, quàm ad ſuum actum, ideo ut recta ſit cauſalis, debet non ſolùm reddere cauſam realem & adæquatam, ſed etiam rationis & inadæquatam, cùm ergo dominium ſit quædam potentia moralis inadæquatè conceptibilis prior ad ſe quàm ad ſuum actum, non recta eſt illa cauſalis, quæ hanc prioritatem non exprimit.

Dices: dominium dicitur correlativè ad ſuum, & ſuum viciſſim ad dominium; ſed habere aliquid ut ſuum antecedit jus diſponendi de illo; nam ideo quis diſponere poteſt, quia res ſua eſt.

Contra diſting. maj. dicitur correlativè ad ſuum quomodocunque neg. adhuc ut refe-

ribile in propriam vel aliorum commoditatem conc. maj. quia ut ſic non ſolùm refertur ut effectus ad cauſam, ſed ut res utilis ſubjecta arbitrio dominantis. His propoſitis:

7 Aſſero 1. ad quæſt. *dominium eſt jus perfectè & authoritativè diſponendi de re in omnem uſum lege permiſſum.* Eſt Bartoli L. *ſi quis vi.* ff. de acquirend. poſſeſſ. eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.*

Probatur explicando: dicitur jus ſive moralis facultas; quia dominium in ſola intellectuali creatura reperitur; nam hæc tantùm poteſt liberè uti ſuis actibus & diſponere de rebus; hinc nec de operationibus neceſſariis in creatura intellectuali datur dominium; quia de eis diſponere non poteſt, in hoc autem jure convenit cum jure uxoris in virum, ſervi in dominum ut alantur; nam habent jus ad petendum, quæ ſibi neceſſaria ſunt, non tamen habent dominium; ex quo patet, quod jus ſit quid ſuperius ad dominium; cum omne dominium ſit jus, non verò omne jus dominium: dicitur ſecundò perfectè diſponendi de re, id eſt authoritate propriâ non pendente ex alieno arbitrio, uti diſponit legatus de rebus legantis vel amicus de rebus amici: dicitur tertiò in omnem uſum poſſibilem ſive in ſui ſive aliorum commoditatem usque ad rei conſumptionem; nam ſi aliquem uſum vel excluderet vel præſcinderet, hocipſo non eſſet plenum dominium; cum ſic ex terminis implicet plenitudinem potentiæ perſiſtere ad utendum re ſua, cum id non ſit plenum, cui aliquid deficit; hinc excluduntur dominia imperfecta, ut eſt dominium directum, quod retinet proprietarius in rem emphyteuticam, filius in bona adventitia &c. item dominium utile, quod habet uſu fructuarius; quia dominium plenum & perfectum debet integrari proprietate & uſu fructu, hinc neutrum hic aſſignatum extenditur ad omnem uſum: pariter excluditur dominium juriſdictionis, nam licet ſuperior habeat jus coërcendi ſubditos, id tamen non facit in utilitatem propriam, ſed ſubditorum; ideò pariter nec pater propriè dominatur filio, maritus uxori; dicitur quartò, lege permiſſum; quia leges juſtis de cauſis poſſunt ob bonum commune privata dominia limitare, ne in omnem uſum actu prodeant, vel ſi prodierint, factum non teneat, ut leges de non alienandis bonis pupilli, quæ tamen lex perfectum dominium non tollit; quia non ſeparat ſubſtantiam rei à fructibus, ſed ſolum impedit actum ſecundum relicto primo integro apud dominum.

8 Objicies 1. Si dominium plenum peteret eſſentialiter facultatem ad omnem uſum rei illam habenti poſſibilem, peteret etiam facultatem alienandi rem per abdicationem dominii; quia etiam talis uſus eſt uſus poſſibilis; ſed hoc repugnat: ergo. Min. patet; quia Deus eſt pleniſſimus dominus rerum, non tamen poteſt à ſe abdicare dominium creaturarum ergo.

Reſpondeo vel neg. maj. tum quia illud ad omnem uſum poſſibilem debet ſumi relatè ad habentem & ei poſſibilem, non verò præciſè poſſibilem relatè ad rem dominio ſubjectam; nam aliàs etiam Deus non eſſet perfectè dominus equi, quia non poteſt uti equo ad equitandum, uſus autem per abdicationem dominii eſt ſolùm poſſibilis de re ſecundùm ſe, non autem poſſibilis Deo: tum quia, in aſſertione ſolùm fuit definitum dominium ad directum uſum rei, non verò ſimul ad uſum reflexum dominii, illa autem alienatio eſt ſimul uſus reflexus ad dominium directum; hinc etiam dum definitur cognitio directa de albo, non exponitur ad cognitionem reflexam ſupra ſe. Vel tandem diſting. maj. dominium perfectum & ut ſic peteret illam facultatem alienativam per abdicationem dominii neg. maj. dominium creatum & defectibile illam peteret conc. maj. adeóque illa abdicatio dominii non eſt de conceptu dominii perfecti ut ſic, nam tale eſt in Deo ſine illa, ſed tantùm dominii defectibilis, ſicut mutabilitas non eſt de conceptu entis ut ſic, ſed talis.

Dices: Cajus invenit centum aureos, quos etiam bona fide retinet, & percipit fructus ponendo illos ad intereſſe; ſed in tali caſu Titius habet plenum dominium in ſuos aureos, & tamen non habet jus authoritativè diſponendi, cùm à Cajo ut poſſeſſore bonæ fidei impediatur, qui habet jus utendi re inventa: ergo adhuc ad plenum dominium non requiritur perfecta facultas diſponendi.

Contra diſting. min. non habet jus authoritativè diſponendi diſpoſitione expedita & proxima conc. impedita & radicali neg. min. impedita autem per accidens non debet exprimi in definitione; nam jus Caji per ſe non obſtat Titii dominio, quia eſt fundatum in ignorantia veri dominii, adeóque nec eſt firmum & ſtabile; nam ablata ignorantia extinguitur, ſitque Cajus poſſeſſor malæ fidei.

Dices: Dominus eſt, qui moraliter poteſt diſponere de re ſua, ſed qui habet rem lege vel ignorantia impeditam, de ea moraliter diſponere non poteſt: ergo.

Contra diſting. maj. dominus eſt, qui moraliter aut proximè aut remotè diſponere poteſt conc. qui ſolùm proximè diſponere poteſt neg. maj. qui ergo habet rem lege aut ignorantiâ impeditam etſi proximè non poſſit diſponere, poteſt tamen remotè ſcilicet lege abrogata vel de ſuperioris licentia ſine nova dominii acquiſitione.

Dices: uſufructuarius non eſt perfectus dominus; quia non poteſt de ſubſtantia rei diſponere: ergo etiam ille non eſſet perfectus dominus, qui non poteſt expeditè diſponere.

Con-

Contra neg. antec. nam ideo non eſt perfectus dominus, quia nec remotè poteſt de rei ſubſtantia disponere ſine nova dominii acquiſitione, nam oportet prius acquirere jus in ſubſtantiam rei, quod jus acquirere non debet, qui rem ſuam lege tantùm habet impeditam.

Objicies 2. Seraphicè: pater legavit filio annuales reditus v. g. tritici, ita ut poſt mortem filii hi reditus tradantur Syndico Conventûs Franciſcanorum, ut ſemper expendantur pro neceſſitatibus infirmorum, filius verò vult facere contractum cum Syndico, ut prædicti reditus ſibi relinquantur, ita ut de illis poſſit liberè teſtari in morte, dátque ſtatim conventui mille florenos, ut Conventus ſuo juri renuntiet, ex quo ſic: vel poteſt Conventus per Syndicum inire illum contractum cum filio vel non? ſi non: ergo dominium non eſt jus authoritativè disponendi, ſi poteſt: ergo jus disponendi non conſtituit dominium, cùm Franciſcani nullum habeant dominium, & tamen poſſent ita disponere.

Reſpondeo Conventum vel Syndicum non poſſe inire talem contractum, & neg. conſeq. quod dominium non ſit jus authoritativè disponendi; quia neg. ſuppoſitum Conventum habere dominium in illud legatum, præterea nec poſt mortem filii poſſet Conventus acceptare illos reditus annuales, cum hoc legatum ſub tali forma factum immediatè repugnet Regulæ, & paupertati Seraphicæ, ut habetur in Bulla Nicolai III. *Exiit qui ſeminat &c.* ubi Pontifex dicit: *Quod ſi teſtator modum, ſecundum quem Fratribus recipere non liceret, exprimat in legando, ut ſi legaret vineam vel agrum &c. à tali legato per omnem modum Fratres abſtineant*, annui autem reditus ſunt potiſſimum contra Regulam noſtram. Imò quamvis Clemens VII. teſte Rodriquez conceſſerit noſtris Provincialibus & Guardianis, quod poſſint cum Diſcretis Conventûs paciſci cum executoribus teſtamentorum circa legata, quorum aliàs non ſumus capaces, ut ſolvant ſemel tantùm in pecunia vel aliis rebus pro fratrum neceſſitate, & deinde ſint authoritate apoſtolica perpetuò liberi, non tamen tali privilegio poteſt uti Religio Franciſcana præſertim reformata; quia cum ſit diſpenſatio circa puritatem paupertatis noſtræ, ſiquidem diſpenſet in legato, quod ſaltem quoad modum repugnat noſtræ Regulæ, & Capitulum Toletanum, Romanum, & noviſſimum Victorienſe clarè renuntiaverint talibus diſpenſationibus, feceruntque proteſtationem, quod Ordo noſter velit ſervare Regulam purè juxta declarationem Nicolai III. ideo non amplius poteſt uti tali privilegio aliquis Conventus particularis, quod totus Ordo renuntiavit, ita Portell. Tom. 1. caſu 4. nec Pontifex in ſe recipit tale dominium, quod eſſet contra formam Regulæ noſtræ; ideo totum dominium illius legati maneret apud filium legatarium, qui poſſet nobis dare pro illis annuis reditibus quidquid vellet.

9 Aſſero 2. *Ad dominium complendum potiſſimùm tria requiruntur ſcilicet titulus, traditio, & proprietas.* Eſt communis Juriſtarum.

Probatur: ad dominium complendum poteſt concurrere aliquid ut fundamentum, in quo proximè nitatur, aliquid ut conditio, ſine qua non adeſſet, & aliquid ut virtus, quâ operaretur; ſed primum eſt titulus, ſecundum eſt traditio, tertium eſt proprietas: ergo. Maj. per ſe patet, min. probatur explicando; quia titulus dicitur id, in quo juſtè fundatur dominium v. g. donatio, emptio, hæreditaria ſucceſſio, legitima electio in officium, vel beneficium &c. & id eſt titulus ſeu fundamentum juris in rem donatam, emptam, teſtatam, officium &c. Eſt autem duplex titulus ſcilicet verus, qui ſcilicet re ipſa talis eſt, ut in allatis exemplis, & præſumptus, qui ſcilicet in re non eſt talis, ſed bona fide prudenter præſumitur talis, qui titulus juvat ad præſcribendum; ſic qui bona fide rem emit ab altero, putans eſſe ſuam, in re tamen non eſt, ille poſſidet illam rem cum titulo præſumpto. Præterea traditio eſt conditio ſine qua non ordinariè acquiritur etiam poſito ſufficienti titulo dominium ſeu jus in rem, ſed ſolùm jus in perſonam, ut habetur L. *traditionis*. C. de pactis, ubi dicitur: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, quo fit, ut ſi ante traditionem venditor rem vendat alteri, primus emptor non habeat jus in rem, ſed in venditorem, ideo traditio eſt, conditio ſine qua non adeſſet dominium proprium. Tandem ex titulo & traditione oritur proprietas in rem, quæ eſt dominium juſtis modis acquiſitum, ſeu virtus qua diſponere poteſt cum re.

Objicies: Dominium ſeu jus in re in beneficiis acquiritur ſola collatione & acceptatione, ut habetur cap. *ſi tibi abſenti.* de præb. *dominium in hæreditatem acquiritur ſola aditione hæreditatis* L. *cum hæredes.* de acquir. poſſ. ubi ad ſolam poſſeſſionem hæreditatis comparandam requiritur traditio, non verò ad dominium & jus in re, hæreditatem autem adimus dum verbo vel facto illam acceptamus L. ult. Inſtit. de hæred. qualit. ſimiliter. dominium in legata comparatur ſtatim ac in hæreditate acceptatur, ut habetur L. *à Titio* ff. de furtis: ergo ad dominium non requiritur traditio.

Reſpondeo diſting. conſequens non requiritur traditio ordinariè neg. in illis caſibus ſpecialiter in jure exceptis conc. conſeq. hinc dominium in beneficia, in hæreditates & legata ſpecialiter excipitur per leges, ita ut ad hoc acquirendum non requiratur traditio.

Dices : ſi quæ res fuit vendita Eccleſiæ, & deinde iterum vendita & tradita alteri, talis ſecunda venditio & traditio in jure babetur io valida : ergo traditio non adfeit dominium.

Contra diſting. conſequens traditio legitima ooo adfert dominium neg. illegitima conc. conſeq. nam veoditio vel donatio civitatibus, Eccleſiis, aut piis locis, vel ad redemptionem captivorum transfetr dominium ſine traditione, ut per ſpeciale privilegium ſtatuitur *L. ult.* c. de Sacros. Eccl. ideo Eccleſia prius jam babuit verum jus in re, ideoque noo potuit legitimè alteri tradi.

Dices : plures Juriſtæ cenſent, ea, quæ Princeps donat, permutativè ſine traditione tranſire quoad dominium io donatarios ; ergo.

Contra dico Juriſtas hoc intelligere ſolum de donationibus & privilegiis, noo verò da permutationibus, quas niſi certò conſtet, ſemper præſumitur Princeps celebrare juxta legem, quâ obligatur ſaltem quoad vim directivam.

QUÆSTIO II.

An a dominio ſit omnimodè ſeparabilis uſus rei?

1 ADvertendum eſt 1. Quæſtioni huic dediſſe occaſionem Franciſcanorum Religionem, quæ cum nullius omninò rei dominium nec in communi nec in particulari agnoſceret, atque in bujus paupertstis ampliſſima poſſeſſione multo tempore quietè degeret, ac à multorum Pontificum autboritate in illa poſſeſſione firmaretur & præſertim Clementis V. Clement. 1. §. *Proinde cum vir ſanctus.* de V.S. item Innocentii IV. Alexandri IV. Gregorii IX. ac potiſſimum Nicolai III. in cap. *Exiit*, *qui ſeminat.* de verb. ſigniſ. in 6. qui omnes Pontiſices illarum rerum, quæ Franciſcanis dantur, dominium in ſe & Romanam Eeclesiam receperunt, ita ut ipſis Franciſcanis nibil niſi ſimplex uſus rei datæ remaneat ; ſucceſſu tamen temporis bæc pia paupertatis ſententia penitus periclitari cœpit per Extravagaotem Joannis XXII. ubi Pontifex memoratum dominium partim ut nugatorium partim ut juri repugnans à ſe omnibus modis rejecit & amovit ; pro meliori tamen bujus rei intelligentia.

2 Advertendum eſt 2. Uſum pro præſenti eſſe dupliceem, ſcilicet uſum juris, & facti : uſus juris dicitur, in quo babetur jus abſolutum & legitima potentia independenter ab alterius voluntate ; ideo etiam dicitur uſus irrevocabilis ſcilicet independens à cootiono conſenſu illius, à quo conceditur tale jus, quod irrevocabile jus ſimpliciter meretur nomen juris, neque eſt ſeparabile à dominio ; qui enim babet jus independenter ab alterius voluntate aliquid abſumendi, dicitur dominus talis rei : uſus verò facti dicitur ille, in quo non planè quaſi nibil juris eſſet, nam ſic eſſet injuſtus, qui uteretur rebus unico uſu conſumptibilibus, ſed in quo non eſt jus ſolidum & abſolutum, utpote ſemper depeodens ab alterius voluntate, quare etiam talis uſus dicitur revocabilis, dependens, & impedibilis à voluntate alterius v.g. donantis, qui pro libitu hoc jus poſſet iterum revocare, quale jus habet conviva invitatus ad prandium ; nam juſtè poſſet domious ſubtrahere cibos, nec ageret contra juſtitiam convivæ, ſi hunc impediret à comedeodo, cum autem deciſio hujus difficultatis pendeat ex intelligentia termioorum quid ſit propriè uſus facti. Hinc pro eo

3 Adverteodum eſt 3. Uſus facti tripliciter poteſt ſumi : primò pro actu uteodi non proveniente à legitima poteſtate, quo pacto fur habet ſolum uſum facti comedendo cibum furatum, in hoc autem ſenſu omnis actus utendi juridicus dic ur uſus juris : ſecundò magis uſitatè apud Juriſtas pro quovis actuali uſu rei prout diſtinguitur ab uſu habituali ſeu potentia utendi, quæ dicitur jus ad uſum, quo pacto commodatarius vel religioſus utens re ſibi commodata vel à Superiori conceſſa, non habet niſi uſum facti ; quia transacto actuali uſu rei commodatæ vel conceſſæ ooo habet jus ad iterum ea re utendum vel ad alium uſum quàm ſibi conceſſum transferendum : tertiò pro quodam uſu habituali à nutu alterins continun pendente, ſic religioſus babens ſacultatem utendi veſte, etiamſi babeat jus babituale ea utendi ; quia tamen illud eſt continuò dependens à voluntate ſuperioris, qui ſine ulla injuria illam ad libitum revocare poteſt, non dicitur propriè babere jus ad uſum, quia boc ex juribus debet eſſe firmum & ſtabile ac independens à voluntate alterius, ut eſt jus uſufructuarii in rem ſibi ad uſum traditum.

4 Advertendum eſt 4. Difficultatem præſentem ſolummodo eſſe de rebus unico uſu conſumptibilibus ; nam res, quæ ſub uſu cadunt, in triplici ſunt differeoria : primò ſunt aliquæ, quæ uſu non conſumuntur, ut domus, agri, vineæ &c. ſecundò ſunt quædam, quæ lapſu temporis & frequentato, non tamen primo uſu atteruntur : ut ſunt veſtes, libri &c. tertiò tandem ſunt aliquæ, quæ uno primo & primario uſu deſtruuntur veluti cibus & potus, imò & pecuoia, eò quod principalis uſus pecuniæ ſit de manu in manum tranſmittere cum translatione dominii, quod eſt moraliter conſumere pecuniam, nec refert hujusmodi ciboa ad delectationem visûs aut adoratûs poſſe adhiberi, nam eorum principalis uſus ſolummodo eſt manducatio & conſumptio. His adverſis :

5 Propoſitio 1. *In rebus uſu non conſumptibilibus uſus juris cum uſu facti diſtinguitur à dominio rei.* Ratio eſt, quia quando alicui conceditur equus, ille non ſolum habet uſum, ſed etiam jus ad uſum, & tamen non eſt dominus

minus equi, ita ut de illo quoad omnem uſum equi diſponere poſſit; ſed equus eſt res uſu non conſumptibilis: ergo in his rebus uſus facti & juris diſtinguitur à dominio.

Nec dicas: illud jus ad uſum equi eſt dominium ipſius uſûs: ergo antec. patet, quia concedens equum non ſolùm concedit actum utendi ſeu equitandi; quia talis non eſt in poteſtate concedentis, ſed utentis, ſed concedit, ut in re ſua actum exercere valeat; nam hoc eſt jus ad uſum concedere, ſeu concedit moralem poteſtatem diſponendi de uſu; ſed dominium eſt talis poteſtas diſponendi: ergo.

Reſpondeo diſting. antec. jus ad uſum eſt dominium proprium & perfectum neg. improprium & imperfectum conc. antec. hinc habens jus ad uſum equi habet ſolùm moralem poteſtatem diſponendi de uſu impropriam & ligatam ſeu dependentem à concedentis voluntate, imò aliquando planè poterit eſſe ſolus uſus facti ſine ullo proprio & ſolido jure ad uſum, nam poteſt dupliciter quis commodare equum pro aliquo tempore, nempe pro eo tempore irrevocabiliter, & hoc modo concedit uſum juris, vel revocabiliter & hoc modo concedit ſolum uſum facti.

6 Propoſitio 2. *In rebus uſu conſumptibilibus jus ad uſum ſeu ad factum non diſtinguitur à dominio.* Ratio eſt, quia jus ad utendum his rebus eſt jus ad conſumendam & alienandam rei ſubſtantiam, nam uti pane vel pecunia eſt uſu ipſo conſumere & alienare ſubſtantiam panis ac pecuniæ; ſed non eſt majus dominium quàm jus ad rei ſubſtantiam conſumendam. Hinc Nicolaus III. negans Fratribus Minoribus in illis rebus dominium ſimul etiam negat jus ad factum pro certò habens in his jus ad uſum & dominium non diſtingui.

Nec dicas: ſi jus ad uſum non diſtinguitur à dominio, nec ipſe uſus licitus poterit diſtingui à dominio; ſed hoc erit contra Aſſert. ergo. ſequela prob: injuſtus eſt ille uſus, qui jus utendi non includit: ergo uſus licitus non ſolùm eſt uſus facti ſed etiam juris, cum quis non poſſit licitè ſeu jure aliquâ re uti, niſi habeat jus utendi.

Reſpondeo neg. ſequelam maj. ad prob. diſting. antec. injuſtus eſt ille uſus, qui jus utendi nec irrevocabile includit conc. qui ſolùm irrevocabile non includit benè tamen revocabile neg. antec. de hoc vide Advert. 2. & 3. hinc Fratres Minores habent uſum licitum, qui ſolum dicitur uſus facti, prout uſus facti diſtinguitur ab uſu juris irrevocabiliter conceſſo, quod jus propriè meretur nomen juris, ut loquuntur jura. His poſitis.

7 Aſſero ad quæſt. *Simplex uſus facti in rebus uſu conſumptibilibus poteſt realiter ſeparari ab earum rerum dominio, per conſequens Franciſcani in ſua altiſſima paupertate hunc ſolum habent uſum in omnibus rebus à dominio ſeparatum.* Eſt Scotus 4. diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* ubi dicit: *& propter defectum ſecundi non poteſt quis donare pecuniam Fratri Minori, quia ille non vult eſſe dominus &c.* à pari ergo nullius rei, quia nullius vult eſſe dominus; unde ibidem eſſe agnoſcit illud *Extra.* de verb. ſignif. *exiit qui ſeminat.* & eſt hodie in 6. Lib. *quòd quarumdam rerum uſus perpetuo ſeparetur à dominio.* Eſtque Juris Canon. 6. Decret. contra Joannem XXII. & Turrecrematam.

Probatur 1. pars primò: dominium dicit jus ad uſum firmum ac ſtabile independens à voluntate alterius continuò revocare potentis; ſed non repugnat in rebus uſu conſumptibilibus concedi uſus ſeu jus ad uſum in quocunque inſtanti ad nutum alterius revocabile: ergo in his rebus diſtinguitur ſimplex uſus à dominio earum. maj. eſt definitio dominii, quod & authoritatem dicit & independentiam in diſponendo de re in omnem uſum lege permiſſum. min. prob. exemplo à Nicolao III. adducto, quando aliquis ad convivium invitatur, ille conviva licèt habeat uſum paſſivum ferculorum appoſitorum, non ideò tamen dicitur dominus illorum, ſed ille invitans manet dominus, quia hic ſolùm habet uſum activum & ſine invitati injuria poteſt fercula auferre à menſa, & alteri mittere, & ſolùm lege honeſtatis & civilitatis prohibetur id facere, quod magis patet in ſervo, cui ſemper poteſt dominus prohibere cibum etiam appoſitum.

Probatur 2. Nullus particularis religioſus poteſt habere proprietatem ſeu dominium alicujus rei in particulari; ſed quilibet religioſus in particulari habet uſum multarum rerum: ergo in his omnibus uſus ſeparatur realiter à dominio maj. prob. ſi religioſus in particulari haberet dominium alicujus rei, eſſet proprietarius; ſed hoc eſt immediatè contra intrinſecam rationem paupertatis, quam eſt profeſſus, ut de ſe patet; & ideò, quæ religioſis particularibus à Superiore conceduntur, donec abſumpta non fuerint, manent ſub abſoluto dominio concedentis, quia continuò illa ſine ulla eorum injuria revocare poteſt.

Probatur 3. Dominium acquiri non poteſt ſine acceptatione, ut tenet Scotus cit. & alia jura; nam beneficium vel dominium non confertur invito; ſed poteſt aliquis præſertim Frater Minor nolle acceptare dominium rerum unicò tantùm uſu conſumptibilium; & velle, ut illas res quocunque momento poſſit donans ſine injuria & obligatione reſtitutionis recipere; & illum ab earum uſu impedire: ergo talis haberet uſum abſque vero dominio illarum rerum.

Probatur 2. pars ex Regula noſtra cap. 6. *hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis &c.* id eſt, Franciſcanorum paupertas eſt tanta, quâ major haberi non poteſt: ergo nec in rebus unico actu conſumptibilibus habent dominium, ſed ſolùm ſimplicem uſum facti. conſeq. prob. 8

prob. alii religioſi habent purum uſum ſine dominio in particulari: ergo ut Fratrum Minorum paupertas ſit major, cùm ſit altiſſima, habent purum uſum ſine dominio in particulari & communi. conſeq. prob. ideò alii religioſi habent ſolum uſum ſine dominio in particulari, quia nolunt eſſe domini in particulari; ſed Franciſcani nolunt eſſe domini nec in particulari nec communi: ergo. maj. & min. patet. in tantùm & non plus juris quiſquam habet, in quantum vult habere; ſed Frater Minor poteſt velle, & vult habere ſolum uſum ſine omni dominio: ergo etiam habebit ſolum uſum ſine dominio in particulari & communi. Hinc Nicolaus III. in Bulla *Exiit.* de V. S. in 6. expreſsè dicit: *verum condecens fuit ei profeſſioni, quæ ſponte devovit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari, omnium abdicare dominium, & rerum ſibi conceſſarum neceſſario uſu fore contentam --- qui uſus non juris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantum, in utendo præbet utentibus nihil juris: --- proprietatem & dominium in Nos & Romanam Eccleſiam Apoſtolica authoritate recipimus, & ad nos, & ipſam Eccleſiam plenè & liberè pertinere præſenti Conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus.*

9 Objicies 1. Lex 2. ff. de uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur dicit: legari non poſſe uſum fructum talium rerum absque earum dominio, quia per ipſum uſum conſumuntur: pariter Lex *omnium* ff. de uſufructu prohibet, ne usus fructus ſint perpetui, ne propterea dominia ſint inutilia: ergo non poteſt usus perpetuò ſeparari à dominio.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illæ leges ſolùm loquuntur de uſu irrevocabili & independente, qui omninò non differt à dominio rei, ut patet propos. ſecundâ non verò loquuntur de uſu ad nutum revocabili; & quamvis tale dominium perpetuò ſeparatum ſit inutile quoad bonum temporale, eſt tamen valdè utile ad bonum ſpirituale, ſcilicet ad ſummam perfectionem paupertatis evangelicæ, nec inutile eſt tale dominium, quo dominus continuò poteſt revocare jus alteri conceſſum, eſſet verò inutile, ſi uſum à dominio perpetuò ſeparatum non poſſet revocare.

Dices: D. Thomas 2.2. q.78. art. 1. dicit: quædam res ſunt, quarum usus eſt earum conſumptio, ut vinum conſumimus eo utendo ad potum, & triticum ad cibum; unde in talibus non debet ſeorſim computari usus rei à re ipſa; ſed cuicunque conceditur usus, hoc ipſo conceditur res & dominium; ſi quis ergo ſeorſim vellet vendere vinum, & ſeorſim uſum vini, venderet eandem rem bis, aut venderet id, quod non eſt, ac ſi uſura foret licita: ergo.

Contra, dico D. Thomam loqui de uſu irrevocabili, & ſic omninò cuicunque conceditur usus irrevocabiliter, & independenter, hoc ipſo etiam conceditur res & dominium, ſeu jus in ſolidum in re, non verò loquitur de uſu dependente, & ad nutum revocabili: D. Thomas ergo ibi ſolùm vult, quòd valor rei, quæ uſu conſumitur, non ſit alius, quàm utilitas ad eum uſum, quo conſumitur, nefas autem eſſet accipere pretium unum ad æqualitatem pro re v. g. decem florenos pro decem florenis, qui mutui dantur, & aliud pretium pro uſu eorum ad mercaturam, quo conſumuntur, & ideò probat uſuram ex ejusmodi mutuo eſſe illicitam; non autem negat uſum facti ad nutum revocabilem: præterea omninò certum eſt, uſum irrevocabilem non poſſe vendi diſtinctum à dominio; quia hoc à tali uſu ſeparatum eſt omninò nihil, usus verò revocabilis conceſſus vendi poſſet diſtinctus à dominio; quia tam usus quàm dominium eſt aliquid pretio æſtimabile, licèt minori quam res vel jus ad uſum irrevocabile, utrumque enim ex illis æquivalet alterutri ex his; unde pretium utriusque non debet excedere alterutrum horum ut juſta ſit compenſatio, per conſequens nec ſequitur uſuram eſſe licitam; quia disparitas eſt, quod in uſura ſpectetur utilitas, illud autem dominium proprietatis diſtinctum ab uſu nihil habet utilitatis: ergo malè ut diſtinctum venditur, vel pro eo aliquid exigitur, præterea fœnerator vult totum periculum remanere penes accipientem etſi pereat ſine hujus culpa; & ſic ſemper fruſtra aliquid exigit ſupra ſortem. Plura de his ſuo loco de mutuo & uſura.

Dices: Illud jus eſt irrevocabile etiam in inſtanti antecedenti, quod in inſtanti conſumptionis & poſt hoc revocari non poteſt; ſed res donata Fratri Minori in duobus poſterioribus inſtantibus revocari non poteſt: ergo etiam non in priori, quia hoc habetur ut æquivalens in poſteriori.

Contra neg. maj.

Dices: donans licèt ante acceptationem donatarii poſſit revocare, quia tamen in inſtanti acceptationis donatarii non poteſt revocare, eſt jus irrevocabile: ergo.

Contra: disparitas eſt, quia intentio donantis eſt irrevocabiliter donare, ſi donat ſubjecto capaci juris, ſecùs ſi donat Fratri Minori, qui eſt ſubjectum incapax juris, & ideò omni inſtanti eſt revocabile, præterquam ſi res eſt conſumpta, ubi impoſſibilitas revocandi eſt per accidens, non ex voluntate transferendi jus irrevocabile.

Dices: in illo inſtanti, in quo dominus cibi pro priori naturæ dicit: volo tibi licere comeſtionem, & nolo impedire, non poteſt revocare, quia in eodem inſtanti non poteſt idem velle & nolle: ergo ſaltem pro eo inſtanti acquiritur jus irrevocabile.

Contra neg. conſeq. quia illud ſolùm eſt propriè jus irrevocabile, quod eſt antecedens voluntatem alterum non impediendi; in caſu poſito autem irrevocabilitas non eſt à jure

meo

meo in cibum, ſed ex eo, quod alter non poſſit ſimul velle & nolle.

Dicee: uſus definitur, quod ſit jus utendi aliena re ſalvâ ſubſtantiâ; ſed hæc definitio non poſſet ſalvari in uſu rerum unico uſu conſumptibilium, quomodo enim ſalvatur ſubſtantia ſi abſumitur: ergo talis uſus erit verum dominium.

Contra diſting. maj. uſus rei permanentis & uſus ſtrictè acceptue ſeu uſua juris ſic definitur conc. uſus latè ſumptus ſeu uſue facti quocunque inſtanti revocabilis neg. maj. & conſeq. uſus ergo facti potius definiri debet: quod ſit actuentendi aliqua re à legitima poteſtate proveniena, ad nutum tamen ab ea impedibilie ſina obligatione reſtitutionis, qui verò ſemel conceſſit uſum irrevocabiliter, & illum impediret per revocationem ejus, teneretur ad reſtitutionem damni, quod à dominio proprietatia in uſum juria vel rei provenit.

Dices: pupillus habet dominium pendens continnò à voluntate tutorie, & tamen eſt verus dominua: ergo etiam aliquis habens jus dependens in rebue conſumptibilibus.

Contra diſparitas eſt, quia dominium pupilli non eſt à voluntate tutoris illud revocare potentie ut ſuum, ſed ſolùm ut impedientis, ne in actum ſecundum exeat, quod non eſt dominium, cum non ſit aliquid ſui.

Dices: qui habet juriadictionem ad tempus, & ideò revocabilem, validè tamen abſolvit cum jure uſûa ad inſtans præſcripti temporis: ergo etiam &c.

Contra diſparitae eſt, quia jus juriſdictionis requiritur ad valorem abſolutionis, & nullatenus valor nec liceitae ſine tali jure haberi poteſt, quod jus non requiritur ad validum uſum.

Objicies 2. In Extravagantibus Joannis XXII. cap. 3. de V.S. docet præfatua Pontifex, uſum à dominio ſeparatum in rebue unico uſu conſumptibilibue repugnare juri & obviare rationi; quoad primum dicene: *quis enim ſana mentis credere poteris, quòd intentio fuerit tanti Patris*, ſcilicet Nicolai III. anteceſſoris, *unius ovi, ſeu caſei, & fruſti panis vel aliorum uſu conſumptibilium, dominium Romana Eccleſia, & uſum Fratribus remanere*: quoad ſecundum verò: *quia ibi proprietas, etiam inutilis, non ſubſiſtit, ubi per uſum, vel abuſum. uſuarid ſubſtantia talis rei eſſe definit*; ſed hoc fit in prædictis rebus; ergo.

Antequam reſpondeam obſervandum eſt, primò, dictum Pontificem teſte Esparza & aliis erga noſtrum Ordinem ita locutum fuiſſe, quia fuit offenſus à Patre Ochamo Franciſcano, qui contra Joannem XXII. adhæſit Ludovico Bavaro Imperatori, & teſte Rodriquez Tom. 3. q. 30. art. 1. illa in fine vitæ revocavit: ſecundò, principalem ſcopum ipſius Pontificie fuiſſe definire contra Ochamum & alios, qui negârunt Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe verum dominium earum rerum, quaa vel in communi vel particulari poſſidebant, quod videtur eſſe hæreticum & contra Sacram Scripturam, quia poſſidere aliquid in communi poteſt omnino ſtare cum paupertate religioſa: de paupertate autem Minorum nihil determinâſſe ut fide certum. Hinc ad argumentum

Reſpondeo: illum Pontificem in illa Extravagante non loqui quà Pontificem ex cathedra in materia fidei vel morum, ſed ſolùm qua Doctorem privatum in puncto juris ſuam dixiſſe ſententiam, & eum in hoc puncto erraviſſe, quia firmior eſt authoritae plurium Pontificum tum antecedentium tum ſubſequentium, qui hoc dominium relicto Fratribus Minoribus ſolo uſu in ſe receperunt, ut habetur in compend. privil. Mendicant. verb. paupertas. Ad rationes dico, illud dominium penes Pontificem non repugnare juri præſertim Eccleſiaſtico; nam licèt ſit rerum minimarum, conducit tamen ad ſalvandum perfectiſſimum modum paupertatis evangelicæ, cum alius rerum illarum dominus commodè non ſit aſſignabilie, ut dicit Nicolaus III. nec illud dominium obviat rationi, ut patet ex probis Aſſert. hinc ratio adducta ſolùm eſt vera de uſu jurie, non de ſimplici uſu facti, ſi ſcilicet per illum uſum irrevocabilem ſubſtantia rei eſſe deſinit.

Dices: ſi ergo modernus Pontifex abdicaret à ſe tale dominium noſtrarum rerum, nunquid non eſſemus domini?

Contra dico: tunc tale dominium eſſe apud dantes: de quorum conſenſu ſemper tamen revocabili utimur hic rebus, nec poſſet Pontifex in nos tale transferre dominium, ſiquidem ſemper maneınue inviti, dominium autem debet eſſe eſſentialiter liberum.

Dices: ſi Pontifex abdicaret tale dominium & etiam dantes nollent penes ſe eſſe illud dominium, nunquid non tunc eſſemus domini?

Contra dico, tunc illas res haberi vel pro derelictis, adeóque à quolibet tunc accipi poſſent abaque alicujus injuria; nam rem haberi pro derelicta, eſt rem ea mente abjicere, ut in rerum ſuarum dominio amplius eſſe nolit: vel dico illas ree manere apud Chriſtum, cujus intuitu vel amore nobis donantur.

Dices: qui rem à Minoribus furatur, tenetur ipſis non Pontifici reſtituere; ſed res furtiva debet vero domino reſtitui: ergo.

Contra neg. univerſaliter min. nam quia Minores ex conſenſu Pontificis earum rerum uſum habent, fit, ut ex tacito ejusdem conſenſu potius ſint ipſis, quàm Pontifici reſtituendæ, ſi quis ergo alicui Franciſcano ex cella aliquid abſtulit, tenetur ad reſtitutionem, non quidem ex voluntate obligativa Franciſcani, ſed ex voluntate primi dantis vel Pontificis concedentis tales res nobis ad uſum.

Dices: Ergo unus Franciſcanus alteri confratri v. g. centum imagines auferens non tenebitur ad reſtitutionem, quia non aufert dominium rei à Pontifice, cum uterque pro domino habeat Pontificem.

Contra neg. illatum; quia talis adhuc ſaltem aufert jus ad uſum, quem Pontifex & Superiores concedunt tali Fratri, & non alteri; adeóque tale jus uſûs debet reſtitui, ſcilicet ex voluntate Pontificis, tali Fratri, cui fuit ablatum. Circa alios verò homines injurias inferentes poſſunt ſe Franciſcani in tribunalibus defendere, & pia legata per procuratores repetere quoad talium rerum uſum, non quidem nomine ſuo, ſed nomine illa legantis, penes quem reſidet dominium; vel poſſunt hoc præſtare naturali charitate, ſicut ſervus bona domini ſui defendit & repetit: nec obſtat declaratio Clementis V. qui prohibet agere in curiis; nam hoc ſolùm prohibet ob ſcandali periculum, quod non eſt, ſi Franciſcani nihil quærunt tanquam ſuum; res autem à benefactoribus oblatæ quoad dominium potiſſimum manent benefactoribus tanquam dominis; quia dantur juxta conſuetudinem noſtræ Regulæ conformiter ad Bullas Pontificum, qui nobis ſolum ſimplicem uſum facti adſcribunt.

Dices: Saltem in extrema neceſſitate aliquis Franciſcanus eſſet dominus illius rei, quâ utitur, quia qui illum impediret à tali uſu, peccaret contra juſtitiam, & obligaretur ad reſtituendum Franciſcano: ergo non poteſt perpetuò ſeparari &c.

Contra negat antec. Lugo, nam nec in caſu neceſſitatis poſſet Franciſcanus aliquam rem vendere aut donare; & impediens illum in tali caſu peccaret quidem contra juſtitiam, ſed non quæ fundaret obligationem reſtituendi extra neceſſitatem, & cum dominio aliquo tempore, ſed contra jus naturale, ne quis in tali caſu ab uſu talis rei prohibeatur; undè talis impediens ſolùm obligaretur ad reſtituendum illi domino, cujus fuit res extra neceſſitatem. Meo tamen videri omnino concedendum eſt Franciſcanis fieri injuriam, ſi eis negaretur neceſſarius victus, ad quem habent jus naturale, cui non renuntiant per votum; ſed hoc jus non eſt dominium proprium, ut patet in ſervo, qui non habet dominium, & tamen habet jus ad accipiendum victum à domino; unde jus Franciſcanorum ad hunc numero cibum ſemper eſt revocabile etiam in extrema neceſſitate, & ſine injuria poteſt ei cibus alius dari, jus tamen ad cibum ut neceſſarium ad tuendam vitam eſt irrevocabile, quia eſt jus naturæ, & ideo in tali caſu non haberet quidem ſimplicem uſum facti, ſed uſum juris naturalis irrevocabilis à nullo domino impedibilis, qui uſus juris naturalis poſſet ſolùm dici dominium naturale, non verò politicum per translationem voluntariam juris & dominii.

Dices: Si ergo ſolus Franciſcanus eſſet in mundo, nunquid eſſet dominus? cum non ſit alius apud quem eſſet dominium.

Contra neg. illatum, ſed adhuc ſolum uſum facti haberet; nam ſi producerentur alii homines, deberet ſtatim illis cedere: præterea etiamſi Franciſcanus apprehendat aliquas res ex illis, quæ nullius ſunt, ſolummodò acquirit dominium Pontifici, ſicut & earum rerum, quas operatur labore vel conficit arte.

QUÆSTIO III.

An dominium in ſolidum circa eandem rem poſſit ſtare penes duos?

ADvertendum eſt 1. hanc controverſiam 1
aliqui ſubtiliores non longo abhinc tempore excitârunt, inter quos præſertim fuit Cardinalis de Lugo Tom. 1. de Juſt. Diſt. 2. Sect. 2. Mendoza, & Ariaga, qui affirmativam tenuerunt ſolâ argumentorum evidentiâ & vi perſuaſi, ut ipſi fatentur; contra quos tamen communis acriter inſurgit Theologorum & Juriſtarum, qui poſteriores hanc ſententiam affirmativam facilius rident, quàm ejus argumenta ſolvunt, ac eam omninò contemnunt, eò quòd non ſit de lucrando pane; quia tamen nobis videtur de lucrando ingenio, non abhorrebimus illis paucis adhærere pro parte affirmativa. Pro quâ

Advertendum eſt 2. quæſtionem eſſe de 2
inſtanti translationis dominii v. g. donationis quam ponimus fieri poſſe in inſtanti ſecundùm quod illud explicat, conſenſum dantis & accipientis, quod etiam in aliis pactis & contractibus fieri poteſt; præterea per translationem dominii hic non ſupponimus alium motum, quàm quo quis via cauſalitatis moralis conſtituitur rei dominus per voluntatem ejus, qui habet facultatem legitimam donandi, vel non donandi, ſed alio modo diſtrahendi; unde hæc quæſtio ſupponit ſequentia: primò dominium plenum ejuſdem rationis, nam extra dubium eſt in una re poſſe uni competere dominium directum, & alteri utile: ſecundò in ſolidum, hoc eſt, cuique ſeorſim conſiderato adæquatè: tertiò pro eodem tempore vel inſtanti, non ſucceſſivè. His notatis:

Propoſitio 1. *Translatio dominii eo inſtanti, in quo conſtituit dominium v. g. in donatario,* 3
non ponit in donante privationem dominii, ſeu non eſt actualis deſtructio dominii in donante. Ratio eſt, tum quia talis translatio nullum conſtitutivum dominii deſtruit non libertatem donantis; nam illam actu exercet, non favorem legis, quâ non prohibetur disponere, cùm legi-

legitimè diſponat, nec ejus cognitionem vel volitionem actu habendi & utendi favore legis; actu enim illo ſavore utitur: ergo. Tum quia nullus effectus poteſt eſſe actualis deſtructio ſuæ cauſæ tunc, quando ipſum actu cauſat; ſed translatio dominii in inſtanti translationis eſt effectus dominii in dante: ergo.

Nec dicas: quamvis effectus poſitivus non deſtruat ſuam cauſam, benè tamen effectus privativus: ſic homo ſe ipſum occidens non eſt tunc, quando ponitur in ipſo mors ſeu privatio vitæ, id eſt effectus ejus negativus; ſed translatio dominii eſt effectus privativus dominii in donante, cum per translationem à ſe abdicet dominium ſeu privet ſe dominio: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia ex conceſſis quando cauſa actu cauſat effectum poſitivum, hic non eſt actualis deſtructio ſuæ cauſæ: ergo nec quando cauſat effectum negativum indiſpenſabiliter in eodem inſtanti annexum effectui poſitivo; quia aliàs cauſa actu cauſaret poſitivè, quando non eſt poſitivè, quod rejicitur in phyſica Scoti atqui privatio dominii eſt effectus negativus indiſpenſabiliter annexus effectui poſitivo donantis eo inſtanti, quô fit poſitiva conſtitutio dominii in donatario; imò etiam fallit communis maxima: effectus negativus eſt nihil; ſed ad nihil non requiritur actu cauſa; nam negari poteſt min. quia illud nihil ſaltem ponitur liberè: ſecundò ponitur deſtructione, quæ fit poſitione alicujus incompoſſibilis rei: hinc paritas de homine ſe occidente nihil convincit; nam eo inſtanti, quô homo actu cauſat illam phyſicam actionem, quæ vocatur occiſio ſaltem radicalis & inchoata, non deſtruitur homo, eo autem inſtanti, nimirum immediatè ſequenti, quô ponitur occiſio conſummata ſcilicet privatio vitæ, non amplius actu cauſat; adeóque diſparitas eſt: quia homo non ſe occidit occiſione habente indiſpenſabiliter annexum effectum negativum eo inſtanti, quô ponit poſitivum effectum; aſt translatio dominii in donatarium tanquam effectus poſitivus eo inſtanti, quô fit, habet ſibì indiſpenſabiliter annexum effectum privativum dominii in donante: unde verum eſt, ut verificetur, homo moritur, juſtus peccat, non requiri, ut tunc ſit homo, cùm moritur, vel juſtus, cum peccat; quia nec mors, dum actu ponitur, reſpicit humanitatem ut principium actu cauſans mortem, aſt donatio, dum actu ponitur, reſpicit dominium domini donantis ut principium cauſativum legitimæ donationis, tunc, cum dominus donat.

4 Propoſitio 2. *Ad validè donandam rem meam non ſufficit quod immediatè prius in inſtanti extrinſeca habuerim dominium.* Ratio eſt, quia aliàs etiam juſtus peccans & in eodem inſtanti eliciens actum miſericordiæ, eliceret actum meritorium de condigno propter gratiam immediatè præcedentem. Item quis validè abſolveret, qui immediatè prius habuit jurisdictionem, eſto tunc, quando abſolvit, non habeat: ut ſi abſolveret in inſtanti validæ reſignationis officii, cui annexa eſt juriſdictio, nec ullum eſt diſcrimen; nam licet donatio dato non conceſſo eſſet deſtructio ſui principii, & non abſolutio benè tamen reſignatio eſſet deſtructio ſui principii. Cæterum tamen nunquam oſtendetur ſatis donatione deſtrui ullum pleni dominii conſtitutivum, uti probavimus propoſ. priori.

Nec dicas: datur caſus, ubi ad valorem actus ſufficit dominium immediatè fuiſſe prius, ut in caſu, quo hæres adit hæreditatem prius jacentem ſine dominio teſtatoris, qui ut mortuus non eſt, ideóque neque dominus: ergo.

Reſpondeo neg. antec. nam eſto verum ſit, quod dominium hæreditatis alicui à teſtatore defuncto relictæ tunc primò tranſeat in hæredem, ubi hic illam adit, quia tamen tempore hæreditatis aditæ teſtator adhuc exiſtit juridicè ſeu fictione juris in hæreditate jacente, licèt non exiſtat phyſicè; ideò adhuc in illo ſigno translationis adeſt actuale & formale dominium in præſenti: ſi vero quæras, quonam inſtanti dominium eſſe deſinat in teſtante vel donante? tunc reſpondeo in inſtanti immediatè ſequenti donationem perfectam; quia tunc ceſſat favor legis ipſum ultrà diſponere permittentis; hinc notandum eſt, quod donatio nec ſequenti inſtanti ſit deſtructio dominii in donante ex ſe tanquam cauſa, ſed quod dominium deſtruatur in inſtanti proximo poſt validum contractum v. g. donationis in donante habetur à diſpoſitione juris & legum faventium excluſivè ad talem actum, ſeu ut poſtea excludatur alius dominus præter donatarium.

Propoſitio 3. *Dominium poteſt conſiſtere cum lege uſum præcisè prohibente vel annullante, non verò cum lege ipſum dominium annullante aut diminuente, ideò ad dominium perfectum multò minus pertinet potentia ad uſum impoſſibilem, aut potentia, quâ quis poſſet velle illi prohibere uſum rei, quem conſtituit dominum rei pro ſenſu compoſita talis voluntatis.* 5
Ratio primi eſt; quia dominium eſſentialiter poteſt manere potentiâ juridicâ ſtante lege uſum præcisè annullante vel prohibente, ſicut ſtante decreto Dei efficaciter volentis ut exiſtente igne nullus ſit calor, manet virtus ignis, eſto effectus ſit nullus non defectu virtutis ſed extrinſecè ratione legis aut decreti annullantis ipſum, ita diſcurrendum eſt de dominio pro ſtatu nullitatis componendo ſcilicet valorem actûs cum lege annullante ipſum; quare ſufficiet, quod habeat ſic conſtitutam potentiam, ut favore legis conſtitutivæ nihil virtutis deſit ad validè ponendum actum ſublatâ illâ lege extrinſecâ. Ratio ſecundi eſt; quia

quia dominium ad uſum oppoſitum legi illud dominium annuſlanti vel diminuenti, eſt dominium non datum ſeu ablatum: ergo nullum. Ratio tertii eſt, quia potentia prohibens uſum rei illi, quem conſtituit dominum rei, eſſet ad impoſſibile; ſed ad hoc non datur potentia: ergo. Maj. patet; quia conſtituendo illum rei dominum vellet ipſi omnem uſum eſſe licitum, & prohibendo illi uſum rei, vellet illi aliquem uſum rei non eſſe licitum, quod eſſet contradictio; ideo ad dominium perfectum non pertinet, quod donans eo inſtanti, quo donat ut dominus, debeat poſſe donatarium prohibere in uſu rei pro ſenſu compoſito donationis.

Nec dicas: poſſeſſor majoratûs non habet plenum dominium; ſed hoc non aliundè naſcitur, quàm ex hoc præcisè, quod alienatio & alii certi uſus ſint jure annullati: ergo dominium non ſtat cum lege omnem uſum prorſus annullante.

Reſpondeo vel cum Lugone neg. min. quia potius ex eo non eſt plenum dominium; quia illi alienatio eſt annullata non per legem præcisè annullativam actûs, ſed diminutivam juris. Vel neg. maj. cum Molina, quia per conſtitutionem majoratûs nulla pars pleni dominii aufertur, & transfertur in alium; nam duos effectus parit conſtitutio majoratûs; primus eſt, quod uſum alienativum præcisè annullet, per hoc autem nihil juris aufertur: ſecundus eſt, quod illa bona gravet, ut eodem omninò jure ac æquè libera transmittantur ad ſucceſſores, ſed nec hoc gravamen aliquid juris diminuit & in alium transfert de præſenti; quia in ſucceſſore ſolum eſt jus de futuro, & vinculatio iſta ſolum annullat uſum gravandi bona, quò nihil juris tollitur, ut habetur L. *generaliter*. ff. qui & quibus, ubi dicitur: *ſi legatur ſervus pendente conditione ſervientis, pleno jure eſt hæredis;* & tamen hæredi tunc vinculata eſt alienatio ſervi. His propoſitis:

6 Aſſero ad quæſtionem: *In inſtanti tranſlationis dominium ejuſdem rei in ſolidum eſt neceſſariò penes duos ſcilicet penes dantem & accipientem.* Deduci poteſt ex Scoto in 2. Diſt. 5. q. 2. §. *arguitur tertio.* ubi admittit, *voluntatem in illo inſtanti, in quo actu operatur, liberè operari, & ibi eſſe plenum libertatis exercitium.* Item in 4. Diſt. 6. q. 3. §. ad *iſtam quæſtionem.* ubi juxta L. *quod autem.* ff. de donat. inter virum & uxorem aliqualiter agnoſcit dominium eſſe in eodem inſtanti penes maritum & uxorem circa ſervum, quem maritus donat uxori ut manumittat, cum maritus ſit etiam dominus rerum uxoris ſaltem mediatè, & ſervus ille nunc ſit ſervus uxoris. Eſtque contra communem Juriſtarum, Haunoldum, & alios.

Probatur 1. pars quoad donatorem: actus non deſtruit potentiam, nec exercitium libertatis deſtruit libertatem: ergo neque exercitium dominii, quod in inſtanti donationis & translationis exercetur à donatore, deſtruet dominium in donatore, per conſequens in inſtanti translationis manet in donatore: antecedens ultrà patet per propos. 1. ubi ſtatuitur cauſam non deſtrui per ſuum effectum, dum actu cauſat.

Reſpondere poſſunt Adverſarii exercitium non deſtruere potentiam, quando non includit prædicamentum repugnans potentiæ, ſecùs quando includit ut includit exercitium translationis dominii, hinc non deſtruitur libertas actualis per actum liberum; quia hic non excludit independentiam ab objecto fundatam in indifferenti cognitione iſtius, quod requiritur ad libertatem, deſtruitur tamen libertas ſeu indifferentia privativa, quia actualis determinatio excludit privationem determinationis, & ita pariter translatio dominii includit abdicationem dominii, quæ eſt privatio repugnans cum dominio in donatore.

Contra eſt neg. quod actus dominii tranſlativus ſit repugnans dominio, ſed tanquam proportionatus effectus ſupponit ſuam cauſam actu cauſantem; ideò per illum non tollitur dominium, ſed tantùm indifferentia privativa, excluſiva ſcilicet non amplius excludendo alium dominum ſecum circa eandem rem, ubi tamen prius excluſit alium dominum, & ipſe donator ſolus fuit dominus; hinc ultrà ille actus translativus dominii in illo inſtanti, in quo fit, eſt tantùm abdicatio dominii quà excluſivi alterius domini non verò dominii poſitivi, unde illa propoſitio: dono tibi equum, non ſignificat, ego abdico dominium pro inſtanti iſto, ſed pro ſequentibus, nam implicat, ut me privem dominio, ubi ejus actum exerceo.

Probatur 2. qui liberè donat donatione jure validâ, donat & actu diſponit habens legitimam poteſtatem donandi, vel alio modo diſponendi ſine injuria alterius; ſed legitima poteſtas donandi vel aliter diſponendi eſt formaliſſimè dominium plenum & in ſolidum: ergo in donatore ſeu qui donat donatione jure validâ eſt dominium. Min. patet ex quæſt. 1. præſent. diſt. maj. prob. ut quis validè donet rem ſuam alteri, non ſufficit ſola poteſtas phyſica, ſed requiritur facultas legitima ſeu munita favore legis & authoritate operandi, nec ſufficit fuiſſe immediatè prius, cum omnis effectus ſivè phyſicus ſivè moralis exiſtens ſufficientiâ alienâ, dum exiſtit, petat exiſtere ſufficientiam ſive phyſicam ſive moralem, ut in Sacramentis, in quibus licèt non adſit phyſica ſufficientia, dum cauſant, ſemper tamen adeſt valor moralis; aliàs talis effectus exiſteret, dum nulla datur ſufficientia, ut exiſtat; vide quæ diximus propos. 1. de ſufficientia, per quam dominium rei validâ donatione conſtituitur in donatario, quæ eſt libertas domini,

&

& favor legis dans authoritatem donandi vel diſponendi de re : ergo.

Reſpondent Adverſarii neg. maj. quia in inſtanti donationis non amplius habet illam legitimam poteſtatem ut formala dominium, ſed tantùm ut radicale dominium ſeu immediatè ante habuit formalem poteſtatem, quæ adhuc manet radix, quod illa donatio ſit jure valida, ideò dicunt dominium alicujus rei eſſe duplex, ſcilicet directum ſeu formale, quod eſt poteſtas directè & immediatè diſponendi de re, & aliud radicale ſeu reflexum, quod fundatur in poteſtate immediatè diſponendi de dominio directo; hinc volunt in inſtanti translationis dominium formale eſſe penes donatarium, & radicale penes donantem.

Contra eſt: maj. eſt ſatis in proba probata, explicatio autem mox facta eſt pro nobis, nam donans in inſtanti translationis non tantùm diſponit de dominio rei, ſed etiam immediate de ipſa re. illam tradendo: ergo non tantùm habet dominium radicale, ſed etiam formale; adeóque ut à me aliquis actus v. g. donatio fiat validè tanquam à rei domino, non ſufficit, quod tunc dominium rei ſolùm extrinſecè & incompletè ſumptum ſit penes me; nam aliàs etiam hæres ante aditam hæreditatem valide diſponeret de illa, quia tunc jam habet ſibi faventem legem ſub conditione quod acceptet; hinc illa lex favens nihil eſt aliud, quàm lex univerſalis naturæ in unius favorem alios gravans ſub conditione, ſi is rem acceptare velit, quâ poſitâ conditione etiam in donatario ſit dominium completum, & propterea non tollitur in donatore, cùm ille abſolutè donet poſitivè, & tantùm conditionatè eſt dominium excluſivum alterius domini, ſi ſcilicet non acceptet, & dominium incluſivum alterius, ſi acceptet.

Probatur 3. Donator in inſtanti, quô donat aliquid dat; ſed ſi in illo inſtanti non haberet dominium, non poſſet aliquid dare: ergo. Maj. per ſe patet, min. prob. ſi donator in illo inſtanti non haberet dominium rei, quam dat, nec haberet illam rem tanquam ſuam; ſed nemo dat, quod non habet: ergo ſi in illo inſtanti non haberet dominium rei, nec poſſet ſic aliquid dare.

Reſpondent Adverſarii neg. min. ad probam diſtinguunt min. nemo dat, quod non habet extrinſecè præſuppoſitivè & pro tempore immediatè præcedenti conc. quod ſolùm non habet intrinſecè & concomitanter tempore præſenti, quo datur, negant.

Contra eſt: ex hac diſtinctione ſequi multa abſurda, per quæ ultrà poſſet probari noſtra Aſſertio: imprimis enim ſequeretur, quod canis mortuus poſſet mordere, quia immediatè ante habuit vim mordendi: ſecundò ſequeretur, me poſſe videre albedinem in inſtanti, quô clauſi oculos, quia immediatè prius vidi, & nunc poſſem non claudere oculos: tertiò ſequeretur, poſſe quem validè abſolvere, qui immediatè prius habuit juriſdictionem, eſto tunc, quandò abſolvit, non habeat, ut ſi abſolveret in inſtanti reſignationis officium, cui annexa eſt juriſdictio, ut diximus propoſ. ſecundâ.

Probatur 2. pars de donatario, de quo juxta aliquos non eſt tanta. licèt adhuc nobis 7
ſufficiens difficultas, quam movet noſter Pontius Diſp. 23. de virt. moral. q. 7. n. 40. Tum quia, implicat exiſtere actualitatem donandi rem, & rem non eſſe actu donatam; ſed in inſtanti donationis eſt actualitas donandi: ergo res eſt donata; ſed de re donata donatarius poteſt diſponere: ergo in eo inſtanti donatarius habet dominium. Tum quia in inſtanti contractûs matrimonialis verificatur illud, mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, & viciſſim; ſed hoc verum non eſſet, ſi in inſtanti, quô mulier viro per legitimum contractum conſtituit jus ſui corporis, non eſſet in recipiente dominium: ergo: unde ſi in eodem inſtanti, quô recipit conſenſum mulier, vellet cum alio peccare, jam committeret adulterium mentale, quod non ſequeretur, ſi in illo inſtanti nondum haberet dominium viri.

Reſpondet Pontius: ſibi videri, quod in inſtanti translationis potius donator ſit dominus & non donatarius, niſi in inſtanti ſequenti; quia donatarius non habet prius dominium rei donatæ, quàm donans velit; ſed donans ſolùm vult donatarium eſſe dominum pro inſtanti ſequenti; cum in illo inſtanti potius ſe velit eſſe dominum, cum ibi liberè per donationem diſponat, ſicut quando Sacerdos pronuntiat verba conſecrationis de præſenti dicens: *hoc eſt corpus meum*, non vult adeſſe corpus in inſtanti, quandò profert, ſed immediatè ſequenti, finitâ prolatione.

Contra eſt neg. min. nam donator pro eo inſtanti vult donatarium rem habere, in quo & pro quo donat, vel fit contractus; ſed hic fit pro præſenti & in præſens, ut ſupponimus in caſu: ad formam autem conſecrationis dico, licèt illa verba phyſicè non adſint, moraliter tamen de præſenti cauſant & adſunt in valore, nam Sacramenta non habent cauſalitatem phyſicam, ſed moralem, donatio autem eſt quid phyſicum & morale, Ideo ejus cauſa ſcilicet dominium debet de præſenti adeſſe phyſicè & moraliter.

Objicies 1. Scotus cit. in 4. ubi illa lex de ſervo dato uxori à viro cum adhuc aliis legibus adducitur pro eodem inſtanti dominii dicit: *illa benè poſſunt eſſe objectiones & ſubtilitates Bernardicæ, & quidem ſatis aſinina*: ergo non agnoſcit eſſe poſſibile pro eodem inſtanti dominium eſſe apud maritum & uxorem.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ſe ipſum explicat per verba immediatè ſubſe-

quentia dicens : *ſatis aſinina , timendo , ne aſinus bibat Sacramentum.* Voluerunt enim aliqui cum gloſſatore juris, poſſe aquam baptiſmi dici Sacramentum in ultimo inſtanti prolationis verborum tantùm, & in illo inſtanti Sacramentum incipere & ſimul deſinere eſſe, quòd taliter non poſſet bibere aſinus : & pro hoc probando vocat Scotus illas objectiones per phraſim Hibernicam à Bernardah, quod ſignificat aſinum , Bernardicas ſeu aſininas, ut explicat Hieronymus de Lorte in mappa ſubtilis c. 1. ſect. 2. cum juxta Scotum aqua nunquam poſſit dici Sacramentum, ſed ablutio paſſiva; nec res permanens in eodem inſtanti poſſet incipere & deſinere; quia eſſet & non eſſet: quare pro hoc probando ſimiles leges omninò eſſent objectiones ſatis aſininæ; non verò pro probando dominium poſſe eſſe apud duos, cum in eodem inſtanti non inciperet & deſineret, ſed pro eodem inſtanti penes duos maneret, & in ſequenti inſtanti primo apud datorem deſineret, quod aliqualiter agnoſcit Scotus dum - - - - dicit: *ſed habent* (intellige illæ leges) *ſuum intellectum, quomodo alio modo incipit habere dominium ſervi dati uxori, quàm prius habuit ; & deſinit habere eodem modo, quo prius habuit ; habuit enim prius immediatè & nunc habuit mediatè ; quia nunc eſt ſervus uxoris.* Cum igitur agnoſcat Scotus dominium mariti in ſervum tantùm quoad modum aliquem deſinere, agnoſcit illud quoad ſubſtantiam ſtare ſimul cum dominio uxoris, & quidem non tantum in inſtanti translationis ſed etiam ulterius : aſt ob hoc fateor deductum argumentum ex Scoto parùm probare, probat enim nimium, nempe etiam pro aliis pluribus inſtantibus & toto tempore poſſe eſſe penes duos, quod nihil probat, niſi ad apparentiam vel vexam.

Dices : L. *ſi ut certò.* §. *ſi duobus vehiculum commodatum ſit.* ff. commodati , ubi Celſus filius Lib. 6. Digeſtorum ſcribit : *quæri poteſt utrum unusquisque eorum in ſolidum aut pro parte teneatur, & ait ; quorum quidem duorum in ſolidum dominium vel poſſeſſionem eſſe non poſſe :* ergo.

Contra reſpondeo , illam legem nil aliud velle , quam quòd dominium penes duos eſſe non poſſit extra inſtans actualis translationis & permanenter ; nam ſic poſſent duo domini juſtè habere duas voluntates repugnantes circa eandem rem ; poſſet enim unus dicere, volo rem deſtruere, & alter nolo deſtruere, ex quo ſequeretur bellum poſſe eſſe ex utraque parte materialiter juſtum, quod ab omnibus rejicitur; non autem, quòd non poſſit eſſe penes duos intra inſtans translationis, & tranſeunter ; quia tunc non poſſunt habere duas voluntates oppoſitas, quia donator, qui vult, ut ego ſim dominus equi, & ut de eo diſponam ſicut voluero, non poteſt velle, ut ego non utar eo, & ſi donatarius diceret, nolo ea re uti, aut per donatorem deſtrui, tunc potius non produceretur in eo dominium, quod eſt contra ſuppoſitum quæſtionis; ideo iſta dominia non opponuntur contradictoriè pro illo inſtanti donationis, ſed pro ſequentibus : hinc leges ſolum propter diſſenſiones ſtatuerunt illud, quæ orirentur, ſi dominium permanenter & extra inſtans contractûs eſſet penes plures, hoc autem periculum non eſt, ſi tantùm transeunter & ſolo inſtanti translationis eſſet penes plures.

Dices : ſi in eodem inſtanti duo eſſent ejusdem rei domini in ſolidum , tunc unius dominium alterius dominio excluderetur & non excluderetur ; ſed hæc eſt contradictio: ergo repugnat. Sequela prob. non excluderetur, ut in Aſſert. tenetur , & pariter excluderetur ; quia dominium plenum & perfectum eſt, quod eſt independens, & alium non admittit dominum , ſeu dicit negationem juris alieni : ergo.

Contra neg. ſequel. ad prob. diſting. 2. partem : dominium plenum eſt independens & dicens negationem juris alieni ſeu alicujus alterius non transferentis & diſponentis de ſua re conc. dicens negationem juris alieni ſeu alicujus alterius transferentis , uti eſt in donatario neg. hinc neganda eſt iſta propoſitio, nemo poteſt in eo inſtanti retinere dominium , in quo illud transfert; nam translatio dominii non ſignificat, quod idem numero dominium, quod eſt in donatore, ſit poſtea in donatario, quod eſt impoſſibile , ſed ſignificat ſolùm, quòd dominium exiſtens penes donatorem producat aliud dominium in eandem rem penes donatarium.

Dices : hoc ipſo penes donatarium non eſt plenum dominium , quia illud in eo inſtanti eſt ex conceſſis dependens à voluntate donatoris: ergo.

Contra neg. illatum, rationem diſting. eſt dependens dependentia cauſalitatis à voluntate donatoris conc. eſt dependens dependentia revocabilitatis neg. illatum. Nam dominium plenum eſt, quod dicit negationem juris alieni potentis illud revocare vel impedire, quale adhuc eſt in donatario, quod donator non poteſt in ſenſu compoſito, quando donat, revocare, & ideo quoad hoc adhuc eſt independens, licèt dependeat à jure donatoris tanquam à cauſa, nam hæc dependentia effectûs à cauſa non impedit, quin talis effectus habeat etiam plenam perfectionem cauſæ reſpectu alterius effectûs.

Dices: tunc non eſt dominium penes duos, quando neuter poteſt diſponere de illa re ſine injuria alterius; ſed ſic eſſet in inſtanti translationis; nam donator non poſſet uti equo contra voluntatem alterius; nam faceret illi injuriam, ſi uteretur. Unde etiam profeſſus eo inſtanti, quo emittit profeſſionem, ſi peccat contra caſtitatem, peccat contra votum,

tum: ergo non poteſt licitè diſponere de illa virtute in inſtanti translationis. Similiter donatarius, cum ſit plenus dominus, deberet poſſe licitè eandem rem in eodem inſtanti alteri dare vel deſtruere. quod tamen non poteſt, cum donator ſit perfectus dominus, ſic non ſine hujus injuria ita diſponeret: ergo.

Contra neg. min. ejus rationem primam de donatore diſting. donator non poteſt uti equo contra voluntatem alterius donatarii ſine injuria antecedenter & abſolutè neg. conſequenter & ex ſuppoſitione conc. hoc autem non ſufficit ut non ſit dominus, ſicut ex ſuppoſitione quod quis ambulet, non poteſt ſimul ſedere potentia nimirum ſimultatis & in ſenſu compoſito, benè tamen ſimultate potentiæ & in ſenſu diviſo, & ideò adhuc liberè dominatur circa ſeſſionem. Ad rationem ſecundam donatarii neg. quod pro illo inſtanti poſſe eam rem alteri dare, quia talis uſus eſt impoſſibilis; nequit enim ſimul velle & nolle eſſe dominos, ſed pro illo inſtanti tantùm eam acceptat ut dominus, ut illam pro ſequenti inſtanti poſſet alteri dare, ubi in ſequenti inſtanti jam ceſſat dominium donatoris, & ſic ſine injuria poteſt in illo inſtanti diſponere, ſed non pro illo inſtanti.

Dices: non poteſt alicui donari res, quæ eſt ſua, dum eſt ſua: ergo nec poteſt donator dare rem ſuam: dum eſt ſua; ſed in inſtanti translationis ex Aſſert. eſt ſua: ergo.

Contra diſting. antec. non poteſt alicui donari res, quæ antecedenter ad donationem eſt ſua conc. non poteſt donari, quæ tantum per ipſam donationem eſt ſua neg. antec. & ſic diſting. conſequens: ergo non poteſt donator dare rem ſuam, dum eſt ſua in inſtanti translationis, & poſitivè neg. dum eſt ſua in inſtanti ſequenti & quidem privativè ſeu excluſivè juris alterius conc. conſequentiam; eſſe autem ſuam in inſtanti translationis petit eſſentialiter legitima donatio, cùm tanquam effectus juridicus in ſuo principio ſupponat potentiam juridicam rem ſuam diſponendi vel deſtruendi.

Dices: ergo etiam qui ſuam rem deſtruit, in inſtanti deſtructionis eſſet ejus dominus, ubi tamen rei non exiſtentis, ut eſt in inſtanti deſtructionis non poſſit quis eſſe dominus ſeu habere jus jure.

Contra conc. illatum & neg. rationem, quia nihil quod conſtituit plenum rei dominium deſtructione rei deſtruitur; unde diſting. rationem, rei non exiſtentis per uſum ejus juridicum ſeu procedentem à dominio non poteſt eſſe jus in re ſeu dominus neg. rei non exiſtentis per uſum non juridicum conc.

Dices: ergo etiam DEUS eo inſtanti, quo homini condonat, & in eo deſtruit peccatum, poſſet eum adhuc odiſſe.

Contra diſting. illatum poſſet odiſſe potentiâ antecedente & pro ſenſu diviſo condonationis conc. pro ſenſu compoſito & potenciâ conſequente neg. illatum, nec propriè ſequitur, quod eodem inſtanri poſſit homo eſſe ſervus peccati, & liber à peccato viâ juſtificationis, quia in inſtanti juſtificationis peccator non poteſt retinere vinculum peccati, ſed ſolus DEUS, cujus propterea homo eſt ſpecialiter ſervus ratione peccati, quod poteſt non dimittere. De hoc vide plura in object. ad propoſ. primam.

Objicies 2. Donans eatenus vult donatarium eſſe dominum rei donatæ, quatenus ipſe vult non eſſe ejuſdem rei dominus: ergo ſi in inſtanti translationis donatarius eſt dominus, nequit donator eſſe dominus, quia non vult eſſe dominus.

Reſpondeo diſting. antec. quatenus ipſe vult non eſſe dominus excluſivè ſeu ſolus conc. quatenus ipſe vult non eſſe dominus poſitivè neg. antec. impoſſibile enim eſt velle actum legitimum, dum in volente non eſt legitima facultas faciendi actum legitimum.

Dices: in inſtanti donationis ceſſat in donante voluntas habendi rem ut propriam: ergo vult donatarium eſſe dominum; quatenus ipſe donans vult non eſſe dominus.

Contra diſting. antec. ceſſat voluntas habendi rem ut propriam excluſivè conc. ut propriam poſitivè neg. antec. adeóque donans eo inſtanti adhuc eſt dominus rei poſitivè, ſed non excluſivè ſeu ſolus; quia etiam donatarius eſt dominus ejuſdem poſitivè.

Dices: ergo ſaltem ſi donator diceret, eatenus tibi dono, quatenus nolo eſſe dominus & poſitivè & excluſivè, in illo inſtanti nullo modo eſſet dominus; ſed hoc regulariter & implicitè ſemper intendunt donantes; cum non faciant ſimiles præciſiones & ſpeculationes: ergo maj. patet, quia actus, quo dicit donatarius volo eſſe dominus, in ipſo inſtanri contractûs in eo producit dominium: ergo etiam actus, quo donator dicit abſolutè nolo eſſe dominus, annullat dominium.

Contra neg. maj. vel potius ſuppoſitum, quod ſic poſſit in rei veritate dicere; unde ad ejus probam conc. antec. neg. conſeq. quia actus, quô dicit nolo eſſe dominus, in ipſo inſtanti non annullat dominium donatoris, ſi actus, quô hoc dicit, ſit uſus dominii donativus vel venditivus rei; nam primus actus volo eſſe dominus, non ſupponit dominium ut principium ſui eſſe, benè verò ſecundus nolo eſſe dominus, ſcilicet in inſtanti ſequenti.

Dices: ſaltem translatio dominii importat duo realiter inſtantia, unum, quo dominium ſit in donante, non in donatario, & alterum, quo ſit in donatario, non in donante: ergo non in eodem inſtanti eſt dominium penes duos.

Contra neg. antec. quia cum translatio non ſit privatio dominii in donante, dum dominium per actualem contractum conſtituitur

tur in donatario, non eſt neceſſe, ut importet duo inſtantia; ſed ſufficit unum inſtans, in quo effectus fit, & ei adeſt ſua cauſa.

Objicies 3. Ex abſurdis: primò ſequeretur, quòd ſervus in inſtanti manumiſſionis eſſet ſimul ſervus & liber, ligatus & ſolutus, quia pro tunc accipit donationem libertatis, patronus verò in illo inſtanti tanquam dominus dat libertatem: ergo ſi in illo inſtanti patronna adhuc haberet dominium, ille liber eſſet ſervus; quia in eodem inſtanti manet dominii correlativum, quod eſt ſervus: ſecundò ſolemniter profeſſus in inſtanti profeſſionis, quo per votum paupertatis renuntiat omnibus bonis ante poſſeſſis, eſſet adhuc dominus illorum bonorum, cum talis abdicatio ſit libera diſpoſitio procedens ex potentia dominii, quæ videntur inconvenientia: ergo.

Reſpondeo concedendo ſequelas, neg. abſurditatem; quia eſſe ſervum & liberum, ligatum & ſolutum pro præſenti inſtanti non opponuntur contradictoriè, ſed ſolùm pro ſequentibus inſtantibus; hinc eſſe ſolutum poſitivè dependenter à libertate non excludit ligatum, benè tamen ſolutum excluſivè & independenter à libertate; adeóque eſſe ſolutum pro præſenti inſtanti tantùm opponitur eſſe ligato pro ſequentibus inſtantibus: ſic quoque ſolemniter profeſſus in inſtanti profeſſionis eſt dominus ſuorum bonorum poſitivè, non verò excluſivè, quaſi excluderet ſæculum, aut alium fictione juris dominum, cui ſua bona relinquit, qui pariter in illo inſtanti eorum bonorum fit dominus poſitivè, non autem adhuc excluſivè, cum nondum excludat profitentem, utpote à quo dependenter accipit dominium, quod primò in inſtanti ſequenti fit dominium excluſivum alterius domini nempe illius profitentis. Vide quæ diximus in reſpons. ad object. 1.

Dices: ergo etiam in inſtanti eodem poſſent eſſe duo Pontifices: nempe in inſtanti reſignationis, ſi unus alteri reſignaret Pontificatum; ſed hoc non, quia Pontifex eſt tantùm unicus, cui cæteri fideles omnes ſubſunt; unde ſi duo eſſent Pontifices, quivis præeſſet & ſubeſſet, quod repugnat: ergo.

Contra neg. min. nam Pontifex omnino tantùm eſt unicus extra inſtans reſignationis, cui omnes cæteri fideles ſubſunt; in inſtanti autem reſignationis poſſunt eſſe duo poſitivè, licèt non excluſivè, in quo inſtanti ſolùm quilibet præeſſet, non tamen ſubeſſet, cùm nullus excludat ſed potius includat alterum; dependenter enim ab altero cauſatur pontificatus alterius; quare pro illo inſtanti ſubeſſe eſt actio impoſſibilis, ad quam ſe non poteſt extendere Pontificatus requirendo eam; pro ſequenti autem inſtanti ſubeſſe jam eſt poſſibile; ideo Pontifex reſignans in eo jam non eſt Pontifex, ſed alteri ſubjacens. Vide plura in reſpons. ad object. 1. in Dices 3.

Dices: ſi in eodem inſtanti venditor traderet mercem, & emptor viciſſim pro merce juſtum pretium daret, uterque ſimul eſſet dominus mercis & pretii, & ſic uterque ex contractu fieret ditior, quod eſt iniquum & ridiculum.

Contra conc. venditorem in illo inſtanti habere dominium rei venditæ & pretii poſitivè, non verò excluſivè, non tamen ſequitur, quòd habeat plùs quàm ante; nam pretium ſtat loco ejus, quod priùs habuit; nimirum loco dominii excluſivi. Obſervandum ergo eſt, illum qui transfert dominium in alterum, illud in hunc transferre, qualiter ipſe habuit per ordinem ad eos cum quibus non contrahit actu, & ideò in inſtanti translationis transfert dominium excluſivè per ordinem ad omnes, qui non ſunt contrahentes, ſed non per ordinem ad actu contrahentem.

Dices: ſi fieret, quod in eo inſtanti, quo donator donat donatario librum, fur eam auferat donatario, tunc utrique faceret injuriam, & ambobus deberet inſtituere unum librum, quod videtur injuſtum.

Contra neg. ſequel. quia illa injuria utrique facta in eo ſtat, quod fur librum non reliquerit penes donatarium, penes quem ambo domini eum voluerunt, ergo ad plus non tenetur, quàm ad reddendum librum donatario, non autem ad reddendum unum librum cuilibet.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit dominium imperfectum, ſeu uſus fructus, & quomodo uſufructuarius diſponere poſſit, & uſum fructûs amittere, præſertim per ingreſſum Religionis?

ADvertendum eſt 1. Dominium imperfectum definiri poſſe, quod ſit legitima voluntas directè diſponendi de aliquo uſu rei, non tamen omni, qualiter videre eſt in habentibus vel ſolùm dominium directum, vel ſolum utile, hujus ergo dominii imperfecti multæ ſunt ſpecies, ut uſusfructus, uſus rei, habitatio, emphyteuſis, locatio, conductio, fideicommiſſum &c. quæ cum potiorem materiam de contractibus contineant, ideo eorum explicationem usque illuc differimus, & hic ſolummodo de uſu fructu, uſu & habitatione propter horum connexionem differemus.

Advertendum eſt 2. Uſumfructum definiri: quod ſit jus fruendi & utendi aliena re ſalvâ rei ſubſtantiâ, ut habetur L. 1. ff. de uſu fructu. & §. 1. Inſtit. tit. eodem: dicitur jus, quia hic non eſt ſermo de uſu actuali, quem Juriſtæ vocant uſum facti, ſed de ipſo jure utendi; quia uſus fructus, quatenus reſpicit rem frugiferam, dicitur jus utendi, quia illâ uti-

Digitized by Google

utitur eam non faciendo ſuam, aut conſumendo, vel alienando, quatenus verò reſpicit fructus, dicitur jus fruendi; quia illis fruitur eos faciendo ſuos conſumens vel alienans; hinc uti & frui in ſenſu legali non ſunt idem, adeóque licèt fruens utatur: diverſo tamen modo utitur re & fruitur. Et per hoc etiam excluditur jus, quod habet creditor in pignore, vel hypotheca, vel in depoſito; talis enim non poteſt uti his rebus, quòd ſi vero utatur invito domino, tenebitur ei reſtituere æſtimationem uſus: dicitur re alienâ, ut excludatur jus fruendi & utendi, quod quivis in re ſua: dicitur ſalvâ rei ſubſtantiâ, per quod differt à dominio abſoluto; nam licèt uſufructuarius ſit dominus fructuum, non tamen eſt dominus illius fundi vel ſubſtantiæ, quam debet integram reſervare proprietario; quæ ſubſtantia ſi ſine culpa perit apud uſufructuarium, non ipſi, ſed proprietario perit; quia res perit domino; hinc uſusfructus propriè non poteſt eſſe in rebus, quæ ipſo uſu integrè conſumuntur, ut in vino, frumento &c. poteſt tamen eſſe quaſi uſusfructus, & tunc transfertur dominium in uſufructuarium, & ei tanquam domino perit, ſed hic debet dare cautionem ſe finito tempore præſcripto reſtituturum pecuniam vel æſtimationem rei, ut habetur §. *conſtituitur*. Inſtit de uſufructu in qua cautione tanquam in ſubſtituto videtur manere ſalva rei ſubſtantia.

3 Advertendum eſt 3. Nomine fructuum venire quidquid in fundo naſcitur, ut habetur L. *item ſi fundi* ff. de uſufructu: ſic pariter in arbore dicuntur fructus pomi nati, in pecoribus pulli, lac, in ſervis operæ & mercedes, ut habetur L. *in hominis*. ff. de operis ſervorum: proles tamen ancillæ propter naturæ dignitatem non computantur inter fructus, ſed ad dominum proprietatis; non enim in fructu hominis homo eſſe poteſt, dicit Julius Clarus L. *rectus* 68. ff. de uſufructu. Cæterum tamen aliquod commodum utentis, quod neceſſariò evenit, ſi uſuarius pro ſua libertate utatur re conceſſâ in uſum, non venit nomine fructuum, quales non concedimus ſimplici uſuario, ſed debet eſſe commodum rei, quod ſcilicet naſcitur ex ipſa re, ut lana ex ove, ſicut diximus; hinc etiam aliud eſt uti fructibus, & aliud frui; nam uti dicitur, qui poteſt eos, ſecundùm quod ſibi neceſſarii ſunt ad quotidianam ſuſtentationem, convertere in ſuum uſum, frui autem dicitur, qui eos facit ſuos, & uti poteſt etiam ad lucrum acquirendum.

4 Advertendum eſt 4. Uſum communiter definiri; quod ſit jus utendi re alienâ ſalvâ ipſius ſubſtantiâ; differt autem uſuarius ab uſufructuario, quod uſuarius non ſit dominus fructuum, ſed ſolùm poſſit uti re, ſicut diximus Advert. 2. convenit tamen uſuarius cum uſufructuario, quatenus uterque tenetur conſervare integram rei ſubſtantiam; hinc patet hunc uſum propriè loquendo non eſſe in rebus, quæ ipſo uſu conſumuntur; quomodo enim ſalva erit rei ſubſtantia, ſi illa uſu pereat? niſi fortè æquivalenter, ut diximus Advert. 2. de uſufructu. Cæterum verò iiſdem modis conſtituitur & finitur nudus uſus, quibus conſtituitur & finitur uſusfructus, ut habetur Inſtit. de uſu & habit. hinc benè obſervanda ſunt, quæ dicemus de uſufructu, ut ea cum proportione poſſimus applieare ad nudum uſum. 5

Advertendum eſt 5. Habitationem eſſe jus habitandi in alicujus ædibus ſalvâ earum ſubſtantiâ per ſe vel per alium; hinc juxta gloſſam in §. *ſed ſi cui*. Inſtit. de uſu & habitatione, habitatio nec eſt uſus nec uſusfructus, ſed quoddam jus medium, convenit tamen cum illis; quia ſicut uſus & uſusfructus conſtitui poteſt tam inter vivos quàm ultimâ voluntate, ita & habitatio; item ſicut in prioribus, ita hic eſt cautio præſtanda, & pariter nec tranſit habitatio ad hæredes ſicut nec uſusfructus, ut habetur §. *penult*. Inſtit. de uſufructu; differt verò ab illis, quod habitatio in ſolis ædibus eſſe poſſit, uſus verò & uſusfructus etiam in aliis; item uſus & uſusfructus non utendo & capitis diminutione amittuntur, non verò habitatio ut habetur L. *ſi habitatio*. ff. de habitat. cur autem non amittatur non uſu: ratio eſt; quia habitatio ſic alteri conceditur, ut habitet, quoties ipſi commodum eſt, poteſt autem contingere ut modò commodum ſit, modò non, adeóque in habitatione toties dies cedit, quoties habitare commodum eſt, licèt antea non habitaverit, ideo nunquam præſcribitur: his notatis ſit 6

Propoſitio 1. *Uſusfructus duobus modis conſtituitur, ſcilicet legaliter & conventionaliter.* Ratio eſt, quia uſusfructus vel conſtituitur ordinatione legis & dicitur legalis, & talem habet pater in peculio adventitio filii, quamdiu eſt ſub patria poteſtate; vel conſtituitur privatâ diſpoſitione hominum, & dicitur conventualis; quia fit aliqua conventione inter illos, id eſt aliquo pacto, imò aliquando ultimâ voluntate aut donatione conſtituitur: ut habetur in ff. & C. de uſufr.

Propoſitio 2. *Uſusfructus primò naturaliter finitur finito termino conſtituto*; 7 hinc ſi concedatur ad certum tempus, eo elapſo finitur, ut patet ex natura terminorum; nequit tamen illud tempus excedere vitam uſufructuarii, cum uſusfructus ſit jus perſonale non egrediens perſonam, ut expreſsè dicit L. *uſumfructum*. ff. de uſufr. legato; ſi verò conceditur ſub conditione, dum aliquid factum fuerit v. g. lego tibi uſumfructum, dum Titius pubes fiat; exſpirat Titio pubere facto, vel te priùs mortuo, non verò ſi Titius ante pubertatem moriatur; nam in hoc caſu durat tibi, uſque dum finiuntur anni, quibus pubertatem obtinuiſſet, ſi vixiſſet; hæc enim fuiſſe mens concedentis præſumitur: *ſecundò finitur, ſi uſufructuarius cedat jus ſuum proprietario: tertiò, ſi uſufructuarius etiam acquirat proprietatem rei.*

quod conſolidatio à Theologis, & confuſio à Juriſtis dicitur.

Propoſitio 3. *Uſusfructus primò legaliter*
8 *finitur morte naturali uſufructuarii.* Ratio eſt ex L. propoſit. priori cit. cùm ſit jus perſonale, quod cum perſona finitur, ideò non tranſit ad hæredes, quod ſi autem fuerit conceſſus ut ad hæredes tranſeat, eſt novus uſusfructus, & modo ita recipitur ut ad primos tantùm hæredes, & non ad ulteriores tranſeat, ut habetur *L. antiquitas.* C. de uſufr.; ubi cum Imperator retuliſſet altercationes, quorum aliqui tale legatum valere aliqui non valere aſſeverarent, ita decidit: *Sancimus, & hujusmodi legatum firmum eſſe, & talem uſumfructum cum hærede moriente finiri, quare enim talis uſusfructus ſibi deberet tale vendicare privilegium, ut à generali interemptione uſusfructus ipſe ſolus excipiatur? quod ex nulla rationabili ſententia eſt manifeſtum;* hinc ſequitur, licèt teſtator expreſsè diceret velle ſe uſumfructum non ſolum ad primum, ſed etiam ad ulteriores hæredes pervenire, tale legatum non valere ob rationem Imperatoris in C. & in ff. L. 8. de uſufr. legat. ubi dicitur: *Si quis eum perpetuo tuetur, nulla utilitas erit nudæ proprietatis ſemper abſcedente uſufructu;* hinc ſi uſusfructus conſtituatur perſonæ fictæ, quæ nunquam moritur, ut eſt civitas aut univerſitas, talis adhuc non eſt perpetuus, ſed poſt centum annos finitur, ut habetur in cit. L. 8. ff. de uſufr. legato. Et ob rationem ibi aſſignatam, ubi centum annos obſervandos eſſe conſtat, qui finis vitæ longiſſimus eſt, niſi civitas interea deſtrueretur, ita ut deſineret eſſe civitas, tunc enim cenſetur quaſi mortua.

Propoſitio 4. *Uſusfructus ſecundo legali-*
9 *ter amittitur per capitis diminutionem non quidem amplius per minimam ſicut olim, ſed per mediam & maximam.* Ratio eſt ex L. corruptionem C. de uſufr. eſt autem capitis diminutio, ut breviter dicam ex Inſtit. de capit. dimin. ſtatûs mutatio, eáque triplex ſcilicet minima, quâ aliquis familiam tantummodo mutat, ut fieri poteſt per arrogationem vel emancipationem; media, qua quis familiam & civitatem amittit ſalvâ libertate, ut fit per deportationem aquæ & ignis interdictionem; maxima, qua & familiam & civitatem & libertatem amittit, quod fit, quando quis fit ſervus pœnæ, dum damnatur ad metalla vel ad mortem naturalem, vel quando libertus ob ingratitudinem revocatur in ſervitutem, vel quando major viginti quinque annis patitur ſe vendi, ut pretio potiatur. Ad hunc modum amittendi revocant aliqui modum amittendi uſumfructum per profeſſionem religioſam, de quo Aſſert. 2. & pariter ſi pater fiat hæreticus, hoc ipſo amittit uſumfructum in bonis adventitiis filii, & coaleſcit cum dominio directo, ut habetur cap. fin. de hæret. in 6. quamvis verò L. *ſed hodie.* C. de donat. inter vir. & ux. ſtatuatur, ut damnati ad ſupplicium non amittant libertatem, adhuc tamen amittunt uſumfructum, quia patiuntur ſaltem mediam capitis diminutionem, dum jura civitatis amittunt, ut habetur in ff. de capit. minut.

Propoſitio 5. *Uſusfructus tertiò legaliter extinguitur deſtructâ re, vel tantâ mutatione formæ ut non amplius poſſit eo nomine appellari; ſub quo nomine eſt uſusfructus in ea re conſtitutus* v. g. ædium uſusfructus extinguitur ſi corruant vel incendio pereant, ubi nec areæ nec cementorum uſusfructus debetur; hæc enim non appellantur ædes, vel ſi ex agro ſtagnum, ex vinea pratum, ex auri maſſa vaſa fiant: ſimiliter uſufructu gregis legato, ſi usque eo pervenit numerus ovium, ut grex non intelligatur, perit uſusfructus; quia grex eſſe deſinit; & quia decem oves dicuntur gregem facere L. *fin.* ff. de Abigeis; ideò ſi non amplius ſuperſint decem conſolidabitur uſusfructus. 10

Propoſitio 6. *Uſusfructus quartò legaliter amittitur per non uſum, qui tamen non uſus non eſt conſiderandus per unum annum vel biennium,* ut dicitur L. *corruptionem.* C. de uſufr. *ſed uſufructuarius tanto tempore debet non uti jure ſuo, quatenus opus eſt, ut dominus directus contra eundem præſcribat, quod eſt ſpatium decem annorum inter præſentes, inter abſentes verò viginti.* Ut habetur de præſcriptionibus. 11

Propoſitio 7. *Etiam uſumfructum amittendi modus moribus potius receptus, quàm jure conſtitutus eſt, ſi res fructuaria culpâ fructuarii notabiliter deterior reddita eſt contra cautionem præſtitam.* Ratio eſt, quia etiam emphyteuta & colonus ob deteriorationem rei jus ſuum amittunt, & expelli poſſunt, ut habetur *L. 58. §. 1.* ff. locati. Quamvis contrarium conſtet ex *L. 1. §. utilius.* ff. uſufructuarius quemadmodum caveat. Sed authoritas novell. & praxis jam prævaluit: hinc onera uſufructuarii ſunt ſequentia: primò tenetur ad faciendos mediocres ſumptus, qui ad conſervationem rei in uſum conceſſæ & ad fructus percipiendos ſunt neceſſarii, unde tenetur in ſylva vel vinea loco arborum aut vitium demortuarum alias ſerere: ſecundò tenetur ad modicam reparationem ædium, nec non ad ſolvendum tributum. Ut habetur L. *uſufructu relicto.* ff. de uſufr. tertiò tenetur dare cautionem proprietario, ſe boni viri arbitrio, hoc eſt, quomodo vir bonus re propria uteretur, re uſurum, & finito tempore uſusfructus eam reſtituturum: quartò incumbit ipſi adminiſtratio bonorum, in quibus habet uſumfructum & naturalem poſſeſſionem, ideóque tanquam procurator proprietarii debet curare illorum bonorum utilitatem, ut habetur *L. 1. & 2.* ff. uſufructuarius. His propoſitis: 12

Aſſero

13 Aſſero 1. *Uſufructuarius dominium fructuum ſibi comparat, quamprimum fructus percipit, ſine licentia tamen proprietarii non licèt uſufructuaria vendere vel donare ſuum uſumfructum, benè tamen commoditatem & utilitatem fructuum; proprietarius tamen inconſulto uſufructuario poteſt alienare rem uſufructuariam.* Eſt communis Juriſtarum, & Scoti in 4. Diſt. 15. quæſt. 2. §. *de ſecundo articulo.*

Probatur 1. pars ex §. 36. in Inſtit. de rer. divis. ubi dicitur: *is verò, ad quem uſusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm ſi ipſe eos percipit,* & ideo licèt maturis fructibus adhuc pendentibus nondum tamen perceptis deceſſit, ad hæredes ejus tales fructus non pertinent, ſed domino proprietatis acquiruntur; quia quamdiu adhærent fundo, cenſentur unum cum ſolo: quare ſi durante jure ſuo non collegerit, manebunt domino fundi; acceſſorium enim ſequitur principale.

14 Probatur 2. pars *L. ſi uſusfructus.* ff. de jur. dot. ubi dicitur: *quoniam diximus uſumfructum à fructuario cedi non poſſe, niſi domino proprietatis, & ſi extraneo cedatur, non ad eum tranſire, ſed ad dominum proprietatis;* hinc ſi hoc uſufructuarius attentaret inconſulto domino directo, talis ceſſio jure nulla eſſet, imò in tali caſu conſolidaretur ſeu rediret ad dominum proprietatis, & amitteretur ab uſufructuario.

15 Probatur 3. pars: ſicut beneficiatus etſi non poſſit alteri vendere jus ad decimas percipiendas C. *prohibemus.* de decimis. Poteſt tamen vendere utilitatem & uſum actualem, ut quis alius nomine beneficiati illas percipiat, ut habetur cap. *veſtra.* de locat. ita etiam licèt uſufructuarius non poſſit cedere uſumfructum, poterit tamen alteri concedere ſui uſusfructus commoditatem, ſeu jus, ut alius nomine ipſius fructus percipiat, & poſtea ut ſuos habeat venditione, vel locatione, aut alio titulo; nam uſusfructus & commoditas ejus differunt; quia uſusfructus non extinguitur morte domini eum concedentis benè tamen commoditas morte uſufructuarii illam concedentis.

16 Probatur 4. pars: ex *L. 2.* C. de uſufr. ubi dicitur: uſumfructum tibi legatum eſſe non impedit proprietatis dominium obligare creditori proprietate manente integro uſufructu tui juris; quia eſt dominus rei quoad proprietatem, nec ulla lege ab hoc prohibetur: ergo.

17 Objicies contra 1. partem: ſi uſufructuarius primò eſt dominus, quando fructus percipit, ſic fur auferens fructus, antequam ſint collecti, non teneretur ad reſtitutionem uſufructuario, quod eſt periculoſum: ergo.

Reſpondeo neg. ſequel. quia ſaltem uſufructuario competit jus ad illos fructus, ſeu jus ad rem, ideò habet actionem adversùs furem, ut fructus ablatos reſtituat, quoniam interfuit ejus fructus non eſſe ablatos, ut loquitur L. *ſi fur.* ff. de uſufr.

18 Objicies contra 2. partem: L. *arboribus.* ff. de uſufr. dicitur: *uſufructuarius vel ipſe frui ea re, vel alii fruendam concedere, vel vendere, vel locare poteſt:* ergo poteſt etiam alii cedere inconſulto domino directo.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illa lex intelligi debet non de uſufructu, ſed de ejus commoditate, nam §. ſequenti ſubjungitur; nam & qui locat, utitur, & qui vendit, utitur, ſed & ſi alii primario concedat vel donet, puto eum uti, atque ideo retinere uſumfructum; loquitur ergo de venditione vel locatione tanquam uſu, quo uſufructuarius retinet uſumfructum.

19 Objicies contra 3. partem: vendita commoditate uſusfructûs nihil utilitatis retinet: ergo potius etiam cenſeretur cum commoditate rei vendi & tranſire, cum talia dominia, quæ nullam utilitatem habent, ſint è medio tollenda.

Reſpondeo neg. antec. & conſeq. nam aliàs etiam dominium proprietatis & directum deberet tranſire cum uſufructu, cum etiam nihil utilitatis habeat, quamdiu uſusfructus eſt ſeparatus, undè ad ejus utilitatem ſufficit, quod ceſſante termino uſusfructus inferat utilitatem, ideò ſemper aptitudinaliter manet utile.

20 Objicies contra 4. partem: L. *cum non.* §. *filiis autem.* C. de bon. quæ liber dicitur: quod filiusfamilias non poſſit dominium proprietatis bonorum adventitiorum ſine patris expreſſo conſenſu transferre, ſed filius eſt dominus proprietatis & pater ſolùm uſufructuarius: ergo nec rem fructuariam &c.

Reſpondeo illam legem id non univerſaliter ſtatuere, ſed ſolummodo ſpecialiter de filio; quia filius, eſto bonorum adventitiorum proprietatem habeat, caret tamen adminiſtratione, & ideò conſenſum illum lex ob reverentiam patri debitam expoſcit.

21 Aſſero 2. *Uſusfructus non extinguitur profeſſione religioſa uſufructuarii in religione bonorum capaci, ſed tranſit ad monaſterium, & non manet illi religioſo, imò ſi pater profitetur religionem, uſufructus non conſolidatur cum proprietate filii, ſed etiam tranſit ad monaſterium.* Eſt quoad 2. & 3. partem Baldi & Bartoli, éſtque contra Covaruviam & Gomez.

Probatur 1. pars: omnia jura & actiones, inter quæ eſt etiam uſusfructus facta profeſſione in monaſterium transferuntur, ut habetur *L. 13. §. ingreſſi.* C. de Sacros. Eccleſ. ubi habetur: ingreſſi monaſterio ipſo ingreſſu ſe ſuáque dedicant Deo, non ergo de his teſtentur, utpote nec domini rerum, quod idem habetur Auth. de Monachis: item de Sanctiſs. Epiſcopis. Interim tamen obſervandum eſt,

has conſtitutiones non habere vim, quatenus ſolo jure civili inductæ ſunt; uti quondam prænotavimus in annot. Prolog. ſed quatenus approbatæ ſunt à poteſtate Eccleſiaſtica, eas autem approbavit D. Gregorius Papa, ut habetur C. *quia ingredientibus*. 19. q. 3. ubi dicitur: *ſed res eorum ejuſdem monaſterii juris fiant, apertâ legis definitione decretum eſt.* Hinc etiam patet ſtatutum excludens à parentum ſucceſſione filium religionem ingreſſum, eſſe nullum & iniquum; quia tale ſtatutum nunquam poteſt ligare filium, vel enim ligaret ante vel poſt profeſſionem, vel dum actu profitetur; non primum, quia quovis inſtanti antecedente profeſſionem manet ſucceſſionis capax, in actuali autem profeſſione & poſt illam nullo modo ſubeſt jurisdictioni Laicali, & licèt etiam illud ſtatutum non ſic diſponat: ingreſſi religionem non ſuccedant, ſed ingrediens non ſuccedat, attamen nullum eſſet; quia licèt feratur in eos ante ingreſſum religionis & tempore habili, quia tamen ejus effectus confertur in tempus inhabile, nimirum in tempus poſt ingreſſum; nam ante hunc non ligat abſolutè, ſed ſub conditione, quæ ponitur, dum non amplius ſubſunt jurisdictioni, idem enim eſt aliquid fieri tempore inhabili, & ejus effectum conferri in tempus inhabile, ut habetur L. *quod ſponſa*. C. de donat. ante nupt. hinc

Addo: in Religione etiam in communi incapaci ut eſt Religio Fratrum Minorum per profeſſionem omnino extingui uſumfructum; quia talis profeſſio æquivalet morti naturali, quæ extinguit omne jus habendi bona temporalia; hinc facta profeſſione conſolidatur uſusfructus cum proprietate, quod eſt contra noſtrum Rodriquez exiſtimantem, quod uſusfructus, quamdiu profeſſus vivit, pertineat ad hæredes ab inteſtato; nam uſusfructus eſt jus perſonæ annexum & cum eadem extinguitur tam morte naturali quàm civili.

22 Probatur 2. pars: tum quia, vel ſola commoditas manente jure uſusfructûs apud religioſum eſſet tranſlata in monaſterium purè & abſolutè, vel aliquomodo conditionatè in diem incertum v. g. quamdiu talis religioſus manebit incorporatus tali monaſterio? ſi primum, ſequitur, ſi talis religioſus ad aliud monaſterium tranſiret, quod nulla commoditas alteri monaſterio accederet, ſed mera gravamina, teneretur enim cavere præſcriptiones, & alia damna proprietario, quod eſt inconveniens: ſi ſecundum: ergo tota commoditas transfertur in ſecundum monaſterium: ergo in effectu idem eſt, ac ſi jus reale eſſet penes monaſteria; hinc nihil utilitatis relucet ex contraria ſententia; tum quia, ſi monaſterio ſola maneret commoditas, & non ipſum jus accederet, ſic acquireret monaſterium merum jus perſonale, & quidem adversùs ſuum profeſſum, nec poſſet eo invito cedere uſumfructum proprietario, ſed omnia jura eſſent penes profeſſum contradiſtinctum à monaſterio, quod eſt contra citatum textum codicis dicentis: *neporè nec domini rerum*: ergo jus reale eſt penes monaſterium prout continens talem perſonam, cum qua conſtituit unam perſonam juris diſpoſitione; hinc in caſu noſtro ſi uſusfructus fuiſſet illi profeſſo ita conſtitutus, ut etiam ad hæredem ipſius tranſiret, quod tunc defuncto profeſſo uſusfructus perſeveraret apud monaſterium centum annis; econtra verò, ſi ſoli perſonæ profeſſi eſt conſtitutus, & talis ante profeſſionem religionis commoditatem ex teſtamento relinqueret hæredi, vel alteri dependenter à ſua vita, defuncto profeſſo extingueretur uſusfructus.

Probatur 3. pars: gloſſa in Cod. de his, quæ 23
liberis expreſsè hanc quæſtionem ſic reſolvit: item ſi pater uſufructuarius monachatur, an extinguitur uſusfructus, quem habet? videtur quod ſic, cùm pro mortuo habeatur, ſed certè non quoad comedendum eſt mortuus, & ideo non finitur: hinc cùm mors ſpiritualis non ſit quoad hanc ſpeciem facti comparanda cum morte naturali; nam naturaliter mortuus non eget alimentis, quorum gratia uſusfructus patri à lege conſtitutus eſt; atqui profeſſus eget: ergo adhuc eſt cauſa concedendi uſumfructum, conſequenter ſi Authent. *ingreſſi* hoc jus non ademit, nec nos adimere debemus.

Objicies contra 1. partem: uſusfructus 24
eſt jus perſonaliſſimum, ac ita perſonæ cohærens, ut nec ceſſione, nec alio modo poſſit in alium tranſire: ergo extinguitur in profeſſione religioſa. Conſeq. patet; quia in tali caſu non poteſt manere in profeſſo, cùm ſit incapax habendi proprii, nec poteſt tranſire in monaſterium, quia tranſiret in alium, quod juri perſonali repugnat.

Reſpondeo conc. antec. neg. conſeq. ad cujus prob. dico tranſire ad monaſterium, non quidem ſimpliciter, ſed cum addito per conſequentiam perſonæ in ipſum tranſlatæ, & ideò monaſterium ratione ſuæ perſonæ diſpoſitione juris non eſt alia perſona ab uſufructuario, cum uſufructuarius ſit formaliſſimè illa perſona, ratione cujus monaſterium habet uſumfructum, quamdiu naturaliter vivit: hinc profeſſio in religione bonorum capaci non æquivalet morti naturali, ut malè ſupponit Jul. Clarus *L. 4. ſ. feudum*. q. 78. nec profeſſum reddit incapacem omnis dominii, aliàs faceret eum incapacem juris habendi communiter bona temporalia, quod eſt falſum, nam talis profeſſus etiam poſt profeſſionem retinet, jus ſuitatis, & ſuccedit patri jure ſuitatis, ut habetur L. *fin*. C. de Epiſc. & Cleric. & ſic omnia bona poſſidet jure illa habendi communiter ſeu in communi.

Dices: uſufructuarius poſt profeſſionem nihil amplius poteſt diſponere de illis bonis, ſed diſponit Prælatus vel Capitulũ: ergo extinguitur.

Contra neg. conſeq. quia hoc non arguit pro-

profeſſo eſſe ablatum jus diſponendi vel habendi in communi uſumfructum per adminiſtrationem Prælati, aut illud jus eſſe penes monaſterium aliter quàm ex pura conſequentia perſonæ, quod conſtat ex eo, quod profeſſo naturaliter mortuo nec Prælatus nec capitulum quidquam amplius diſponere valeant de tali uſufructu.

Dices: ſaltem talis uſusfructus non erit translatus, ſed novus, ſicut diximus propoſ. 3. quando uſusfructus conſtitutus Titio & ſuis hæredibus, illo mortuo tranſit ad hæredes primos.

Contra neg. illatum; diſparitas eſt, nam ideo ibi uſusfructus eſt novus, quia tranſit ad hæredes facto hominis v.g. ſtipulatione vel conſenſu domini, non autem per conſequentiam perſonæ cui cohæret, qualiter eſt in caſu noſtro.

25 Objicies contra 2. partem: juri perſonali repugnat tranſire in alterum; ſed uſusfructus eſt jus perſonaliſſimum: ergo repugnat tranſire à perſona religioſa in monaſterium.

Reſpondeo diſting. maj. repugnat tranſire in alterum per tranſitionem auferentem ipſum alterum à transferente ſeu priori domino conc. per tranſitionem cum ipſa perſona in alterum neg. maj. nam hoc ipſo, quod leges concedant monaſterio ſine exceptione omnia jura, & bona profeſſi, quando ſe dedicat Deo, eo ipſo declarant uſumfructum non ita eſſe abſolutè perſonalem, ut cum ipſa perſona, ſeu ratione perſonæ, quamdiu vivit, eſſe nequeat in religione; nam ſic non abit à perſona, ſed ſtricto jure illud habendi communiter etiam ab eadem retinetur, non quidem ut diſtinctâ perſonâ, ut volunt Adverſarii, ſed ut indiſtinctâ à monaſterio.

Dices: in priori Aſſert. parte 3. concedimus poſſe commoditatem uſusfructûs ab uſufructuario alteri concedi retento ſibi jure uſusfructûs: ergo etiam poterit ſola commoditas tranſire ad monaſterium retento jure apud ipſum religioſum ut perſonam diſtinctam à monaſterio.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia religioſus in particulari ut diſtincta perſona nequit habere quid proprii, nec poteſt dici dominus, ut loquitur textus Codicis in noſtra proba citatus; alius autem uſufructuarius concedens alteri commoditatem ſemper poteſt manere dominus.

Dices: non eſt inconveniens religioſum profeſſum eſſe capacem proprii, cujus nullam habet diſpoſitionem, ſicut non eſt inconveniens conjugatum manente vinculo conjugii fieri religioſum: ergo.

Contra neg. antec. ad paritatem diſparitas eſt; quia juxta leges jura & dominia rerum debent eſſe utilia & proficua quoad ſuum effectum, & alia dominia potius annullantur, & ideò, cum in religioſo tale jus uſusfructus ſine ulla diſpoſitione ſit inutile, potius illud transferunt in monaſterium, quæ ſecundùm omnia membra particularia eſt capax dominii in communi: de vinculo autem conjugii non ſic diſponunt; cum tale vinculum conjugii cum ſui plena diſpoſitione potius repugnet monaſterio, quod in communi debet eſſe virgineum; non vero jus habendi dominia rerum; cum monaſterium in communi debeat poſſe habere dominia & de eis diſponere.

Dices: ergo ſi uſusfructus tranſit ad monaſterium, durabit centum annis, ſicut uſusfructus conceſſus Eccleſiæ vel monaſterio, quod tamen in priori aſſertione negavimus.

Contra neg. illatum, diſparitas autem eſt; quia illud de centum annis ſolum valet in uſusfructu directè conceſſo Eccleſiæ vel monaſterio, non verò indirectè & per conſequentiam perſonæ conceſſo; nam talis ſolùm pendet à vita naturali talis perſonæ.

Objicies contra 3. partem uſusfructus fundatur in patria poteſtate: ergo hac ceſſante ceſſat uſusfructus. 26

Contra diſting. antec. fundatur in patria poteſtate in acquirendo uſumfructum conc. in perſeverando neg. antec. & diſting. conſequens ceſſat uſusfructus quoad bona quæ filius poſt patris profeſſionem acquirit conc. quoad priora in quibus jam ſemel jus acquiſitum eſt neg. conſeq. imò retorqueri poteſt argumentum, nam ſi filius profiteretur, etiam ceſſaret patria poteſtas, & tamen maneret uſusfructus totus apud patrem, imò etiam repugnaret æquitati patrem privari uſufructu ſine juſta cauſa & in odium religionis.

Dices: lex attendit in perſona patris ſpecialem induſtriam & affectum patris erga filium; ſed talis non eſt exſpectanda à monaſterii Officialibus, qui loco patris profeſſi ſua jura debent adminiſtrare, cùm illi magis monaſterii quàm filiorum utilitatem attendant: ergo etiam ibi ceſſat favor legis pro patre.

Contra neg. min. nam præſumendum eſt potius patrem per tales Officiales fideliter adminiſtrare, imò etiamſi maneret pater in ſæculo, non teneretur per ſe ipſum adminiſtrare, ſed poſſet per alios non adhibituros fortaſſe illam diligentiam, quam adhibent monaſteria, cur ergo pater in monaſterio deberet perdere uſumfructum?

Dices: ſaltem dimidia pars uſusfructûs pertinebit ad filium, ſi pater profitetur; nam pater dimittens filium à patria poteſtate retinet ſolùm medietatem uſusfructûs, ut dicunt leges, ſed per profeſſionem ſolvitur patria poteſtas: ergo.

Contra neg. antec. ad ejus rationem diſparitas eſt; quia aliud eſt filium exire à patria poteſtate facto patris, & aliud exire beneficio legis intuitu profeſſionis, quæ eſt cauſa favorabilis, de priori autem ſolùm diſpoſuit Imperator quoad medietatem, non autem de poſteriori, ſed potiùs oppoſitum, ut conſtat ex proba.

DISTINCTIO IV.

De Juſtitia objecti dominii, ut eſt vita & fama.

QUÆSTIO I.

An liceat ſe ipſum, vel alium omnimodè innocentem occidere?

1 ADvertendum eſt 1. poſtquam de dominio ut ſic diſſertum eſt, nunc venit conſiderari ejus objectum, & quæri poteſt, quænam res cadant ſub perfecto dominio præſertim hominis; nam certum eſt ſub abſolutiſſimo dominio Dei eſſe omnia creata, & ſub dominio angelorum eſſe ſua bona ſpiritualia, ut honoris, & famæ, ac ſecretorum, quæ aliis pro ſuo libitu poſſunt occultare vel communicare, non tamen ita bona corporalia, quæ in commodum angeli ſpiritualis non ita diſponi poſſunt; ſi quid igitur angeli in iſtis inferioribus diſponunt & movent, non hoc agunt ex vi juris & dominii, ſed ex poteſtate miniſteriali, quâ divina mandata exequuntur: in ordine autem ad hominem omnes res creatæ vel ſunt ſuperiores homine ut angeli, vel æquales ut homines, vel inferiores ut reliqua entia creata, in quibus entibus potiſſimum conſideranda venit in hac diſtinctione vita & fama hominis. Pro vita ergo

2 Advertendum eſt 2. dominari in vitam dupliciter poſſe attendi, ſcilicet circa ſeipſum, & circa alium; circa ſe ipſum ut occidendo ſe, ſicut fecerunt Donatiſtæ, qui & Circumcelliones dicti ſunt; nam ſi cenſuerunt eſſe genus martyrii ſe ipſum interimere, ideo variis modis ſe perimebant, ut refert S. Auguſtinus hæreſi 69. circa alium, ut quando unus privatus occidit alterum, vel reſpublica ſuum ſubditum, & tales occiſiones iterum poſſunt dupliciter fieri ſcilicet directè & indirectè; primo modo directa intentione mortis tanquam medii aſſumpti ad ſuum finem: ſecundo modo indirectè, ſcilicet per talem actionem, quæ conſequitur ſuum finem directè quæſitum absque occiſione alterius, quæ ei ſolùm per accidens eſt annexa, ut ſi quis directè intendens fugam diri tormenti aut alicujus incendii ſe per feneſtram præcipitet, vel in oppugnatione juſta civitatis ad quam expugnandam neceſſaria eſt conquaſſatio monaſterii, ubi quaſſatio monaſterii per ſe intedditur, indirectè verò contingit occiſio innocentum hominum in illo monaſterio contentorum. De hoc poſteriori modo convenientius dicemus diſtinct. ſeq.

3 Propoſitio 1. *Nulla res ſuperior aut æqualis cadit ſub naturale dominium hominis, licèt ſub ejus poſitivum dominium cadere poſſit.* Ratio primi eſt; quia dominium naturale eſt à natura datum jus perfectè diſponendi de re ſibi naturaliter ſubjecta ſinè alterius injuria; ſed nulla res ſuperior aut æqualis homini eſt naturaliter ſubjecta homini, cum omnis ſubjectio dicat inferioritatem reſpectu ejus, cui ſubjicitur, & hoc ipſo non eſſet ſuperior aut æqualis; imò cum ſuperior vel æqualis habeat proprium jus independens ab altero, ſic ſi inferior aut æqualis ei repugnet, id ſinè injuria fieri non poſſet: ergo. Hic accedit, quod licèt angelus ſit ſuperior homine, homo tamen non cadit ſub dominium naturale angeli, quia homo habet jus independens ab angelo, ideo injuriam illi faceret, ſi angelus contra voluntatem ejus de ipſo diſpnneret. Ratio ſecundi eſt; quia tam angelus quàm homo poſſent à lege Dei vel propria voluntate ſe perfectè ſubjicere homini, ſed dominium poſitivum eſt, cui tantùm legalis reſpondet ſubjectio ex voluntate & lege alicujus: ergo poſſunt cadere ſub domunium poſitivum hominis.

Nec dicas: omnes homines ſunt æqualis conditionis, & tamen aliqui dominantur & gubernant alios: ergo æquales poſſunt cadere ſub dominium aliorum æqualmm.

Reſpondeo diſting. antec. ſunt æqualis conditionis naturalis conc. æqualis conditionis politicæ neg. antec. diſting. conſequens: ergo poſſunt cadere ſub dominium naturale proprietatis neg. ſub dominium jurisdictionis & poſitivum conc. conſeq. nam dominium jurisdictionis dicit ſuperioritatem in regimine, in quo unus alterum poteſt excedere vel propria voluntate, ut in populo ſe ſubjiciente alicui regi, vel naturaliter ut pater habet naturale dominium jurisdictionis in filium, & vir in uxorem: de filiis ultra.

Propoſitio 2. *Filii cadunt ſub naturale dominium proprietatis parentum, dum ſunt ſub eorum poteſtate.* Ratio eſt; quia ex L. 2. C. de patr. qui fil. ſu. diſtr. licitum eſt patri in gravi neceſſitate filios vendere in ſervitutem, quod videtur eſſe ex jure naturæ Exod. 21. ergo: tum quia filius eſt pars & fructus patris: ergo parens jus habet ex eo percipiendi omnes utilitates, quas ipſe percipere poſſet, ſi ſui juris eſſet, ſed ſi filius ſui juris eſſet, poſſet pretium ſuæ libertatis percipere per juſtam venditionem, uti habetur L. 1. & 4. ff. quib. ad libert. procl. non licet: ergo & parens: tum quia eatenus unus homo non habet naturale dominium in alium, quatenus hic habet proprium jus independens ab alio, ſed filius quamdiu vivit ſub patria poteſtate nullum habet jus independens à patre: ergo pater habet naturale dominium in filium. 4

Nec dicas: ſi pater habet tale dominium in filium, poſſet licitè illum vendere etiam non urgente gravi neceſſitate; quia de iis, quorum ſumus perfecti domini ad libitum

poſ-

poſſumus diſponere; ſed hoc fieri nequit: ergo nec id unde provenit.

Reſpondeo neg. ſequel. nam etiam de bonis temporalibus, quorum ſumus perfecti domini nequimus ſine cauſa licitè diſponere, imò licèt jure naturæ permiſſivo poſſit parens ob quamcunque gravem neceſſitatem filium non emancipatum vendere, lege tamen citata eſt ſancitum, ne id fiat niſi propter nimiam paupertatem & victûs causâ, & non à matre ſed à patre tantùm.

5 Propoſitio 3. *Vita hominis non cadit ſub naturale dominium hominis, ſed tantùm ſub cuſtodiam & conſervationem ejus.* Ratio eſt; quia ſolus DEUS eſt dominus vitæ noſtræ, ut conſtat Sap. 16. *tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem:* ergo non homo: tùm quia dominium non eſt niſi in eas res, quas noſtra induſtria nobis poſſumus adſciſcere; has enim ſicuti poſſumus acquirere, ita etiam relinquere; ſed vitam nemo ſuâ induſtriâ poteſt acquirere, ſed ex liberali donatione DEI habemus ſub conditione, ut de illa non diſponamus ad deſtructionem, quod ratio naturalis dictat omnem naturam inclinare ad conſervationem ſui, & præceptum divinum ſtatuit, non occides: ergo. tum quia vita eſt fundamentum omnis dominii humani, antequam enim homo accipiat vitam, nullius dominii eſt capax, quia non eſt, ergo par non eſt, ut ipſa ſub dominio cadat, ſicut fundamentum omnium accidentium non poteſt eſſe quid accidentarium.

8 Nec dicas: quivis habet naturale dominium in propriam libertatem, quam non obſtante naturali inclinatione ad eam conſervandam poteſt vendere & deſtruera: ergo etiam non obſtante inclinatione naturæ ad conſervandam vitam homo habet naturale dominium in vitam ſuam, ideo Eccleſiaſt. 15. dicitur: reliquit DEUS hominem in manu conſilii ſui, ante ipſum vita & mors, ad quod vult porrigat manum ſuam.

Reſpondeo diſting. antec. quivis habet naturale dominium in libertatem uſualem conc. in libertatem radicalem neg. antec. hinc etiam nemo poteſt ſe licitè privare radice libertatis, ſed ſolùm uſu libertatis, & quidem tantùm ob majus bonum, ideo pari modo etiam vita uſuali nos poſſumus privare, non verò radicali; hinc ad illud Eccleſiaſt. diſting. habet poteſtatem phyſicam vitæ & mortis conc. facultatem juridicam ſeu moralem neg. nam certum eſt hominem phyſicè poſſe ſe deſtruere, cum poſſit cultro guttur præſcindere, hoc tamen illicitè facit contra omne jus morale.

Dices: occidens hominem peccat peccato injuſtitiæ, ſed non poſſet explicari cui fiat injuria, niſi homo habeat dominium vitæ: ergo. min. prob. ſi alteri fieret injuria vel fieret reipublicæ vel DEO, ſed non reipublicæ; quia ſi quis nullius eſſet reipublicæ v. g. eremita, talis licitè poſſet occidi; nec etiam DEO, quia nihil aufertur à DEO, quia ſi alicui aufertur equus, non fit injuria DEO, quia equus non ſurripitur DEO: ergo nec per ablationem vitæ aufertur aliquid à DEO.

Contra vel neg. min. nam etiam qui furatur pupillo, facit injuriam tutori, non tamen tutor ſed pupillus eſt rei dominus. Vel melius diſting. maj. peccat peccato injuſtitiæ reſpectu occiſi neg. reſpectu reipublicæ vel DEI, cui ſoli competit dominium vitæ conc. maj. vel adhuc aliter, ideo quia lædit dominium directum neg. ideo, quia lædit dominium utile conc. non ergo ſolùm illi fit injuria, qui habet dominium rei, ſed etiam uſufructuario & cuſtodi vitæ, qualis eſt ipſe homo & reſpublica.

Propoſitio 4. *Membra hominis non cadunt ſub naturale dominium hominis, ut ſe pro libitu poſſet mutilare vel caſtrare, niſi hoc neceſſarium fuerit ad totius corporis conſervationem & ſalutem.* Ratio primi eſt, quia dominium non 6
eſt, niſi in res diſtinctas; ſed membra æquè ſicut vita non ſunt quid diſtinctum à nobis, ſed vel pars noſtri vel ſubſtantia noſtra: ergo non habet eorum dominium, ſed ſolum uſum, & ideo homo præſcindens ſibi membrum violat charitatem ergà ſe, & infert injuriam communitati & DEO; hinc ſequitur non eſſe licitam caſtrationem ob caſtitatem vel vocem conſervandam: non ob caſtitatem; quia caſtratio importat præſens vitæ periculum, ut dicitur in Novell. 142. ſed nemo poteſt ſe vitæ periculo ſine cauſa neceſſitatis reipublicæ exponere, nec talis caſtratio in ullo caſu eſt ad animæ ſalutem neceſſaria, cum ſine deliberato in peccatum conſenſu admitti non poſſit, nec peccetur contra caſtitatem, ſi adeſt poſitivus diſſenſus tentationi: nec ob ſuavitatem vocis; quia aliàs hominis membra propria eſſent ex natura rei ſub abſciſſione venalia prout vitulina in macello, ſi propter lucrum pecuniarum ex ſuavitate vocis abſcindi poſſent, quod horret auditus: ratio vero ſecundi eſt; quia homo habet jus ordinandi & miniſtrandi ſua membra ad totius corporis bonum, & natura dictat melius eſſe partem perire quàm totum: ergo pot- 7
eſt membrum putridum præſcindere, ex quo totius corporis corruptio poſſet induci, ut patet in praxi de ſectis ob rupturam, qui non ſunt irregulares, ut notat Zoeſius de corp. vitiat. ordinand. & ideo vana eſt aliquorum ſimplicium opinio putantium tales ſectos Eccleſiaſticos debere partem exſectam portare in collo, vel in pulverem redactam deglutire, ut notat Gloſſa in C. *Eunuchus.* diſt. 55.

Nec dicas cum Origene in expoſit. verſûs Matth. 19. *ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum:* ergo caſtratio corporalis eſt neceſſaria ad ſalutem: tum quia homo uſufructuarius ſui corporis, ſed ſic poteſt rem meliorem facere tam ſpiritualiter pro-

propter caſtitatem quàm temporaliter propter perfectionem vocis: ergo.

Reſpondeo cum Baronio ad 1. neg. conſeq. nam Origenes ſapientiſſimus, in quibus benè, nullus melior, in quibus malè, nullus pejor ſcripſit, in præfato ergo loco peſſimè ſcripſit, ut patet ex rationibus propoſitionis: ad ſecundum diſting. maj. eſt uſufructuarius ſui corporis ſimpliciter neg. reſtrictè ad uſum vel non uſum à lege DEI permiſſum conc. maj. non autem eſt à DEO permiſſa ſed potius prohibita mutilatio corporis extra caſum neceſſitatis, unde ſicut non licet fornicari ad vitandam mortem, vel furari ad acquirendum ſtatum honorificum, ita nec ſe caſtrare ob rationem neceſſariam. Secundò diſting. min. uſufructuarius poteſt rem meliorem facere illæſa ſubſtantia conc. ſecus neg. min. niſi in quantùm id dominus ratificet; ſed nec mutilans ſubſtantiam corporis illæſam ſervat, nec DEUS id ratificat, cum tales mutilantes ſine cauſa dicantur inimici DEI, ut habetur Can. 21. Apoſtolorum: *qui ſibi amputavit virilia, Clericus non efficitur, ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi DEI.*

Dices: poteſt puella violentata ſemen tanquam injuſtum ſuæ pudicitiæ aggreſſorem in momento aggreſſionis expellere & deſtruere, ut tenet noſter Marchantius, ubi tamen aliàs expulſio ſeminis eſt illicita: ergo etiam poteſt vir ſemen tanquam injuſtum pudicitiæ ſuæ aggreſſorem per caſtrationem deſtruere.

Contra: diſparitas eſt, quia in primo caſu ſervatur moderamen inculpatæ tutelæ, cum nullum aliud medium ſuppetat virgini ad ſuam integritatem carnis ſervandam, quàm eodem impetu expellere ſemen tanquam injuſtum aggreſſorem pudicitiæ, in ſecundo verò caſu ubi proprium ſemen eſt incitans ad lædendam caſtitatem, plura ſuppetunt defenſionis remedia, ut mortificatio, jejunium &c. imò ſolus voluntatis diſſenſus ac diſplicentia, converſio imaginationis in alia objecta, ut pœnas inferni, judicium extremum, præſentiam angeli cuſtodis, B. Virginis, eorùmque invocatio &c. his poſitis:

7 Aſſero 1. *Sine divina authoritate non licet ſe ipſum directè occidere.* Eſt Scoti in 4. diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.* eſt contra Donatiſtas.

Probatur 1. Occiſio ſui ipſius abſque authoritate DEI eſt contra jus naturale: ergo nunquam eſt licita antec. prob. lumine naturæ facilè intelligere poſſumus DEUM omnia, quæ ad humanum commercium pertinent, produxiſſe gratiâ hominis, ideo in Geneſi dixit ad Adamum: tu dominaberis beſtiis terræ & piſcibus maris &c. ipſum verò hominem creâſſe gratia ipſius DEI, ut DEO juxta placidum ipſius ſerviat, ab eo leges accipiat & ipſum colat, ac huic obſequio præſtando tamdiu ſit obnoxius, quamdiu Domino placuerit, ſine cujus ſpeciali conſenſu non habeat facultatem ſeſe ullo modo inhabilitandi ad quæcunque DEI obſequia ab ipſo petita; cùm hoc ſit de perfectiſſimo conceptu dominii DEI in creaturas rationales & de eſſentiali conceptu ſervitutis creaturæ rationalis: ergo naturali ratione videtur DEUM, ut poſſit pro libitu ſuam juriſdictionem exercere, non voluiſſe conferre homini dominium vitæ, ſed ſolum uſumfructum ſalvâ rei ſubſtantiâ.

Probatur 2. Directa occiſio ſui ſine divina authoritate eſt contra jus poſitivum divinum: ergo non licet. antec. prob. tum quia 7 Exod. 20. præcipitur: non occides, ubi prohibetur occiſio cujusvis hominis ſine legitima authoritate; ſed nemo habet authoritatem in ſe ipſum, cum non ſit ſe ipſo Superior: ergo. tum quia præcipitur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum, ubi dilectio noſtri conſtituitur menſura dilectionis proximi; ſed non licet occidere proximum ſine authoritate in ipſum, ut dicemus in Aſſert. ſeq. ergo nec ſe ipſum, nam hoc eſt ſummi odii ſignum.

Obſervandum tamen eſt additum fuiſſe in Aſſert. ſine divina authoritate, nam S. Apollonia ſe ipſam in ignem præparatum inijciens, & Samſon columnas domûs convellendo ſe ac Philiſtæos opprimens, non ſunt arguendi culpæ, imò laudandi; quia hoc fecerunt ex ſpeciali inſtinctu Spiritûs Sancti & ejus authoritate, quod in Samſone inde probatur; quia peculiares ac ſupernaturales vires ad columnas rumpendas ipſi contulit DEUS.

Objicies: optare ſibi mortem, ſi ſaltem 8 aliqua cauſa ſubſit, non eſt ſignum odii aut illicitum: ergo nec ſibi inferre mortem.

Reſpondeo neg. conſeq. multa enim ſunt, quæ nobis aliisque optare poſſumus, ut nimirum licito modo contingant, quæ tamen non poſſumus inferre, ſic malefico poſſum imprecari promeritum ſupplicium, non tamen poſſum inferre, ſimiliter poſſum optare multa pro Chriſto pati, quæ tamen non poſſum inferre aut procurare.

Dices: qui voluntariis corporis afflictionibus & mortificationibus utitur cum periculo notabilis abbreviationis vitæ ſe ipſum occidit; ſed talis non eſt damnandus peccati: ergo.

Contra neg. min. non enim hoc licet, niſi probabilitas ſit in oppoſitum & quidem major de non abbrevianda vita; nam aliàs homo non ageret fideliter officium adminiſtratoris ſuæ vitæ, ſi verò non eſt periculum notabilis abbreviationis, tunc non peccat contra juſtitiam, aliàs infinitæ actiones piorum eſſent damnandæ; unde meritò fuit à Theologis Romæ reprobatum judicium Medicorum aſſerentium juvenem quemdam nobilem minus firmæ valetudinis teneri egredi ex novitiatu, ut poſſit delicatioribus cibis uti in ſæculo, qui tamen à Summo Pontifice ſuo arbitrio relictus manſit in religione, ſed medicas curas fallaces eſſe comprobavit, cùm mul-

tis

tò melius poſtea in religione valeret, quàm valuiſſet in ſæcularibus deliciis ait Lugo.

Dices: ſi duo ſint in extrema neceſſitate conſtituti, poteſt licitè unus ex officio charitatis alteri concedere panem, quo vitam ſuam poteat tueri, & permittere ſe emori, ſic etiam ſe objicere telo ad conſervandam vitam Principis, vel alterius amici: ergo licita eſt ſui ipſius occiſio.

Contra diſting. antec. licita eſt occiſio ſui directa neg. indirecta & ſolùm ex rationabili cauſa conc. conſeq. quia ille in neceſſitate relinquens alteri panem directè non intendit ſe ipſum interimere, ſed ex juſta cauſa ob charitatis officium erga proximum, vel pietatis erga patriam vel Principem intendit hos conſervare, ex quibus indirectè ſequitur perditio ſuæ vitæ, quod licitum & honeſtum eſt, ut patet in iis, qui inſerviunt peſte infectis, licèt ſe putent interimendos; cujus ratio eſt, quia nullum exſtat præceptum, ne vitam ſuam quis exponat aliquando periculis, ſed ſolùm ne ex intentione ſibi auferat vitam; vel irrationabiliter exponat eam periculis.

9 Aſſero 2. *Abſque authoritate divina nec homini privato nec reipublica unquam licet aliquem innocentem directè occidere.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.*

Probatur ratione Scoti: Lex DEI, cui ſolummodò dominium in vitam competit, abſolutè prohibet occidere innocentem, ut colligitur Exod. 23. *inſontem & juſtum non occides, quia averſor impium;* ſed nulli inferiori licet in lege Superioris diapenſare: ergo nullus homo vel nulla lex poſitiva, conſtituens hominem occidendum, poteſt juſtè id præcipere in illis caſibus, quos DEUS non excipit, ſed nunquam ab hac generali prohibitione in ullo caſu excipit iñocentem, ubi tamen multos alios excepit, ut blaſphemum, homicidam, adulterum &c, ut habetur Exod. 21. ergo. Hinc patet talem occiſionem alicujus innocentis nunquam cohoneſtari poſſe vitatione majoris mali, ut excidium totius regni, nam hoc tantum eſſet malum phyſicum reſpectu regni, occiſio verò innocentis eſſet malum morale & peccatum, potius autem eſt eligendum malum phyſicum quàm morale, quod eſt contra DEUM; unde in hoc principio fundatur axioma Apoſtoli ad Rom. 3. *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

10 Objicies: ſi tyrannus reipublicæ invaſor petat à Principe interfici aliquem innocentem, aliàs totam rempublicam devaſtaturus, tunc poſſet Princeps ad avertendam ruinam omnium talem innocentem interficere: ergo. antec. prob. reſpublica habet poteſtatem ad juſtam ſui defenſionem, & ſuos cives exponendi manifeſto vitæ periculo, ut patet in bello: ergo etiam habet poteſtatem ob ſui defenſionem interficiendi civem innocentem, præſertim ſi ipſe occidi velit.

Reſpondeo neg. antec. ad prob. conc. antec. neg. conſeq. diſparitas eſt; quia expoſitio civium manifeſto periculo mortis eſt actio, quæ non eſt directa ſublatio vitæ ſeu interfectio, benè tamen illa immediata interfectio civis innocentis, cum directè & immediatè tendat ad ſublationem vitæ innocentis, ſuper quam nullus præter DEUM poteſtatem habet, nec ipſe innocens utpote non dominus ſed ſolùm cuſtos vitæ poteſt tali juri cedere, quod ipſe non habet, unde DEUS hanc directam interfectionem ſemper prohibuit, non autem illam indirectam, adeóque immediata actio exponendi cives periculo certo non eſt civium interfectio, ſicut immediata conquaſſatio turris hoſtium, ubi multi innocentes continentur, non eſt interfectio, ſed turris demolitio, ad quam permiſſivè tantùm ſequitur innocentium interitus. De his plura diſt. ſeq. q. 5.

Dices: habet quis naturale jus ad evitandam totius ſuppoſiti deſtructionem abſcindendi ſibi membra etiam ſana & valida: ergo etiam reſpublica civem ſanum & innocentem.

Contra negant aliqui antec. ſcilicet licere ſibi oculum eruere, ut mortem à tyranno intentatam evitet, ſi ipſi tyrannus optionem daret, ut ſibi vel oculum eruat, vel capite plectatur. Sed tranſmitto antec. & neg. conſeq. diſparitas eſt, quia oculus vel manus non eſt per ſe proprii juris & injuriæ capax, ſed totum eorum eſſe eſt in ordine ad ſuppoſitum cujus ſunt partes; aſt cives ita ſunt partes reipublicæ, ut ſint etiam integra ſuppoſita per ſe proprii juris & injuriæ incapacia: hinc licèt ſit majus bonum conſervatio reipublicæ quàm unius ſuppoſiti, medium tamen quo procuratur defenſio ſuppoſiti per erutionem oculi eſt licitum; quia nulli fit injuria, membra enim ſunt tantum propter conſervationem ſuppoſiti, non autem medium, quo per interfectionem alicujus civis procuratur defenſio reipublicæ, quia per hoc fit injuria innocenti; adeóque ad juſtam defenſionem non ſolùm attendendum eſt bonum, quod procuratur, ſed etiam medium, quò procuratur, cum nequeat finis honeſtus per mala media procurari.

Dices: in eo caſu ipſe innocens lege charitatis & juſtitiæ legalis tenetur ad liberandam rempublicam ſe ipſum morti ſubjicere, cum bonum privatum debeat cedere bono communi; ſed licitè poteſt reſpublica ſuos cives cogere, ad quod ipſi naturali jure obligantur: ergo poteſt ipſum immediatè ſubjicere morti.

Contra diſting. conſeq. poteſt ipſum cogere ad ſubeundam mortem immediatè & directè ferendo & exequendo ſententiam mortis neg. indirectè & mediatè ſolùm illi præcipiendo ut ſe tyranno ſubjiciat, vel illum tyranno tradendo conc. conſeq. ſed de hoc plura in diſt. ſeq. q. 5. interim his

Addo 1. Nullo modo licere directè procurare abortum fœtûs ad conſervandam ma- 11

mam puellæ aut totius religionis, ſi ſit perſona religioſa, nec etiam ad conſervandam vitam, ſi aliàs ut gravida deprehenſa à parentibus occidenda foret: ratio eſt; quia ſi fœtus non eſt animatus, tamen ejus expulſio eſt intrinſecè mala, cum jam fruſtretur ſuo ſine naturali, ſicut alia effuſio ſeminis voluntaria ut pollutio, quæ in nullo caſu eſt licita, quæ paritas benè notanda eſt, ſi verò fœtus eſt animatus & expellitur, tunc innocens occideretur ac eſſet homicidium, ideo C. *ſi quis.* de homicidio, dicitur: eum qui fecit quod mulier non poſſit concipere vel generare, eſſe ut homicidam tenendum; ideo Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur aut infametur.* & pariter hanc: *videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc incipere eam habere, dum paritur, ac conſequenter in abortu non committi homicidium.* Adeóque ſi religioſus talem abortum procuravit, & fœtus fuit animatus, factus eſt irregularis & excommunicatus, cum verum hominem occiderit, imò licèt etiam ſolùm dediſſet conſilium ad abortum, quamvis poſtea revocet, ſi tamen puella ſibi procuravit abortum, adhuc eſt irregularis, cùm tale conſilium verè influxerit in abortum, ſi verò fœtus non fuerit animatus, tunc poſt Gregorium XIII. non eſt irregularis, quamvis Sixtus V. ſtatuerit talem etiam eſſe irregularem, nam in tali caſu verè non occiditur homo, niſi fortè ſequatur mors matris: variæ autem ſunt Medicorum & Theologorum ſententiæ, quonam tempore fœtus in utero incipiat animari, ut videre eſt apud Leſſium, communior autem ſententia eſt, fœtum poſt ſuam completam efformationem ad ſummum poſt tres dies animari, efformationem autem fœtus maſculini poſt conceptionem mulieris ad ſummum trigeſimo vel trigeſimo quinto die fieri, fœtus verò fœminini ad ſummum quinquageſimo vel ſexageſimo die, quod deſumitur ex tempore purificationis, quod puerperæ tenentur ſervare ex Levit. c. 12. ſcilicet poſt partum maſculi triginta tribus diebus, poſt partum verò fœminæ ſexaginta ſex.

Addo 2. Directè ſumere medicinam ex natura ſua ſolùm ordinatam ad ſanitatem & non ad expulſionem fœtûs gravidantibus eſſe licitum; quia tunc abortatio ſolùm cenſetur permiſſa non procurata, cùm id indirectè & præter intentionem ſuperveniat matri ſuo jure utenti, ſicut ſi valetudinis causâ utendum ſit medicamento vel certo cibo aut potu unde pollutio ſecutura putetur, quæ nullo modo intenditur, cenſetur ſolùm permiſſa & per accidens evenire. Addunt probabiliter Doctores ſi aliud remedium curativum præter medicinam etiam abortum facientem non adſit, talem poſſe directè adhiberi, licèt procuretur abortus; quia in tali caſu fœtus eſt quaſi aggreſſor matris & cauſa mortis, niſi expellatur, & hoc præſertim poteſt eſſe verum, ſi fœtus non ſit animatus, ſi verò ſit animatus dicit noſter Marchantius, & ſi ex judicio Medicorum ſit ſpes quod abſtinendo à tali medicina infans poſſet egredi, ut baptizetur, ſumendo verò medicinam infans moriatur, tunc mater peccaret mortaliter contra charitatem medicinam ſumendo; quia ſalus æterna prolis præferenda eſt vitæ temporali matris. Cæterum ſi fœtus jam eſſet corruptus, ob ſanitatem ſervandam directè poterit expelli, quia tunc non amplius habet nomen fœtûs, ſed molis & maſſæ malignæ.

QUÆSTIO II.

An Judex furem ſimplicem & alium ſecundum allegata & probata reum, quem tamen privatâ ſcientiâ ſcit innocentem, poſſit ad mortem condemnare?

ADvertendum eſt 1. Certum eſſe de fide contra aliquos hæreticos imprimis contra Manichæos licitum eſſe hominibus in ſuos uſus plantas & animantia interimere, quia Gen. 1. dicitur: ecce dedi vobis omnem herbam adferentem ſemen ſuper terram, & ultrà dominamini piſcibus maris &c. ergo cum hominibus à DEO detur dominium in omnes res inferiores poſſunt eas interimendo in ſuos uſus convertere: obſervat tamen Leſſius etiamſi liceat animantia occidere, abſtinendum tamen eſſe à crudelitate, ne ſine cauſa doloribus afficiantur, aliàs eſſet abuſus dominii, & in hac re poterit venialiter peccari: ſecundò contra Boldenſes dari legitimam poteſtatem in republica aliquos maleficos è medio tollendi, nam DEUS mediante dictamine naturalis juris conceſſit communitatibus poteſtatem utendi mediis ad ſuam conſervationem neceſſariis, ſicut cuilibet privato homini hoc competit, ſed inter hæc media eſt extirpatio maleficorum; hinc eſt, quod rei etiam extra ſtatum gratiæ poſſent occidi, quando ſufficienti tempore pœnitendi conceſſo ſua malitia pœnitere recuſant, cum judicis officium principaliter bonum reipublicæ non ipſius nocentis reſpiciat, quod utique periclitaretur, ſi malefici permitterentur vivere, adeóque hi ſibi imputent ſuam damnationem, ſimiliter rectè poſſent occidi ſubditi, ſi turbant reipublicæ quietem, nec à ſuo legitimo magiſtratu poſſunt cohiberi, aut nec pro illatis damnis præſtant ſatisfactionem, cum multùm interſit boni communis tam ab extrinſeco quàm intrinſeco habere ſecuritatem: tandem etiam quando Summi Principes dant licentiam generalem cuilibet privato homini homines proſcriptos ſeu banitos occidendi, hi licitè occiduntur, quia tunc 1

homo

homo privatus non aliter, quàm à poteſtate publica, & ſententiâ juſtâ, cùm alia via non ſit conſulendi reipublicæ, interficit nocentem.

2 Advertendum eſt 2. Scotum in 4. Diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.* docere de occiſione & mutilatione juſtè poſſe ſtatui pœnam talionis, nempe ejuſdem damni patiendi, quia non eſt facilè ut pro talibus damnis illatis homini fiat compenſatio æqualis per aliqua bona fortunæ; quia non æquivalent bonis vitæ & membrorum: ſimiliter concedit poſſe ſtatui quod blaſphemus, adulter, idololatra deberent occidi, ut fuit juſtè ſtatutum à Deo in lege antiqua, non quidem quod lex Moſaica quoad hoc maneret, ſed prout à communitatibus de novo rationabiliter approbaretur aut ſtatueretur, & hoc multo juſtius ordinaretur, quàm ut fur ſuſpendatur, ſed cum Princeps plus aſpiciant ad commodum temporale quàm ad honorem Dei dicit Scotus, ideo plus reprimere volunt peccatum in proximum quàm in Deum: cæterùm defacto pro ablatione vitæ regulariter in multis communitatibus juſtè ſtatuta eſt lex talionis, ut ſcilicet homicida moriatur; quia hoc non ſolùm competebat legi Moſaicæ & naturali, ſed etiam confirmatum eſt in lege Evangelica à Christo Matth. 26. omnis qui gladio occidit, gladio peribit, unde ſi in aliqua communitate pro homicidis non eſſet ſtatuta talis pœna, nullus deberet homicidam occidere ſine ſpeciali Dei præcepto, ſed tamen ei expediret, quod vitam ſuam exponat in cauſa juſta v. g. contra inimicos Eccleſiæ, pro reſtitutione facienda illi, cujus vitam abſtulit: pro mutilatione verò defacto non eſt ſtatuta alia pœna regulariter quàm pecuniaria tam pro injuria, damno, & curatione.

3 Advertendum eſt 3. Scotum citatum docere non quosvis peccatores poſſe à poteſtate publica occidi, ſed eos tantùm, quos Deus in lege antiqua expreſſit, quia Deus Exod. 20. & Matth. 5. abſolutè & generatim prohibet hominis occiſionem: *non occides:* ergo non licet quemvis occidere, quantumvis malus ſit, niſi Deo diſpenſante in ſuo præcepto; ſed Deus ſolùm diſpenſavit circa quosdam peccatores, quos excepit Exod. 22. & alibi, & ideo, quia fures non excepit, ſed eis aliam pœnam ibi ſtatuit, ideo non videtur, quod iſti juſtè poſſint occidi; conſiderat autem ibi furem dupliciter, primò ut eſt fur ſimplex ſeu in ſe ſine aliqua circumſtantia aggravante, & ſecluſo omni alio periculo & damno præter ſolam rem fortunæ ablatam; ſecundò ut eſt cum aliqua circumſtantia aggravante, quæ circumſtantiæ ſunt magna quantitas rei ablatæ, frequentia furti, magna rei ablatæ neceſſitas, dignitas loci, turbatio Reipublicæ &c. ideò Scotus ſolùm loquitur de furto ſolo, quia ſi eſt fur & ſimul invaſor præſumitur occidere velle, & ad hoc paratum eſſe, ſi aliquis reſiſtat, ut patet Exod. 22. de fure nocturno & diurno ubi conceditur furem nocturnum impunè occidi, qui autem intrantem de die ad furandum occidit, eſt homicidii reus; cujus ratio eſt, quia præſumitur, quod qui de nocte furatur, occideret ſibi reſiſtentem, ſi poſſet, non autem qui de die intrat, cum ſemper poſſit diſcerni quod ad furandum venerit, & non ad occidendum.

Advertendum eſt 4. ſecundam partem quæſtionis non poſſe melius declarari, quàm 4 ex Chronica Franciſcana per exemplum de S. Conrado tertii Ordinis S. P. Franciſci, qui antequam Ordinem ingreſſus eſt, juſſit in venatione accendi vepres, ſed graſſante plus quàm putabatur, incendio multæ ædes igne conſumptæ ſunt, totius autem damni confeſſio vi tormentorum expreſſa eſt à pauperculo aliquo ruſtico rectè illo tempore in agro vicino deprehenſo; in quo caſu quæritur, an ſi ipſe Conradus fuiſſet judex Placentiæ potuiſſet illum confitentem ruſticum ſciens innocentem & ab aliis ſufficientibus in foro externo teſtimoniis convictum condemnare ad mortem. Ante cujus deciſionem tanquam omninò certum habetur primò, quod judex debeat omnia poſſibilia media adhibere ad liberandum reum v. g. diligentius, ſæpius, & cautius examinando proceſſum, teſtes &c. ſimili dexteritate ſicut propheta Daniel duos ſenes accuſatores Suſannæ: Secundò, cuſtodiam ita negligenter ordinando, ut reus poſſit fugere, differendo judicium: tertiò, reſignando officium judicis, agendo teſtem de notitia innocentiæ probando eam: quartò, remittendo ad judicem ſuperiorem, vel ſi ipſe ſupremus ſit, tenebitur abſolvere reum; quia ipſe poteſt diſpenſare in lege & ordine juris; cùm ergo habeat paratum remedium ad liberandum innocentem, illud adhibere tenetur. Ex quibus patet rariſſimè poſſe caſum contingere, quo judex non poſſit liberare innocentem, quamvis juridicè convictum, nihilominus tamen ponitur caſus abſolutè, ubi nihil præcedentium fieri poſſet, & judex neceſſariò debeat agere judicem, annè poſſit illum condemnare? His notatis.

Propoſitio 1. *Si fur deprehenſus ſublata reſtituat, non poteſt contra illum privata au-* 5 *thoritate agi.* Ratio eſt; quia non habemus jus de illo vindictam ſumendi, cum hoc pertineat ad ſolam publicam poteſtatem, nos vero ſolummodo habemus poteſtatem recuperandi noſtra; hinc ſequitur, quod fur jure & juſtè ſe pro tunc contra nos defendere & ſe opponere poſſet.

Nec dicas: fur rem auferendo non tantùm domino aliquid abſtulit, ſed etiam illi fecit injuriam: ergo ſicut privata authoritate poſſumus rem noſtram recuperare, ita etiam adhuc ultrà poterimus injuriam vindicare,

Reſpondeo diſting. antec. ſed etiam injuriam indiſtinctam à re ablata conc. diſtinctam

neg. antec. adeóque recuperata re injuriam punire eſſet vindicta, niſi forte adhuc alias injurioſas poſuiſſet actiones, quæ etiam in flagranti poſſunt vindicari. NB. in flagranti, nam pro tunc non eſt propriè vindicatio ſed reſiſtentia & defenſio contra iniquum aggreſſorem in honore; aliàs verò vindicatio ſolùm eſt penes communitatem, adeóque cum per furta potiſſimum fiat injuria communitati, eum turbetur pax ejus, ideo ſolùm communitas habet authoritatem furta vindicandi.

6 Propoſitio 2. *Nullus judex ſive ſuperior ſive inferior poteſt aliquem reum damnare, niſi ſit per allegata & probata, vel propriam confeſſionem convictus, licèt etiam judex privatâ ſcientiâ ſciat verè reum.* Ratio eſt; quia judex debet ſervare ordinem juris, id eſt, debet ſecundum allegata & probata judicare, nam quamdiu reo ſit injuria, non poteſt judex illum damnare, ſed neglecto juris ordine ſcilicet ſine examinata cauſa damnare reum eſt ei injuria cùm ſemper retineat innocentiam juxta illud juris: nemo habetur malus, donec probetur malus; hinc fortè cum Haunoldo non eſt approbandum illud factum alicujus Regis Angliæ, qui in flagranti reperit Reginam cum ephebo, quos ambos occultè absque omni ordine juris occidi permiſit, imò licèt crimen conſtaret Principi, non tamen conſtat reipublicæ, quæ non vult dare poteſtatem Principi in caſu ſibi ignoto, aliàs poſſet univerſaliter Princeps ex privata ſcientia judicare.

Nec dicas: conſuetudo PP. Societatis eſt ſingulis annis coram ſuo Superiore ſe accuſare de omnibus peccatis totius anni extra confeſſionem, ſecundùm quam notitiam à Superiore judicantur: ergo ſinè ordine juris poteſt judicare.

Reſpondeo diſting. conſeq. poteſt univerſaliter neg. in aliquibus caſibus ſpecialibus conc. conſeq. adeóque illud ſtatutum PP. Societatis legitimatur tum ob confirmationem Sedis Apoſtolicæ, tum propter ſententiam probabilem quòd quilibet ſit dominus ſuæ famæ, adeóque poſſunt ſinguli è Societate in ſua profeſſione perſonaliter renuntiare ſuæ famæ & juri, quod habent in ejus defenſionem & transferre in Superiorem jus in famam: imò etiam juxta Leſſium contraria ſententia in alio caſu ſcilicet criminis atrocis poteſt habere probabilitatem, ſi enim crimen ſit valdè atrox & expediat multùm auctorem puniri, nec tamen conveniat rem vulgari ob infamiam conjunctam, ut ſi quis vim Reginæ vel filiæ Regis intuliſſet, ſolùsque Rex id ſciret, in tali caſu videtur reſpublica conſentire.

7 Propoſitio 3. *Si in juris ordine innocens tanquam reus accuſatus, ut graves effugiat torturas, falſum crimen ſibi impoſitum fateatur, ita ut det cauſam ſuæ mortis, probabiliter non peccat mortaliter.* Ratio eſt ex Diana, quia vita non cenſetur digna tantis cruciatibus, cùm ex multorum exiſtimatione facilius ſit vitam ipſam amittere, quàm tantos cruciatus ſuſtinere, ideo ex duobus malis juſtè eligit minus, quorum utrumque ipſi innocenti eſt phyſicum, cùm ob tantos dolores & anxietates non ponat ſufficiens voluntarium & liberum ad peccatum requiſitum: ergo.

Nec dicas cum aliis: talis, præterquam quod mentiatur in re gravi, non poteſt eſſe author propriæ mortis imponendo ſibi crimen falſum, ſicut non poteſt eſſe author mortis alterius per crimen ei falſo impoſitum, cùm dilectio ſui ſit regula dilectionis alterius: ergo.

Reſpondeo ad hoc talem excuſari à mendacio propter reſtrictionem mentalem, cum illud ſolùm fateatur tanquam verum ad evitandos maximos dolores, non verò tanquam verum à parte rei, & nego talem in ſimilibus circumſtantiis non poſſe eſſe authorem propriæ mortis eligendo minus malum præ majori, hoc autem in talibus cruciatibus reſpectu alterius nequit facere, cum non ita ſibi ſicut aliis poſſit fieri injuria.

Propoſitio 4. *In cauſis civilibus poteſt judex de re pecuniaria condemnare innocentem ſecundùm allegata & probata in foro externo convictum nocentem.* Ratio eſt, quia 8 reſpublica in conſervationem recti regiminis ac publici in judicando ordinis poteſtatem habet de bonis ſuorum civium diſponendi: ergo ne rectum regimen ac publicus ordo in judiciis cum ſcandalo communitatis turbetur, poteſt judici poteſtatem concedere, ut in cauſis civilibus ferat ſententiam ſecundùm allegata & probata circa notum innocentem ſcientiâ privatâ; nam in tali caſu ordo publicus præponderat privato damno innocentis, nec hic propter bonum commune poteſt rationabiliter eſſe invitus, uti etiam ſit in præſcriptionibus.

Nec dicas: bono communi etiam debet cedere bonum privatum vitæ, ut patet in bello, ergo etiam in cauſis criminalibus de pœna capitis ob publicum ordinem judiciorum poſſet condemnari innocens ad mortem, ſi juridicè probatur reus; ſed hoc non admittitur in Aſſert. 2. ergo nec hic eſt ſimile quid admittendum in cauſis civilibus.

Reſpondeo diſting. antec. debet cedere bonum vitæ, ita ut directè poſſet quis occidi innocens, uti fieret ab illo judice neg. debet cedere ita ut indirectè occiſio ſequatur conc. antec. ſi diceres etiam judicem ſolùm indirectè occidere innocentem; quia directè ſolùm conſervat bonum publicum per debitum ordinem judicandi publicè tunc nego hoc, uti patebit in object. ad Aſſert. 2. adeóque ad cauſas civiles & pecuniarias diſparitas eſt; quia in his poteſt dari remedium reſtitutionis in integrum, & communitates habent dominia rerum, in cauſa autem criminali de vita & mutilatione non poteſt amplius ſuffragare remedi-

um

um reſtitutionis in integrum, & ſolus Deus eſt dominus vitæ & membrorum.

9 Propoſitio 5. *Poteſt judex innocentem publicè probatum infamem declarare infamem, etſi illum in privato ſciat innocentem.* Ratio eſt, judex poteſt ferre ſententiam ſecundùm allegata & probata, quando ad talem ſententiam ferendam habet authoritatem; ſed in caſu poſito habet authoritatem: ergo. Min. prob. tum quia talis pœna non eſt mortis aut mutilationis, in quam non niſi Deus habet poteſtatem: tum quia judex per talem ſententiam non eſt cauſa infamationis, ſed teſtes, qui ante ſententiam per publica teſtimonia in foro externo illum proclamant infamem, nihilominus debet adhibere omnia media, quæ licitè poteſt, ut damnati innocentia publicè innoteſcat, ſi tamen per ea nihil efficeretur, non tenetur judex officium deponere, ſed poteſt judicare.

Nec dicas: vita & fama pari paſſu ambulant, ut habet commune axioma: ergo cum judex non poſſit ferre ſententiam mortis de innocenti, nam poſitivè influeret in occiſionem, nec poterit etiam ferre ſententiam infamiæ, quia poſitivè influeret in diffamationem plenam & perfectam, cùm teſtimonia teſtium non adhuc ab aliis habeantur pro tam efficacibus ſine ſententia judicis.

Reſpondeo diſting. antec. pari paſſu æſtimativè conc. reparativè neg. antec. nam ablata fama ſaltem adhuc alio tempore poteſt reſtitui, nunquam autem ſemel ablata vita, imò illud axioma ſolùm vult, quòd præſtantia famæ proximè accedat ad vitam tanquam medium inter vitam & bona fortunæ, ut potiùs conſerenda ſit cum vita, quàm cum bonis fortunæ juxta illud vulgare: omnia ſi perdas, famam ſervare memento. His propoſitis:

10 Aſſero 1. ad quæſt. *Judex non poteſt furem ſimplicem propter ſolum furtum pœna mortis vel ſuſpendii punire.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.* contra plurimos alios.

Probatur 1. nulla lex vel ſententia poteſt eſſe juſta, niſi deſcendat à lege divina, cùm omnis lex poſitiva ſit participatio legis æternæ; ſed ſententia, quâ judex puniret furem ſimplicem pœna mortis, non poteſt deſcendere à lege divina: ergo. Min. prob. lex divina univerſaliter ſtatuit: non occides; ſed nullus inferior poteſt licitè diſpenſare in lege Superioris: ergo nulla ſententia poſitiva alicujus judicis conſtituens hominem occidendum poteſt eſſe juſta, & deſcendere à lege Dei, niſi circa illos homines, quos Deus ipſe excipit; ſed Deus non excepit furem ſimplicem, ubi tamen multos alios excepit Exod. 22. nempe blaſphemum, adulterum, furem nocturnum, homicidam &c. nam non habetur talis exceptio in ſcriptura de fure ſimplici, nec de talis exceptionis Bulla de cœlo deſcendente audivimus dicit Scotus: ergo.

Reſpondent Adverſarii neg. min. ad ejus probam dicunt Deum ſaltem implicitè etiam excepiſſe furem, cum dederit communitati poteſtatem ſe in jure conſervare, quod multoties fieri non poterit, niſi è medio tollantur fures & malefactores.

Contra eſt tam ex lege antiqua, quàm ex evangelica: ex antiqua; quia ibi potius Deus explicitè & manifeſtè oſtendit ſe nolle excipere furem, nec velle eum plecti morte, quia infligit furi aliam pœnam, ſcilicèt ut reddat in duplo, quadruplo, vel ſi non habet, ut fur vendatur in ſervitutem, ut videre eſt Exod. 22. ex lege evangelica pariter magis videtur per miſericordiam evangelicam talis rigor revocatus, quàm rigor contra adulterum; quia peccatum furti eſt multò minùs quàm adulterium; atqui pœna de adulterio eſt revocata in illo Joann. 8. *Nemo te condemnavit mulier, nec ego te condemnabo, vade, jam amplius noli peccare:* ergo multo magis cenſeretur revocatus rigor contra furem, ſi dato non conceſſo fuiſſet ſtatutus in lege antiqua.

Probatur 2. in auth. collat. 19. tit. 17. c. 13. dicit Imperator Juſtinianus: *pro furto autem nolumus quodlibet membrum abſcindi aut mori, ſed aliter furem caſtigari:* ergo. Hinc etiam Turcæ pro prima vice furem verberant, ſecunda vice amputant manum, tertia vice pedem; ecce etiam infideles ſtant pro ſententia Scoti.

Probatur 3. pœna debet proportionari delicto; ſed bona externa fortunæ v. g. decem floreni ſunt infima intra omnia bona noſtra: ergo fieret injuria pro re furto ablata vitam tollere, cum recta ratio dictet non debere infligi pœnam mortis, niſi pro delictis, in quibus proximo infertur irreparabile damnum.

Objicies: licitum eſt ex jure divino reipublicæ occidere maleficos, blaſphemos, adulteros, Sabbatum violantes: ergo etiam furem ſimplicem, præſertim cùm id etiam Deus præceperit Joſue 7. ubi juſſit Achan, qui fuit fur diurnus & abſtulit pallium, & aliquid argenti & auri, lapidari & comburi. 11

Reſpondeo neg. conſeq. quia ſolùm licitum eſt eos malefactores occidere, quos Deus excepit ab illa univerſali lege non occides, de qua furem ſimplicem non excepit, hinc in illo Joſue Achan non fuit occiſus propter furtum ſolum, ſed propter Sacrilegium, quia Deus ſpecialiter præcepit, ut nullus aliquid accipiat de ſpoliis Jericho, ſed ut omnia comburantur præter argentum & aurum, quæ voluit, ut ſibi ſacrificentur, & ponantur in ærarium Domini, Achan autem contra hoc mandatum abſcondit aliquid argenti & auri, & ideo juſſit eum Dominus interfici.

Dices: de jure naturæ eſt conceſſa poteſtas puniendi malefactores ut ad Rom. 13. ſed fures ſunt tales: ergo.

Contra diſting. maj. poteſtas puniendi male-

malefactores pœna proportionata culpæ conc. pœna excedente culpam neg. maj. pœna autem proportionata furto ſimplici & in ſe conſiderato non eſt mors, nam commutatio vitæ pro bonis fortunæ non eſt æqualis commutatio, in illo autem ad Rom. 13. ſtatim ſubjungit Apoſtolus de Principe, Dei enim miniſter eſt, ex quo patet, quod non poſſit condere legem in fures contrariam legi Divinæ, ideo Principes & reſpublica ſolùm habent poteſtatem puniendi malefactores proportionatè & ſecundùm legem divinam.

Dices: leges municipales damnant fures ad patibulum: ergo licitè furem ſimplicem occidunt.

Contra neg. conſeq. quia quando tales leges jubent fures morte affici, non loquuntur de ſimplici furto ſed circumſtantionato ex neceſſitate defenſionis reipublicæ ab invaſoribus & latrociniis; unde per tales leges non damnantur ob furtum præcisè in ſe conſideratum, ſed ob damnum & periculum reipublicæ.

Dices: pars eſt propter totum: ergo ad conſervationem totius licitè poteſt pars abſcindi; ſed fur eſt pars reipublicæ: ergo.

Contra diſting. conſequens: poteſt abſcindi eo modo quo neceſſe eſt ad conſervationem totius conc. alio quocunque modo neg. conſeq. nam aliàs argumentum nimium probaret; quia ſequeretur etiam, quod omnes peccatores reipublicæ noxii ut meretrices, uſurarii licitè poſſent occidi contra experientiam; hinc quando pes eſt gangrænâ infectus vult natura hunc abſcindi eo modo, quo neceſſe eſt ad conſervationem totius, non tamen vult eum totaliter corrumpi & deſtrui, ſic pariter fur poteſt abſcindi à republica, ne hanc inficiat, non tamen ut totaliter deſtruatur vel occidatur;
11 cum ſufficiat ita abſcindi, ut amplius non ſit pars, quod fieri poteſt abſque morte v. g. incarceratione, exilio &c.

12 Aſſero 2. *Judex nunquam poteſt licitè condemnare eum ad mortem, quem privatè ſcit innocentem, etiamſi in foro externo fuerit reus convictus ſecundùm allegata & probata.* Deducitur ex Scoto Aſſert. priori cit. éſtque noſtri Lyrani in cap. 23. Exod. contra D. Thomam ut plurimos Juriſtas.

Probatur 1. innocentem interficere vel mutilare eſt intrinſecè malum, & violare jus Divinum, quod ſolus Deus habet in vitam & membra: ergo non poteſt unquam cohoneſtari, niſi accedat authoritas Dei ſuo juri cedentis & concedentis talem facultatem; ſed DEUS talem facultatem non concedit, ſed ſeverè prohibet Exod. 23. *inſontem & juſtum non occides*, & quidem nec in publico judicio probatum reum; nam ultra dicit: *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec ſequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententia, ut à vero devies.* Quæ utique dicta ſunt in ordine ad judicium publicum de innocente ferendum. Unde Pilatus nequaquam excuſatur, quod Chriſtum condemnaverit ſecundùm allegata & probata judæorum: ergo.

Probatur 2. non eſt licitum in aliis caſibus procedere ſecundùm allegata & probatur contra privatam certam notitiam: ergo nec in occiſione innocentis. Antec. prob. ex cap. *inquiſitioni.* de ſent. excom. ſi alter conjux pro certo ſciat impedimentum conjugii, non poteſt accedere ad conſortem tanquam non ſuam, licèt judex ex allegatis & probatis judicet eſſe ſuam, & ſub excommunicatione mandat eam habere ut ſuam, hinc potius debet ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium operari peccatum: item C. *litteras*, de reſtit. ſpol. fruſtra in tali caſu adjudicaretur reſtitutio, intellige mulieris, ſpoliato, cùm illa contra Deum non debeat judici in hoc obedire, ſed potius excommunicationem humiliter ſuſtinere, ex quo patet talem innocentem non debere per ſe obedire, ſed ſolùm ratione ſcandali; tandem Pontifex non poteſt canonizare Sanctos, approbare miracula publicè probata, ſi privatim ſciat non eſſe Sanctos.

Reſpondent Adverſarii: judicem ut publicam perſonam habere pro regula ſuæ operationis ſcientiam publicam, conjux verò privatam. Sed

Contra eſt: judex ut pùblica perſona non benè judicat, quando ei non tenetur quis obedire, ſed in textu ſecundo non tenetur obedire, quod pariter eſt correlativum publicum reſpectu judicii publici, & ſic in ordine obedientiæ etiam conjux eſſet perſona publica.

Probatur 3. quia qui certò ſcit ſe legitimam poteſtatem ferendi ſententiam non habere, non poteſt illam abſque peccato ferre, etiamſi in foro externo habeatur ut legitimus judex: ergo qui certò novit aliquem eſſe innocentem, etiamſi in foro externo pronuntietur nocens, non poterit abſque peccato illum condemnare ad mortem, cùm non minùs ad juſtam ſententiam requiratur delictũ, propter quod illa fertur quàm poteſtas: tum quia hanc poteſtatem occidendi innocentem Deus non concedit reipublicæ ne quidem ad vitandum excidium totius communitatis, ut quæſt. priori dictum eſt: ergo multò minùs illam concedere cenſetur ad evitandum damnum, quod reipublicæ ſequi poſſet ex ſententiâ non latâ ſecundùm allegata & probata, cùm longè majus damnum ſit excidium totius cōmunitatis quàm damnum perturbationis reipublicæ ex non lata ſententia ſecundum allegata.

Reſpondent Adverſarii in tali caſu judicem non directè occidere innocentem, ſed directè intendere ſervare ordinem juris & bonum commune adeóque occidere ſolùm indirectè, quô pactô etiam reſpublica ad ſui excidium vitandum illum indirectè poteſt occidere ſcilicet

licet tradendo tyranno, uti edmiſimus nos ipſi in quæſt. priori, imò etiam directiùs in caſu quo judex eliàs ipſe interficeretur, vel officio & debitâ ſuſtentatione privaretur; quie dicunt licere, quod quis in defenſionem ſuæ vitæ interficiat innocentem ſi eliter non poſſit effugere mortem: ergo etiam judex in conſervetionem ſuæ vitæ & officii licitè poterit condemnere innocentem.

Contra eſt neg. ſuppoſitum Adverſariorum, nam judex ferendo ſententiam mortis eſt directiſſima cauſa mortis; nam vi talis actionis ſeu ſententiæ immediatè ſequitur mors innocentis, quod non eſt de traditione innocentis ipſi tyranno, cum non ex ea, ſed ex tyranni actione ſequatur mors innocentis, imò falſum eſt illum judicem in hoc caſu intendere ordinem juris; quia contra jus naturale non detur ordo juris; ſed jus naturale vetat occidere innocentem: ergo in ejus nece non poteſt intendi ordo juris; hinc ad illud quod dicunt ſi periclitaretur ipſe judex in ſua vita, dico illum potius debete mortem ſubire, quàm innocentem occidere, adeóque ed ejus rationem diſting. antec. poteſt quis in defenſionem ſuæ vitæ occidere innocentem, qui aliquomodo eſt aggreſſor, qualis eſt amens vel alius innocens, quo veluti ſcuto ſe tegeret aggreſſor conc. qui nullo modo eſt aggreſſor neg. ſic enim non licet mihi directè occidere tertium innocentem ed evitandem meam mortem, quam mihi eliquis minatur, niſi tertium occidam, quia non eſt licitum occidere, qui mihi nullam vim infert, ſed ſolùm vim vi repellere omnibus licet, imò nec licet directè occidere innocentem, qui ut clypeus tenetur, dirigendo ictum ed eum, ut eo ſublato facilius occidat invaſorem, cum hoc nec liceat reipublicæ, ſed indirectè, dirigendo ictum ed invaſorem.

13 Inferendum eſt 1. Judicem teneri officium deponere, imò & mortem ſubire potius, ſi neceſſe ſit, quam innocentem condemnare ad mortem, ſicut reſpublica tenetur quodcunque damnum ſibi à tyranno comminatum potius perpeti, quàm innocentem occidere.

Inferendum eſt 2. Talem judicem damnantem innocentem teneri ad ſatisfactionem omnium damnorum hæredibus ſecutorum; non autem damnorum reipublicæ ſecutorum, quia cum ipſa non invite ſe tali membro privârit, dum propoſito hominis innocentie adhuc in illius damnationem conſenſit, niſi fortè judex innocentiam accuſati populo non propoſuerit, & ſpes erat, ut eâ propoſitâ fuiſſet liberatus; ad hoc pariter tenentur falſi teſtes.

Inferendum eſt 3. Nec poſſe lictorem exequi pœnam mortis à judice injuſtè inflictam, ſi injuſtitia ei certò conſtet, ſecus eſt ſi dubitet; quia in dubio tenetur Superioris juſſa exequi, & in defectum judicis etiam lictor teneretur illa damna reſarcire, de quibus illatione immediatè præcedenti diximus.

Objicies: judex tenetur ferré ſententiam ex ſcientie publice ſecundùm allegeta & probata, ſicut accipit poteſtetem ſuam publicam ab authoritate communitatis publicæ, uti habetur tam in jure civili *L. illicitas*. §. 2. ff. de offic. Præſid. præſes provinciæ id ſequatur, quod convenit eum ſequi ex fide eorum, quæ probentur. Ubi eddit Gloſſa, non autem ſecundùm conſcientiam, quàm in jure Canonico C. *judices*. 3. q. 7. bonus judex nihil ex erbitrio ſuo facit, ſed ſicut audit, ita judicat: ergo ſi innocens publicè ſecundum jura probatur reus, judex eum debet condemnare. 14

Reſpondeo nos in contrarium alios habere textus tam ex jure civili ut L. *appellari*. ff. quis & à quo eppell. poteſt judex quod optimum putaverit ſtatuere, & alibi; debet judicare ſecundùm leges non tantùm humanes ſed etiam divinas, quàm ex jure Canonico C. *ſummopere*. 11. q. 3. dum res, quæ ignorabatur, pleniter ed notitiam venerit (intellige in judicio publico) tunc divina & humana lex reſolvatur: ergo ſententia ferenda ex eſt præcepto divino; ſed hoc in caſo fieri non poteſt, cum præceptum divinum dicat: *inſontem non occides*. hinc in forma diſting. antec. tenetur ferre ſententiam ex ſcientia publica ſecundùm allegata, ſi hæc ſcientia & allegata ſint conformia legi divinæ conc. ſi ſint difformia neg. antec. & ſic pariter ab authoritate publica eccipit poteſtatem publicam conformem juri divino, non verò difformem eidem; in caſu ergo ubi evidenter contradicit ſcientia privata de innocentia eccuſati, concurrunt duæ leges, ſcilicet divino-naturalis de non occidendo innocente, & gentium civilis de ſententia ferenda ſecundum allegata, ideo lex prior, cum ſit potior, & in eo non diſpenſet DEUS, ut patet ex proba 1. erit ſervanda, hinc illud Gloſſæ judex judicet ſecundum allegata, non ſecundùm conſcientiam, intelligitur de conſcientiâ ſcrupuloſâ, dubiâ, vel probabili, non verò de conſcientia certa, nam ex Apoſt. quod non eſt ex conſcientia, peccatum eſt; uno verbo illæ leges ſolùm loquuntur ex hypotheſi, ſi judici aliunde non certò conſtat, & ſic etiam eſt intelligendum illud juris divini Deut. 12. *in ore duorum aut trium ſtat omne verbum*. nempe ſi teſtes non ſunt ſophiſtici, & ſi aliunde non habetur melior notitia.

Dices: nihil in judicando facere debet judex, quod non cenſeatur facere ex perſona totius communitatis, cum agat officium loco capitis; ſed dum judicat ex ſcientia priveta, non judicaret ex perſona communitatis: ergo tale judicium eſſet nullum, cùm non ſit juxta authoritatem à communitate acceptam.

Contra diſting. maj. nihil in judicando poſitivè conc. nihil judicando negativè neg. maj. verum ergo eſt judicem non poſſe ſententiam liberatoriam ex privata ſcientia fecere contra publicam, non autem verum eſt eum non poſſe

poſſe ac debere à publica ſententia condemnatoria abſtinere, nam ad hoc judex per ſe tenetur, & non ad illud, cum ſcientia privata non ſit idonea ad publicam ſententiam ferendam, tenetur tamen efficere, quantùm licitè poteſt, ut veritas ſibi nota publicè innoteſcat, etiamſi debeat falſitatem teſtium propalare, cum ex officio teneatur contra injuſtos ac falſos calumniatores innocentes defendere.

Dices: ſi tota communitas aliquem haberet pro reo, licèt unus privatus homo ſciret eum eſſe innocentem, poſſet communitas eum condemnare ad mortem: ergo etiam judex ſecundum allegata & probata licèt privata ſcientia noſcat innocentem. conſeq. prob. communitas poteſt ex conceſſis; ſed judex repræſentat communitatem: ergo etiam judex &c.

Contra: ſi non vis diſtinguere min. repræſentat regulativè neg. authoritativè conc. concede etiam min. diſtingue conſequens, ſi judex cum privata perſona eſt entitativè idem neg. ubi judex à privata perſona eſt diſtincta conc. conſeq. nam ſi judex eſt ſimul privata perſona habet in caſu pro ſua regula præceptum divinum non occides, cui debent cedere præcepta humana, quod non eſt in judice aut communitate diſtincta à perſona privata.

Dices: judex tenetur abſolvere nocentem in foro externo probatum innocentem, ut tenemus propoſ. 2. ergo etiam tenetur damnare innocentem in foro externo probatum nocentem.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia in priori caſu judex habet cauſam abſolvendi, cùm abſolutio non ſit intrinſecè mala circa nocentem, ideo poteſt cohoneſtari ſufficienti causâ, quæ eſt publica & juridica probatio, & non habet ſufficientem cauſam damnandi quæ eſt ſcientia privata: in poſteriori verò caſu etſi non habeat ſufficientem cauſam abſolvendi, cum privata notitia non ſufficiat ad abſolvendum juridicè publicè reum, habet tamen ſufficientem cauſam non damnandi innocentem ex notitia privata, cùm occidere innocentem ſit per ſe malum intrinſecè, quod nec publica notitia aut alia circumſtantia præter diſpenſationem divinam cohoneſtare poteſt, ideo ſcientia privata ſufficiet ad non damnandum.

Dices: peccatori occulto publicè petenti tenetur parochus miniſtrare Sacramenta, quamvis aliàs eſſet ſacrilegium: ergo etiam licèt ſit peccatum occidere innocentem, ſi tamen publicè probatur reus, tenebitur judex illum condemnare.

Contra neg. conſeq. quia peccator occultus jus habet juſtitiæ tuendi famam, & ne publicè infametur negatâ ſibi v. g. Euchariſtiâ, ideo huic juri debet per ſuum debitum parochus reſpondere; aſt in innocenti non eſt verum jus, ſed ſolum putatur eſſe jus ex publicis teſtimoniis, ideo judex non debet nec poteſt habere correſpondens debitum damnandi.

Dices: Saga quædam faſſa crimen & tracta ad ſupplicium in confeſſione dixit ſe abſolutè innocentem, Confeſſarius accedit judicem intimando ejus innocentiam, quo tamen non obſtante judex eam ad rogum damnavit: ergo licitum ei erat damnare ex notitia publica non obſtante privata.

Contra neg. ſuppoſitum conſequentis, nam judex non ſcivit privatâ propriâ ſcientiâ illam eſſe innocentem, ideò juſtè fuit damnata; nam ſcientia Confeſſarii hic non eſt ad rem, nam licèt in foro Sacramentali pœnitenti credi debeat tam pro ſe quàm contra ſe, non tamen in foro externo pro ſe loquenti eſt credendum, nam poſſet talis perſona mentiri, & ſe apud Confeſſarium excuſare in ordine ad aliquem finem externum exſequendum. Ideo non benè fecit Confeſſarius eam declarando innocentem, cum ejus affirmatio in foro externo ſit admittenda, hinc potius Confeſſario ſilendum fuiſſet & res DEO committenda.

Dices: publicum bonum debet prævalere privato, expedit autem publico bono innocentem damnare potius, quàm præſcriptum ordinem juris pervertere, facilè enim corrumpi poſſent judices, ſi eis daretur licentia ex privata ſcientia decidere cauſas.

Contra diſting. màj. ſi ad id reſpublica habet poteſtatem conc. ſi non habet neg. maj. aſt reſpublica occidendi innocentem non habet poteſtatem aliàs etiam poſſet ad communem ruinam vitandam innocentem occidere ex petito tyranni, cùm expediret, ut unus potius quàm tota communitas pereat; hinc præſtat potius decem nocentes dimittere, quàm unum innocentem interficere: nec illud periculum pervertendi judices urget, nam non admittimus eos poſſe judicare ex privata ſcientia, ſed ſolùm abſtinere debere à damnatione, nec hoc in omnibus & univerſaliter, ſed ſolùm in cauſa ſanguinis.

QUÆSTIO III.

An liceat occidere injuſtum invaſorem non tantùm vitæ ſed etiam honoris & aliorum bonorum fortunæ tam ſe quàm proximum defendendo?

ADvertendum eſt 1. Communiter receptum eſſe licitum eſſe in defenſionem 1
ſuæ vitæ ſuorúmque membrorum cum moderamine inculpatæ tutelæ injuſtum invaſorem occidere; dupliciter autem injuſtus poteſt eſſe invaſor, ſcilicet injuſtus formalis & injuſtus materialis: primus eſt, qui deliberatè peccat invadendo vitam, famam, pudicitiam, aut fortunam alicujus: ſecundus eſt, qui non peccat invadendo, ut eſt amens vel

vel ebrius, aut qui invincibili ignorantia laborans putarat ſe teneri ad aliquem occidendum, uti dicitur de S. Ignatio, qui initio ſuæ converſionis ſe teneri putabat ad occidendum quemdam maurum propter blasphemias in B. Virginem, talis autem licèt non peccet invadendo, infert tamen damnum indebitum vel ſaltem modo indebito, ac proinde etſi non inferat injuſtum formale; infert tamen injuſtum materiale: hinc de utroque invaſore erit quæſtio, quia utriusque eadem videtur eſſe ratio quoad propriam vitam & membra defendenda.

2 Advertendum eſt 2. Moderamen inculpatæ tutelæ conſiſtere in hoc, ut invaſor non plus lædatur quàm ſit opus ad illius vires infringendas, ne poſſit offendere: unde ſi ſat eſt illum poſſe proſternere vel capere, vel ligare, non erit occidendus, ut ſcilicet non ex odio aut vindicta, quod leges prohibent & DEUS vetat, dum vindictam ſibi reſervatam vult, ſed ex amore ſuæ vitæ & ad injuriam tantùm propulſandam occidat; quare non licèt accepto vulnere invaſorem fugientem proſequi & occidere; quia talis occiſio non eſſet amplius in defenſionem ne vulneretur, ſed in vindictam accepti vulneris, niſi periculum ſit ne me iteratò invadat. ſemper enim reſpiciendum eſt ad futurum malum ad quod tantùm vitandum juſta eſt defenſio & non ad præteritum, reſpectu cujus non eſt defenſio ſed vindicta: præterea ſi ipſe invaſus dedit gravem cauſam invaſioni, dum ſcilicet verbis contumelioſis alterum irritavit, vel alapam ipſi dedit, aut repertus eſt cum uxore ipſius &c. tunc ſi fugiendo evadere poſſit, nequit ad ſui defenſionem occidere invaſorem, quamvis ex fuga grave incommodum aut infamiam eſſet incurſurus, nam aliàs excederet moderamen inculpatæ tutelæ, cùm & invaſori etiam grave decus intulerit.

3 Advertendum eſt 3. Authores communiter docere contra Covarruviam licitum eſſe invaſorem honoris, quando aliud medium proprii honoris defendendi non ſupereſt, occidere. Porrò dupliciter eſt invaſor ignominiam inferre: primò factis minitando me fuſtè vel arundine percutere, quod magna eſt ignominia apud viros illuſtres & militares; ſecundò verbis famam proſtituendo calumniis, ſed quod in his caſibus conceditur ſæcularibus, plurimi id negant Clericis & religioſis, uti videbitur in propoſ. 4. nihilominus tamen adhuc alia oritur gravis difficultas in ſæcularibus de modo, quo in particulari licitè poſſunt pro tutelâ ſui honoris aggreſſorem occidere, an ſcilicet etiam occultum detractorem, qui ſcilicet in abſentia infamat, vel an etiam liceat ad honorem recuperandum percuſſo repercutere aut occidere, ſi opus eſſet ad ſuum honorem recuperandum.

Advertendum eſt 4. In hac quæſtione, an 4
licitè poſſit occidi, qui nos aggreditur in bonis fortunæ, neceſſe eſſe diſtinguendum, ut conformiter Scoto quæſt. prior. cit. loquamur inter furem ſimplicem & furem circumſtantionatum uti diſtinximus quæſt. prior. Advert. 3. hinc utique, qui aliquid tam notabile, ut ſit neceſſarium ad ſuæ & ſuorum vitæ ſuſtentationem abriperet, non ſolùm eſſet fur ſimplex ſed etiam aggreſſor vitæ, vel ſi fur cum armis accederet, ita ut ſe velit defendere telo aut ſclopo, ſi aliquis ei reſiſteret in ſua ablatione, certè etiam non eſſet fur ſimplex, ſed ſimul aggreſſor, in quibus caſibus, ſi non ſit aliud medium furata recuperandi, ut ſi non poſſet fur capi, nec poſt furtum aliâ viâ res ita notabilis recuperari; tunc etiam communiter docetur, licitum eſſe ſimilem aggreſſorem occidere, ſed cum hac limitatione, ut fiat in continenti ſeu flagranti, quod tunc fit, ſi adhuc cœpta invaſio continuetur, velut ſi fur cum bonis furatis v. g. cum equo fugiat, tunc poterit fugiens ſclopo trajici, ſi periculum ſit bona non recuperandi, non verò ampliùs poteſt, poſtquam fur ſe poſuit in tuto ſeu domum ſe recepit, vel ad alia negotia divertit, tunc enim adhibenda ſunt alia media per juridicam actionem, nam tunc non amplius durat invaſio, in qua ſolùm ſe licet defendere cum occiſione aggreſſoris.

Advertendum eſt 5. Cùm jus naturæ dictet hoc, quod ſibi aliquis vult fieri etiam ex 5
charitate alteri faciendum eſſe, meritò hic quæri poterit, an etiam quis non ſolùm poſſit ſed etiam teneatur alterum ſuum proximum defendere contra injuſtum aggreſſorem, quando commodè poſſumus? cenſemur autem commodè poſſe, quando ſine æquali periculo noſtræ vitæ vel honoris illum poſſumus defendere, ſecùs autem, quando ſine æquali tali periculo illum defendere non poſſumus, niſi invaſus ſit Princeps vel talis perſona, ex cujus vita & honore bonum publicum pendet, de hac quæſtione certum ſupponunt Authores licitè poſſe aliquem occidere invaſorem vitæ proximi innocentis, quia ſicut poteſt ſe quis defendere contra invaſorem injuſtum, ita & alterum ſuum proximum innocentem, quod confirmant exemplo Moyſis, qui in defenſionem alicujus Iſraëlitæ interemit Ægyptium, an autem aliquis ita teneatur defendere ſuum proximum, patebit Aſſert. 4. interim his notatis:

Propoſitio 1. *Salutare eſt conſilium potius* 6
permittere ſe occidi, quàm occidere invaſorem. Ratio eſt exemplis Chriſti & multorum Sanctorum; quia poteſt eſſe periculum, ſe in ſui defenſione excedere moderamen inculpatæ tutelæ, ut ſic graviter lædat animam ſuam: ergo melius eſt ſubire malum in corpore quàm anima: tum quia charitas, etſi non obliget, nihilominus tamen adhuc magis inclinat, ne proximus æternum pereat; ſed injuſtus aggreſ-

ſor eſt in manifeſto peccato & periculo damnationis: ergo ſalutare potius eſt conſilium &c. imò hoc conſilium apud religioſos & Clericos maximi eſt faciendum & amplectendum, ut malint mortem perpeti, quàm iniquum invaſorem occidere.

Nec dicas: etiam ipſe invaſus poteſt eſſe in peccato mortali & periculo æternæ damnationis; ſed tenetur quis magis tueri ſalutem animæ ſuæ propriæ, quàm proximi: ergo non eſt conſilium ſe permittere occidi, ſed præceptum eſt alterum occidendi.

Reſpondeo diſting. conſequens: ergo non eſt conſilium cæteris paribus ſi ſcilicet etiam invaſus ſciat manifeſtè ſuum ſtatum peccati mortalis tranſeat conſequentia, ſi cætera non ſint paria, ut ſi invaſus moraliter de ſe benè ſupponeret neg. conſequentiam. dixi tranſeat, nam etiam ſequens hoc conſilium diligendo proximum propter DEUM & ſervando præceptum divinum probabiliter per talem amorem deleret ſua peccata. Hinc ultra patet, ſi cætera non ſint paria aliquando etiam eſſe obligationem ſe permittendi occidere, ut ſi aggreſſor eſt perſona Principis, ex qua pendet boni publici conſervatio, tunc juſtitia legalis obligaret invaſum exponere vitam ſuam, pariter pro vita ſalvanda parentum obligaret debitum pietatis filios.

7 Propoſitio 2. *Non in quovis periculo poteſt invaſus occidere invaſorem, ſed debet reipſa armis invadi, vel debet videre adverſarium accedere ad feriendum, & non ampliùs debet ſupereſſe aliud medium ſe defendendi, ut ſi non amplius adſit locus fugæ, vel ſi fuga nimis eſſet ignominioſa.* Ratio primi eſt; quia non quodvis periculum accedit ad mortem, & ideo faciflè poſſet excedi menſura inculpatæ tutelæ, imò non in quovis periculo caret quis omni alio medio ſe defendendi, unde ſi locus ſit fugæ alicujus non multùm noti hominis in hac civitate, ubi ſine magna ignominia poſſet fugere, tenebitur ex charitate fugere: ratio ſecundi eſt, tunc enim habet homo jus à natura & DEO ſe defendendi mediis neceſſariis non tantùm pro ſua vita, ſed etiam pro ſuo honore, unde injuſtè invaſus non tenetur ſuæ vitæ conſulere fugâ, etiamſi certus eſſet ſe fugâ mortem evaſurum; quia fuga apud viros honeſtos & illuſtres cenſetur valdè ignominioſa, & ideò pari paſſu cum vita ambulat; hinc etiam eſt, quod maritus in defenſionem pudicitiæ ſuæ uxoris vel ſuæ filiæ turpem invaſorem poſſit occidere uxore & filia etiam invitis, ſi aliud non ſuperſit medium; quia adulterium uxoris & ſtuprum filiæ in maximum dedecus mariti redundat, & hoc multò magis, ſi uxor aut filia eſſet innocens, nam licèt non læderetur maritus, poteſt tamen etiam aliquis innocentiam proximi defendere uti dicemus Aſſert. 4. & ideò multò magis maritus innocentiam uxoris vel filiæ. Sed de hoc plura Aſſert. 2.

Nec dicas: ergo etiam poterit ad avertendum dedecus maritus occidere propriam uxorem aut filiam tale turpe ſcelus machinantes.

Reſpondeo neg. illatum, quia tales perſonæ non ſunt propriè aggreſſores, ſed potiùs ſunt aliquid proprii ipſius mariti, & ſic illa maritus non incideret in aggreſſorem aut defenderet rem ſuam, ſed potius aliquid ſui interimeret; cum maritus & uxor ſint unum; præterea tale dedecus poteſt faciliùs aliis mediis à marito prohiberi & averti: hinc licèt leges civiles concedant marito occidere uxorem in flagranti deprehenſam in adulterio, per jus tamen Canonicum tales leges annullantur, ideò Alexander VII. hanc damnavit propoſitionem: *non peccat maritus propriâ authoritate occidens uxorem in adulterio deprehenſam.*

Propoſitio 3. *Licitum etiam eſt jus præventionis ad declinandam mortem vel gravem ignominiam, quam aliquis inferre conatur, eum previè occidendo, antequam mortem vel ignominiam inferat, ſi licita eſt ipſa occiſio defenſiva.* 8 Ratio eſt; quia ad juſtam defenſionem non eſt opus exſpectare, ut invaſor prius damnum inferat; nam tunc non eſſet tam defenſio quam vindicta, quia defenſio non eſt pro damno præterito, ſed pro futuro avertendo: cæterùm natura non deſtituit hominem mediis neceſſariis ad defenſionem vitæ; ſed in tali caſu medium præventionis eſt neceſſarium; quia defenſio vitæ non poſcit, ut expectarem actualem læſionem, cum defenſio ſit repulſa injuſtæ læſionis, ad cujus juſtitiam ſufficit actualis aggreſſio, quam niſi ipſius hoſtis occiſione repellere non poſſum; ſed efficax occidendi decretum, vel ipſa machinatio mortis proxima in diſpoſitione inſtrumentorum jam eſt injuſta aggreſſio, ſiquidem decretum tale eſt initium & impulſus aggreſſionis injuſtæ, quo ſe primò hoſtis movet ad aggrediendum: ergo tale jus præveniendi eſt licitum: ſic ſi maritus jam paraſſet pugionem ſub cervicali, ut uxorem occideret, & illa hoc certò ſciat, nec poſſet evadere, tunc illa poſſet prævenire occidendo maritum, pariter ſi dominus convocaret famulos ad occidendum, nec eſſet locus effugii, poſſet occidi dominus, quia hoc occiſio ceſſabunt famuli ab invaſione.

Nec dicas: ſi Petrus Græcii exiſtens acciperet litteras Vienna à fide digno amico, quod Dominica prima Adventûs ſit occidendus à Paulo, qui ad hoc Viennâ Græcium jam abivit, ſi Petrus jure præventionis uteretur pridiè occidendo Paulum, excederet moderamen inculpatæ tutelæ, quia occideret, ubi alter eſt improviſus: ergo tale jus eſt illicitum.

Reſpondeo diſting. antec. ſi utitur tali jure ubi Paulus nondum decrevit ſed ſolùm certò creditur decreturus occiſionem excederet moderamen conc. ubi jam proxima diſpoſitione parat occidere v. g. ſi bombardam onerat ad jaculandum, aut certo loco quo tranſeundum eſt

ex

ex inſidiis expectat opportunitatem, vel paravit venena aut maleficia neg. antec. quia talis præparatio eſt jam inchoata vitæ aggreſſio, cujus defenſionem omnia jura permittunt, nec alter poteſt dici improviſus, cum jam ſit omninò paratus ad alterum occidendum, & adſcribere ſibi debet, quod ſe ponat in talem ſtatum, in quo alter ipſum medio neceſſario prævenire poteſt: cæterùm tamen licèt hæc ſpeculativè ſint veriſſima, non tamen ita niſi raro in praxi, quia rarò contingit caſus, ubi abeſſent alia media, quibus declinari poſſent tales inſidiæ, unde pro univerſali negandum tale medium præventionis eſſe ordinarium à jure naturæ conceſſum, quia non videtur concedi à natura, quod plus officit quam prodeſt humano generi, ſed jus præventionis tam largiter acceptum id docente experientia ingentes abuſus & cædes perpetravit, quas ſub hujus præventionis prætextu vel irrationabilis timor vel odii vel vindictæ ſtimulus ſuggeſſit.

9 Propoſitio 4. *In tutelam ſui honoris vel bonorum fortuna non eſt licitum ipſis Clericis vel religioſis occidere ſuos aggreſſores.* Ratio primi eſt ex gloſſa in Clem. *ſi furioſus.* de homicidio. Quia Clericus vel religioſus in tali caſu nullum habent jus tuendi ſuum honorem, cui ratione ſtatûs & religionis renunciaverunt: ergò eorum defenſio non poteſt eſſe juſta, cum omnis juſta defenſio debeat fundari in aliquo jure tuendo. Antec. patet, quia Clerici & religioſi ratione ſtatûs, quo ſe Deo conſecrârunt, renuntiant mundanis honoribus, profitentùrque Chriſti humilitatis & manſuetudinis eſſe ſectatores; unde ſequitur etiam ſi Clericus injuſtè invaſus poſſit mortem evadere fugiendo, quod teneatur fugere; quia talis fuga apud prudentes non eſt indecora ſed laudabilis, & ſi invaſorem occiderit reſiſtendo, ubi effugere potuit, quod incidat in irregularitatem, peccet contra juſtitiam & teneatur ad reſtitutionem. Unde Alexander VII. hanc damnavit propoſitionem: *Licitum eſt religioſo vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit.* Ratio verò ſecundi eſt, ex cap. *interfeciſti.* de homicidio. ubi Clericus declaratur homicida, qui furem interfecit. Imò cap. *ſuſcepimus.* eod. tit. declarantur irregulares quidam monachi, qui planè nocturnum latronem occiderunt, quoniam expediebat, ait Pontifex, potiùs poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quàm tam diriter in alios exardeſcere, ſed utique talis irregularitas incurritur propter datam operam rei illicitæ: ergo.

Nec dicas: nec Clericus nec Religioſus renunciat juri naturæ, ſed ſe defendere contra calumniatores & raptores habetur à jure naturæ: ergo non ex juſtitia tenetur fugere & abſtinere à talibus defenſionibus, ſed ad ſummum ex charitate erga ſuum humilem ſtatum.

Reſpondeo diſting. antec. non renunciat juri naturæ in quantùm neceſsè eſt pro ſui ſtatûs conſervatione conc. non renunciat in quantùm non amplius eſt neceſsè neg. ſtatus autem eccleſiaſticus ex fuga Clerici non patitur ignominiam, ſed potius laudem propter imitationem Chriſti humilitatis, ideo non amplius natura talis ſtatus permittit talem defenſionem; interim tamen propter rationem objectam mihi probabile videtur Clericos ſaltem excuſari à reſtitutione, cum illa prohibitio occiſionis defenſivæ ſit potiùs juris humani, quod jus naturale ad propriam famam & bona fortunæ non tollit.

Propoſitio 5. *Omnes Superiores publica poteſtate conſtituti non ſolùm lege charitatis ſed etiam juſtitia tenentur innocentes contra injuſtos invaſores defendere non tamen cum periculo propria vita perdenda, viciſſim tamen ſubditi non tenentur defendere Superiores, niſi ſint feudarii.* Ratio primi eſt; quia ad hoc ſunt tales Superiores conſtituti ex ſuo officio, ut ſunt Princeps, Judex, Prætor: ratio ſecundi eſt; quia ſubditi nihil accipiunt à Superioribus, quo ex juſtitia obligarentur ad illos tempore neceſſitatis defendendos, uti accipiunt Superiores à ſubditis, adeóque ſolùm inferiores ex juſtitia tenentur Superioribus miniſtrare bona ad eorum vitam & dignitatem ſtatûs conſervandam neceſſaria: ratio tertii eſt; quia feudarii ex proprio contractu tenentur tempore belli ſuos dominos defendere, eiſque perſonale auxilium præſtare, ut conſtabit ſuo loco de feudis. 10

Nec dicas cum Navarro in Summa c. 24. n. 18. eo ipſo jure quo Superiores ſe obligant ad ſubditos defendendos tempore neceſſitatis, eodem viciſſim ſubditi ſe obligant ad Superiores defendendos; ſed Superiores obligantur ex juſtitia: ergo & ſubditi.

Reſpondeo neg. maj. ſubditi enim ſolùm lege pietatis & obſervantiæ obligantur, ſicut filii ad defendendos parentes, & parentes ad defendendos filios; ex quo ultra ſequitur, quod ii, qui tantùm lege charitatis tenentur alios defendere, non teneantur ad reſarciendum damna ex omiſſione debitæ defenſionis ſecuta, benè qui lege juſtitiæ tenentur alios defendere, quales non ſolùm ſunt Superiores ex officio, ſed etiam alii conducti ad talem defenſionem ſpecialiter præſtandam. His propoſitis:

Aſſero 1. ad Quæſt. *Licitum eſt ſervato moderamine inculpata tutela occidere non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter injuſtum invaſorem vitæ.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 3 §. *de ſecunda.* ubi dicit: *quia ſi fur eſt & cum hoc invaſor præſumitur homicida - - - & ſic impunè occiditur.* Eſtque communis. 11

Probatur 1. pars: *vim vi repellere licet*, clamant omnia jura, ut habetur tam jure civili

L. ſcientiam. ff. ad legem Aquiliam, quàm in
jure Canonico cap. *ſignificaſti.* de homicidio,
quod axioma fundatur in illo lumine naturæ
noto principio, quod majus ſit jus quod quis
habet conſervandi ſuam vitam ſuáque mem-
bra, quàm vita & membra alterius, quod pa-
riter & natura docuit ipſa bruta, ubi hos cor-
nibus &c. ſe defendit: ergo etiam licitum eſt
invaſorem occidere ſeu vim mortis vi mortis
repellere. Conſeq. patet, nam quilibet jus
habet neceſſario modo conſervandi vitam ſu-
am; ſed ſi injuſtè aggreditur, non poteſt ali-
ter conſervara vitam ſuam niſi per occiſionem
invaſoris, ut ſupponitur: ergo licitum eſt &c.
dixi ſervato moderamine inculpstæ tutelæ; nam
ſi quis hoc non ſervat, non tam ſe defenderet,
quàm ulciſceretur, quod non licet; hinc tale
moderamen videtur quilibet excedere, qui
alterum intendit directà occidere; quia absque
tali intentione poteſt quisque ſe illæſum ſer-
vare, directe ſolùm intendendo ſuam defen-
ſionem, licet occiſionem intendat ut medium;
nam habere pro fine malum invadentis, nun-
quam licet.

Probatur 2. pars: tum quia leges absque
12 ulla exceptione pronuntiant jure nos poſſe vim
vi repellere: ergo etiam vim materialiter inju-
ſti invaſoris; quia etiam contra hunc militat
illud principium naturæ, quòd magis tenea-
mur propriam quàm alterius vitam conſerva-
re: tum quia jus conſervandi propriam vitam
non fundatur in eo præcisè, quod alter peccet
vel non peccet invadendo, ſed id eo, quod
quivis jus habeat conſervandi ſuam vitam con-
tra quemcunque; quia publica authoritate non
invadit: ergo. Ex his:

Inferendum eſt 1. hoc jus tuendi propri-
13 am vitam non ſolùm habere privatam perſo-
nam contra privatam, ſed etiam contra pu-
blicam, contra ſuperiorem, contra parentem,
Clericum, contra ſæcularem & econtra, & qui-
dem absque ulla irregularitatis contractione,
ut habetur Clemen. *ſi furioſus.* de homicidio,
niſi excedatur moderamen inculpatæ tutelæ;
nam illud homicidium potius eſt caſuale, &
eſt tantùm directa defenſio, ubi ad irregula-
ritatem incurrendam requiritur homicidium
voluntarium & culpabile, ſi tamen ex morte
Superioris aut alterius perſonæ magnum acce-
deret damnum reipublicæ, tunc invaſus te-
neretur ſe permittere potiùs occidi, quàm eum
poſſet occidere, ſicut alius quivis privatus te-
netur mortem ſubire propter conſervationem
reipublicæ.

Inferendum eſt 2. hoc jus tuendi etiam
habere malefactores contra eos, qui privatâ
authoritate ipſos invadunt vel juris ordine non
ſervato & ante ullam ſententiam latam; nam
jure ſuam vitam poſſident, proinde jure poſ-
ſunt illam contra quemcunque aggreſſorem
tueri, præterea etiam ſi quis propter occul-
tum crimen invaderetur, poteſt ſe ita defen-
dere; quia de occultis nemo poteſt juridicè
puniri, ideò nec juſtè invadi, quapropter et-
iam adulter in flagranti deprehenſus poteſt ſe
contra maritum defendere, cùm talis adhuc
non cenſeatur publica authoritate invadere ad-
ulterum.

Inferendum eſt 3. ab innocente etiam poſ-
ſe occidi ſatellites miniſtri publici cum mode-
ramine, ſi ſcilicet vel injuſtè conentur occi-
dere innocentem vel eum capere, ut injuſtà oc-
cidatur, dummodo ipſi ſciant eum eſſe inno-
centem; ſi enim bona fide munus ſuum ob-
eunt, plurimi docent, eos non poſſe occidi,
bonum enim commune poſtulat, ut non infe-
ratur damnum miniſtris bona fide publicum
officium exercentibus.

Objicies: tenemur ſalutem proximi æter- 14
nam vitæ noſtræ temporali præponere; ſed ſi
injuſtus invaſor occiditur, amittit ſalutem æter-
nam, cum ſit in peccato mortali: ergo lege
charitatis potiùs tenemur nos permittere tem-
poraliter occidi, quàm ipſum temporaliter &
æternaliter occidere, ideo Chriſtus Matth. 26.
reprehendit Petrum, qui voluit ſe ipſum &
Chriſtum contra judæos injuſtè invadentes de-
fendere, quod idem aliqua teſtimonia SS. PP.
confirmant.

Reſpondeo diſting. maj. tenemur tunc,
quando proximus verſatur in extrema neceſ-
ſitate perdendæ vitæ æternæ, niſi noſtrâ vitâ
temporali ſuccurratur, ut ſi infans moreretur
inter hoſtes ſine baptiſmo, & poſſet quis ac-
cedere & baptizare conc. quando proximus
non verſatur in extrema neceſſitate neg. maj.
qui autem invadit injuſtè non verſatur in extre-
ma neceſſitata amittendi ſalutem niſi ex pro-
pria malitia, & poſſet deſiſtera, ſi vellet; ſi
enim non tenemur ſuccurrere extremè indi-
genti & famæ morituro, ſi ipſe habeat media
ſe alendi & ſolùm ex malitia nolit ea adhibere;
præterea ſi invaſor materialis eſt perpetuo
amens, aliunde non eſt periculum ſalutis, cum
non peccet, ſi verò eſſet amens ad tempus vel
ebrius, ſic cum mihi non ſit certum, an aliàs
talis invaſor ſit vitam æternam conſecuturus,
etiamſi tunc non occidatur, vel nec mihi ſit
certum, an ego ſim in gratia Dei, ſic in tali-
bus dubiis non tenerer ſuccumbere; quod idem
dicendum eſt de illo equite perſecuto ex quæſt.
priori, ſi in via jaceret infans non baptizatus,
cum æquè ille poſſit eſſe in periculo damna-
tionis & quidem majoris quàm ſit infans non
baptizatus. Cæterùm tamen, ſi alicui omni-
nò moraliter certum eſſet, vel ei revelaretur ſe
eſſe in gratia, & invaſorem aliquando ſalutem
conſecuturum, tunc omnino lege charitatis
teneretur aliquis ſe permittere occidi potiùs
quàm occidere, Chriſtus ergo non ideo re-
prehendit Petrum, quod ſit illicitum cum mo-
deramine ſe defendere, ſed quia nota erat Pe-
tro voluntas Chriſti de morte à judæis intenta-
ta, quam toties ipſi ſignificavit, alia autem
teſti-

teſtimonia PP. ſolùm volunt, quod non liceat invaſorem occidere defenſione non neceſſaria vel ex vindicta.

Dices: Nemini licitum eſt privata authoritate occidere alium; ſed qui aggreſſorem occidit privatâ authoritate occidit: ergo.

Contra neg. min. nam ab omnibus legibus ſcilicet naturali, divino, & humano hoc ei conceditur, qui neceſſarium id habet ad vim vi repellendam, ideo publica authoritate hoc facit.

Dices: Ergo ſi quis ſcit per teſtes falſos & judicem certò iniquam ſententiam mortis vel magni criminis imminere, & aliâ viâ non poſſit innocens damnum evertere, poſſet occidere falſos teſtes & judicem; ſed hoc damnatum eſt ab Alexandro VII. ergo. Maj. patet, quia eadem ratio eſt vim vi repellendi.

Contra neg. maj. cujus alia eſt ratio; quia in praxi plurima ſequerentur incommoda ex tali licentia, & publica perturbarentur regimina, ideo Pontifex damnavit talem propoſitionem propter ſcandala, ſi autem fieri poſſet abſque ſcandalo, illa occiſio non eſſet illicita.

15 Aſſero 2. *Licitum quidem eſt ſpeculativè, quandò aliud medium non ſupereſt proprii honoris defendendi, invaſorem honoris vel pudicitia occidere, non tamen licitum eſt practicè, & ſic multò minùs licet illum occidere, qui ſcitur occulta detractione famam apud alios denigraturus: nec licet ad honorem recuperandum percuſſo percutiente fugientem repercutere aut occidere.* Deduci poteſt ex Scoto Aſſert. priori cit. eſtque quoad 1. partem contra Covarruviam, quoad ſecundam & reliqua contra Laymann & plurimos veteres.

Probatur 1. pars: honor præſertim ab illuſtribus & honeſtis viris æquiparatur vitæ; imò multi honorem præferunt vitæ; ſed licitum eſt in defenſionem vitæ occidere invaſorem: ergo & in defenſionem honoris, & hinc multò magis in defenſionem pudicitiæ; quia in hoc caſu præter defenſionem pudicitiæ, quod maximum decus eſt, miſcetur etiam peccandi periculum, cui nemo tenetur ſe exponere, & ideò potiùs occidendus eſt invaſor, quàm Deus offendendus: hoc etiam agnoverunt Ethnici ex lumine naturæ; nam, ut ſcribit Cicero pro Milone, quidam adoleſcens, qui tribunum occiderat, eò quòd voluerit vim inferre ſuæ pudicitiæ, à Marcio Imperatore fuit abſolutus. Unde obſervant aliqui hanc defenſionem quoad pudicitiam eſſe licitam etiam in praxi; aſt difficile videtur hoc concedendum circa volentem vim inferre puellæ, nam vix unquam conſentire nolenti poterit invaſor copulam inferre, cùm illam diverſo ſitu & motu corporis facilè poſſit declinare, & ſic non licebit ſe fingere quaſi illam velit admittere, & dein illo momento invaſorem occidere. Quærunt tamen authores an talis puella, ſi aliter evadere non poſſit copulam violenter intentatam teneatur clamare, ut accurrentibus aliis oppreſſor fugiat, aſt cum Bonacina negandum eſt contra Cajetanum præſertim ſi ex clamore timeat ſibi grave damnum infamiæ mortis vel verecundiæ, & cum non teneatur ſe defendere occidendo aggreſſorem, ſic etiam non tenebitur cum graviſſimo damno copulam violentam & ſibi involuntariam impedire, conſentire tamen non debet, ſed potiùs mori, & inde omnem ſitum impedire, qui ex natura eſſet ordinatus ad copulam. Hinc

16 Probatur 2. pars: tum quia propter opinionam ſolùm probabilem, quam quis habet de jure occidendi alterum, non licet occidere alterum, cum nec liceat magiſtratui occidere hominem cum ſola ſemiplena id eſt probabili probatione; ſed jus vitæ cuilibet eſt certum: ergo non poteſt elidi per jus incertum alicujus privati hominis; ſed jus defendendi ſe à dishonoratore per defenſionem occiſivam vix eſt probabile, cum multi ſapientes ſe ſtatim oppoſuerint contra aſſertores talis juris, & eorum rationes facilè ſolvebant: ergo non eſt licitum practicè &c. tum quia occiſio calumniatoris non fit cum moderamina inculpatæ tutelæ: primò; quia non eſt cartum quod calumnia evadetur per occiſionem, ſi ea jam eſt in vulgo diſperſa: ſecundò neque calumnia eſt certa, cùm fortè audientes calumniatori non crediderunt: ergo non eſt moderamen; tum quia tale jus vergeret in perniciem reipublicæ; quia multi præſertim apprehenſivi & ſui amantes calumnias exiguas pro magnis haberent, & alios occiderent, ſed jus privatum nunquam debet prævalere bono publico, unde Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem: *fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit.* Obſervandum tamen eſt, cum propoſitio loquatur de calumniatore cujus calumnia potiſſimum in verbis conſiſtit; ideo de alio aggreſſore; qui factis aggreditur adhuc poſſet eſſe licita in praxi defenſio occiſiva, ſic vir nobilis, cum ei diceretur; quod ſit adulter, poteſt ſtricto gladio expectare invaſorem etſi alter gladium opponat, poteſt famam ſuam & vitam tueri, ſimiliter vir nobilis, qui fuſtè percutitur, poteſt opponere gladium, quò viſò ſi alter vitam impetat, poteſt ſe defendere.

17 Probatur 3. pars: tum quia ad vitandam dishonorationem per occultam detractionem alia ſunt remedia ſcilicet ut talis aggreſſor capiatur & publica authoritate cogatur condignam dare ſatisfactionem: ergo. Tum quia hoc modo multis daretur occaſio prætextu vitandi hujusmodi detractores frequenter & impunè committendi tales privatas cædes: tum quia eadem rationes hic urgent ſicut in priori parte ut conſideranti patebit.

18 Probatur 4. pars: tum quia talis percuſſio alia via poteſt refarciri, ſi ſcilicet talis læ-

for fugiens capiatur, cogatúrque condignam ſatisfactionem honorificam præſtare: tum quia repercuſſio non eſt medium ad injuriam propulſandam, ſed potius ad vindictam ſumendam, niſi ſit periculum, ne qui percuſſit, iterum ſit percuſſurus; ſed non licet nobis ſumere vindictam juxta illud ad Rom. 12. & ad Heb. 10. *mihi vindicta, & ego retribuam, dicit dominus* ex Deut. 32. ergo. Unde etiam Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem: *cum priori idem dicendum, ſi quis impingat alapam vel fuſte, percutiat & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.*

19 Objicies contra 1. partem: defenſio occiſiva propter honorem eſt potiùs immoderata & barbarica quàm conveniens inſtitutis Chriſtianis: ergo antec. prob. non eſt æqua commutatio ob tutelam honoris vitam proximo adimere, cum hoc neque reipublicæ nec Chriſtianitati ſit utile: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad cujus probam pariter neg. antec. nam invaſor imputet ſibi, quod invalum coëgerit; ut illum ad ſui honoris juſtam defenſionem interficeret, & ſat eſt, quod hoc ipſi innocenti ſit utile, qui ſe licitè poteſt tueri, imò hoc etiam mediatè redundat in bonum reipublicæ.

20 Objicies contra 2. partem: practicè licitum eſt propter defenſionem vitæ alterum occidere: ergo & propter honorem cum pari paſſu ambulent.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt; quia ibi habet aliquis certum jus & eſt aliqua æqualitas in re, nec tanta ſequuntur ſcandala & incommoda ſicut in defenſione honoris cum alterius occiſione.

21 Objicies contra 3. partem: par eſt ratio an mihi in præſentia auferatur honor an in abſentia: ergo ſi licitum eſt in præſentia ſe defendere cum occiſione aggreſſoris, etiam erit licitum in abſentia.

Reſpondeo neg. antec. nam ſi in præſentia aggreditur quis, tunc ei non ſuppetit aliud medium impediendi injuſtum invaſorem, ne innocentis famæ maculam inurat, nec eſt neceſſe exſpectare donec maculam inurat; ſed poteſt quis prævenire, antequam per facta honorem lædat, & illum occidere: aſt occultum detractorem non poteſt quis prævenire, cum priùs per dignos teſtes de illius detractione conſtare debeat.

22 Objicies contra 4. partem: licitum eſt latronem fugientem cum bonis fortunæ magni momenti proſequi & eum occidere vel percutere: ergo etiam auferentem meum honorem.

Reſpondeo neg. conſeq. quia res ablatæ non recuperantur niſi capiantur vel aliquando planè occidantur latrones, unde talis latro habet rem meam, quam poſſum ei abripere, non verò percuſſor habet meum honorem, ſed potius eum deſtruxit, ideo non poſſum ab eo accipere.

Dices: apud illuſtres viros exiſtimatur per repercuſſionem recuperari honor: ergo eſt eadem ratio.

Contra diſting. antec. exiſtimatur prudenter & moraliter certò neg. dubiè & exiguè probabiliter tranſeat; nam etiam mundani viri etſi iſta faciunt nimii ſui honoris appetitu ducti, tamen fatentur conſcientia ipſa ſtimulante ſe id malè facere & ſe accuſant, cùm potiùs ſecundam rectam rationem aliâ viâ deberent ſuum honorem recuperare.

Dices: quando puella ab alio impudicum oſculum eſt paſſa & agenti colaphum infligit, communiter laudatur: ergo etiam licitum eſt repercutere fugientem & ceſſantem percuſſorem.

Contra neg. conſeq. quoad caſum puellæ diſparitas eſt, quia attento communi hominum laſcivorum ſtylo non acquieſcunt uni actui; ſed qui ſemel auſus eſt inverecundus eſſe erga talem determinatam perſonam, niſi confundatur vel deſpiciatur clarè, tunc putat ſtatim ſe amari, & ſperat ſe non difficulter ſecundò admittendum; adeóque talis percuſſio jam inducit rationem juſtæ defenſionis, ne ſcilicet redeat ad novam injuriam: imò addit Hannoldus, quod talis percuſſio poſſit habere rationem eleemoſynæ ſpiritualis, quatenus poteſt eſſe remedium contra tentationem, ſic enim deferveſcet aliquantulum ardor libidinis: hoc idem etiam eſt dicendum de ſagis & maleficis, qui inſigniter poſſunt verberibus excipi ad tollendum maleficium, quando id abſque peccato tollere poſſunt.

Aſſero 3. *Non eſt licitum in defenſionem bonorum fortunæ furem ſimplicem occidere.* 23
Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.* contra Laymann, & Amicum, & plures alios.

Probatur 1. non licèt poteſtati publicæ furem ſimplicem occidere, ut ſenet Scotus quæſt. priori Aſſert. 1. cit. ergo nec privato homini licebit talem in defenſionem ſuorum bonorum fortunæ occidere, cum hoc ſit contra jus naturale, quod dictat hominem propter res temporales non occidendum, cum vita pretioſior ſit cunctis rebus temporalibus, & ideo amor naturalis inclinat ad diligendam plus vitam proximi, quam noſtras res temporales, ut patet quando proximus verſatur in extrema neceſſitate, cui tenemur cum diſpendio noſtrorum bonorum temporalium ſuccurrere.

Probatur 2. Jus divinum Exod. 22. prohibet furem diurnum occidere, jus Canonicum C. *ſi perfodiens.* de homicidio, cenſet eſſe homicidam, qui furem diurnum occidit, quia potuit diſcerni quod ad furandum non occidendum venerit, & ideo diurnum non niſi in caſu, quo ſe telo defenderet, occidi permittit, quia tunc plus eſt quàm fur, quod idem ſtatuit lex 12. tabularum, & lex 4. ff. ad legem

legem Aquiliam; ergo eatenus tantùm eſt licitum in defenſionem propriarum facultatum furem occidere, quatenus cum ipſa invaſione bonorum miſcetur periculum perſonæ, ne ab invaſore occidatur vel mutiletur, & ideo nequit Gloſſa in cap. *interfeciſti*. de homicidio. non dixit, *te vel tua*, ſed *te & tua* copulativè, ut ſignificaret ad invaſorem occidendum non ſufficere tutelam bonorum, niſi ſit conjuncta cum tutela propriæ vitæ ac perſonæ per conſequens non furtum ſolum & ſimplex, nam in hoc ſolo ſemper exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, ideo Innocentius XI. ſequentem damnavit propoſitionem, *regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

Probatur 3. Si licitum eſſet ſe defendere furem occidendo, etiam licitum eſſet ſic defendere ea ad quæ jam jus inchoatum habemus ut legatum vel hæreditatem impedientes occidendo, cum eadem ſit ratio bonorum noſtrorum; ſed hoc dici nequit; nam Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem: *non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* pariter & hanc: *licitum eſt tam hæredi quam legatario contra injuſtè impedientem ne vel hæreditas adeatur vel legata ſolvantur ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in cathedram vel prabendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.*

24 Objicies: bona fortunæ vel ſunt ad vitæ ſuſtentationem vel ad dignitatem proprii ſtatûs conſervandam neceſſaria: ergo ſicut licet pro tutela vitæ & honoris aggreſſorem occidere, ita & licebit furem bonorum temporalium occidere.

Reſpondeo neg. conſeq. nam ſi fur tam notabile ſurripit quod eſt neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem & ad honorificum ſtatum conſervandum, non amplius eſt ſimplex fur, ſed etiam jam aggreſſor vitæ, ſic omninò poteſt naufragus tabulæ inſiſtens, vel homo unum tantum panem habens contra invaſorem tabulæ vel panis ſe defendere usque ad mortem invadentis, cùm utrumque ſit medium abſolutè neceſſarium ad conſervationem vitæ, ſic pariter poſſet vir illuſtris etiam cum morte invaſoris ſe defendere, ne veſtibus à latrone ſpolietur, vel miles ne vexillum juſto bello captum ſibi eripiatur, quæ non ſunt contra noſtram Aſſertionem.

25 Aſſero 4. *Tenemur lege charitatis cum aliqua jactura noſtrarum facultatum vel honoris innocentem proximum contra aggreſſorem ejus vitæ defendere, etiamſi invaſus nolit defendi, non tamen tenemur cum occiſione invaſoris eum defendere.* Eſt communis, & deducitur ex Scoto tum cit. tum in 4. diſt. 5. q. 3. §. *juxta hoc.*

Probatur 1. pars: proximus eſt nobis naturâ conjunctus: ergo citra æquale periculum vitæ noſtræ honoris vel facultatum tenemur illum defendere; quia præceptum eſt: *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quivis autem hoc de ſe ipſo vellet; unde ſequitur à contrario ſicut ratione participationis naturæ ejusdem tenemur illum defendere, ita cum æquali periculo non tenemur, cùm natura dictet, quod magis teneamur conſervare noſtra quàm proximi.

Probatur 2. pars: nemo eſt dominus ſuæ 26
vitæ, conſequenter nequit invaſus juri quod in ſuam vitam habet invaſori cedere: ergo adhuc læſione tali facta debet invaſus defendi; tum quia invaſus eſt etiam pars & membrum reipublicæ: ergo adhuc ipſo invito tenemur illum defendere ut membrum reipublicæ, ex quo patet multò magis adhuc teneri maritum defendere uxorem & patrem filiam contra aggreſſores vitæ & pudicitiæ etiam contra voluntatem eorum, cùm teneatur ſibi ſubditos defendere.

Probatur 3. pars: ubi eſt æquale damnum 27
duorum non tenemur præferre unum altero; ſed in caſu eſt æquale damnum invaſoris & invaſi; quia licet occiſio invaſoris injuſti videatur minus damnum, quàm innocentis invaſi, eſt tamen potiùs majus & certius, cùm ſit cum interitu æterno animæ & corporis: ex quo colligitur filium non ſolùm non teneri defendere proximum innocentem cum occiſione ſui parentis invaſoris, ſed nec licitè poſſe ob reverentiam filii ergà parentem.

Objicies contra 1. partem: ſi ſaltem cum 28
minori damno tenemur proximum defendere in majori ſuo damno, ſic etiam teneremur juſtè ad mortem damnatum pecunia redimere, ſi à judice redimendus proponeretur; ſed ad hoc nemo obligatur: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia lege charitatis non tenemur niſi innocentis vitam defendere; ſed qui juſtè damnatus eſt, innocens non eſt, ſed nocens: ipſe verò nocens poſſet licitè ſe vendere in ſervum, & mortem cum ſervitute commutare, ſicut bello capti ſervitutem cum morte commutant, ſemper enim ad vitandum majus malum licet eligere minus.

QUÆSTIO IV.

An homo poſſit ſe ipſum aut alium detractorem ad elidendam ejus authoritatem ad ſuam innocentiam defendendam diffamare?

ADvertendum eſt 1. Scotum in 4. diſt. 25. 1
q. 1. §. *in iſta quæſtione.* docere infamiam eſſe ſtatum læſæ dignitatis quantùm ad vitam & mores, ſicut famam eſſe ſtatum illæſæ dignitatis quantùm ad vitam & mores; hinc prima pars quæſtionis dependet ex eo, an ſcilicet homo ſit dominus ſuæ famæ, quòd negat

gat Cajetanus dicens: cùm enim fama ſit bonum aliquod medium inter vitam & res externas, ideo potiùs eſt collocanda cum vita, cujus homo non eſt dominus, quàm cum rebus exterioribus, quarum homo eſt dominus; ideo docet dominium honoris & famæ non eſſe penes privatas perſonas, ſed penes rempublicam, cujus honor & fama pendet ex honore civium, ex quo deducit graviter peccare illos, qui ſe ipſos diffamant etiam metu mortis, obligarique ad reſtitutionem ſuæ famæ, quod nos aliqualiter jam tetigimus & rejecimus hic diſt. 4. q. 2. propoſ. 3.

2 Advertendum eſt 2. Ex Scoto in 4. diſt. 15. q. 4. §. *reſpondeo.* tripliciter poſſe aliquem diffamare alterum; primo modo falſum crimen ei imponendo; ſecundo, verum crimen occultum tamen non ſervato ordine juris in publico proponendo. Tertio modo verum crimen, ſed occultum in publico ſibi tamen impoſitum negando, quia hoc negans notat imponentem de calumnia & falſitate, & ideò etiam per connexionem ad hos modos præſertim ad primum quæri poteſt, an quis ab alio falsè diffamatus ſive in ſive extra judicium etiam ei poſſit falſum crimen imponere, ut ejus authoritatem labefactet & elidat pro tuendâ ſuâ innocentiâ? his adverſis ſit:

3 Propoſitio 1. *Homo eſt verus dominus ſua fama.* Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 17. q. un. §. *de tertio articulo.* ubi confeſſionem Laico factam tenet eſſe poſſe materiam verecundiæ: tum quia honor & fama ſunt bona, quæ comparantur & augentur propriâ induſtriâ; ſed quæ ita comparantur perfectè ſubjacent dominio hominis: ergo. Min. per ſe patet. maj. prob. fama eſt præmium virtutis, quæ nonniſi propriis meritis acquiritur, & licet interdum fama communicetur à parentibus, non tamen ut vita, ſed ut opes dependenter à dominio eorum traditur: tum quia, ſi homo non eſt dominus ſuæ famæ, nunquam poſſet licitè condonare alteri ut eam non reſtituat; nemo enim condonare poteſt, quod non eſt ſuum, ſed certum eſt poſſe non condonare reſtitutionem famæ: ergo homo eſt verus ejus dominus.

Nec dicas: poteſt quis abſciſſionem membrorum alteri condonare, & tamen homo non eſt dominus membrorum: ergo licet quis poſſit ablationem famæ condonare, non ſequitur illum eſſe ejus dominum.

Reſpondeo neg. antec. quia in abſciſſione membrorum ſolùm condonamus injuriam & lucrum membrorum: quorum ſumus perfecti domini, non membra, quæ reſtitui non poſſunt, nam ſi reſtitui poſſent, eorum abſciſſionem condonare non poſſemus.

4 Propoſitio 2. *Tenetur aliquando aliquis ſe ipſum diffamare ad præſtandam ſatisfactionem alteri.* Ratio eſt ex Scoto cit. Advert. 2. quia qui alteri falſum crimen impoſuit, debet verbum ſuum retractare vel publicè vel privatè ſicut impoſuit, aliàs non ſervat æqualitatem juſtitiæ in reddendo proximo quod ſuum eſt; ſed hoc ipſo ſuæ famæ nocet ſe faciendo mendacem & calumniatorem falſum: ergo.

Nec dicas: magis tenetur quis zelare pro famâ ſuâ propriâ quàm alienâ; ſed non poteſt quis alteri reddere ſuam famam retractando ſuum verbum, niſi ſe ipſum diffamaret, uti in propoſ. diximus: ergo non tenetur &c.

Reſpondeo diſting. maj. magis zelare pro fama ſua juſtè competente conc. injuſtè competente neg. maj. nam bona noſtra non ſunt diligenda niſi in ordine ad bonum animæ & ad DEUM, hoc autem non eſt niſi poſſint juſtè competere illi qui diligit, unde omninò quivis, cui poteſt juſtè competere ſua fama debet magis diligere illam, quàm alteri, cui non poteſt juſtè competere, at verò ſi ſibi non poteſt juſtè competere, alteri vero juſtè, tunc magis debet diligere famam alteri; cui juſtè convenit, quàm ſibi cui injuſtè competit, hinc cùm accuſato de falſo crimine juſtè conveniat fama, accuſanti autem poſt talem accuſationem injuſtè conveniat, quia mentitus eſt publicè, in quo ex ſua culpa ſe ipſum jam diffamavit ſatis, & ideo poſtea directè oſtendens innocentiam alterius, cui tenetur eam præſtare, & indirectè culpam ſui aperiens nec propriè ſe diffamat, ſed tantùm amovet à ſe falſam laudem, quâ poſt falſam accuſationem indignus eſt.

Propoſitio 3. *Licitè quis de occulto crimine vero publicè accuſatus illud negat.* Ratio eſt ex Scoto Advert. 2. cit. quia durum videtur quod quilibet accuſatus in publico ab uno homine ſtatim teneretur ſub peccato & de neceſſitate ſalutis in publico confiteri illud, & ſic ſe ſtatim exponere patibulo aut judicio ſanguinis; ergo cùm hoc ſit contra rationem noſtræ fragis naturæ conforme erit noſtræ rationi illud tamdiu negare, donec publicè probetur: tum quia non apparet, quod talis honeſtè & ſecundùm rectam rationem debeat confiteri coram tali judice: ergo poteſt negare. antec. prob. quia talis plus quàm quicunque alius ſingularis accuſans auferret ſibi famam, quia confitenti contra ſe in judicio creditur; ſed non tenetur aliquis dum juſtè poſſidet famam ſe ipſum diffamare: ergo. ex hoc etiam colligitur, quod religioſus non teneatur peccatum ſuum occultum neque ſui ſocii detegere, licèt ſit à Superiori adſtrictus. De his plura infra de Judiciis. 5

Nec dicas: talis negans in materia gravi mentitur mendacio pernicioſo reipublicæ, quæ ob mendacium ejus publicum impeditur à juſta ejus punitione pro bono publico: ergo talis peccat mortaliter.

Reſpondeo neg. antec. nam non mentitur, ſed ſolùm per quædam verba ſobria, ut dicit Scotus cit. reſpondet: nego propoſita ut proponuntur, quod eſt verum, quia proponuntur, in publico ut publicè probanda, quæ occulta ſunt,

&

& publicè probari non poſſunt; nec reſpublica in punitiona impeditur, quia reſpublica non omnia mala debet punire, ſed tantùm illa, quæ talia poteſtas publica juſtè poteſt punire & judicare, qualia ſolùm ſunt quæ coram jodica ſæculari ſufficienter poſſunt probari, & ideò non læditur reſpublica, ſi ajua judicium excedatur à judicio divino, cui aliqua reſervantur ſuper quæ non poteſt eſſe juſtum judicium reipublicæ, quie *homo videt ea quæ patent, dominus autem intuetur cor* 1. Reg. 16. addit tamen Scotus ad finem §. penultimi, cum bonarum mentium ſit culpam agnoſcera ubi culpa non eſt, uti habetur ex S. Gregorio, & ideò multò magis, ubi dubitatur, an vel qualis culpa ſit, tutum erit poſt talem negationem hominem pœnitara indiſtinctè, ſi mortale, tanquam da mortali, ſi veniale, tanquam de vaniali. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Licitè poteſt homo quandoque famam ſuam negligere & ſe diffamare, ſi non vergat in præjudicium aliorum.* Eſt Scoti in 4. diſt. 17. q. un. §. *de tertio articulo.* éſtque communior contra Cajetanum.

Probatur 1. Homo eſt dominus & non ſolùm cuſtos ſuæ famæ: ergo ſina præjudicio tertii poteſt de ea diſponere ad ejus amiſſionem. antec. patet ex propoſ. 1. conſeq. patet, nam licèt aliquis cuſtoa, qui non aſt dominus rei, non poſſit ſolo ſuo arbitratu de illa diſponere aut negligere, cum cuſtodia ſit diligenter conſervare, ut patet da noſtra vita, cujua non ſumua domini ſad cuſtodes, attamen aliquis dominus potaſt verè ſuam rem negligere & amittere: ergo etiam quando ex condonatione vel poſitivo contemptu hominis famæ nullum imminet periculum eliis aot ſuæ ſalutis, poteſt homo illam amittere & contemnere.

Probatur 2. In multia caſibua poſſumus nos ipſos infamara. ergo. antec. prob. primò ad patendum conſilium in aliquo delicto commiſſo: ſecundò ad noſtram humiliationem ſicut S. Auguſtinus in libris confeſſionum, & illa latro, qui publicà greviſſime crimina confeſſi ſunt: tertiò ad vitandum peccatum ſuperbiæ vel aliud: quartò quando injuſtè aliquam infamavimus, tenemur retractare verbum etiam cum noſtra infamie, ſi opus eſt, ut tenet Scotua propoſitione noſtra 2. ergo.

7 Objicies: Eccleſiaſt. 41. dicitur: curam habe de bono nomine: ergo non licet famam nagligere.

Reſpondeo diſting. conſequens: non licet famam negligere ſina juſta cauſa conc. cum juſta cauſa nag. conſeq.

Dices: S. Auguſtinus de bono viduitatis c. 22. dicit: conſcientiam noſtram eſſe neceſſariam nobis famam proximis, ac proindè crudelem eſſe, qui famam nagligit: ergo non licet.

Contra diſting. conſequens: non licet cum præjudicio proximi conc. ſine tali præjudicio neg. conſeq. tripliciter autem noſtra fama poteſt proximia eſſa neceſſaria: primò quando ex noſtra fama pendet fama proximi & ſic infamia, ut ex infamia Monachi ſequitur quædam infamia monaſterio: ſecundò ſi fame noſtra eſt neceſſaria ut proximo præſtemus officium ei ſtricto jura debitum, ut fama perſonæ poblicæ v. g. Epiſcopi, Parochi, Superioris &c. neceſſaria eſt, ut benè ragat ſubditos, & in his caſibus omninò quis peccat contra juſtitiam, ſi ſe ipſum infamet, non quidem quia præcisè ſe infamat, ſed quia ex conſequenti proximo nocet: tertiò, quando non ex officio ſed ſolùm ex charitate tenemur prodaſſe proximo, & per infamiam ed hoc reddimur inepti, tunc ſolùm contra charitatem quis peccat, ſi ſa infamat, ſicut ille, qui pecuniam abjicit quâ potuit prodeſſe pauperibua; & aliquando plana non, quando hic & nunc fuiſſet occaſio aut opportunitas proximo aſſiſtandi.

Dices: vita & fama pari paſſu currunt: ergo ſi vitâ non poſſumus nos privare, nec famâ poterimua nos privare.

Contra diſting. antec. in rationa dominii neg. in ratione æſtimationia conc. diſparitas autem eſt; quia homo potaſt diſponera de rebus, quæ propriâ induſtriâ comparat ut aſt fama, non verò quæ divinitua acquirit, ut eſt vita, hinc fama in ratione dominii non æquivalet vitæ ſed opibus, cùm ſit bonum nobis extrinſecum.

Dices: ſi poſſemus famam negligere, poſſemus eam ſine gravi paccato prodigere ſicut opes, ſed hoc non, ut dicit Gloſſa in can. *ſi ſacerdotibus.* 15. q. 6. ergo.

Contra neg. min. Gloſſa ergo vel aliæ authoritates ſolùm loquuntur in caſu, quo vel noſtra infamia nocet aliis vel fit ſine cauſa contra præceptum charitatis, quo tenemur famem noſtram conſarvare ſicut & cætere bona temporalia, nec reſpublica argo aliud habet jus in noſtram famam quàm habet in reliqua bona noſtra, nempe ſolùm jus altum in necaſſitate boni communis; nam tunc ſicut tenemur opibus eam jovare ita & famâ, & per conſaquans ſicut paupertas noſtre eliquando non redundat in communitatem ita nec quandoque alicujus infamia.

Aſſero 2. *Non poteſt homo ſine peccato injuſtitia falſò detractori imponere falſum crimen, ut per illud inhabilis fieret ad effectum falſæ ſuæ teſtificationis obtinendum.* Eſt Scoti in 4. diſt. 15. q. 4. ubi mentiri aut falſitatem proponere in nullo caſu agnoſcit licere: ergo nec in hoc ſine gravi peccato, cùm ſit in materia gravi. item in 3. diſt. 21. q. 2. §. *in iſta quæſtione.* ubi tenet, impoſtorem falſi criminis val cujuscunque veri & occulti, quod non poteſt probare, haberi pro calumniatore. 8

Probatur 1. pars: tum quia, ſi talis impoſitio falſi criminia fiat extra judicium, nihil prodarit imponenti: ergo non licet, cùm ſit infamatio gravis abſque neceſſitate vel utilitate.

litate; nam per criminationem alterius non manifeſtatur veritas innocentiæ cum multoties etiam criminatiſſimi dicant veritatem vel ſaltem eis etiam ſatis creditur. Si verò fiat intra judicium, debebit hoc probari per teſtes, quibus non credetur abſque juramento, conſequenter hoc fieret cum perjurio, quod eſt graviſſimum malum: tum quia talis impoſitio falſi criminis non eſt defenſio cum moderamine: ergo eſt privata vindicta nunquam licita. Antec. prob. quia ad talem defenſionem requiritur, ut ſit unicum remedium ad ſui defenſionem & quidem certum; ſed impoſitio falſi criminis non eſt tale: ergo. Min. prob. tum quia aliis modis poteſt deveniri in falſitatem criminationis & defendi innocentia, tum quia tali extra judicium ſine juramento non credetur imo putabitur ex vindicta furore & impotentia probandi talis infamatio procedere, & ſic homines potius confirmabuntur, ut credant detractori primo, & ſic non eſt remedium certum nec unicum: ergo. Hinc Innocentius XI. hanc damnavit propoſitionem: *probabile eſt non peccare mortaliter falſum crimen imponendo alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat, & ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

9 Probatur 2. pars: peccatum contra juſtitiam eſt, quando læditur jus legale vel jus privatum ipſius detractoris; ſed imponendo detractori falſum crimen utrumque jus læditur: ergo. Min. prob. læditur jus legale reipublicæ, quod illa habet ne decipiatur in judicio damnando innocentem pro reo, læditur pariter jus privatum detractoris cui tale crimen imponeretur; quia ille habet jus ad ſuam famam ſicut ad vitam, quæ non poteſt rapi, niſi id fiat cum moderamine, quod hic non contingere poteſt, ut dictum eſt proba priori, & nunquam poteſt fieri moderamen, ſi fiat injuria reipublicæ, ob quam cauſam non licet occidere ſuum infamatorem: ergo. Hinc etiam nec liceret verum delictum occultum detractoris manifeſtare, ſi non deſerviat ad ſui defenſionem v. g. ſi non redderet inhabilem ad teſtificandum detractorem, vel ſi non poſſet tale crimen probare, vel poſſet ſe aliâ viâ defendere; nam etiam quivis malefactor occultus habet jus in publicam ſuam famam, cùm quilibet ſit præſumendus bonus, donec probetur contrarium juxta illud, ut dicit Scotus extra de ſcrutinio in ordine faciendo C. un. *humana fragilitas illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debet æſtimare*; & ideo ceſſante juſtâ causâ defenſionis detractorem infamare eſſet detractio vel privata vindicta, ſi tamen poſſet ſe per hoc defendere, poſſet occultum crimen teſtis prodere; quia hoc fieret cum moderamine inculpatæ tutelæ, niſi forte ſimul eſſet crimen ſecretum v. g. acceptum cum pacto de ſilentio vel acceptum à conſilium petente vel ex apertione litterarum cum injuria, tunc enim non liceret etiam pro ſui defenſione illud prodere.

Objicies: poteſt quis tuto alteri auferre victum vel lædere ſegetem, ſi hoc ſit medium, ut eum avertat à ſui læſione: ergo & alteri auferre famam, ut avertat ſuam infamiam. 10

Reſpondeo neg. conſeq. quia prior non habet in hoc caſu jus ad victum ſeu ſegetem, & præterea fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, in caſu autem poſteriori nihil ſimile contingit.

Dices: ad defenſionem ſuam poteſt quis negare publicè ſuum occultum verum crimen contra accuſatorem, ut tenemus propos. 3. ſed hoc ipſo infamat ſuum accuſatorem vel detractorem de calumnia ut mendacem: ergo licitè poteſt quis alteri crimen falſum imponere, ut ſe defendat.

Contra neg. min. quia ipſe accuſator eſt ſibi perniciosſus, qui eô modô proponit crimen, quô non deberet, & ideo imputet ſibi, ſi aliqua infamia ſequitur; quia ipſe eſt cauſa, non autem ille negans, quia defendit innocentiam ſuam in publico, ubi non eſt nocens, nec habendus eſt pro nocente, donec fuerit convictus, nec talis occultus malefactor, ſi publicè abſolvitur, & accuſator ut mendax & calumniator æſtimatur, debet poſtea retractare verbum ſuum, ſed debet ſolùm per quædam verba ſobria reſtituere alteri famam, quem indirectè notavit de calumnia & mendacio dicendo, non habeatis eum pro calumniatore; quia credo, quod habuerit bonam intentionem, vel fortè credidit probare intentum ſuum, & fuit deceptus, ſicut ille, ut admittit Scotus, qui alicui in publico propoſuit verum crimen ſed occultum, non tenetur verbum ſuum retractare, quia ſic mentiretur, cum ſciat illud, quod propoſuit eſſe verum, & non tenetur mentiri propter quodcunque bonum reddendum alteri, ſed aliô modô licitô tenetur reddere formam, utpote per verba reſtrictionem includentia v. g. non credatis eum eſſe talem malè & fatuè dixi, & hæc ſunt vera; nam omnino malè & fatuè dixit, quia non ſervato juris ordine propoſuit in publico, quod adhuc non eſt verum publicum, & perſuaſio iſta, ne reputetis illum eſſe malum, eſt bona: ex quo etiam legitimari poteſt remedium extinctionis injuriarum per retorſionem, quod concedunt juriſtæ, à quibus definitur retorſio: *quod ſit legitima injuria verbalis in ipſummet injuriantem propulſatio honoris tuendi cauſa in incontinenti propria authoritate facta*, dicendo tu mentiris ſcilicet in publico foro, vel magis uſitatè aliis verbis, tu ipſe talis es, qualem me injurioſè appellâſti, quamdiu ſcilicet non probas crimen objectum, debet autem hoc fieri modeſtis verbis & non injurioſis, quia retorſio non eſt quædam directa purgatio innocentiæ, ſed potiùs provocatio, ut injuriator

tor convitium vel probet, vel calumniæ reus maneat; cum jura pœnam talionis falſis accuſatoribus ſoleant injungere; talis autem retorſio contra magiſtratum fieri non poteſt, quia in retorſione legitima debet in injuriante præſumi animus honorem accuſati diminuendi, ſed pro magiſtratu potiùs præſumitur abſuiſſe animus injuriandi, ſed verba ſecundùm ſe quidem injurioſè fuiſſe prolata animo corrigendi, & hoc idem eſt de patre reſpectu filii, de præceptore reſpectu diſcipuli.

Dices: ſaltem ille, qui mendacio licet intrinſecè malo recuperat rem ſuam ab injuſto poſſeſſore, non peccat contra juſtitiam: ergo nec ille, qui mendacio falſi criminis ab injuſto accuſatore vel teſte recuperat famam ſuam.

Contra diſting. antec. non peccat contra juſtitiam mendacio tali quo non læditur jus ipſius iniqui poſſeſſoris conc. mendacio tali, quo læditur ejus jus ſicut in noſtro caſu neg. antec. unde ſi quis injuſtum vitæ ſuæ invaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ubi alius ſe defendendi modus non eſſet, deduceret, ut cadat in foveam vel fluvium, non ageret contra juſtitiam, quia talis invaſor non habet jus ad ſuam vitam, detractor autem haberet jur in ſuam famam; quia contra ejus detractionem non adhiberetur moderamen inculpatæ tutelæ, ut probavimus in Aſſertione.

DISTINCTIO V.

De Juſtitia belli, duelli, & obſidionis.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit cauſa juſta belli, & an bellum poſſit ex utraque parte eſſe materialiter juſtum?

1 ADvertendum eſt 1. bellum eſſe congreſſum plurium vi & armis contra extraneos, & ſic diſtinguitur à ſeditione & duello, quia ſeditio eſt plurium contra plures in eadem republica, duellum verò unius contra alium ſive extraneum ſive concivem; eſt autem bellum duplex offenſivum & defenſivum, primum aſſumitur ad obtinendam ſatisfactionem pro injuria jam illata in facto eſſe, ut ſi nolit Princeps reſtituere, quod injuſtè uſurpavit. Secundum eſt, quod aſſumitur ad repellendam injuriam, quæ adhuc eſt moraliter in fieri, ut ſi Principem poſſidentem alius quis niteretur expellere.

2 Advertendum eſt 2. quatuor requiri conditiones ut bellum offenſivum ſit licitum: prima conditio eſt legitima authoritas bellum indicentis; ſecunda ut cauſa belli ſit juſta, nempe, ut illi, contra quos bellum geritur, propter culpam mereantur invaſionem v. g. ut rebelles ſubditi ad obedientiam redigantur; ut obtineantur, quæ jure gentium ſunt debita uti tranſitus ſine damno per externum regnum; ut recuperentur bona magni momenti & jure debita, & alia, quæ tam gravem continent injuriam, ut damnis ex bello ſecuturis æquivaleat, ac aliô modô compenſatio injuriæ obtinere non poſſit. Sic 2. Reg. 10. David juſtè indixit bellum Regi Ammonitarum, eò quòd legatis David raſerit dimidiam partem barbæ, & veſtes præſciderit; nam per hoc facta eſt publica injuria legatis David: tertia eſt, ut bellantes habeant rectam intentionem, quâ præcisè intendant malum avertere aut bonum recuperare vel promovere, non enim ex odio & vindicta, ſed ex charitate & juſtitia debet ſuſcipi bellum: quarta, ut debitus ſervetur modus in bellando, ne videlicet alia damna parti contrariæ inferantur, quàm quæ neceſſaria ſunt ad obtinendam ſatisfactionem pro injuria illata, ita ut non adhibeantur alia media, quàm quæ ſine præjudicio religionis, juſtitiæ, & charitatis poſſint adhiberi. His notatis ſit:

Propoſitio 1. *Bellum gerere etiam offenſivum eſt licitum, ſi adſint prædicta conditiones.* Ratio eſt ex multis Scripturæ locis, quibus ipſius Dei juſſu ex auxilio miraculoſa ſunt geſta etiam bella offenſiva. Sic Gen. 14. Abraham fuit benedictus geſto contra quinque Reges bello, & 1. Reg. 25. *Deus* dicitur *adfuiſſe prœliantibus, ut levante manu Moyſe vicerit Iſrael in pugna.* Hinc ad Heb. 11. dicitur: *Sancti per fidem fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum:* tum quia jus naturæ permittit, ut injurias illatas vindicet reſpublica, aut bona amiſſa recuperet repetendo ſatisfactionem aliquam, quâ demptâ nunquam incolumis poſſet ſtare communitas: ergo. 3

Nec dicas cum Ecolampadio hæretico: Iſaiæ 2. dicitur: *non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prœlium.* & ad Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes, non vos defendentes chariſſimi.* ideo in Concilio Nicæno Can. 11. damnatur militaris profeſſio tanquam indigna Chriſtiano: ergo ſaltem Chriſtianis non eſt licitum bellare.

Contra neg. conſeq. nam Iſaias ſolùm prophetavit, quod tempore nativitatis Chriſti erit univerſalis pax, quod eſt factum, vel locutus eſt de Doctoribus evangelicis, qui vincent mundum non pugnando ſed potiùs paſcendo & illuminando ad Rom. 12. ſolùm præcipitur, ut ſimus parati ad injurias tolerandas ſine odio, & prohibet eas vindicare privatâ authoritate, quod eſt per ſe malum; hinc in Concilio Nicæno ſolum illi damnantur, qui ſuſcepta fide Chriſtiana rurſus infideli Principi militabant, parati fidem abjicere; unde ſi in Scriptura etiam contrarium appareat, loquitur

Digitized by Google

quitur de bellis, ubi una ex prædictis conditionibus deficit præſertim recta intentio.

Dices: Ethnici & Turcæ ſunt flagella & vindices divinæ juſtitiæ contra Chriſtianos: ergo non licebit ſe contra tales defendere.

Contra neg. conſeq. nam nimium probat, quia probaret etiam non licere famem vel morbum arcere, aut carnis fomitem reprimere ſunt enim etiam flagella Dei & pœna peccati: imò bellum à Turcis illatum ſæpe eſt effectus noſtræ ſocordiæ, & neſcimus an Deus velit nos ſolum oppugnari, an etiam expugnari, forte enim, ut ſperare licet, pro religiona certantes juvabit, quos punit, ut à ſomno vitiorum excitet.

Dices: illud eſt de ſe malum, cui infallibiliter ſunt annexa innumera mala, nunquam enim licet facere mala ut eveniant bona; ſed bellum ſemper habet annexa innumera mala: ergo.

Contra diſting. maj. ſi ſunt annexa per ſe conc. ſi ſolum per accidens neg. maj. mala ergo illa belli per accidens ſolùm ſunt annexa & contra intentionem illius qui gerit juſtè bellum, ex quo ſolùm ſequitur, quòd nunquam bellum ſit juſtum niſi poſitâ ſummâ neceſſitate.

4 Propoſitio 2. *Quandoque Princeps ſub culpa mortali tenetur bellare etiam offenſivè, quando ſcilicet ſalus aut corporalis aut ſpiritualis ſubditorum ſummopere auxilio Principis indigeret, & Princeps non poſſit aliò modò eorum ſaluti providere.* Ratio eſt, tum quia inter Principem & ſubditum adeſt contractus in quo Princeps promittit juvare & ſubditus obedire; ſed omnis contractus parit obligationem in foro conſcientiæ: ergo ſi ſummopere ſubditi debent defendi, & Princeps non bellat, ſit culpæ mortalis reus, cum notabiliter deficiat à proprio debito: tum quia eſt mortale peccatum non facere id, quod in materia gravi eſt præceptum; ſed charitas & juſtitia præcipit Principi bono ſive temporali ſive ſpirituali reipublicæ proſpicere: ergo. Hinc quando ſubditi valde opprimerentur inimicorum violentia ſine ſpe evitandi ſuis viribus has oppreſſiones, vel quando ſpes victoriæ & conſequenter compenſatio damnorum reipublicæ eſſet quaſi certa, vel quando hoſtes Chriſtianitatis in provinciis Catholicis errores & hæreſes diſſeminarent, Princeps omnino tenebitur bellare.

Nec dicas: ſi Princeps in illo caſu teneatur bellare, ſic ſaltem etiam licitè poſſet bellare pro conſervatione ſubditorum, etſi non habeat vires ad bellandum neceſſarias; ſed hoc communiter negatur: ergo nec ibi tenetur. Sequela prob. in illo caſu poteſt fieri bellum juſtum, cum poſſit habere quatuor illas conditiones ad juſtitiam belli requiſitas Advert. 2. aſſignatas; ſed bellum juſtum eſt Principi licitum: ergo.

Reſpondeo neg. ſequelam, quia Reges dum coronantur & principatûs adminiſtrationem ſuſcipiunt jure jurando promittunt jura regni defendare; ſed bellare abſque viribus neceſſariis non videtur tueri & defendere ſed perdere & dilapidare contraveniendo juramento, neque etiam unquam prudens ratio poteſt dictare Principi, ut hoſtibus indiceret bellum, quando ex virium defectu nulla eſt ſpes victoriæ, ſed ſola neceſſitas gravandi ſubditos; hinc ad probam neg. maj. ejus rationem diſting. bellum eſt juſtum, ſi illæ conditiones concurrunt regulariter loquendo conc. ſemper neg. unde non rarò evenit, ut potiùs debeamus de jure noſtro cedere, ne detrimentum alterius jura patiantur, & ſic in caſu noſtro potiùs Princeps tenetur cedere de jure ſuo & abſtinere à bello cum cædibus, incendiis, devaſtationibus &c. quam ipſo bellante ſubjiciatur eis reſpublica.

5 Propoſitio 3. *Probabilius eſt non licere Principi Chriſtiano aut Papæ invadere bello infideles non ſubditos, ſeu ſolus titulus infidelitatis aut aliorum peccatorum contra naturam non poteſt eſſe juſta cauſa bellandi.* Ratio eſt; quia nunquam poteſt eſſe jus belli, ubi non eſt ulla injuria, ſi ergo Princeps ſolùm peccat infidelitate, non infert injuriam: ergo. Aliud autem eſſet ſi impedirent ſuis ſubditis prædicari fidem, vel ſi renuentes eos ad idololatriam aut hæreſim adigerent, & illi poſtularent ſubſidium; tunc enim liceret vim illam injuſtam amovere: tum quia infideles non obſtante infidelitate & aliis criminibus ſunt veri domini rerum ut Matth. 22. & aſſerens contrarium Wiclef damnatur: ergo jure ſuo per vim privari non poſſunt ab iis, qui ipſorum Superiores minimè ſunt, nec etiam in ſe vel in ſuis proximis læſi: tum quia in infideles nec Papa habet juriſdictionem; cùm ſint extra Eccleſiam: ergo eos pro infidelitate non poteſt juſtè punire aut cogere, cum coactio aut punitio ſine juriſdictione non ſit juſta. Hinc Alexander II. aſſerit juſtè bellum geri contra Saracenos, quia Chriſtianos perſequuntur, non autem contra judæos, cum ſint ſervire parati, ut habetur C. *diſpar.* 23. q. 8.

Nec dicas: Adventus Chriſti abſtulit ab infidelibus rerum ſuarum dominia, & tranſtulit in Chriſtianos, ut habetur Eccleſ. 10. propter eorum injuſtitias & injurias, & diverſos dolos, hinc populus Iſraeliticus multorum gentilium regna occupavit Deo hoc approbante, & ideo etiam D. Gregorius laudat Gennadium Exarchum Africæ, quod bello laceſſeret infideles, ut apud eos poſſet prædicare.

Reſpondeo neg. antec. nam Eccleſiaſticus ſolùm indicat eventum, qui ſolet contingere in translatione regnorum de gente in gentem propter peccata Deo ita volente vel permittente, non vero ita Deo diſponente & imperante;

rante;

mente; populus verò Iſraeliticus id fecit ex ſpeciali mandato Dei, quod factum non eſt imitandum ſine peculiari etiam mandato Dei. Tandem D. Gregorius ſolum laudavit Gennadium contra infideles qui erant hæretici & apoſtatæ. Pro quibus

6 Propoſitio 4. *Licitum eſt Principi Chriſtiano cogere bello infideles ſibi ſubditos, qui antea fidem profeſſi ſunt, ut adimpleant quod ipſi promiſerunt vel ipſorum progenitores, & perſeverent in fide vera, quam etiam vi & neceſſitate ſuſceperunt.* Ratio eſt Scoto in 4. Diſt. 4. q. 9. per totam. Quia de his intelligitur illud Lucæ 14. *Compelle intrare.* ex quo ſic: agere quod Chriſtus juſſit fieri, non eſt illicitum: ſed Chriſtus mittens ſecundò ſervos ad invitandum juſſit compellere intrare & per eos compellendos intelliguntur illi, qui ſemel Chriſti fidem ſuſceperant, ut ſentit D. Auguſtinus contra Donatiſtas; nam faciunt Chriſto & Eccleſiæ tanquam Superiori Domino gravem injuriam non præſtando obedientiam. Tum quia certum eſt fidei deſertorem poſſe puniri, & ideò leges non tantum Canonicæ ſed etiam civiles ut L. *quicunque.* Cod. de hæreticis. pœnam mortis ſtatuerunt: ergo ſic tota respublica per bellum poſſet vindicari. Hinc bene Rex Galliæ cogit Hugonotas redire ad fidem è regno rejiciens omnes nolentes ei parere.

Nec dicas cum D. Thoma: credere debet eſſe actus voluntarius: ergo videtur eſſe illicitum ad hunc finem incutere metum à quo ſaltem involuntarium ſecundum quid provenit, imò cum veritas fidei ſit ſupra rationis naturalis captum, non videtur quod aliquis poſſit licitè ad hoc cogi, quod naturaliter non cognoſcit, unde Cap. *majores.* Extra. de Baptiſmo. Prohibetur infideles cogi ad fidem.

Reſpondeo diſting. antec. credere debet eſſe voluntatis quoad incipere conc. quoad perſeverare neg. nam ſicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis, ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam, eſt neceſſitatis. Hinc licet veritas fidei ſit ſupra rationem, naturaliter tamen poteſt cognoſci, quod doctrina fidei ſit digna creditu; propter motiva credibilitatis illius, quæ naturaliter cognoſci poſſunt; tandem in illo citato jure ſolum prohibetur cogi infideles, qui nunquam fidem acceperunt; unde ultra.

7 Propoſitio 5. *Tenetur Princeps Chriſtianus ſub culpa mortali cedere juri belli, quod gerit contra Principem Catholicum pro conſecutione Provinciæ prætenſa, & bellare contra hæreticos rempublicam probabiliter contaminaturos.* Ratio eſt; quia Princeps tenetur omittere bellum juſtum, quando propter illud oportet gravare ſubditos ſupra vires: ergo à fortiori omittendum erit bellum juſtum de regno temporali, quando propter illud poſſent ſubditorum animæ hæreſum pondere gravari, & gravatæ ad abyſſum præcipitari; nam fides, quam Catholicus Princeps confitetur, immediatè reſpicit defenſionem honoris Dei, & ſtrictiſſimè illum obligat etiam cum jactura omnium bonorum ac ipſius vitæ, quod certè non præſtaret, ſi adverſus hæreticos non bellaret in caſu noſtro.

Nec dicas: ſi Princeps Catholicus teneretur tunc bellare potius contra hæreticos, ſic etiam poſſet eripere hæreticorum bona; ſed hoc non poteſt, quia hæretici non privantur dominio bonorum ſuorum antequam condemnantur à judice, quod hic non evenit: ergo.

Reſpondeo neg. min. nam ubi bellum eſt juſtum, juſtè hoſtium bona directè eripiuntur, & indirectè quandoque bona innocentum, exceptis Clericis juxta C. *immolans* 14. q. 5. quæ bona ſi ſunt mobilia ſpectant ad ipſos victores & capientes, bona verò immobilia ſpectant ſolùm ad Principem bellum indicentem. ita diſponente jure gentium & civili: præterea licèt hæretici à die commiſſi criminis non incurrant confiſcationem bonorum, ut aliqui volunt cum Sylveſtro; quia tamen Princeps, cum ſit hoſtium legitimus judex, habet jus pronuntiandi ſententiam, & hæreticos contra quos bellat ad privationem vitæ & bonorum damnandi, & præſertim ſi tales hæretici ſint ab Eccleſia jam damnati.

Propoſitio 6. *Probabilius eſt non poſſe Principem bellare ad imminuendam potentiam viciniam creſcentem, quam auctam ſibi timet aut ſuæ reipublicæ nocituram.* 8 Ratio eſt contra quoſdam Statiſtas & Politicos, quia vel Princeps timet potentiam vicinam ſibi nocituram aliquò juſtô titulô vel nullô? ſi primum, non apparet licitum, quod Princeps poſſit offendere ſivè bellare ad imminuendam potentiam creſcentem, cùm non liceat imminuere aliquam potentiam, ne poſſit uti jure ſuo; cum hoc ſit contra jus naturæ ne facias alteri, quod tibi fieri nolles: ſi ſecundum, hoc irrationabiliter præſumitur; nam talis timor non eſt conformis rectæ rationi regulariter loquendo, cum non ſit præſumendum, quod potentia creſcens ſit alteri injuſtè nocitura, niſi experientia probetur contrarium, nemo enim præſumitur malus, niſi probetur, ut habetur C. *dudum.* de præſumpt. & L. *merito.* ff. pro ſocio: tum quia ad bellum gravis requiritur injuria non apprehenſa ſed realis, nam quæ in bello geruntur omnia ſunt gravia, omnia atrocia, quæ oriri ex metu levi nefas eſt.

Nec dicas: bellum defenſivum poteſt quivis ſuſcipere etiam privatus, cùm vim vi repellere liceat; ſed quando Princeps videns creſcere potentiam & ſuæ reipublicæ nocituram, ad illam imminuendam arma aſſumit, licèt in apparentia ſit aggreſſivum, in re tamen eſt bellum defenſivum, bellat enim ad aver-

tendum damnum imminens, quod aliter avertere non poteſt: ergo erit licitum.

Reſpondeo neg. min. nam vim vi repellere ſolùm licet, quaodo jus actu eſt non verò quando erit; cum metus rei futuræ jus ad vim dare oequeat, cum ipſe DEUS moneat Pſal. 48. *ne timueris, cum dives factus fuerit homo &c.* hinc hujusmodi bellum, cum ſit ex irrationabili apprehenſione & levi timore, verè & realiter ſemper eſſet aggreſſivum, & indirectè nocet publico Chriſtiano, cum propter hoc poſſit retardari ſtudium & zelus Chriſtianorum Principum in ordine ad arma aſſumenda contra Turcas Chriſtiani nominis hoſtes.

9 Propoſitio 7. *Licitè poteſt Princeps in bello juſto uti inſidiis & ſtratagematibus, & hoſtibus adimere libertatem.* Ratio primi eſt ex C. *dominus.* 23. q. 2. quia non obligamur nos continere ab actionibus in ſe non malis, nec ſpeciem mali habentibus; ſed ioſidiæ & ſtratagemata ſunt actiones per ſe non malæ, ſed bonæ rationabiles ſuppoſitâ juſtitiâ belli, ſi per inſidias & dolum poſſumus vincere hoſtes, & res noſtras ab eis ablatas recoperare: ergo. excipiendæ tamen ſunt inſidiæ, quæ fierent per mendacia & violationem pacti, niſi fortè pactum vi aut metu injuſtè incuſſo fuerit extortum, vel niſi hoſtis prius fidem fregerit: ratio ſecundi eſt, libertatis noſtræ nos ſumus domini, ut in 6. diſt. priori diximus: ergo ſi ad
8 procurandam ſatisfactionem injuriarum neceſſe ſit, poteſt hoſtibus hoc dominium libertatis adimi, ita tamen, ut de Chriſtianis bello captis debeat intelligi cum hac modificatiooe ut captivi Chriſtiani detineri quidem poſſint carcere quouſque redimantur, non tamen reduci ad formalem ſclavitatem; uti jure communi Chriſtianorum ubique obſervatur.

Nec dicas: Si Principi licet uti ſtratagematibus, ei etiam licebit pecunia aut largis promiſſis traditionem urbis quam obſidet à gubernatore ejus procurare; ſed hoc à probabiliori ſententia rejicitur: ergo ſequela prob. tam quia talis traditio non eſt per ſe mala, ſi enim licitum eſt Principi illam traditionem vi armorum procurare, cur non etiam vi pecuniæ, præſertim ſi gubernator jam eſt paratus eam tradere, ne tam multi pereant vel fame vel bombis & ſic Princeps potius cooperatur ad bonum: tum quia juxta omnes gubernator prudenter tradit urbem, ſi vi armorum uſque ad extrema cogitur; ſed pecunia non immutat intrinſecè actionem: ergo etiam &c.

Reſpondeo neg. ſequelam, nam procuratio urbis per pecuniam noo poteſt numerari inter ſtratagemata, cum ſit actio mortaliter peccaminoſa, cum violet gubernator ſuum pactum de cuſtodienda civitate; ſed pacta ſunt ſub gravi obligatione ſervanda ut patet, cùm planè hoſtibus ſint ſervanda: ergo non poteſt à peccato mortali excuſari talis, qui cooperatur ad talem actionem peccaminoſam, ut eſt Princeps per pecuniam procurans: præterea gubernator tradens urbem ob aviditatem pecuniæ vel ob alium favorem promiſſum peccat contra fidelitatem: quia urbs ejus cuſtodiæ eſt tradita, peccat contra juſtitiam, quia vendit, quod ſuum non eſt, peccat contra religionem, quia violat juramentum fidelitatis. Præterea Princeps etiam eſt cauſa alterius ſcilicet gubernatoris perditionis peccatum mortale committentis, ejuſdem & familiæ infamationis, ubi tamen miſericordia & charitas nos obligat iſta vitare in proximo, quæ commodè poſſumus; hinc ſi talis traditio pœna capitali ſolet puniri, omnino gravis debet eſſe delicti: unde ad probam ſequelæ neg. antec. diſparitas autem eſt, quia uſus occupandi armis urbem eſt à jure permiſſus, non vero uſus occupandi per pecuniam. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Cauſa juſta belli aggreſſivi eſt ſola quadam gravis injuria illata reipublicæ vel Principi, qui de juſtitia belli debet eſſe certus, non vero Duces & milites debent examinare juſtitiam belli, ſed ſatis eſt, ſi non ſint certi de injuſtitia.* Eſt communis, & ſupponitur à Scoto in 4. diſt. 36. q. 1. §. *hic ſunt.* 10

Probatur 1. pars: bellum eſt actus juſtitiæ viodicativæ: quæ verſatur circa punitionem & compenſationem iojuriarum, & communiter eruitur ex definitione belli ex S. Auguſt. q. 10. in lib. Joſue dicentem: juſta bella ſunt; quæ ulciſcuntur injurias &c. quod autem talis injuria debeat eſſe gravis, patet ex eo; quia bellum magna infert damna, adeóque ſine dubio magnum eſſet peccatum contra charitatem, ſi inducerentur ſine gravi cauſa, quænam verò ſint tales graves injuriæ patet ex Advert. 2.

Probatur 2. pars: In re tanti momenti ubi tanta mala patiuntur utrique parti bellanti eſſet temerarium bello aggredi alterum ſine titulo vel certo vel admodum probabili: ergo neceſſe eſt, ut Princeps juſtitiam belli prius diligenter examinet, ut ſit de ea certus, quàm illud incipiat. 11

Probatur 3. pars: militi præſertim ſubdito obedienti ſatis eſt ſcire, quod Principem habeat juſtum: ergo ſioe alia certitudine poteſt ſolâ hac fide obſequi præceptis ſui Principis; & hinc licet etiam alias poſitivè dubitaret, non tenebitur inquirere, quod idem etiam communior ſententia admittit de milite non ſubdito; nam eadem eſt ratio, cum in re, quæ præſumitur juſta, nunquam injuſtum eſſe poſſit alterum juvare. Ex his: 12

Inferes 1. Bellum quod ultimo geſſit noſter Imperator contra Gallum fuiſſe juſtum aggreſſivum, quia fuit à legitima authoritate Principis ſupremi bellum indicentis, & ob cauſam juſtam, nempe ob iojuriam gravem illatam de ſibi accipiendo toto Regno Hiſpaniæ, quod jure hæreditario ſpectabat ad Imperatorem, & tandem fuit ex recta intentio- 13

ne

ne recuperandi bona ablata & ex debito modo bellandi.

14 Inferes 2. Bellum quod gerit Imperator vel alius Princeps Catholicus contra Turcas eſſe juſtum, quia adſunt illæ tres deſideratæ conditiones ad bellum, & præſertim ſecunda, ſcilicet juſta cauſa, quia Turcæ pugnant contra Chriſtianos, quod & habent ſtatutum in ſuo Alcorane, igitur vim vi repellere licet, & Turcæ jam graviſſimas injurias per vim, rapinas, & direptiones florentiſſimis Regnis Chriſtianis intulerunt. Nec obſtat quod actu non pugnent, nam licèt actu non impugnent Chriſtianos, creduntur tamen habitu eos velle impugnare, ſi opportunitas illis adfuerit, quapropter melius eſt prævenire quam præveniri, ſed ſemper de eis rationabiliter eſt timendum, quòd in futurum pacem perturbent: nec ultra obſtat juramentum, quod Turcæ fecerunt de pace non violanda, ſemper enim juſtum erit bellum contra ipſos, quia detinent Provincias ad Chriſtianorum Principum Regna ſpectantes, eorúmque & Eccleſiæ dominio ſubjectas.

15 Objicies contra 1. partem: non omnis injuria in Advert. 2. ſpecificata poteſt eſſe juſta cauſa belli aggreſſivi: ergo non quævis gravis injuria, quæ aliter compenſari non poteſt. antec. prob. non illa injuria, quàm aliquis Princeps videtur facere per hoc, quod deneget tranſitum exercitus alterius Principis per ſuum Regnum: ergo. quia tunc adeſt metus damni, quod facilè poteſt à multitudine tranſeuntium oriri, qui metus ſufficit ut ſit cauſa juſta denegandi tranſitum & non ſit injuria: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad prob. etiam neg. antec. nam ea denegare, quæ jure gentium omnibus licent, ſunt ſuo modo debita; unde infertur injuria ei; cui fit denegatio tranſitûs, cum ſit jure gentium cuivis debitus: hinc ad probam antecedentis dico, quod jus unius non tollitur metu alterius, præterquam quod damnum, quod timetur, reparetur; nam tenentur transeuntes omnem ſecuritatem facere, ut ſi obſides darentur, vel ſi exercitus tranſiret inermis, adóque data debita cautione damnum non eſt timendum, quæ cautio ſi non daretur, juſtè tranſitus negaretur, & injuſtè contra negantem bellum moveretur.

Dices: denegare alicui negotiationem, piſcationem, mercaturam, peregrinationem, navigationem in ſuis regionibus & fluminibus non eſt injuria ſeu cauſa juſta inferendi bellum; quia nullo jure probari poteſt, tale commercium cuilibet extero deberi: ergo nec infertur etiam injuria ſi denegatur tranſitus.

Contra: transmitto antec. neg. conſeq. nam utique major eſt injuria & iniquitas aliquem impedire à ſua juſta ſatisfactione & compenſatione accipienda de ſuo offenſore, quale impedimentum multoties poneret ipſe Princeps, qui negaret alteri tranſitum per ſuum Regnum, & ſaltem ingentia incommoda & expenſas cauſaret, ſi alter Princeps per alias longiores vias deberet ad hoſtes accedere: in caſibus autem mercaturæ, piſcationis &c. non ordinatur tranſitus ad quærendam ſatisfactionem gravis injuriæ, ſed tantùm ad quærendum particulare commodum, quod impedire non eſt tanta injuria & iniquitas, ut mereatur bello puniri. Dixi tranſeat antec. nam probabilis eſt ſententia Lorcæ cuilibet licere peregrinari in alias Provincias & ibi degere ſine detrimento tamen incolarum, & ideo mihi videtur quod Rex Sueciæ quondam fugitivus non poterit ſine injuria à Turca ejici ex Peodem civitate turcica, pariter licere per flumina alterius regionis navigare, omnibus portubus maris uti, negotiari in aliis Provinciis importando merces quibus carent habitatores exportando aurum & argentum aliáſque merces, quibus habitatores abundant & aliunde non indigent, piſcari etiam margaritas in mari vel aliis locis communibus; quia hæc omnia licent jure gentium, unde Plutarchus de mari dicit: *vitam noſtram alioquin feram & commerciorum exortem hoc elementum ſociavit, ſupplens quod deerat ope mutua & permutatione rerum ſocietatem amicitiámque concilians.* Adeóque his titulis potuerunt Hiſpani bellum inferre Indis, & ad eorum ditionem reducere, cum ſupra dicta illis negaverint.

Dices: non ſola injuria illata reipublicæ aut Principi eſt juſta cauſa bellandi, ſed etiam alii tituli, ut patet propoſ. 3. & 6. ergo.

Contra neg. antec. reſponſio patet in illis citatis propoſitionibus.

Objicies 2. Si cauſa belli eſt dubia, ſeu quando in utramque rationes ſunt probabiliores, æqualiter poteſt Princeps offerre bellum; ſed tunc non eſt certus de cauſa belli: ergo maj. patet; quia licet ſequi opinionem probabilem, imo tunc ſtat libertas Principis in poſſeſſione. 16

Reſpondeo diſting. maj. ſi eſt dubia ſpeculativè conc. ſi eſt dubia practicè neg. nam ſic ſe exponeret periculo graviſſimorum peccatorum. Ad probam vero dico, licere quidem ſequi opinionem probabilem, ſed non in omni materia, ut diximus in priori Tract. de conſcientia probabili. Ad præſens ergo quæro vel Princeps habet judicium probabile quod poſſit bellare? & ſic ſine peccato illud ſuſcipiet; quia licet operari cum conſcientia probabili; vel ſolum habet judicium probabile, quod jus habeat ad tale regnum, & judicium habet probabilius, quod non habet tale jus, ſed magis alter? & ita non poterit perturbare alterum à poſſeſſione regni, quia in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis, poteſt tamen jus ſuum probare rationibus, quas poſſeſſor tenetur audire, ſi autem renuat, poteſt bello vindicare talem injuriam, ſi verò neuter

Prin-

Princeps ſit ingreſſus poſſeſſionem: aut alter poſt exortam controverſiam ſolùm eſt ingreſſua; & ſit dubium, ad quem res pertinet, etiam poſt factam diligentem inquiſitionem, tunc erit neceſſaria aliqua compoſitio vel diviſio rei, de qua dubitatur, vel poſſunt conſtitui alii Principes neutrales ut arbitri dirimentes litem, & tunc ceſſabit dubium, & erit aliqua major probabilitas, nullus autem Princeps pro ſe poteſt pronuntiare ſententiam, nec poteſt dare præjudicio Juriſperitorum ſui regni, qui dicent illum habere jus efficacius ad regnum, ut ſuo loco de conſcientia probabili diximus. Cæterum tamen etiam de Ducibus & militibus certum eſt talem militem in ſtatu peſſimo & peccati mortalis verſari, ſi ita paratus ſit quemcunque ſequi ad bellum ſive juſtum ſive injuſtum, dummodo ipſi ſtipendium ſolvatur & niſi tale propoſitum mutet, à Confeſſario abſolvi non poteſt, adeóqua ſemper etiam milites ſe practicè reſolvere debent, quod poſſint ſtare ſententiæ Principis, de quo benè præſumunt illum non habere injuſtum formaliter bellum.

17 Aſſero 2. *Implicat ut bellum ex utraque parte bellantium ſit materialiter & per ſe juſtum, licet formaliter & per accidens ex probabilitate vel ignorantia quandoque ſit utrinque juſtum.* Eſt communis, & deduci poteſt ex Scoto in 3. diſt. 24. q. un. §. *contra hac.* dicente: *qualibet duo extrema contradictionis de eodem ſunt incompoſſibilia æque inter ſe.*

Probatur 1. pars: Bellum materialiter juſtum nihil aliud eſt, quam à parte rei juſtè petere materiam ſeu rem, quæ injuſtè detinetur; ſed taliter non poteſt eſſe ex utraque parte juſtum: ergo. min. prob. ſi bellum quoad rem eſſet ex utraque parte juſtum, tunc duæ voluntates contradictoriæ eſſent juſtæ; ſed hoc repugnat: ergo maj. patet Imperator deberet velle habere: quod juſtè petit, & Rex Galliæ deberet velle eum illud non habere; quia Rex Galliæ deberet velle retinere id, quod juſtè retinet, neque Imperator deberet velle illud habere: ergo unus circa eandem rem haberet juſtam voluntatem petendi & alter retinendi. min. verò probatur, illæ voluntates cum idem haberent objectum inferrent, quòd illam rem deberet habere Imperator, & non deberet habere, & eſſet objectum juſtum, & non eſſet juſtum, quod implicat.

18 Probatur 2. pars: Bellum formaliter juſtum nihil aliud eſt, quàm quando aliquis putat invincibiliter & juſtè poſſe rem petere, quam putat ab alio injuſtà retineri, ſeu quando prudenter judicat ſe habere cauſam juſtam, licet à parte rei non ita ſit; ſed taliter poteſt eſſe bellum ex utraque parte juſtum: ergo min. prob. ſi uterque Rex, inter quos bellum verſatur, bona fide procedat, & re diligenter examinata nullam injuſtitiam reperit, ex parte ſuâ, licèt à parte rei ſit injuſtitia, tunc uterque habebit juſtum bellum formaliter; nam ſic Joſue juſtè debellavit ex mandato DEI Jebuſæos, & hi ſe juſtè defendebant; cùm invincibiliter ignorarent jus, quod DEUS dedit Iſraelitis.

Objicies: Imperator geſſit bellum offenſivum contra Regem Galliæ defenſivè ſe habentem; ſed hoc bellum, ſi eſt formaliter ex utraque parte juſtum, etiam eſt materialiter ex utraque parte juſtum: ergo min. prob. quilibet circa rem eandem habet opinionem probabilem; ſed hanc poteſt ſequi in conſcientia & rem retinere: ergo. 19

Reſpondeo neg. min. ad prob. diſting. min. hanc poteſt ſequi ſecundum id, quod natura rei expoſcit neg. ſecundum id, quod prudens ratio in his moralibus & quoad veritatem agnoſcendam difficillimis circumſtantiis permittit conc. min. quando ergo ex utraque parte ſunt rationes probabiles de jure vel injuria, ut nimirum facta diligenti diſcuſſione una quidem pars arbitretur certò & liquidò ſibi rem debitam eſſe aut injuriam ſibi illatam, altera verò pars ſibi contrarium certò perſuadeat, ſcilicet nihil juris competere adverſario, tunc una pars neceſſariò errat, qui error ſi eſt invincibilis, & neutra pars vellet cedere, tunc bellum ex utraque parte juſtè ſuſcipitur; ex quo tamen non ſequetur, quod circa eandem rem ſit duplex abſolutè jus contrarium, ſed tantum jus probabiliter contrarium, & in opinione litigantium, non vero à parte rei. Cæterum verò quid dicendum ſit de juſtitia belli circa Coronam Hiſpaniæ relinquitur Statiſtis, Pontifici, & ipſis armis.

Dices: ſi furtim hoſtilem miles aggreditur, ubi ſunt innocentes, certè qui aggreditur juſtè à parte rei aggreditur, & innocens etiam à parte rei jus habet ſe defendendi: ergo ſic bellum etiam ex utraque parte erit juſtum materialiter.

Contra diſting. conſequens: bellum, ubi eſt directa & proxima, utriusque oppugnatio neg. bellum, ubi eſt remota & indirecta aliquorum impugnatio, erit ex utraque parte materialiter juſtum conc. conſeq. adeóque ſolum per accidens bellum poteſt eſſe utrique materialiter juſtum, quia hoſtis ille oppugnans arcem nonniſi per accidens pugnat contra innocentes, non vero per ſe.

Dices: ſi res aliqua nullius ſit domini & ſimul & ſemel à duobus occupetur, poterunt ambo pro illa juſtè propugnare: ergo.

Contra neg. antec. nam ſi duo æquè primò occuparent eandem rem, tunc illa res deberet dividi, ſi poteſt, vel ſorte decidi, ut alterius, vel fieri debet aliqua compoſitio.

Dices: ſi famulus domino ſuo furanti ſcalam admoveat, aut aliter licitè cooperetur, ille poteſt juſtè occidi ab iis: qui damnum injuſtè patiuntur, ſi malum alia ratione non poſ-

ſit

ſit vitari, & ille viciſſim ſe poteſt licitè defendere: ergo.

Contra, ſi illi ſcirent, quòd ſervus juſtè admoveat ſcalam Domino, non poſſunt illum occidere, priusquam monuiſſent, ut recederet, ſi autem monuerunt, tunc fieret reus & juſtè occideretur, & ſic hic non poſſet juſtè occidere. Ex his

20 Addo 1. Indicentes bellum peccare mortaliter in ſequentibus: primò, ſi abſque juſta cauſa inferant bellum, ſicque etiam peccant omnes conſiliarii inducentes & adjuvantes, ac omnes ſub eis ſcienter & voluntariè militantes obligantùrque ad reſtitutionem damnorum tam propriæ quam alienæ reipublicæ ſubditis illatorum, ex quo patet in bello injuſto nil fieri militum de ſpoliis, ſed omnia debent reſtitui, unde Turcæ de bonis Chriſtianorum nullum acquirunt dominium, ſed omnia reſtituere debent, ſi bellant ſolùm propter titulum Chriſtianitatis, ſecus eſſet ſi gerant bellum ex alia juſta vel probabili cauſa ob titulum alicujus boni temporalis: ſecundò, ſi modum debitum exequendi bellum notabiliter excedant ſive in punitione nocentium ſive in damnificatione innocentium directè, & ſic pariter tenentur ad reſtitutionem: tertiò, ſi culpabiliter de juſtis ſtipendiis non provideant, ita ut milites ad injuſtas rapinas inferendas inducantur, & pariter tenebuntur ad reſtitutionem, ſecus eſſet ſi incurſus hoſtium aliquando acceleretur, & Princeps non poſſit ſtipendia omni ſtudio quæſita præbere, tunc incolæ provinciæ & ipſi milites ob bonum commune deberent aliqua incommoda tolerare. Cæterùm tamen Princeps nullum jus capit in bona Eccleſiæ vel alienigenarum, quia neutra ſunt ſub dominio reipublicæ contra quam juſtè bellatur, non tamen tenetur victor ea reſtituere, ſi per accidens fuerunt vaſtata, quia cauſa vaſtationis fuit juſta, excipe tamen, niſi fortè in quo factus fuit ditior.

21 Addo 2. Belliduces & alios Officiales peccare mortaliter in ſequentibus: primò ſi diſciplinam militarem intermittant, milites ab injuſtis incenſionibus, rapinis, ſtupris per inflictas pœnas non coërceant, & ſic contrahunt obligationem reſtitutionis; cùm ex juſtitia ſint obligati ad hujusmodi damna impedienda, quatenus commodè poſſunt; nam poteſt aliquando Bellidux maximè cupere ſervare diſciplinam, non tamen commodè poteſt, quia milites deflexionem ad hoſtem vel deſertionem belli neceſſarii apertè cogitant, ſi ſeveritate ſuppliciorum à præda omninò prohibeantur, ideo aliquando talia minora mala permitti poſſunt, & ab incolis æquanimiter ferri debent: ſecundò, ſi nulla cogente neceſſitate milites temerè ſe exponant certæ occiſioni, aut in locis inſalubribus caſtrametentur cum periculo morbi vel contagionis: tertiò, ſi pecuniam accipientes pro militibus ſibi notabilem partem arrogent, aut accipiunt pecuniam pro majori militum numero, quem tamen non complent, aut dimittant veteranos aut exercitatos milites, & in eorum locum novos inexpertos pro minori ſtipendio ſubſtituunt: quartò, ſi vectigalia non debitè adminiſtrent negligentem curam de eis ſolvendis gerant, aut præbeant in minori quantitate quàm præſcriptum ſit: quintò, ſi dum ducunt exercitum à pagis & civitatibus accipiant pecuniam ad redimendas guardias, ut ſcilicet non ad hos ſed ad alios plus æquè gravandos divertantur, vel ſi uni militi dant plures ſchedas ad diverſas domus &c.

Addo 3. milites gregarios ſtipendio conductos ſub mortali ex juſtitia obligari ad ſequentia: primò, ut Ducibus in omnibus ad bellum ſpectantibus obediant: ſecundò, ut in pugna perſiſtant, nec niſi apertè deſperatâ victoriâ fugiant, arcem ſibi commiſſam defendant etiam cum periculo vitæ, quamdiu ſpes eſt defendendi: tertiò, ut ſine conſenſu Ducis non deſerant exercitum, niſi negato injuſtè ſtipendio, ita ut gravem neceſſitatem cogerentur pati, nam tunc ſaltem in foro conſcientiæ tales deſertores excuſantur. 22

QUÆSTIO II.

De quibusdam quæſitis circa Principes tempore belli maximè occurrentibus, & ſcitu perutilibus.

QUæres 1. *An Summus Pontifex licitè poſſit convocare exercitum & bellum indicere Principibus Chriſtianis pacem ab ipſo propoſitam acceptare recuſantibus.* 1

Reſpondeo affirmativè; & multò magis poſſet ſub excommunicatione hoc eis præcipere; tum quia Summus Pontifex habet jus etiam Superioritatis directè in ſuis terris, & indirectè ob finem ſpiritualem in toto mundo circa fideles: ergo habet authoritatem legitimam movendi bellum contra pacem acceptare nolentes. Antec. patet ex priori Tract. de lege humana. Conſeq. prob. tale bellum eſt juſtum & licitum, quod ordinatur ad pacem, quæ eſt finis belli, adeòque Pontifex bellando eſſet pacificus, ut eos quos expugnat ad pacis utilitatem bellando perducat; ergo ſi non adeſt ex Principibus bellantibus aliquis Superior ad quem recurratur pro pace obtinenda, niſi Pontifex, ille hanc armis procurare licitè poterit, unde Julius Papa C. *officium noſtri.* 24. q. 1. dicit: *Officium noſtri conſiderationis non eſt nobis diſſimulare & tacere libertas, in quibus major cunctis Chriſtianæ Religionis zelus incumbit:* Tum quia ipſe Deus per Jerem. c. 1. Pontificem tanquam futurum ſuum Vicarium conſtituit ad procurandam pacem:

Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna ut deſtruas & diſperdas, & ædifices & plantes. Sed ex hac ipſa intentione Dei mandantis Vicario ſuo finem, habetur enim ad obtinendum talem finem poſſe imò debere uti mediis ad hoc conducentibus: ergo ſi aliud medium non occurrat ad firmandam pacem niſi bellum, hoc erit licitum Pontifici, ſicut & alii Catholico Principi, ut inter alios Principes bellantes pacem inducat, quam ipſis propoſitam recuſant, cum talis finis ſit rectiſſimus juxta illud Chriſti Joann. 14. *pacem relinquo vobis.*

Objicies: non licet Clericis arma ſua ſumere ad impugnandum quoscunque homines, præſertim ubi timetur effuſio ſanguinis, aliàs Summus Pontifex eſſet occiſor & humani ſanguinis effuſor: ergo non poteſt licitè &c. hinc D. Bernard. lib. 19. de conſid. ad Eugenium Papam dicit: *magis aggredere eos ſed verbo non ferro, quid tu denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam?*

Reſpondeo neg. conſeq. quia cum Summus Pontifex ſit ſupra omne jus poſitivum Eccleſiaſticum, ideo poteſt diſpenſare pro ſe & pro aliis ex juſta cauſa, nec propterea Pontifex poteſt dici ſanguinis effuſor, cum talis effuſio ſequatur præter ejus intentionem, non enim vult Pontifex ſuo exercitu diſſidentes occidere, ſed eos pacificare, & ſucceſſivè ſanguinis effuſiones impedire; Sanctus autem Bernardus ſolum vult Pontificem non facillime debere arma ſumere ad bellum, ſed ſolummodo urgente neceſſitate boni publici ad finem ſpiritualem, ut patet ex ejus contextu, quem citavimus pro nobis in priori Tract. de lege humana; hinc ad præſentem textum dicitur reſpondiſſe Julius II. *ponam gladium in vaginam, poſtquam inimicis meis juſtè decuſſero unam auriculam.* Nec per hoc ei concederetur, quod poſſit aliquem privare jure ſuo, quando ex juris executione nullum oritur præjudicium, ſed ſolum quando tale oritur bono publico præſertim ſpirituali.

Dices: in Extra: *meruit.* de privilegiis. Reges & Principes Chriſtiani videntur immunes quoad temporalia ab imperio Eccleſiæ: ergo eis non poteſt Pontifex præcipere ut deſiſtant à bello, nec ei præcipienti tenerentur parere.

Contra dico illam extravag. ſolum velle quod Rex Franciæ & alii non plus ſubjiciantur imperio Eccleſiæ quam eſſent antequam Bonifacius VIII. illam conderet; ſed antecedenter ad dictam extravagantem Reges imperio temporali Eccleſiæ erant obnoxii ſaltem indirectè: ergo & nunc.

2 Quæres 2. *An ſi Pontifex donaret alicui Principi Catholico regnum alicujus infidelis injuriam innocentibus fidelibus inferentis, liceat illi Principi bellare contra Regem infidelem nolentem cedere regnum donatum?*

Reſpondeo *affirmativè.* Tum quia Chriſtus commiſit Petro & ejus Succeſſoribus omnem juriſdictionem neceſſariam ad finem ſpiritualem, ut habetur C. *pro humani.* de homicidio in 6. ergo ſi Summus Pontifex donat regnum infidelium injuriam innocentibus inferentium Principi Catholico juſtè & validè donat, & Princeps fidelis acquirens virtute donationis verum jus in regnum, poteſt licitè bellum indicere: tum quia Pontifex ex juſta cauſa poteſt infidelium provincias donare Catholicis, ut de facto donavit regnum Indiæ & è Cathedra definivit licere ea Regibus acquirere & Indis jugum ſuorum infidelium Principum excutere, cum habeant leges injurioſas Chriſtianis, ut eſt innocentes immolare & occidere, eorum carnibus veſci & Chriſtianos tyrannicè tractare: ergo. Tum quia ex mandato Dei Eccleſ. 17. unusquisque tenetur proximum ſuum adjuvare: ergo quivis naturali jure poteſt amovere ab innocentibus injuriam illatam aut certò inferendam, & ſic multò magis tenebitur Pontifex, cum inter omnes incumbit innocentes defendere & peſſimos ritus infidelium ac barbaras leges abrogare.

Objicies: Infideles Principes ſunt veri Domini, cum dominium non fundetur in gratia Dei & fide, ſed in libero arbitrio & ſit beneficium naturæ: ergo propter peccata eis non debet ſubtrahi, cum æque infideles ſint noſtri proximi & diligendi ſicut nos.

Reſpondeo neg. conſeq. nam non ſunt immunes à privatione regni per Pontificem ſaltem indirectam temporalem juriſdictionem in univerſum orbem habentem proter peccata injuriam innocentibus inferentia; unde licèt non ſint ſubditi ratione Baptiſmi, ſiunt tamen ſubditi ratione delicti in territorio Eccleſiæ per totum mundum diſperſo commiſſi: & ideo optima adhuc ordinata charitas ſervatur, dum infidelibus datur Princeps Catholicus, qui innocentes ab injuria defendat.

Dices: Eccleſia tolerat Saracenos in eorum matrimoniis. C. *gaudemus.* de divor. ergo multo magis tolerare debet eos in ſuis regnis & bonis.

Contra licet Eccleſia toleret matrimonia eorum, non tamen approbat, ſed ob majora mala rationabiliter permittit, irrationabilis autem eſſet tolerantia, ſi toleraret innocentium injurias, quas facilè poteſt amovere injuriantium dominium Principi Catholico concedendo.

Quæres 3. *An Summus Pontifex poſſit concedere Principi Catholico facultatem ineundi fœdus cum infidelibus in bello juſte contra Principem Catholicum pugnando.* 3

Reſpondeo *probabiliter affirmativè eúmque poſſe diſpenſare ſeu interpretari Bullam Cœna,*

Cœnæ, *& alia jura auxilia infidelibus præſtare vetantia.* Tum quia Pontifex in jure naturæ & divino poteſt ex juſta cauſa diſpenſare ſeu potius declarare, quòd in tali caſu non obliget; ſic enim reddere depoſitum eſt de jure naturæ, & tamen Pontifex vel lex poteſt in aliquo caſu interpretari non eſſe reddendum, v. g. ſi miles petat gladium depoſitum ad occidendum Regem. Hinc Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quartò*, dicit: *depoſitum de cujus redditione eſt lex ſtrictiſſima, poteſt teneri licitè domino invito voluntate inordinata.* Sic de jure naturali eſt non occides, & tamen homicidium in bello juſto minimè prohibetur: ergo etiam ſi ferre auxilia infidelibus contra fideles bellantibus prohibeatur jure naturali & divino in aliquibus ex juſta tamen cauſa poſſet Papa quoad hoc diſpenſare ſeu potiùs declarare talia jura in hoc vel illo caſu non obligare, & ſic dicitur diſpenſâſſe Martinus V. cum Venetis & Genuenſibus, quibus permiſit auxilia ferre infidelibus, ut refert Sylveſter in Summa & Durandus in Bullam Cœnæ. lib. 2. unde cum non omnis rerum prohibitarum delatio ad infideles ſit intrinſecè mala, & diſpenſatio & abrogatio legis tempore & loco opportuno, ut hic ſupponimus, ſit etiam paſcere gregem, id non videtur eſſe denegandum Pontifici in noſtro caſu: tum quia ſi Princeps Catholicus ſe priùs per juramentum obligavit ad ſuccurrendum infideli Principi, poteſt Summus Pontifex per ſuam diſpenſationem illum eximere à tali obligatione naturali, quod fides ſit ſervanda: ergo etiam poteſt concedere facultatem ineundi fœdus cum infidelibus in bello juſto NB. juſto contra fideles.

Objicies: ſi Pontifex concederet talem facultatem ineundi fœdus & privilegium deferendi arma tot juribus prohibita ad hæreticos & infideles Chriſtiani nominis hoſtes contra fideles, concurreret ad deſtructionem Eccleſiæ & corporis myſtici, & ſic Chriſtum læderet & Chriſtianos, ſi non omnes ſaltem multos; ſed talis diſpenſatio eſt nefanda Chriſti Vicario & de re ab intrinſeco mala: ergo non eſt concedenda Summo Pontifici.

Reſpondeo diſting. maj. deſtrueret Eccleſiam per accidens & præter intentionem ejus tranſeat, per ſe & indirectè neg. maj. diſting. min. ſed talis diſpenſatio quæ directè id intenderet eſt nefanda conc. cui ſolum per accidens annectitur neg. min. imò nec iſta ſequuntur in caſibus in quibus adeſt juſta cauſa diſpenſandi v. g. ſi Turcæ molirentur Catholicum invadere Imperium, poſſet Papa ad removendum periculum, illorùmque violentias impediendas concedere Imperatori facultatem fœdus ineundi cum hæreticis illiſque auxilia præſtandi ad bellum contra Principem Catholicum, qui Turcas ad nefarium facinus foveret, & ſummopere adjuvaret, ad vitandum enim majus malum minus eſt tolerandum ut L. *Gracchus.* C. ad legem Juliam. de adult. vel ſi Princeps aliquis Chriſtianus bellô continuô conquaſſaret Italiam & ſtatum Eccleſiaſticum, ac nullum appareret remedium ad pacem obtinendam, poſſet Papa concedere facultatem Ducibus Italiæ, vel alteri Principi Catholico fœdus ineundi cum infidelibus, illiſque auxilia præſtandi ad bellandum contra talem Principem ejuſque vires reprimendas, cum Pontifex ſpecialiter debeat curare Italiam, dummodo directè non tendat talis fœderatio in perniciem reipublicæ Chriſtianæ, adeóque ſub accuratis conditionibus reſpicientibus indemnitatem Chriſtianitatis eſſet concedenda talis confœderatio, ut ſtatim magis patebit ex ſeq. Quæſt. interim autem nego illam diſpenſationem eſſe de re ab intrinſeco abſolutè mala tanquam contra prima principia lumine naturæ nota, ſed de ab intrinſeco mala in quibuſdam circumſtantiis & contra concluſionem deductam ex primis principiis, quæ res aliquando poteſt per juſtam cauſam cohoneſtari, & propter alias circumſtantias ex principiis primis deduci diverſimodè; ſic res ab intrinſeco mala etiam eſt retinere depoſitum & occidere hominem, quæ tamen in quibuſdam circumſtantiis ſunt licita, uti diximus in proba.

Quæres 4. *An Principi Catholico Juſtè bellanti contra alium Catholicum liceat inire fœdus cum infidelibus, aut an ei liceat ſaltem advocare tales infideles ad augendum ſuum exercitum contra alium Principem Catholicum?* 4
Antequam reſpondeam advertendum eſt aliud eſſe fœdus inire cum his, qui à vera religione alieni ſunt, & aliud eſſe advocare tales alienos ad bellandum contra fideles; nam primum dicit reciprocam promiſſionem & pactum juratum de bellica ſocietate obſervanda in offendendo vel defendendo invitâ alterâ parte non reſcindendum, semotô tamen animæ detrimentô; in tali autem fœdere plerumque ab utraque parte aliquæ eliguntur conditiones, quæ ſunt præcipue non ſinere exercitum adverſus ſocios amicóſque eorum ductum per fines ſuos tranſire, neque ullo opere hoſtes juvare, arma ad eos ferre, bellúmque pariter agere, fugitivos captivóſque reddere &c. ſecundum vero importat ſolum operam ſervitiorum ſuorum quouſque Principi pro bello illis uti expedire videatur, cum Principi militiam dimittere ad libitum concedatur. His ergo adverſis

Reſpondeo *probabilius eſſe non licere Principi Catholico inire proprium fœdus cum infidelibus contra Principem Catholicum: probabile tamen eſt ei licere vocare infideles contrà Principem Catholicum.* Ratio primi eſt ex multis juribus & præſertim Clem. 1. de jurejur. ubi expreſſè prohibetur Imperatori confœderatio cum Paganis, & aliis Catholicis omne commercium cum infidelibus, quod & habetur L. *quicquis*. C. ad L. Aquiliam, ſic etiam

Deut. 7. Moyſes ex mandato Dei prohibuit Iſraelitis fœdus cum Gethæo & Cananæo vicis idololatris: tum quia tale fœdus exponit periculo religionem Catholicam, nam *cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Pſal. 17. & ratione talis fœderis infideles potentiores evadunt adversùs Eccleſiam; ſed augere infidelium vires in perniciem Chriſtianitatis omnia jura vetant; ideo Franciſcus primus, Rex Galliarum moriens amariſſimum demonſtravit dolorem, quod in bello contra Carolum V. fœdus cum Sultano Turcarum contraxerit. Horum fœderum reprobationem fuſiori calamo delineatam vide apud Oſſatum in Epiſtolis Papalibus Joannis VIII. præſertim Epiſt. 22. 36. 38. 40. 41. 48. 225. 242. &c. item apud Fulconem Rhemenſem Epiſcopum. lib. 4. Hiſt. Rhem. c. 5. nec non apud Gilbertum Genebrardum lib. 4. Chronolog. ad ann. 1549. & Cacheranum in ſua hac de re peculiari diſputatione. Ac tandem in Theologia bellica Patris Schiara.

Ratio ſecundi eſt, quia omnia jura dicunt, neceſſitas non habet legem, ſic David famis neceſſitate ductus licitè comedit panes propoſitionis, quos tamen comedere ſolis ſacerdotibus licuit; ſic in neceſſitate conſtituti cum moderamine inculpatæ tutelæ poſſumus hoſtem aggreſſorem interficere, quamvis occiſio ſit à Deo prohibita; cur ergo non licebit Chriſtiano Principi Turcas & hæreticos in neceſſitate conſtituto ad bellum juſtum advocare, ſi aliter ſe & ſua tueri non poſſit. Tum quia, ſi Turcæ & hæretici ſponte præſtant auxilium Principi Chriſtiano injuſtè ab alio Principe Chriſtiano læſo rectè agunt: ergo licitè poteſt Princeps Chriſtianus tale auxilium ſuſcipere, cur non & petere? nam quod alii poſſunt ſponte rectè facere, illud rectè poſſumus ab eis petere, ideo Machabæi recte petierunt auxilium à Romanis à fide vera alienis, ut habetur 1. Machab. c. 14. ut autem recte tale auxilium petatur, hæ quatuor debent obſervari conditiones: prima, quòd tunc temporis, quando ab infidelibus petitur, non vigeat bellum inter Chriſtianos & alios infideles: ſecunda, quòd bellum ſit juſtum & neceſſarium: tertia, quòd nullo alio modo poſſit Princeps Chriſtianus ſe & ſua tueri, niſi per tale auxilium: quarta, ſi nullum adſit ſcandalum vel periculum fidei, ut ſi copiæ infideles non miſceantur cum reliquis, ſed ſequeſtratim commendentur, collocentur, & in bona diſciplina coërceantur, quæ cum omnia bene obſervaverit quondam Auguſtiſſimus noſter Imperator Carolus VI. jure licito cum advocatis Anglis & Hollandis hæreticis bellavit contra Regem Galliæ.

Objicies contra 1. partem: quidquid agitur ad neceſſariam ſui defenſionem, jure fieri exiſtimatur ab omnibus juribus; adeóque tale non eſt intrinſecè malum; quia quod eſt ex natura malum, non poteſt jure civili vel Canonico concedi, quæ jura debent fundari in lege æterna; ſed inire fœdus cum infidelibus ordinatur ad neceſſariam defenſionem Principis ineuntis, & à jure civili & Canonico conceditur, cum neceſſitas non habeat legem: ergo. Hinc Gen. 21. habetur, quod Abraham percuſſerit fœdus cum Abimalech Rege Palæſtinorum & Machabæi cum Romanis 1. Machab. 14.

Reſponderi poteſt 1. neg. univerſaliter maj. nam licet ad ſui defenſionem ſit neceſſaria pollutio, fornicatio, abnegatio fidei &c. non tamen jure fieri exiſtimantur cum ſint media ab intrinſeco mala & illicita: ſed tantum aliqua, quæ Author naturæ in quibuſdam nimis gravibus circumſtantiis rationabiliter judicatur excepiſſe, quod non poteſt judicari de tali fœdere iniquo, ſed potius propter ingentia mala cenſetur Deus id velle in omnibus circumſtantiis prohibitum. Secundò diſting. maj. quidquid agitur in quantum eſt neceſſè ad ſui defenſionem à natura licitum eſt conc. in quantum non eſt neceſſe neg. maj. ad ſui autem defenſionem à natura licitam ſufficit convocare infideles, ut dicimus in 2. parte; ideò non eſt neceſſe proprium fœdus ex natura ſua pernicioſum contrahere: hinc illa loca Sacræ Scripturæ & aliorum jurium ſolùm intelliguntur de fœdere latè non ſtricte ſumpto, quatenus non importat juramentum de mutuo præſtando auxilio, ſed quatenus ſolùm dicit advocationem infidelium cum præfatis conditionibus.

Objicies contra 2. partem: ex advocatione Turcarum aut hæreticorum ad caſtra Chriſtianorum ſuboriuntur maxima ſcandala, cum ſint crudeles, res ſacras condemnant, Sacerdotes cædant, ſacras Virgines violent, ſeminent hæreſes; nam ideo prohibitum eſt Catholicis communicare cum hæreticis utpote excommunicatis in Bulla Cœnæ, & pariter ideo Deus Deut. 7. prohibet fœdus inire cum infidelibus, & in novo Teſtamento dicit Apoſt. 2. ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus &c.*

Reſpondeo neg. antec. quia non ſemper iſta mala ſequuntur, ſi debita directione Principis commendentur advocati infideles, imò hæc mala multoties adhuc magis à militibus Catholicis perpetrantur, ut etiam experientia docuit: illa ergo prohibitio in Bulla Cœnæ intelligi debet de conſortio ſpirituali, non politico & civili, vel ſolum de communicatione non neceſſaria, non verò de neceſſaria, ſi urget neceſſitas belli advocare infideles ad auxilium; Sacræ tandem Scripturæ ſólummodo loquuntur univerſaliter, quando adeſt periculum ſubverſionis fidelium, & ſecluſis aliis præfatis circumſtantiis, non verò in certis caſibus, quando adſunt unitæ dictæ circumſtantiæ, & abeſt periculum fidei.

Quæres 5. *An dum aliquis Princeps Catholicus feliciter bellum gerit contra infideles,* 5

&

& alius Princeps Catholicus credat, ſi ejus potentia augeatur, quod arma ſit contra ſe aſſumpturus, propterea infideles armis & favore adjuvat, an inquam talis adjuvans incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Reſpondeo *probabiliùs affirmativè.* Tum quia Summus Pontifex in illa Bulla abſolutè prohibet ſub excommunicatione præſtare quomodolibet opem infidelibus vel hæreticis à Sede Apoſtolica denuntiatis, & non diſtinguit ſicuti aliqui volunt inter fideles, qui cauſa religionis quatenus hoſtes Chriſtiani nominis bellum gerunt, & inter infideles, qui tantùm jure civili & politico ſcilicet ob aliquam injuriam illis illatam vel aliam juſtam cauſam movent bellum, & non propriè hoſtes Chriſtiani nominis dicuntur, nam ad contrahendam excommunicationem non tam conſideratur prava voluntas operandi, quàm ipſa operatio: tum quia Principes Chriſtiani dicuntur religionis Catholicæ defenſores, ideo religionem armis tueri debent juxta C. *boni Principes.* diſt. 96. ergo religionem Catholicam offendit, qui offendit Principem Catholicum, ſicut offendit Regem, qui ejus Miniſtros offendit; ſed auxilium præſtitum infidelibus contra Principem Catholicum non ſolùm indirectè ſed etiam directè offendit Principem Catholicum: ergo & Eccleſiam: tum quia non eſt juſta cauſa bellandi ad imminuendam potentiam alicujus Principis vicini, ut tenemus quæſt. priori. propoſ. 6. ergo non poteſt excuſari de tali iniquo auxilio.

Objicies: intentio Principis Catholici adjuvantis infideles contra Principem Catholicum non eſt favendi hoſtibus Chriſtianorum quâ talibus, ſed tantùm ſe & ſua & proximum juſtum tueri: ergo talis non debet ſubjacere excommunicationi, cum non aſſiſtat infidelibus quà hoſtibus Eccleſiæ.

Reſpondeo diſting. antec. ſed ſe tueri defenſione juſtâ & neceſſariâ neg. injuſta & non neceſſaria conc. antec. jus autem naturæ & poſitivum nobis ea ſolùm permittunt, quæ ad noſtram defenſionem ſunt neceſſaria, quando actu oppugnamur, & nobis vis infertur, in quo caſu poſſumus prævenire inimicum ſine transgreſſione moderaminis inculpati; atqui in caſu noſtro Princeps favens infidelibus non oppugnatur actu, ideo nec ſe aut ſua tuetur, ſed alium injuſtè oppugnat, nec proximum perniciosum cum damno majori in bonis ſpiritualibus poteſt defendere, adeóque licèt ille Princeps non intendat favere hoſtibus in damnum Catholicorum, tamen re ipſa eorum perniciem fovet, quod ſufficit ad incurrendam excommunicationem. Hinc videant Principes aliqui quomodo cum ipſis ſit, qui Turcis varia media ſuppetunt, ut ferantur contra Domum Auſtriacam.

6 Quæres 6. *An Princeps læſus, qui juſtè movit bellum teneatur quamprimum hoſtis offert ſatisfactionem deſiſtere à bello.*

Reſpondeo *probabilius affirmativè*; quia bella fiunt injuſta, quæ ſunt ſine cauſa & ſine neceſſitate ſuſcepta; ſed oblata condigna & æqua ſatisfactione totum defenditur, & non amplius illa eſt neceſſitas tam enormium belli armorum viam permittere: ergo ſi Princeps non acceptando talem ſatisfactionem vult bellare ſine cauſa & neceſſitate bellabit injuſtè; hinc L. *ſi debitor.* ff. de ſolut. & liberat. creditori nolenti acceptare ſatisfactionem oblatam juſtè à prætore denegatur, quia ſine cauſa petit, cum jus petendi ſit ſublatum.

Objicies: ſi bellum jam inceptum eſt, & aliquæ cædes evenerunt, is, qui debito tempore ſatisfactionem non obtulit, ſe habet ut reus, & ſuâ ſponte ſe ponit in ſtatu executionis vindicativæ, is verò, qui juſtè bellat, eſt veluti judex, & bello cœpto fit dominus cauſæ, acquiritque jus procedendi usque in finem; ſed judex poteſt punire reum etiamſi offerat condignam ſatisfactionem: ergo etiam Princeps ad vindictam ſumendam de adverſario poteſt bellum proſequi, cum adverſarius vi belli incepti non ſit in ſtatu ſatisfaciendi ſed ſatispatiendi.

Reſpondeo diſting. maj. habent ſe ita illa recenſita quamdiu non offertur ſatisfactio conc. quando offertur neg. maj. oblata ergo ſatisfactione deſinet eſſe judex hoſtium; quia non eſt eorum judex ordinarius, ſed ſolùm in extraordinario illo caſu quando nolunt ſatisfacere, ſi autem Princeps deſinit eſſe judex, non habet amplius jus procedendi ad ultiones, ſolùm ergo judices ordinarii non tenentur acceptare ſatisfactiones, ſed poſſunt punire reos propter bonum commune ad exemplum aliorum, de quibus cura incumbit ordinariis judicibus, jus autem belli eſt odioſum & pœna graviſſima, ideo, quoad fieri poteſt, eſt reſtringendum; unde quòd hoſtes ſint in ſtatu ſatispatiendi non eſt inchoatio belli, ſed voluntas nolendi pacificè ſatisfacere, quando ergo hoſtes mutant voluntatem, ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & deſinunt eſſe in ſtatu ſatispatiendi, cum deſinat bellum ibi eſſe neceſſarium, & ideo eſſe illicitum.

Quæres 7. *An Princeps peccet contra justi-* 7
tiam non amittendo bellum videns damna ſubditorum præponderare utilitati ſperatæ, quamvis ſuppetant tituli juſtè bellandi?

Reſpondeo *omnino affirmativè* juxta illud Matth. 23. de Phariſæis acriter reprehenſis quod alligent onera gravia & importabilia, & digito ſuo nolint ea movere, quid autem eſt movere bellum in maximum reipublicæ detrimentum, niſi gravia & importabilia onera imponere ſubditis? tum quia Princeps eſt propter rempublicam, ut illam defendat, adminiſtret & gubernet non ad ſuum arbitrium ſcilicet tyrannicè, ſed ad reipublicæ commune bonum,

quo fine gentes conſtituerunt ſibi Reges: ergo Princeps proſequendo bellum non in bonum ſed detrimentum reipublicæ agit ſine juſta authoritate bellum injuſtum graviter.

Objicies: Princeps non agnoſcens ſuperiorem poteſt uti plenitudine poteſtatis, ut habet Jaſon conſil. 8. n. 50. ſed plenitudo poteſtatis nulli neceſſitati eſt ſubjecta, nullisque juris regulis limitata, ut tenet Baldus in L. 2. n. 40. C. de ſerv. & aquæ: ergo ut bellum juſtum ſit ſatis eſt Principem ſe arbitrari habere juſtam cauſam ex plenitudine poteſtatis.

Reſpondeo diſting. maj. in præjudicium tertii vel contra jus divinum & naturale neg. ſecus citra culpam conc. maj. hic autem magnum adeſt reipublicæ præjudicium: ergo nullo pacto in hoc caſu poteſt uti ad ſuum arbitrium plenitudine poteſtatis, & licèt quælibet mutabilitas dedeceat Principem, quando ſequitur ſine juſta cauſa, ſi tamen adeſt juſta cauſa, eſt ſignum prudentis juxta illud commune: *prudentis eſt mutare conſilium.* ideo multum laudatur Rex Bulgarorum, qui per ſuos legatos denuntiavit bellum Theodoræ Viduæ Imperatoris Theophili, & cum illa reſpondiſſet fore ipſum ignominioſum ſive vincat ſive vincatur, propterea quod cum fœmina pugnâſſet, & ideo à bello abſtinuit.

8 Quæres 8. *An liceat Principi concedere ſuis ſubditis militibus repreſſalia?*

Reſpondeo *licere ei concedere repreſſalia tanquam belli ſpeciem jure belli facta, non tamen repreſſalia tanquam privatas pignorationes ſeu arreſtationes.* Ratio primi eſt; quia repreſſalia belli ſpecies ſunt, quando Principes vel reſpublica ſubditis ſuis damnum injuſtum paſſis facit poteſtatem invadendi terram nocentium, occupando eorum bona etiam innocentium, donec compenſatio fiat; ſed hoc licitum eſt, hoc ipſo quòd talia liceant in bello juſto: ergo. tum quia, ubi alia remedia non ſunt contra debitorem, poſſunt capi non ſolum res, ſed etiam homines liberi, in quos debitor habet jus, ut habet Gloſſa in L. *pro herede.* ff. de acquiren. hæredit. ſed Princeps juſtitiam facere negligens & recuſans eſt debitor Principis juſtitiam poſtulantis: ergo ſubditi & res ſubditorum capi poterunt, quia Princeps injuriatus in ſuis civibus poteſt punire Principem injuriantem, ejùsque cives, ſi opus eſt, gravando, imò plane bellum indicendo, cùm ille, qui habet bellum juſtum ipſo jure ſit judex hoſtium, & poſſit eos juridicè punire. Interim tamen hæ quatuor debent adeſſe conditiones: prima, ut talia repreſſalia fiant authoritate publica ſeu Principis, unde privatis militibus non licet incendere domus aut prædari; quia bellum non geritur à privata authoritate: ſecunda, ut certò conſtet incolas alterius Provinciæ tale intuliſſe damnum; hinc hoſpites peregrini & legati non poſſunt ſpoliari; quia non ſunt pars reipublicæ: tertia, ut alter Princeps de hoc monitus culpabiliter ſatisfacere negligat: quarta, ut non inferatur plus damni, quàm requiratur ad juſtam ſatisfactionem; unde in caſu repreſſaliorum non obligatur vita innocentium ſubditorum; quia jus vitæ non poteſt transferri ad rempublicam, ſi verò occidantur qui volunt juris executionem impedire, hoc fit per accidens. Ratio verò ſecundi eſt; quia repreſſalia ut oppignorationes ſunt illa, quibus una perſona vel ejus res pro delicto alterius capitur v. g. aliquis Græcenſis debitum contraxit vel deliquit Budæ, nec amplius ibi comparet, tunc alius concivis Græcenſis ibi repertus arreſtatur, donc principalis debitor vel ejus nomine arreſtatus ſatisfaciat, ſed hoc licere non poteſt, nec per conſuetudinem approbari, cum naturali æquitati ſit contrarium, ut alter alterius odio gravetur, & alius delinquat, & alius capiatur; hinc Imperator ſtatuit in Auth. col. 5. Novel. 52. ut in civili cauſa pignorationem faciens reddat quadruplum, & inſuper cauſam amittat. Et qui contra Eccleſiaſticos repreſſalia inferre præſumpſerit, ſi ea intra menſem non relaxaverit, ſententiæ excommunicationis ſubjaceat C. *etſi.* de injur. in 6. & ſi civitas vel univerſitas id fecerit Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Objicies rationem ſecundam contra rationem primam.

Reſpondeo rationem ſecundi utique velle alium non debere pro alio gravari, ſed intelligendum eſt, quando gravamen non ſequitur ex facultate Principis concurrentibus dictis conditionibus, ſed ſolùm ex propria authoritate; unde in priori caſu nego modum repreſſaliorum eſſe ex natura ſua injuſtum; nam ſi aliter ſatisfactio obtineri non poteſt, tunc innocens, cum ſit pars reipublicæ offendentis, cui bona ſua obſtricta ſunt, ſit gravamini obnoxius, & ſic licet non poſſit puniri ob aliorum delictum, poteſt tamen cogi ad ſatisfaciendum pro debito, quod ſuum eſt, cum ipſe ſit pars communitatis, quæ debet ſatisfacere, quod æquitati naturali non eſt contrarium.

Quæres 9. *An Bellidux teneatur ſervare fidem hoſtibus promiſſam, ſi gravi metu injuſtè* 9
incuſſo eſt extorta, animo illam extorquendi?

Reſpondeo deductivè ex Scoto in 4. diſt. 29. q. un. §. *in ſecundo ad oppoſitum,* ubi affirmat conſenſum coactum impedire profeſſionem. item in 3. diſt. 39. q. un. §. *de tertio articulo.* ubi pro juramento obligante requirit carentiam coactionis. *negativè;* quia qui vim intulit, meretur, ut ei promiſſum non ſervetur ut habetur c. 4. de his quæ vi: tum quia nulla adeſt obligatio, ubi non adeſt libertas obligandi; ſed metus gravis adimit ſufficientem libertatem ad ſe obligandum ſeu contrahendum: ergo Dux belli, qui per metum gravem promiſit hoſtibus fidem, quod non velit v. g. amplius contra illos bellare, ſine ſufficienti libertate promiſit, ſi illum per duram captivitatem ad hoc ade-

Digitized by Google

adegerint, non tenetur fidem ſervare, & licet etiam juramentum adjecerit; quia hoc non eſt vinculum iniquitatis, aut ſaltem facilè à tali abſolvi poteſt.

Objicies: ex cap. *ſicut nobis.* de Regular. votum ægri timore mortis emiſſum judicatur validum: ergo etiam aliud promiſſum metu factum.

Reſpondeo diſting. conſequens, aliud metu ſua ſponte tamen oblatum Conc. aliud metu coactè ex animo extorquendi præſtitum neg. conſeq. unde in morte vovens à nemine impellitur, ſed ſua ſponte eligit tale medium ad periculum mortis vitandum, quæ ratio non eſt in noſtro caſu, ubi Dux non elegit ſua ſponte tale promiſſum, ſed ab hoſtibus ad hoc injuſtè adſtringitur per metum, ubi illi ex injuſtitia non debent reportare commodum.

10 Quæres 10. *An Chriſtiani captivi cooperantes ad bellum injuſtum v. g. Turcarum remigando vel alia neceſſaria contra Chriſtianos peragendo peccent mortaliter?*

Reſpondeo ad evitandam mortem aut aliud grave damnum poſſunt remigare aut ſarcinas aſportare, dummodo ex hoc Chriſtianæ reipublicæ non inferatur maximum damnum, non vero licitum eſt eis immediatè pugnare contra Chriſtianos illos interficiendo vel vulnerando. Ratio primi eſt; quia illa opera non ſunt intrinſecè mala, ſed per ſe indifferentia: ergo poſſunt licitè fieri ad evadendam mortem aut aliud grave damnum; quia facere aliquid, quod ex ſe malum non eſt, propter bonum finem eſt licitum: Ratio ſecundi eſt; quia quivis tenetur propriam vitam bono communi poſtponere: ergo eo caſu, in quo tota reſpublica periclitaretur, ne mortis quidem metu licebit ea facere, ex quibus ruina reipublicæ paratur: Ratio tertii eſt; quia immediata percuſſio innocentis abſque authoritate aut jure eſt intrinſecè mala, adeóque nunquam licita.

Objicies: cooperari injuſto bello eſt per ſe malum, quod neque metu mortis eſt licitum, & licet Chriſtiani illam actionem non dirigant in malum finem, ſufficit quod ab aliis dirigatur in malum finem: ergo peccant mortaliter.

Reſpondeo diſting. antec. cooperari directè & immediatè illud proſequendo Conc. indirectè & per accidens neg. antec. unde quod non ſequitur ex ipſa actione per ſe ſed ex prava intentione dirigentium non eſt illi operanti imputandum; cum aliunde non ſemper teneamur ab aliqua actione deſiſtere, quando ex ea videmus malum per alterius malitiam evenire, quando id non poſcit ordo charitatis.

QUÆSTIO III.

De variis quæſitis circa Clericos etiam tempore belli ad bellandum implicatos.

QUæres 1. *An Epiſcopi poſſidentes aliqua feuda alicujus Principatûs debeant parere illi Principi juſtè bellanti, ſi eis præcipit ut ſecum adeant bellum.* 1

Reſpondeo *negativè*, tum quia C. *de Epiſcopis verò.* 23. q. 8. prohibetur Clericis & Epiſcopis adire bellum & intereſſe præliis: tum quia Epiſcopi à cura paſtorali exercenda removeri non poſſunt 2. ad Cor. 10. ubi habetur arma militiæ noſtræ eſſe devotas orationes: ergo Epiſcopi Chriſti non debent armis vacare, ſed orationibus, conſequenter non tenentur Principe jubente orationes & officia ſpiritualia deſerere, & onus perſonæ in militia impendere: Tum quia 1. Paralip. 22. perſonis eccleſiaſticis ſpeciali modo Deo dicatis ſanguinis humani profuſio prohibetur; ergo Principi eis præcipienti bellare non tenentur obedire, cùm obedientiam debeant Deo exhibere; per hoc tamen non prohibentur, ſi habent dominium temporale in perfecta republica ex juſta cauſa indicere bellum; nam non debet eſſe deterioris conditionis quam alius dominus temporalis ad ſua tuenda.

Objicies: Epiſcopi feudarii præſtant Regi fidelitatem, & debent eum juvare, ſi periclitetur ipſe vel ſua terra: ergo debent hoc ſervare & conſequenter cum in bello Princeps periclitetur aut ipſius Principatus debent ei præcipienti adire bellum ac obedire.

Reſpondeo diſting. antec. præſtant Regi fidelitatem ſub onere militari neg. ſine tali onere conc. adeóque eccleſiaſtici feudum habentes ad militandum obligari non poſſunt, ſed poſſunt hoc per ſubſtitutum & ſuos milites præſtare; in juramento enim fidelitatis ſemper intelligitur excepta authoritas ſui Superioris, ſic ſi filiusfamilias juravit non recedere à ſtudio niſi ſolutione facta magiſtro, ſi accerſitus à patre, cui tenetur obedire, recederet ante ſolutionem, non eſt perjurus ut docet Joann. Andreas in C. *in malis.* de Reg. Jur. in 6. aſt Epiſcopus eſt magis ſubditus Pontifici & Metropolitano, quam directo domino feudi.

Dices: C. *pervenit.* de immunit. Eccleſ. expreſsè dicit, quod tempore magnæ neceſſitatis nemo poſſit ſe excuſare à murorum ſeu civitatis cuſtodia, ac armorum exercitio, quibus reſpublica ab hoſtium manu defenditur.

Contra dico, illud C. ſolum loqui de hominibus Eccleſiæ ſervientibus, qui gaudent ejus immunitate, non vero de ipſis Clericis, aliàs in illo titulo eſſent duo textus directè contrarii, ut legenti patebit; interim tamen tempore belli ubi adeſt ſumma & extraordinaria neceſſitas boni communis, etiam Cle-

rici

Digitized by Google

rici poſſunt compelli ad cuſtodias murorum &c. ex quo etiam patet tales Eccleſiaſticos extra caſum ſummæ neceſſitatis, quæ legibus obnoxia minimè reputatur, non teneri in bello opem ferre ſecundùm feudorum conſtitutionem, quia Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt immu-
1 nes ab oneribus realibus, perſonalibus & mixtis, & ab extraordinariis etiam de bonis ſuis, uti habetur in juribus de immunit. Eccleſ. hinc etiam Imperatori contra Eccleſiam bellum moventi non tenentur ejus ſubditi obedire. Imò perderet Imperator privilegium indicendi bellum, cum eo abuteretur contra Eccleſiam.

2 Quæres 2. *An liceat Clericis aut Monachis etiam Laicis pugnare aut exercere munus Ducis, quando ſolum ordinaria adeſt neceſſitas in bello inconſulto Pontifice?*

Reſpondeo *negativè*, quia C. *eos qui.* 20. q. 3. & C. *quicunque.* 23. q. 8. Clerici prohibentur propria manu pugnare tam in bello juſto quàm injuſto, tam contra infideles quàm fideles hoſtes, & privantur Monachi & Clerici executione Ordinum, ſi id faciant, & jubentur recludi in monaſterium, atque ſuffragiis orationum & oblationum privantur, ſi in bello moriantur: tum quia Clerici & Religioſi utpote DEO dicati debent ſervire altari: ergo illos non decet pugnare etiam ſtante neceſſitate, cum pugna multum illos avocet ab officiis ſpiritualibus: tum quia Clerici ſunt miniſtri Chriſti, ipſúmque repræſentant, qui proprium ſanguinem pro genere humano fudit: ergo nefas eſt illis humanum ſanguinem fundere; unde Clerici armati incedentes etiam in minoribus conſtituti (quamvis hi mitiùs) ſunt puniendi; niſi fortè habeant quoſdam inimicos, aut loca periculoſa, aut ſint Capellani caſtrenſes: ubi in bello ſunt innumera pericula hoſtium, contra illos ſe defendendo, nec etiam poſſunt licitè portare arma ad repellendam violentiam Eccleſiæ vel patriæ inferendam, nec etiam eis licet in bello juſto dare lanceam pugnanti in ipſo conflictu; illi etiam qui in bello injuſto exiſtunt ſine licentia Pontificis, licet non pugnent, ſed tantum interſint hortando & animando milites ad pugnandum incurrunt irregularitatem, non tamen ita in bello juſto, dummodo ipſi nullum occidant, ut tenet Navarrus in Manual. C. 27. non tamen ſine nota irregularitatis poſſunt dicere: occidite, mutilate, de quo plura quæſit. ſeq.

Objicies: in C. *omnes.* 23. q. 2. dicitur eſſe meritorium militare: ergo poſſunt Clerici in bello juſto ſe exercere armis.

Reſpondeo illum textum eſſe intelligendum de Laicis non vero de Clericis: qui majoribus operibus debent vacare, ſic etiam ſcimus matrimonium poſſe eſſe meritorium, nihilominus caſtitatem voventibus prohibetur ratione obligationis quam contraxerunt majoris boni gratiâ, & ſi quæ aliæ leges civiles citarentur, non habent vim in Clericos, cum etiam multæ leges civiles eximant Clericos ab oneribus ſæcularibus, ut Cod. de Epiſ. & Cler.

Quæres 3. *An ſaltem in caſu extraordinariæ neceſſitatis propriæ vitæ, patriæ, aut boni communis liceat Clericis pugnare, occidere, & ducere exercitum, ſi ſcilicet eo non pugnante certo reſpublica deſtruetur.* 3

Reſpondeo *affirmativè non ſolum licere, ſed etiam Clericos teneri lege naturæ illa præſtare non expectata Pontificis licentia, quia neceſſitas non habet legem. De conſecr. C. 26. diſt. 5.* Tum quia ſi in talibus caſibus adeſſet Pontifex, ſine dubio diſpenſaret: ergo adeſt licentia interpretativa; hinc in tali neceſſitate poſſunt Clerici accipere ſtipendia, & hoſtium ſpolia uſurpare ſicut alii bellatores, nec incurrunt irregularitatem, hoc etiam aliquando verum eſt, ſi in bello juſto id neceſſarium eſt ad obtinendam victoriam à quâ pax, ſalus innocentium, & bonum Eccleſiæ pendet: econtra verò Clericus bellans extra caſum extraordinariæ neceſſitatis vel inconſulto Pontifice, ſi in tali bello aliquid rapuit, tenetur ad reſtitutionem illi, cui abſtulit, ſi ſcit alioquin pauperibus, ſecus verò, ſi id ei datum fuiſſet ab illis quibus licuit rapere.

Objicies: C. *quod in dubiis.* de pœnis. Innocentius III. deponi mandat Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, & perſonaliter exercent conflictum: ergo.

Reſpondeo Pontificem ibi ſupponere non adeſſe neceſſitatem, & benè poſſe per alios hujusmodi munus exerceri, imò ut dicit Gloſſa, ille textus loquitur de bello injuſto non verò juſto; unde ſi aliquando in aliqua civitate non adeſſet alius, qui tam benè ſciret explodere tormenta, vel aliquid aliud ordinare quam Clericus, ſic in tali neceſſitate præſertim contra hoſtes Chriſtianitatis ille poſſet talia munia exercere, & ſic multò magis cum licentia Pontificis poterit Clericus bellare & occidere ſine omni irregularitate, cum bellare & occidere Clericis tantum prohibeatur jure Eccleſiaſtico; licet Gratianus & Turrecremata mordicitùs defendant etiam jure naturali & Divino Clericis eſſe prohibitum. Nec obſtat, quod miles Laicus juſtè pugnans, ſi occidat, aut mutilet, ſit irregularis, nam Laico ſolùm favet jus commune, circa quod de illo nihil immutatur, Clerico vero favet jus ſpeciale derogans legi communi: cum ergo Papa putet cauſam eſſe rationabilem permittendi Clericis pugnam, ſic idem putat de irregularitate relaxanda, quando enim Superior diſpenſat in lege, cenſetur etiam relaxare ejus pœnas, & ſi diſpenſat ad juſtè pugnandum, etiam diſpenſat ad occidendum, cum occiſio regulariter ſequatur pugnam.

Quæres 4. *An Clericus dans arma militibus ut in bello juſte pugnent, vel faciens pulſari campanas in ſignum quod ad bellum ſit procedendum,* 4

dum, ſi ibi mors aut mutilatio ſequatur, ſiat irregularis?

Reſpondeo *ad utrumque probabilius affirmativè:* Ratio primi eſt; quia Clerico eſt nefas in mortem proximi immediatè influere; ſed dans arma militi non ad neceſſariam ſui defenſionem, eſt cauſa mortis proximi: ergo. Tum quia ex C. *ad audientiam.* de homicidio habetur, quod qui dat operam rei licitæ non adhibitâ debitâ diligentiâ, tenetur de caſu fortuito ſequenti; ſed non poteſt præſumi debitam habere diligentiam Clericum, qui dat arma militibus ne ſequatur homicidium, ſi dat arma ut procedat ad pugnam ex qua ferè neceſſariò homicidia & mutilationes oriuntur: ergo. Hinc videtur eſſe irregularis Clericus, qui præparat arma apta ad occidendum ut ſclopos, enſes &c. quamvis cum proteſtatione, ne adhibeantur adverſus homines, ſi verè occiſiones ſequantur, ſicut & ille Clericus, qui arma adminiſtrat alicui pro defenſione rerum, ſi ex tali auxilio prævideat mortem ſecuturam ſive eam intendat ſive non: ſimiliter videtur Clericus eſſe irregularis, ſi hortatur milites ad currendum poſt adverſarios, ut illos cogant ad captivos relinquendos, ſi inde mors ſequatur, ſicut & ille, qui enſem vel pugionem infixum in corpore alicujus extraxerit, propter quod mors citius obveniset; imo & ille, qui cuſtodiens Infirmum dedit ei bibere vinum vel aliud imperitè fecerit ex negligentia vel incuria contra Medici conſilium, ex quo mors eſt ſecuta, ſecùs ſi proceſſiſſet ex bona fide. Ratio vero ſecundi eſt ex Cap. *quod in dubiis.* de pœnit. ubi habetur Clericum præbentem cauſam bello ſeu irritantem ad pugnam peccare & eſſe deponendum: Tum quia ad bellum pertinet, quod per certum ſignum tubæ vel alterius inſtrumenti milites procedant ad bellum: ergo Clericus hoc curans fieri verè cauſat bellum & homicidia ſequentia.

Objicies: licet Clericis abſque irregularitate hortari milites in bello juſto ad pugnam in univerſùm; ſed pulſare campanas eſt milites facto hortari ad bellum: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, nam hortari ad ſtrenuè pugnandum eſt illos hortari ad oſtendendam fortitudinem animi, ut ſcilicet tempore pugnæ non fugiant, ſed fideliter ſerviant Principi, aſt pulſare campanas ut milites procedant ad bellum eſt eos inducere ſeu excitare ad occiſiones & mutilationes, adeòque exhortatio verbalis non tam directè exprimit vel ſaltem aliter exprimere poteſt ſe non excitare ad occiſiones, ſicut exhortatio facti; unde videtur eſſe irregularis ſive Clericus ſive Laicus, qui facit aliquod ſignum ad convocandum homines armatos, ut defendant domum à furibus, ſi ſequitur mors vel mutilatio, non verò ſi nullus moriatur aut mutiletur, licèt forte vulneretur, aut ſi hoc faciat ad ſe defendendum per inevitabilem neceſſitatem; ſicut & ille, quo pulſante malleus cecidit & occidit hominem, ſi pulſavit non ex officio aut conſuetudine, vel ſi ex officio, ſed non adhibuit diligentiam. puta ſi fuit Sacriſta, aut malleum diligenter non ligavit: ſimiliter irregularis eſt, qui pulſat campanam ad arengam, ubi publicè Senatus judicat malefactorem ad mortem vel mutilationem, non verò in ſignum, quòd aliquis ſit furcâ ſuſpendendus; peccat tamen Clericus, ſi campana ſit conſecrata, ſicut & ille, qui dedit ligna ad comburendum vivum, non verò ad comburendum mortuum, quia hic non dedit cauſam nec proximè nec remotè mortis, & omnis talis eſt irregularis, qui dat operam rei illicitæ, ſi ſequatur mors, licet adhibuerit ſummam diligentiam, ut habetur cap. *ſuſcepimus.* de homic. hinc dicit Scotus in 4. Diſt. 25. q. 1. §. *in iſta quæſtione. Si autem homicidium eſt caſuale, & occiſor dedit operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligentiam, nullam pœnam incurrit; altera autem illarum conditionum prætermiſſa incurrit pœnam.*

Quæres 5. *An Clericus aſſiſtens morti militis, ſi dicit miniſtro executionis, dirige ictus* 5
ſclopi ad cor ejus vel ad caput, ut minùs patiatur & citius moriatur, ſit irregularis?

Reſpondeo *pro ſcrupuloſis ut eis relinquatur libertas Charitatis exercendæ probabilius negativè cum Diana parte 3. tract. 5. reſolut. 79.* Tum quia C. *is qui in Eccleſia.* de ſentent. excomm. in 6. dicitur: non incurri irregularitatem, quæ in jure non eſt expreſſa; ſed præfata irregularitas nunquam in jure eſt expreſſa: ergo. Tum quia jura in quibus ſupponitur hujuſmodi irregularitas ſolùm loquuntur de miniſtris juſtitiæ & de concurrentibus ad cauſæ probationem, ut ſunt advocati teſtes, judices, pœnæ executores: ergo cùm hic ſimus in odioſis quæ ſunt reſtringenda, non debemus illa extendere ad Clericum aſſiſtentem, & erga moriturum charitatem exercentem: Tum quia talis Clericus charitate motus non eſt cauſa homicidii injuſtè, & nihil agit ut miniſter publicus juſtitiæ, in quibus ſolùm defectus lenitatis attenditur ſed ut privata perſona, ideo non videtur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis neque ex delicto; adeòque nec eſt irregularis, ſi dicat pergamus citius, aſcende citius ſcalam &c. nec eſſet irregularis aliquis, qui antequam eſt baptizatus, exercuerit officium judicis vel occiderit &c. nam ante baptiſmum nemo eſt membrum Chriſti, & ſic neque capax defectûs lenitatis.

Objicies: talia Clericus cooperatur homicidio cum miniſtris executionis; ſed hi ſunt irregulares ex defectu lenitatis: ergo & Clericus.

Reſpondeo diſting. maj. cooperatur aliquô modô & quidem juſtè ad accelerationem mortis ex motivo charitatis conc. cooperatur injuſtè

juſtè aut ut perſona publica ex motivo juſtitiæ neg. maj. & ideo non videtur eſſe irregularis, cum nullum jus imponat irregularitatem privatis perſonis ex defectu lenitatis. Cæterum tamen Clerici ſunt irregulares, ſi in bello injuſto hoſtibus incutiunt timorem aut verbis aut dolo bellico, ſi ſequuntur occiſiones aut mutilationes, cum tales in bello injuſto cooperentur homicidiis, pariter ſunt irregulares, ſi deferunt obſonia ad naves bellicas injuſtè prælantes, vel ſi in bello injuſto ſervant ſarcinas militum, quia eo facilius homicidia & mutilationes ſequuntur.

6 Quæres 6. *An Clerici in campo hoſtili poſt partam victoriam inventi ſine excommunicatione poſſint occidi?*

Reſpondeo *contra Caramnelem negativè*, quia Princeps extra conflictum non eſt judex Clericorum; ſed quando adeſt completa victoria non amplius adeſt conflictus: ergo Princeps non poteſt eos occidere, & occidendo non agit impunè, per conſequens milites ejus voluntatem exequentes ſive expreſſam ſive tacitam nequaquam ſine excommunicatione Clericos interficiunt. Hinc è contrario Clerici dum actu pugnant poſſunt occidi & ſpoliari, cum ſint pars exercitûs, & in actuali conflictu Princeps ſit judex hoſtium.

Objicies: Clericus, qui ſimul cum aliis pugnaverunt, vel ſaltem ad pugnandum milites ſunt hortati, ſi in campo hoſtili reperiantur, non videtur parcendum: ergo ſine excommunicatione Canonis *ſi quis ſuadente* 17. q. 4. poterunt occidi impunè tanquam impedientes ſaltem partialiter conſecutionem finis juſti belli. Antec. prob. Pontifex dum dedit licentiam pugnandi, non potuit concedere, ut Clerici invadant impunè ſæcularem rempublicam quoscunque excommunicando, qui in eos violentes manus injecerint, nec ſæcularibus interdicere potuit juſtam defenſionem, quam natura concedit, & ſic nec potuit exſpoliare eos authoritate indirecta occidendi Clericos orta ex jure directè ſe & ſua defendendi.

Reſpondeo neg. antec. ad prob. dico Summum Pontificem omnino non conceſſiſſe Clericis illud privilegium actu pugnantibus, vel quando parta victoria timetur periculum futurum per Clericum, in quo caſu poſſunt Clerici impunè exſpoliari & occidi tanquam finis juſti belli conſecutionem impedientes id jure naturæ permittente: præterea licet dicatur in Canone excommunicetur, vinculo anathematis ſubjaceat, non tamen propterea evitatur excommunicatio ipsô factô; nam illa verba intelligenda ſunt ſic: denuntietur excommunicatus vel ſubjacere anathemati &c. Hinc multò magis incidunt in excommunicationem, qui manus violentas injiciunt in Clericos caſtrenſes non pugnantes, ſed tantùm in rebus ſpiritualibus exercitui aſſiſtentes, imò & planè illi, qui offendunt cadaver alicujus Clerici, quia durat privilegium etiam in cadavere, ut habetur C. *quòd in te.* de pœnit. & remiſſ. pariter ſunt excommunicati, qui Clericum aliquô locô includunt, licet ejus corpus non tangant, vel ſi ex odio aliam gravem injuriam Clerico vel Monacho vel Moniali inferant conſiſtentem in aliqua actione exteriori graviter contumelioſa v.g. ſi eos aquâ affundant, vel in faciem eorum ſpuant, vel eos faciant ire quaſi captos ad judicem; ſecùs verò ſi ſolo metu cogant, ut ſe redimant; tandem etiam cenſentur excommunicati, qui à Clericis ludentibus ſecum graviter percuſſi illos animo vindicandi graviter repercutiunt, ſecus eſſet ſi tanta eſſet ſurreptio, quòd nec ſe vindicarent, nec injuriare intenderent, ut ſi fieret aliquando leviter ad correctionem alicujus Clerici, qui ex nimia licentia ſui privilegii alios percutiendo valde affligerit; imo eam excommunicationem etiam Naldus extendit ad percutientes Clericum hæreticum, cùm Clericus hæreticus non videatur privatus ejusmodi privilegio, non enim in jure hoc habetur expreſſum.

Quæres 7. *An omnes ſive Clerici ſive Laici militantes in bello juſto fiant irregulares, ſi propriis manibus ſanguinem non effundant aut mutilent?* 7

Reſpondeo *negativè*. Ratio eſt, tum quia C. *præſentium*. de Cleric. percuſ. dicitur: quod Clericus non punitur ut homicida, ſi fuit ipſe in conflictu pro parte violentiam repellentium, licèt ibi aliqui fuerint mortui, & ipſe lapides projecit, ex quo nullum ipſe percuſſit: Tum quia tales bellantes dant operam rei licitæ, & non interficiunt propriis manibus; ſed jura diſponunt milites juſtè pugnantes non eſſe irregulares, niſi quando propriis manibus interficiunt, aut mutilant: ergo tum quia, quamvis videantur cooperari aliis ſanguinem effundentibus animando illos ac auxilium præſtando attamen cum animent & dent auxilium ad juſtè pugnandum, non cenſentur proximè cooperari ad homicidia & mutilationes, quæ ſequuntur per accidens, & non ex eorum cooperatione remota: ergo remanent immunes ab irregularitate; & ideo multò minùs bellum quod fit ob patriam aut commune bonum infert irregularitatem: ſecus vero quando bellum eſt injuſtum, & in eo ſequitur occiſio vel mutilatio, omnes milites fiunt irregulares ſive per ſe ſive per alios effundant ſanguinem; nam ſic bellantes cenſentur cooperari illi homicidio, cum injuſtè moraliter omnes influant ſive proximè ſive remotè: nihilominus tamen Duces exercituum aut milites non manent irregulares etiam in bello injuſto, ſi nullus occiditur aut mutilatur quia L. *cogitationis*. ff. de pœnis. dicitur: quod ſola cogitatio pœnam non mereatur; & irregularitas non contrahitur niſi in caſibus jure expreſſis C. *qui*. de ſent. excom.

com. in 6. ſed nullibi in jure expreſſum eſt incurri irregularitatem ab injuſtè pugnantibus, ſi nullæ cædes committantur: ergo. econtra verò Dux belli injuſti tot incurrit irregularitates, quot in illo fiunt homicidia, quia ipſorum omnium principalis cauſa eſt Dux, qui in omnibus militibus pugnat ſuo imperio.

Objicies: judex & ſatellites aſſiſtentes per ſuam authoritatem executori homicidii juſti non occidunt propria manu, & tamen ſunt irregulares: ergo etiam milites aſſiſtentes in bello. Hinc in C. *ſi quis poſt baptiſmum*. d. 51. non admittitur ad Diaconi dignitatem ille Clericus, qui arma ſumpſit ad necandos fideles, quamvis gravia non admiſerit.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia judex & ſatellites concurrunt ad determinatam actionem homicidii, milites verò, qui juſtè militant, non videntur alios juvare ad occidendum, ſed tantùm ad ſtrenuè militandum, & per accidens tantùm putantur ad interneciones cooperari. Præterea adeſt determinata declaratio à jure in uno caſu & non in alio, unde ille textus cit. eſt intelligendus quando ſequitur vel homicidium vel mutilatio.

QUÆSTIO IV.

An ad repellendam infamiam aut ignaviæ notam ſit licitum inire duellum vita invaſivum aut defenſivum?

1 ADvertendum eſt 1. Duellum latè acceptum ex vi nominis dici duorum bellum ſeu græcè monomachiam id eſt pugnam unius cum uno, & ſic quæcunque rixa vel pugna duorum ſive cum ſive ſine periculo mortis ſive ex condicto ſive caſu facta poteſt dici duellum latè ſumptum, propriè verò ſumptum duellum prout in jure ſeveriſſimè prohibetur definitur; *quod ſit pugna ſingularis duorum adversùs invicem pugnantium ad mortem vel mutilationem alterutri inferendam ex condicto ad certum locum & tempus.* Dicitur primò pugna duorum advèrsùs invicem, nam ſi plures promiſcuè contra plures pugnant, rixa eſt non duellum, niſi etiam inter illos ſervetur certa æqualitas numeri ut ſinguli determinati contra ſingulos determinatos pugnent: dicitur ſecundò ad mortem vel mutilationem; unde qui etiam ex condicto ſed ſine armis aptis ad occidendum v. g. pugnis, baculis levibus pugnant, vel qui digladiantur ludo haſtatum ad exercitium artis vel virium corporis non committunt duellum etiam ſecuta morte: dicitur tertiò ex condicto, hoc eſt, eſſe debet deliberatum ex utraque parte, ita ut ex pacto præmeditato conſilio invicem intimetur, nam ſi ex accidenti ſibi invicem occurrentes pugnant, etſi unus alterum prius quæſiverit vel mortem minatus fuerit, non erit propriè dictum duellum; ideo nec ſecuta morte tales ſubjacent pœnis Eccleſiaſticis: dicitur quartò ad certum locum & tempus, ubi & ſumendum eſt copulativa ſic ut & certus locus & certum tempus debeat condici ad pugnam; unde ſi ſolum condiceretur tempus vel ſolùm locus non erit propriè duellum; imò requirit Tamburinus ut pugna & condictio debeant eſſe moraliter diſtinctæ actiones, unde ſi rixantes in templo vel aula Principis ob reverentiam vel anguſtiam loci dicant: exeamus ad illum locum & eodem caloris impetu pugnent, qui calor prudenter poteſt judicari moraliter eſſe idem, vel ſi duobus contendentibus in quodam loco dicat unus hic me exſpecta donec redeam, ſumptis armis redeat & pugnet, non eſt propriè duellum, quia licèt ſit condictio loci, non tamen eſt condictio determinati & moraliter diſtincti temporis, imò condictio & pugna hic cenſentur eſſe una moralis actio & non duæ diſtinctæ prout requirere videntur prohibitiones Eccleſiaſticæ tam ſeveræ, nam cum Pontificum prohibitio ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda de rigoroſo duello, ut dicit Diana parte 5. tract. 13. reſolut. 9. addunt aliqui non improbabiliter non eſſe ſtrictum duellum, ſi ſolum ex condicto comparent in loco, in quo tamen pugna non eſt ſecuta, in pœnalibus enim termini ſunt ſtrictè accipiendi ut ait Barboſa collect. ad C. 19. Trident. ſeſſ. 25.

Advertendum eſt 2. Duellum propriè ſumptum duplex eſſe ſcilicet ſolemne & ſimplex: primum eſt, quod fit cum certis ceremoniis determinato loco & tempore cum electione certorum armorum adhibitis patrinis ſeu ſecundantibus & teſtibus ſeu aſſiſtentibus, quæ diabolus ad ſolemnem interitum fatuis duelliſtis ſuggerit; ſecundum eſt, quod quidem fit ſine illis ceremoniis, ſed tamen ex condicto certo loco & tempore; utrumque hoc duellum ſeveriſſimè punitur ab Eccleſia; nam Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 19. ſtatuit, ut Imperator, aliique Principes, qui locum ad monomachiam in ſuis terris conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac privati dominio loci, in quo duellum fieri permiſerint, ſi illum locum ab Eccleſia obtineant, qui verò pugnam commiſerint, id eſt tam provocati, quàm provocantes; & eorum patrini excommunicationis, bonorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, ac ut homicidæ puniri debeant, & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura, illi etiam, qui conſilium dederint, aut ſuaſerint, nec non ſpectatores excommunicationis & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. Has pœnas Gregorius XIII. in ſua Bulla *ad tollendum &c.* extendit ad omnes illos, qui ex condicto ſtatuto tempore & loco duellum commiſerint etiamſi nulli patrini ſint vocati nec loci ſecuritas habita. Similiter Clemens VIII. in ſua Bulla *illius vices &c.* extendit illas pœnas ad omnes terras etiam circa milites ex privata inimi-

citia inter ſe duellantes, eorúmque Duces talia duella permittentes.

3 Advert. eſt 3. Quando excommunicantur omoes illi qoi mandato, coofenſu, adjutorio, vel quovis modo ad duellum cooperati ſunt, intelligendum eſt, ſi per tales ſteterit, qoòd duellum ſequeretur; nam ſi mandâſſes, aut arma conceſſiſſes, & dein efficaciter, quantum ex te eſt, revocâſſes, & arma recepiſſes, non eſſes excommunicatus, ſic nec ſervus domini arma ferens, nec amicus arma concedeos magis commoda quàm illa, cum quibus aliàs ſine dubio erat pugnaturus ſunt excommunicati: pariter quando ſpectatores excommunicantur, intelligendum eſt de illis, qui ſe offeruot, ut ſint ſpectatores & teſtes certaminis accedentes ad locum duelli, & ex quorum præſentia duellaotes redduntur audaciores; ſic non excommunicaretur Sacerdus confeſſionem excepturus, ſi quis egeret, nec famuli & amici advocatnri Sacerdotem vel chirurgum, nec qui caſo & fortuito per illnm locum tranſeunt nihil de eo cogitaotes, oec denlqoe illi, qui ſe ſolùm habet per accidens ad duellum, ut qui ex occulto vel remoto loco aſpicerent, ut nihil cenſerentur infloere in duellum; taodem qoomodo doellantes privantur Eccleſiaſtica ſepultura intelligendum eſt, ſi in ipſo loco duelli occumbunt; tunc enim nec in loco ſacro, oec ritu ſacro cum pompa funebrali ab Eccleſis inſtituto ſepeliri poſſuot; unde ſi moriantur extra locum coofl ictus, quamvis ex vulnere accepto in duello poſſunt ſepeliri ritu ſacro; hinc illud Trident. ſi moriantur in conflictu intelligendum eſt phyſicè, niſi forte ſupponatur, quòd talis impœniteos decedat; tali enim caſu, ſicut quilibet in peccato mortali, meritò carebit Eccleſiaſticâ ſepulturâ: imò docet Sanchez in Selectis diſp. 36. quòd etiam de decedentibus io loco duelli cum ſignis pœnitentiæ ſit attendenda conſuetudo loci: tandē his pœnis ſolumodo illi ſubjacent, qui ſciunt de excommunicatiooe lata in ſimilibus caſibus, non verò illi, qui neſciunt, licèt etiam vincibiliter; imò licet ſciant rem eſſe peccaminoſam, dummodo neſciaot eſſe annexam talem pœnam; nam lex ignorata, præſertim pœnalis, non obligat; imò Laymann lib. 3. tract. 3. de duello dicit: *verùm germani, aliique ſeptentrionales ſeu ob ignorantiam ſeu quia conſtitutiones illa ſecundum hunc ſenſum promulgata & in uſum deducta non ſunt, a cenſura excuſari videntur.*

4 Advertendum eſt 4. Duellum adhuc dividi in illod quod fit authoritate publica, & illud qood fit authoritate privata: primum eſt, quod à Principe permittitur vel præcipitur ad terminandum grave aliquod bellum aut eruendam veritatem, qualis eſt purgatio alicujus magni criminis obſcuri, hoc erat olim ſolemoe duellum in legibus: ſecundum eſt, quod abſque Principis mandato aut permiſſione à privatis hominibus initur ex condicto: hæc duella potiſſimum ex triplici fine aſſumuntur: primò ad dirimendum bellum, cum ſcilicet inter Duces belli convenit ut unus aut plures ex utraque parte invicem pugnent, & illi habeant integram victoriam; cujus milites vicerint; ſecundò ad depellendam injuriam nondum illatam ſed inferendam, ut cuoi ad inveniendam veritatem criminis objecti reo neganti offeratur duellum adverſus accuſatorem, & ita de aliis injuriis depellendis: tertiò ad reparandum hoaorem & ulciſceodam injuriam jam illatam, cum ſcilicet aliquis in quodam offenſus ab altero ipſum provocat, ut ibi alterius ſanguine diluatur probrum, & fiat ſatisfactio, & de hoc ex tertio fine duello, quod frequentiſſimè & vulgariter ſolet practicari modernis temporibus potiſſimum erit quæſtio. His notatis ſequitur:

Propoſitio 1. *Si Rex in bello juſto advertit ſe eſſe hoſte inferiorem in defenſionem ſuarum rerum ei licita eſt oblatio & acceptatio duelli per ſe, vel per ſuos ſubditos publica authoritate ad hoc instructos.* Ratio eſt; quia duellum non poteſt eſſe injuſtum, quod eſt pars belli juſti; ſed eſt pars belli juſti, ſi duellum eo modo ineatur; quia ſic totus exitus belli ad certamen paucorum revocatur tanquam ad partem: ergo. Hinc tale duellum, quod deſideravit Goliath clamans ad Iſraelitas; eligite virum ut ineat mecum ſingulare certamen, qno audito cum conſenſu Regis Saulis acceptavit illud David percuſſúmque Philiſtæum interfecit 1. Reg. c. 17. fuit ab omnibus ut licitum & juſtum approbatum, imò illud duellum ab omnibus laudatur, quod narrat Æneas Sylvius c. 15. de Wenceslao Bohemiæ Rege, qui, ut parceretur innoceotium ſanguini, duello litem decidit ipſe cum Principe invaſore Rege Hungariæ. 5

Nec dicas: ut bellum ſit licitum tam offenſivum quàm defenſivum debet bellum gerens ſe habere velut agens reſpectu partis adverſæ, quod agens debet eſſe fortius paſſo, ut penes ipſum quaſi certæ victoriæ ſpes exiſtat aliàs prodigerent & voluntariè abjicerent vitam ipſi bellantes, ſed hoc non poteſt contiogere etiam in præſato duello, quia ibi vel par eſt utriusque cooditio, vel multa poſſunt intercurrere, ut etiam is, qui videtur eſſe valentior, ſuccumbat: ergo non licet bellum finire duello.

Reſpondeo neg. min. quia etiam in tali duello poſſunt congredi duo, ita ut quivis concipiat quaſi certam ſpem victoriæ, ſicut contingit in ipſo bello, ubi etiam aliqoando pars valentior poteſt impingere, & tamen cum tali ſpe coogreditur, adeóque ſicut ſe habet totus exercitus ad totum exercitum in bello, ita ſe poteſt habere pars ad partem in duello. Cæterum omnino non poteſt exire aliquis ad duellum, ſi in eo non eſt ſpes probabilis vincendi,

cendi, cum ſic vitam tanquam quid altioris ordinis ad tuendum honorem prodigeret, ſic ſenex aut alius arma tractandi impotens non poteſt exire, cùm ceſſet jactura honoris, ſed potius haberetur temerarius vitæ ſuæ proſtitutor ſaltem apud prudentes.

6 Propoſitio 2. *Duellum, quod offertur aut ſuſcipitur ad indagandam veritatem alicujus criminis, aut alterius cujuſcunque juris ſemper eſt illicitum quacunque fiat authoritate.* Ratio eſt tum quia C. *monomachiam.* 2. q. 5. & C. *ſignificantibus.* de purgatione vulgari. hoc expreſsè damnatur: tum quia in duello continetur vera ſuperſtitio, in qua tenecatur DEUS, ideo aſſumitur medium intrinſecè malum ad finem ad quem erat inutile, quod eſt illicitum; ſæpius enim, qui juſtam tuentur cauſam, poſſunt in duello occumbere: ergo.

Nec dicas: ſi aliquis innocens damnaretur ab iniquo judice, ut vel in duello pugnaret cum aliquo à quo non eſt accuſatus, ut ſe purgaret ab objecto crimine vel mortem ſubiret, non videtur illicita acceptatio duelli: ergo. antec. prob. tunc innocens habet verum jus, ut conetur evadere mortem adverſus injuſtam judicis ſententiam etiam cum detrimento tertii, quò tunc judex utitur tanquam inſtrumento, plus enim tenetur diligere ſe ipſum quam proximum: ergo cum hoc duellum ſit potius defenſio ſuæ vitæ poterit eſſe licitum.

Reſpondeo neg. ſuppoſitum antec. imò & ipſum antecedens, ſuppoſitum quidem, quia illud duellum non fieret ad probandam veritatem innocentiæ, ſi pugnaret cum aliquo à quo non eſt accuſatus, ſed ad defendendam vitam, de qua non loquitur propoſitio, imò etiam ſuppoſita defenſione vitæ in hoc caſu neg. antec. quia innocens ille patitur injuriam à judice, non vero ab illo tertio, ideò non poteſt illum vita privare; nec obeſt, quod ille tunc ſit inſtrumentum judicis; nam propterea non fit nocens aut morte dignus; ſi autem ambo eſſent nocentes & morte digni, præcipere poſſet judex illud duellum, ut experiretur illorum vires, tunc enim alter alterius eſſet tortor, quod non eſſet illicitum, imò etiam ſi injuſtè accuſatus eſſet damnatus ad mortem, niſi duellum acceptaret cum iniquo accuſatore ſibi oblatum, tunc ex conſenſu judicis ſeu publica authoritate licitè acceptaret duellum ex ratione defenſionis vitæ, non vero ex ratione probandæ veritatis, licèt peccent ii, qui offerunt duellum, ſicut etiam licitè acceptaretur in caſu quo aggreſſor injuſtus ſit interfecturus eum, quem provocat, niſi compareat, quia tunc iſta comparitio fit ex præciſa cauſa defenſionis neceſſariæ, & ſolùm eſſet duellum materiale non verò formale.

7 Propoſitio 3. *Nunquam licet privata authoritate ſuſcipere duellum contra injuſtum calumniatorem, qui coram judice me accuſat, etiamſi tunc duellum eſſet unicum medium ad ſervandam vitam.* Ratio eſt, ſi reus injuſtè accuſatus poſſet authoritate privata duello aggredi accuſatorem, poſſet etiam illum occidere occultè, cum ſit eadem ratio; nam ſi titulo defenſionis pugnare poſſum, etiam titulo defenſionis necare poſſum; ſed hoc ſecundum non admittimus in priori Diſt. q. 3. Aſſert. 2. propter maximam perturbationem & perpetuas cædes: ergo nec ſecundum hic eſt admittendum.

Nec dicas: ſi duellum eſt pura defenſio vitæ contra injuſtum invaſorem eſt licitum; ſed illud duellum, quod reus adverſus injuſtum actorem pendente lite de vita ſuſcipit, nihil eſt aliud quàm defenſio: ſicut ſi ſciret quis conductos eſſe ab aliquo aſſaſinos & datam pecuniam ad ſe occidendum, poſſet illum occidere, aut in duellum provocare conſtitutus in extrema neceſſitate aut moriendi aut pugnandi: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. ſi ſit pura defenſio ex qua non majora mala oriuntur reipublicæ conc. ſecus neg. maj. nemo ergo poteſt uti defenſione per medium aliquod, ex quo majora in rempublicam mala exorirentur, cujusmodi eſſent duella & cædes occultæ injuſti in judicio agentis, imò etiam negari poſſet minor, nam per tale duellum privata authoritate aſſumptum non abſolveretur, ſed potius ingravaretur in judicio, hinc ad illum caſum de conductione aſſaſinorum dico, quod illum injuſtum aggreſſorem aliquis potius teneatur interficere ſi poteſt, quam periculo ſe exponere per duellum, cum enim quis poſſit certò mortem evadere, nefas eſſet exponere ſe periculo ſuæ incertæ mortis. His propoſitis:

8 Aſſero ad quæſt. *Tam provocatio ad duellum ad infamiam injuria illata repellendam, quàm acceptatio duelli ad repellendam infamiam & notam ignaviæ ſemper eſt intrinſecè mala, ut in nullo caſu per privatam authoritatem poſſit eſſe licita.* Eſt communis omnium Theologorum poſt Alexandrum VII. damnantem hanc propoſitionem: *vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Probatur 1. pars: vindicare authoritate privatâ injuriam eſt intrinſecè malum; ſed qui acceptâ injuriâ provocat ad duellum, ulciſcitur injuriam privatâ authoritate: ergo maj. per ſe patet, min. prob. ſi acceptâ alapâ provoces percuſſorem, tunc non impedis, ne inferatur injuria; nam illa integrè jam eſt illata: ergo illa non eſſet defenſio ſed vindicta; imò duellum in hoc caſu non poteſt eſſe medium utile ad recuperandum honorem; nam ſi Petrus Paulo dicat mentiris, non reſtituitur Paulo honor, niſi conſtet, quod ille non ſit mentitus, ſed quamvis Petrum ad certamen provocet, non conſtabit, quod Paulus non ſit mentitus, licèt conſtet, quod ſit bonus miles: ergo non eſt medium utile.

9 Probatur 2. pars: jure naturali prohibemur non minus nos exponere periculis mortis, quoties illud non eſt neceſſarium ad defenſionem vitæ noſtræ, quàm alios occidere; ſed acceptatio duelli non eſt medium utile aut neceſſarium ad honorem noſtrum defendendum, ſed expoſitio vitæ noſtræ periculo mortis ergo. Min. prob. ſi apud imperitum vulgus poſſit conſtare, quòd oblati duelli recuſatio non ſit nota timiditatis, certè non amittitur recuſantis honor, & ideo nec eſt medium conſervandi honoris; ſed poteſt conſtare, quod illa non ſit nota timiditatis: ergo. Min. prob. ſi provocanti affirmes te ſolo timore Dei & legum Chriſtianitatis ductum nolle ad condictum locum proficiſci, ſed paratum tamen eſſe te ubique & ſemper armis defenſurum dicendo: cum quotidie per urbem vel rura exeam, ſi aggrediar à te, non vereor tua arma, ſed hic nulla eſt umbra etiam minimæ timiditatis aut prodigalitatis vitæ, niſi in aliquo ſene, ſi ſe non ſpecialiter non cuſtodiret domi: ergo aliter faciendo eſt potiùs expoſitio vitæ periculo mortis ſine ſufficienti ratione, & intentio occidendi alterum vel oſtendendi vires in pugnando quod nunquam eſt licitum.

Probatur utraque pars ſimul: duellum formaliter ſpectatum importat pactum & conventionem ſaltem tacitam privata authoritate inter duos contractam ad ineundam pugnam cum reciproca ceſſione juris in vitam ac intentione utriusque ſuſcepta de altero vitâ ſuâ ſpoliando ubi continget illum prævalere; ſed hoc formaliſſimè importat læſionem dominii divini, quod Deus habet ſuper cujusque vitam, quod homini non poteſt eſſe licitum, neque hic poteſt cedere juri uſusfructûs de vita ſua, quo minus vincens occidendo alterum in duello ſit ei injurioſus & verus homicida: Hinc acceptationem duelli & ipſos cooperantes & ſpectatores damnant tam leges civiles quam Canonicæ, tam Concilia, quam Pontifices, ut patet in advertentiis, quod ſanè homini Chriſtiano plus quam ſufficiens eſt ratio ad eam duelli inſaniam proſcribendam.

10 Addo, rejiciendam eſſe aliquorum probabilem reſtrictionem cum Laymann Tom. 1. lib. 3. Tract. 3. c. 3. dicentium: quod ſi res eò deveniat, ut miles in exercitu, vir equeſtris in aula Regia, officio, & ex hoc ſua ſuſtentatione debeat excidere, niſi ſiſtat ſe provocanti, talis damnandus non eſſet, ſi meræ defenſionis gratia ſuſciperet duellum; nam hoc nullatenus videtur approbandum, quia ſi ex culpa Ducis excideret aliquis de gradu honoris, nunquam tamen res intrinſecè mala fieri poteſt licita ob imprudentis hominis culpam; & pariter hoc eſt periculoſiſſimum in praxi; cum hæc eadem ratio urgeret de offenſis provocatoribus, uti patebit ex ſequenti objectione.

Objicies: qui gravi injuriâ eſt affectus v. g. fuſte vel alapâ percuſſus, teneretur eſſe infamis apud homines ſive provocet ad judicem ſive abſtineat à provocatione ad duellum; ſed ille, qui tam gravi eſt affectus injuriâ, non tenetur ita miſerè vivere ac in ſordibus deliteſcere: ergo poteſt provocare ad duellum, quod eſt unicum in hoc caſu remedium ad honorem defendendum. 11

Reſpondeo vel neg. maj. quia ſunt alia media defendendi & recuperandi honorem per publicam authoritatem. Vel neg. min. nam etſi revera eſſet alicui viro nobili poſt acceptam injuriam miſerè vivendum, deberet tamen illam falſam infamiam potiùs ſubire, quàm committere rem intrinſecè malam, ſicuti martyrium potius quia debet ſubire quam fidem negarè, & ideo tale duellum non eſſet defenſio, ſed potius privata ſatisfactio vel vindicta, ubi tamen nemini privatâ authoritate licet ſatisfactionem exigere aut vindicare; imo ſatis videtur ei conceſſum, quod ille dum actu accepit contumeliam, potuerit injuriam repellere, vel ſalvo aliorum meliori judicio mihi probabile videtur, quod talis injuſtè offenſus poſſet offenſorem accedere extrahendo enſem dicendô: in tantas tu me projeciſti miſerias, ut merito hoc enſe me defendere haberem, & ſi alter extraxerit etiam gladium, poſſet ſe defendere tanquam contra aggreſſorem etiam vitæ, ut in ſimili quid diximus diſt. priori q. 3. Aſſert. 2. ſi verò alter non extraxerit gladium non deberet ultra inſtare, ſed hoc ipſum eſſet ipſi dedecori, & ideo recompenſata eſſet dishonoratio, & ſic non eſſet provocatio duelli formalis, ſed ſimplex defenſio vitæ & honoris.

Dices: ille nullô modô peccat, qui utitur juſta defenſione adversùs injuſtè dishonoratorem, ſed ſaltem acceptatio duelli oblati eſt defenſio juſta honoris & non vindicta: ergo. Min. prob. ille actus eſt defenſio honoris, per quem repellitur infamia inferenda, ſed acceptatio duelli eſt actus per quem repellitur infamia illa ſubeunda, niſi acceptetur; nam provocatus ad duellum non habet quod vindicet, ſed tantum quod repellat infamiam maximam & ludibria.

Contra diſting. maj. non peccat, qui juſta utitur defenſione adverſus dishonoratorem, ſi defenſio illa ſit unicum medium neceſſarium ad repellendam infamiam conc. ſi non ſit medium unicè neceſſarium neg. maj. ſatis autem oſtenſum eſt, quod acceptatio duelli formalis non ſit unicum medium neceſſarium ad tuendum honorem provocati, ut conſtat ex proba 2. partis.

Dices: inter homines nobiles & etiam ſapientes communis eſt opinio & Principum ſententia, ut quicunque vel provocatus recuſaverit duellum vel offenſus non provocaverit, ille nullus deinceps ſit homo; unde illud tantum eſt dedecus, ut pluris illud æſtiment nobi-

nobiles, quàm amiſſionem bonorum omnium & etiam ipſam vitam: ergo hoc eſſet unicè neceſſarium medium tuendi honorem.

Contra neg. antec. ſi provocatus ſic reſpondeat, ſicut diximus in proba 3. ſcilicet non timeo te, ſi me aggreſſus fueris, ſemper me contra te defendam, ſi autem hunc modum non ſciret, & ſimpliciter exiret putans aliàs officium & ſuſtentationem debitam perdere debere, excuſaretur à bona fide: pro offenſo vero provocante ſufficit, quod ſe in flagranti potuerit defendere juxta dicta D. priori q. 3. Aſſert. 2. vel juxta mox dicta ad initium reſponſionis ad object. Imo vix inter Chriſtianos contingit, ut propter duellum recuſatum aliquis privetur officiis, & ſi contingerit, illud eſſet genus Martyrii alaciter ſubeundum viro cœlum deſideranti.

12 Dices: ſi quis in media ſilva pecuniam mihi auferre tentaret vel offerret mihi duellum, tunc illud poſſem acceptare vel etiam offerre: ergo etiam ſi quis mihi tentat auferre honorem.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, tum quia contra latronem illud duellum eſt medium neceſſarium ad ſervandam crumenam, tum quia per latronem actu infertur injuria, & ideo actu potes te defendere.

Dices: ſi quis virum nobilem & equeſtrem invadit etiamſi hic commodè fugere poſſit, non tenetur tamen fugere, ſed poterit invaſorem occidere ad vitandam fugæ infamiam: ergo etiam licebit provocatorem occidere in duello, cum ex recuſatione duelli non minor oriatur apud homines infamia, quam ex fuga, & ſic, ſi ad vitandam infamiam poſſum reſiſtere, poſſum etiam acceptare duellum cum ſit par ratio: ergo.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, tum quia ille, qui non fugit verè provocatur & invaditur ab eo, qui vult ipſum occidere, & ſic ſe ipſum tantùm defendit, & nullum aliud habet medium infamiam vitandi præter pugnam; qui vero acceptat duellum, nulla præſenti vitæ defenſione utitur; quia nemo illum invadit, ſed tantum rogat & invitat: non ergo pugnat, ut vitam tueatur, ſed ut vires per peritiam oſtentet, quod intrinſecè malum eſt: Tum quia ille, qui acceptat duellum ad quod provocatur, habet aliud medium ad vitandam infamiam, ut patet ex proba 2. ille vero qui non fugit, utitur defenſione omnino neceſſariâ, vitæ & honoris; adeóque cum acceptatio duelli oblati ſit conſenſus in pugnam & occiſionem provocantis ex privata authoritate cum præjudicio dominii divini, ubi nulla adhuc eſt vis illata, ideo occiſio in duello ſpontaneo non habet rationem defenſionis neceſſariæ, ſed ſemper objecti ab intrinſeco mali, conſenſus verò in objectum intrinſecè malum ex nullis circumſtantiis cohoneſtari poteſt, ſicut caſtitatis violatio in nullo caſu poteſt eſſe licita, tametſi ob ejus obſervationem graviſſima immineant incommoda. Cæterum poterunt excuſari duellantes, ſi ex rationabili cauſa honoris tuendi vel vilipenſionis humanæ vitandæ ad duellum provocant, quando certò ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis certò impediendam, ut tradit Diana, ſimiliter etiam ſi ex condicto occultè certò promittunt quod impediendi ſint ab omni damno, etſi gladios ſtrinxerint, & ictus aliquot ſine periculo contorſerint, ut dicit Tamburinus.

QUÆSTIO V.

An in obſidione liceat indirectè occidere innocentes, aut aliquem innocentem tradere tyranno, ut ab obſidione ceſſet?

Advertendum eſt: ſatis conſtare ex Diſt. priori. Quæſt. 1. Advert. 2. quæ ſit occiſio indirecta alicujus innocentis, nempe actio quædam, quæ conſequitur alium ſuum finem directè quæſitum, cui tamen per accidens annexa eſt occiſio, ut potiſſimum in obſidionibus contingit v. g. in oppugnatione juſta alicujus civitatis, ad quam expugnandam neceſſaria eſt conquaſſatio turris vel monaſterii, ubi multi innocentes continentur; ibi enim ſolùm conquaſſatio turris vel monaſterii per ſe & directè intenditur, per accidens verò & indirectè ſequitur occiſio innocentium, qui ibidem continentur. Hæc quæſtio ſolemnizatur potiſſimum illo caſu: an ſi tyrannus obſideat aliquam rempublicam, & petat ſibi tradi innocentem à republica hac conditione, quòd poſtmodum velit ab obſidione ceſſare, poſſit reſpublica licitè ei extradere talem innocentem? his notatis: 1

Propoſitio 1. *Captâ civitate obſeſſâ non eſt licitum occidere innocentes ut infantes, fœminas, Clericos & alios ſpecialiter ſupplicantes pro condonatione vitæ.* Ratio eſt, tum quia, quæ poſſet eſſe cauſa crudelior belli, quàm per ſe occidere infantes innocentes? nulla enim adeſt data ab illis injuria; hinc nec ad finem debilitandi vires, ne tales infantes poſtea vindicarent ſuos parentes, occidi poſſunt: Tum quia innocentes occidere in omni republica eſt illicitum: ergo etiam in aliena ſeu hoſtili: ideo Deut. 20. Deus excepit fœminas & infantes ab occiſione; interim tamen fœminæ adultæ, quæ præſumi poſſunt in bellum injuſtum conſenſiſſe vel cooperatas in reſiſtentia fuiſſe, occidi poſſent, cum tales non eſſent innocentes: Tum quia pro Clericis & ſupplicibus S. Auguſt. lib. 1. Civit. Dei c. 1. loquitur dum laudat barbaros, qui ſæpius propter Chriſti nomen ſupplicibus pepercerunt, item lib. 3. de Civ. Dei præfert Gothos Gallis, quòd Senatoribus Romanis pepercerint. 2

Nec

Digitized by Google

Nec dicas Joſue 6. Deus conceſſit, ut in civitate Jericho omnes tam mulieres, quàm infantes perimerentur excepta Rahab meretrice: ergo.

Reſpondeo neg. cooſeq. quia Deus valde iratus ſuper Jericho id ſpecialiter conceſſit, ſed hoc ſine expreſſa Dei licentia noo eſt imitaodum.

3 Propoſitio 2. *Obſides dati, ſi ſunt innocentes, non poſſunt occidi, dum eorum Princeps aut reſpublica frangeret fidem.* Ratio eſt, quia nemo poteſt puniri ex delicto alterius præſertim morte, eſt enim contra præceptum divinum: non occides inſontem; & hoc præſertim verum eſt, ſi obſides eſſent fœminæ vel infantes; hinc dicit Livius: ſe non in obſides innoxios ſed ab armato hoſte pœnas expetiturum. Dixi ſi ſunt innocentes; nam poſſent etiam obſides interfici, ſi fuerint cauſa ut Princeps aut reſpublica, quæ illos obſides dedit, frangeret fidem, vel aliquô dolô in hunc finem uſi fuiſſent; aut ſi fugerent datâ fide permanendi, oam tunc pœnam merentur ut fugitivi; tenentur ergo maoere datâ fide.

Nec dicas: eâ conditione dantur obſides, ut hoſtes fidem ſervent, & hac conditione, ut recipientibus eos ſit poteſtas in corpus & vitam: ergo ſi hoſtes frangerent fidem, poſſent obſides puniri pœna fractioois fidei, quæ eſt mors.

Reſpondeo neg. conſeq. oam licet illis conditionibus dentur, non tamen morte ſed aliis pœnis tantum, ut carcere, exilio, aut privatione bonorum poſſunt affici, quæ ſufficiunt, ut obſidum cautione pax & ſecuritas ex bello haberi poſſit; unde illa conditio, ut recipientibus obſides ſit poteſtas in corpus & vitam ſolùm in caſu, ubi obſides fiunt nocentes dando cauſam perfidiæ, habet locum.

4 Propoſitio 3. *Jus vitæ innocentum non poteſt cadere ſub repreſſalia.* Ratio eſt, quia jus vitæ innocentum non poteſt transferri in sempublicam, cùm ſit contra præceptum divinum: *inſontem non occidas*, ut dictum eſt Diſt. priori. quæſt. 1. quando autem reipublicæ conceditur poſſe occidere eos, qui juris executionem vi volunt impedire, ſolum conceditur occiſio indirectè & per accidens, directè verò juris defenſio; imo ſi præviderentur occiſiones, potiùs teoeremur ex lege charitatis omittere juris proſecutionem, quia pluris debet eſſe vita hominis, quàm res ooſtra materialis.

Nec dicas: commune dictum eſt, quod in repreſſaliis puniatur quis ſine culpa, non verò ſine cauſa: ergo dum adeſt cauſa, cadit etiam vita innocentum ſub repreſſalia.

Reſpondeo diſting. antec. punitur aliquis ſine culpa pœna damni conc. pœna flagelli ut eſt mors vel mutilatio neg. antec. cæterùm in aliis cauſis civilibus, quando conceduntur repreſſalia, punitur quidem aliquis ſine culpa ſua perſonali, non tamen ſine culpa ſua legali, & ideo cogi poteſt ad ſatisfaciendum pro debito ſuo legali licet non ſuo perſonali; cùm enim ille ſit pars reipublicæ, quæ debet ſatisfacere, etiam ille debitum habet ſatisfaciendi, licèt ſemper verum maneat, quod non puniatur propter peccatum aliorum. His propoſitiss

5 Aſſero ad quæſt. *In obſidione aliqua non ſolum licet indirectè aliquos innocentes occidere, ſed etiam quando tyrannus reipublicæ invaſor, eámque obſidens, peteret à Principe innocentem, imò etiam infantem ſibi ad occidendum tradi, aliàs totam rempublicam devaſtaturus, poſſet licitè talis innocens tradi.* Eſt Leſſii & aliorum contra alios.

Probatur 1. pars: licitum eſt in obſidionibus conquaſſare turrim hoſtium ad quam ſe multi innocentes receperunt, aliàs nunquam poſſet obtineri victoria, cum ſemper ab hoſte illuc poſſent poni iooocentes; ſed io hac conquaſſatione turris fit indirecta occiſio innocentum: ergo. Maj. ultra prob. conquaſſatio turris, non eſt interfectio innocentum, ſed demolitio turris, ad quam permiſſivè ſolùm ſequitur interitus innocentum, ſed talis demolitio eſt licita, ut à pari ſtatim pluſibus patebit in proba ſequenti: ergo.

6 Probatur 2. pars: quando actio directè & per ſe oon tendit ad necem innocentis, poteſt honeſto ſine publicæ neceſſitatis cohoneſtari; ſed traditio ipſius innocentis non per ſe & directè tendit ad necem ejus: ergo. Maj. patet in conſervationem reipublicæ actio expoſitionis civium certo periculo mortis ſic cohoneſtatur, pariter actio præceptionis ſub pœna mortis ut ſe ſiſtat tyranno; ſicuti actio præceptionis Belliducis tempore belli, ut miles ſe exponat exploſioni tormentali ad reparandum ictum contra Principem directum. min. vero prob. illa traditio non habet pro directo & immediato objecto necem innocentis, ſed ejus expulſionem ab urbe, quæ non eſt per ſe mala, cum ex ea præcisè non ſequatur mors innocentis, ſed ſolùm ex malitia & actione tyranni, quam ergo reſpublica ob bonum commune permittere poteſt.

7 Objicies: tradere illum innocentem tyranno occidendum eſt cooperari ad mortem innocentis, ſed tam cooperatio quam illatio mortis innocentis eſt intrinſecè mala; ergo.

Reſpondeo diſting. maj. eſt cooperari permiſſivè & negativè ad mortem & poſitivè ſolum ad expulſionem ab urbe conc. eſt cooperari tam ad mortem quam expulſionem poſitivè neg. maj. diſting. min. ſed cooperatio poſitiva eſt intrinſecè mala conc. permiſſiva & negativa neg. min. nam hoc eſt in quæ-

ſtione,

ſtione, utrum non poſſit cohoneſtari ob finem publicæ neceſſitatis.

Dices: finis publicæ neceſſitatis ad conſervandam communitatem non poteſt cohoneſtare traditionem virginis à tyranno deflorandæ, aut traditionem ſacrorum ab eo profanandorum: ergo nec traditionem innocentis ad occidendum.

Contra neg. conſeq. quia in caſu virginis eſt morale periculum peccandi, unde nec virgo tenetur ſe tali periculo exponere ob reipublicæ incolumitatem, cum ob nullum bonum creatum teneamus nos periculo peccati exponere, in caſu vero ſacrorum fit contemptus rebus ſacris, qui redundat in contemptum Dei, qui ob nullum temporale bonum eſt permittendus.

Dices: ſaltem infans non eſt capax obligationis naturalis, ac proinde non tenetur ſe exponere pro bono communi ex jure naturæ ſicut tenetur aliquis adultus: ergo licet reſpublica poſſet tradere adultum, cum ipſemet ad hoc ex jure naturæ obligetur, non tamen poterit tradere infantem.

Contra neg. conſeq. quia reſpublica non tantum ob illam rationem quia adultus ipſe lege naturæ teneretur ſe tradere tyranno poteſt illum tradere, ſed etiam propter jus, quod habet tempore neceſſitatis in ſuos cives, poteſt illum tradere, ſicut poteſt ſuos cives periculo mortis exponere tempore belli, quæ ratio adhuc concludit de infante tradendo. His

8 Addo 1. multò magis reipublicæ licere mutilare innocentem, ſi ex mutilatione ipſa à tyranni invaſione liberetur; quia quævis privata perſona habet in conſervationem ſui ſuppoſiti poteſtatem membra ſibi abſcindendi, ut dictum eſt diſt. priori quæſt. 1. propoſ. 4. ergo & reſpublica in conſervationem ſui habet jus mutilandi corpus innocentis, quia poteſt innocens poteſtatem quam habet ad præſcindenda membra ad mortem evitandam conferre reipublicæ ad communem ruinam totius communitatis vitandam, in qua & ipſe periret, ſecus vero eſt in interfectione, quia reſpublica ab innocente non poteſt accipere talem poteſtatem, cum poteſtatem interficiendi ſe nunquam habere queat innocens, ut illam poſſit conferre reipublicæ.

9 Addo 2. occiſionem etiam indirectam ſolummodo licere ex graviſſima neceſſitate, quando autem ſit graviſſima neceſſitas, hæc regula eſt obſervanda: quando damnum à me incurrendum per omiſſionem v. g. fugæ eſt majus quàm illud, quod lege charitatis debeo ſubire ad cavendum damnum alterius, tunc jus aſſiſtit mihi non alteri, quia charitas me abſolvit ab obligatione ſubeundi tale damnum, ſi vero damnum, quod ex charitate tenerer avertere eſſet majus, quàm damnum à me incurrendum per amiſſionem vitæ, tunc jus aſſiſtit alteri, quia charitas me ligat; hinc ſi quis fugeret ſuum hoſtem ſtricto gladio inſequentem, & deberet per multitudinem hominum fugere, poſſet directè curſum intendere, etiamſi prævideret jacentem in via infantem opprimendum, quia jactura vitæ meæ imo totius oppidi, cui vellet notitiam hoſtis inſinuare eſt majus damnum, quàm quod deberem ex charitate ſubire ad conſervandam vitam alterius ſcilicet infantis, licet etiam infantis ſit quoad ſe & omnem ſuam actionem majus, & poſſet per ſe vel parentem abigere equum cum periculo equitantis, ſi poſſibile eſſet; unde eſt jus conditionatum: ſi poteſt vincere, ſic vincet ſine læſione juris alieni; non tamen liceret illi fugienti gladio interimere eos, qui ex involuntaria compreſſione viam impedirent; hoc enim eſſet directè tanquam medium eligere occiſionem innocentis: econtra vero non eſt graviſſima neceſſitas arripiendi iter directum, ſi concitato equo infans in via conculcandus eſſet, quando alias perderem lucrum, niſi properando ad nundinas, & alios præveniendo.

DISTINCTIO VI.

De Juſtitia circa ſubjecta Dominii, qualia præſertim ſunt religioſi & Clerici, & per conſequens de eorum immunitate in tributis, & deductionibus.

QUÆSTIO I.

An & quo jure religioſi ſint incapaces dominii?

ADvertendum eſt 1. vidimus in prioribus 1
diſtinctionibus objecta dominii illa, quæ ſunt principaliora, ut vitam & famam, & reliqua tetigimus obiter; hinc etiam in præſenti diſtinctione de ſubjectis dominii tractemus ea, quæ principaliora ſunt, ut ſunt religioſi & Clerici, & reliqua attingemus obiter; quare cum de ſubjecto dominii poſſit quæri in communi quinam ſint capaces dominii? id jam ex prioribus ſufficienter conſtare poteſt, quòd ſola & omnis natura intellectualis ſit dominii proprietatis naturaliter capax etiam includendo infantes & perpetuò amentes, cum etiam hi ſaltem in actu primo liberè diſponere poſſint de ſuis rebus, & actus ſecundus in amentibus poſſit exerceri per illorum procuratores, ſicut in parvulis per eorum tutores: aliud vero eſſet de dominio juriſdictionis, quale eſſet v. g. dominium Papæ, cum enim hoc ſit ordinatum ad dirigen-

dos alios, requirit uſum arbitrii, qui non poteſt per alium ſuppleri, cum tale jus & ejus uſus ſit perſonalis, & ideo nec poteſt Pontifex illud alteri delegare, ut cum eadem infallibilitate exerceat illud; hinc ſi Papa incideret in amentiam, ſtatim deſineret eſſe Papa; remanent ergò ſolùm difficultates potiores diſcutiendæ de religioſis & Clericis, qualiter nam hi ſint domini ſuarum rerum? undè

2 Advertendum eſt 2. certum eſſe quemlibet religioſum in particulari poſt ſolemnem profeſſionem omnis omninò dominii tam proprietatis, quam uſusfructûs, poſſeſſionis, vel cujuſcunque juris rerum temporalium, & præſertim immobilium eſſe incapacem; unde in jur. Can. C. *cùm ad monaſterium.* de ſtatu Monachorum ſtatuitur: *quod ſi proprietas apud quemdam inventa fuerit in morte ipſa cum eo in ſignum perditionis extra monaſterium in ſterquilinio ſubterretur;* ſicut B. Gregorius ſe feciſſe narrat in Dialogo; & pariter Trid. Seſſ. 25. c. 2. hanc adjecit pœnam: *Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus fuerit, is biennio activâ & paſſivâ voce ſit privatus* &c. Dixi rerum temporalium: quia bonorum ſpiritualium poſſunt eſſe domini; & ideò opera interna & merita poſſunt liberè aliis offerre; pariter qui illis detrahit famam, peccat graviter contra juſtitiam, & tenetur eis reſtituere; nam in hoc non ceſſerunt juri ſuo; imò etiam capaces ſunt aliorum jurium ſpiritualium, quorum poſſunt retinere dominium v. g. ſuorum beneficiorum regularium, & poſſunt agere nomine proprio ad obtinendum, vel recuperandum eorum poſſeſſionem, vel ad manutenendum jus eligendi ſibi competens, vel jus alimentorum, vel jus manendi in tali vel tali monaſterio, ut notat Navarrus.

3 Advertendum eſt 3. cum ergo religioſi ſint incapaces dominii rerum temporalium in particulari, oritur nunc difficultas, unde nam oriatur talis incapacitas, circa quam duæ ſunt

1 ſententiæ: prima docet incapacitatem ad dominia, ſicut & ad matrimonia eſſe ex ipſa natura voti ſolemnis, cui jure naturali & divino ſit talis incapacitas annexa, ut docet D. Thomas. Altera verò ſententia quidem dicit talem incapacitatem oriri ex voto ſolemni, non verò ex natura voti ſolemnis, cui jure naturæ aut divino eſſet annexa hæc incapacitas, ſed ſolùm jure eccleſiaſtico, ſeu conſtitutione Eccleſiæ tali voto annectentis talem incapacitatem, ut docet Scotus in 4. D. 38. q. un. circa finem; unde ſicut hujus ſententiam ſequimur in materia de matrimonio, ita etiam conformiter eam hic ſequemur quoad dominia rerum ex voto ſolemni paupertatis religioſæ. Interim autem his adverſis:

4 Propoſitio 1. *Lex humana poteſt incapacitatem dominii inducere, vel directè inhabilitando perſonas, vel indirectè conſtituendo certam formam ſervandam in actu, ſine qua actus non poteſt fieri validè, & ſic indirectè tollit moralem poteſtatem ad actum oppoſitum.* Ratio primi eſt ex C. *cùm ſecundum leges* de hæreticis in 6. ubi hæretici fiunt incapaces dominiorum & extra. ad Canonem. inhabilitantur illegitimi ad beneficia eccleſiaſtica & ſucceſſionem bonorum etiam patrimonialium Clericorum. Pariter L. *fin.* ff. ad legem Juliam. ubi committentes crimen læſæ majeſtatis fiunt incapaces dominii, cujus ratio eſt; quia omnis poteſtas inferior perfectè ſubjicitur Superiori; ſed poteſtas ſuperior ob bonum publicum poteſt inhabilitare ad aliquem actum poteſtatem inferiorem, quia id ſæpe expedit: ergò poſſunt leges humanæ ob bonum publicum incapacitatem inducere, ita ut aliquis actus talis perſonæ non ſit à ſufficiente poteſtate dominativa, cum actus contra legem Superioris non poſſit procedere ex ſufficienti poteſtate, nam poteſtas inferior eſſentialiter ſubordinatur Superiori. Ratio ſecundi eſt ex Trid. ubi aſſignatur certa formula ſervanda in electione Superiorum, ſimulque tollit poteſtatem ad eam validè faciendam ſine tali forma, quod idem alia jura faciunt conſtituendo certam ſolemnitatem in teſtamentis, & tollendo potentiam ad faciendum validum teſtamentum ſine tali ſolemnitate: ergo.

Nec dicas: capacitas dominii eſt naturalis: ergo non poteſt per jus poſitivum tolli: tum quia jus poſitivum non poteſt derogare juri naturali, in quo fundatur; cùm nulla virtus poſſit deſtruere ſuum fundamentum, cui innititur: tum quia dominium eſt poteſtas diſponendi in actu primo; Sed leges humanæ non habent jus, niſi in ea, quæ cadunt in humanum judicium, quales non ſunt actus primi, ſed ſecundi & externi: ergo.

Reſpondeo diſting. antec. Capacitas phyſica remota & fundamentalis conc. moralis & proxima neg. prima ergo conſiſtit in natura intellectuali & volitiva, & hæc per legem tolli non poteſt, altera verò conſiſtit in relatione ad rem perfectè ſibi ſubjicibilem, cujus ratio fundandi eſt aliqua actio exterior comparandi vel retinendi res, quæ ratio proxima fundandi, cùm per legem poſſit tolli, ideò etiam capacitas moralis dominii ſeu tota relatio poteſt tolli; hinc ad probationem priorem dico: hoc non eſſe derogare juri naturali; nam quandò jus naturale eſt ſolùm permiſſivum, uti eſt in capacitate dominii, & non præceptivum, ſic permittit poſſe utrumque licitè fieri jure poſitivo; ſcilicet habere vel non habere dominium, quia ſic jus poſitivum non deſtruit, ſed determinat jus naturale ad unum, quod de ſe erat indifferens ad utrumlibet, ut patet de libertate, quæ eſt de jure naturæ permiſſivo, & jure gentium poteſt tolli in bello captis. Ad probationem ſecundam neg. ſecundam partem min. nam cum dominium ſit correlativum ad rem ſibi ſubjectam, & tales res cadant ſub poteſtatem

ſtatem humanarum legum, quia ſunt res externæ aut dependentes ab actionibus externis; ideò etiam dominium quoad actum primum cadit ſub humano judicio, qui enim habet jus in terminum, etiam habet jus in relationem, quia relatio ab exiſtentia termini pendet.

5 Propoſitio 2. *Quamvis nullus poſſit ſolâ privatâ voluntate, ſcilicet nullo alio conſentiente vel acceptante ſe ipſum ad rerum dominia incapacem reddere, poteſt tamen aliquis per contractum transferentem ſuam libertatem in alium legitimè acceptantem ſe reddere incapacem dominii.* Ratio primi eſt: quantumvis aliquis ſe vellet inhabilem efficere, ſemper tamen erit ſui juris, ut revocatâ ſuâ priori voluntate poſſit conſenſum adhibere ad dominia capeſſenda; ſed ubi adeſt ſufficiens principium conſensûs, adeſt dominii capacitas, quæ ex libero conſenſu pendet: ergo. maj. patet; quia principium conſensûs, ſeu libertas nobis neceſſariò ineſt: ergo privato conſenſu non poſſumus nobis id abdicare. Ratio ſecundi eſt: quia poteſt aliquis ſe ipſum ſuámque libertatem alteri vendere, vel per votum acceptante Eccleſia ei tradere: ergo poteſt eam alienare non minus ac alias res externas: uti in prædictis de objecto dominii tenuimus; ſed qui à ſe alienat principium libertatis, ſimul cum eo alienat liberum ejus uſum, & in eum, qui acceptat, transfert, ſine quo libero uſu vel per ſe, vel per alios, ut eſt in pupillis & amentibus, homo non eſt capax dominii, cum dominium non poſſit acquiri aut transferri niſi libero conſenſu hominis: ergo.

Nec dicas: donatio omnium bonorum tam præſentium quàm futurorum eſt invalida, ut habetur L. *ſtipulatio* ff. de verb. oblig. quia talis donatio adimit poteſtatem teſtandi, quod jura prohibent ut contrarium bonis moribus: ergo nemo poteſt ſe incapacem reddere dominii, cum poſſe teſtari ſupponat dominium.

Reſpondeo primò neg. conſeq. quia licet nequeat homo ſe reddere incapacem dominii per alienationem omnium bonorum viâ donationis, poteſt tamen incapacem ſe reddere per alienationem propriæ libertatis, quod lege non prohibetur: ſecundò neg. etiam antec. ſi talis donatio ſit facta Eccleſiæ aut loco pio; nam his facta etiam eſt valida, ut eruitur ex L. fin. C. de peccatis. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Religioſi profeſſi (exceptis Franciſcanis & Capucinis ac domibus profeſſis Societatis JESU) habent verum dominium rerum temporalium in communi, & non ſolam adminiſtrationem illarum.* Eſt Scoti in 4. d. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* ubi vult: *quod propter defectum ſecundi, hoc eſt, voluntatis in recipiente ad dominium requiſita non poſſit quis donare pecuniam fratri minori, quia ille non vult eſſe dominus.* Præterea *vult Monachum ſine licentia Abbatis donare non poſſe, benè tamen cum licentia ejus;* ſed ad donationem requiritur dominium: ergo. Eſtque communis contra Navarrum.

Probatur: votum paupertatis non impedit tale dominium in communi, ſed potius illud videtur ſupponere: ergo. antec. prob. eo ipſo, quòd ſubditus promittat ſe non uſurum bonis temporalibus; niſi dependenter ab aliis ſcilicet, qui nomine monaſterii illa adminiſtrant, ſupponit eorum dominium eſſe penes communitatem, & hujus conſenſum eſſe neceſſarium ad uſum talium rerum: ergo antec. prob. ſi non ſupponeret eſſe penes communitatem dominium illorum bonorum, vel hoc ſupponeret provenire ex ordinatione Eccleſiæ, vel ex intentione voventium, vel ex intentione dantium talia bona; ſed ex nullo horum provenit: ergo nequit ſic ſupponere min. prob. non ex primo: quia habetur potius contrarium; nam ſacra Synodus Trid. Seſſ. 25. c. 3. concedit omnibus monaſteriis & domibus tam virorum quàm mulierum etiam mulierum mendicantium (exceptis Capucinis & Fratribus Minoribus de obſervantia Franciſcanis) etiam illis, quibus aut ex propriis conſtitutionibus erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non conceſſum, ut deinceps omnia bona immobilia eis poſſidere liceat, cui tamen privilegio Societas JESU quoad domos profeſſas renunciavit: non ex ſecundo; quia intentio voventium eſt ſolummodò, ut à ſe in particulari abdicent dominia, licèt cupiant manere apud communitatem ad vitæ ſuſtentationem; quia cum religioſa paupertate ſolùm pugnat actus dominii independens à voluntate Superioris, cùm hic ſolummodò tollat perfectam ſubjectionem voluntatis ſubditi à voluntate Superioris, quàm religioſus voto paupertatis DEO promittit: non ex tertio; quia patet contrarium ex litteris fundationum, in quibus plenum jus confertur tali communitati & religioni, quæ ſi jus ſuum læſum reperit, imploret auxilium juſtitiæ, & actione reali illud proſequatur, ut praxis & conſuetudo oſtendit. Adhæc

Addo 1. Inter domos profeſſas Societatis JESU & monaſteria Franciſcanorum & Capucinorum hanc eſſe differentiam notabilem: quòd ſcilicet noſtra & Capucinorum monaſteria in nulla hæreditate ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato poſſint ſuccedere, econtra verò domus profeſſæ poſſunt ſuccedere in hæreditatem, ita tamen, ut bona immobilia ſibi ex hæreditate provenientia teneantur vendere, ut docet Lugo, & addit Sanchez: quòd quoad hoc non indigeant facultate pontificia aut ſolemnitate, quæ aliàs ad alienationem bonorum Eccleſiæ de jure requiritur apud regulares, ut habetur in titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis, & præſertim extrav. *ambitioſæ.* de rebus Eccleſiæ non alienandis ſcilicet ſine licentia Pontificis: nam illa alienatio domibus profeſſis non eſt libera, ſed neceſſaria propter in- 7

capacitatem retinendi, quamvis poſſit ea bona per aliquod tempus retinere & fructus percipere, usqua dum ſe offerat commoda occaſio alienandi, illud autem modicum tempus debet eſſe minus decennio, ut habet praxis juridica; ex quo patet, quod multò magis aliæ religiones dominii capaces ſint etiam capaces ſucceſſionis hæreditariæ, quæ tamen ſucceſſio hæreditaria prorſus exulat à monaſteriis noſtrorum & Capucinorum; unde ſi quis ex his religioſis hæres inſtitueretur, inſtitutio eſſet irrita, & devolveretur ad hæredes ab inteſtato, vel ad ſubſtitutum, ſi quis ſubſtitueretur; neque hi etiam tenerentur in conſcientia ad æſtimationem hæreditatis prædictis religioſis, etiamſi teſtator juſſiſſet illos religioſos hæreditatem convertere in res neceſſarias; quia ſunt abſolutè incapaces juris hæreditarii. Cæterùm tamen novitii cujuscunque religionis poſſunt ſuccedere ut hæredes, cum necdum paupertatem vel religionem fuerint profeſſi.

8 Addo 2. Superiores religioſi, cum non ſint domini, ſed adminiſtratores rerum temporalium, debere præcipuè in earum expreſſione attendere ad intentionem fundatorum, qui immediatè volunt cultum divinum debitè conſervari & foveri: item debent promptiores eſſe ad liberalitatem quam parſimoniam; quia magis conſulitur regulari diſciplinæ, ſi intra religioſæ paupertatis modeſtiam abundent neceſſaria, quàm ſi Religioſi ſub prætextu neceſſitatis ſibi varias commoditates occultè procurent; unde D. Bernardus dixit: *ubi non eſt abundantia, ibi non eſt obſervantia.* Prætereà etiam peccant Superiores reditus monaſterii expendendo in uſus profanos & ſuperfluos, poſſunt tamen juxta proportionem divitiarum ad ornamenta Eccleſiæ & alias pias cauſas facere expenſas & donationes, non tantùm remuneratorias, ſed etiam liberales juxta laudabilem conſuetudinem, imò etiam urgente neceſſitate vel utilitate monaſterii poſſunt alienare bona ſervatis tamen ſolemnitatibus à jure præſcriptis: tandem Superiores non poſſunt concedere novitiis ullam reſervationem poſſeſſivam nec noſtri Superiores novitiis noſtris reſervationem applicativam ſolius ſimplicis uſûs ad ullam rem temporalem poſt profeſſionem; quia tales novitii in profeſſione mentirentur DEO, & nos ex regula abdicamus omne dominium & uſum, & omne id, quod ſapit recurſum ad amicos, non tantùm in pecunia, ſed etiam in omni re uſuali, ita ut nobis nec liceat quidquam reſervare per modum providentiæ in futurum; hinc licèt novitii poſſint facere eleemoſynas conventui pro neceſſitatibus præſentibus & imminentibus, non tamen pro futuris v. g. ut poſt annum pro primitiis, vel pro annuè emendis imaginibus, vel aliis eſculentis & poculentis ſæpiùs ſuccurrant cognati, benè tamen pro neceſſitatibus quæ tractu temporis expediuntur v. g. pro ædificiis, vel veſtiendis fratribus & aliis.

Addo 3. Religioſum particularem peccare moraliter peccato proprietatis in ſequentibus: 9
primò, ſi aliquid notabilis momenti recipiat ſine tacito vel expreſſo conſenſu Superioris: ſecundò, ſi donatione vel alio modo aliquid notabile alienet ſine conſenſu Superioris, & eum, qui accipit teneri ad reſtitutionem: tertiò, ſi abſcondat, ne Superior ſciat: quartò, ſi legatum vel hæreditatem ſine licentia Superioris repudiaret, & hæc repudiatio eſſet irrita; nam quidquid acquirit Monachus, monaſterio acquirit, ut habetur C. *Abbates.* 18. q. 2. Ratio autem horum eſt; quia illa, ſi absque conſenſu Superioris fiunt, ſunt actus dominii independentis, & juris proprietarii, qui actus per votum paupertatis religioſæ redduntur illiciti; cum per eos votum violetur: imò nec particularis religioſus capax eſt uſus facti independentis à Superiore, quia talis uſus etiam eſt actus dominii repugnans paupertati religioſæ, ſicuti ſi rem alteri utendam traderet ſine licentia; tam enim exerceret actum dominii, ſi rebus ipſe uteretur independenter à Superiore, quam ſi alteri utendas traderet independentes a Superiore: ergo ſicut non poteſt hoc præſtare, ita nec ſibi id applicare; hinc contra paupertatis votum peccaret ſi ſine tacitâ ſaltem licentia Superioris invitatus ad prandium ſæcularium materiam notabilis valoris conſumeret licèt invitator nullum jus, ſed ſimplicem uſum transferat in convivas, quia etiam ſufficit purus uſus independens à conſenſu Superioris, ut mox dictum eſt, & aliàs etiam poſſet religioſus contra voluntatem Superioris à ſæculari pretioſas veſtes privato nomine accipere hac conditione, ut ſemper dominium ſit penes dantem, donec fuerint conſumptæ.

Objicies paupertas eſt eſſentialis alicui religioni: ergo ſicut repugnat, quod tota tabula ſit alba & ſingulæ ejus partes nigræ, ita repugnat totam communitatem eſſe divitem & dominam, & quemlibet religioſum in particulari eſſe pauperem, & ſolum uſuarium. 10

Reſpondeo diſting. maj. paupertas eſt eſſentialis religioni in communi neg. in particulari conc. nec valet conſeq. quoad omnia prædicata alicujus Superioris de illo ad inferiora, multò minus valet illa paritas phyſica deſumpta ab albedine ad moralem denominationem paupertatis, nam in his moralibus aufert Pontifex proprietatem à particulari religioſo, & vult eam conſiſtere penes communitatem, quia non communitas, ſed quilibet religioſus elicit votum paupertatis excluſivum proprii.

Dices: res monaſteriorum ſunt ita DEO & Chriſto oblatæ ac conſecratæ, ut nullus purus homo poſſit de eis independenter diſponere: ergo nulla etiam communitas humana ha-

bet

bet in hæc bona dominium. antec. prob. illa bona monaſteriorum vocantur à SS. Patribus patrimonium Chriſti: ergo independenter ab illo non poteſt purus homo diſponere.

Contra retorqueo argumentum: nullus homo poteſt de ſuis rebus independenter à Dei dominio diſponere: ergo nullus homo habet in ſua bona dominium, ſed neg. antec. probam ejus diſting. ſunt patrimonium & bona Chriſti finaliter conc. ſubjectivè neg. hoc eſt illa bona ſunt data propter Chriſtum juxta illud Matth. 25. *quod uni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis;* non verò ſunt bona Chriſti ita, ut ſoli ejus poteſtati ſubjiciantur; nam antecedenter ad obligationem fidelium Chriſtus horum bonorum fuit verus Dominus.

Dices: dominium eſt jus diſponendi de re tanquam ſua independenter ab alio; ſed neque communitas de rebus monaſterii independenter ab alio poteſt diſponere: ergo. min. prob. communitas alicujus monaſterii non poteſt bona ſua alienare, aut permutare abſque licentia Pontificis: ergo.

Contra diſting. maj. dominium perfectum conc. imperfectum neg. verum quidem eſt, quod dominium Prælatorum non ſit ita abſolutum & liberum, ſicut dominium ſæcularium; quia communitas monaſterii non poteſt ſua bona immobilia & mobilia pretioſa alienare ſine conſenſu Pontificis, ſed debent manere apud monaſterium, ut hoc ſemper conſervetur, adeóque Pontifex, cum ſit ſupremus adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, poteſt ob legitimam cauſam tale dominium in alios transferre relictis tamen religioſo ad vitam neceſſaria, quod tamen non poteſt Cæſarea vel regia Majeſtas.

Dices: non tantùm Pontifex, ſed etiam quidam Epiſcopus tranſtulit ſimpliciter beneficium Eccleſiæ penitus dirutæ per unionem ad aliam Eccleſiam non requiſito conſenſu reclamantis illius Eccleſiæ Patroni & Prælati; ſed hoc eſt ſignum, quòd nec Prælatus in communi habuerit dominium, cum tranſlatio ab Epiſcopo ſit juſtè & validè facta: ergo.

Contra diſting. min. eſt ſignum, quòd non habuerit dominium reſpectu hujus beneficii Eccleſiæ dirutæ annexi conc. reſpectu aliorum bonorum neg. min. quod autem reſpectu talis beneficii Prælatus non habeat dominium; ratio eſt, quia jus patronatûs deſtructa Eccleſia penitus omnino tollitur; unde etiam Canones dicunt, jus patronatûs acquiri ab eo, qui Eccleſiam penitus dirutam reædificat, adeóque prius jus ruit ruente Eccleſia.

11 Aſſero 2. *Incapacitas dominii religioſorum in particulari non eſt ex natura voti ſolemnis; ſed ex conſtitutione Eccleſiæ.* Eſt conformiter Scoti in 4. d. 38. q. un. circa finem contra Thomiſtas.

Probatur primò: ſi incapacitas dominii proveniret religioſis ex natura voti ſolemnis, vel proveniret ex natura voti quà talis, vel quà ſolemnis; ſed neutrum dici poteſt: ergo. min. prob. non primum: quia Gregorius XIII. conſtit. *aſcendente Domino.* definit eſſe veros religioſos cum ſimplici voto paupertatis, ut ſunt ſcholaſtici Societatis JESU, qui poſt ſecundum annum novitiatûs emittunt illa tria vota religioſa ut ſimplicia, non quidem in manu Superioris, ſed coram & acceptante DEO; ſed illi tamen ſunt capaces dominii: ſicut per votum ſimplex caſtitatis ex natura rei non excludunt capacitatem contrahendi matrimonium ergo. non ſecundum; quia ſolemniſatio voti eſt ex ordinatione Eccleſiæ, ut patet expreſsè C. un. de voto & voti redempt. in 6. u-
bi dicit Pontifex: *nos igitur attendentes. quod* 11
voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa &c. unde ſæpius Pontifex in votis ſolemnibus diſpenſavit, uti habetur ex hiſtoriis authenticis; adeóque ex hoc dilemate arguo ſic: votum ſimplex quoad ſuam naturam & eſſentiam non diſtinguitur à voto ſolemni, niſi ex conſtitutione Eccleſiæ: ergo ſi votum quà ſolemne talem inducit incapacitatem, ab illo habebitur talis incapacitas, à quo habetur ſolemnitas; ſed ab Eccleſia habetur voti ſolemnitas: ergo & dominii incapacitas.

Reſpondent aliqui: Scholaſticos Societatis JESU eſſe quidem veros religioſos, quia Bulla Gregorii XIII. hoc definit, ſed diverſo modo ab aliis religioſis; quia hi ſunt religioſi jure naturali divino, illi verò ſolùm jure eccleſiaſtico: præterea non eſt mirum, quòd vota ſcholaſticorum non reddant voventem incapacem dominii, quia ex parte religionis non admittuntur ut perpetua, illa autem incapacitas ſolùm eſt annexa voto perpetuo paupertatis ex parte utriusque.

Contra nolunt Patres Societatis audire talem differentiam; nam citant dictam Bullam Gregorii XIII. ſic loquentem: *non ſecùs ipſos tam quorumcunque aliorum regularium Ordinum profeſſos;* quod verum non eſſet, ſi humano tantùm jure, & alii naturali Divino forent religioſi; unde nec illam perpetuitatem dicunt hic facere ad rem; quia quando illi ſcholaſtici poſt longas experientias ſecundò emittunt vota, & exinde dicuntur, & fiunt coadjutores formati, non admittuntur etiam talia vota ut perpetua ex parte religionis, & tamen illis eſt annexa incapacitas dominii, & inhabilitas ad omne jus, ut illi in ſuis conſtitutionibus habent: ergo inhabilitas dominii non eſt ex perpetuitate, ſed etiam ex conſtitutione Eccleſiæ. Tandem quando Patres Societatis JESU tertiò in manu Superioris illa vota acceptantis & ſe pro religione viciſſim perpetuò obligantis emittunt, faciunt veram profeſſionem, & dicuntur profeſſi, & ſic de illis eodem modo, ſicut de aliis profeſſis diſcurrendum erit. Ad hæc ergo

Addo 1. Si religioſus profeſſus in Epiſco- 12

pum evehitur, probabilius eſt, quòd cum ipſo diſpenſetur, & ſolvatur à voto paupertatis: ratio eſt, quia Monachus factus Epiſcopus jure vendicat ſibi paternam hæreditatem, ut habetur C. *ſtatutum.* 18. q. 1. ergo factus eſt capax dominii; aliàs enim non ſibi, ſed monaſterio illam hæreditatem vendicaret, per conſequens eſt ſolutus à voto paupertatis; nec obſtat, quòd talis Epiſcopus in morte teneatur ſuam ſubſtantiam relinquere Eccleſiæ; nam etiam Clerico ſæculari negatur factio teſtamenti de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, & tamen in vita ſunt domini eorum ſecundùm probabiliorem ſententiam, de qua plura quæſt. ſeq. interim

13 Addo 2. cum Haunoldo tom. 1. tract. 4. c. 1. controv. 3. probabilius eſſe contra Suarez & Sanchez: quod licèt cum voto paupertatis in Scholaſticis Societatis JESU ſtet capacitas dominii, hoc tamen ita ligatum ſit, ut de ſuis nec validè nec licitè diſponant ſine Superioris licentia: ratio eſt; tum quia Pontifex Gregorius XIII. in ſua Bulla dicit de illis: *in illorum tamen uſu paupertatem religioſam ſervant, nec ullâ re tanquam propria ſine Superioris facultate uti poſſunt;* ſed ſenſus talium verborum, ſcilicet *non uti poſſunt*, habet modum & rigorem legis irritantis valorem actûs ſine facultate Superioris: ergo nec validus nec licitus eſſet actus diſponendi illorum Scholaſticorum: min. prob. juxta illa, quæ diximus in Tract. priori de lege humana non ſolùm prohibente, ſed etiam irritante: ſi lex aliquid requirit obſervandum ab eo, cui tunc actu poteſtatem tribuit ad talem actum, de cujus valore agitur, cenſetur id, quod requirit ad ſubſtantiam actus pertinere v. g. ſi Pontifex dat facultatem conferendi beneficium, ſed cum conſilio Epiſcopi, tunc conſilio non adhibito collatio non ſubſiſtit: ut habetur C. *cum in veteri.* de elect. ſed hæc regula etiam habet locum in caſu paupertatis Scholaſticorum, ut patet ex textu Bullæ Gregorianæ ſtatim citatæ: ergo. min. ultra prob. illa regula habet locum in teſtamento, quòd filiusfamilias cum conſenſu patris facit ad cauſas pias, & eſt validum; at ſine conſenſu patris eſt prorſus invalidum; item in diſpoſitione Prælati de rebus Eccleſiæ, quæ eſt irrita, ſi fit ſine conſenſu Capituli; pariter diſpoſitio pupilli eſt irrita abſque conſenſu tutoris, licèt totum dominium ſit apud pupillum: tum quia illa verba: *non poſſunt &c.* ex mente Pontificis magis videntur eſſe irritantia quam prohibentia ergo. antec. prob. dominii capacitas Scholaſticorum cum ea reſtrictione intelligi debet, qua ſervit, & neceſſaria eſt ad finem, quem Pontifex & Societas per illam capacitatem intendit, & quatenus non eſt neceſſaria, debet juri communi aliorum religioſorum adaptari; ſed ille finis optimè obtinetur, & ad hunc neceſſarium eſt, ut facultas Superioris requiratur ad validitatem diſpoſitionis ergo. min. prob. quoad primum: finis illius capacitatis eſt, ut poſſit talis faciliùs è religione dimitti & ſine offenſa; ſed ad hunc finem magis ſervit diſpoſitio invalida, & non eſt neceſſarium, ut ſit valida, & ſolùm non licita ergo. min. prob. ſi diſpoſitio illa eſſet valida, ſic poſſet ſe religioſus ille privare dominio invito Superiore, ſed ſic jam redderet difficiliorem ejus dimiſſionem, quam ſi diſpenſatio etiam eſſet invalida; nam conſervatio dominii facilitat dimiſſionem, ergo per hanc magis eſſet conſultum Societati, min. prob. quoad ſecundum: ad finem illum dimittendi neceſſaria eſt dimiſſio à vero & perfecto ſtatu religioſo: ergo neceſſarium eſt, ut ejus diſpoſitio ſine facultate Superioris ſit invalida. conſeq. prob. ad verum & perfectum ſtatum religioſum aliorum regularium ſemper requiritur, ut diſpoſitio religioſi ſine facultate Superioris ſit invalida, ut patet in aſſert. 1. & addit. 3. ſed religioſi Societatis nunquam volunt minùs eſſe religioſi, ut dicunt poſt probam aſſertionis, quam alii regulares: ergo cum per talem invaliditatem magis aſſimiletur hoc votum ſimplex paupertatis voto ſolemni, cum tollat illud commodum, quod quæreret religioſus in tali diſpoſitione valida, quod adverſatur perfectioni paupertatis; ideo ad dimiſſionem à perfecto ſtatu religioſo neceſſe eſt, ut diſpoſitio religioſi non ſolùm ſit illicita, ſed etiam invalida; ex quibus omnibus ſic paucis arguo: Scholaſtici Patrum Societatis non minori jure ſunt religioſi, quam alii regulares: ergo nec minori jure debent velle poſſe diſponere de ſuis quàm alii religioſi, ſcilicet ſolùm validè & non licitè; & ſi quid dederint pro diſparitate, quòd ſcilicet conſtitutio Pontificis hoc illis non prohibuerit, ſed conceſſerit, ſemper inſtari poſſet, quod ergo ex conſtitutione Pontificis & juris eſſent minùs religioſi, quàm alii, cum tota paupertas religioſa ſit ex conſtitutione Eccleſiæ, & per conſequens minor diſpoſitio in paupertate à minore conſtitutione juris.

Nec dicas: ſi illud ly *non poſſunt &c.* eſſet lex irritans valorem actûs diſpoſitionis, ſic Pontifex, quando decrevit, ut votum ſimplex caſtitatis Scholaſticorum irritaret matrimonium contrahendum, non debuiſſet dicere: *illos declaro ad contrahendum inhabiles, & hujusmodi contractus nullos & irritos eſſe*, ſed ſatis fuiſſet dicere: non poſſunt contrahere: ergo cum hoc non dicatur de voto ſimplici paupertatis, ſicut de voto caſtitatis, de illo non eſt lex irritans ſicut de hoc.

Reſpondeo neg. antec. nam neceſſaria fuit illa clara declaratio de matrimonio invalidando, non verò de actibus dominii invalidendis: cujus diſparitas eſt; quia conſtat in jure clariſſimè eſſe duo genera impedimentorum matrimonii, ſcilicet irritantium & impedientium ſolùm, & tale poſterius eſſe votum ſimplex caſtitatis, ut ergo hoc transferretur ad alterum

genus

genus impedimentorum dirimentium, neceſſe fuit utique hoc expreſſiùs declarandum: quoad diſpenſationem verò dominii clari etiam juris eſt, quòd in aliis perſonis & religioſis hôc ipsô, quòd diſpoſitio prohibeatur ſine alterius præſertim Superioris conſenſu, ſit etiam invalida; ideo ſi non expreſsè aliter ſtatuitur, ſemper erit talis, & ideo nec neceſſe fuit addere annullationem & invaliditatem.

14 Objicies: C. *cum ad monaſt.* de ſtat. Monach. dicit Innocentius III. abdicationem paupertatis adeo eſſe annexam regulæ monacali, ut in illa nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare; ſed ſi incapacitas religioſorum in particulari ad rerum dominia proveniret ex conſtitutione Eccleſiæ, poſſet Pontifex diſpenſare: ergo potius provenit ex natura voti ſolemnis de jure naturali & divino.

Reſpondeo illum textum maj. intelligendum eſſe de Monacho in ſenſu compoſito, ſcilicet ſub regula monachali manente, & ſic omnino nec Pontifex poteſt diſpenſare, ut religioſus in particulari habeat aliquod proprium independenter à voluntate Superioris; quia hoc eſſet cum eo diſpenſare, ut manente voto ſeu obligatione ad non habendum idem habeat; poſſet tamen diſpenſare per exemptionem à voto paupertatis, uti defacto diſpenſatur cum Epiſcopis ex religionibus aſſumptis, hi enim verum dominium redituum eccleſiaſticorum acquirunt: de hac reſponſione vide plura ex priori Tract. X. Diſt. 2. q. 3. aſſert. 4.

Dices: homo vi voti ſolemnis manet perfectè mancipatus Deo & ſpoliatus omni jure ac dominio etiam acquiſibili: ergo ex natura talis omnino eſt incapax. Antec. prob. per votum ſolemne transfert principium ſui juris in Deum perfecta traditione ſuæ liberæ voluntatis in religione approbata in manus Superioris acceptantis loco Dei, ſicut homo ſe tradens homini in ſervitutem; qui ex natura talis traditionis eſt inhabilis ad quæcunque dominia: ergo.

Contra diſting. antec. homo vi voti ſolemnis eſt perfectè mancipatus Deo debito juſtitiæ ut ſervus domino neg. debito religionis, ut creatura Creatori non transferendo aliquod jus novum in Deum, ſed ſe ipſum novo titulo obligando conc. antec. & neg. conſeq. ad probam diſting. antec. transfert in Deum principium ſui juris tanquam ſpeciale dominium à Deo acquiſitum neg. tanquam novo titulo religionis ei obligatum conc. antec. adeóque ex vi traditionis & acceptationis in religione non transfertur ſpeciale dominium voventis in Deum, ſed ſolùm virtute religionis vovens obligatur ad promiſſa ſervanda non transferendo jus novum in Deum; unde diſparitas eſt de eo, qui ſe in ſervum tradit homini, quia homo eſt capax novi dominii incompoſſibilis cum dominio alterius ejusdem rei in permanenti, non autem Deus ratione univerſalis & ſupremi dominii in creaturis.

Dices: Magis manet homo obſtrictus in religione Deo, quam alteri homini traditus, ſed traditus homini manet inhabilis ad alia dominia: ergo etiam traditus Deo.

Contra diſting. maj. magis obſtrictus Deo in ratione obligationis conc. in ratione inhabilitatis ad dominia neg. maj. nam traditio in Deum obligat ex virtute religionis, & traditio in hominem ex virtute juſtitiæ, fortior autem eſt religio, quam juſtitia; quia illa unit Deo ut primo principio, hæc homini proximo, ad inhabilitatem autem dominii non ſufficit major obligatio, ſed talis, quæ apta ſit transferre novum dominium incompoſſibile cum dominio alterius circa eandem rem.

Dices: homo per traditionem ſui aliquid transfert in Deum; ſed non niſi principium dominii: ergo ex tali traditione eſt incapax dominii.

Contra diſting. maj. aliquid transfert novi ſecundum rem neg. maj. ſecundum affectum conc. maj. inhabilitas autem ad dominia non naſcitur ex translatione ſecundum affectum; nam etiamſi cupiam me ipſum alteri mancipare & inhabilem reddere, reipſa tamen ſi talis mancipatio non ſequitur inhabilis non fio.

Dices: utique major eſt obligatio in voto ſolemni quàm ſimplici; ſed in voto ſimplici oritur obligatio ex lege poſitiva Eccleſiæ: ergo in voto ſolemni, ut obliget magis, plus requiritur, quàm lex poſitiva Eccleſiæ.

Contra diſting. maj. major eſt obligatio, id eſt, ſtrictior ad reddendum promiſſum, & difficilior ad diſpenſandum conc. major, id eſt, à ſtrictiori jure originem ducens neg. maj. nam certum eſt, quod in voto ſolemni tenentur quis ex virtute efficacior religionis magis ad obſervantiam illius voti, quàm in voto ſimplici; quo tamen non obſtante, utrumque votum ſuam obligationem ducit à præcepto poſitivæ Eccleſiæ: nec mirum eſſe debet, quod eadem lex poſitiva Eccleſiæ modò ſtrictius modò leviùs obliget; quia pro materiæ diverſitate, & neceſſitate adimpletionis modò magis modò minùs obligat Eccleſia. Cæterùm cùm hæc incapacitas dominii etiam jam Apoſtolorum temporibus jure eccleſiaſtico fuerit introducta; ſic etiam illi religioſi, ut ſunt S. Benedicti, & S. Baſilii, qui profitebantur in religione à Pontifice non approbata jam fuerunt incapaces dominiorum ex jure eccleſiaſtico.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Epiſcopi & Clerici ſæculares ſint veri Domini ſuorum redituum ſuperfluorum?

1 ADvertendum eſt 1. non omnia bona, quibus fruuntur Clerici eſſe bona Eccleſiæ; nam aliqua extrav. *de peculio.* appellantur peculium Clericorum ad ſimilitudinem illius peculii, quod filius vel ſervus poſſidet; hinc potiſſimùm tria genera bonorum in beneficiatis ſæcularibus diſtingui poſſunt, ſcilicet patrimonialia, quaſi patrimonialia, & merè eccleſiaſtica: prima ſunt, quæ Clericus non tantùm ex patria hæreditate, ſed etiam quæ ex teſtamento, donatione, arte, alióque civili contractu acquirit ſine intuitu Eccleſiæ: Secunda ſunt, quæ Clericus comparat miniſterio Clericali, ut profeſſurâ, concione, confeſſione, celebratione, cantu &c. dummodo non præcisè titulo beneficii acquirat, ſed tanquam juſta ſtipendia impenſi laboris: Tertiò ſunt, quæ Clericus ſolo titulo eccleſiaſtici beneficii v. g. Epiſcopatûs, Canonicatûs, parochionatûs acquirit, ut ſunt ſtipendia fixa, quæ fideles ab initio cœperunt in commune conferre vel decimæ vel caſtella Epiſcopatui aut Clericatui annexa. De bonis primi & ſecundi generis certum eſt Clericum non minùs habere illorum perfectum dominium, & poteſtatem teſtandi, quàm quivis alius Laicus; hinc licet Clericus decedat inteſtatus in talibus bonis non Eccleſia, ſed conſanguinei ab inteſtato ſuccedunt, ut habetur C. *quorundam* de teſtamentis. Adeoque manet ſolùm difficultas de bonis merè eccleſiaſticis. Pro quibus

Advertendum eſt 2. bona Clericorum
2 merè eccleſiaſtica adhuc eſſe duplicia: nam alia ſunt, quæ ſpectant, & neceſſaria ſunt ad honeſtam Clericorum ſuſtentationem: alia verò ſunt, quæ redundant, & ſunt ſuperflua; ſuſtentatio autem Clerici non debet conſiderari in indiviſibili, ſed in quadam latitudine, ſicut pretium rerum, ita ut habeat gradum infimum, medium, & ſummum, & ſine læſione juſtitiæ pro ſuſtentatione poterit reputari, quidquid ad ſummum convenienti ſuſtentationi eſt neceſſarium, quæ adhuc reſpectivè ad ſui ſtatum, honorabilem familiæ dignitatem, gradûs qualitatem, regionis conſtitutionem conſiderari poteſt; ita ut Clericus non teneatur ad victum nimis parcum, ſed honorabilem more Chriſtiano ac eccleſiaſtico contradiſtincto à religioſo cum voto paupertatis conjuncto abſque tamen pompa & deliciis profanis, ut ſit memor modeſtiæ & boni exempli, ut monet Trid. Seſſ. 25. c. 1. de reformatione: illa autem bona pro ſuſtentatione Clerici ab initio naſcentis Eccleſiæ erant ad communitatem à fidelibus data, ſicut modò religioſorum, ex quibus unicuique dabatur quantùm ad vitæ ſuſtentationem erat neceſſarium, ut act. 4. & eorum diſpenſatores, non verò domini erant Epiſcopi, qui mos duravit uſque ad Simplicium Papam, qui primus bona Eccleſiæ in quatuor partes diſtribuit: unam aſſignavit Epiſcopis: alteram Clericis: tertiam fabricæ: & quartam pauperibus, ut habetur C. de *reditibus*. 12. q. 2. unde oritur difficultas poſt factam diviſionem, an reditus Eccleſiæ, qui modò aſſignantur Epiſcopis & Clericis, ita fiant ipſorum, ut ſaltem ex juſtitia non teneantur, quæ ſibi ſuperſunt, pauperibus & piis cauſis tribuere; nam cum ex eorum bonis debeant quatuor partes fieri, & in pleriſque locis quarta portio pauperibus non ſit aſſignata, videtur, quod ex portione Clerici debeat ſumi cum videatur commixta inter portionem ejus: unde his adverſis ſequitur:

Propoſitio 1. *Nullus Epiſcopus aut Cle-* 3
ricus acquirit dominium proprietatis, ſed ſolum uſusfructus in bona eccleſiaſtica. Ratio eſt; quia ex intentione à fidelibus illa bona Eccleſiæ donantur, ut in ea divinus cultus & animarum ſalus perpetuò vigeat per condignam ſacrorum adminiſtrationem & operariorum ſuſtentationem: ergo cum hoc onere illa acceptantur, ut in poſteros transmittantur ad eundem finem conſervandum, ſicut bona religioni collata; per conſequens non poſſunt Epiſcopi illa in alios, quàm prædictos uſus expendere; cùm Epiſcopi ſint ſolùm diſpenſatores illorum bonorum.

Nec dicas: non conſtat certò fideles ea ſolùm intentione bona donâſſe Eccleſiæ; ſed potuerunt donare ſimpliciter per modum eleemoſynæ ipſis Eccleſiaſticis: ergo hôc modò potuerunt acquirere dominium etiam proprietatis.

Reſpondeo neg. antec. quia certum eſt fideles vel tacitè, vel expreſsè illam habuiſſe intentionem; imò licèt etiam per modum eleemoſynæ dederint, certò credendum eſt, hoc tamen commiſiſſe prudenti arbitrio ſupremi diſpenſatoris Chriſti, qui eſt Pontifex, qui hoc dominium non concedit Epiſcopis vel Clericis, quòd autem fideles ita commiſerint, facilè credendum eſt de modeſtia illius gentis, quæ cum tanta animi ſubmiſſione ſua bona ad pedes Apoſtolorum deferebat.

Propoſitio 2. *Epiſcopi vel Clerici ſunt* 4
pleni domini bonorum eccleſiaſticorum ſpectantium & neceſſariorum ad honeſtam ſuſtentationem Clericorum. Ratio eſt; quia honeſta ſuſtentatio illis debetur ut merces ab eccleſia, cui inſerviunt; *dignus enim eſt operarius mercede ſua.* Luc. 10. ergo talis mercedis ſunt pleni domini; hinc ſi quid velint ex hac parte ſuſtentationis ſibi detrahere, poſſent de his liberè diſponere, ſicut de bonis ſæcularibus; ſi enim eis erat licitum hæc abſumere, cur non,

ſi

ſi parciùs vivere ſtatuerent ſe ipſos fraudare, & alteri donare poterunt? prætereà ex hac ipſa ratione etiam Capellanus capellaniæ perpetuæ (quæ eſt verum beneficium, licèt non curatum, ſed cum certo onere Miſſarum in ſeptimana celebrandarum) ſit dominus talium redituum; quia præſumitur de intentione fundatorum non voluiſſe obligare hujusmodi Capellanos cum tanto onere, maximè, ſi reditus talis capellaniæ non multùm excederent valorem ſtipendii pro totidem miſſis dari ſoliti, præſertim ſi ſit obligatio celebrandi in certa Eccleſia, vel hora &c. quæ obligationes, quia conjunguntur cum majori onere, etiam majus merentur ſtipendium; & licèt aliquando excedat valorem ſtipendii pro miſſis v. g. ſi quis offerat Sacerdoti, duos aureos pro miſſa non tenebitur ſuperfluum expendere in pios uſus; adeóque Epiſcopus Viennenſis habens pro uno ſacro in feſto S. Leopoldi ſex millia florenorum, non tenetur aliquid in pios uſus expendere, cum talia bona inter quaſi patrimonialia numerentur, nam dantur ut merces laboris clericalis, quod autem dentur in tanta quantitate, eſt per accidens, & potius munificentiam dantis concernit, ſicut ſi pro baptiſmo filii Principis darentur mille.

Nec dicas: Trid. Seſſ. 25. c. 1. omninò interdicit, ne eccleſiaſtici ſtudeant ditare ſuos conſanguineos ex bonis eccleſiaſticis; ſed ſi eſſent domini bonorum eccleſiaſticorum pro ſuſtentatione neceſſariorum, & ab his detractorum non poſſent prohibere in qualibet diſpoſitione eorum pro ſuo libitu ergo.

Reſpondeo neg. poſſet min. quia multi habent perfectum dominium, licèt in uno vel altero uſu à lege impediantur: ſed potius dico, Concilium ibi non loqui de talibus bonis, quæ quis ſibi à convenienti ſuſtentatione detraxit; quia talia non cenſentur fructus beneficii, ſed potius propriæ induſtriæ unde ſolummodo ibi loquitur de bonis merè eccleſiaſticis & ſuperfluis, quæ ſolum ratione beneficii obveniunt; & in his, uti dicemus in aſſertione, peccant Clerici mortaliter, ſi in notabili quantitate ea non erogent pauperibus, inter quos etiam reputantur filii Clericorum, quos non tantùm poſſunt, ſed etiam tenentur alere ex bonis eccleſiaſticis, vel ſi aliis piis cauſis non applicent; cum ſit inconveniens & intentioni fundatorum contrarium ita bona ad DEI honorem promovendum oblata vertere in luxum & ſuperbiam; multò minor tamen in Clericis requiritur quantitas pro peccato morali, quàm in furto, quia cum beneficiarius ſit dominus ſuperfluorum, uti dicemus in aſſertione, non poteſt tam facilè ſubjacere tam gravi peccati mortalis damno, quàm alius, qui ſurripit alienum, quæ verò requiratur quantitas, certò taxari non poteſt, de Lugo putat tamdiu beneficiarium à mortali excuſari, quamdiu moraliter & in hominum æſtimatione adhuc poteſt cenſeri totum, quod ſupererat, expendiſſe in pios uſus, ut ſi ſuperflui eſſent mille aurei, & de quolibet centenario quinque detraherentur ad profanam conſumptionem, quales eſſent ditatio conſanguineorum, ſuppellex ſplendidus, convivia, equorum numerus, & aliæ largitiones, adhuc cenſeretur pios uſus ſatis obſervare.

Propoſitio 3. *Clericus nobilior aut doctior,* 5
vel aliis talentis excellens plus poteſt habere ad ſuam ſuſtentationem quam alius. Ratio eſt, quia in Concilio Lateran. ſtatuit Innocentius III. quod cum perſonis nobilibus, aut valde literatis poſſit diſpenſari in pluralitate beneficiorum, eò quod tales perſonæ majoribus beneficiis ſint honorandæ: ergo ſupponit jus tales perſonas poſſe plus in ſua ſuſtentatione expendere, aliàs fruſtrà eis plura beneficia concederentur, tum quia tales perſonæ plus proſunt Eccleſiæ ſua authoritate eam ornando, conſilio tuendo, ſed qui plus prodeſt, & inſervit, majori mercede dignus eſt juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *qui enim bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Nec dicas cum Lorca: in ſtatu clericali omnes ſunt æquales, nam quilibet debet eſſe doctus, & nobilitas æſtimari non debet in ſtatu eccleſiaſtico qui eſt humiliatis ſtatus; quare potius ſæcularis nobilitas debet ſupprimi, quàm humilitas clericalis elevari: tum quia beneficia eccleſiaſtica non ſunt inſtituta ad fovendam pompam ſæcularem, ſed ad honorem eccleſiaſticum pro officii dignitate conſervandum: ergo Clericus nobilior aut doctior non poteſt plus pro ſua ſuſtentatione conſumere.

Reſpondeo ad primam rationem neg. antec. nam quamvis quilibet Clericus debeat eſſe doctus, ſæpè tamen ſunt doctiores, qui plus poſſunt, nec etiam nobilitas ſæcularis ſemper eſt contemnenda, ſi quandoque conducit ad bonum eccleſiaſticum, cùm aliquando nobiles ſua authoritate vel patronis magis poſſunt defendere jura eccleſiaſtica quam alii: hinc ad rationem ſecundam conc. beneficia eccleſiaſtica directè non eſſe inſtituta ad fovendam pompam ſæcularem, quæ non conducit ad bonum Eccleſiæ, benè tamen ſi moderata pompa poſſit eſſe proficua Eccleſiæ; adeóque ſolùm ſequitur, quòd talis major ſuſtentatio ſemper debeat intelligi cum debita moderatione & reſpectu ſtatùs eccleſiaſtici; non enim filius Principis, ſi fiat eccleſiaſticus, deberet tam ſplendidè vivere ex bonis eccleſiaſticis, ſicut, ſi non fuiſſet factus eccleſiaſticus, vixiſſet ex ſuis bonis. His poſitis:

Aſſero ad quæſt. *Clerici ſæculares poſt fa-* 6
ctam diviſionem bonorum à Pontifice Simplicio, præſertim ubi portio pauperum non eſt ſeorſim aſſignata, habent dominium redituum ſuperfluorum, ita ut ex juſtitia eis non incumbat alere pauperes. Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* dicentis: *Clericus in aliquo caſu non poteſt dare aliquid ſine voluntate, vel ſaltem contra voluntatem Papæ, ut habetur extra.*

de cenſibus. C. *Romana. in 6. ubi Gregorius X. ſub pœna exigit: quòd viſitantes à viſitatis non recipiant munuſcula, & ſi receperint teneantur duplum reſtituere vel non abſolvantur à maledictione, quam ipſo facto incurrunt.* Ergo in aliis quibusdam caſibus ſenit Clericum poſſe dare, & non eſſe contra voluntatem Pontificis, Clericum babere dominium reditnum ſuperfluorum. Eſtque Leſſii & aliorum contra Aleuſem, & Navarrum.

Probatur primò: Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform. dicit: *proviſi de beneficiis quibuscunque curam animarum habensibus tenentur à die adepta poſſeſſionis ad minùs intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel coram ejus Vicario generali ſeu officiali orthodoxa fidei publicam facere profeſſionem &c.* & ſubjungitur pœna; *alioquin illi fructus non faciunt ſuos*, ſeu acquirunt dominium. conſeq. patet de fructibus etiam ſuperfluis; quia Concilium loquitur indiſtinctè, & univerſaliter de fructibus, cùm indiſtincta locutio æquivaleat univerſali L. *ſi ita*. ff. de legatis.

Probatur ſecundò: vel Clerici tenerentur ſuperfluos fructus ex juſtitia impendere cauſis piis ex intentione fidelium, qui bona cum tali onere Eccleſiæ tradiderunt; vel ex determinatione Pontificis, qui ut ſummus diſpenſator bonorum Eccleſiæ potuit hoc onus annectere per modum legis expreſſæ, quod probabiliter & implicitè ſaltem intendebant collatores; ſed talis obligatio nec ex parte donantis, nec ex parte diſpenſatoris exſtat alicubi manifeſtè: min. prob. ſi quæ jura eſſent, commodè poſſent explicari de præcepto charitatis, non verò juſtitiæ; & utraque ſententia in ſua probabilitate relinquitur ab Eccleſia, cùm tamen ſi præceptum obligaret ex juſtitia, nullum deberet dubium relinquere, ſed deberet apertè declarare illud, uti Pontifices faciunt etiam in rebus minoris momenti: ergo cum Eccleſia hoc apertè non declaret, & res ſit maximi momenti, & ſæpe agitata in Conciliis publicis, probabiliſſimum ſignum eſt, id non obligare ex juſtitia; aliàs magna fieret injuria pauperibus, ſi ad ea bona jus habentes ex ſolo defectu declarationis ſententiæ illi defraudarentur. Unde ultra:

Probatur tertiò: ſi Clerici beneficiarii illos fructus ſuperfluos non facerent ſuos, ſic illæ donationes & expenſæ conſanguineis & aliis factæ, & omnes contractus eorum extra pios uſus fuiſſent aliquando reſciſſi, vel defactò deberent reſcindi à Superioribus, & hi peccarent non ſatisfacientes muneri ſuo; ſicut ſi tutor non reſcinderet contractum factum à pupillo in ſuum detrimentum, ſed hoc nunquam factum eſt, aut defactò contingit: ergo hæc noſtra ſententia eſt admittenda ex totius orbis conſuetudine, cui, ſi eſſet corruptela, obviam iretur per Summos Pontifices, ut infert Covarruvias in C. *cum inofficiis.* de teſtamentis. Imò licèt dubium eſſet tale dominium Clerici, tamen ad reſtitutionem non coguntur, nec ſunt cogendi, quia nemo ad reſtitutionem eſt cogendus, niſi manifeſtè conſtet, quòd res, quam poſſidet, non ſit ſua; cùm ex regulis juris nemo ſpoliandus ſit jure, quod poſſidet, & in pari cauſâ melior ſit conditio poſſidentis, ut infert Amicus diſp. 14. de ſubjecto dominii.

Objicies: C. *res Eccleſiæ*. 12. q. 1. bona 7
Eccleſiæ vocantur bona DEO donata & patrimonium Chriſti & ex C. *decima*. 16. q. 2. Clerici non ſunt domini, ſed ſolùm diſpenſatores talium bonorum: ac tandem Patres & Concilia variis in locis dicunt, illa bona ſuperflua eſſe tributa pauperum, & appellant Clericos, ſi non dant pauperibus, fures, raptores, pauperum interfectores: ergo Clerici horum bonorum non habent dominium.

Reſpondeo neg. conſeq. nam textus primus vocat illa bona DEO ſacra & donata; quia ſunt à fidelibus data ad cultum divinum, & Eccleſiæ chriſtianæ augmentum; ex quo tamen non ſequitur Clericos non habere dominium; quia aliàs nec pauperes poſſent fieri domini talium bonorum ſibi erogatorum, cùm illa bona ſint DEO & Chriſto ſacra: textus verò ſecundus loquitur de tempore, quo bona nondum erant diviſa, vel ſolùm vult Clericos non eſſe ita abſolutè dominos, quin teneantur præcepto charitatis & miſericordiæ ſuperflua illa bona erogare pauperibus: tandem Patres & Concilia loquuntur vel de temporibus antecedentibus bonorum diviſionem & ideo dicuntur bona pauperum ſeu miniſtrorum Eccleſiæ, qui ab initio fuerunt pauperes; vel dicuntur bona pauperum; quia ex charitate ſunt eis danda; vel loquuntur per exaggerationem, ſicut ab iiſdem Patribus etiam divites Laici non ſubvenientes pauperibus ſubinde vocantur homicidæ pauperum, quamvis illi ad elargiendam eleemoſynam non ex juſtitia, ſed ſolùm ex charitate teneantur.

Dices: eadem eſt intentio fundatorum poſt factam diviſionem bonorum, quæ erat ante diviſionem illorum; ſed ante diviſionem non erat intentio fundatorum, ut Clerici haberent dominium redituum ſuperfluorum: ergo nec poſt.

Contra diſting. min. ante diviſionem non erat hæc intentio primaria & explicita conc. non erat ſecundaria & implicita neg. min. & ſic diſtincto conſequenti neg. conſeq. adeóque omninò primaria & explicita intentio ac finis fundatorum ſua bona Eccleſiæ donantium fuit, ut cultus divinus, & ſalus animarum promoveatur; ſecundaria tamen intentio fuit, ut pro tali voluntate exequenda adhiberetur modus, qui Eccleſiæ rectoribus commodior videatur; hinc cùm neceſſitas Eccleſiæ videatur requirere, ut fieret bonorum diviſio, & miniſtris Eccleſiæ ſua portio etiam tanquam dominus tribueretur, ideo ad hanc ipſam diſpoſitionem

ſeſe

ſeſe fundatorum intentio implicitè extendit, quippe quæ ſupremæ diſpoſitioni Summi Pontificis circa bonum Eccleſiæ nec voluit, nec potuit præjudicare; unda ſicut Pontifex ex legitima cauſa poteſt quandoque legitimè diſpenſare de piis legatis, & fundationibus aliter, quam fuerit prima fundatorum intentio, ita poterat ad hunc finem utilem & neceſſarium illa bona applicare per diviſionem, ut per hoc magis fideles & idonei miniſtri Eccleſiæ reperirentur.

Dices: nec Pontifex ita diſpoſuit, ut per diviſionem bonorum Clerici fiant eorum domini: ergo non ſunt domini: antec. prob. Pontifex in jure communi prohibet Clericis ſæcularibus teſtari de reditibus merè eccleſiaſticis, ut habetur C. *cua nobis*. de teſtamentis. ergo ſupponit, quod non ſint domini illorum bonorum, ſicut ſunt domini bonorum patrimonialium, de quibus teſtari illos poſſe omnia jura concedunt.

Contra neg. antec. ad probam neg. conſeq. retorquendo argumentum, impuberes & pupilli prohibentur teſtari: ergo non ſunt domini ſuorum bonorum quod falſum eſt: ſed diſting. antec. prohibentur teſtari ab intrinſeco & ex natura rei neg. ab extrinſeco & ratione præcepti eccleſiaſtici conc. antec. hæc autem extrinſeca prohibitio non impedit, quo minus habeant dominium; nam Clericis ſolùm ideò eſt probibitum teſtari, ut proniores ſint in opera pia in vivis; per hoc tamen non probatur illos non eſſe dominos; nam ſi tales non eſſent, nec conſuetudine teſtari poſſent, cum de rebus non ſuis nemo poſſit teſtari, & tamen hæc conſuetudo in Auſtria practicatur, & ideò tales Clerici ab inteſtato mortui habent hæredes ſuos parentes, fratres &c. ita ut una pars bonorum ſuperfluorum cedat Eccleſiæ, alia ſucceſſori, tertia conſanguineis, vel aliis hæredibus proximis, quæ conſuetudo, cùm fiat ſciente Pontifice, rationabilis erit.

Dices: Pontifex non tantum ideo prohibet Clericis teſtari, ut ſint proniores in pia opera, ſed etiam, quia eis ex natura rei non concedit dominium: ergo quia non ſunt domini antec. prob. Pontifex per multos Canones jubet fructus redituum eccleſiaſticorum dividi in quatuor partes, & unam tribui Epiſcopis, alteram Clericis, tertiam fabricæ, & quartam pauperibus: ergo portio pauperum ex juſtitia ſpectat ad pauperes, ut Clericis in eam non concedat dominium.

Contra neg. antec. ad ejus probam neg. conſeq. quia concedo, ubi portio pauperum eſt ſeorſim aſſignata, quòd ex juſtitia eis ſit diſtribuenda, & ſi Epiſcopus vel Clericus eam ad alium uſum applicaret, teneretur ad reſtitutionem; cùm talis portionis Clericus non ſit dominus, ſed ſolùm diſpenſator; ubi autem illa quarta portio non eſt ſeorſim aſſignata, ſed permixta in proventibus Clericorum & Epiſcoporum, non eſt ex juſtitia danda pauperibus, ſed illa ſuperflua ſolùm ex præcepto charitatis ſunt eis diſtribuenda, ſeu non ideo, quia pauperibus debentur, ſed quia Canones ſacri jubent ex reditibus eccleſiaſticis quartam portionem dari pauperibus, ut habetur C. *mas*. 12. q. 2.

Dices: quando portio pauperum eſt ſeorſim aſſignata, ex juſtitia eſt tribuenda illis: ergo etiam, ſi eſt permixta cum aliis; nam permixtione non amittit vim obligandi, ſed ea portio, quæ non eſt neceſſaria ſtatui Clericorum, ſemper cenſetur eſſe portio pauperum, & permixta proventibus Clericorum: ergo.

Contra neg. conſeq. & ejus rationem diſting. permixtione ſimpliciter non amittit vim obligandi conc. permixtione commutativa vel abrogativa per contrariam conſuetudinem neg. adeóque dico: vel illam portionem pauperum cum portione clericali non ſolùm eſſe permixtam, ſed commutatam in alia opera pia proficua Eccleſiæ: vel quod per contrariam conſuetudinem ejus obligatio ſit abrogata, cujus abrogationis ſufficiens cauſa potuit eſſe dignitas & ſplendor Eccleſiæ, qui in dies magis creſcit creſcente fidelium multitudine, ad quem conſervandum & augendum præſumendum eſt à Principibus ſæcularibus collata eſſe Eccleſiæ civitates & regna. Ad hæc:

Addo peccare quidem mortaliter beneficiarios, qui, quod ſibi ſupereſt poſt congruam ſuſtentationem ex raditibus eccleſiaſticis, expendunt in opera profana; nam faciunt contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, cùm autem illud præceptum ex Trid. ubi ſtatuitur, quòd Clerici non tribuant ſuperflua conſanguineis, ſed pauperibus, ſolùm ſit præceptum charitatis, non verò juſtitiæ, ut probavimus in aſſert. ideo beneficiarii non tenentur ad reſtitutionem redituum ſuperfluorum, quos non in pios uſus expenderunt; quia Clericus eſt dominus illorum bonorum; adeóque licèt de illis non diſponat licitè expendendo in profanos uſus, diſponit tamen validè, obligatio autem reſtituendi naſcitur ax injuſta expenſione rei alienæ; hinc cùm bona ſuperflua non ſint aliena, ideo non tenetur reſtituere, quamvis in praxi id poſſit conſulere Confeſſarius. Cæterùm illud Concil. Trid. præceptum eſt pro nobis; quia ſcilicet ſi Concilium putâſſet beneficiatos non eſſe dominos, non tam eis interdixiſſet ſuo præcepto, quam declarâſſet eos ad id teneri ex ipſa natura rei, tanquam non veros dominos talium bonorum.

QUÆSTIO III.

De immunitate eccleſiaſtica, cujus ſit juris, & an ex ea Clerici, & religioſi eximantur à tributis & deductionibus, etiam quoad bona ſua patrimonialia?

1 ADvertendum eſt 1. Immunitatem eccleſiaſticam congruè deſcribi poſſe; *Quòd ſit quoddam jus, quò loca, perſonæ, vel res eccleſiaſticæ ab onere laicali, vel juriſdictione ſæcularium judicum ſunt libera & exempta*: eſt autem talis immunitas triplex; ſcilicet localis, perſonalis, & realis: localis competit locis eccleſiaſticis, ut Eccleſiæ ſive conſecratæ, ſive non conſecratæ, ſive pollutæ, ſive interdictæ, cœmeterio, monaſterio, hoſpitali, & aliis piis locis authoritate Epiſcopi erectis, & etiam talibus locis dirutis, dummodo authoritate Epiſcopi non ſunt diruta, & ſperetur reparatio; imò & competit hoc foribus clauſis Eccleſiæ & muris, ſi manu apprehenduntur, non verò amplius exteriori ſpatio ad quadraginta vel triginta paſſus propè illa loca; quamvis enim hoc antiquo jure convenerat, modò tamen conſuetudo eſt contraria, ut teſtatur Zerola in praxi epiſcopali: item nec oratoriis privatis tale jus convenit; quia non ſunt propriè loca Deo dicata, ſed pro arbitrio domini domûs poſſunt ad profanos uſus applicari; convenit tamen baldachino & Sacerdoti ſub eo Euchariſtiam deferenti; nam ſi hoc convenit ſtatuis Principum, ut loquitur lex *unica* C. de his, qui ad ſtatuas: cur non potius ipſi Chriſto Domino; imò cùm Eccleſiis potiſſimùm propter Euchariſtiam & divorum celebrationem illud conveniat, meritò & Venerabili conveniet juxta illud: propter quod unumquodque tale & illud magis; adeòque ſi quis non tantùm ad Sacerdotem confugeret, vel haſtam baldachini attingeret, ſed etiam, ſi ſe perſonis concomitantibus Euchariſtiam miſcuerit, cùm hæ perſonæ cum Euchariſtia unam Eccleſiam conſtituant, ſe in locum immunem ponet, non tamen ille, ad quem defertur Euchariſtia ad carcerem: immunitas verò perſonalis convenit perſonis, ut Clericis ſæcularibus, religioſis, & Monialibus: Tandem immunitas realis convenit rebus ſeu bonis ſive eccleſiaſticis, ſive patrimonialibus, & aliis eccleſiaſticarum perſonarum.

2 Advertendum eſt 2. Immunitatem localem in duobus conſiſtere; ſcilicet, ut actus profani & ſæculares in Eccleſiis non fiant, & ut malefactores confugientes ad Eccleſias ibidem protegantur; quoad primum in Eccleſiis & cœmeteriis prohibentur ſub pœna arbitraria Ordinarii omnes negotiationes, nundinæ, comediæ profanæ, choreæ, convivia, laſcivæ muſicæ, deambulationes, colloquia profana, & præſertim omnes contentiones, & ſæcularium judiciorum ſtrepitus, adeò ut totus proceſſus judicialis & ipſa ſententia in loco ſacro lata ſit ipſo jure nulla, & ſi eſſet proceſſus ſanguinis, etiam excommunicatio debet inferri procedentibus; nihilominus tamen contractus profani ibi celebrati; quamvis eſſent illiciti, non tamen eſſent invalidi, ſicuti proceſſus judiciales; quia jura ſolùm expreſſe annullant judicia, non verò contractus, & in pœnalibus non eſt facienda extenſiò ultra caſus expreſſos de reg. juris. in 6. quoad ſecundum ergo punctum immunitatis, quod dicitur jus aſyli competens malefactoribus ad Eccleſiam fugientibus, ſupponendum eſt, quòd regulariter omnes non ſpecialiter in SS. Canonibus excepti hac immunitate gaudeant, ut ſi ad Eccleſiam confugiant, violenter extrahi, vel pœna corporali ſanguinis affici non poſſint, ſed eorum pœna ſit in aliam pecuniariam vel eccleſiaſticam commutanda; ex quo patet etiam excommunicatum gaudere immunitate locali, non tamen probabiliter Clericum; quia excommunicatio non habet alios effectus, niſi qui ſunt in jure expreſſi, excommunicatum autem non gaudere immunitate non eſt in jure expreſſum, nec in Bulla Gregorii XIIII. de qua dicemus advert. ſequenti, de Clerico autem experientia docet judices eccleſiaſticos ex Eccleſia extrahere Clericos, & eos vinculare, & mittere ad triremes; nam immunitas Eccleſiæ non derogat poteſtati Eccleſiæ, ſed tantùm ſæculari, utpote ſolùm introducta in ordine ad judices ſæculares; imò major eſt immunitas perſonalis Clerici, quæ ipſi conceditur ratione conſecrationis, quàm illa ratione loci, & nihilominus delinquens rectè punitur.

Advertendum eſt 3. per Bullam Gregorii 3 XIIII. quæ incipit: *cum aliàs*. Aliquos malefactores excipi, qui non gaudent aſylo; primi ſunt latrones publici, qui ſcilicet in via graſſantur, & alios violenter deprædantur, vel occidunt, ad quos etiam ſpectant piratæ, qui in mari prædantur: ſecundi ſunt depopulatores agrorum qui ſcilicet de nocte alienas ſegetes, & vineas deſtruunt: tertii ſunt, qui homicidia in Eccleſia vel monaſterio perpetrant; nam non eſt dignus privilegio, qui peccat in privilegium, quod etiam verum eſt, licèt occidens in una Eccleſia fugiat in aliam, nam lædendo unam Eccleſiam, lædit omnes, cùm unica Eccleſia ſit per totum orbem; ſicut qui lædit unum Clericum, dicitur læſiſſe totum Clerum: quarti ſunt proditoriè occidentes, quales ſunt, qui extra rixam veneno, à tergo, vel aliàs nihil mali metuentem occidunt, ad quod tamen requiritur, ut occiſor ſimulet ſe amicum, ſicque omnem timorem ab occiſo amoveat, ut legitur de Joab 3. Reg. 2. qui occidit Abner ſimulando ſe amicum, qui Joab, cùm ad altare confugiſſet, juſſu Salo-

Salomonis occiſus fuit: quinti ſunt aſſaſſinii, quales ſunt, qui pretio ad id conducti per inſidias occidunt alterum Chriſtianum, deſumunt autem jura hoc nomen aſſaſſinium ab infidelibus Syriæ aſſaſſinis dictis, qui acceptâ pecuniâ occidebant Chriſtianos, & putabant fas eſſe quoslibet in Regis gratiam occidere ipſo mandante, adeóque omnes committunt aſſaſſinii crimen, qui aut occiſorem conducunt, aut qui operas ſuas ad occidendum locant, ſive ſint fideles, ſive infideles, ſi occiditur Chriſtianus, imò licèt etiam non ſequatur mors: Sexti ſunt hæretici ſub diſtinctione tamen, ſi ſcilicet fugiant ad Eccleſiam reduplicativè ut hæretici, ſeu propter hæreſim, & taliter extrahi poſſunt à judice ſæculari, non quidem ut ab illo judicentur; cùm hæreſis ſit crimen fori eccleſiaſtici; non tamen hæretici ſpecificativè ſeu propter aliud delictum v. g. homicidium fugientes ad Eccleſias; hoc idem aliqui extendunt ad gentiles & judæos, cùm talis immunitas poſſit eis præbere anſam ad veram fidem: Septimi ſunt rei criminis læſæ Majeſtatis, quod exercetur directè in ipſam perſonam Principis Superiorem non recognoſcentis, ut eum vulnerando, hoſtiliter inſequendo, revelando hoſtibus Secretum Principis, ut capiatur, utendo falsâ monetâ, ſe Principem faciendo, vel de alio Principe tractando, vel nuncios Principis ſpoliando, ut arcana ipſius intelligat; ſecus eſſet, ſi exerceretur indirectè in Principem v. g. ſolùm in ejus legatum, in Conſiliarios, in ſtatuas Principis &c. ut tenet Farinaceus & Barboſa, licet alii etiam ſentiant pro indirecto crimine læſæ Majeſtatis non eſſe privilegium aſyli, ut Cortellus, & Gambacurta.

4 Advertendum eſt 4. Immunitatem perſonalem conſiſtere in hoc: quòd perſonæ eccleſiaſticæ per ſe loquendo tam in cauſis civilibus quam criminalibus ſint exempti à juriſdictione judicum ſæcularium; cauſa autem criminalis eſt, quando agitur de crimine capitali merente capitis diminutionem, vel naturalem ut eſt pœna mortis naturalis, aut mutilatio membri, vel civilem, quæ fit per amiſſionem civitatis, ut eſt miſſio ad exilium, ad triremes &c. illa autem crimina ſunt in triplici genere; aliqua enim ſunt merè eccleſiaſtica, eò quòd ſoli juri divino & Canonico adverſentur, ut hæreſis: alia merè civilia, ut violatio contractuum: alia mixta, ſeu ſimul jure Canonico & civili prohibita, ut adulteria &c. aſt cauſa civilis eſt, quando agitur de pœna applicanda parti, cui fiat ſatisfactio; unde in hac cauſa aliquis eſt reus delicti, in priori verò reus criminis, adeóque in his cauſis indecens eſt, ut ſtatus inferior, ut eſt ſæcularis, judicet & puniat Superiorem, ut eſt eccleſiaſticus, & hoc non tantùm ſtatuit jus Canonicum, ſed etiam civile, imò in bulla Cœnæ excommunicantur magiſtratus, judices, notarii, ſcribæ &c. quomodolibet ſe interponentes in cauſis criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas illas proceſſando, vel eorum crimen examinando, eas vinculando, vel banniendo; vel eos ejiciendo ex civitate vel patria. Dixi ab initio per ſe loquendo; quia ſunt aliqui caſus, in quibus juſtè Laicus poteſt judicare Clericum: Primò ſi Clericus ſit degradatus: Secundò ſi perpetuò eſt bannitus à judice eccleſiaſtico: Tertio ſi eſt bigamus: Quartò ſi in minoribus conſtitutus non deferat habitum vel tonſuram: Quintò ſi capitur de expreſſa licentia Pontificis: Sextò ſi Laici id faciunt tanquàm miniſtri fori eccleſiaſtici, à quo Laicorum brachium imploratur.

Advertendum eſt 5. Immunitatem realem 5
conſiſtere in hoc, quod bona ſeu res ad perſonas eccleſiaſticas ſpectantes ſint immunes à deducendis & exigendis tributis de earum maſſa; tributum autem poteſt dupliciter ſumi: vel ſtrictè, prout nihil aliud eſt, quàm penſio, quæ ſubditis ſolvenda imponitur juxta cujusque facultates præſertim prædiales ad Principis dignitatem, vel communia impendia ſuſtinenda: vel generaliter prout comprehendit ſub ſe primò vectigal, quod eſt penſio, quæ ſolvitur in teloniis pro rebus, quæ exportantur vel importantur in civitatem vel provinciam juxta diverſitatem regnorum: ſecundò portorium, quod ſolvitur pro translatione mercium per pontes & flumina: tertiò pedagium, & equidagium, quod ſolvitur à tranſeuntibus per aliquam viam pro cuſtodia viarum: Quartò deductionem ſeu vulgò *nahſteyer*, quæ in nonnullis locis ſolvi debet ex ſtatuto magiſtratûs, quo decernitur, ut de bonis incolarum aliò translatis vel alienatis aliquam partem v. g. quintam vel decimam de centum fiſco vel communitati ſolvant: Quintò gabellas, quæ à magiſtratibus & Principibus ſæcularibus ponuntur ſuper vino, carne, aut aliis victualibus, de quibus omnibus ſub generali nomine tributi comprehenſis præſens quæſtio ſentit, antè cujus reſolutionem ponitur.

Propoſitio 1. *Reus ad Eccleſiam confu-* 6
giens, poſtea dimiſſus non poteſt à judice ſæculari in vita & membris pro ſuo merito puniri. Ratio eſt ex gloſſa in C. *reum.* 17. q. 4. nam cum Canones ſtatuant, ne reus ad Eccleſiam confugiens damnum in vita & membris ſuſtineat, ideo judices ſæculares ſalvâ juſtitiâ non ſolùm poterunt, ſed etiam tenebuntur pœnam corporalem remittere, aliàs hoc privilegium eſſet inutile reo, aut eſſet nimis onerosum Eccleſiis, ſi reum tamdiu ſervare deberent: ergo. Ex his adhuc quædam alia ſunt obſervanda: primò rectoribus Eccleſiæ incumbere apud magiſtratus impetrare veniam & remiſſionem pœnæ corporalis, & ſi judex inferior hoc recuſaverit, inſtent apud Superiorem; imò nec facilè eſt acquieſcendum

alicujus judicis inferioris promiſſioni, qui ordinariam remittendi pœnam jus non habet, ſed ſtatim apud Superiorem eſt inſtandum, ſi autem judex aliquem dolo ſub promiſſione impunitatis, & multò magis violenter extraxerit, debet ei ſervari fides, aut Eccleſiæ reſtitui, ut communiter authores de immunitate eccleſiaſtica tenent: Secundò Clerici tam diu debent ſervare reum, nec eum ad examen ſæcularis judicis tradere, niſi judex priùs etiam juramento de impunitate ejus promiſerit, qui ſi juramentum violaverit, debebit in ipſum fulminari excommunicatio, ut habetur C. *id conſtituimus.* 17. q. 4. Tertiò alimenta rei ſunt deſumenda ex bonis illius vel propinquorum, & his deficientibus reliqui fideles admonendi ſunt in concione, ut ſciant ſe lege charitatis teneri ad ſubveniendum indigenti, & his deficientibus tenentur ſubvenire eccleſiaſtici.

Nec dicas cum Zoëſio: ſi quilibet homicida aut malefactor ex hoc ſolo impunis evaderet, quòd vel modicum ad Eccleſiam confugerit, nimia manerent impunita delicta, & nimis erunt audaces delinquentes; ſed hoc non eſt admittendum pro ordinata republica: ergo. Præterea cit: C. *id conſtituimus.* expreſsè dicit: *Si reus de Eccleſia diſceſſerit, à Clericis non quæratur:* ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia Eccleſia non protegit eos, qui in eadem & de ejus immunitate impiè præſumentes delinquunt, neque pœnam tollit, ſed ſolùm mitigat, ideo hoc non inconvenit ordinatæ reipublicæ, nec per hoc Eccleſia evadit ſpelunca latronum, ſed benè convenit; cùm ex humana fragilitate delinquentes in Eccleſia refugium & veniam contra ſeveritatem pœnarum vindicis reipublicæ reperiant, quod his mortalibus magis optabile quàm abominabile eſt cenſendum; hinc ad cit. textum dico: illum omnino valere, ſi reus ſpontè Eccleſiam egrediatur, nam ſic videtur ultro deſerere locale privilegium. Cæterùm etiam noſtra propoſitio locum habet in reo mixti fori, ubi datur locus præventioni inter judicem ſæcularem & eccleſiaſticum, ut ſi judex ſæcularis cauſam præoccupaverit, aut ſi merè civilis ſit, ut ſi debitor ad eccleſiam confugiat, poterit hic per procuratorem agere, quem ſi non deſtinaverit, poteſt procedi per decreta immiſſionis in ipſius bona, ut habetur L. *præſenti.* C. de his, qui ad eccleſ. confug. & ſi pecuniariter punitus vel à ſæculari vel eccleſiaſtico judice egreſſus fuerit, non poterit poſtea amplius de eodem crimine accuſari & puniri, ut dicit, & conqueritur contra multos judices ſæculares hoc violantes Panormitanus.

7 Propoſitio 2. *Etſi reus ſit de illis, qui eccleſiaſtica immunitate non gaudent, non poteſt judex ſæcularis abſque licentia Epiſcopi, & ſine debita obſervatione quorundam eum abducere:* Ratio eſt; quia bulla Gregorii XIIII. *cùm aliàs* &c. ſtatuit eſſe requirendam licentiam Epiſcopi vel ejus Vicarii, qui perſonam aliquam eccleſiaſticam, quæ capturæ interſit, deputet, & reum priùs ad curiam eccleſiaſticam, & carcerem ſub cuſtodia tamen ſæculari, ſi opus fuerit, ducat, atque ibi per judicem eccleſiaſticum inquiratur, an revera crimen ab immunitate exceptum commiſerit, quò comperto tunc demum ſæculari judici plenè tradendus eſt; ſi autem talis caſus eveniat in loco exempto ab Epiſcopo, ad viciniorem ſpectabit Epiſcopum: hinc adverſus injuſtè abripientes reos ad eccleſiam confugientes variæ ſunt ſtatutæ pœnæ: primò in L. civili eſt pœna capitalis, ut habetur L. *præſenti.* C. de his, qui ad Eccleſ. confug. ſecundò in L. Canonica eſt pœna pecuniaria, ut ſcilicet Epiſcopo nongenti ſolidi pro mulcta ſolvantur, ut C. *ſi quis contumax.* 17. q. 4. tertiò: ut violator immunitatis non gaudeat immunitate, ut habetur eodem loco C. *frater.* Quartò eſt excommunicatio, quæ ex Conſtitutione Gregorii XIIII. ipsò factò incurritur, & reſervatur Pontifici, quamvis Riccius ejus abſolutionem etiam concedat Ordinariis.

Nec dicas: judex ſæcularis talem abducens ab Eccleſia, qui non gaudet immunitate, utitur jure ſuo ſæculari; ſed hoc non dependet à licentia Superioris eccleſiaſtici: ergo poteſt ſine licentia Epiſcopi talem abducere, ut tenet Covaruvias Lib. 2. c. 20.

Reſpondeo diſting. maj. utitur jure ſuo ſimpliciter conc. utitur jure ſuo cum debitò modò & reverentià neg. maj. diſting. min. ſed jus ſæculare non dependet à licentia Superioris eccleſiaſtici directè conc. non pendet in aliquibus indirectè neg. min. adeóque ipſi Covaruviæ non erat nota conſtitutio Gregorii XIIII. qui expreſsè ordinavit ob reverentiam Eccleſiarum in illis non eſſe exercendos propria authoritate à ſæcularibus aliquos actus juriſdictionis etiam ſolùm inchoativos & diſpoſitivos.

Propoſitio 3. *Eccleſia & Clerici tenentur etiam abſque licentia Pontificis exſpectandâ ad tributa, ſi publica eſt neceſſitas, vel ſi eſt utilitas, non tantùm ſtatum laicorum, ſed etiam Clericorum concernens, ut ſi terra, vel civitas ab hoſtibus ſit defendenda, vel ſumptus pro tempore peſtis faciendi.* Ratio eſt, quia hoc eſt deciſum in C. *non minus.* X. de immunitate. ubi etiam eccleſiaſtici vocantur ad contributionem juxta illud naturale principium: qui ſentit commodum, ſentiat & onus, ita tamen, ut hæ quatuor concurrant conditiones: prima, ut ſit neceſſitas, vel utilitas publica, quæ æquè directè (ſecus ſi indirectè) ſtatum eccleſiaſticum, ac ſæcularem concernat: Secunda, ut Laicorum non ſufficiant facultates: Tertia, ut talis contributio non imponatur eccleſiaſticis authoritate magiſtratus ſæcularis,

laris, ſed eccleſiaſtici cum conſenſu Cleri: quarta ut niſi ſit periculum in mora, deſuper Summus Pontifex conſulatur, ut habet Barboſa in collect. in hanc tit.; imò nec hæc quarta conditio eſt neceſſaria, dummodo vera ſit neceſſitas; hinc Auguſtiſſimus noſter juſtè exegit tributum à Clericis & piis legatis etiam inconſulto Pontifice, dum Turca antè aliquot annos congregaverat militem unà cum rebellibus Auſtriam devaſtaturus; quia neceſſitas directiſſimè etiam bona eccleſiaſtica concernebat; nam ſi in gravi neceſſitate licet ſacra vaſa frangere vel vendere, multò magis licebit bona eccleſiaſtica tributis gravare; nam neceſſitas non habet legem, ideo C. *pervenit.* de immunit. eccleſ. ſtatuitur; ut nemo tempore neceſſitatis nomine Eccleſiæ excuſetur à murorum vigiliis, uti explicavimus Diſt. priori q. 7.

Nec dicas: Bulla Cœnæ Can. 18. petit expreſſam licentiam Papæ: ergo ſine tali non tenebuntur ad tributa Clerici in neceſſitate publica.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ſermo illius Canonis eſt tantùm de neceſſitate publica per ſe & principaliter pertinente ad ipſam communitatem, cujus eccleſiaſtici quidem ſunt membra, ſed privilegiata; in caſu autem, quo ſpecialiter periclitarentur bona eccleſiaſticorum, debent ad eorum defenſionem naturali ratione concurrere, ut Prælati, non tamen Princeps poteſt compellere Clericos, ut contribuant, cùm nec Prælati, nec bona monaſterii ſubſint jurisdictioni Principis ſæcularis, adeóque ſolùm debent compelli à judice eccleſiaſtico, quod ſi etiam hic renueret, & periculum ſit in mora, poſſet Princeps occupare bona eccleſiaſticorum pro rata onerum, & neceſſitate belli; nam Princeps habet jus ad protegendum ſuum regnum etiam contra eccleſiaſticos.

9 Propoſitio 4. *Poſſunt magiſtratus ſæculares exigere quædam onera ex bonis eccleſiaſticis, ex quibus, antequam ad Eccleſias pervenirent, certa & determinata quædam onera fuerint pendi ſolita.* Ratio eſt; quia hoc videmus in praxi; nam res tranſit cum onere ſuo, hoc tamen debet eſſe certum & determinatum, & jam ante impoſitum; nam extraordinariæ contributiones, præſertim capitationes, quæ potiùs perſonis quàm bonis imponuntur à ſæcularibus pro ſuo arbitrio, & non concurrentibus illis, de quibus priori propoſitione diximus, citra læſionem eccleſiaſticæ immunitatis exigi non poterunt; nihilominus tamen illa onera antiqua non tantùm debent eſſe impoſita ſolo jure dominii particularis, puta; quia illud domum prius erat proprium & camerale Principis, vel pacto cenſuali aut feudali erectum, ſed etiam ſufficiet, ſi illa onera proveniunt ſolùm ex viſupremæ jurisdictionis territorialis ſive lege tributaria, ut tenet Abbas & Panormitanus.

Nec dicas: mutatâ perſonâ mutatur etiam conditio rei: ergo licèt illa onera ſint antiqua, ſi tamen ſolùm ſunt à jurisdictione territoriali & lege tributaria impoſita, mutabuntur conformiter ad conditionem perſonæ, quæ non tenetur ad tributa, uti dicemus in aſſertione: Antec. prob. ex Abbate Conſilio 26. ubi dicit non valere tale ſtatutum officialium ſæcularium terræ S. Geminiani ut omnia loca etiam pia, quibus aliquid titulo lucrativo relinquitur, teneantur partem conferre ad utilitatem ſacriſtiæ S. Geminiani: ergo nequeunt Laici aliquod onus imponere ad Eccleſias tranſiturum, imò hoc etiam deciſio Rotæ romanæ ſtatuit, ut vult Barboſa lib. 1. cap. 39.

Reſpondeo diſting. antec. mutatur etiam conditio rei quoad onera nova conc. quoad antiqua neg. antec. ad probam dico: Abbatem ſolum velle, quòd illud ſtatutum non valeat, non quidem ex eo, quòd Laici rebus ſuis aliquod onus imponere nequeant ad Eccleſias tranſiturum, ſed ſolùm ex eo, quòd hoc ſtatutum fuerit directè de ipſis Eccleſiis & piis cauſis conceptum contra C. *Eccleſia.* de conſtit.; & quia onera per illud ſtatutum non ſunt certa & determinata rebus ab antiquo inhærentia, ſed effectus talis ſtatuti & oneris tunc primum inciperet, ubi rei legatæ dominium in piam cauſam tranſit, ut tunc ejus rectores teneantur ſolvere, quod ſtatuere utique extra poteſtatem ſtatuentium Laicorum fuit: hinc deciſio Rotæ Romanæ non loquitur de antiquis oneribus certo & ſtabili modo impoſitis, ſed ſolùm de novis gabellis & collectis; nam de antiquis tributis, quæ Principes de omnibus poſſeſſionibus ſui territorii impoſuerunt, & exigunt, videtur eis jure quaſi gentium pro ſua ſuſtentatione & in compenſationem curarum, & defenſionis ac juſtitiæ adminiſtrationis conceſſum. His poſitis:

10 Aſſero 1. ad quæſt. *Quamvis probabilius ſit immunitatem localem, ſeu aſylum eſſe juris humani poſitivi, probabilius tamen eſt immunitatem perſonalem & realem eſſe juris divini & naturalis:* eſt utraque pars communior; ſecunda etiam fundatur in Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 20. & pariter deduci poteſt ex Scoto in 4. D. 13. q. 2. §. *ad quæſtionem*: ubi ne videatur favere juriſtis, de Clerico degradato dicit: *nullus autem alius à judice eccleſiaſtico poteſt eum* (degradatum) *committere judici ſæculari: ergo non eſt poſſibile, quod committatur ſibi, niſi ſicut miniſtro judicis eccleſiaſtici & per conſequens non ſpoliatur privilegio; quia dum manet privilegium, poteſt aliquis ſæcularis in eum eſſe miniſter judicis eccleſiaſtici:* ergo cum Scotus ſupponat talem Clericum non ſpoliari privilegio, nec eſſe poſſibile, ut committatur judici ſæculari, niſi ut miniſtro judicis eccleſiaſtici,

ſiaſtici, etiam ſupponere debet, hoc privilegium eſſe ex jure divino; aliàs ſi eſſet ex jure humano, poſſet ſpoliari, & à judice ſæculari ut judice, & non ut miniſtro judicis eccleſiaſtici puniri: eſtque Bellarmini & plurimorum contra aliquos veteres Theologos, ut Henriq. Salon. Bannes &c. & juriſtas ut Covarruviam & alios.

Probatur 1. pars: non eſt ex ſacra ſcriptura novi Teſtamenti aſſignabile præceptum divinum, quo præciperetur malefactores in locis ſacris eſſe immunes relinquendos à pœnis ſæcularium vindicum juſtitiæ: ergo ſolùm hoc eſt juris humani poſitivi: antec. prob. licèt in jure divino & naturali præceptum ſit, DEUM eſſe colendum, & locis ſacris reverentiam eſſe exhibendam, non tamen inde rectè probatur, reis eſſe immunitatem præſtandam, cùm econtra jure naturali & divino ſit ſtatutum crimina eſſe coërcenda, aut aſſignent adverſarii clariorem textum. Dixi in aſſertione immunitatem localem ſeu aſylum, quatenus ſcilicet malefactores ab ordinariâ delicti pœnâ defenduntur; nam in quantum immunitas localis arcet judicem ſæcularem, ne propriâ authoritate actus jurisdictionis in loco ſacro exerceat, eſt utique ex jure divino, ut de ſe patet.

11 Probatur 2. pars primò: in antiquo teſtamento certum eſt jure divino fuiſſe exemptos Sacerdotes, & omnes, qui in ſortem Domini vocati ſunt: ergo etiam idem eſt dicendum de Clericis novi teſtamenti: antec. patet ex lib. Num. c. 3. & 18. conſeq. prob. tum quia bona eſt conſequentia à minore ad majus, ſeu ab imperfectiore ad perfectiorem ſtatum Eccleſiæ: tum quia aliàs eodem modo argumentans Concilium Lateranenſe relatum in tit. de immunitate Eccleſiæ, malè argumentatum fuiſſet dicens: *in diverſis mundi partibus conſules civitatum tot onera frequenter imponunt Eccleſiis, ut deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat. NB. legis divinæ. ille quidem omnibus aliis ſervituti ſubactis Sacerdotes & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico ſubminiſtravit, iſti verè onera univerſa imponunt Eccleſiis, & tot angariis eas affligunt, ut de eis videatur plorare Jeremias: Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo*: tum quia licèt vetus teſtamentum quoad præcepta judicialia & cæremonialia exſpiraverit, illud tamen, quod DEUS circa Levitas ſtatuit, non ſolùm fuit judiciale, ſed ſimul morale in naturali dictamine & æquitate fundatum, ut miniſtri DEI ad hoc ſpecialiter conſecrati à ſæculari jurisdictione ſint exempti; prout præceptum de Sabbato ſanctificando dicemus partim cæremoniale fuiſſe & partim morale, in quantum ſcilicet ratio naturalis exigebat quoſdam dies in honorem ſui Creatoris ſpecialiter deputare.

Probatur ſecundò: in novo teſtamento Matth. 17. tellonarii acceſſerunt ad Petrum dicentes: *Magiſter veſter non ſolvit didrachma*, ſeu tributum; quod cùm Petrus dixiſſet Chriſto, dixit Chriſtus: *anne Reges petant à filiis ſuis, an ab alienis?* & dixit: *ab alienis.* reſpondit dein Chriſtus: *ergo liberi ſunt filii* ſcilicet ipſius Regis loci; ſed Chriſtus fuit filius tam naturalis, quàm adoptivus DEI regnatoris mundi, & Apoſtoli & omnes Clerici ſpecialiter ſunt filii Regis Chriſti: ergo ex pronuntiatione Chriſti ille & Apoſtoli ſui ſunt liberi à tributo; per quod utique voluit confirmare antiquæ legis præceptum; nihilominus tamen, ne ſcandalizaret illos tellonarios legis divinæ ignaros dixit Petro: *ut autem non ſcandalizemus eos, da pro me & te &c.* non quidem ex proprio marſupio, ſed ex ore alicujus capti piſcis, ut patet in Evangelio; hinc paucis arguo ſic: tum quia ex conceſſis adverſariorum Chriſti Vicarius accepit præceptum eximendi univerſum Clerum: ergo ipſe Vicarius quoad ſuam perſonam fuit à Chriſto exemptus, aliàs quomodo potuiſſet eximere alios per legem? non enim ſubditus poteſt ferre legem exemptionis à ſuo Superiore: tum quia lex exemptionis in Canonibus lata eſt ab aliquo Concilio: ergo non ſolus Pontifex, ſed & totum Concilium fuit jam antecedenter exemptum, non autem aliâ quàm lege Chriſti, quam exemptionem Vicarii Chriſti ita agnoverunt Imperatores, ut non diſtinxerint ab exemptione aliorum Epiſcoporum; unde Conſtantinus Imperator præſidens in ſancta ſynodo ad Epiſcopos dixit: *vos à nemine dijudicari poteſtis, quia ad DEI ſolius judicium reſervamini*, ut habetur Can. 5. caus. 11. q. 1. hinc ſi Epiſcopi & Prælati per Spiritum S. ſint conſtituti Rectores Eccleſiarum act. 20. & per conſequens legitimi judices rerum & perſonarum Eccleſiæ, non poterit ſine inconvenientia admitti, ut paſtores, quos Spiritus S. conſtituit, ab ovibus judicentur.

Objicies contra 1. partem: Exod. 21. Joſ. 20. & in aliis locis legis veteris conſtitutæ ſunt civitates refugii, & multi alii confugerunt ad altaria pro refugio, ut Joab 3. Reg. 2. ergo ex jure divino eſt immunitas localis in quantum aſylum. 12

Reſpondeo neg. conſeq. cum enim leges veteris teſtamenti, quæ morales & in jure naturæ fundatæ non erant, per adventum Chriſti exſpiraverint, ideo illa lex moyſaica, quæ tantùm erat judicialis, in novo teſtamento ampliùs non obligat ex jure divino, ſed ſolùm facit, ut per legiſlatores humanos idem in novo teſtamento ad majorem ſacrorum venerationem rationabiliter conſtitui potuerit, quam venerationis convenientiam etiam ipſis gentilibus ratio dictavit, qui ad ſuos flamines & veſtales confugientes à verberibus & vinculis liberabantur, ut ſcribit Plutarchus.

Dices: ſi immunitas localis non eſſet ex jure divino, poſſet contra eam contraria conſuetu-

ſuetudo induci; nam contra jus poſitivum poteſt prævalere conſuetudo; ſed hoc dici nequit, cum ſemper deficiat expreſſus conſenſus Pontificis, qui potiùs immunitatem localem intendit propugnare, quàm contrario uſu tollere, ut patet ex Trid. Seſſ. 25. de reform. c. 20. ergo.

Contra diſting. min. ſed hoc dici nequit ex eo, quod non ſit juris humani poſitivi neg. ex an, quod aliqua conditio deficiat pro conſuetudine, ut eſt ille conſenſus Pontificis conc. min. adeóque ſaltem in caſibus dubiis, atque inter Doctores controverſis aliquid eſt tribuendum conſuetudini legitimæ probatæ circa immunitatem localem, quamvis etiam non eſſet nimis fidendum huic conſuetudini; cum enim immunitas illa Canonibus, legibus, moribus etiam gentilium ab immemorabili tempore ſit ſtabilita & propè ad dictamen naturale accedat, cum fundetur in ratione divinæ venerationis, & humanæ clementiæ remedium pro acerbitate pœnarum rationabiliter concedentis, contra quam convenientiam conſuetudo contraria vix rationabilis & valida cenſeri poterit.

13 Objicies contra 2. partem: Scotus cit. expreſsè dicit: *quia illud privilegium (fori) videtur conceſſum ab Imperatore Conſtantino*: ergo non eſt de jure divino.

Reſpondeo Scotum id dicere in ſententia aliorum ſuo tempore etiam probabili, cum dicat: *videtur conceſſum*. ne autem ipſe nimium faveret juriſtis id docentibus, ſtatim ſubjunxit illa verba à nobis in aſſert. adducta dicens: *hoc tamen poſſet eſſe unum Brocardicum juriſtis*, hoc eſt vexatorium eos, nempe illud, quod dixit in aſſert. adductus: nec ibi fuit proprius ſcopus Scoti decidere, an illa exemptio ſit de jure Civili vel eccleſiaſtico, humano aut divino; ideo ſolùm incidentaliter egit referens, quid alii ſentiant; Scoto enim probè conſtiterit ante Conſtantinum Eccleſiam hanc exemptionem habuiſſe, ut patet ex epiſt. Alexandri I. ad omnes orthodoxos, qui ſedit ad initium ſecundi ſæculi: item ex epiſt. Caji ad Felicem Epiſcopum, & epiſt. 2. Marcellini ad univerſos Epiſcopos orientales, qui ambo ſederunt in tertio ſæculo; & Conſtantinum hoc ſolùm admiſiſſe in Concilio Nicæno, quando pronunciavit Epiſcopos à ſolo DEO judicandos, ut habetur L. 1. C. de Epiſcopis & Clericis.

Dices: immunitas perſonalis & realis nullibi in novo teſtamento à Chriſto Domino legitur ſtatuta, quin potiùs contrarium, cùm Chriſtus Matth. 17. *pro ſe & Petro tributum ſolverit*: ergo non eſt de jure divino.

Contra neg. conſeq. nam talis conſequentia: hoc non reperitur ſcriptum; ergo nunquam fuit à DEO ſtatutum, ſemper ut hæretica rejicitur ab Eccleſia; nam ſufficit ad jus divinum fundandum Eccleſiæ conſenſus aſſerentis aliquid eſſe juris Divini; ſive id habeatur ex revelatione, ſive ex traditione ut dicitur in tract. de fide de traditionibus: ſecundò neg. antec. quia ille locus Matth. 17. eſt pro nobis, ut patet ex proba; quia Chriſtus tantùm ſolvit tributum ex charitate, ne ſcandalizaret illos judæos petentes, non verò ex jure & juſtitia, ſed ex hoc potiùs ſe & ſuos declaravit exemptos, ut patet ex proba cit.

Dices: D. Paulus act. 25. ad judicium Cæſaris appellavit. & ad Rom. 13. vult omnem animam ſublimioribus poteſtatibus eſſe ſubditam, ubi loquitur de poteſtatibus ſæcularibus, quibus tributa ſunt ſolvenda: ergo.

Contra neg. conſeq. nam appellatio D. Pauli non eſt contra nos: cum etiam de facto Clerici poſſint adverſùs ſuos malefactores Laicos coram judice ſæculari actionem inſtituere, ut habetur tit. de foro competenti: hinc etiam illa ſubjectio ſublimioribus poteſtatibus competenter eſt intelligenda ſcilicet in competenti genere juriſdictionis, ut ſcilicet ſpirituales ſpiritualibus, & laici laicalibus poteſtatibus ſint ſubjecti; quòd verò ibi Apoſtolus ſpecialiter meminerit poteſtatibus ſæcularibus, ratio eſt: quia exhortationem ſuam potiſſimùm ad populum dixit ad amovendam judæorum calumniam, qui Apoſtolos traducebant, quaſi prædicatione evangelicæ libertatis populum ab obedientia Principum ſeducerent.

Dices: quamvis decimæ in lege veteri ſint de jure divino, modò tamen non ſunt niſi originaliter, cum non habeatur clarus textus in novo teſtamento: ergo etiam id de immunitate perſonali eſt dicendum.

Contra neg. antec. quia etiam decimæ hodie ſint juris divini, in quantùm ſcilicet ad ſuſtentationem parochi neceſſariæ ſunt, cum in veteri lege illud præceptum decimarum ſit morale, & in novo confirmetur per Apoſt. 1. ad Corinth. 9. *Dominus ordinavit: ut qui altari deſerviunt, de altari vivant*. Et in quantum ad hoc nec privilegio, nec conſuetudine, decimæ poſſunt tolli.

Dices: ſi immunitas perſonalis eſt de jure divino, Pontifex non poſſet contra illud diſponere, & aliquos tali immunitate privare, ut facit circa degradatos, & alios privilegium fori perdentes: ergo.

Contra neg. antec. quia immunitas perſonalis immediatè quidem eſt à Chriſto domino inſtituta, ita tamen, ut ſuo in terris Vicario ſit relicta poteſtas ad rectum regimen omnino neceſſaria in certis caſibus eam diminuere.

Aſſero 2. *Clerici & religioſi extra caſum extraordinariæ neceſſitatis, in qua non ſufficerent facultates laicorum, à Summo Pontifice cognita & approbata, non tenentur ad tributa, & deductiones impoſitas per Principes Laicos*. deducitur ex Scoto aſſert. priori cit. eſtque Barboſæ, juris Eccleſiæ lib. 1. c. 19. & communis Canoniſtarum. 14

Probatur primò: non tantum in multis locis juris Canonici, ſed etiam quotannis in Bulla Cœnæ ejusmodi tributa imponentes & exigentes, tanquam contra jus divinum agentes, uti priori aſſert. probatum eſt, variis cenſuris coërcentur; imò ipſe Juſtinianus in lege civili, & alii Imperatores C. de ſacris Eccleſiis multa ſub pœnis de hac immunitate à tributis laudatiſſimè ſtatuerunt: ergo.

Probatur ſecundò: illa bona Clericorum voluntate fidelium ad DEI & Chriſti cultum ſpecialiter ſunt oblata, ut non in alios, niſi pios uſus poſſint converti, ſed ſi à ſæcularium Principum poteſtate tributis aliiſque oneribus gravarentur, hoc cederet in diminutionem cultûs divini, in injuriam & irreverentiam Chriſti, cujus talia bona ſunt patrimonium: ergo ſi de jure divino Chriſtus utpote filius DEI eſt liber ab exactione Principum, etiam ſacrilegè faciunt Principes talia bona Chriſti & Eccleſiæ gravando oneribus tributariis.

Objicies: Can. 27. cauſ. 11. q. 1. addu-
15 citur D. Ambroſios dicens: *ſi tributum petit Imperator, non negamus, agri Eccleſiæ ſolvunt tributum.* & C. *tributum.* 23. q. 8. inquit Urbanus: *tributum in ore piſcis inventum eſt; quod pro defenſione Eccleſiæ præſtanda Imperatoribus ſolvendum eſt.* ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. primus textus potiùs permittit, quàm approbat tributum ab Eccleſia ſolvendum; quia illo tempore mater Valentiniani impubis gubernavit, quæ cùm eſſet Ariana, exegit tributum ab Eccleſiis, quo tempore prudenter cenſuit Ambroſius illi non eſſe reſiſtendum ob majora imminentia mala: ſecundus textus etiam eſt intelligendus de facto, non verò de jure, ſicut enim tempore Urbani tributa exigebantur de facto, & non de jure, ita quoque Urbanus de bonis Eccleſiæ pro pace & quiete ab Imperatoribus defendenda conceſſit tributum non tanquam de jure, ſed de facto.

Dices: ſi de jure ab eccleſiaſticis non eſſet ſolvendum tributum timendum eſſet, ne reipublicæ vires nimis decreſcant, cùm multa bona transeant ad eccleſiaſticos; unde conſuetudo viget in pluribus locis, ubi eccleſiaſtici ad contributiones obligantur: ergo.

Contra neg. antec. quia potius timendum eſt, quòd fortè dari debebit impio, quod detrahitur pio Sacerdoti; unde ille timor eſt vanus, quem etiam habuit Joannes Hus hæreticus; quaſi non poſſet DEUS infinitis modis compenſare illud tantillum, quod Clericis donatur; undequòd in aliquibus locis obligentur Clerici ad contributiones non eſt conſuetudo, ſed corruptela & reprobatur tam à jure Canonico quàm Civili, cùm contra jus divinum non poſſit conſuetudo operari, nec poterit adeſſe tacitus conſenſus Pontificis, qui requireretur ad legitimam conſuetudinem, cùm non tantùm in C. *quamquam.* de cenſibus in 6. omnem hujusmodi conſuetudinem tanquam corruptelam damnavit, ſed inſuper in Bulla Cœnæ ſingulis annis contra violatores immunitatis cenſuras pronunciet; adeóque non tam ſpectandum eſt, quid aliquando Romæ factum eſt, ſed quid fieri debeat, dicit lex 12. ff. de officio præſidis.

Dices: res tranſit cum onere, ut fert commune juriſtarum: ergo ſaltem bona priùs ſæcularia, quæ tranſeunt ad monaſteria, erunt ſubjecta contributionibus.

Contra diſting. antec. tranſit cum onere ad manus ordinarias conc. ad manus privilegiatas neg. nam tunc onus illud per privilegium removetur à privilegiato: vel aliter, tranſit cum onere certo & determinato antiquo conc. cum onere indeterminato ad contributiones imponendas & novo neg. antec. pro declaratione hujus diſtinctionis vide propoſitionem 4. nihilominus tamen etiam quoad onera nova excipe primo, quædam bona eccleſiaſtica, quæ perſonis eccleſiaſticis primitus eâ conditione ſunt data, ut tamen juriſdictioni & exactioni ſæculari ſubſint, & ſic communiter in germania Prælati debent contribuere, eò quòd hac conditione eorum bona primitus ad eos pervenire videantur: ſecundò, ſi bona Eccleſiæ emphiteuticè laico dentur, quia tunc quoad dominium utile fiunt laica, & ſic oneribus publicis ſunt obnoxia.

Dices: ante aliquot annos quidam Guardianus ff. min. emit certam quantitatem vini transferendi, pro quo petit paſſum, camera autem offert illi 60. florenos, ut hisce ſolvat tributum in telloniis; ſed hos potuiſſet accipere Guardianus, & ſolvere debuiſſet tributum: ergo ſaltem in ſimili caſo &c.

Contra neg. min. nam malè feciſſet: quia Pius V. ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda rigidiſſimè præcipit, ne talia tributa & onera à religioſis exigantur, maximè pro transportatione rerum pertinentium ad eorum ſuſtentationem, ut eſt eleemoſyna ff. min.; ubi etiam inhibet omnibus religioſis, ne ſolvant aliquod vectigal poſitum ſupra carnem, vinum &c. unde tales Principes id exigentes ſemper mortaliter peccant, & religioſi ſolventes ad peccatum cooperantur.

Dices cum quibusdam Politicis: talis Bulla non eſt recepta in germania: ergo hic non obligat.

Contra neg. antec. tum quia jam à tot annis ff. minoribus tale privilegium fuit conceſſum, quod ſignum eſt receptionis illius Bullæ: tum quia ſaltem hic eſt recepta Bulla Cœnæ, in qua expreſsè excommunicantur, qui per ſe vel per alios directè vel indirectè talia tributa exigunt à religioſis.

Dices: hoc modo religioſi poſſent plurima coëmere, & illa vendere ſine ſolutione tributi, & illi quidem leviori pretio, quàm alii, qui debent ſolvere tributa; ſed hoc eſſet nocere aliis emptoribus & venditoribus: ergo non poſſunt permitti immunes à tributis. Con-

Contra neg. maj. quia C. *quamquam*. de cenſibus in 6. ſub ccoſuris ſolùm prohibetut talia à Clericia, qui oon cauaâ negotiationia tes tranaferunt, cxigere, ſed ſolum pro ſua ſuſtentatione; ſi autem transferunt ad iterum vendendum, probabiliter tenentut tributum ſolvere; quia exercent negotiarionem, in quo caſu non ſunt exempti; ootandum tameo eſt ex Barboſa: quod Clericua tranaſcteus fructoa ſui bcoeficii ad vendendum oon dicatur negotiari, qoia negotiari propriè dicitur, qui ex inſtituto mote mercatorum emit, ut carius vendat.

16 Aſſero 3. *Bona patrimonialia Clericorum in conſequentiam illorum etiam participant exemptionem Eccleſiarum & eccleſiaſticorum.* Eſt communia Canoniſtarum & deduci poteſt ex Scoco aſſert. priori cit. a

Probarur primò: tum quia magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, dicit C. *quod in dubiis*. de conſecratione Eccleſiæ: *& quæ religioſis adhærent religioſa ſunt*, ot dicit L. *quæ religioſis*. ff. de rei vendicatione. ſed bona patrimooialia religioſi adhærent religioſo, & tanquam minùs digna exemptione propter religioſom magis dignum eximuntut: ergo meritò juxta C. *quamquam*. de cenſibua in 6. dicena: perſonas eccleſiaſticas, & res earum jure divino cxemptaa eſſe, exempta ſunt.

Probarur ſecundò: tum quia Gloſſa in C. fin. de vita & honeſtate Claricorum. Res Clericorum & tes Eccleſiæ quantum ad jurisdictionem ſæcularium evitandam juſtè parificat; ſed res Eccleſiæ ſunt exemptæ: ergo & res Clericotum min. de ſe patet. maj. prob. non poſſet agi ſuper bonis Clericorum patrimonialibus in judicio ſæculari, quin eoipſo perſona Clerici trahatur ad judicium laici tanquam ejus juriſdictioni ſubditus; ſed hoc repugnat immunirati Clericorum: ergo quoad juriadictionem ſæcularium evitandam benè parificantur res Clerici eom Clerico & rebus Eccleſiæ: tum quia tributa imponuntur in ſignum & ratione ſubjectionis, & non niſi ſubditis; ſed Clerici non ſunt ſubditi ſæcularium: ergo meritò in quibuscunque ſuis bonis tegulariter tecuſant tributa.

17 Objicies: tributa multoties imponuntur præciſsè rebos etiam ubi perſona ſubdita oon eſt, ut dum Italoa in territorio Styriaco bona immobilia habet, licèt ea ounquam incolat: ergo etiam licèt Clerici non ſint ſubditi ſæcularium ex bonis tamen eorum patrimonialibus debebunt ſolvere tributum.

Reſpondeo neg. antec. qoia illc Italus reſpectu bonorum, quæ per procuratorem, adminiſtratorem, vel conductorem poſſidet in alieno territorio, eſt ibidem ſubditus, ſicut Clericus alienigena dicitur ſubditus illius Epiſcopi, in cujus diœceſi beneficium obtinet, ut C. *nullus*. de temp. ord. in 6. Clericua aotem non poteſt eſſe ſubditus magiſtratûs laici.

Dices: præſcriptio 40. annorum coocesſa contra bona Eccleſiæ non conceditur contra booa patrimonialia Clericorum: ergo nec etiam benè æquiparantur in immunitate.

Cootra neg. conſeq. oam ſunt quædam privilegia booia Eccleſiarum principaliter conceſſa, quæ juxta commonem ſententiam ad bona Clericorum privatorum patrimonialia non extenduotur, ut eſt reſtitutio io integrum, præſcriptio 40. annorum &c. ut habet Laymon. lib. 4. tract. 4. c. 6.

Dices: ſi per matrimonium tranſiret ad Clericum aliqood feudom, tunc non poteſt judicium Domini ſæcularis circa tale bonum declinare, ut habetur C. *transmiſſa*. de foro competenti: ergo bona patrimonialia Clericorum non ſunt exempta.

Contra oeg. cooſeq. quia oos loqoimur de bonis allodialibus ſeu ſine dependentia alicui Domino propriis, non verò de bonis feudalibus, quia hæc omnino non tranſeunt pleno jure ad Clericum, ſed Dominus, qui ea concedit, certas ſibi conditiones reſervavit & jura, quæ conſervare intereſt judicio ſæculari.

DISTINCTIO VII.

De juſtitia modi acquirendi jure naturali, ſive gentium rerum dominia, ut per ſervitutem, acceſſionem, alluvionem, venationem, piſcationem, inventionem theſauri &c.

QUÆSTIO I.

De hominibus & variis animalibus captis, quomodo illi fugere, & hæc capi juſtè à Principe poſſint prohiberi?

ADvertendum eſt 1. ex Scoto in 4 D. 15. q. 2. §. *hic ſunt*. lege naturæ aut divina non eſſe rerum dominia pro ſtatu inoocentiæ diſtiocta, ſed potiùs pro tunc jure naturæ omnia eſſe communia juxta can. 1. d. 8. Auguſtioum tract. 6. ſuper Joannem c. 1. inducentem: *quo jura defendis villas Eccleſia divino an humano? --- unde quisquam poſſidet, quod poſſidet, nonne jure humano? nam jure divino DEI eſt terra & plenitudo ejus --- jure autem humano dicitur: hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt --- tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere: hæc villa mea eſt --- per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Quæ omnis confirmantur Can. *dilectiſſimis*. 12. q. 1. ubi dicitur: *communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe* 1

debuit.

debuit. Cujus rationem affert Scotus; quia uſus rerum ſecundùm rectam rationem ita debet competere hominibus ſicut congruit ad pacificam converſationem & neceſſariam ſuſtentationem; ſed in ſtatu innocentiæ communis uſus ſine diviſione rerum plus valuit ad pacificam converſationem & neceſſariam ſuſtentationem, quam diviſio earum, cùm nullus tunc occupâſſet, quod fuiſſet alii neceſſarium, nec oportuiſſet illud ab ipſo vi extorqueri ſed quilibet hoc, quod primò occurriſſet neceſſarium, occupâſſet ad neceſſarium uſum, & ſic etiam major fuiſſet ſufficientia ad ſuſtentationem, quàm ſi alicui præcluderetur uſus alicujus per appropriationem illius alteri factam; quare ſequitur illud præceptum legis naturæ de habendo omnia communia eſſe revocatum poſt lapſum Adæ, & quidem rationabiliter propter hæc duo: primùm, quia nunc communitas omnium rerum eſſet contra pacificam converſationem, cum malus & cupidus occuparet plura, quàm ſibi eſſent neceſſaria, & quidem vim inferendo aliis, qui vellent eiſdem etiam ad neceſſitatem uti, ſicut legitur poſt diluvium de Membroth Gen. 10. qui *erat robuſtus venator coram Domino*, id eſt, hominum oppreſſor, ut interpretatur Scotus cit. ſecundum; quia nunc eſſet contra neceſſariam ſuſtentationem, nam fortiores bellatores privarent alios neceſſariis; & ideò policia Ariſtotelis, in qua non ſunt omnia communia, tenetur eſſe melior, quàm Socratis, in qua ſunt omnia communia, & propterea ab Ariſtotele reprehenditur.

2 Advertendum eſt 2. pariter ex Scoto cit. revocationem illius præcepti de habendo omnia communia, non eſſe factam per legem naturæ aut divinam; nam non per legem naturæ, quia hæc non determinat ad oppoſita: determinavit autem, ut prius diximus, quod in natura humana omnia eſſent communia; nec per legem divinam; quia hac DEI eſt terra & plenitudo ejus, & nec videtur, ubi habeatur hujus legis divinæ promulgatio; per conſequens dicendum, factam eſſe revocationem illius legis, & primam diviſionem rerum introductam per legem aliquam poſitivam Principum, quos pro regimine populus elegit, & in quos conſenſum tranſtulit; hinc poſt diluvium vel Noe diſtinxit filiis ſuis terras, quas ſinguli occuparent pro ſe & ſuis poſteris, vel ipſi de communi concordia inter ſe diviſerunt, ſicut legimus Gen. 13. de Abraham, qui dedit electionem ipſi Loth, quam partem velit eligere, ut reliquam ſibi reſervaret; vel ab aliquo electo eis in Principem, cui commiſerunt auctoritatem, qui poſuit legem, quod res tunc non occupata eſſet primò occupantis, & tunc poſteà diviſerunt ſe ſuper faciem orbis terrarum, & unus occupavit unam plagam, & alius aliam: quamvis autem primus Princeps etiam ſecundùm prudens dictamen naturale proceſſerit, *ut ei quaſi ſtatim poſt naturalem apprehenſionem de hoc, quod eſt, res eſſe dividendas, occurreret illa diviſio probabiliter bona, & manifeſta, rationabilis tamen eſt*, dicit Scotus cit. *quod ipſa non ſit de lege natura ſed poſitiva*, prout paulò ante explicavimus, & de jure gentium dici poſſet, quod valde propinquum eſt juri naturæ.

3 Advertendum eſt 3. res in dominium cadendi capaces pro præſenti plerumque eſſe triplices; nam aliquæ ſunt actu alicujus dominio ſubjectæ, aliæ ſunt adhuc indiviſæ, & necdum occupatæ, & tandem aliquæ, quæ dominium habuerunt, ſed iterum illum amiſerunt; res primæ omnino acquiruntur traditione & translatione: Secundæ & tertiæ verò variis modis: ut occupatione, venatione, piſcatione, inventione, alluvione, uſucapione &c. unde plerumque triplex eſt modus acquirendi rerum dominia: Primò jure naturali ſeu gentium, quò potiſſimùm acquiruntur homines capti & animalia fera &c. ac alia jure belli, de quibus jam partim diximus D. 4. de bello, & partim in hac quæſt. & diſt. dicemus: Secundò jure civili præſcriptionis, de qua diſt. ſequent. tractabimus: tertiò privata lege paciſcentium, ut per contractus, donationes, & teſtamenta, de quibus in ſubſequentibus Diſt. diſcurremus, pro præſenti autem quæſt. ultrà.

4 Advertendum eſt 4. aliquem modum acquirendi jure naturali ſeu gentium à juriſtis vocari acceſſionem, quæ eſt, dum aliqua res propterea fit tua, quia alteri rei, quæ tua eſt, accedit, & eſt duplex acceſſio, ſcilicet naturalis & induſtrialis: naturalis iterùm duplex eſt: ſcilicet per nativitatem & alluvionem; prima habetur in viventibus, ut in partu ancillæ, & in fœtibus pecorum, in arboribus, quæ in noſtro ſolo naſcuntur; hinc aliquis ſervus efficitur, ſi naſcitur ex ancilla, quamvis pater ſit liber; nam partus ſequitur ventrem, ut ſtatuit L. *partum*. C. de rei vendicatione: ſi ergo mater fuit libera, quando concepit, aut in partu, aut tantum per aliquod momentum intermedium inter tempus conceptionis & partus, proles non contrahit ſervitutem, ut habetur in Inſt. de ingenuis §. *ſed & ſi quis*. Servi autem etiam aliter ſcilicet ob delicta & propter bella efficiuntur, de quibus in hac quæſt. etiam tractabimus: acceſſio ergo per alluvionem eſt incrementum, quod ab effluente flumine uni prædio demitur, & alteri adjicitur, quale incrementum poteſt eſſe latens & patens; primum ſi occulta vi fluminis, ut ſi inſenſibiliter una pars ripæ carpitur, & altera augeatur: patens verò cum manifeſto fluminis impetu pars ab uno prædio avulſa deferatur ad alteram, vel ſi novæ inſulæ emergant; latens,

tens, ergo alluvio dat dominium in ſolum accreſcens, non verò patens, niſi partem à ſuo ſolo avulſam prior dominus pro derelicta habeat; ſi ergo inſula naſcatur in medio fluminis, erit communis illorum, qui in utraque parte ripæ poſſident, ſi autem uni ripæ ſit propinquior, illius domino accreſcet, ad quem illius ripæ fundus pertinet: aſt acceſſio induſtrialis eſt illa, quæ fit per plantationem, inſeminationem, inædificationem, inſcriptionem, &c. de qua habetur hæc regula in Inſtit. de diviſione rerum.

Quidquid plantatur, ſeritur, vel inædificatur,
Omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit.

In aliis autem acceſſionibus induſtrialibus illa ſervatur regula: ſcilicet, *acceſſorium ſequitur principale*, ut ſi aurum pro gemma commodius cingenda adhibeatur, aurum gemmæ accedit, ſic ſi aurei pro calice ornando inſerantur in teſtamento, cedunt aurei domino calicis.

5 Advertendum eſt 5. alium modum acquirendi jure gentium à juriſtis vocari ſpecificationem, confuſionem, & commixtionem: ſpecificatio eſt, cum ex alterius domini materia fit nova ſpecies, ut ex uvis vinum, ex argento poculum, de quo eſt hæc regula: ſi res per ſpecificationem facta poſſit ad priſtinam materiam reduci, ut poculum in maſſam argenteam, tunc materiæ Dominus fit etiam dominus illius ſpeciei; ſi verò non poteſt reduci, ut vinum ex alienis uvis, tunc qui novam formam inducit, fit pariter dominus materiæ. Confuſio verò eſt, cum ex materiis duorum dominorum fit unum tertium, in quo eſt difficilis partium diſcretio, ut ſi ex unius melle & alterius vino fit mulſum, vel duorum vina in unum, de quo eſt iſta regula: ſi miſcibilia ab invicem ſecerni nequeunt, vel ex rebus confuſis tertia ſpecies reſultat, poſſeſſor totius rei dominus efficitur, quò tamen non obſtante, ſi fur pecunias furto ablatas cum ſuis miſceat, ut dicerni nequeat, in foro conſcientiæ illi nihil prodeſt, nam ſive fiat dominus, ſive non, quod utrumque probabiliter defendunt authores, ſemper tamen habet obligationem in conſcientia ad compenſationem damni domino priori, in quantùm eſt factus ditior: commixtio tandem eſt, quando res mixtæ ita tranſeunt in unum tertium moraliter diſtinctum ut ſingulæ tamen inter ſe diſtinctæ maneant, ut ſi frumenta pecuniæ miſcentur in unum cumulum, de quibus ſunt duæ regulæ: prima eſt, ſi res dominorum duorum inter ſe confunduntur & miſceantur, ſive caſu, ſive utriuſque conſenſu dominium totius rei eſt commune utrique: Secunda eſt, ſi corpora rerum mixtarum maneant ſeparata, præſertim ſi miſcibilia facile diſcerni poſſint, tunc dominium remanet penes priores dominos.

Advertendum eſt 6. tandem adhuc alium acquirendi modum à juriſtis vocari venationem, aucupium, piſcationem &c. qui ſe potiſſimùm habet circa animalia, de quibus etiam in hac quæſt. ſpecialiter tractabimus. Sunt autem animalia alia naturâ ſuâ manſueta, ut oves, gallinæ &c. Alia fera & ſilveſtria, ut urſi, apri &c. Ex his autem aliqua fiunt manſueta ex induſtria hominum, ut cuniculi, cervi, phaſiani, columbæ &c. alia verò libertati naturali ſuæ manent relictæ, ut feræ in ſilvis; piſces in fluminibus: alia concluſa, ut piſces in piſcinis, feræ in hortis & vivariis incluſæ: de animalibus ergo domeſticis & naturâ ſuâ manſetis, hæc habetur regula in Inſtit. de rerum diviſione: ſi anſeres tui aut gallinæ tuæ turbati, turbatæve evolaverint, licèt conſpectum tuum effugerint, quocunque tamen loco ſint, tui, tuæ eſſe intelliguntur, & qui lucrandi animo ea detinet, furtum committere intelligitur. Ex quo patet etiam ovem ex faucibus lupi ereptam quamvis mortuam, eſſe domino reſtituendam; hoc idem etiam dicendum eſt de animalibus naturâ feris, ſed hominum induſtria cicuratis, quæ tam diu manent in dominio ſui domini, quamdiu habent conſuetudinem redeundi, aut quæſita facili negotio reduci poſſunt; quia ſic non cenſentur extra moralem poteſtatem domini conſtituta, aut ſuæ naturali libertati relicta; ſecus verò eſſet, ſi conſuetudinem redeundi amiſiſſent; quia ſic cenſentur ad naturalem libertatem rediviſſe, & ſic ex juris conſtitutione fiunt primò occupantis; unde etiam, ſi phaſiani, perdices è vivariis avolent, ſi piſces ruptâ piſcinâ in flumen migrent, & non ſit ſpes redeundi, & recuperandi, fiunt primò capientis.

Advertendum eſt 7. in animalium captura variè peccari poſſe. Primò ex parte perſonæ, ſic eccleſiaſticis intedicitur clamoſa & frequens venatio extra. de Clerico venatore; quia eſt contra modeſtiam eccleſiaſticam, & occaſio, ut bona eroganda in pauperes expendantur in canes &c. quieta tamen & ſinè ſcandalo & vitæ periculo facta venatio ex cauſa neceſſitatis vel honeſtæ recreationis non interdicitur eccleſiaſticis, ut advertit Medina de reſtit. q. 12. Secundò ex parte loci; ut ſi fiat contra voluntatem domini in alieno loco vel prædio; quilibet enim habet jus utendi ſuo prædio, ejuſque uſum aliis omnibus impediendi: tertiò ex parte temporis, ſi diebus feſtivis aut jejuniorum, inſtituatur, quatenus indirectè eſt cauſa non jejunandi, vel non audiendi ſacrum, vel quando nocet bono communi, ut tempore, quo feræ ſunt gravidæ, vel ſi piſces nimis ſunt minuti, vel per injectionem ciborum, quibus piſces emoriuntur, & aquæ inficiuntur: quartò & quidem contra juſtitiam ratione damnorum, quæ inde cauſantur hominibus privatis, ſi v. g. venantes equis

& canibus conculcent ſata, ſæpes diſſipent, vineas deſtruant &c. Dixi & quidem contra juſtitiam; quia ex prioribus modis venatio prohibita non parit obligationem reſtituendi; nam prohibita ex parte perſonæ, loci, vel temporis, non eſt contra virtutem juſtitiæ, præſertim commutativæ, ſed tantùm contra virtutem obedientiæ, & ad ſummum contra juſtitiam legalem, tempore, quo noceret bono communi, quæ non obligat ad reſtitutionem; hinc etiam juxta omnes Theologos licitè occiditur fera vaſtatrix agri, ſi aliter damnum averti non poſſit; nam ſi juxta aliquos hominem injuſtè invadentem bona fortunæ poſſit quis occidere, ſi damnum aliter averti non poteſt, quantò magis licebit occidere feram à domino agri, quem damnificat, nec etiam talis occiſor poterit pœna mulctari. Interim his notatis:

8 Propoſitio 1. *Servi, qui à ſe, vel parentibus legitimè venumdati ſunt, aut propter crimen in ſervitutem redacti, non poſſunt fugere à ſuis dominus.* Ratio primi eſt ex Scoto in 4. D. 36. q. 1. §. *hic ſunt.* quia venditio illa fuit facta per contractum, in quem ipſi vel parentes eorum juſtè conſenſerunt; ſed juſto contractui tenetur quis ſtare, ut patet in aliis contractibus: ergo. Interim tamen dicit Scotus in 4. D. 26. q. un. §. *tertia concluſio. vendere quis ſe poteſt in ſervum, licèt de hoc non inveniatur ſpecialis approbatio divina in ſcriptura.* Ratio autem ſecundi eſt; quia reus tenetur exequi juſtam ſententiam pœnæ, ſi hæc talis ſit, ut non poſſit niſi per reum executioni mandari; ſed ſervitus eſt talis pœna: ergo. Præterea ſequitur, quòd ſi mater ſe vendidit, vel ob crimen ſit facta ſerva, proles non poteſt fugere, & ideo fugientes, vel ad hoc conſulentes tenentur ad reſtitutionem non ſolùm pretii, quo æſtimatur ſervus, ſed etiam pretii, quod ſecum ſervus deportâſſet.

9 Propoſitio 2. *Si ſervi à domino incitarentur ad peccatum, qui rogatus non vellet deſiſtere, vel ſi nimis calamitosè aut inhumaniter tractarentur, poſſent fugere.* Ratio primi eſt; quia non tenetur quis cum periculo animæ domino ſervire, cùm propter hoc etiam maximè conjuncti ſint deſerendi juxta illud: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Ratio ſecundi eſt: inhumaniter eos tractare eſt facere eis injuriam; ſed ab hac poſſunt ſe eripere per fugam, ſi aliud medium non ſuppetat: ergo.

10 Propoſitio 3. *Si Dominus ſit infidelis, aut hæreticus, juriſdictioni Principis Chriſtiani ſubjectus, ſervus Chriſtianus hoc ipſo ſit liber, & poteſt deſerere Dominum.* Ratio eſt: quia hoc ſtatuit jus civile L. *de nobis.* C. de epiſcopis & Clericis. & jus Canonicum C. ult. de hæreticis. imò & ſervi infideles talium Dominorum etiam poſſunt fugere ad Eccleſiam, ut Chriſtiani fiant, & ſic ſtatim, poſtquam Chriſtiani facti ſunt, fiunt liberi, uti eruitur ex cit. L. codicis.

Propoſitio 4. *Servi injuſtè in ſervitutem* 11
redacti non ſolùm poſſunt fugere, ſed etiam vi repellere impedientes, & ſurripere ſuis dominis, quantum ſatis eſt ad compenſandam injuriam & operam præſtitam; imò adhuc plus, ſcilicet in quantùm poſſunt, ſi adhuc duret bellum, quod ex parte capientium eſt injuſtum. Ratio eſt; quia poſſunt nocere hoſti ex tacito conſenſu Principis bellum juſtum gerentis; adeóque Chriſtiani capti à Turcis ſemper poſſunt eos ſpoliare, & fugam capeſſere.

Propoſitio 5. *Columbaria ex natura rei* 12
ſunt licita, niſi lege prohibeantur. Ratio eſt contra Paludanum publica in omnibus provinciis permiſſio, quæ rectè illa concedit propter communem utilitatem columbarum in cibum, & niſi tolerentur in columbariis, magis multiplicarentur, cùm non poſſint earum pulli toties & ſingulis quaſi menſibus occidi, & ſic evectæ ſilveſtres plus de ſeminibus agri tunc abſumerent, quam modò, ob quam rationem illa corripit Paludanus: imò nulla apparet jactura, quia non minùs colligitur frumenti in agris, quibus vicina ſunt columbaria, quàm ubi nulla ſunt; adeóque non eſt de eis querela facienda, cùm ſolùm grana terrâ non obruta, vel ſemina mala, ut lolium tollant, quæ fortè magis obeſſent tritico.

Propoſitio 6. *Columbas extra domini co-* 13
lumbarium evolantes capere, ubi non conſtat conſuetudinem revertendi amiſiſſe, eſt ex natura rei illicitum contra juſtitiam. Ratio eſt; quia animalia fera ſemel capta manent ſub dominio capientis, quamdiu hujuſmodi moralem poteſtatem non egrediuntur, ac revertendi conſuetudinem non amittunt: ergo columbæ hoc modo capiuntur tanquam res alienæ ac exiſtentes ſub alterius dominio, quod eſt peccatum ex juſtitia obligans ad reſtitutionem.

Propoſitio 7. *Columbas alienas ſpeciali* 14
medio aut illecebris ad ſe attrahere eſt illicitum contra juſtitiam, niſi hoc quis ſine fraude faceret, ut ſi columbas ſuas meliùs aleret, aut ad commodiorem ſtationem poneret, ita ut columbæ ſuum antiquum columbarium deſerentes ad has advolarent, ita ut capi poſſint, & in capientis dominium tranſire. Ratio primi eſt; quia dominus columbarum habet jus contra alios, ne utantur mediis naturâ ſuâ vel intentione alterius ordinatis ad illas ex ſua poteſtate attrahendas: ergo ſi quis hoc facit, violat jus alterius: Ratio ſecundi eſt; quia ponendo columbis ſuis meliores illecebras v. g. meliorem cibum vel ſtationem utitur jure ſuo: ergo præter intentionem ejus, & per accidens fuit, quòd columbæ relinquant priorem dominum, & maneant apud hunc; imò probabile eſt nec obligari ad reſtituendum,

etiamſi

etiamſi quis ea intentione ſuis columbis meliorem apponeret eſcam aut ſtationem, dummodo non alia peculiari arte attraheret; nam qui utitur jure ſuo, non facit alteri injuriam, & intentio interna habet ſe per accidens ad reſtitutionem; quia hæc fundatur in actione injuſta, nec ſufficit, quòd quomodocunque ſit peccaminoſa, ſic pariter non tenetur ad reſtitutionem, qui caperet columbas, quæ ultra milliare germanicum provolârunt illicitis inſtrumentis, quamvis peccet contra legem hæc inſtrumenta prohibentem.

15 Propoſitio 8. *Examen apum ex alicujus alveari evolans tamdiu eſt ſub illius dominio, quamdiù eſt in ejus conſpectu, & facilè comprehendi poteſt.* Ratio eſt ex inſt. §. *apium* de rerum diviſione, ubi hoc ſtatuitur, econtra verò adjudicatur dominio capientis etiam in alieno fundo, licet fundi dominus poſſit prohiberi; ne quis ad apes vel capiendas fundum ſuum ingrediatur, adeóque qui contra voluntatem domini alienum fundum ingreſſus fuerit, & ibi quidquam ceperit, obligabitur ad reſtitutionem, non quidem animalis capti, ſed illius ſolum, quod & quantum domini intererat, ne quis agrum ſuum ingrediatur.

16 Propoſitio 9. *Laqueo, rete, viſco, hamo, naſſa piſcium &c. expoſitis, ſi in illis fera capiatur, ſpectat ad eum, qui laqueum &c. poſuit.* Ratio eſt; quia ex L. *poſſideri*, ff. de aquiſ. poſſ. res, quæ ſub nullius ſunt dominio, fiunt primò occupantis; nam omnia infra hominem ſunt naturaliter ſubjecta homini, utpote in illius utilitatem condita; ſed talis occupatio fit apprehenſione corporali humanô modô: & ex fine habendi illam rem, quod etiam inſtrumentis fieri poteſt: ergo ſi laqueo &c. expoſito fera capiatur, fit illius, qui laqueum poſuit; & ſi alius eam eximeret, tenebitur ad reſtitutionem, niſi fortè ſe certò fuiſſet extricatura fera; nam tunc non in alterius poteſtatem adhuc omnino devenerat: prætereà etiam qui naſſâ alienâ capit piſces, hi fiunt capientis, licèt alieno inſtrumento ceperit; quia propriâ induſtria ſibi eos comparavit, ſi autem alter, cujus erat inſtrumentum prævenerit, erunt illius; quia ejus inſtrumento ſunt capti: Ex his ergo patet ad primam occupationem tria requiri: primò apprehenſionem corporalem, ſcilicet manu in rebus mobilibus, & pede in immobilibus, ſic non qui priùs vidit; ſed qui priùs apprehendit, primò occupat feram, & hoc etiam fieri poteſt per alium ſcilicet procuratorem, vel per inſtrumenta & canes &c. Secundò modum humanum, ut ſcilicet fiat ſcienter & volenter; nam ſi fiat cum invincibili ignorantia rei apprehenſæ, ut ſi fundum occupes cum invincibili ignorantia latentis theſauri, non efficitur quis dominus theſauri: tertiò animum habendi & occupandi rem illam; quia poteſt fieri oblectationis vel alterius rationis cauſæ.

Propoſitio 10. *Fera ab uno vulnerata, vel cane perſecuta, ab alio verò capta, regulariter eſt vulnerantis & perſequentis.* 17
Ratio eſt; quia aut vulnus eſt lethale & ſufficiens, ut fera caperetur, & vulnerans aut ejus canis perſequitur feram cum morali certitudine capiendi, & tunc omnino fera debet eſſe vulnerantis; quia moralis apprehenſio feræ fit etiam medio inſtrumento, quô quis facit, nè illa extra ſuam poteſtatem elabi poſſet, ut ſi feram jaculo confoderet, adeóque ſic acquirit jus ad ejus poſſeſſionem, & pro primo occupante eſt habendus; talis autem perſecutio feræ in alieno territorio juxta aliquorum modernorum conſuetudinem non diutiùs licet, quàm ad unius diei ſolis occaſum, poſt hunc deinde jam erit illius territorii domini, ſi ille poterit capere ſi verò vulnerans non perſequitur feram, nec ille vel ejus canis habet probabilem ſpem illam apprehendendi; pertinebit ad capientem; quia ſic à nullo alio priùs capta cenſetur: ſi tamen percuſſio non tantum ſit occaſio, ſed etiam propriè cauſa, ut fera ab alio capiatur, æquitas naturalis poſtulat, ut pro quantitate cauſæ eam inter ſe dividant, ut tradit Mollina. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Servi bello capti licitè poſſunt fugere ad ſuos, non tamen dominis perſequentibus poſſunt vi reſiſtere.* 18
Deduci poteſt ex Scoto in 4. D. 36. q. 1. §. *hic ſunt*, dicente: *juſtitia non apparet manifeſtè in hoc, quod capti in bello juſto & ſervati, ſervituti vili ſubjiciantur.* Eſtque Scoti, & aliorum de juſtitia contra Navarrum.

Probatur 1. pars: tum quia hoc expreſsè permittitur L. *nihil.* ff. de captivis; quæ lex non poſſet eſſe juſta, ſi non poſſet libertas talis conſequi niſi per peccatum, & ſic eſſet illecebra ad peccandum: tum quia; cum talis ſervitus ſit communi gentium jure introducta non debebit ejus conditio magis onerari, quam conſuetudine totius orbis ſit receptum, ſed conſuetudo habet, quod tales ſervi ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſint ad ſuos fugere nec hoc cenſetur illicitum; niſi fortè dediſſent fidem de non fugiendo, & ea lege vita eis eſſet condonata; nam tunc omnino tenerentur ſtare promiſſis: ergo. Dixi autem ad ſuos, vel ſuam amicam civitatem; nam fugere ad evagandum extra poteſtatem dominorum non licèt; quia non talis ſed illa ad ſuos fuga videtur conſuetudine ſervis conceſſa, adeóque ſi taliter ad vagandum fugiunt, peccant mortaliter, & tenentur redire; quia ſic privant dominum uſu ſui; ſi verò fugiens ad ſuos obtinuit terminum ſuorum, etiam verè obtinuit libertatem, ut ſi iterum rediret ex alio fine v. g. mercaturæ non poſſit ampliùs à priori domino retrahi in ſervitutem.

Pro-

19 Probatur 2. pars: Domini habent jus ſervos ſuos intercipiendi & detinendi, quamdiu ad ſuos non pervenerint, aliàs inutilis eſſet ſervitus: ergo ſicut bellum non poteſt eſſe utriusque juſtum, ita nec poſſunt ſe ſervi tueri; & hoc item eſt de reo, qui etſi fugere poſſit; non tamen miniſtris juſtitiæ perſequentibus poteſt reſiſtere.

20 Objicies C. *ſi quis ſervum*. 17. q. 4. dicitur ſub anathemate, ne quis alieno ſervo ſuadeat miniſterium domini ſui deſerere. item L. 1. & 3. C. de ſervis fugitivis dicitur: ſervus fugitivus furtum ſuo domino facit, & ſi in fuga deprehenditur, gravis ei pœna nempe pedis amputatio decernitur, quæ non poſſent ſtatui, ſi fuga eſſet licita: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud C. tantùm probibet, ne quis prætextu religionis & libertatis chriſtianæ doceat ſervum contemnere dominum ſuum, ideo nihil eſt ad noſtrum propoſitum: illæ autem leges cod. loquuntur de eo, qui fugit ad alium dominium, illa enim pœna ſtatuitur potiſſimùm de illis, qui fugiunt ad Barbaros hoſtes romani imperii, unde excipi debent, qui fugiunt ad ſuum populum, ut colligitur ex aliis juribus.

Dices: non tantum illi ad Barbaros, ſed etiam omnem alii fugientes graviter ſolent puniri à ſuis dominis: ergo non licet nullis fugere, aliàs injuſtè punirentur.

Contra neg. conſeq. quia tales fugientes omnino poſſunt puniri, non quidem, quòd peccaverint, ſed quia privilegium fugiendi videtur eis conceſſum cum hoc onere puniendi, ſi deprehendentur in gratiam domini, ſicut in cuſtodia publica incluſi licitè poſſunt fugere, & tamen deprehenſi puniuntur, ut diximus in priori tract. de lege pœnali.

Dices: qui damnatus eſt exilio ad certum locum, non poteſt ex eo fugere; ergo cum ſervus ſit jure gentium damnatus in ſervitutem non poterit fugere.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia hi ſervi non damnantur ut malefactores in judicio, ſed nobiliori quodam modo, & minùs ignominioſâ ſervitute, cui ex mora gentium hoc privilegium eſt relictum.

21 Aſſero 2. *Licitè poteſt Princeps prohibere venationem & piſcationem in locis etiam aliàs publici juris non ſolùm propter utilitatem reipublicæ, ſed etiam propter recreationem in quibusdam ſaltem locis.* Eſt Covaruviæ & Leſſii contra Decium, & Rebuffum.

Probatur 1. pars: poſſunt adeſſe multi juſti tituli prohibendi venationem: ergo licitè fiet: antec. prob. primò poteſt adeſſe titulus proprietatis in locis propriis ipſius Principis, ſicut quilibet privatus poteſt venationem in ſuo fundo vel vinea prohibere: ſecundò poteſt adeſſe conſenſus ſubditorum in locis communibus Principis quoad juriſdictionem ſubjectis: tertiò poteſt eſſe neceſſitas communis aut ſuſtentatio Principis: quartò titulus belli, ſi in terris juſto bello occupantis hoc onus Principi imponeretur communitati: quintò titulus præſcriptionis & conſuetudinis longiſſimæ prohibitionis factæ; ſextò titulus providentiæ, ne ſubditi revocentur ab agriculturis, & ne aſſueſcant vitæ otioſæ, prædiis, & latrociniis, dum continuâ tractatione armorum faciliores fierent ad ſeditiones, quàm ad feras extirpandas.

Probatur 2. pars: Princeps laborat pro republica: ergo etiam poterit aliqua loca communia publica ſuæ recreationi ſervare; nam hoc etiam pertinet ad dignitatem Principis; quia etiam perſonis de republica benè meritis poterit concedere venationem cæteris excluſis, dummodo non fiat cum notabili damno reipublicæ. 22
Dictum eſt in aſſert. in quibusdam locis; nam ut advertit Molina in omnibus penitus locis hoc jus ſibi ſolùm reſervare pro recreatione eſt tyrannicum, & nimis grave ſubditis, quia ſic ſine culpa abſolutè hac oblectatione & utilitate aliàs jure naturali conceſsâ privarentur à Principe, niſi fortè ipſe Princeps remitteret aliquid ex tributis ſibi debitis, aut hoc aliunde compenſaret, ut dicit Leſſius.

Objicies: quod jure naturæ & gentium eſt licitum non poteſt juſtè à Principe prohiberi; ſed jure naturæ & gentium eſt cuilibet licitum venari & piſcari, cùm animalia ſint nullius dominii ſed juris publici, ſecundum quod verificari dicit Scotus in 4. D. 15. q. 2. §. *hic ſunt*. illam. prop. Inſtit. de rerum divis. §. *feræ beſtiæ: quod nullius eſt, occupanti conceditur.* 23

Reſpondeo hoc argumentum habere contra ſe infinitas inſtantias v. g. jure naturæ filiusfamilias poſſet licitè & validè teſtari, & tamen lege poſitivâ non permittitur: jure naturæ liceret contrahere matrimonium ſine teſtibus, & tamen prohibetur &c. hinc neg. antec. nam illud jus naturæ eſt tantùm permiſſivum, & non præceptivum, & ſolùm facit rem licitam ſub conditione, quamdiu ob bonum publicum à poteſtate Superiori non prohibetur.

Dices: ſi Princeps poſſet prohibere venationem, poſſet etiam prohibere ſubditis, ne pro fructibus defendendis arceant feras, eáſque abigant; ſed hoc eſt contra æquitatem naturalem: ergo.

Contra neg. maj. quia cuivis ſua defendere licet contra quemcunque privatum, ideo multò magis contra beſtias, quæ utique non debent ali cum damno ruſticorum, neque hoc ſpectat ad dominium altum niſi pro extrema neceſſitate, qualis non eſt, ut feræ poſſint omnia impunè devaſtare, unde nulla conſuetudine poterit obtineri contrarium.

Dices: ſi Princeps poſſet prohibere venationem, poſſet etiam obligare venantem ad reſtitutionem feræ in loco prohibito; ſed hoc non poteſt, cùm vera non adhuc ſit ſub poteſtate corporali ipſius Principis: ergo nec &c.

Contra neg. maj. nam talis non tenetur ad

teſtitu-

reſtitutionem feræ illi domino faciendam, qui habet ibidem jus venandi, ſed ſolùm habet obligationem reſtituendi, quantùm illius domini intererat, ne quis io tali loco venaretur; quia ille ad quem pertinet jus venandi, non ideo comparavit dominium ferarum io illo loco exiſtentium, adeóque ille, qui feram capit, dominium ſibi comparat, licèt modo illicito, adeóque ſatisfacit, ſi mulctam legibus taxatam ſolvat, & quidem ſolùm poſt judicis ſententiam, nihilominus tamen, quia talis reverà læſit jus alterius, quod ſolus habeat venandi aut piſcandi, ſic tenebitur reſarcire damnum, quod alteri ex tali venatione intulit, in quantum v.g. dominus illius prædii & territorii jam non tam facilè poteſt venari, aut difficilius alteri jus venandi vendere.

Dices: Princeps jus venandi ſibi reſervans in locis ſibi ſubjectis per venationem privatorum hominum agros & vineas deſtruit; ſed non poteſt eos damnificare: ergo nec ſic venari; ſed cuilibet in ſuo proprio territorio liberum erit venari.

Contra diſting. maj. per ſe & ſemper neg. per accidens & aliquando conc. maj. adeóque notant authores, quòd Princeps ſibi jus venandi reſervans obligetur in conſcientia ad cavenda damna, & ſi quæ ſubditis ſunt illata, tenetur reſarcire, cùm lædatur jus alterius; unde vel venatio eſt inſtituta ad bonum commune v. g. ne multiplicentur feræ, & tunc æquitas non permittit, ſed eſt contra juſtitiam diſtributivam, ut cæteri ſolùm habeant commodum & alii incommodum: vel eſt inſtituta ad recreationem Principis, & ſic cùm Princeps comparetur ad ſubditos ut privatus ad privatum, non poterit alterum injuſtè damnificare: nihilominus tamen poteſt Princeps ex duplici potiſſimum capite excuſari à reſtitutione talium damnorum: primò, quando prædia eorum, qui damnum patiuntur, cum tali onere fuerunt data vel comparata, ut ſi ab initio in terra hoſtili à ſe occupata Princeps cum tali onere prædia diſtribuiſſet: ſecundò, quando domini prædiorum vel ex contractu oneroſo, vel liberè non coactè aut ex metu reverentiali erga Principem conſenſerunt in tale onus, eò quòd quis cedere poſſit juri ſuo; unde aliquando Princeps debet diſſimulare cum eo, qui feram ſegetes vaſtantem in agro ſuo peremerit, quia utitur jure naturali defenſionis, quo non cenſetur ſe populus privare voluiſſe: tertiò tandem poteſt excuſari Princeps, ſi damnum aliunde compenſetur à Principe v. g. ſi occidendo feras plus prodeſſet agricolis, quàm ſata proterendo obeſſet: cæterùm in aliis caſibus ruſtici ſatisfactionem à Principibus petentes non ſunt fuſtibus excipiendi, ſed ex juſtitia ſunt contentandi.

Dices: ſaltem videtur irrationabilis prohibitio venationis ſub tanta pœna, ut eſt pœna capitis, vel amputationis manus, uti modò prohibetur, cùm non ſit comparatio unius feræ ad hominem vel ejus membra: ergo.

Contra diſting. antec. videtur irrationabilis venatio prohibita ſimpliciter ſub tali pœna conc. poſitis aliis circumſtantiis aggravantibus neg. antec. unde concedo quidem poſſe aliquem puniri aliquâ juſtâ pœnâ corporali, qui contra edictum Principis jaculatur feras, ſed hoc propter contumaciam & contemptum legis; aſt ob primam prævaricationem talis legis non poteſt juſtè pœnâ corporali puniri, ut notat Laymon, eò quod pœna non eſſet proportionata delicto, niſi fortè circumſtantiæ aggravantes majus ſupplicium mererentur; hinc aliqui varios pœnarum gradus ſtatuunt: primò mulctam pecuniariam, & carceris ad aliquot ſeptimanas macerationem, quâ pœnâ puniri deberet, qui prima vice deprehenſus unam alterámve feram pellis vel carnis causâ occidit: ſecundò relegationem perpetuam cum cautione jurata de non redeundo, quâ pœnâ poteſt puniri, qui jam ſemel mulctatus eſt, & iterum venatus fuit, vel qui licèt non fuiſſet mulctatus multas tamen feras cepiſſe probatus eſt: tertiò amputationem manûs dexteræ cum prædicta relegatione vel condemnatione ad triremes, vel ad opus publicum, quâ pœnâ puniri poſſunt, qui contra fidem juratam redeunt in provinciam iterum venantes, & taliter tam propter perjurium, quàm propter contemptum Principis: quartò pœnam mortis, vel abſciſſionem alterius manus, ſi aliæ circumſtantiæ concurrunt v. g. ſi jam ter punitus, necdum ceſſet venari; nam tunc habet locum illud 1. Reg. 14. *qui Principi non obedierit, morte moriatur.*

QUÆSTIO II.

An theſaurus inventus, vel alia bona inventa ab inventore juſtè poſſint retineri, vel an debeant pauperibus erogari?

ADvertendum eſt 1. Bona inventa poſſe eſſe varia, in quatruplicia tamen potiſſimùm dividuntur: prima dicuntur bona communia, & ſunt illa, quæ adhuc in nullius fuerunt dominio, ut gemmæ & margaritæ in mari repertæ, aut mineralia in loco publico eruta: ſecunda dicuntur bona derelicta, & ſunt illa quæ habuerunt dominum, ſed à longo tempore illum amiſerunt, ut ſunt illa, quæ in mari à multo tempore ſubmerſa fortuitò ſunt extracta, vel illa, quæ dominus ipſe non ampliùs vult habere in ſua poteſtate, ut ſunt miſſilia, hoc eſt, nummi, qui in certis ſolemnitatibus in publicum ſparguntur: tertia ſunt bona vacantia, & ſunt illa, quæ remanent poſt domini mortem ab inteſtato, nullóque hærede relicto: quarta dicuntur bona incerta, & ſunt illa, quæ dicuntur habere dominum, cujus tamen 1

men non habetur notitia, ut ſi aureus vel annulus io via reperiatur.

2 Advertendum eſt 2. inter hæc bona inventa etiam comprehendi theſaurum, qui definitur L. *nunquam.* ff. de acquirendo rerum dominio: *quod ſit vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non exſtat memoria, ut jam dominum non habeat*: nomine autem pecuniæ etiam comprehenduntur aliæ res pretioſæ mobiles, ut torques, armillæ, vaſa argentea &c. de theſauro varia ſtatuerunt jura; nam ſpectato jure naturæ & gentium theſaurus inventus tranſit in dominium inventoris; quia quod ſub nullius eſt dominio, ut cenſetur theſaurus, eſt primò occupantis; nec theſaurus cenſeri poterit pars agri, ſicut mineralia, ideo nec dominus agri debet ejus dominium obtinere, aſt in Inſt. §. theſaurus. de rerum divis. jure poſitivo ſtatuitur: primo: quod theſaurus in proprio fundo repertus integrè cedat inventori, ſi verò fortuitò ſit inventus in alieno fundo etiam Principis, quod quoad unum dimidium pertineat ad inventorem, quoad alterum verò ad dominum fundi: tertiò ſi ex induſtria fuerit quæſitus, & inventus non requiſito fundi domino, quod totus pertineat ad dominum fundi; quamvis inventor poſſit deducere expenſas à ſe factas: quartò, quòd theſaurus arte magicâ repertus cedat fiſco: quintò, ſi quis ſciens in alterius fundo latere theſaurum, neque domino manifeſtans, ſed ſolùm petens licentiam quærendi theſaurum, illum inveniat, debebit domino fundi totum reſtituere, eò quod illa licentia per errorem conceſſa pro nulla habeatur: ſextò, econtra, qui ſub expreſſa conditione quærendi theſaurum obtinuit licentiam effodiendi agrum, lucratur totum theſaurum, quia tunc dominus agri ſuam partem cedere exiſtimatur. His interim notatis:

3 Propoſitio 1. *Bona communia ut margarita in mari, aut mineralia in loco publico inventa jure gentium ſunt primò occupantis.* Ratio eſt; quia quæ ſub nullius ſunt dominio ſunt primò occupantis; ſed talia ſunt illa bona communia: ergo. Dixi primò mineralia in loco publico; quia ſi inveniuntur in fundo alieno, pertinent ad dominum fundi de jure gentium; quia non minùs mineralia adhærent terræ, ac ex ea virtute ſolis producuntur, ſicut herbæ & lapides: ergo ſicut herbæ pertinent ad dominum agri & fundi, cum ſint partes agri, ita ad eum pertinebunt mineralia & metalla. Dixi ultra ſpectato jure gentium; quia defactò jure poſitivo ſolent ejusmodi mineralia ad cameram Principis applicari, quod fieri potuit; vel quia ab initio agri ſingulis ita fuerunt diſtributi, ut mineralia reſerventur Principis diſpoſitioni: vel quia per modum tributi Principes communi ſtatuto potuerunt metallorum venas etiam in privatis agris repertas exigere, ſibique reſervare, ut notat Vaſquez de reſtitutione.

4 Propoſitio 2. *Bona derelicta omni jure ſunt primò occupantis.* Ratio eſt ſicut in priori prop. & jus poſitivum de talibus bonis nihil aliud ſtatuit, reſtat ergo ſolùm ſcire, quænam bona habeantur pro derelictis? pro quo ſciendum eſt: ſi de domini intentione non conſtet, tunc ex conjecturis cognoſci hoc debebit v. g. ſi dominus rem perditam facilè poſſet recuperare & negligat, vel ſi non facilè poſſit, nec alius ipſius nomine ad illam repetendam venturus exiſtimetur, nec prudentis arbitrio cenſeatur habere voluntatem, ut ſibi ejusmodi res reſtituatur, talia bona habentur pro derelictis: hinc cum urgente neceſſitate merces projiciuntur in mare, vel tempore incendii aliqua bona projiciuntur ad plateas, illa bona non ſunt habenda pro derelictis; ſiquidem dominus non niſi coactè illa projecit, & cupit ad ſe reverti; nec tamen, quando in Bulla Cœnæ fertur excommunicatio contra illos, qui bona Chriſtianorum naufragantium ſurripiunt, excommunicatio non feriat illos, qui veroſimiliter exiſtimant ipſum dominum navis, aut alium ipſius nomine non eſſe rediturum ad illa bona quærenda aut recuperanda; nam tunc ſimilia bona meritò habentur pro derelictis, ut notat Lugo.

Propoſitio 3. *Theſaurus inventus in fundo, qui duos habet dominos, unum proprietarium, alterum feudarium, vel emphiteutam, quoad illam partem theſauri, quæ domino fundi debetur, debebit dividi inter utrumque dominum.* 5
Ratio eſt æquitas naturalis; excipitur tamen merus uſufructuarius; quia theſaurus non eſt fructus fundi, ſed in fundo reconditus, ideo multò magis excipiendus eſt, qui fundum in locationem, vel pignus accepiſſet, qui nihil participabunt de theſauro invento, ut ſtatuitur L. *fructus.* ff. ſoluto matrimonio; ubi marito fundi dotis uſufructuario pars inventi theſauri in fundo dotis denegatur: ſimiliter diſcurrendum eſt de eo, qui ſaccum avenâ plenum, in quo aurum latebat, vel panem, in quo numi ſunt reconditi, ab alio ignorante accipit, nam talis non teneretur ad reſtitutionem auri, cùm prior dominus ſacci, vel panis propter ignorantiam latentis auri non intenderit hoc occupare, & ideo nec effectus ſit dominus ipſius. Imò nec factus fuit ejus poſſeſſor; qui enim neſcit theſaurum, non poſſidet illum, quamvis jus illum occupandi ante alios habeat, ut l. 3. ff. de acquirenda poſſeſſione.

Propoſitio 4. *Bona vacantia, ſi nullus adeſt legitimus hæres, diſpoſitione juris devolvuntur ad fiſcum, ſeu ad regis ſumptus, & reipublicæ ſubſidium.* 6
Ratio eſt ex L. 1. ff. de jure fiſci; nihilominùs putat Amicus, poſſeſſorem talium bonorum ante judicis ſententiam non teneri hæc bona fiſco tradere; quia, ut in eadem lege juncta gloſſa dicitur: poteſt poſſeſſor, qui ſine titulo legitimæ hæreditatis hæc bona poſſidet, intra certum tempus contra fiſcum præſcribere; hinc etiam quædam, quæ de diviſione vel traditione inventi theſauri

dicta

dicta ſunt, non ſemper obligant ante ſententiam judicis, nempe illa, quæ ſtatuta ſunt quaſi in pœnam, ſecus autem eſt de illis, quæ non in pœnam ſtatuuntur; illa enim etiam obligant ante ſententiam judicia, cùm potiùs ſint declaratoria juris, & æquitatis naturalis.

7 Propoſitio 5. *Non omnis res incerta, ſeu perdita poteſt in dominium inventoris tranſire.* Ratio eſt; quia ſi res inventæ ſint bona Eccleſiæ, licèt non conſtet, cujus Eccleſiæ ſint, ſunt tradendæ prælato eccleſiaſtico, vel in alios uſus eccleſiaſticos convertendæ; quia quod ſemel eſt Deo dicatum, non eſt amplius ad uſus humanos transferendum; unde illa regula: quod in nullius eſt dominio, priùs occupanti conceditur, intelligenda eſt de iis, quæ in commercium hominum venire poſſunt, non autem de illis, quæ non poſſunt venire in commercium hominum, ut ſunt res ſacræ ſimiliter nec poſſunt cenſeri bona incerta, quando conſtat ea certò deberi alicui communitati certæ, vel majori ejus parti; nam licèt in particulari, cui debeatur, non conſtet, conſtat tamen eſſe illius communitatis, ita ut in illa jus habeat; ſic ſi exercitus exſpoliet injuſtè pagum, tunc reſtitutiò eſt facienda communitati ope magiſtratûs, vel parochi, ut hi diſtribuant iis, qui majus damnum paſſi judicabuntur; nec poſſent diſtribui pauperibus; quia non cenſentur bona eſſe incerta; quod idem etiam eſt dicendum, quando pauciores in illo pago damnificati ſunt, ſi per aliquam induſtriam cognoſci poteſt, qui ſint damnificati, ſi ſcilicet magiſtratus, vel parochus vocet generatim, ut compareant; qui ſpoliati ſunt, & examinet, ubi, quando, quibus rebus ſint ſpoliati, & hoc quidem neceſſarium eſt in rebus magni momenti, non verò in rebus parvis.

8 Propoſitio 6. *In bonis incertis ſeu perditis tenetur inventor morali & ſufficienti diligentia inquirere rei inventæ dominum, quâ omiſſâ tenetur rem in pia opera erogare.* Ratio eſt; quia bona ex delicto & mala fide poſſeſſa juxtà communem DD. debent applicari pauperibus, ut habetur C. *cum tu.* de uſuris, ſed inventor omittens debitam diligentiam in inquirendo domino incipit poſſidere ex mala fide: ergo tenetur illa bona applicare piis uſibus: hinc bona propriè incerta non cenſentur, niſi poſt talem inquiſitionem, quæ prudentis judicio pro rei qualitate videtur ſufficiens; nam major & diuturnior diligentia eſt adhibenda, quando res eſt magni pretii, quàm dum eſt parvi. Cæterùm inquiſitio talis commodè poſſet fieri, ſi curaretur promulgari ex Cathedra, vel affigi Schedæ in locis publicis, cautè tamen, ut ſi quis compareret, certis indiciis probet hanc rem eſſe ſuam, vel per teſtes, vel per deſcriptionem omnium circumſtantiarum, adeòque in promulgatione non deberet ſumma determinatè, nec qualitas pecuniæ exprimi, aliàs facilè invenirentur plures, qui dicerent rem eſſe ſuam, & injuria fieret vero domino deinde comparenti; ſi quis autem ante præſtitam debitam diligentiam illa bona incerta converteret in pia opera poſtea domino comparente tenebitur ei ad integram reſtitutionem, ut notant communiter DD.

Propoſitio 7. *Debita incerta ex delicto contracta jure poſitivo ſaltem & conſuetudine debent reſtitui pauperibus.* Ratio eſt, ex illo cit. C. *cum tu.* de uſuris. ubi Pontifex jubet ea, quæ uſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſunt, quibus debentur, aut eorum hæredes, ſub pœnis eccleſiaſticis dari pauperibus, quod propter eandem rationem etiam eſt extendendum ad omnia bona incerta ex variis delictis, ut ex furto, iniquis contractibus & menſuris &c; nam iniquum eſt ex iniquitate & injuriis diteſcere homines. Dixi ſaltem jure poſitivo; nam an etiam jure naturæ ſint hæc bona pauperibus eroganda, non conveniunt Doctores; probabilius tamen eſt etiam jure naturæ id debere fieri; quia præfatus Pontifex ſupponit hanc obligationem jam fuiſſe tempore S. Auguſt. cujus authoritatem allegat; ſed tempore S. Auguſt. nulla lex Canonica de hoc puncto exiſtebat: ergo jam lege naturæ tunc erat obligatio. Cæterùm tamen quoad debita incerta ſine delicto, ſed ex contractu, depoſito, mutuo, contracta, licèt de his non extet canon, ubique tamen eſt piorum conſuetudo, ut hæc in pias cauſas expendantur, quando dominus inveniri nequit, ut animæ ejus proſint. His itaque propoſitis 9

Aſſero ad quæſt. *Quamvis valde conſultum ſit bona incerta, & inventa erogare in pauperes, valde tamen probabile, & in praxi ſecurum eſt; ea poſt factam diligentem inquiſitionem & non reperto domino retineri poſſe ab inventore ad ſuum commodum.* Eſt quoad 1. partem Scoti in 4. D. 15. q. 2. §. *de quarto ſint quinque.* & quoad 2. partem Haunoldi, contra Lugonem & alios. 10

Probatur 1. pars ratione Scoti cit. reſtitutio eſt facienda eô modô, quô eſt poſſibilis; ſed cui non poteſt temporaliter reddi, ut eſt ille, qui neſcitur, & cujus etiam propinqui neſciuntur, ſaltem ei poteſt ſpiritualiter reddi; quæ ſpiritualis redditio fit maximè reddendo pauperibus pro illo: ergo ita oportet fieri; quod autem hanc rationem intelligat Scotus per modum conſilii in hac materia, non poteſt quidem ex ejus verbis facilè intelligi, ſed ita interpretari debet ob maximam probabilitatem contrariæ ſententiæ, quam in praxi multi tenent. Unde

Probatur 2. pars primò: ſi eſſet obligatio ex juſtitia expendendi bona inventa ſine ulla prorsùs ſpe alicujus lucri redundantis in inventorem, vel hanc obligationem contraxit inventor ſtatim, ubi rem invenit, & antequam apprehendit, adeòque etiam ad ipſam 11

apprehenſionem fuit obligatus, vel primò poſt apprehenſionem, & inveſtigationem domini? non primum: nam poſſet quis ſine injuſtitia relinquere rem in loco ſuo jacentem: nec ſecundùm; nam talis obligatio plus obeſſet, quam prodeſſet dominis, qui res ſuas amittunt, ſi enim inventor non niſi onus conſcientiæ ad inveſtigandum dominum & diſtribuendum pauperibus, & ad hoc ſe feciſſe probandum in judicio contraheret, cogitaret ſæpius rem potius in loco relinquendam, quam tollendam, quod utique non prodeſſet domino; unde ſæpe videmus à tali hæreditate prudenter abſtineri, à qua non niſi gravamina ſperari poſſunt. Imò hac ratione malè dicerentur fortunati inventores, ſi ſolùm gravarentur ſine ulla ſpe lucrandi.

Probatur ſecuodò: non tenetur inventor ad plus, quàm tanquam bonus negotiorum geſtor ad id, quò præſtitò, ſi dominus poſtea compareat, non poteſt rationabiliter conqueri; ſed ſi inventor ſervet obligationem reſtituendi vel rem, vel quantum ditior eſt factus intra tempus, intra quod nondum incipit eſſe in nullius bonis, non poteſt poſteà dominus rationabiliter conqueri, vel quòd non priùs dederit pauperibus, cùm potiùs velit ſibi reſervari, vel quòd poſt tempus præſcriptionis non dederit, cùm in præſcriptionem juſtam debeat conſentiri; quia tunc inventor fecit id, quod ipſe vel alius vellet fieri de ſuis bonis, ſi ea perderet, & alius inveniret: ergo.

Probatur tertiò: potiſſimum fundamentum, quòd bona inventa debeant erogare in pauperes, eſſet, quod eô modô tenetur ea bona inventor expendere, quô modô prudenter præſumitur velle dominus, qui utique potiùs vult ea pro anima ſua expendere, quàm inventori relinquere; ſed hoc fundamentum non eſt communiter verum: ergo. Min. prob. non eſt communiter verum, quòd, qui aliquid amittit, velit, ut ſe non reperto poſt ſufficientem inquiſitionem res expendantur in pios uſus ſinè ulla deinde ſpe recipiendi, ſi fortè adhuc poſteà ipſe compareat, quin potiùs communiter volunt, vel rem aſſervari ab inventore, vel bonâ fide abſumi cum obligatione reſtituendi; quantùm indè eſt ditior factus deducto pretio laboris, ſi fortè dominus compariturus eſt, cùm certè communiter poſt longum tempus domini comparentes mallent ſibi rem eſſe aſſervatam formaliter vel æquivalenter, quàm indè factas eleemoſynas: ergo. His

Addo duo: primum eſt rem inventam
12 poſt diligentem inquiſitionem non ſtatim eſſe inventoris tanquam domini, ſed tanquam poſſeſſoris; hinc ſi intra tempus ad præſcribendum à jure præſcriptum dominus compareat, tenetur ei reſtituere, non verò tenebitur reſtituere, ſi primò expleto tempore præſcriptionis compareat dominus; nam usque ad terminum præſcriptionis inventor ſe ſolùm habet, ut bonæ fidei poſſeſſor, at elapſo terminô jam acquirit dominium jure legitimæ præſcriptionis. Alterum eſt: quod his rebus inventis ſemper ſit annexa quædam tacita obligatio, ut ſi dominus compareat, reſtituantur, quæ obligatio non eſt annexa theſauro invento, cujus diſpar ratio eſt: quia dominus theſauri non poteſt ullo humano modo agnoſci; imò licèt etiam ei fuiſſet adjecta ſcheda, quæ teſtaretur talem theſaurum velle expendi in pios uſus, cùm reverà amiſerit dominium priſtinum; econtrà verò rerum amiſſarum, dominus multis modis agnoſci poteſt, poſt adhibitam inquiſitionem, cùm multi domini poſt longum tempus compſreant, & ideò ex ejus dominio non cenſentur prorſus exiviſſe.

Objicies contra 2. partem authoritatem 13
Scoti pro 1. parte cit.

Reſpondeo diſting. maj. reſtitutio eſt facienda eo modo, quo poſſibilis eſt; ſi non poteſt prudenter præſumi remiſſa conc. ſi ſic poteſt præſumi neg. maj. nam ut conſtat ex proba 2. non poteſt rationabiliter conqueri, & eſſe invitus ille dominus, ſi inventor facit ea, quæ ibi diximus; nec eſt verum, quòd dominus ſemper præſumatur rem inventam velle expendi in pios uſus pro anima ſua, ut conſtat ex proba 3. ubi alterum fundamentum adverſariorum ſolvitur, & evertitur; quia ibi voluntas domini potiùs eſt, ut res maneat apud inventorem, cùm ſic faciliùs eam recuperare poſſet, quod etiam multò magis verum eſt, ſi talis dominus eſſet Turca vel paganus.

Dices: can. 14. q. 5. refertur dixiſſe S. Auguſt. *ſi quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*, item cauſ. 8. S. Hieronymus. *non dicant, qui inveniunt, Deus mihi dedit, ſed diſcant peccatum hoc eſſe, ſi quis inventa non reddat*: ergo.

Contra dico hos textus loqui de reſtitutione eorum, quorum dominus aut ſcitur aut facilè ſciri poterit.

Dices: in auth. omnes peregrini. Statuitur, ut ſi peregrinus inteſtatus diſceſſerit, bona ipſius, ſi fieri poteſt, per manus Epiſcopi tradantur hæredibus, vel in cauſas pias erogentur: ergo idem de bonis inventis eſt dicendum.

Contra neg. conſeq. quia authentica ſolùm loquitur de bonis inteſtatis, quorum diſpoſitio, cùm ſit juris civilis arbitrio relicta, meritò lex de illis diſponit, mentémque morientis ita exponit; nihil autem de bonis inventis ſtatuit; nam etiam magna eſt diſparitas inter bona inteſtata, & bona inventa; quia mors peregrini, & defectus hæredis non eſt juſtus titulus ad uſurpanda bona defuncti inventio autem eſt juſtus & juridicus titulus.

Dices in Hiſpania P.P. Trinitarii ſeu mercenarii habent privilegium tam à regibus quàm Pon-

Pontifice, ut bona inventa poſſint etiam ſub excommunicatione exigere, ut ea impendant in redemptionem captivorum: ergo inventor non poteſt ea jure retinere.

Contra neg. conſeq. nam primò ipſi Trinitarii obligantur his legibus, ut per quatuordecim menſes inveſtigent dominum; quapropter mirum non eſt, ſi inventor compellatur lege ad hoc medium adhibendum, ut dominus inveniatur, ſi enim illud negligat, jam non adhibuit media ordinaria, ad quæ tamen jure naturæ obligatur: Secundò illa lex fundatur in præſumptione, quòd in Hiſpania plerique inventores ſupprimerent bona inventa, ita ut nec adhiberent ſufficientem inquiſitionem Domini, niſi lege compellantur ad certum aliquod medium; adeóque non ſupponit obligationem ex lege naturæ ad dandum pauperibus, ſed ſolùm ad inveſtigandum dominum & quidem ex juſtitia, & quaſi contractu, quatenus illam rem inveniendo corporaliter poſſedit, & in ſuam cuſtodiam, ut ejus negotiſtor accepit, ſi enim noluiſſet ſubire obligationem inquirendi dominum, debuiſſet illam rem relinquere in illo loco ut vel ipſe dominus vel alius ipſam inveniret, & ſic fortè ad ſuum dominum rediret: tertiò nec illa lex eſt nobis directè contraria; quia ſolùm dicimus inventorem non eſſe jure naturæ obligatum, ſed poſſe rem retinere ſibi cum obligatione ſupra dicta, niſi lex poſitiva aliud ſtatuat, de quo alio nihil auditur in Germania, & in Hiſpania ſolùm illa lex obligat poſt ſententiam judicis.

DISTINCTIO VIII.

De Juſtitia modi acquirendi jure civili rerum dominia ſcilicet per uſucapionem, ſeu præſcriptionem.

QUÆSTIO UNICA.

An præſcriptio in dominiis, juribus, & ſervitutibus rerum etiam in foro conſcientiæ habeat locum, & quas conditiones, & quantum tempus requirat?

1 ADvertendum eſt 1. à juriſconſultis nomen præſcriptionis tripliciter uſurpari: primò generatim & definitur: *quòd ſit exceptio aut oppoſitio, quâ eliditur actio intentata ab actore*, unde ſicut exceptio eſt duplex, ſcilicet dilatoria, quâ opponitur adversùs judicem vel teſtes, eos ſcilicet non eſſe competentes actores, vel eſſe jure prohibitos teſtari, ut excommunicati &c. & peremptoria, quâ opponitur, quòd aliquid mandato Principis ſit factum, vel quod jam ſit ſolutum, quod exigitur; ita etiam in hoc ſenſu duplex eſt præſcriptio, uti accipitur in tit. de exceptionibus, & præſcriptionibus, qualiter etiam Tertullianus ſcripſit librum de præſcriptionibus contra hæreticos, hoc eſt de illis, quæ Catholici opponere poſſunt hæreticis litem quaſi intentantibus contra fidem catholicam; Secundò accipitur ſpecialius pro exceptione peremptoria proveniente ex eo, quod tempore legibus definito, rem aliquam poſſederimus, vel aliquo jure uſi ſimus, vel quòd alius à tali uſu certo tempore ceſſaverit, & poſſet dici præſcriptio cauſaliter: tandem tertiò ſumitur formaliter pro ipſa dominii acquiſitione, vel juris alieni eliſione aut peremptione proveniente ex tempore legibus definito, quô modô dicimus præſcribere domum, vineam &c. id eſt, acquirere horum dominium, adeóque præſcriptio propria, de qua hic agemus, definitur: *Quod ſit acquiſitio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti*, ut eruitur ex *l.* 3. ff. de uſucap.; nam videntes legum conditores ſæpe contingere, ut quis longo tempore poſſidens rem bonâ fide ut ſuam, poſtea verò cum magna reipublicæ moleſtia ac litium multiplicatione à superveniente domino dejiceretur, voluerunt ex jure alto in bona ſubditorum huic malo mederi partim puniendo ſubditorum ſocordiam in cuſtodiendis rebus ſuis, partim præcavendo importunam litium frequentiam & dominiorum incertitudinem, & poſuerunt modum acquirendi dominium in re aliena, etiam inſcio & invito priore domino & hunc modum in rebus mobilibus vocârunt uſucapionem, & in rebus immobilibus præſcriptionem, ut etiam vocat Scotus in aſſert. 1. citandus; defactò verò uſucapionem & præſcriptionem communiter pro eodem ſumunt DD., de qua ultrà.

Advertendum eſt 2. Scotum in 4. D. 36. q. 1. §. *hic ſunt*. ad valorem præſcriptionis cum juriſconſultis certas requirere conditiones, hæ autem plerumque quinque his verſibus exprimunt: 2

Non uſucapies, niſi ſint tibi talia quinque:
Bona fides, juſtus titulus, res non vitioſa.
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

fides hic accipitur pro conſcientia ex Apoſt. ad Rom. 14. omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſeu quod non eſt ſecundùm conſcientiam; nam hæc eſt proxima regula actionum humanarum, quæ dictat rem alienam non eſſe retinendam; unde ſi quis retinet aliquid alterius cum dubio aut hæſitatione

rem non eſſe ſuam, dicitur malæ fidei poſſeſſor; jus autem civile aliquando ſolùm ab initio poſſeſſionis requirit bonam fidem, nec vult obſtare præſcriptioni, ſi currente illo tempore ordinario mala fides ſuperveniat; imò planè aliquando ut in præſcriptionibus longiſſimi temporis nec ab initio requirit bonam fidem, in quo puncto jus civile corrigitur à jure Canonico, ut habetur C. *fin.* de præſcriptionibus; ideo etiam orta eſt regula de reg. juris in 6. malæ fidei poſſeſſor ullo tempore non præſcribit: titulus verò dicitur fundamentum vel cauſa juris, ut donatio, venditio &c. quod aliquis habet in rem, & dividitur in verum & præſumptum ſive coloratum, de quo dictum eſt D. 3. q. 1. aſſert. 2. res non vitioſa dicitur res capax ad præſcribendum; nam ſunt aliquæ res, quæ non ſunt capaces præſcriptionis, ut quæ eſſent contra jus naturale vel divinum, uti dicemus in propoſitionibus: quarta conditio, ut ſcilicet res tradatur, non requiritur ut conditio à cæteris diſtincta; nam nullus occurrit caſus, quò cæteris requiſitis concurrentibus præciſè ob defectum traditionis præſcriptio impediatur; unde traditio non aliter requiritur, quàm quatenus ſine ea, vel poſſeſſio, vel juſtus titulus, vel bona fides deficeret: tandem continuatio temporis certi, ſeu potius poſſeſſio, rei continuata per tempus certum, de qua advert. ſequenti, à jure ubique deſideratur, & vi hujus, præſcriptio quandoque dicitur non procedere, quandoque dormire, quandoque interrumpi: non procedit; quando ob aliquam cauſam non poteſt incipere ullo tempore præſertim ob iſta quatuor, ſcilicet ſi deſit bona fides, titulus, poſſeſſio, & ſi res vitioſa ſit, ſeu lege reſiſtente ad alienandum: dormit verò; quando jam aliquo tempore inchoata ceſſat ita, ut illo exacto rurſus habeat vim, & continuetur cum priori tempore, ut tempora belli, quandò jus non dicitur, vel tempore peſtis, ubi homines fugiunt ad aliud territorium; vel ſi Eccleſia caret Rectore, ceſſat contra Eccleſiam; vel quandò is, contra quem præſcribitur, non poteſt agere, ut ſi eſt filiusfamilias, vel pupillus durante ætate pupillari, nempè in maſculis usque ad decimum quartum, & in fæminis usque ad duodecimum exactum annum, vel ſi eſt uxor vivente viro: interrumpitur tandem quando præſcriptio inchoata ita ceſſat, ut, ſi rurſus reviviſcat; non continuetur cum priori tempore, ſed de novo debeat inchoari, quæ interruptio fit naturaliter & civiliter: primò modò fit, quando aliquid incipit deeſſe, quod eſt neceſſarium ad naturam præſcriptionis, ut bona fides &c. Secundo modo fit: quando per actum aliquem juridicum interpollatur, ut per litis conteſtationem, vel citationem, ſi tamen actor ſuccubuerit in lite, vel ſi litem ſponte deſeruerit, vel ſi animò tantùm interrumpendi præſcriptionem litem moverit, non interrumpitur; præterea etiam non interrumpitur civiliter, ſi uſucapio ſolùm eſt biennalis, ſi tamen talis uſucapio condemnetur, debet reſtituere, ſi verò non condemnetur, maneatur in bona fide, expleto biennio poterit illam retinere, ut diſcurrit Covarruvias.

3 Advertendum eſt 3. cùm jura ad præſcriptionem non tantùm expoſcant determinatum tempus, ſed etiam continuationem poſſeſſionis, ut patet ex ejus definitione advert. 1. data, videndum eſt de poſſeſſione, quæ quoad etymologiam eſt pedum poſitio; unde bona immobilia pedum poſitione acquirimus; duplex autem eſt poſſeſſio ſcilicet facti & juris, poſſeſſio facti communiter definitur: *quod ſit detentio rei corporis, & animi, juriſque adminiculo:* dicitur detentio, ſeu apprehenſio non ſolùm rei corporalis, ſed etiam incorporalis, ut eſt beneficium, cenſus &c. dicitur corporis; quia ad poſſeſſionem requiritur corporalis apprehenſio vel verè ut manibus gemmam, vel fictè ſeu diſpoſitione juris, ut ſi tradantur alicui claves ad civitatem &c. & quia detentio corporalis non ſufficit ad poſſeſſionem juridicè obtinendam, aliàs portans pecuniam Petri poſſideret illam, ideo dicitur & animi, id eſt, debet accedere intentio & animus detinendi rem ut ſuam: & tandem, quia nec hæc ambo ſufficiunt; aliàs fur juſtè poſſideret rem furtivam, ideo additur juris adminiculo, id eſt, lege non reſiſtente; poſſeſſio verò juris definitur, *quod ſit jus inſiſtendi alicui rei tanquam ſua non prohibita poſſideri:* dicitur jus, ut excludatur poſſeſſio facti injuſta; nam ſi eſt juſta, oritur jus: dicitur inſiſtendi rei, ut excludatur dominium, quod per ſe & formaliter eſt jus diſponendi de re, hoc autem eſt jus, quod poſſeſſor poſſit rem pacificè poſſidere, eámque juris remediis tenere: dicitur tanquam ſuæ; quia debet nomine ſuo & non alieno rei inſiſtere; hinc tutor feudarius, emphiteuta non eſt poſſeſſor bonorum pupilli aut proprietarii, qui potiùs poſſident per tutorem feudarium &c: dicitur non prohibitæ poſſideri; nam nemo poteſt habere jus poſſidendi jure reſiſtente, ſic laicus nunquam poſſidet res ſacras: tandem poſſeſſio adhuc duplex eſt, ſcilicet naturalis & civilis: civilis eſt, quæ ſolo animo retinetur etiam ab abſente v. g. qui domum egreditur nullo relicto cuſtode, vel ab hoſte ejicitur, naturaliter & corporaliter non poſſidet domum, benè civiliter, cùm poſſeſſionem non amiſerit, ut ſtatuunt jus & leges: naturalis eſt, quæ corpore ſimul & animo retinetur, ut quando quis actu eſt præſens vel per ſe vel per alium rebus ſuis: demum hæ poſſeſſiones ſolo animo poſſunt amitti, ſicut dominium per animum voluntatem nolendi eſſe dominum, cùm ſit eadem ratio, nihilominus tamen talis animus debet exteriùs eſſe manifeſtatus, cùm ſolus internus

ani-

animus non poſſit ſub legum diſpoſitione aut judiciali probatione cadere; nec etiam naturalis poſſeſſio ſemper amittitur per diſceſſum corporalem; nam licèt quis deſerat domum, ſi tamen ibi habet ſervum, vel procuratorem, adhuc verè naturaliter poſſidet, non quidem per ſe, ſed per alium.

4 Advertendum eſt 4. Præſcriptionem intercedere tam in bonis mobilibus, id eſt, quæ loco moveri poſſunt, ut ſunt pecuniæ, veſtes, animalia &c. quàm in immobilibus, id eſt, quæ loco moveri non poſſunt, ut ſunt prædia, domus, reditus annui, beneficia, officia &c. imò & alia jura, quæ à juriſtis vocantur ſervitutes, ſeu jura ſuſtinendi quædam onera; ſervitus autem alia dicitur urbana, alia ruſtica; prima eſt, quæ debetur prædio urbano, quale dicitur omne ædificium habitandi gratia ædificatum, ſive ſit in urbe, ſive in villa, imò etiam horti domibus conjuncti, & nemora recreationis causâ conſita, ut habetur L. *urbana prædia.* ff. de V. S. ſecunda eſt, quæ debetur prædio ruſtico, quale dicitur omne illud, quod gratia habitationis non eſt conſtructum, ut ſunt ſtabula, horrea à domibus ſejuncta: item ſervitus urbana alia eſt affirmativa, alia negativa: prima eſt, quâ aliquid poſitivum præcipitur fieri, cujus ſpecies ſunt ſervitus oneris ferendi, ut ſi alterius vicini columna, vel paries partem de ſuo tecto vel ædificio debeat ferre; item ſtillicidium, hoc eſt obligatio, ut vicinus aquam pluvialem de ſuo tecto in ſuas ædes ſtillatim decidentem teneatur admittere, ſimiliter tignum immittendum, hoc eſt, trabem tuarum ædium in vicini parietem immittendi &c. ſervitus verò negativa eſt, quâ aliquid fieri prohibetur, cujus ſpecies ſunt non tollendi altius parietem vel ædificium invito domino alterius ædificii; item luminibus non officiendi, hoc eſt, aliquid ædificandi, quod proſpectum vel lumen impediet &c. tandem ruſticæ ſervitutis ſpecies ſunt ſequentes: prima iter, hoc eſt jus eundi per alienum fundum: ſecunda actus, hoc eſt jus non tantum eundi per alienum agrum, ſed etiam jus agendi jumentum vel vehiculum: tertia eſt via, hoc eſt, jus agendi vel ambulandi per fundum alienum, quæ differt à præcedentibus cùm latiùs pateat; quia per hanc etiam licet lapides & ligna trahere: quarta aquæ ductus, hoc eſt, jus aquæ ex alieno fonte per alienum fundum ducendæ: quinta aquæ hauſtus, hoc eſt, jus aquæ hauriendæ ex puteo vicini, ſexta jus pecus adaquandi in alieno puteo, jus paſcendi pecora, jus calcis coquendæ, arenæ fodiendæ in alieno fundo &c. & de his & aliis rebus eſt quæſtio, quomodo & qualiter fiat, & valeat præſcriptio. His notatis ſequitur:

5 Propoſitio 1. *Nulla res, quæ licitè fieri non poteſt, ut ſi eſſet contra jus naturale aut divinum, eſt capax præſcriptionis.* Ratio eſt; quia cum peccato non procedit præſcriptio, ut habetur tit. de præſcriptionibus; ſed agere contra jus naturale vel divinum ſemper eſt peccatum, nec in eo poteſt homo diſpenſare: ergo hinc nec ſubditus poteſt præſcribere contra obedientiam ſuperioris; nam quamvis poſſit præſcribere, ut eximatur à jurisdictione hujus vel illius Superioris, non tamen ut manens ſubditus eximatur ab omni obedientia Superioris, nec Superior à dominio gubernandi, protegendi ſuos ſubditos; quia utrumque eſt contra jus naturæ; ſimiliter nullus chriſtianus poteſt præſcribere exemptionem ab obedientia Summi Pontificis, quam nec ipſe Pontifex concedere poteſt, cùm ſit de jure divino.

6 Propoſitio 2. *Etiam ea, quæ jure civili aut Canonico ſunt prohibita ad poſſidendum vel alienandum, non ſunt præſcriptionis capacia.* Ratio eſt; quia ſi prohibentur poſſideri, tunc deficit poſſeſſio bonæ fidei, & ſi prohibentur alienari, deficit juſtus titulus, quod utrumque requiritur ad naturam præſcriptionis; imò licèt ignoraretur jus prohibens, attamen concurrit error juris, quod non prodeſt ad uſucapionem; hinc non poſſunt præſcribi res & loca ſacra, aut alia communia publicis uſibus deputata, ut forum, pontes, via publica &c. neque poſſunt præſcribi à laico contra eccleſiaſticos jura ſpiritualia, ut jus decimandi, conferendi beneficia &c.

7 Propoſitio 3. *In rebus aut actibus meræ facultatis, id eſt, in iis, quæ citra ullam conventionem aut obligationem jure naturæ aut gentium pro ſuo arbitrio poſſunt fieri, vel omitti, ut eſt hoſpitare peregrinum &c. non procedit præſcriptio.* Ratio eſt; quia hoc modo nullus adeſt titulus, niſi is, qui meram facultatem habet, alterius prohibitioni interpoſitæ patienter acquieverit; ſic enim prohibentem in quaſi poſſeſſione & ſe in imputativa obligatione tolerandi alterius obligationem conſtituit; hinc ſi quis domum ſuam hactenus altiùs non ædificavit, non ideo contra ipſum præſcribitur, ne poſſit altiùs ædificare, niſi ab alio prohibitus altiùs ædificare ceſſaverit.

8 Propoſitio 4. *Ad præſcriptionem non requiritur titulus verus, ſed ſufficit præſumptus, id eſt, coloratus ſeu putativus.* Ratio eſt; quia ſi titulus eſt verus tunc abſque præſcriptione per ſe ſufficit ad tranſlationem dominii: ergo titulus, qui unà cum præſcriptione ſufficit, non debet eſſe verus, ſed putativus, ſcilicet conjunctus cum ignorantia facti, non quidem proprii, ſed alieni, nam in facto proprio non eſt tolerabilis ignorantia, ut dicit Gloſſa L. *finali.* ff. pro ſuo. Talis autem titulus ſolùm ad ordinariam præſcriptionem requiritur: non verò ad extraordinariam, quæ eſt triginta vel quadraginta annorum, niſi dum jure prohibetur talis rei præſcribendæ poſſeſſio, vel dum aliunde præſumitur mala fides in poſſidente, tunc enim requiritur titulus, vel loco tituli probatio præſcriptionis immemorabilis, quæ eſt inſtar tituli apud juriſtas.

Pro-

9 Propoſitio 5. *Tituli præſcriptionis plerumque decem numerantur à Doctoribus.* Ratio eſt; quia tales paſſim leguntur in ff. hinc primus eſt pro ſoluto, ut ſi quis putat ſe aliquid debere alteri, & illi ſolvat, ac alter bonâ fide accipit, præſcribit poſt triennium; excipitur tamen, niſi quis putet ſe debere ex emptione, quæ non præceſſit, ut habetur in ff. pro emptore: ſecundus eſt pro emptore, ſi v. g. quis emit à furioſo putans eſſe ſanæ mentis, ſecùs ſi à prodigo, vel aleatore; quia etiam à tradente & commutante requiritur bona fides, aleatores autem declarat injuſtos L. *ult.* ff. de aleatoribus, quæ tamen lex, ut dicit Scotus in 4. D. 15. q. 2. §. *de tertio. non ligat, niſi illos, qui politicè vivendo ſubſunt legi imperiali, qui fortè nulli ſunt hodie; quia ubi præcipuè illa lex locum habere conſuevit, municipalia præjudicant imperialibus.* Hæc Scotus: tertius eſt pro transacto, ut ſi aliquid ſit datum, ut recedatur à lite: quartus pro hærede, ut ſi quis bonâ fide ſe putet eſſe hæredem: quintus pro donato, ut ſi quis bonâ fide alteri ignoranti donavit rem alienam: ſextus, ſi bonâ fide putabat rem derelictam: ſeptimus, ſi teſtator putabatur ſanæ mentis & non fuit, vel ſi legatum per codicillum eſſet ademptum, ſed ignorabatur: octavus, ſi res aliena bonâ fide ſit pro dote data, incipit autem talis præſcriptio à tempore contracti matrimonii de præſenti: nonus pro ſuo, & oritur ex omnibus, ex quibus nos bonâ fide putamus acquiri dominium: dominus pro judicato, ut ſi quid eſt judicatum, & intra decem dies non eſt appellatum, & ſic excluditur jus appellationis novel. 23.

10 Propoſitio 6. *Ad præſcriptionem rerum incorporalium ſufficit quaſi poſſeſſio in eo ſita, quod quis non interpelletur, dum non ſolvit, nec inquietatur à creditore, vel actore, non tamen ſufficit poſſeſſio ſolùm naturalis, benè verò poſſeſſio civilis; imò omnis poſſeſſio vera vel ficta, ac etiam mixta ex poſſeſſione naturali & civili.* Ratio primi eſt; quia tali modo dicitur aliquis eſſe in poſſeſſione quieta & pacifica pluris non ſolvendi: ratio ſecundi eſt, quia aliàs poſſet dominium eſſe penes præſcribentem, & penes eum, contra quem præſcribitur; imò depoſitarius naturaliter poſſidet, & tamen non præſcribit: ratio tertii eſt; quia aliàs vix ullus præſcriberet; vix enim ullus per tantum tempus continuat poſſeſſionem naturalem; præterea abſens retinet ſolam poſſeſſionem civilem, & tamen præſcribit; ut habetur L. *ſervi*. ff. de furtis: ratio quarti eſt; quia qui fictione juris poſſidet verè poſſidet ad effectum juris, qui eſt præſcriptio, & poſſeſſio mixta eſt veriſſima poſſeſſio: ergo.

11 Propoſitio 7. *Res mobiles cum titulo præſcribuntur per triennium, non tantùm contra privatos, ſed etiam probabiliter contra Eccleſiam & communitates; aſt ſine titulo præſcribuntur ſolùm poſt triginta annos.* Ratio primi eſt ex Inſt. §. 1. de uſucapione: ratio ſecundi eſt ex L. *quas actiones*. C. de ſacroſanctis Eccleſiis: ratio tertii eſt ex L. 3. c. de præſcriptione triginta vel quadraginta annorum, ut communiter tradunt D D.

12 Propoſitio 8. *Res immobiles, ſi ad privatum pertinent cum titulo præſcribuntur per decennium inter præſentes, ſeu in ejuſdem juriſdictionis territorio exiſtentes, & poſt viginti annos inter abſentes; contra Eccleſias verò & pias cauſas aut communitates poſt quadraginta annos; aſt ſine titulo res privatorum immobiles præſcribuntur poſt triginta annos, contra Eccleſiam verò Romanam & communitates civitatum & regnorum in bonis, quæ ad illa hæreditate vel legato pervenerunt poſt centum annos.* Ratio eſt ex toto titulo de præſcriptionibus, & L. *ult*. C. de ſacroſanctis Eccleſiis, & addunt authores, præſertim Leſſius contra ordines mendicantium, & qui gaudent eorum privilegiis requiri etiam centum annos ad præſcribendum, cum ſint idem cum Romana Eccleſia.

13 Propoſitio 9. *Quando jus humanum reſiſtit præſcribenti, hoc eſt, dum poſſeſſionem poſitivè prohibet, poteſt tamen locum habere immemorabilis temporis præſcriptio.* Ratio eſt ex C. 1. de præſcriptionibus in 6. unde monaſterium vel capitulum poſſunt præſcribere contra ordinarium v. g. in jure patronatûs, licèt etiam careant titulo, ſi tamen modò in quieta poſſeſſione fuerint ab immemorabili tempore; nihilominus tamen talis poſſeſſio debet probari per teſtes, qui ſaltem per quadragiota annos debent teſtari de viſu, vel ſenſu proprio, ut à ſuis quoque majoribus ſe talem rei ſtatum ſemper audiviſſe, ut docet Laymon. l. 3. de juſtitia tract. 1. c. 8. eſt autem immemorabilis temporis præſcriptio, cujus initium homioum memoriam excedit, ut habetur C. ſuper quibusdam de V. S. & hæc dicitur præſcriptio extraordinaria; adeóque noſtra propoſitio 2. de præſcriptione ordinaria eſt intelligenda.

14 Propoſitio 10. *Delicta ſeu accuſatio & punitio omnis delicti ſive levis ſive atrocis præſcribitur ſpatio viginti annorum, imò quoad quædam delicta priùs, quamvis etiam quoad aliqua delicta nunquam.* Ratio primi eſt ex L. 12. C. ad legem Corneliam; unde ſi quis poſt elapſum terminum accuſetur, licèt non poſſit, vel ſciat ſe defendere per oppoſitionem præſcriptionis, judex tenetur illum defendere tanquam jam ſolutum per præſcriptionem, ita ut, ſi de tali delicto ferret ſententiam, illa eſſet nulla: præterea illa præſcriptio ſolùm procedit quoad pœnas legales, non verò ſpirituales, unde ſemper poterit peti divortium: ratio ſecundi eſt; quia iojuriæ verbales tolluntur per ſpatium unius anni, ut habetur l. 5. C. de injuriis. quod etiam Gomez extendit ad iojurias reales, ut verberationem &c. quamvis communior ſententia dicat, has eſſe perpetuas, ſicut alias actiones civiles, ut non niſi poſt triginta annos exſtinguantur:

guantur: item adulteria, ſtupra, inceſtus, lenocinia &c. de jure communi tolluntur per quinquennium, ut habetur l. 29. ff. ad legem Juliam: ratio tertii eſt; quia accuſatio apoſtaſiæ, parricidii, vel conjugis, aut ſponſæ, item læſæ majeſtatis tam divinæ per blaſphemiam, quàm humanæ, item hæreſis, aſſaſſinii, falſæ monetæ, ſimoniæ, abortus, propter ſuam atrocitatem nunquam præſcribitur, ut habetur L. fin. ff. ad legem Pompejam: plura de his delictis vide apud Haunold. tom. 6. fol. 70. & ſeq. His ergo poſitis:

15 Aſſero 1. ad quæſt. *Lex præſcriptionis eſt juſta, ideo legitima præſcriptio locum habet, & liberat ab onere reſtituendi etiam in foro poli ſeu conſcientiæ.* Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 2. §. de *ſecundo articulo.* dicentis: *præſcriptio in immobilibus, & uſucapio in mobilibus eſt juſta translatio.* ut patet extra. de præſcript. C. *vigilanti.* Eſtque contra Adrianum, & alios.

Probatur primò ratione Scoti: lex humana & poſitiva in boni communis utilitatem lata parit effectum & obligationem in foro conſcientiæ, ut diximus de legibus; ſed lex poſitiva de præſcriptione eſt talis: ergo. min. prob. primò: juſtè poteſt illud ſtatui à legiſlatore, quod eſt neceſſarium ad pacificam converſationem ſubditorum; ſed dominium rei neglectæ, ſicut fit in præſcriptione, transferri in occupantem, eſt ita neceſſarium: ergo. min. prob. ſi dominium talis rei maneret apud primum poſt quantumcunque tempus eſſent lites immortales: ergo. antec. prob. poſt quantumcunque tempus ille, qui neglexit, vel ejus hæres poſſet repetere illam rem ab alio occupatam, & hic non vellet dare, cùm ſufficientes probationes non poſſint haberi: ergo eſſet impoſſibile tales lites decidere, ſed eſſent perpetuæ contentiones, & odia, & ſic tota pax reipublicæ turbaretur: prob. ſecundò prima illa min. legiſlator poteſt juſtè punire per legem transgreſſorem, cujus transgreſſio verſatur in detrimentum reipublicæ etiam pœnâ corporali: ergo multò magis pecuniaria applicando fiſco: ergo etiam tali pœnâ applicando illud, in quo punitur alicui, qui in hoc eſt miniſter legis; ſed negligens rem ſuam tanto tempore facit transgreſſionem in impedimentum pacis reipublicæ: ergo. hinc in L. 1. ff. de uſucap. illius legis præſcriptionis principalis ratio aſſignatur incertitudo & confuſio dominiorum, quæ ratio utique juſta eſt.

Probatur ſecundò ratione Scoti: tum quia lex juſta potuit juſtè determinare prima rerum dominia; ſed non minor eſt authoritas legis vel Principis poſt diviſionem dominiorum quàm ante: ergo propter eandem cauſam & eundem finem poteſt juſtè transferri dominium, poſtquam fuerat alicui appropriatum: tum quia quilibet poteſt ſuum dominium transferre in alium: ergo etiam tota communitas poteſt cujuslibet de communitate transferre dominium in quemlibet: conſeq. prob. quia communitas habet ipſum conſenſum cujuslibet quaſi jam oblatum in hoc, quod quilibet conſentiens in leges juſtas condendas à communitate vel Principe: ergo cum in facto communitatis ſupponantur includi conſenſus quorumlibet, ſic poterit per legem juſtam cujuslibet dominium à communitate transferri in quemlibet.

16 Objicies 1. Regula juris 48. in 6. dicit: *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria & jactura*; ſed hoc fit in præſcriptione, cùm prior dominus non conſentiat in abdicandum à ſe dominium rei amiſſæ; ideò Juſtinianus novel. 9. vocat præſcriptionem: impium præſidium & improbam temporis allegationem.

Reſpondeo neg. min. nam non fit ei injuria, cùm in ipſa juris conſtitutione in finem boni publici poſt elapſum tempus ceſſet jus & dominium prioris domini; cùm dederit conſenſum in leges juſtas à communitate ponendas, & ſi non daret conſenſum, propter hoc juſtè in illo bono puniretur à communitate; hinc illa novel. ſolùm loquitur de improbis hominibus, & malæ fidei poſſeſſoribus, qui remedio præſcriptionis abutuntur contra Eccleſias.

Dices: fundamentum præſcriptionis eſt bona fides; ſed hæc ceſſat, ubi poſt præſcriptionem cognoſcitur res aliena: ergo pro tunc non erit juſta, ſed res debebit reſtitui.

Contra neg. min. nam illud fundamentum ſolùm fuit bona fides præcedens totum tempus præſcriptionis, quo elapſo, licèt ſciatur res eſſe aliena, non tamen fit mala fides, cum jam ſupponat rem præſcriptione factam eſſe propriam præſcribenti.

Dices: ſi judex innitens falſæ præſumptioni aut errori aliquam rem adjudicet alicui, talis poſſeſſio non ſubſiſtit, ita ut ſi ſciverit hic judicem erraſſe, teneatur in foro conſcientiæ reſtituere: ergo etiam idem erit dicendum de legiſlatore per legem præſcriptionis.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: tum quia judex non tribuit jus abſolutè novum, ſed tantùm declarat antiquum, & tribuit ſub conditione, ſi vera ſunt allegata, unde ſi in re nullum ante fuit, etiam declaratio nulla eſt; lex verò præſcriptionis legitimæ tribuit abſolutè jus novum præſcribenti ex authoritate publica id exigente bono communi: tum quia judicis eſt ſolùm procedere ſecundùm allegata & probata, Principis verò ob pacem publicam eſt applicare rerum dominia poſſeſſoribus etiam ſine culpa prioris domini, de quo tamen:

17 Objicies 2. C. *vigilanti.* de præſcript. dicit: *leges ad vitandam ſegnitiem inſtituerunt præſcriptionem:* ergo ceſſante hac culpa negligentiæ ex parte prioris domini, qui aliquando cum magna induſtria ſuas res cuſtodit, aut quærit, non valebit præſcriptio.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ex illo capitulo non refertur adæquata cauſa; cùm etiam ibi addatur altera cauſa, ſcilicet longi temporis

error, & confuſio dominiorum, quia cauſa etiam urget in illo, qui ſine oegligentia ſuas res amittit.

Dices: ubi oulla eſt culpa, ibi nolla eſt pœna; ſed lex præſcriptionis eſt pœnalis ob negligentiam civium ſuis rebus non attendentium: ergo ubi talis negligentia non eſt, non poterit valere præſcriptio.

Cootra diſting. min. eſt pœnalis ſecundariò trans. min. primariò oeg. min. primariò enim eſt lex conſtitutiva & directiva, ne incerta ſint rerum dominia.

Dices: ſi quis ſibi cooſcius de utilitate ſuæ profeſſionis eſt v. g. ex defectu cooſenſûs ob vim, metum, vel defectum ætatis noo obligatur in foro cooſcientiæ etiam poſt quinquennium licet Trid. Seſſ. 25. dicat: talem non eſſe audiendum poſt quinquennium: ergo nec præſcribens deobligabitur à ſeſtitutione poſt tempus elapſum, ſi ſciat rem ſioe culpa prioris domini eſſe apud ſe.

Cootra neg. cooſeq. diſparitas eſt: quòd lex humana ooo poſſit facere religioſum, qui religioſus oon eſt, cùm talis ſtatus pendeat eſſentialiter à conſenſu hominis volentis ſe obligare, quem cooſenſum nec poteſt Eccleſia ſupplere; ſicut non poteſt ſupplere conſenſum conjugum io matrimonio, ſi nullus fuit poſitus à cootrahentibus; aſt lex humana benè poteſt diſponere de bonis externis, cùm talis diſpoſitio cedat in bonum etiam ſingulotum: hinc ſolùm poteſt Eccleſia illi religioſo negare actionem in foro externo propter præſumptionem ratificatæ profeſſionis intrà illud quinquennium, & adeſt magnum periculum ſeipublicæ chriſtianæ; cùm quivis ſub hoc prætextu ſe poſſit excuſare ab obligatione profeſſionis; ideo prudenter & maturè ſtatuit Eccleſia certum tempus, infra quod poſſit agere, & probare ſuam cauſam, & hoc elapſo noo ampliùs.

18 Aſſeto 2. *Inter conditiones ad præſcriptionem requiſitas & aſſignatas in advertentiis & propoſitionibus, præſertim requiritur bona fides, ita ut leges civiles admittentes præſcriptionem cum mala fide pro toto imperio etiam quoad præſcriptiones actionum perſonalium ſint penitùs abrogatæ.* Deducitur ex Scoto in 4. D. 36. q. 1. §. *hic ſunt.* éſtque Haunoldi contra Practicum papinienſem, Covarruviam, Hoſtienſem, & Juriſtas multos.

Probatur 1. pars: nec in toto imperio poſſunt per leges peccata ſoveri, cùm tales leges eſſent irrationabiles, & difformes legi æternæ; ſed per leges præſcriptionis cum mala fide peccata foventur: ergo pro toto imperio ſunt abrogatæ. min. prob. tum quia ex C. *fin.* de præſcriptionibus: *quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica quàm civilis, cùm generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari;* unde oporret, ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte rei alienæ habeat conſcientiam: ergo totum Concilium agnoſcit peccata ſoveri per præſcriptiones malæ fidei: tum quia poſſeſſio malæ fidei eſt injuria inducens obligationem ſeſtituendi omne damnum ex iniqua detentione; nam licèt poſtea bona fides adveniret v.g. per oblivionem, cujus tamen aliquo modo eſt cauſa illa prior malæ fidei poſſeſſio, ſemper maneret obligatio reſtituendi rem poſſeſſam: ergo ſemper foveret peccatum injuriæ.

Probatur 2. pars: obligatio, quæ oritur ex æquitate juris naturalis, non aliter tollitur, oiſi per aliquem modum conformem ipſi juri naturali; ſed actio perſonalis v. g. ex mutuo, empto &c. naſcitur ex ipſa æquitate juris natuſalis: ergo oon tollitur niſi per modum aliquem ipſi naturali juri conformem, qualis eſſet remiſſio debiti: ſubſumo. ſed ſcienter non ſolvere debitum, quod omni jure tenetur, oon eſt modus conformis juri naturali ad conſequeodam liberationem ab actione creditoria pro ſuo debito, ſicut rem alienam ſcienter poſſeſſam noo reſtituere non eſt modus ſe liberandi à debito ſeſtitutionis: ergo etiam leges contra actiooes perſonales ex mala fide præſcribentes ſunt abrogatæ, cùm etiam hæ ooo minùs foveant peccata, ſicut priores. 19

Objicies tontra 1. partem: Gloſſa io C. *fin.* de præſcript. ſefert leges civiles præſcriptiooem cum mala fide admittentes etiam hodie in imperio, & Canones malam fidem excludentes in partibus Italiæ & locis Summo Pontifici quoad ſæcularem juriſdictionem ſubjectis vim obtinere: ergo non ſuot abrogatæ pro toto imperio. 20

Reſpondeo oeg. conſeq. quia licèt Gloſſa hujuſmodi ineptam ioterpretationem referat, eam tamen oon approbat, ſed reprobat, dum ultra dicit, unde potiùs ſtandum eſt Canoni quàm legi, quia præſcribens non excuſatur à peccato per rationem legis, & ideo Canon voluit propter periculum animarum in hoc leges corrigere, cùm io materia peccati totum imperium ſit ſubjectum regimini Canonico, licèt non ſervetur in judicio ſæculari, ſicut dicitur de legibus permittentibus uſuras, quæ hodie ooo tenent: in cæteris ergo, quæ jus Cæſareum conſtituit ad præſcriptionem, in quibus noo eſt periculum peccati, jus canonicum nihil immutavit, quia non habuit cauſam immutandi, cùm illis ſtantibus conſcientia non læditur.

Dices: leges civiles præſcriptionis in foro civili ita poſſunt ſervari, ut prior dominus, contra quem malâ fide præſcriptum eſt, in judicio coram ſæculari judice non audiatur, ſed exceptione præſcriptionis repellatur, licèt in conſcientia ſit obligatio reſtituendi: ergo non ſunt penitus abrogatæ. antec. prob. quia hoc ſolo

ſolô conſtitutô jam obtinetur finis reipublicæ, nempe litium diminutio, & negligentiæ caſtigatio; ſicut leges aliquando negant actionem, & tamen ſtat obligatio in conſcientia, ut etiam eſt illa lex, quæ ex nudo pacto negat actionem, licèt obligatio ſit in conſcientia.

Contra neg. antec. quia injuſtè repelleretur à judicio, & æquè daretur anſa peccatorum & multarum injuſtitiarum; nam multi cogitarent malâ fide præſcribere ſcientes, quòd non poſſint ampliùs in judicio conveniri, & dominus prior non poterit rem ſuam aliàs ſine adminiculo judici acquirere: hinc ad probam diſting. antec. hoc ſolo conſtituto obtinetur finis reipublicæ rationabiliter & juſtè neg. irrationabiliter & injuſtè conc. antec. ad paritatem autem de aliis legibus dico: quòd ſemper negent actionem propter aliquod delictum vel propter præſumptionem delicti in hac lege autem præſcriptionis potius faveretur delicto malæ fidei, quod eſt irrationabile & injuſtum; in nudo ergo pacto, cùm non ſit adhuc ulla res translata & poſſeſſa, non contingit tanta injuria & damnificatio, ſicut in malæ fidei præſcriptione, ideo benè poteſt hoc ob melius bonum reipublicæ, ne multiplicentur lites, ſtatui, & quia id jus ſtatuit expreſsè, ideo ex pactis excipientes ſunt in bona fide, non autem quid ſimile eſt expreſsè ſtatutum de præſcriptionibus ex mala fide, ideo hic daretur anſa peccatorum, non vero ibi.

Dices: Comes quidam malâ fide poſſedit arcem quadraginta annis, moriens inſtituit filium ſuum hæredem, qui eandem arcem incepit poſſidere titulo hæreditatis, putans ſe bonæ fidei eſſe poſſeſſorem, ſemel autem devenit in ſui patris litteras, ubi invenit patrem fuiſſe malæ fidei poſſeſſorem; ſed talis filius juſtè præſcribit, licèt poſtea ſupervenerit mala fides, quia ab initio hæreditatis aditæ adfuit
22 bona fides in filio: ergo.

Contra neg. min. quia in conſcientia ille filius debet conſtituere arcem vero domino; nam etiam mala fides anteceſſoris nocet ſucceſſori univerſali, & quà hæredi immediato, eò quòd principium & finis poſſeſſionis debeat habere bonam fidem; excipe tamen, niſi filius per triginta annos jam poſſediſſet arcem, quia tunc habuiſſet bonam fidem toto tempore ad præſcribendum requiſito; quando autem jura dicunt hæredem malâ fide poſſidere, eò quòd repræſentet perſonam defuncti, hoc verum eſt, quatenus illius poſſeſſio continuatur cum poſſeſſione defuncti, non verò, quatenus continuatur per ſe, ut incipiens ab hærede; unde talis non eſt mala, ſed præſumpta fides. Dixi ſucceſſori univerſali, & quà hæredi; quia ſi hæres ex alio titulo ſuperveniente, v. g. legati, donationis &c. poſſideat rem à defuncto malâ fide poſſeſſam, poteſt à puncto acquiſiti tituli poſſeſſionem computando præſcribere; excipiuntur tamen res immobiles, quia in his mala fides authoris nocet etiam ſucceſſori particulari, ſi rem alienavit ignorante domino, idque jure novo Cod. de præſcriptione longi temporis, ne ſcilicet præſcribat tempore ordinario trium vel decem annorum, non tamen nocet, quò minùs præſcribat tempore extraordinario ſcilicet triginta vel quadraginta annorum.

Dices: Qui rem aliquam bonâ fide poſſidere cœpit, & poſtea dubitat, utrum res ſit ſua, ſi poſt diligentiam debitam non poſſit vincere dubium, tamen præſcribit; ſed hic eſt dubium practicum, quod æquivalet malæ fidei: ergo.

Contra conc. maj. neg. min. quia ſolùm eſt dubium ſpeculativum, & veritas practica, cùm ſe reſolvat; quòd melior ſit conditio poſſidentis; nam tamdiu eſt quis poſſeſſor bonæ fidei, quamdiu ſe alienum poſſidere ignorat, ut loquitur C. *fin.* de præſcript.; ſed ille dubius hoc ignorat, & licèt hoc dubium obſtitiſſet in principio poſſeſſionis, non tamen obſtat in progreſſu poſſeſſionis bonæ fidei, quia ab initio non habuiſſet hoc munimen bonæ fidei, interim tamen ille poſſeſſor ſupervenienti dubio non debet credere ex errore, quòd ſit obligatus rem poſſeſſam dimittere; nam ſic præſcriptio interrumperetur, atque rem retineret cum peccato, ſicut nec præſcribit ille, qui in medio poſſeſſionis per litis conteſtationem vocatur ante judicem competentem nondum elapſo tempore præſcriptionis, quia incipit habere malam fidem.

Dices: Petrus emit à religioſo equum, neſciens, quòd religioſus non poſſit vendere, hoc equo utitur pluribus annis cum fructu; prælatus verò hoc reſciens petit equum cum fructibus; ſed Petrus juſtè negat equum dicens: ſe præſcripſiſſe, licèt cum ignorantia juris, quòd religioſus non poſſit vendere, quæ ignorantia juris æquiparatur malæ fidei, cùm debeat quis jus clarum ſcire: ergo valet præſcriptio.

Contra neg. min. nam tenetur equum reſtituere, vel enim Petrus neſcivit vincibiliter, vel invincibiliter? ſi primum: ergo obeſt bonæ fidei; quia ignorantia vincibilis ſive juris ſive facti ſemper obeſt bonæ fidei, & conſequenter præſcriptioni; cùm in tali ignorantia intercedat omiſſio debitæ diligentiæ in inveſtiganda veritate, ideo ſemper eſt conjuncta cum peccato: ſi ſecundum, etiam obeſt bonæ fidei, quia eſt ignorantia juris clari, quam jura non permittunt prodeſſe, niſi aliquibus perſonis, ut militibus, minorennis, & in aliquibus caſibus ruſticis & fæminis, cùm aliàs homines manerent negligentes in ſciendis illis, quæ neceſſariis juribus ſunt ſtatuta ad bonum publicum, & homines facilè talem ignorantiam præ-

prætendere poſſent, & ſic judiciorum & legum ordo turbaretur.

21 Objicies contra 2. partem: cit. C. *fin.* juris can. ſolùm loquitur de præſcriptione rerum, quæ poſſidentur & detinentur: ergo nihil correxit quoad alias præſcriptiones actionum ſcilicet perſonalium.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illius cap. eadem eſt ratio de peccato, & univerſaliter loquitur de præſcriptionibus cum mala fide ſive rerum ſivè actionum; imò etiam debita, circa quæ ſunt actiones, dicuntur ſuô modô poſſideri, quatenùs ſcilicet eſſent ſolvenda, & non ſolvuntur.

Dices; quamdiù creditor non exigit debitum, tam diu debitor non peccat ſolvendo: ergo abſque peccato poterit præſcribere actionem creditoris.

Contra neg. antec. & conſeq. vel enim debitum eſt contractum in certum diem? & tunc licèt creditor non urgeat ſolutionem dies tamen interpellat pro creditore, & ſic debitor eſt in mora, culpamque committit: vel debitum eſt indefinitè contractum? & tunc vel eſt ex tacita intentione in illud tempus contractum, quod ſolet ex conſuetudine & uſu obſervari, & ſic iterum elapſum tempus interpellabit; vel ad minimum ſubeſt hæc conditio: quando creditor exiget, & ſic nunquam præſcribitur, quia ſemper manet obligatio, quamdiu manet poteſtas exigendi in creditore vel hæredibus, quibus deficientibus deficiet quidem obligatio, ſed non vi præſcriptionis, ſed vi nullius domini, ut patet: imò in hoc caſu ad præſcribendum requireretur animus recuſandi ſolutionem, & ſic inchoandi poſſeſſionem; ſecus autem eſſet, ſi toto illo tempore exiſtimavit ſe nihil debere, credens debitum jam eſſe ſolutum; vel ſi eo tempore de debito nihil cogitavit; tunc enim debitor poſſet præſcribere; nam debita rerum mobilium & immobilium ſpatio trium annorum poſſunt præſcribi cum bona fide, ut habetur L. *ſicut in rem.* C. de præſcript. triginta vel quadraginta annorum.

Dices: is, cujus bona per legem pœnalem adjudicata ſunt fiſco, ejus hæredes præſcribunt contra actionem fiſci, cùm tamen ſciant bona ſua deberi fiſco: ergo aliquando cum mala fide currit præſcriptio contra actiones.

Contra neg. conſeq. nam licèt juriſtæ dicant: talem habere malam fidem, rectiùs tamen ſecundùm Theologos habet bonam fidem, non quidem, quaſi ſibi perſuadeant hæc bona abſolutè & pleno jure eſſe ſua, ſed qua judicent licere ſibi ea retinere, donec per fiſcum auferantur, & ſe non teneri ea fiſco offerre.

Dices: poteſt quis præſcribere præſcriptione ſaltem impropriâ contra eum, qui habet jus ſervitutis ruſticæ in alicujus prædio, etiamſi ſciat illum hoc jus habere: ergo cum mala fide currit contra alterius actionem.

Contra neg. conſeq. nam non eſt mala fides, quia aliud eſt acquirere jus aliquid agendi in re alterius, & aliud extinguere jus, quod alter habet in re mea ratione prædii ruſtici; nam hoc nil aliud eſt, quam præſcribere libertatem mearum rerum, quod fieri poteſt, licèt ſciam alterum habuiſſe jus, v.g. tranſeundi per hortum meum cùm non requiratur ullus actus in me, ut ego contra jus illud præſcribam, ſed ſufficiat, quod ipſe jure ſuo certo tempore non utatur, ubi nihil facio illicitum, nec aliquid omitto, quod debeo, non enim teneor illum monere, ut utatur jure ſuo, ideo bonâ fide ſino illum non uti jure ſuo, & mihi libertatem oriri. Imò etiam de ſervitutibus ita ſtatuunt leges, eo quod domino non utente, dum eſt occaſio utendi, videatur habere ſervitutem pro derelicta, quod non poteſt dici de debitis ſolvendis, ubi ſemper eſt obligatio aliquid agendi, ſcilicet ſolvendi; hinc nec poſſum præſcribere in ſervitutibus, quando alter habet jus non quidem aliquid faciendi circa meam rem ſed ut ego aliquid non faciam, v. g. ne altius ædificem, ne feneſtras in ejus hortum aperiam, nam tunc, ut extinguam jus alterius, requiritur, ut bonâ fide faciam contrarium, & ille per certum tempus non contradicat.

Dices: Licèt prælatus Eccleſiæ habeat malam fidem, non tamen impedit, quò minùs Eccleſia præſcribat bona & actiones contra Eccleſiam, ut communiter tenent DD. ergo.

Contra conc. antec. neg. conſeq. quia illa mala fides prælati non eſt poſſeſſoris, ſed ſolùm adminiſtratoris honorum Eccleſiæ; unde ſicut mala fides tutoris non impedit præſcriptionem pupilli, ita nec mala fides prælati, obligatur tamen prælatus ſatisfacere parti læſæ pro damno, & antequam compleatur præſcriptio, tenebitur curſum interrumpere manifeſtando rem eſſe alienam.

Addo poſt omnino completam præſcriptionem dari adhuc tamen remedium ſeu beneficium juris recuperandi dominium rei præſcriptæ, & dicitur reſtitutio in integrum authoritate judicis facta; hoc tamen privilegium à jure non conceditur omnibus, ſed ſolùm aliquibus perſonis, primo minoribus, qui nondum vigeſimum quintum ætatis annum compleverunt, ratione fragilis ætatis, & hoc licèt etiam ipſis ſcientibus, ac reſiſtere nolentibus ſit facta præſcriptio: Secundò Eccleſiis & piis locis, etſi ſit præſcriptio quadraginta annorum, conceditur autem per quadraginta annos, poſtquam ſciverint completam præſcriptionem: Tertiò conceditur etiam quandoque majoribus cum hac tamen differentia, quod in minoribus & Eccleſiis non requiratur alia cauſa, in majoribus verò requiratur juſta & probabilis ignorantia, quod omnino ſine ſua negligentia ſit facta præſcriptio, vel ex alia juſta cauſa. 22

cauſa, ut habetur *L. 1. ff.* quibus ex cauſis; imò majoribus non conceditur niſi in præſcriptione decem vel viginti annorum, minoribus verò & Eccleſiis etiam in quadraginta annorum.

DISTINCTIO IX.

De Juſtitia modi acquirendi jure privato contrahentium rerum dominia, ſeu potiùs de modo transferendi dominia per contractus ut ſic.

QUÆSTIO I.

Quid requiratur ad valorem contractûs, & quomodo firmetur juramento?

1 ADvertendum eſt 1. ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo.* aliquam translationam vel accommodationem eſſe, quæ non eſt merè liberalis, ut eſt donatio, ſed ubi transferens exſpectat aliquid æquivalens ei, quod transfert, & dicitur propriè contractus; quia ibi ſimul trahuntur voluntates partium; trahitur enim iſte ad transferendum in illum à commodo, quòd exſpectat ab illo: hujusmodi ergo contractus, in quibus transferuntur dominia, quidam ſunt rei utilia pro utili immediatè ſicut vini pro blada, & dicitur rerum permutatio, ſeu do, ut des: quidam verò rei utilis pro numismate, id eſt, pro pecunia, vel viciſſim, quia cum difficile erat res uſuales immediatè commutare, ideo inventum eſt medium, per quod tales commutationes facilè fierent, & dicitur emptio vel venditio; quidam tandem eſt numismatis pro numismate, & dicitur mutui datio vel mutui acceptio; his ergo tribus contractibus transfertur dominium, & eis alii correſpondent contractus, in quibus ſolùm transfartur uſus retento dominio; hinc rerum permutationi reſpondet commodatio, amptioni conductio, venditioni locatio, mutuationi autem nihil propriè. Hæc Scotus; de his ergo contractibus, & adhuc aliis apud jurisperitos ſolemnioribus in particulari per ſequentes diſtinctiones tractabimus, ut autem eo melius eorum naturas in particulari pertractare poſſimus, priùs naturam contractûs ut ſic in præſenti diſt. inveſtigabimus. Undè

2 Advertendum eſt 2. ex priori advert. non obſcurè liquere contractum aliquando accipi poſſe latè, prout etiam ſimplici pacto convenit, aliquandò ſtrictè, prout à pacto differt; latè ſumptus definiri poteſt: *Quòd ſit duorum vel plurium in idem conſenſus*, ut habetur *L. 1. ff.* de pactis. ſivè fiat cum translatione aut obligatione ex parte unius, ſive non, ſic donatio incepta per traditionem rei eſt contractus; quia eſt conſenſus duorum unius dantis, & alterius accipientis in translationem dominii, & tamen nullam ex parte utriusque obligationem importat, ſi vero donatio ſumat initium per promiſſionem, reſultat ex parte promittentis obligatio, non vero ex parte promiſſarii: econtra contractus ſtrictè ſumptus definitur: *Quòd ſit conſenſus mutuus ſigno ſenſibili expreſſus utrinque pariens obligationem ad aliquid dandum vel agendum.* Vel ut definitur L. *labeo. ff.* de V. S. *Quòd ſit ultro citroque obligatio:* dicitur primò conſenſus mutuus; quia ad contractum non ſat eſt conſenſus unius, ſed requiritur & acceptatio alterius, cùm contractus ſit actus juſtitiæ, qui non niſi inter duos eſſe poſſit: dicitur ſecundò ſigno ſenſibili expreſſus; quia nullus contractus hominem homini obligat, niſi more humano celebratus, hoc eſt, per actus humanos ſenſibiles: dicitur tertiò: utrinque pariens obligationem. Per quod à ſimplici pacto differt; nam pactum ſubſiſtit, etſi nulla, vel ſolùm ex parte unius reſultet obligatio; contractus vero præſertim oneroſus & reſpectivus ex parte utriusque contrahentium parit obligationem, licèt in contractu gratuito ſit promiſſario liberum etiam renuntiare promiſſionem acceptatam, cùm ad eam exigendam nullo titulo juſtitiæ teneatur.

Advertendum eſt 3. contractum variè dividi: primò in expreſſum. & tacitum: primus 3
eſt, qui expreſſo contrahentium conſenſu perficitur, ut emptio, venditio &c. Secundus eſt, qui lege inducitur ob aſſumptionem alicujus officii, v. g. qui aſſumit officium judicis, vel tutoria, ex juris diſpoſitione eſt obligatus ad officium debitè exercendum: Secundò in lucrativum & oneroſum: lucrativus eſt, qui uni parti obligationem, & alteri commodum affert, ut eſt donatio, ſtipulatio &c. oneroſus eſt, in quo ex parte utriusque contrahentium reciprocum onus imponitur, ut emptio, venditio, locatio, depoſitum, pignus, mandatum, ſocietas, permutatio &c. tertiò in contractum bonæ fidei & ſtricti juris: primus eſt, in quo judex poteſt multa arbitrari ex æquo & bono contra aliquam partem, licèt hæc non ſint in ipſa conventione expreſſa; contractus ſtricti juris eſt, in quo judex obligatur ad verba contrahentium ſecundùm rigorem juris & pacti adſtringendo partes ipſi conventioni, quam juſtitia, & epicheja patitur, ut ſunt liberales promiſſiones, donatio, mutuum, feudum &c. in quibus rationi conſentaneum eſt, ut non fiat lata interpretatio in præjudicium liberaliter dantis, feudantis &c. ſed ſtrictè ſecundùm rigorem juris & verbo-

 tum

rum: Tertiò in contractum nominatum & innominatum: Primus eſt, qui habet proprium nomen in jure, ut emptio, locatio &c. alter, qui non habet nomen determinatum, tales quatuor numerantur ſcilicet: do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias: præterea hi contractus differunt, quod de jure civili in contractibus nominatis non liceat pœnitere; id eſt, à contractu reſilire altera parte non conſentiente, benè vero in contractibus innominatis, ita, ut etiam is, qui ex ſua parte implevit contractum antequam alter impleat, poſſet integrè reſilire, & ſi quid jam ſolvit, datam pecuniam repetere, dummodo alterum ſervet indemnem in expenſis, quas fortè etiam fecit: quartò in pactum nudum & veſtitum: primum eſt, quod ſimplici pactione conſtituitur abſque juris civilis confirmatione: Secundum eſt, quod jure confirmatur; modi autem, quibus pactum veſtitur, ſunt primo nomina ſpecifica, quæ habentur in jure; unde contractus innominati ſunt nudi, niſi perficiantur, per traditionem rei promiſſæ, ſecundò, ſi accedat ſtipulatio, eſt autem ſtipulatio contractus verbis initus interrogatione præcedente, eámque reſponſione congrua in continenti ſubſequente, quo reſpondens interroganti ad aliquid obligatur, v. g. ſi unus de contrahentibus interrogat de obligatione, v. g. fide ne jubes vel promittis daturum? & alter reſpondet: fidejubeo, promitto &c. & ſic pactum veſtitum ſtipulatione jam parit actionem in judicio, tertiò, ſi accedit privilegium juris, quomodo veſtiuntur promiſſio acceptata, de tradenda dote, de ſolvendo debito, quartò, ſi accedit juramentum. De quo

4 Advertendum eſt 4. ex Scoto in 3. D. 39. q. un. de variis juramentis colligi juramentum, quod veſtit, & firmat contractum non eſſe juramentum aſſertorium, quô quis jurat donare, vel vendere, ſed promiſſorium, quô quis jurat ſe contractui ſtaturum; nam primum, cùm ſit ſolùm aſſertorium ejus, quod fit, non impedit, quin contractus reſcindi poſſit; hi autem effectus, juramentum valere, & juramento firmari contractum, ſunt ſeparabiles, nam licèt ſemper valeat contractus, quando firmatur juramento, non tamen ſemper juramentum, quoties valet, firmat contractum; quia juramentum valet, quoties eſt obligatio ex virtute religionis ſervandi contractum, ſcilicet propter honorem teſtis divini, etiamſi nulla accedat obligatio juſtitiæ, nec alteri ſit jus acquiſitum, firmat verò contractum, quando vi juramenti reſultat obligatio non tantùm ex religione, ſed etiam ex juſtitia, & jure acquiſito, quod ſine juramento non contigiſſet: ex quibus patet, juramentum poſſe adjici contractibus firmis, & infirmis; ſi adjicitur contractui naturâ ſuâ firmo, v. g. ſponſalibus, non operatur alium effectum, quàm quod præter obligationem juſtitiæ, etiam producat obligationem religionis, ut contractus ſine ſacrilegio violari non poſſit, & ſic dicitur ſequi naturam contractus; hinc ſi ex juſta cauſa ſponſalia ſolvi poſſunt, poterunt etiam ſolvi ſponſalia jurata, & ſolùm ideo adjicitur, ut ſi quem fortè turpitudo injuſtitiæ non ſatis terreret à violando contractu, ſaltem gravitas ſacrilegii retrahat: contractus ergo infirmi dicuntur, quibus jura non aſſiſtunt, quòd variè fit, primò: quando leges irritant contractum ſolùm quoad obligationem civilem relicta obligatione naturali, & conſcientiali in ſuo valore: ſecundò, quando etiam irritant illum quoad obligationem naturalem: Tertiò, quando contractum irritant, in certis tamen caſibus propter reverentiam juramenti contractum juratum validum eſſe jubent, ut eſt contractus minoris de re mobili non requirente decretum judicis ſine authoritate curatoris, renuntiatio futuræ ſucceſſionis in paternitate, donatio inter patrem & filiumfamilias, inter virum & uxorem, alienatio fundi dotalis, donatio propter nuptias, ut communiter DD. quartò tandem infirmi ſunt, quando leges etiam adjecto juramento nolunt reſultare obligationem juſtitiæ, licèt reſultet obligatio religionis, his præmiſſis:

Propoſitio 1. *Contrahere & paciſci poſſunt omnes, qui poſſunt conſentire, & quibus non eſt prohibitum.* Ratio eſt; quia contrahere eſt de jure naturæ permiſſivo: ergo omnibus ſufficientem uſum rationis habentibus id eſt permiſſum; prohibentur tamen aliqui paciſci, vel à natura, vel lege: à natura infantes, perpetuò amentes, furioſi extra lucida intervalla defectu uſûs rationis ad conſentiendum. Item conjunctim mutus & ſurdus à nativitate, cùm alterius cum ipſo contrahentis mentem non poſſit percipere, nec ſuum conſenſum debitè explicare: à lege autem prohibentur impuberes abſque authoritate tutoris, niſi contrahendo conditionem ſuam faciant meliorem; minorennes ante vigeſimum quintum annum ſine authoritate curatoris, ſi quem habent, niſi quoad ea, quæ præcisè ſuam perſonam concernunt, non vero de bonis ſuis, ſic ſi minorennis eſt opifex, poteſt ſuas operas locare, non tamen ſua bona permutare, item prodigus, quamvis enim hic ſtipulando poſſit acquirere, non tamen poteſt obligari. 5

Propoſitio 2. *De omnibus rebus honeſtis & poſſibilibus, quæ in commercio hominum ſunt, poſſunt propriè contractus iniri.* Ratio eſt; tum quia, quæ ſunt inhoneſta contra leges & bonos mores nullam habent vim, ut ſtatuitur C. de pactis: tum quia ad impoſſibilia nemo poteſt obligari, etiam nec ad impoſſibile moraliter, quod difficillimè poteſt fieri: tum quia de influxu ſtellarum, de aëre, quæ non ſunt in commercio hominum, ſed tam hominibus, 6

quàm

quàm beſtiis propria exiſtunt, non poſſumus paciſci; nec de locis communibus & publicis poſſunt privati contrahere; nec de rebus propriè ſacris, quæ ſunt juris divini, poſſunt homines propriè contrahere ſine labe ſimoniæ; imò nec factum alienum poteſt quis promittere, licèt valeat promiſſio ſe effecturum; ut alius aliquid faciat, vel det, talis enim magis proprium quàm alienum factum ſpopondiſſe videtur; ſic communiter, ſi quis electori donat ad ejus animum, ut ſe in officium eligat, valet donatio etiam fine non ſecuto.

7 Propoſitio 3. *Contractibus naturale eſt, & ideo tacitè ineſt obligatio evictionis rei, de qua contrahitur.* Ratio eſt; quia de natura contractus eſt res invicem ſine damnificatione alterius ad quietam poſſeſſionem transferre: ergo ſi res illa ab aliquo tertio vindicata, ſeu tanquam ſua repetita fuerit, obligabitur contrahens de evictione hujus rei; licèt talia evictio non fuerit expreſſa in pacto; interim tamen voluntate contrahentium poſſet mutari & tolli citra ſubſtantiam contractûs talis obligatio; quia poſſent partes expreſsè remittere obligationem evictionis, niſi fortè quis verè ſciens alienum vendiderit.

8 Propoſitio 4. *Omne pactum etiam nudum liberè factum parit obligationem naturalem, ſeu in foro conſcientiæ, ut parte invita non poſſet reſcindi, ita ut ex tali pacto nudo in jure Canonico detur actio, id eſt jus perſequendi, & exigendi in judicio illud, de quo contractum fuit.* Ratio primi eſt: quia ad obligandum ſe ſufficit animus verbis expreſſus & acceptatus: ergo de jure naturæ debet quis ſtare ſuis promiſſis, nec refert, an pacto nudo an veſtito promiſerit; quia jure naturæ & gentium nulla eſt inter hæc diſtinctio: ratio ſecundi eſt, quia pactum nudum circa materiam gravem & notabilem obligat in conſcientia ſub mortali; ſed Eccleſia poteſt procedere in judicio ſuper quolibet peccato mortali, ut peccatores revocet à vitiis: ergo.

9 Propoſitio 5. *Nudum pactum in foro civili ſecundùm jus commune non parit obligationem, ita ut nec ei detur actio.* Ratio eſt; quia licèt jus civile non reſiſtat talibus contractibus eos irritando, noluit tamen etiam eis aſſiſtere concedendo actionem, ne lites multiplicarentur; unde clarè dicit L. *juriſprudentium*, ff. de pactis. *Nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem.* Dixi ſecundùm jus commune; quia ſecundùm hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo, prout multi juriſconſulti interpretantur, idque meritò, ne forum externum diſcordet ab interno ſine ſufficienti ratione.

10 Propoſitio 6. *Non obſtante jure communi adhuc tamen quoſdam notabiles effectus nuda pacta ſortiuntur in foro civili.* Ratio eſt; quia juxta juriſtas nuda pacta inprimis pariunt exceptionem in foro externo, mediante quâ poſſit quis ſe defendere ab actoria petitione, & eum repellere; unde, ſi Cajus promiſit Titio centum aureos dare mutuò, non poſſet quidem vi hujus nudæ promiſſionis de rigore juris communis Titius actione intentata dictos aureos petere in judicio, ſi tamen Titius aliunde debeat Cajo centum, & hos Cajus repetat in judicio, poſſet Titius eum repellere exceptione mutui promiſſi, & nondum dati: ſecundò impediunt debiti ſoluti repetitionem; unde quod ſemel ex tali pacto ſolutum eſt, poteſt retineri non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam pro foro externo: tertiò tribuunt jus compenſandi adeò, ut poſſet debitor facere compenſationem in eo, quod ſibi ex pacto nudo creditor debet, neque in foro externo compelli poſſet plus ſolvere quam exceſſum: quartò quibuslibet pactis poteſt accedere fidei juſſor, & hic efficaciter obligari, ita, ut quamvis ex pacto nudo non detur actio civilis adverſùs ipſum paciſcentem, hæc tamen detur adversùs fidei juſſorem pro pacti talis adimpletione datum.

Propoſitio 7. *Juramentum factum contra* 11
prius juramentum non poteſt validare contractum. Ratio eſt; quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec obligat ad rem illicitam, cum DEUS non debeat vocari in teſtem pro re illicita; ſed ſi juramentum factum contra prius juramentum confirmaret contractum, eſſet vinculum iniquitatis, & obligaret ad rem illicitam, cùm juramentum poſterius contra prius ſit perjurium; frangit enim juramentum prius; ſic ſponſalia jurata impediunt valorem ſequentium ſponſaliorum, & res DEO per votum vel homini juramento promiſſa non poteſt alteri validè promitti, eò quòd ſequens promiſſio ſine peccato & injuria prioris promiſſarii ſervari non poſſit: nihilominus addit Haunoldus contractum aliquando ſubſiſtere, & confirmari juramento contra prius juramentum non contrahendi, ſi duæ adſint conditiones: prima ut contractus poſterior ſit per ſe validus etiam ſine juramento: ſecunda ut poſterior contractus ſit alterius rationis quàm prior juratus, ut ſi poſterior contractus eſſet matrimonii de præſenti, & prior ſolùm ſponſaliorum; licèt enim ſecundum juramentum ſit illicitum, res tamen, quæ juratur, non eſt per ſe illicita; ſic enim etiam primum juramentum poteſt aliquando illicitè fieri, & tamen obligare, ſi res jurata non ſit mala.

Propoſitio 8. *Juramentum valet, & ſer-* 12
vari debet, quoties res juramento promiſſa ſine peccato promittentis impleri poteſt. Ratio eſt; tum quia reverentia & honor divini Nominis poſtulat, ut ex parte noſtra curemus hoc verum efficere, in cujus veritatem teſtem DEUM aſſumpſimus: ergo ſi promiſimus v. g. certam pecuniam ſolvere, tenemur ſolvere, ne DEUS fuerit aſſumptus in teſtem falſi; & hoc etiam verum eſt, ſi quis cum juramento pro-

promiſit latroni vel uſurario pro vita redimenda centum ſolvere, licèt latro vel uſurarius ex juſtitis teneatur reſtituere, ut habetur C. *debitorm.* de jure jurando. Dixi, ſi ſine peccato adimpleri poteſt; quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis, & Herodiana religio eſſet propter jusjurandum occidere innocentem.

Propoſitio 9. *Juramentum de re licita ſer-*
13 *vari non debet, ſi vel promiſſarius remittat, vel legitimus Superior diſpenſet in juramento, vel ſi dolus aut error ſubſtantialis dedit cauſam contractui.* Ratio primi eſt; quia juramentum veluti acceſſorium ſequitur naturam contractûs, ſuper quem cadit, ſi ergo promiſſionis obligatio tollitur remittente promiſſario, etiam vinculum juramenti tollitur; quia à DEO non niſi conditionatè acceptatur, quamdiu voluntas promiſſarii non mutatur, ad quem promiſſio per ſe dirigitur: ratio ſecundi eſt; quia voluntates contrahentium ſunt moraliter ſubjectæ legitimo Superiori, qui, ſi moraliter immutet eorum voluntates, DEUS quoque juramenti obligationem relaxat ſub hac conditione acceptati, quamdiu voluntates contrahentium moraliter & legitimè non mutantur: ratio tertii eſt; quia juramentum ſequitur naturam contractus, & ſicut ubi eſt dolus aut error ſubſtantialis, deeſt ſufficiens voluntarium ad contractum, ſic pariter deeſt ad vinculum juramenti. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Ad valorem contractûs*
14 *requiritur conſenſus verus externè expreſſus, & voluntarius deliberatum in rem contrahendam, nec ſufficit ſubreptitium.* Eſt Scoti in 4. D. 26. q. un. *§. ad probationem.*

Probatur 1. pars: conſenſus ſimulatus jure naturæ invalidat contractum: ergo verus debet adeſſe conſenſus. antec. prob. ad hoc, ut aliqua res transferatur, requiritur voluntas transferentis; nam res ſe ipſam non transfert; ſed qui habet conſenſum ſimulatum, non vult rem transferre: ergo min. prob. per conſenſum ſimulatum non intendit ſe quis obligare; ſed ſolùm ſe obligare ſimulat; ſed omnis contractus validus dicit obligationem, cùm ſit quaſi ſimul tractus duarum voluntatum, ut loquitur Scotus: ergo.

Probatur 2. pars: omnis contractus hu-
15 manus obligans ex perfecta juſtitia non obligat, niſi altero acceptante obligationem; ſed nemo poteſt obligationem acceptare, niſi externis ſignis manifeſtatam: ergo min. prob. nullus poteſt acceptare, niſi quod prætognovit, cùm acceptatió ſit actus voluntatis, quæ ſupponit rei acceptandæ notitiam; ſed non poteſt cognoſcere, niſi manifeſtetur ſenſibiliter: ergo unde diſcrimen eſt inter contractum cum Deo & homine factum, quod ille obliget ſolo actu interno factus, ut conſtat de voto, hic autem non niſi actu externo; Deus enim intuetur cor, homo autem non videt, niſi quæ foris patent 1. Reg. 16.

16 Probatur 3. pars: per contractum obligatur homo homini ſub mortali, maximè, ſi ſit materia gravis; ſed non poteſt homo homini obligari ſub mortali, niſi habito voluntario deliberato, inſufficiente voluntario ſubreptitio & erroneo: ergo. maj. ſupponitur, min. prob. dum fit obligatio DEO in materia gravi, requiritur voluntarium deliberatum, & non ſufficit ſubreptitium: ergo pariter, ſi fiat obligatio homini in materia gravi requiritur voluntarium deliberatum, & ſicut non obligat votum ex ſubreptione emiſſum, etſi ſit de materia gravi ob defectum voluntarii deliberati, ita nec
contractus &c. 17

Objicies: tota vis obligandi in contractu eſt ab actu interno, expreſſio autem exterior ſolùm requiritur, ut poſſit acceptari; ſed acceptatio jure naturæ non eſt neceſſaria ad obligationem: ergo conſenſus non debet externè eſſe manifeſtus.

Reſpondeo diſting. maj. tota vis obligandi ex juſtitia eſt ab actu interno neg. tota vis obligandi ex veracitate trans. maj. diſting. min. acceptatio non eſt jure naturæ neceſſaria ad obligationem juſtitiæ neg. min. ad obligationem veracitatis trans. min. hinc quidquid ſit, an tota ratio formalis obligandi ſit à voluntate interna requiritur tamen neceſſariò aliqua expreſſio externa, ſive ut conditio, ſive ut ratio formalis pro obligatione juſtitiæ; quia hæc non obligat niſi in altero ſit jus acquiſitum, hoc autem non requiritur, niſi libero conſenſu acceptantis; unde nemo ex juſtitia obligatur ad ſolam internam promiſſionem etiam cum animo ſe alteri obligandi, niſi fuerit ſignis expreſſa & acceptata.

Dices: obligatio interna jam addit aliquid ſupra nudum propoſitum; ſed hoc non poteſt eſſe niſi aliquid pertinens ad juſtitiam, cùm ſit ad alterum: ergo ſi addit obligationem, hæc eſt ex juſtitia.

Contra neg. min. quia juſtitia nunquam obligat, niſi in altero ſit jus acquiſitum, hoc eſt, non acquiritur; ni ſi libero conſenſu acceptantis.

Dices: ſolo actu interno poteſt amitti dominium: ergo & acquiri. conſeq. patet: quia ſe eo modo habet actus internus ad acquirendum, quo modo ad amittendum: ergo.

Contra neg. conſeq. quia plura requiruntur ad comparandum dominium, quàm amittendum; ſicut plura ad rem producendam quàm deſtruendam; nam ad deſtructionem ſufficit defectus unius cauſæ vel conditionis, ad productionem verò requiruntur omnes cauſæ & conditiones.

Dices: ſaltem conſenſu ſimulato poteſt res alteri tradi; ſed traditio facit rem ſub alterius eſſe dominio: ergo non requiritur conſenſus verus min. prob. leges judicant de actu exteriori & traditioni ſuffragantur, licèt ſimulato animo ſit facta: ergo.

Contra diſting. min. facit rem ſub alterius dominio in foro fori conc. in foro poli neg. min. verum quidem eſt, quòd leges legitimum

mum proclament contractum, ubi traditio facta eſt ſimulato animo cum debitis tamen ſolemnitatibus à jure præſcriptis, & ideo talis à foro fori compelli poteſt ad contractum ſervandum, in foro tamen conſcientiæ nullus obligatur ad illum ſervandum; quare ſi talis ſimulatus conſenſus verè innoteſcat acceptanti, incipit eſſe malæ fidei poſſeſſor, & obligatur ad reſtitutionem.

Dices: ſaltem dantur contractus de rebus, quæ ignorantur: ergo non eſt neceſſarium voluntarium deliberatum. antec. prob. per contractum emptionis poſſunt obtineri theſauri & mineralia foſſibilia; ſed hæc latent & ignorantur, & ideo nec poſſunt cadere ſub voluntario, quod requirit præcognitionem: ergo.

Contra diſting. antec. dantur contractus de rebus, quæ ignorantur & genericè & ſpecificè & numericè neg. quæ ſolùm uno iſtorum modo ignorantur conc. antec. licèt enim theſauri & mineralia in particulari ignorentur, de eis tamen aliquando habetur notitia generica, vel ſpecifica, ſi enim prorſus nulla haberetur notitia, nullus erit contractus, quia leges non admittunt, ut quis de monte aureo in concavo lunæ incluſo faciat contractum legalem.

18 Aſſero 2. ad quæſt. *Juramentum habet vim ſolos contractus humano jure irritos firmandi, qui aliàs ſupponuntur naturaliter validi.* Deducitur ex Scoto in 3. D. 39. q. un. §. *de tertio articulo.* éſtque Haunoldi & aliorum contra Baſilium Pontium.

Probatur primò: juramentum non poteſt contractum firmare, qui quoad ſubſtantiam eſt nullus: ſed omnis contractus quoad ſubſtantiam irritus, naturaliter eſt nullus: ergo talis nequit firmari juramento: ſubſumo: ſed juxta communem juramentum habet vim firmandi contractus: ergo ſolos jure humano irritos. maj. prob. juramentum non tribuit primum eſſe ſubſtantiale contractui, ſed ſupponit, cùm juramentum ſupponat rem ſeu fundamentum, ſuper quod cadit, aliàs inaniter fieret juramentum: ergo antec. ultra prob. ſubſtantiale primum & intrinſecum contractûs ſunt voluntates contrahentes; ſubſtantiale verò ſecundum & extrinſecum eſt voluntas Principis; ſed nihil horum fit per juramentum, ſed ſupponitur: ergo juramentum non tribuit primum ſubſtantiale contractui.

Probatur ſecundò: potuerunt legiſlatores hoc privilegium juramento confirmandi contractus ſuis legibus irritos tribuere, ut omnes concedunt: ergo cùm hoc congruum fuerit ad ſervandam reverentiam debitam divino Nomini in teſtem vocato, & ex alia parte jura humana id inſinuent, ut patet ex advert. 4. & ex auth. Sacramenta puberum. C. ſi adverſus venditionem: ubi dicitur: Sacramenta, id eſt, juramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis inviolabiliter cuſtodiantur, ita de facto ordinatum eſſe eſt dicendum, cùm hoc maximè cedat in honorem DEI & juramenti religionem.

Objicies: *L. non dubium.* C. de legibus. dicit Imperator, contractus irritatos à lege manere irritos, etiamſi juramentum accedat: ergo ne authentica contradicat legi, vult tantùm, quòd obligatio juramenti ſit ſervanda, & non committendum perjurium, non verò, quod contractus in ſe pariat obligationem juſtitiæ tanquam validus, & firmatus. 19

Reſpondeo neg. conſeq. quia dicit Antonius Perez illam legem non dubium fuiſſe mutatam per ſequentem authenticam à Friderico Imperatore; hinc tales contractus, qui firmantur juramento, etiamſi juramentum relaxetur, ſervant obligationem contractûs ex juſtitia, ita ut etiam tranſeat ad hæredes, licèt ad hos non tranſeat obligatio juramenti quà talis.

Dices: contractus, qui quoad ſubſtantiam eſt nullus, non poteſt juramento validari, quia quod firmatur, debet ſupponi eſſe quoad ſuum eſſe intrinſecum, cùm juramentum non debet primum eſſe contractûs; ſed contractus etiam jure humano irritatus, eſt quoad ſubſtantiam nullus, cùm fiat à perſonis inhabilibus, quorum conſenſus eſt idem ac nullus: ergo.

Contra diſting. maj. ſi ſit nullus tam jure humano quàm naturali conc. ſi ſolùm jure humano eſt nullus neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. licèt ergo talis contractus ante juramentum ſit nullus propter reſiſtentiam legis, accedente tamen juramento capit valorem & ſubſtantiam, ac ſic inducit obligationem tam ex virtute religionis, quàm juſtitiæ, cùm lex non amplius reſiſtat ob reverentiam juramenti.

Dices: ſubſtantiale intrinſecum contractûs eſt conſenſus contrahentium; ſed hic non fit per juramentum, ſed ſupponitur ad juramentum: ergo ex juramento non capit contractus ſubſtantiam.

Contra conc. maj. diſting. min. hic non fit per juramentum quoad obligationem naturalem conc. quoad civilem neg. min. ſunt enim aliqui contractus à legibus irriti ſolùm quoad obligationem civilem non inducendam, licèt inducant naturalem; unde licèt leges irritent contractum quoad obligationem civilem, poſſunt tamen ex reverentia juramenti, ſi hoc accedat contractui dare obligationem civilem. Nec ſequitur: quod per hoc jus civile ſe immiſceat rebus eccleſiaſticis, ut eſt juramentum, nam non diſponit aliquid directè de juramento, ſed ſolum de contractu dando ei obligationem ex juſtitia, quàm ante juramentum non habebat.

Dices: ſi juramentum poſſet contractus jure humano irritos firmare, poſſet etiam illos, qui ex lege naturali ſunt irriti firmare, quia ſi illud,

lud, quod nihil eſt, ex lege humana poteſt viviſicare, cur non etiam illud, quod ex lege naturæ eſt nihil? ſed hoc non admittitur: ergo nec id, unde ſequitur.

Contra neg. ſequel. maj. diſparitas eſt: quia contractus, qui ex natura ſua ſunt nulli, nullum omnino præſupponunt fundamentum, adeóque nullus poteſt conſurgere valor, nam tales ſunt irriti, vel propter defectum conſenſus contrahentium, vel ex defectu materiæ, vel ob defectum conſensûs Superioris; dum ergo non adeſt talis conſenſus ab his defectibus immunis, ibi nullum fundamentum valoris poteſt ſupponi, ac proinde juramentum non poterit reſuſcitare contractum, cùm non ſit contractus; aſt contractus lege humana irriti ſupponunt fundamentum, quia præſupponunt conſenſum contrahentium & debitam materiam, ac ſolus valor impeditur, qui tamen fit, & reſuſcitatur à juramento.

QUÆSTIO II.

An error præſertim ſubſtantialis, vis, metus, cauſa turpis, invalident contractum?

1 ADvertendum eſt 1. Hic multa eſſe recolligenda ex tract. de actibus humanis D. 5. q. 2. quomodo ſcilicet error, ſeu ignorantia, vis & metus minuant, vel excludant voluntarium; pro præſenti verò in contractibus dupliciter poteſt contingere error: vel circa ſubſtantiam, ut ſi quis emat aurichalcum putans eſſe aurum, ut dicit Scotus citandus; vel ſi quis conſentiat in matrimonium cum Bertha putans eſſe Cajam. Vel circa accidentia: ut ſi emat equum octennem putans eſſe quadrimum &c. tales ergo errores, ſi ex propria opinione contrahentis oriuntur, dicuntur errores, ſi autem per malitiam alterius contrahentis, vel alicujus tertii oriuntur, dicuntur doli. Error ergo ſubſtantialis tunc cenſetur, quando verſatur circa materiam & objectum motivum ipſius contractûs: ut ſi quis det eleemoſynam diviti putans eſſe pauperem, quia motivum eleemoſynæ eſt ſublevare egeſtatem proximi; de hoc errore Scotus in 4. D. 15. q. 2. §. *de tertio.* dicit: *ideo videant trutani* (hæc vox deſumitur à truanes, quæ eſt hibernica, & cùm Scotus ſæpiùs immiſceat verba hibernica, probant hiſtorici eum fuiſſe hibernum) *ſcilicet, qui divites exiſtentes recipiunt tamen tanquam egentes eleemoſynas, ne injuſtè omnia recipiant, non eſt in dante voluntarium propter conditionis ignorantiam, quàm reſpicit in donando.* Vel ſi Cajum hæredem quis inſtituit, putans eſſe ſuum cognatum, aliàs non conſtituturus. Vel ſi quis vovet ire Romam putans abeſſe biduo, cùm tamen abſit octiduò, cùm motivum & materia voti non ſit præcisè peregrinatio Romam, ſed bidualis peregrinatio Romam, adeóque tales & ſimiles errores ſunt ſubſtantiales. Ex quo patet, quòd etiam quædam circumſtantiæ & accidentia tranſeant in ſubſtantiam & objectum contractûs, aliquæ verò manent purè accidentales; unde error accidentalis eſt, qui eſt circa aliquod tantùm extrinſecum, quod non poteſt eſſe motivum, ſed tantùm impulſivum contractûs: ſic ſi Petrus ſuſcipitur ad Religionem; qui putatur dives, cùm ſit pauper, valet profeſſio, quia divitiæ non poſſunt aut debent eſſe motivum intrinſecum & principale, ſed ſolùm extrinſecum & impulſivum ſuſcipientis, ideo hic eſt ſolùm error accidentalis; nihilominùs tamen, quamvis in contractibus oneroſis ſola ſubſtantia rei debeat eſſe cognita & volita, cùm conſiſtant in mutua jurium commutatione, & obligatione ex parte utriuſque, ubi non tanta debet eſſe libertas, ſicut in donativis, ita ut validum ſit matrimonium, ſi conſentiens erret in qualitate ſolùm perſonæ. Vel valida venditio equi cum vitio, ad quod ſi emptor ante contractum attendiſſet, non emiſſet, modò ante contractum tale vitium non fuerit fraude venditoris occultatum; attamen in contractibus lucrativis non tantùm ſubſtantia, ſed etiam principales circumſtantiæ debent eſſe cognitæ, & volitæ, quia talis contractus eſt meræ liberalitatis, quæ non movetur ex aliquo debito, ſed ex mera voluntate donantis; hinc non eſt validum votum ad S. Jacobum, ſi putas peregrinationem fieri poſſe terrâ, cùm non niſi mari fieri poſſit, validum tamen eſſet votum, ſi voves ſingulis ſextis feriis jejunare, licèt in una feria incidat Natale Domini, quia hæc circumſtantia non cenſetur adeò moraliter gravis, ut præcognita rationabiliter à vovendo te impedire potuiſſet. Hinc ultra recollige ex tract. de actibus humanis, quòd error poſſit eſſe antecedens, concomitans, & conſequens &c.

Advertendum eſt 2. Vim in jure L. 2. ff. de eo, quod metus cauſa, definiri: quòd ſit majoris rei impetus, qui repelli non poteſt, ut ſit per violentam attractionem, vel in loco detentionem, ut ſi quis invitus trahatur ad audiendam Miſſam alicujus excommunicati. Eſt autem vis multiplex: primò vis impulſiva, quâ quis compellitur ad faciendum id, quod non faceret, ſi eſſet penitus liber, & talis vis inducit actionem, quod metûs cauſa. Secundò vis ablativa: quâ res mobiles violenter rapiuntur, & inducit actionem raptorum. Tertiò vis expulſiva, quâ quis ejicitur ex poſſeſſione ſua, ſcilicet rerum immobilium, & inducit interdictum, unde vi. Quartò vis turbativa: quâ quis turbatur in poſſeſſione ſua, eo quod alter ſe poſſidere contendat, & hæc in immobilibus inducit interdictum, uti poſſidetis. Et in mobilibus interdictum utrobi, de quibus jus civile habet ſpeciales titulos. Quintò vis inquietativa: quæ non ſinit alterum quiete re ſua uti, ut arare, vel ædificare, & inducit interdictum, 2

dictum, quod vi aut clam. ſextò vis publica: quæ fit cum armis. Septimò vis privata: quæ fit ſine armis, & de his exſtant proprii tituli in jure civili.

3 Advertendum eſt 3. Metum ex jure l. 1. ff. de eo, quod metûs cauſa. definiri: quòd ſit inſtantis periculi causâ mentis trepidatio, quia fit, ut aliquis propter inſtans vel futurum periculum aliquid agat, quod alioquin ſponte non ageret, ut ſi ex morbo timens mortem patiatur ad eam vitandam membri abſciſſionem. Vel ſi tempore naufragii projiciat merces ad mare, nulla tamen propria coactione interveniente. Metus ergo ut ſic dividitur in gravem ſeu cadentem in conſtantem virum, & in levem. De his vide de actibus humanis D. 5. q. 2. grave autem malum in jure plerumque habetur malum mortis, vel gravis cruciatus corporis, ut mutilatio, carcer, verberatio, ſervitus, ſtuprum, amiſſio patrimonii, confiſcatio bonorum, timor Regis, vel alicujus hominis potentis; hoc tamen ultimum [illegible] gloſſa in C. *cum dilectus*. de metu. arbi[illegible] judicis relinquere, quandonam potentia [illegible]nis, v. g. Regis aut alterius potentis ſit [illegible] cauſa metûs. Cæterùm metus alius eſt [illegible]logicè injuſtus, & injuſtè incuſſus, alius [illegible] juſtus & licitè incuſſus. Item alius pro[illegible] ab extrinſeco, ut incuſſus à latrone, alius ab [illegible]trinſeco, ut à morbo &c.

4 Advertendum eſt 4. Non exiguam eſſe difficultatem, an valeat contractus ob turpem cauſam vel finem: eſt autem duplex finis, ſcilicet intrinſecus, qui coincidit cum materia contractus, & extrinſecus, ad quem contractus extrinſecè ordinatur ex intentione operantis, v. g. contrahis de homicidio: hoc eſt finis intrinſecus, & materia contractûs. Contrahis de veneno emendo, quô cogitas occidere Petrum: materia contractûs eſt venenum, & finis extrinſecus eſt mors Petri. Difficultas ergo non eſt de malo fina extrinſeco, à quo certum aſt contractum non irritari, ſicut nec ob alia circumſtantia mala extrinſeca, v. g. temporis, loci &c. nam licèt quis vendat die vel locô prohibitô, modò leges juſtæ venditionis ſervet, venditio eſt valida; adeóque ſolùm manet difficultas de fine intrinſeco, v. g. an contractus cum meretrice de fornicatione valeat &c. his propoſitis.

5 Propoſitio 1. *Error accidentalis, tanquàm dolus accidentalis dat alteri contrahentium decepto facultatem pro arbitrio reſcindendi contractum, etiam ante ſententiam judicis.* Ratio eſt ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo*. Quia qui patitur injuriam, juſtè petit reſtitutionem pro injuria & damnis axinda ſecutis, prout lex ſtatuit; ſed deceptus in hoc caſu patitur injuriam ob dolum malum, & pro illa non aliter fit reſtitutio, niſi reſciſſo contractu reponatur in priſtinum ſtatum, redditâ ſcilicet re alienatâ cum fructibus & compenſatis damnis exindè emergentibus: ergo deceptus juſtè petit reſciſſionem contractûs. Quòd ſi vero deceptus velit ſtare contractui, nihilominus deceptor obligabitur ad reſtituendum exceſſum pretii; hæc tamen intelligenda ſunt da contractu naturâ ſuâ ſolubili, nam in contractu matrimonii & religioſæ profeſſionis dolus accidentalis nihil confert ad reſciſſionem propter inſolubilitatem utriuſque.

Propoſitio 2. *Vi initis contractibus æquiparantur à jure ſex contractus metu initi, & expreſſè invalidantur.* Ratio eſt ex C. *Abbas*. de iis, quæ vi &c. ubi gloſſa apponit hos verſus: 6

Tutor, judicium, dos, ſacrum, copula, votum,
Hæc ſex vi facta, de jure ſcias fore nulla.
Cætera jus patitur, ſed poſtea reſtituuntur.

Per ly tutor intelligitur: quòd authoritas tutoris per metum gravem extorta ſit nulla, quia ad valorem talium. Requiritur conſenſus tutoris, qui non adeſt, ubi tutor eſt invitus, & vi retentus; non enim præſentia corporis ſufficit ad authoritatem, hoc eſt, ut geſta per tutorem valeant, ut dicit l. 1. ff. de authoritate tutorum. Per ly judicium intelligitur: quòd juriſdictio per metum gravem obtenta non teneat; nec etiam abſolutio à cenſuris per metum extorta. Primum habetur l. 2. ff. de judiciis. & ſecundum C. un. de iis, quæ vi &c. ubi etiam per metum extorquens ipsô factô excommunicationem incurrit; ſecus tamen eſt dicendum de diſpenſatione ab irregularitate per metum obtenta, quia de irregularitate ibi nulla fit mentio, ideo diſpenſatio eſt valida, licèt poſtea irritanda. Per ly dos intelligitur: quòd contractus dotis promiſſæ val ſolutæ ex gravi metu ſit jurè nullus, quia dos eſt acceſſorium ad matrimonium; ſed matrimonium metu gravi contractum ipſo jure eſt nullum ex dicendis: ergo. Et hoc habetur L. *ſi mulier*. ff. de iis, quæ vi &c. per ly ſacrum intelligitur: quod promiſſio, traditio ac repetitio rerum eccleſiaſticarum, ac etiam juramentum de his per metum gravem extorta non teneant, quia ſi alienatio rerum eccleſiaſticarum ſine debita ſolemnitate juris non valet, multò magis non valebit metu extorta, & hoc habetur C. *ſi quandoque*. 15. q. 6. Per ly copula intelligitur matrimonium, quod ex gravi metu injuſtè incuſſo, ipſo jure eſt nullum, quia contracturus debet plenè ſecuritate gaudere, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis nuptiis ſolet provenire, ut ſtatuitur C. *cum locum*. de ſponſalibus. hoc etiam DD. extendunt ad ſponſalia ex metu, quòd ſcilicet etiam ipſo jure ſint irrita, ſicque nec inducant impedimentum publicæ honeſtatis. Per ly votum intel-

intelligitur profeſſio religioſa, quæ ipſo jure eccleſiaſtico eſt nulla, ſi metu gravi eſt emiſſa niſi poſteà ceſſante metu expreſsè vel tacitè ratificetur, quia voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, ut dicitur C. *non eſt.* 15. q. 1. & hoc extendunt DD. etiam ad alia vota ex metu gravi & injuſto emiſſa; nec obſtat C. *ſi verò.* de jurejurando. ubi dicitur juramentum gravi metu extortum eſſe validum, nam diſparitas eſt: quia cùm juramenta valde frequenter interveniant actionibus hominum, ſtatuit aliter Eccleſia circa ipſum, ne ſcilicet detur materia allegandi metum, ſicque pejerandi, ſimúlque ut habeatur in majori reverentia religio juramenti; interim tamen probato metu debet peti abſolutio à juramento; aſt illa ratio non militat in voto utpote quod rarò emittitur.

7 Propoſitio 3. *Licèt metus levis, ſeu non cadens in virum conſtantem non invalidet ipſo jure contractum, nec in foro externo det actionem ad reſcindendum contractum, in foro tamen conſcientia poteſt ſufficere, ut talem metum patiens poſſit revocare contractum.* Ratio primi eſt: quia metus levis à prudenti & cordato animo, quem homo in ſimilibus caſibus demonſtrare debet, excuti poteſt: ergo ſi non excutitur, ſed contractus initur in eo præſtatur conſenſus, & ſic contractus de ſe eſt validus. Ratio ſecundi eſt: quia etiam in metu levi poteſt gravis intervenire injuria; ſed gravis injuria eſt ſufficiens fundamentum, quòd læſus non teneatur ſtare contractui, ſi velit illum revocare, cùm metum incutiens & lædens ſit obligatus ad reſtitutionem, quod præſertim verum eſt, ſi levis metus ſit unicum motivum conſentiendi in contractum.

8 Propoſitio 4. *Metus gravis ab intrinſeco proveniens, ſeu non incuſſus à cauſa libera exteriore, v. g. ab alio homine, ſed intrinſecus ab ipſomet metuente ſuſceptus, vel ex propria paſſione, vel ex cauſa naturali, ut ob morbum, naufragium, beſtias &c. non invalidat contractus.* Ratio eſt C. *ſicut nobis.* de regularibus. ubi votum religionis emiſſum in lethali infirmitate conſtituto cenſetur validum & ſervari jubetur: ergo idem dicendum eſt de aliis contractibus ex metu gravi ab intrinſeco proveniente celebratis, quod etiam DD. extendunt ad metum inferni, v. g. qui metu præſentaneæ mortis vel timore inferni contrahit matrimonium, cum ſua concubina, tale matrimonium erit validum.

9 Propoſitio 5. *Metus gravis ab extrinſeco proveniens, juſtè tamen incuſſus non invalidat contractum.* Ratio eſt: quia metus juſtè incuſſus non infert alicui injuriam, quin potiùs ob prævium delictum vel promiſſionem ſibi ipſemet delinquens inferat metum: ergo. Sic matrimonium antea promiſſum, ſi contrahatur metu excommunicationis per judicem infligendæ, validum habetur C. *ex literis.* de ſponſalibus. hoc idem extendunt DD. quando metus ſemel incuſſus præſumitur ceſſâſſe, ſeu purgari ex contrariis indiciis, primò: ſi mulier per longam moram ſponte cohabitat ſuo marito, cenſetur matrimonium convaleſcere, & metus purgari, quod ab initio invita contraxit, ut habetur C. *ad id.* de ſponſalibus. & inde oriuntur hi verſiculi:

Effuge, cùm poteris, ne conſenſiſſe puteris,
Nam ſi perſtiteris, illius uxor eris.

Secundò per ſpontaneam ſolutionem rei promiſſæ; unde quoties ille, qui metum allegat, ſponte ſolvit, aut obſervat, quod promiſit, metum purgâſſe dicitur, ut habetur l. 2. C. de iis, quæ vi &c. Tertio: ſi adhibeatur præſentia conſanguineorum vel amicorum, ubi potiùs nunquam metus interveniſſe præſumitur; limitat tamen hoc Masquardus: quando vel amicorum præſentia non ſufficeret ad reſiſtendum potentiæ metum inferentis, vel quando intervenit enormis læſio.

Propoſitio 6. *Metus reverentialis dat facultatem reſcindendi contractum, & obligat ad reſtitutionem eum, qui inde commodum percepit.* Ratio eſt: quia hic metus, etſi non ſit gravis, eſt tamen injurioſus & cauſa contractus; hinc ſi filius non audens ullô modô contradicere parenti aliquid promittat, donet, vel renuntiet animo repugnante quamvis non timeat aliud malum, poteſt iterum iſta reſcindere; nam parens, qui ſuâ authoritate filii libertatem vult oppreſſam, obligatur ex juſtitia in hujusmodi actibus eam relaxare, ut filius pro ſuo arbitrio eligat, quod placuerit, quod ſi non fecerit, intulit injuriam, & tenetur ad reſtitutionem ejus, quod per talem conſenſum eſt conſecutus. Hoc idem eſt extendendum, ſi uxor conſentiat ad aliquem contractum mariti, vel promittat aliquid, vel fidejubeat, quia non audet contradicere marito timens jurgia, & auſterum convictum. 10

Propoſitio 7. *Metus per preces importunas dat facultatem reſcindendi contractum, ſi voluntate repugnante eſt initus, & ſolùm ad repellendam moleſtiam, inducitque obligationem reſtituendi.* Quia facit injuriam, qui tali modo aliquem affligit; nam preces importunæ dicuntur, quibus aliquis vehementer & crebrò urget cum ingenti moleſtia ejus, qui rogatur, ſi ergo hic, ut illam moleſtiam depellat, & finem vexandi faciendo conſentiat, conſenſus talis per injuriam videtur elicitus, ac proinde revocari poteſt. Excipe tamen primò: ſi talis qui hujusmodi precibus urgetur, poſſit illam importunitatem alia ratione minori incommodo repellere, ſi enim facilè poſſit aliter repellere, non videtur conſenſiſſe invitus, nec per injuriam coactus, quia officia à principibus improba ſollicitudine obtinentur, 11

ſur, non tamen omnino inviti concedunt, quia ſi vellent, facilè petentes coërcerent, nec volunt videri coacti. Secundò: ſi talis, à quo eſt extortum, non maneat invitus, nec putetur cupere reſtitutionem, nam multi etſi inviti concedant, ubi tamen ſemel conceſſerunt, vel non cupiunt reſtitutionem fieri, vel facilè condonant.

12 Propoſitio 8. *Omnis contractus de opere malo ante operis adimpletionem, & qui ſine peccato ſervari non poteſt, eſt ipſo jure naturæ nullus.* Ratio eſt: quia ſi quis vi contractûs, quô cum alio de homicidio patrando convenit, ad illud adimplendum teneretur, tunc obligaretur ad peccandum; ſed eſt aperta contradictio obligari ad peccandum: ergo. Min. patet: nam omnis obligatio vim habet ex lege naturali & æterna Dei; ſed omne peccatum eſt contra legem naturalem & æternam Dei; ergo nulla poteſt eſſe obligatio ad peccandum. His propoſitis:

13 Aſſero 1. ad quæſt. *Error circa ſubſtantiam rei ſive ſit antecedens, ſive concomitans, ſeu incidens invalidat contractum, non tamen error circa accidentia, qui tamen, ſi dolus eſt, reſcindi poteſt.* Prima pars eſt Scoti in 4. D. 30. q. 1. §. *ad ipſam.* Secunda pars eſt Scoti in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.*

Probatur 1. pars: Contractus eſt eſſentialiter conſenſus duorum in idem; ſed ſi error eſt circa ſubſtantiam rei, non eſt conſenſus duorum in idem; ſiquidem contrahens errans in aliam rem conſentit, quam de qua contrahit, v. g. ruſticus vendens gemmam, quam putans eſſe vitrum conſentit non in gemmam ſed vitrum, ac ideo emens gemmam à ruſtico, tenetur ad reſtitutionem; ſic etiam contrahens cum Bertha putans eſſe Caiam, non conſentit in Caiam, ideo univerſaliter dicitur L. *labeo.* 45. ff. de contrahenda emptione. Nullam eſſe venditionem, ſi vendatur aurichalcum pro auro.

14 Probatur 2. pars: ergo circa qualitatem accidentalem etiam dans cauſam contractui non aufert voluntarium ſimpliciter, nam relinquit conſenſum circa ſubſtantiam, licèt pariat involuntarium ſecundùm quid; ſed conſenſus ſimpliciter voluntarius eſt ſufficiens ad producendam obligationem contractus: ergo. Min. patet à pari in matrimonio: nam ſi quis contrahit cum Caia putans eſſe divitem, cùm reverà ſit pauper, valet contractus matrimonii.

15 Probatur 3. pars per propoſitionem primam.

Objicies contra 1. partem: Gen. 29. Jacob non conſenſit in Liam niſi ex errore putans eam eſſe Rachelem, & tamen videtur verus fuiſſe contractus matrimonii, aliàs copula fuiſſet fornicaria cum illa: ergo error in ſubſtantiam non invalidat.

Reſpondeo neg. conſeq. quia poſtquam Jacob deprehendit eſſe Liam conſenſit novo conſenſu propter verba Laban dicentis: non eſt conſuetudinis in illo loco, ut minores priùs tradantur ad nuptias; & ex tunc fuit uxor ejus, aliàs autem vere potuiſſet repudiare eam ſicut non ſuam.

Dices: etiam Gen. 27. Iſaac ex errore benedixit Jacob credens eſſe Eſau, & tamen valuit benedictio, cùm poſtea dixerat Iſaac: benedixi ei, eritque benedictus: ergo.

Contra neg. conſeq. quia ibi ex contextu datur intelligi, quòd Iſaac fuerit raptus in illa admiratione vehementi, & in ea vidit Jacob eſſe juſtè benedicendum, & ita licèt illam benedictionem primò humanâ cautelâ extortam dediſſet, poſteà tamen in extaſi à Spiritu S. approbatam pronunciavit dicens: eritque benedictus.

Dices: Sacerdos credens baptizare Petrum, ſi baptizet Paulum, hic eſſet baptizatus: ergo etiam &c.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia in baptiſmo ignoranter collato non eſt contractus mutuus, nec eſt propriè talis error, quia intentio miniſtri baptizantis non eſt ita alligata huic vel illi perſonæ; ſed videtur velle conferre Sacramentum illi perſonæ, quæ præſens eſſet, contrarium autem eſt in contractu matrimonii, ut de ſe patet.

Objicies contra 3. partem: ſi contractus per dolum accidentalem irritus de ſe eſſet validus, & ſolùm reſcindendus, tunc decipiens acquiret jus per ſuam injuriam; ſed hoc eſt abſurdum: ergo etiam eſt ipſo jure invalidus; ideo L. *& eleganter.* ff. de dolo dicit: emptio eſt nulla, ſi in hoc ipſo, ut venderet aliquis, eſt circumſcriptus. 16

Reſpondeo neg. ſequel. non enim acquireret jus per ſuam injuriam, ſed per conſenſum contrahentis, qui dolum non advertit, quod ipſum tamen jus propter injuriam & dolum reſciſſione poteſt auferri; illa autem lex cit. ſolùm loquitur de minorenni per dolum circumvento, ut venderet ſuum ſervum, ubi ex jure minorenni ſine conſenſu curatoris alienare non poſſunt; interim tamen, quamvis doloſus contractus non ſit prorſus nullus ipſo jure naturali, poteſt tamen alicui videri quod claudicet: dicitur autem claudicare contractus, quandò ex una parte eſt obligatio, non tamen ex alia, niſi detectô dolô velit perſiſtere in contractu.

Dices: ſi deceptus non obligatur in tali contractu, nec obligabitur decipiens, quia in contractu oneroſo ſemper eſt iſta conditio: ego me obligo ei, ſi alter eſt mihi obligatus; ſed hic non eſt obligatus: ergo nec alter; conſequenter nec poteſt claudicare.

Contra neg. ſequel. & ejus rationem: non enim illa eſt conditio, ſed hæc: me obligo, in quantum poſſum obligari; ſed hic in quantum eſt ex parte ſua, poteſt obligari proprio

ſuo conſenſu, præſertim ſi deceptus velit ſtare confirmando ſuum conſenſum jam inchoativè datum pro ejus obligatione.

17 Aſſero 2. *Vis ſeu coactio abſoluta invalidat contractum.* Eſt Scoti in 4. D. 29. q. un. §. *ad quæſtionem.*

Probatur: ubi deeſt voluntarium & conſenſus, nequit adeſſe valor contractûs, cùm conſenſus ad ſubſtantiam cujuslibet contractûs pertineat; ſed coacta voluntas voluntarium & conſenſum prorſus excludit: ergo. Min. prob. ex materia de actibus humanis. Tum quia: vi abſoluta coactus magis pati, quàm agere convincitur, ut dicitur C. *ſacris.* de vi. in eo enim, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit, nam violentum eſt, cujus principium eſt extra nihil conferente vim paſſo.

18 Objicies In C. *Abbas.* de iis, quæ vi &c. vis æquiparatur metui; ubi dicitur: quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari: ergo ſicut contractus ex metu initus, non eſt ipſo jure invalidus, ſed reſcindendus per ſententiam judicis, uti dicemus aſſert. 3. ita nec contractus vi initus ipſo jure eſt invalidus.

Reſpondeo neg. conſeq. de vi abſoluta, de qua in aſſertione loquimur; nam vis ſeu coactio duplex eſt: una abſoluta, ſeu præcisè, quæ importat majoris vis impetum, cui reſiſti non poteſt; ſicque conſenſum prorſus excludit. Altera eſt vis ſeu coactio conditionalis, & dicitur vis compulſiva, & hæc idem eſt, quod metus, ut notat gloſſa in L. *nihil.* ff. de regulis juris. Neque prorſus excludit voluntarium, licèt illud extenuet, & de hoc intelligendum eſt illud C. Abbas. Cæterùm etiam metus aliquando æquiparatur vi abſolutæ à jure, & in quibusdam caſibus prorſus annullat contractus ex metu, de quibus vide propos. 2.

19 Aſſero 3. *Metus quantumcunque gravis ſive juſtè ſive injuſtè incuſſus (ſi non incutitur ad extorquendum conſenſum) non invalidat contractum, exceptô matrimoniô, profeſſione religioſa, & quibusdam aliis, dat tamen facultatem reſcindendi per judicem.* Eſt Scoti in 4. D. 29. q. un. §. *ad iſtam.*

Probatur 1. pars: ſi contractus ex gravi metu initi ipſo jure eſſent invalidi, hoc eſſet vel propter defectum ſufficientis conſensûs & voluntarii, vel propter injuriam per metum injuſtum illatam; ſed propter neutrum contractus eſt invalidus: ergo. Min. prob. non propter primum: quia quæ ex metu fiunt, ſunt ſimpliciter voluntaria, & ſolùm ſecundùm quid involuntaria, uti tenemus de actibus humanis; ſic enim etiam baptiſmus ex metu gravi juſtè vel injuſtè incuſſo collatus eſt validus. Nec propter ſecundum: quia injuria non plus infert, quàm quòd metum injuſtè incutiens teneatur ad reſtitutionem, non autem quòd contractus debeat eſſe invalidus, cùm id, quod jure præcipitur invalidari, non ſit ipſo jure nullum; ſed jus præcipit contractus ex metu injuſtè incuſſo invalidari, ut habetur L. ult. C. de his, quæ vi &c. ubi dicitur: venditiones, tranſactiones, quæ per pœnam extortæ ſunt, præcipimus infirmari: ergo.

20 Probatur 2. pars: qui metum injuſtè incutit ad extorquendum conſenſum, non debet ex injuria reportare commodum, ut omnia jura ſtatuunt, & præſertim C. de his, quæ vi. dicitur: qui vim intulit, meretur, ut ei promiſſum non ſervetur: ergo talis contractus ipſo jure eſt nullus. Econtra verò, ſi quis ratione debitorum detruſus eſt in carcerem, & poſteà ut effugiat ſqualorem carceris, conſentit in matrimonium, validè contrahit, quia metus juſtus ex ſqualore carceris non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum, ſed liberè eligitur matrimonium ut medium aptum effugiendi carcerem. Similiter: quandò pater in ultionem injuriæ ſeductæ ſuæ filiæ ſtrictô gladiô vellet injuſtè, ſcilicet privatâ authoritate occidere adoleſcentem ſeductorem, ipſe verò precibus impetret, ut parcatur, & promittat filiam ducere in uxorem, validè contrahit, quia metus non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum, quem ſponte ut medium ad effugiendam mortem tantùm obtulit adoleſcens, ſed ad vindicandam injuriam eſt incuſſus; quamvis hoc difficilè poterit reduci ad praxim fori externi, cùm vix poſſibile ſit probare in judicio patrem puellæ non ad extorquendum conſenſum matrimonialem mortem fuiſſe minitatum illi adoleſcenti.

21 Probatur 3. pars per propos. 2. & planè Scotus cit. contractum matrimonii metu injuſtè incuſsô extortum de jure naturæ invalidum eſſe probat, & hoc quidem ſolùm & ſpecialiter tenet de matrimonii contractu, ita ut immeritò ipſum citat Amicus pro univerſaliter contrario de omnibus contractibus; rationem verò dat Scotus duplicem, primam ſumit ex primæva inſtitutione matrimonii: nam Deus contractum matrimonialem inſtituit ſummè liberè, quam plenam libertatem jure naturæ requiri ad matrimonium jam olim agnoverunt parentes & fratres Rebeccæ Gen. 24. dum ſervo miſſo ab Abraham dixerunt: vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem. Secundam ſumit ex fine matrimonii, qui eſt proles legitimè procreanda & educanda; unde naſcitur indiſſolubilitas matrimonii, ad quam utique exigitur plena libertas, nam matrimonia coacta ſolent triſtes habere exitus; quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit, ut dicitur C. *præſens.* 20. q. 2. conſequenter invaliditas matrimonii ex gravi metu initi non oritur præcisè ex conſtitutione Eccleſiæ, ſed ex ipſo jure naturali & divino; unde non eſt iſtud ab

Eccle-

Eccleſia determinatum, ſed tantùm expreſſum ſeu declaratum dicit Scotus.

22 Probatur 4. pars: injuria gravis parit obligationem reſtituendi in injuriante; ſed per metum injuſtum fit injuria nui contrahenti: ergo qui per injuriam contractum metu extorſit, tenetus ex ſua parte pati reſciſſionem contractus, cùm ejusmodi reſtitutio commodiſſimè fiat per reſciſſionem contractûs, qui alias de natura ſua non eſt inſolubilis.

23 Objicies contra 1. partem: L. 1. C. de reſcindenda venditione dicitur: venditio per metum facta irrita eſt. item L. *qui in carcerem*. ff. deeo quod metûs cauſa. dicitur: qui in carcerem quem detruſit, ut aliquid ei extorqueret; quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt. Tandem L. *qui aliena*. ff. de acquirenda hæreditate. dicitur: qui metu verborum vel aliquo timore coactus fallens adierit hæreditatem, ſive liber ſit, hæredem fieri non placet, ſive ſervus ſit, Dominum hæredem non facere. Quæ verba: eſſe irritum, eſſe nullius momenti, hæredem non fieri, contractus metu irritos ipſo jure nullos eſſe deſignant: ergo.

Reſpondeo neg. ſuppoſitum illorum verborum: nam ad 1. L. dicit Gloſſa venditionem irritam declarari, hoc eſt irritandam à præſide provinciæ, ut patet ibi ex contextu Gloſſæ & legis. Ad 2. legem dico: vel illam potiùs roborare ad partem aſſertionis, vel cùm ſit dolus, quòd contractus nullius ſit roboris vel momenti, quia ad libitum illius, qui metum paſſus eſt, poteſt in irritum revocari. Ad 3. legem dico: cùm Gloſſa ibi non tantùm metum interceſſiſſe; ſed etiam fictionem, quia hæreditas adita fuit animo ficto ad evadendum periculum, quæ fictio priùs coram teſtibus fuit clam Indicata, ideo mirum non eſt, quod facta aditio non fuerit valida.

Dices: id, quod eſt contrarium conſenſui, vitiat contractum; ſed nihil magis eſt contrarium conſenſui, quàm metus injuſtè incuſſus ex C. *cum locum*. de ſponſalibus. ubi dicitur: quòd locum non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intercedit.

Contra diſting. maj. quod eſt contrarium conſenſui ſimpliciter & in eſſe conſensûs conc. quod ſolùm ſecundùm quid & in eſſe perfectè liberi neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. C. autem cit. loquitur de contrarietate cum conſenſu perfectè libero, qualis maximè ad matrimonium & profeſſionem requiritur.

Dices: ſi contractus ex metu initi valerent, tunc parerent obligationem naturalem; ſed non: ergo maj. patet, quia obligatio eſt effectus contractûs validi. min. prob. qui ex tali metu promiſit alteri aliquid tradere, non peccat non dando: ergo non habet obligationem naturalem.

Contra neg. min. ad prob. dico: illam obligationem ex gravi metu eſſe valdè debilem & conditionatam, niſi promittens vellet reſcindere promiſſionem; unde ſi illud promiſſum nollet tradere; immunis erit à peccato, non ex eo, quòd nullam habuerit obligationem, ſed quod reſciſſo contractu, pariter ab obligatione tradendi ſe liberaverit. Vide plura ex tract. de actibus humanis D. 5. q. 2. in obj. 2. ad aſſert. 2.

Objicies contra 2. partem: ſi metus injuſtè incutitur ob finem, v. g. ſumendi vindictam, contractus non eſt ipſo jure invalidus: ergo etiam, ſi incutitur ad extorquendum conſenſum. conſeq. prob. quandocunque metus injuſtè incuſſus cauſa eſt contractûs, tunc reddit contractum ſolùm irritandum; ſed licèt metum incutiens non intendat contractum, ſupponitur tamen, metus eſſe cauſa contractûs: ergo. 24

Contra neg. conſeq. ad probam dico: maj. ſubſiſtere, quando contractus ſponte aſſumitur tanquam medium ad avertendum malum, quod timetur; quamvis contractus aliàs non fuiſſet celebrandus, tunc enim bono contrahentis conſulitur; ſi electione ejusmodi contractus poſſit malum intentatum evadere; ideò non erat conſultum, ut ejusmodi contractuum valori obſiſterent jura, ſi enim metum incutiens ſciret tales contractus eſſe nullos, non deſiſteret à malo inferendo. Non verò ſubſiſtit maj. quando metus injuſtè incuſſus aſſumitur tanquam medium ad extorquendum conſenſum, tunc enim ad abſtrahendam humanam cupiditatem ab ejusmodi injurioſis invaſionibus, quibus libertas contractuum graviſſimè læditur, meritò jura talium contractuum valorem in irritum reduxerunt.

Dices: ideo tales contractus eſſent ipſo jure irriti, ne innocens cogatur damnum pati; ſed hoc etiam eſſet in omnibus contractibus metu injuſto initis: ergo ſi hi non ſunt ipſo jure irriti, nec illi.

Contra neg. min. diſparitas eſt: quia legislatores habuerunt juſtas cauſas annullandi illos contractus ex metu ad extorquendum conſenſum; & non item initos ex alio metu; cùm ex prioribus contractibus plura mala evenirent, quàm ex poſterioribus; hinc tam natura, quàm legislatores attendunt ad inconvenientia ſubſecutura ex irritatione, quæ ſi præponderarent commodo irritationis, irritatio non expedit, & ideo non inducitur. Sic natura non invalidat matrimonia dolo & ficte inita, quia graviſſima incommoda ſequerentur, quæ tamen non ſequuntur, ubi matrimonia metu inita irritat. Tum quia: doli ſunt longè frequentiores quàm metus. Tum quia doli ſunt latentes, metus autem patentes; ideo magis alliciuntur homines ad committendum dolum quàm metum; quapropter multa matrimonia deberent detecto dolo irrita declarari, & ſic ſequeretur ingens turbatio reipublicæ, quæ inconvenientia non ſequuntur, ſi ob metum ſunt inita, imò ſæpè homines ad explendam libidinem immiſcerent dolum, ut matrimonium poſſent impugnare,

gnare, & ſic etiam invitâ alterâ parte recedere, quod eſt magnum inconveniens.

25 Aſſero 4. *Quamvis omnis contractus de opere turpi ante operis adimpletionem ſit nullus, opere tamen adimpleto obligat ex juſtitia promittentem ad ſolvendum pretium.* Deducitur ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de quarto.* ubi dicit: *quod lucrum acquiſitum ex pecunia fænebri non tenetur fænerator reddere.* Eſtque Vaſquez de reſt. c. 7.

Probatur: quodlibet opus turpe etiamſi quà malum & offenſa DEI non ſit pretio aliquo æſtimabile, tamen quà utile aut delectabile eſt aliquo pretio dignum: ergo adimpleto opere juſtè aliquis recipit pretium, & non tenetur iterum reſtituere. antec. prob. ſi non eſſet pretio dignum, ratio eſſet: quia illa utilitas ratione ſui non poteſt vendi abſque ratione inſeparabili alicujus peccati in actu pravo neceſſariò connexa; ſed ſufficit, ut poſſit ratione præſcindi, ita ut ex ea ratione utilitatis vel delectabilitatis poſſint contrahentes moveri ad contrahendum: ergo hinc L. 4. ff. de condictione ob turpem cauſam: ſtatuit datum meretrici ob turpem cauſam validè accipi. Quamvis etiam ibi pro ſolo opere meretricio concedatur actio contra fornicarium ad juſtam mercedem ſolvendam.

26 Objicies L. *generaliter.* ff. de v. o. dicitur: *turpes ſtipulationes & contra bonos mores nullius ſunt momenti.* & C. *pactiones.* de pactis. dicitur: *pactum turpe aut impoſſibile de jure vel de facto nullam obligationem inducit:* ergo non obligat ex juſtitia ad ſolvendum pretium promiſſum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia leges ſolùm loquuntur de contractu ante operis adimpletionem.

Dices: talis contractus ante factum eſt nullus: ergo etiam poſt factum: quia poſt factum non habet vim ex nova conventione, ſed ex antiqua: ergo ſi ea fuit nulla, etiam hæc nulla erit.

Contra diſting. maj. ante factum eſt nullus, quantùm ad obligationem ad opus faciendum conc. quantùm ad remunerandum opus factum neg. maj. nam talis contractus duo includit, ſcilicet: promiſſionem operis turpis ex parte unius, & promiſſionem mercedis ex parte alterius, & ſic quoad primum non obligat, benè tamen quoad ſecundum, non quidem abſolutè ſed conditionatè, ſi opus factum eſt.

Dices: ideo ante factum non obligat promiſſio, quia obligaret ad peccatum: ergo etiam non obligat ad remunerandum factum, quia obligat ad complacendum peccato, qui enim remunerat peccatum: complacet peccato.

Contra neg. conſeq. non enim eſt neceſſe, ut remunerationem faciat ex complacentia, ſed vel ob ſolvendum debitum, quod contraxit ex peccato. Vel alter poteſt petere ob jus, quod ex peccato acquiſivit.

Dices: votum aut juramentum ob finem pravum: ut voveo eleemoſynam in gratiarum actionem, quòd ſim vindictam conſecutus de inimico. Vel voveo ingredi Religionem, ut ſiam prælatus. Non obligant etiam poſt factum: ergo neque promiſſio homini.

Contra conc. primum caſum, neg. ſecundum: nam in primo ſolutio voti non poteſt fieri, niſi propter peccatum, quod nunquam obligat; ſic enim etiam ſi promiſſio facta eſſet non ſolùm de opere malo ſed etiam ſolvenda propter opus malum, & ſub hac conditione acceptata, neque poſt factum obligaret; in ſecundo autem caſu finis prælaturæ eſſet tantùm cauſa impulſiva, & ejus executio non eſt peccatum.

Dices: ex noſtra proba ſequeretur omnia peccata, non ſolùm quà delectabilia, ſed etiam quà offenſiva DEI eſſe materiam contractuum, quia etiam quà offenſiva DEI poſſent nobis eſſe delectabilia, ut eſſet in deſperato peccatore; ſed hoc dici nequit: ergo.

Contra neg. ſequel. ut enim opus turpe ſit vendibile & materia contractûs, debet per ſe & non ex falſa apprehenſione contrahentis parere voluptatem aliquam, quod non peccatum quà offenſa DEI poteſt.

Dices, peccatum eſt nihil: ergo de eo non poteſt fieri contractus.

Contra diſting. antec. eſt nihil in genere moris conc. in genere entis quà delectabile neg. antec.

Dices: ſaltem ſi opus turpe eſt contra juſtitiam, non poterit ex juſtitia obligare contrahentem poſt factum; quia ad eandem juſtitiam pertinet opera juſtitiæ exercere & oppoſita vitare: ergo ſicut reſtituendum eſt, quod pro opere aliàs ex juſtitia debito recipitur, ita etiam reſtituendum eſt, quod pro opere injuſtitiæ ſumitur. conſeq. prob. quia ex injuria non poteſt oriri jus.

Contra neg. aſſumpt. ejus rationem diſting. ad eandem juſtitiam pertinet oppoſita vitare, ut injuſta ſunt formaliter conc. ut alteri utilia neg. adeóque cùm opus homicidii vel injuſtæ ſententiæ dicendæ poſſit eſſe injuſtum uni, & utile alteri, ſic licèt quà injuſtum eſt, debeamus gratis vitare, ut tamen utile eſt, non tenemur gratis vitare, ſed poſſumus pretium accipere pro opere ſecuto; ſic licèt aliquis non poſſit pro opere injuſto pretium accipere ab eo, cui opus injuſtum facit, ab alio tamen, cui idem opus utile eſt, poterit pretium accipere. Hinc ad prob. conſeq. conc. ex injuria formaliter nullum oriri jus, oriri tamen ex injuria materialiter, quà eſt utilis vel delectabilis.

Addo tamen, ſpectato jure poſitivo probabile eſſe nulli pretium eſſe reddendum, ſed in conſcientia poſſe retineri ab eo, in quo reperitur poſt impletum opus turpe, ut ſi reperitur apud

apud promittentem, non eſſe reddendum operanti, & ſi apud operantem, non eſſe reddendum promittenti, quia L. *ſi ob turpem cauſam* ff. de condictione ob turpem cauſam. In ſimilibus caſibus ſtatuitur potiorem conditionem eſſe poſſidentis; unde cùm leges in ſimilibus caſibus negent actionem repetendi in pœnam peccati, & non minùs peccet: qui pro peccato pretium ſpondet, quia inducit alterum ad peccandum, quàm qui pro pretio peccatum committit; ideo non minùs unus quàm alter eſt puniendus; atqui in pari turpitudinis caſu potior eſt conditio poſſidentis: ergo qui impleto opere poſſidet, non tenetur alteri reſtituere.

DISTINCTIO X.

De Juſtitia modi transferendi dominium per promiſſiones & donationes.

QUÆSTIO I.

An & quomodo promiſſio obliget in conſcientia ante, & poſt acceptationem?

1 ADvertendum eſt 1. Promiſſionem propriè ſumptam rectè definiri: quod ſit deliberata ſpontanea & gratuita fidei obligatio erga alterum ad aliquid præſtandum, quod licitum & poſſibile eſt. Dicitur deliberata: in quo convenit cum aliis contractibus. Dicitur ſpontanea: quia promiſſiones metu vel dolo extortas non tenemur ſervare, niſi fortè juramento ſint firmatæ. Dicitur gratuita: ut diſtinguatur à contractibus oneroſis. Dicitur fidei obligatio: ut indicetur obligatio tam ex virtute fidelitatis, quàm juſtitiæ, ſi per ſigna juris v. g. ſtipulationem, chirographum, teſtes indicaverit ſe quis obligare, & vere aliquod jus conferre promiſſario; per quod diſtinguitur à promiſſione, ut eſt ſimplex affirmatio vel negatio propoſiti interni aliquid faciendi in futurum, v. g. dicendo: dabo tibi aureum: vel inſtituam te hæredem, Quæ ſimplex aſſertio non facit hunc ſenſum: promitto facere; adeóque ſi quis ſimpliciter aliquid promittens nullum habuerit animum ſe obligandi, nec obligabitur niſi virtute veracitatis, & potiùs eſſet ſignificatio propoſiti quàm promiſſionis. Dicitur tandem ad præſtandum aliquod licitum & poſſibile, quia ad malum & impoſſibile nemo poteſt obligari; ſi verò res promiſſa ex parte ſit licita, ex parte illicita, valida erit promiſſio ex parte, quâ ſine peccato mandari poteſt executioni, quia utile per inutile non debet vitiari.

2 Advertendum eſt 2. Promiſſionem primò dividi in internam, hoc eſt, externè nondum manifeſtatam, & in externam, hoc eſt, ſignis externis manifeſtatam. Secundò in imperfectam, ſeu nondum acceptatam, quæ etiam vocatur pollicitatio, & in perfectam ac conſummatam, hoc eſt, à promiſſario acceptatam, quæ etiam dicitur pactum. Tertiò in puram ſeu abſolutam, & in modificatam: prima eſt, quæ fit abſque adjectione conditionis temporis, aut modi. Secunda econversò. Quinque autem ſunt ſpecies promiſſionis modificatæ: prima eſt promiſſio condinonata: cui adjicitur conditio: ut ſi nupſeris. Secunda eſt promiſſio in diem: quando ſcilicet certum tempus præfigitur promiſſioni adimplendæ: ut promitto tibi centum ad paſcha. Tertia promiſſio ſub modo, quando ſcilicet promiſſario certum onus imponitur in futurum, v. g. lego huic conventui mille, ut pro me quotannis quinque ſacra faciat. Quarta promiſſio ſub cauſa, quâ ſcilicet exprimitur motivum, v. g. promitto tibi centum, quia meus cognatus es: Quinta promiſſio ſub demonſtratione, cui ſcilicet apponitur ſignum certum, v. g. promitto tibi pecuniam, quam habeo in ciſta ferrea. Vel promitto tibi conſanguineo meo &c.

Advertendum eſt 3. Certum eſſe, quòd homo poſſit ſola promiſſione interna obligari DEO: cùm enim hic ſit ſcrutator cordium, hanc promiſſionem acceptat. Pariter certum eſt promiſſionem internam non poſſe obligare jure humano, cùm nulla poteſtas humana dominium habeat in actus merè internos, uti docuimus de legibus, ideo ſolùm manet quæſtio, an non obliget ex natura rei & jure naturali, ut adimpleatur, & an in altero ſcilicet promiſſario jam pariat jus in rem promiſſam exigendi eo modo, quô per mortem alicujus acquiritur jus ſuccedendi ab inteſtato. His notatis: 3

Propoſitio 1. *Ad perfectam promiſſionem alicui præſenti factam ſufficit, ſi verbo, nutu, aut alio ſigno externo interioris conſensûs manifeſtativo, imo etiam taciturnitate acceptetur.* Ratio eſt: quia hæc omnia ſunt ſigna apta & ſufficientia ad internum conſenſum acceptantis exprimendum, & ultra reg. 43. in 6. dicitur: *qui tacet, conſentire videtur*; ſed conſenſu acceptantis perficitur promiſſio: ergo. 4

Nec dicas: etiam in reg. juris alia regula dicit: qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur: ergo ſaltem taciturnitas non poteſt eſſe ſufficiens ſignum conſenſum acceptantis.

Reſpondeo diſting. antec. vel conſeq. in favorabilibus neg. in odioſis conc. nam dicit Gloſſa in L. *qui patitur*. ff. mandati. Quæ ſunt in utilitatem patientis, ſufficiat taciturnitas, quæ habetur pro conſenſu. Secus autem eſt in iis, quæ ſunt in damnum & præjudicium patientis, ubi taciturnitas habetur pro diſſenſu; unde licèt taciturnitas ſit indifferens ad conſenſum vel diſſenſum, à materia tamen favorabili vel infavorabili ad unum horum determinatur.

Propoſitio 2. *Ad promiſſionem validam lucrativam abſenti factam non requiritur, ut acceptatio promiſſarii per retromiſſum ſcriptum, nuntium innoteſcat promittenti, ſed ſat* 5

eſt, quod non poſſit ampliùs revocari, ſi à parte rei fuerit acceptata. Ratio eſt: quia in promiſſione lucrativa ſolus promittens ſe obligat ad promiſſum ſervandum, promiſſarius autem ſe ad nihil obligat, ſed ſolùm debet acceptare obligationem, ſed ut acceptet, non eſt opus eam promittenti inſinuare, cùm ille jam poſuerit ſuam obligationem per conſensûs manifeſtationem: ergo. ſecus ergo eſt in promiſſione oneroſa, ubi uterque contrahens ſe debet obligare; ſed neqoeunt ſe mutuò obligare, niſi per actum ſufficienter manifeſtativum interni conſensûs, ſcilicet per reciprocam inſinuationem actûs interni, & mutuam acceptationem ejusdem.

Nec dicas: ſi non eſſet neceſſaria notificatio acceptationis promittenti, poſſet promiſſarius acquirere jus in alterius res habendo ſolùm voluntatem in communi acceptandi, quidquid fuerit à quocunque promiſſum, & ſic talis promiſſio non poteſt revocari ante formalem acceptationem, quod eſt inconveniens: ergo.

Reſpondeo neg. ſequel. nam licèt ad jus in alterius bona acquirendum non requiratur intimatio acceptationis ex parte promiſſarii, requiritur tamen obligationis intimatio ad promiſſarium directa ex parte promittentis alicujus determinatæ rei, ſine qua non ponitur ſufficienter obligatio ex parte promittentis; ideo etiam determinata acceptatio debet correſpondere; hinc antequam nuntius veniat ad promiſſarium ante hujus acceptationem ſemper poteſt promiſſor revocare promiſſionem.

Dices: ſi promiſſio fiat abſenti per ejus procuratorem hoc acceptante non poteſt revocari etiam ante acceptationem illius abſentis: ergo nec etiam jam miſſo nuntio vel ſcripto.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia nuntius non aliam poteſtatem à mittente accipit, quàm deferendi ipſius voluntatem ad illum, ad quem mittitur: ergo eâ revocatâ ceſſat ejus officium; procurator verò accipit poteſtatem transigendi negotium principalis agentis, & ejus omnia acta ante notitiam principalis ſunt valida ex jure ff. mandati L. *ſi verò.*

6 Propoſitio 3. *Si promiſſio vel donatio mittitur per litteras authenticas & publicas ſeu jure inſtructas, tunc etiam interim mortuo donatore acquiritur probabiliter jus in donatario rei promiſſæ, & ab hæredibus revocari non poteſt.* Ratio eſt: quia in illis publicis inſtrumentis, ſi non adeſt expreſſa revocatio donatoris, manet voluntas & conſenſus ejus: ergo ſi hoc mortuo acceptetur, valida erit promiſſio; econtra verò ſi donatarius moriatur, antequam per nuntium intimetur donatio, non tenebitur donator rem ad hæredes donatarii transmittere, cùm illa non fuerit ad hæredes directa.

Nec dicas: mandatum exſpirat morte mandantis: ergo mortuo donatore ante acceptationem donatarii etiam exſpirat donatio.

Reſpondeo diſting. antec. exſpirat mandatum, quando jam cœptum eſt executioni mandari per actum publicum & juridicum neg. quando nondum ſic cœptum eſt conc. antec. adeóque ſi ſolùm nuntius verbo erat promiſſionem inſinuaturus, illo mortuo exſpiraret donatio; nihilominùs tamen ſi propter negligentiam nuntii donator moriatur, antequam illa à donatario acceptetur, quàm tamen ſi adhibita diligentia ſuo tempore inſinuata fuiſſet, acceptâſſet, tunc nuntius tenetur ad duplicem reſtitutionem faciendam, ſcilicet & hæredibus donatoris cum illa nondum acceptata non pertineat ad donatarium, cùm ipſe nuntius ob ſuam negligentiam fuerit cauſa, quo minùs donatarius illam acceptâſſet.

Propoſitio 4. *Quamvis ad validam pro-* 7
miſſionem requiratur, ut conſenſus promittentis aut per ſe immediatè, aut per aliquem ab ipſo deſtinatum inſinuetur promiſſario, permittunt tamen jura, ut promiſſio acceptari poſſit per eos, qui ſunt ſub poteſtate promiſſarii, ſi ad hos præſentes dirigitur. Ratio primi eſt: quia ſi per alium à promittente non deſtinatum ipſius conſenſus promiſſario inſinuetur, non erit valida promiſſio; ſic nec viciſſim, ſi promiſſarius ſuum conſenſum ſignificet alteri quàm nuntio ab ipſo donatore conſtituto, nam ut duorum conſenſus in pactum coaleſcant, debent mutuò ſibi correſpondere. Dicit L. 3. ff. de pollicitationibus. Ratio ſecundi eſt ex §. *ſi quis* Inſtit. de inutili ſtipulatione. Hinc facta donatio acceptata à filio nomine parentis, dum eſt in patria poteſtate eſt valida; pariter à mancipio nomine Domini, à religioſo nomine Prælati, à tutore nomine pupilli, à Principe nomine ſubditi, à tabellionibus & judicibus nomine abſentium, & univerſaliter ab eis, qui aliorum curam gerunt; imo probabiliter ab amico nomine Amici, ut tenet Leſſius; non tamen valet acceptata à diſcipulo nomine Magiſtri, à vaſallo nomine Principis, à famulo conducticio nomine Heri.

Nec dicas: promiſſio acceptata ab aliquo præſente nomine abſentis, ſemper eſt revocabilis, antequam ipſam ratam habeat ipſe promiſſarius, cùm ultimata acceptatio promiſſionis pendeat à promiſſario: ergo non eſt valida promiſſio abſenti facta & acceptata à præſenti in nomine abſentis.

Reſpondeo diſting. antec. ſemper eſt revocabilis, ſi ſit acceptata nomine abſentis ab aliquo præſente à jure admiſſo neg. ſi ab alio abſente conc. antec. & ſic diſtincto conſeq. neg. conſeq.

Propoſitio 5. *Quamvis promiſſiones mo-* 8
dificatæ, ut ſub conditione, in diem, ſub cauſa, ſub demonſtratione non obligent non poſita conditione die, cauſa, demonſtratione; promiſſio tamen modificata ſub modo obligat, etiam modo non completo. Ratio eſt, quia in hoc differt modus à conditione, cauſa &c. quòd

con-

conditioni, cauſæ &c. alligetur intentio promittentis, non idem modo; & quòd conditio, cauſa &c. ſit motivum principale, modus verò ſecundarium: ergo conditione vel causâ non poſitâ, non ſubſiſtit promiſſio, benè verò modô nondum completô; nam gravamen ſub modo appoſitum, & ſucceſſivè præſtandum, non poteſt impleri ante contractum perfectum. Cæterùm conditio plerumque exprimitur per particulam ſi v. g. promitto tibi centum, ſi me viſitaveris. Modus verò per particulam ut: promitto tibi quotannis centum, ut ſtudia abſolvas, quæ omnia colliguntur ex C. *verum.* de conditionibus appoſitis.

Nec dicas: ſi quis dicit: promitto tibi pecuniam, quam habeo in ciſta ferrea, quam tamen deinde ſolùm habuit in alia ciſta lignea. Talis promiſſio valet tali demonſtratione non poſitâ: ergo non tantùm promiſſio ſub modo, ſed etiam aliæ modificatæ valent non poſitâ modificatione.

Reſpondeo diſting. antec. talis promiſſio valet tali demonſtratione tenente ſe ex parte rei promiſſæ non poſita conc. valet tali demonſtratione ex parte promiſſarii non poſita neg. antec. diſparitas eſt: quia error demonſtrationis ex parte rei promiſſæ eſt ſolùm accidentalis, cui ſuam intentionem alligâſſe promittens non præſumitur, benè tamen demonſtrationi ex parte promiſſarii, cùm talis promiſſio, æquivalet promiſſioni ſub cauſa; ſic non valet: promitto meæ conſanguineæ centum, ſi talis eſt; quia æquivalet huic: promitto, quia conſanguinea eſt. Benè tamen valet; promitto tibi librum, quem habeo domi, licèt illum habeat in horto. His poſitis:

9 Aſſero 1. ad quæſt. *promiſſio purè interna non inducit obligationem ex juſtitia ſub mortali, benè tamen ſuo tempore obligat ex virtute veracitatis.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo.* ubi de donatione à pari diſcurrit. Eſtque contra Molinam.

Probatur: obligatio ex juſtitia ſupponit jus aliquod acquiſitum in eo, cui juſtitia eſt ſervanda, cùm juſtitia tendat ad jus læſum reſarciendum; unde ubi nullum eſt jus, nec obligatio juſtitiæ eſſe poteſt; ſed nullum jus per ſolam internam promiſſionem acquiritur in eo, cui talis promiſſio facta eſt; ergo. Min. prob. ad jus acquirendum requiritur actus voluntatis, quô quis vult jus acquirere; ſed abſque notitia juris acquirendi nequit eſſe actus voluntatis: ergo. Adeóque erit ſola obligatio veracitatis, quam non ſolùm in dictis, ſed etiam in factis tenemur ſervare; ideo juſtitia ſemper obligat, quando juri non eſt ſatisfactum, veracitati autem ſatis eſt, ſi de transgreſſione pœniteat transgreſſorem; quæ materia virtutis veracitatis in promiſſionibus purè internis circa homines per ſe non eſt capax gravis obligationis juxta communem DD.

Objicies: Petrus promittit Paulo actu interno centum poſt aliquot dies, ſuam promiſſionem manifeſtat Paulo, quærendo, an velit illam acceptare, accedente ſola voluntate Pauli obligat promiſſio Petrum ex juſtitia; ſed hoc non oritur ex vi præſentis manifeſtationis, cùm ſolùm ſit conditio, ſine qua non: ergo vi ſolius promiſſionis internæ obligatur Petrus. 10

Reſpondeo diſting. min. non oritur vi præſentis manifeſtationis principaliter trans. vi conditionis neceſſariò requiſitæ neg. min. nam præterita promiſſio ſequenti manifeſtatione expreſſa complet totam vim obligativam ex parte Petri; ſicut lex ante aliquot dies in mente legislatoris formata vi præſentis promulgationis obligat ſubditos, non antea, licèt etiam promulgatio legis ſit tantum conditio ad obligationem legis inducendam.

Dices: multas donationes ante acceptationem jus poſitivum declarat validas; ſed non tribuit validitatem donationi, ſed illam ſupponit & ſolùm declarat: ergo.

Contra neg. maj. ſed ſolùm jus prohibet, ne donator illam ſemel factam revocet, donec à donatore acceptetur, cujus conſenſu accedente & non ante illa incipit obligare ex juſtitia.

Dices: ſi interna promiſſio ſciretur à promiſſario, v. g. per angelum, & ab eo acceptaretur, utique obligaret ex juſtitia: ergo purè interna promiſſio &c.

Contra diſting. conſeq. ergo pura promiſſio ſine omni manifeſtatione neg. formali, ſed tamen cum æquivalenti conc. conſeq. unde verò vi juris naturalis obligaret talis promiſſio interna nota per angelum non ſecus ac unus angelus promittens per internam locutionem ſubſidium alteri angelo tale ſubſidium acceptanti naturaliter obligaretur non autem vi juris poſitivi, à quo requiritur externa promiſſionis manifeſtatio. Cæterùm etiam juramentum adjectum promiſſioni internæ ſolùm obliget promittentem ex virtute veracitatis & religionis, non adhuc ex virtute juſtitiæ; quia juramentum non facit in altero jus acquiſitum, cùm non faciat voluntatem alterius, quâ jus acquiritur. vide plura ex D. 8. q. 1. in ob. ad 1. & 2. aſſert.

Aſſero 2. *Nec promiſſio externa ante acceptationem ita obligat promittentem ex juſtitia naturali, ut ſine injuria revocari non poſſit.* Deducitur ex Scoto aſſert. priori cit. Eſtque contra Covaruviam & Rebellum. 11

Probatur: Tum quia ex ſola promiſſione externa nondum acceptata non acquirit promiſſarius jus ad rem promiſſam: ergo ſine injuſtitia poteſt promiſſor eam revocare. Antec. prob. ſola promiſſio non habet vim transferendi dominium rei promiſſæ in promiſſari-

um, niſi accedente conſenſu promiſſarii; ſicut nec ſola apprehenſio rei habet vim capiendi rem apprehenſam, niſi accedat animus & voluntas illam habendi ut ſuam; ſed anta acceptationem promiſſarii non adeſt conſenſus & voluntas promiſſarii habendi rem illam ut ſuam: ergo ante acceptationem promiſſio externa non obligat ex juſtitia. Tum quia nemo poteſt alterum invitum rei ſuæ Dominum facere: ergo nec poteſt quis rei ſuæ dominium transferra in alterum ante ejus liberum conſenſum; aliàs etiam poſſet ipſum invitum rei ſuæ dominum facere, ſi tota vis & efficacia transferendi dominium ſita ſit in conſenſu transferentis, & nullô pactô in conſenſu accipientis. Tum quia aliàs etiam obligaretur ex juſtitia, qui clauſus in ſuo cubiculo diceret clara voce: promitto Petro centum nemine tamen audiente, quod eſt incongruum.

12 Objicies: Leges ſtatuunt aliquas promiſſiones factas communitatibus vel piis cauſis ſortiri vim obligandi ante acceptationem. Pariter promiſſiones ad publicam ruinam reparandam, vel propter honorem aut beneficium collatum, ut habetur L. 4. ff. de pollicitationibus. Ergo ex ſe habent vim obligandi ex juſtitia.

Reſpondeo neg. antec. uti dictum eſt in obj. ad priorem aſſert. ad dices 2.

Dices: C. *qualiter.* de pactis. dicitur: *Studioſè agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur:* ergo.

Contra neg. conſeq. quia illud C. loquitur de promiſſione acceptata.

Dices: C. *ſi tibi abſenti.* de pactis. in 6. prohibetur Epiſcopo poſſe collationem beneficii Eccleſiæ abſenti factam, nedum tamen acceptatam revocare, & ſi revocaverit revocationem irritam eſſe: ergo valuit illa collatio ſine acceptatione.

Contra neg. conſeq. quia hic peculiari lege eſt excepta collatio beneficiorum Eccleſiæ authoritate Eccleſiæ; ſicut civili lege exceptæ ſunt donationes communitatibus factæ, ut paulò ante diximus.

Dices: natura promiſſionis gratuitæ quæ procedit ex animo liberali, ſtatim ſigno ſufficienti manifeſtata obligat promittentem; nec ullam ex parte promiſſarii requirit conditionem, ſi velit illam acceptare, cùm per hoc diſtinguatur à contractu oneroſo: ergo ſtatim obligat ex juſtitia.

Contra neg. ult. partem antec. & conſeq. nam licèt acceptatio non requiratur ut cauſa principalis, requiritur tamen ut conditio ſine qua non haberetur vis obligandi in actu ſecundo.

13 Aſſero 3. *Promiſſio ſemel acceptata obligat ex juſtitia ſub peccato mortali; ſi ſit de re notabili.* Deducitur ex Scoto priùs cit. Eſtque Leſſii, Sanchez, contra Molinam & Cajetanum.

Probatur 1. pars: Tum quia promiſſio acceptata tranſit in jus promiſſarii; ſed quod tranſit in jus alterius, ex juſtitia obligat, & citra injuſtitiam revocari non poteſt: ergo. Maj. patet: quia omnis contractus & promiſſione & acceptatione vim obligandi accipit. Min. prob. jus alterius non poteſt lædi; ſed per revocationem juris alterius acquiſiti ſine ejus conſenſu læderetur: ergo ex juſtitia obligat, ut non revocetur, ſed ſervetur promiſſum. Tum quia ſaltem jure Canonico promiſſio ſimplex etiam obligat in foro externo, ita ut ei detur actio, ut diximus D. 8. q. 1. in propoſitionibus: ergo ex juſtitia obligatur, cùm legaliter per judicium cogi poſſit. Tum quia, licèt dicatur talis obligatio naturalis fundari in promittente in virtute fidelitatis, quam homo homini tenetur ſervare, ne humanus convictus violetur, hâc enim ſublatâ omnia humana commercia, quæ in horum fide nituntur, tolli neceſſe eſt; attamen talis virtus eſt fundamentum juſtitiæ, ut dicit Cicero de officiis; quia in ea omnis humanus contractus fundatur, cùm hic eſſentialiter coaleſcat ex conſenſu plurium: ergo ſemper obligat ex juſtitia, & ideo tranſit ad hæredes promittentis, qui tenebuntur promiſſionem ſolvere, ſicut alias obligationes ex juſtitia.

Probatur 2. pars: Tum quia, qui frangit fidem in re gravi, notabile nocumentum infert bono publico; graviter enim lædit convictum humanum, ut paulò ante diximus: 14 ergo obligat promiſſio acceptata ſub gravi culpa; unde nec verum eſt; ut aliqui volunt, virtutem fidelitatis ſolùm obligare ad ſubeundam notam infidelitatis apud homines, ut ſibi in promiſſis non habeatur fides, & non ſub culpa gravi, cùm reverà ſeriò promittens includat obligationem ſervandi promiſſum; nam etiam ad notam infidelitatis incurrendam ſe obligat, qui tantùm aſſerit ſe facturum, quod ſpondet, eſto non habeat animum ſe obligandi: ergo ad plus obligatur, qui cum animo faciendi, quod dicit, habet etiam animum ſervandi alteri promiſſum; aliàs ſi non ad plus obligaretur, nec talis promiſſio tranſiret ad hæredes, uti nec tranſit obligatio faciendi verum, quod promiſſor dicit, quia eſt tantùm obligatio perſonalis, quæ ad hæredes non tranſit. Tum quia promiſſio facta Deo obligat ſub mortali, ergo & homini, cùm eadem ratio juſtitiæ obliget ad ſolvendum promiſſum Deo & homini; non enim tenemur Deo ſolvere promiſſum, quia Deus eſt, ſed quia liberè ad id nos adſtrinximus; unde ſi frangere fidem homini eſſet ſolùm veniale, quia eſſet ſolùm mentiri homini, etiam frangere votum Deo, eſſet ſolùm veniale, cùm nec mentiri Deo ſit culpa mortalis, v. g. ſi quis fictè abſque animo adimplendi voveat Deo,

Deo. Certum tamen eſt longè majorem quantitatem requiri ad obligandum promiſſorem ſub mortali, quàm ad furtum grave committendum, quia jus, quod Dominus in ſuis rebus habet, ne furto ſibi ſurripiantur, eſt perfectius & majus, cùm ſit jus in re, quàm ſit jus, quod promiſſarius acquirit ex nuda promiſſione acceptata, cùm hoc ſit ſolùm jus ad rem originatum ex liberali promiſſione, quod multis viis poteſt revocari.

15 Objicies: frangere homini fidem non opponitur juſtitiæ, ſed veracitati, cujus non ſolùm eſt verba menti conſona dicere, ſed etiam facta promiſſis exæquare; ſed veracitas per ſe non obligat ſub mortali: ergo. Maj. patet: ſicut mentiri eſt alios verbis decipere, ita fidem frangere eſt alios factis fallere.

Reſpondeo neg. maj. ſed opponitur fidelitati, quæ affinis eſt juſtitiæ, cùm veracitas ſolùm attendat aſſertionem externam conformare internæ nullum jus transferendo in audientem; fidelitas verò attendit facere verum jus, quod alteri promiſit; fidelitas autem tam benè quàm juſtitia poſſunt graviter obligare, ut dicitur in proba 2. hinc ad probam conc. tam mendacem quam infidelem decipere alterum, ſed mendacem abſque præjudicio alterius, ſed ſui tantùm, qui indignum ſe reddit, ut ſuis dictis fides habeatur, infidelem verò cum præjudicio alterius, in quem per acceptatam promiſſionem jus tranſtulit.

Dices: homines per ſimplicem promiſſionem communiter non intendunt ſe obligare ad mortale, cujus duo ſigna ſunt: primum; quòd nolint ſuper promiſſione jurare putantes, ſe ex ſimplici promiſſione non teneri; niſi de quadam benevola honeſtate. Secundum; ſi ab eis quæreretur, an ſe ſub mortali obligarent, idque negarent; & ideo parvi ſunt faciendæ promiſſiones, cùm juxta illud: *pollicitis dives quilibet eſſe poteſt*: ergo promiſſiones non obligant ſub mortali.

Contra diſting. conſeq. non obligant ex natura promiſſionis, ſi cætera adſint neg. non obligant ex defectu animi ſe obligare nolentis conc. conſeq. nam illô modô diſpoſiti non propriè promittunt; ſiquidem animus ſe non obligandi deſtruit promiſſionis naturam, non ſecus, ac ſi quis voveat, & non habeat animum ſe obligandi ad votum ſervandum.

Dices: ſi promiſſio ex natura ſua ita graviter obligaret, ſic ſi duo mutuò promittant, unusquisque independenter à promiſſione alterius, ſic unus non poſſet à promiſſione reſilire ea tantùm ratione, quòd alter ſuam promiſſionem non adimplevit; ſed hoc communiter negatur: ergo promiſſio non ita obligat.

Contra neg. poſſet min. nam ſatis probabiliter & communiter etiam docetur contrarium. Sed neg. maj. quia qui ſuam promiſſionem non adimplet, ſe reddit indignum, ut ab altero promiſſio ſervetur, & ideo ſaltem haberet aliquam rationabilem cauſam non ſervandi promiſſum, ideo à fortiori non tenetur promiſſum ſervare, qui promiſſionem fecit intuitu compenſationis ab altero ſibi factæ promiſſionis, hanc alterô non adimplente.

Addo: Promiſſiones validas variis tamen modis deſinere obligare: primò per condonationem promiſſarii potentis condonare. Secundò per mutationem ſubjecti: ſi ſcilicet res promiſſa fiat interim impoſſibilis vel illicita vel inutilis promiſſario, & magis nociva promittenti; ſic ſi promiſiſti, te cras viſitare templum, & incidis in morbum non obligaris, quia eſt impoſſibile. Si promiſiſti Religionem ingredi, & pater tuus interea extremè depauperatus tuâ indiget operâ non obligaris, quia eſt illicitum. Si promiſiſti cras te advocaturum Petro, & interim tuo filio accidit infirmitas paternam curam exigens, nôn obligaris, quia tibi magis eſt nocivum quàm alteri utile. Tertiò per epichejam: quando ſcilicet ſine culpa ſupervenirat talis mutatio rerum & circumſtantiarum, ita ut prudenti exiſtimatione cenſeatur promiſſor talem eventum non voluiſſe comprehendere, ſi tales circumſtantiæ menti occurriſſent, cùm ad tales donationes ſe non extenderit ſufficiens voluntarium juxta reg. juris in 6. in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus; licèt etiam juramentum eſſet adjectum, cùm etiam juramentum ſupponat hanc tacitam conditionem: ſi rerum ſtatos non notabiliter variaret; ſic ſi promiſiſti dare centum pauperi, ſi ipſemet cadas in talem paupertatem. Quartò: ſi adſit ſingularis ingratitudo promiſſarii; ſed de hac plura quæſt. ſeq. de donatione. 16

QUÆSTIO II.

Quæ, & quorum donationes, ac quo jure, ſint invalidæ?

ADvertendum eſt 1. Donationem benè definiri: quòd ſit rei ſuæ nullo jure cogente mera liberalitate facta traditio. Dicitur traditio; quâ differt à ſimplici promiſſione, quâ nullum dominium in alium transfertur. Dicitur rei ſuæ: ut aſſignetur tam cauſa materialis quàm efficiens donationis; materialis eſt res quælibet diſpoſitioni propriæ ſubjecta; efficiens eſt ille, qui habet rei plenum dominium, & adminiſtrationem nomine proprio; unde à poteſtate donandi excluduntur omnes, qui vel dominio carent, ut Religioſi; vel adminiſtratione, ut furioſi, prodigi, pupilli, minorennis; & quicunque à jure alienare prohibentur. Dicitur nullo jure cogente & liberaliter: quibus indicatur donationem non eſſe contractum oneroſum, qui ex parte donatarii requirit aliquam obligationem, cùm non habeat aliam cauſam, 1

quàm liberalitatem & munificentiam dantis; ideo donatio remuneratoria, quæ fit cauſa gratitudinis, eſt minùs perfecta donatio, ſiquidem non fit ex pura liberalitate; ſed habet conjunctum debitum gratitudinis; hinc in prohibitione donationum non comprehenduntur donationes remuneratoriæ, niſi aliud ex fine legis colligatur; ſimiliter nec leges odioſæ de donationibus debent extendi ad donationes remuneratorias.

2 Advertendum eſt 2. Donationem potiſſimùm dividi in donationem inter vivos, & in donationem mortis causâ: prima eſt, quâ donator ſe vivente vult dominium transferri in alium. Secunda eſt, quâ donator non niſi poſt mortem vult rem irrevocabiliter tranſire in dominium alterius. Donatio inter vivos triplici ex capite poteſt revocari: Primò propter ingratitudinem donatarii: ut ſi atroces injurias jactaverit in donatorem, ut ſi gravem jacturam in bonis intulerit, ſi manus impias injecerit, ſi donator factus inops à donatario non alatur &c. poteſt, licèt non teneatur revocare donationem, non tamen hæredes mortuo donatore poſſent ampliùs revocare à donatario ingrato. Secundò propter prolem ſupervenientem; unde ſi quis abſque ſpe liberorum magnam partem, hoc eſt, dimidium, & etiam infra dimidium ſuorum bonorum donâſſet, & poſtea proles legitimas ſuſciperet, poteſt, imò tenetur revocare donationem, & planè donatarius ante ſententiam judicis tenetur reſtituere, cùm novæ prolis nativitas naturali jure ſuccedat ad omnia bona patris, quod etiam jura in bonum prolis ſtatuerunt, cùm non præſumant patrem donâſſe, niſi ſub conditione, ſi non naſcantur filii, quæ donatio etiam ab hæredibus revocari debet, intellige tamen de filiis legitimis, vel legitimatis per ſequens matrimonium, non verò de illegitimis aut legitimatis per reſcriptum principis; nam hi jure civili non ſuccedunt in bonis patris, cùm tantùm mater ſit certa, pater autem incertus. Excipitur tamen donatio facta Eccleſiæ, aut piæ cauſæ, quæ non revocatur, niſi quantùm ad portionem legitimæ ſupervenientium prolium, cùm Eccleſia quoque inſtar filii reputetur; nihilominùs tamen ſtatuit Trid. Seſs. 26. c. 16. ut ſi aliquis novitius donationem fecerit bonorum ſuorum ante profeſſionem, & poſtea contingat eum non profiteri, omnia bona donata ſint reſtituenda donatori. Tertiò: ſi donatio fuerit inofficioſa, hoc eſt, contra officium paternæ pietatis in filios, ut ſi parens in tantum donaret, ut filii legitimâ privarentur, tunc enim querelâ à filio interpoſitâ per ſententiam judicis donatio infirmabitur, vel in totum, ſi facta fuerit extraneis, vel quoad partem quâ filii defraudantur, ſi facta fuerit aliis deſcendentibus, vel piis cauſis. Hæc communiter docentur ex Codice de inofficioſis donationibus.

Advertendum eſt 3. Donationem mortis
causâ etiam variè revocari poſſe: Primò ſola 3
pœnitentia donantis, eſt autem revocabilitas annexa donationi mortis causâ, ita ut ſi quis pactum adjiceret de non revocanda ampliùs donatione, non foret mortis causâ donatio, ſed inter vivos. Secundò revocatur, ſi donatarius præmoriatur donatori. Tertiò: ſi donatio fuerit facta ſub conditione pro tunc ſubſecuturæ mortis, & donator mortem evaſerit, tunc enim ceſſante conditione ceſſabit donatio; poteſt autem donatio causâ mortis conditionatè & abſolutè inſtitui: Primò, ſi in mortis periculo dicas: dono Petro centum, ſi in hac infirmitate diſceſſero. Secundò: ſi abſque poſita conditione velis poſt mortem, ſive nunc, ſive alio tempore futuram, hæc tradi Petro; ut autem cognoſcatur, quandò donatio facta ſit inter vivos vel causâ mortis, ut primò poſt mortem ſuum effectum habeat attendendum eſt; an facta ſit mentio mortis in donatione, nam ſi talis non ſit facta, erit donatio inter vivos, licèt ſit facta ab infirmo, & morti proximo. Poſſunt ergo donare causâ mortis omnes, qui poſſunt condere teſtamentum. Hæc de revocabilitate ſunt dicta, quæſtio autem potiſſimùm erit de valore donationum in communi, & præſertim Religioſorum & conjugum, nam donationem patris in filium nondum emancipatum eſſe invalidam, & pro arbitrio patris poſſe revocari, eſt certum, quia quamdiu filius eſt ſub patria poteſtate, cenſetur eſſe una perſona civilis cum patre, & ideo videtur pater ſibi donare, morte tamen patris confirmatur, quia tunc deſinit filius eſſe ſub patria poteſtate; hinc benè valet donatio patris in filium emancipatum, etiam matris in filium, quia filius non eſt in poteſtate matris; imò etiam in filium naturalem illegitimum, quia talis in jure civili non eſt in patria poteſtate. Cæterùm uxor varia habet bona; primò dotem, ſeu omne, quod datur à marito ratione matrimonii. Secundò bona paraphernalia, ſeu quæ uxor jam dotata habet, v. g. ex donatione, hæreditate &c. Tertiò bona donata propter nuptias, ſeu quæ à marito donantur ad dotem aſſecurandam. Quartò arrha, ſeu quod ſponſi ſibi mutuò tradunt in ſignum futuri matrimonii. Quintò dona matutinalia fortè in remunerationem pudicitiæ, quam nova conjux marito concedit, tradita. His notatis:

Propoſitio 1. *Donatio abſoluta dependens*
à rei ſtatu non poteſt revocari, mutato ſine cul- 4
pa ſtatu rei. Ratio eſt: quia immediatè & abſolutè transfertur rei donatæ dominium; hinc quondam Princeps aliquis ſuum unicum filium in noſtra Eccleſia Viennenſi ſepeliri fecit, & intuitu hujus lampades & calices nobis donavit, qui poſt aliquot annos ædificavit aliis religio-

ligioſis monaſterium, ad quorum Eccleſiam voluit transferri oſſs ſui filii, non potuit repetere donstionem oobis ſactam, quæ eſt irrevocabilis; tum quia eſt ſacta piæ cauſæ; tum quia ſine conditiooe fuit præſtita; nec obſtat translatio filii ob quem data ſunt donaria; quia talis translatio non eſt ſacta ex culpa monaſterii; ſicut ſi ſponſus ante matrimonium contractum mittit quædam donaria ſponſæ, hæc acquirit dominium, ita tamen, ut ſi ex culpa ſponſæ non ſequatur matrimonium, redeant ad ſponſum, oon verò ampliùs, ſi ſolùm ex culpa ſponſi non ſequatur.

5 Propoſitio 2. *Donati: ſub expreſſa promiſſione donationis non revocanda, etiamſi donatarius ſit ingratus, poteſt revocari, ſi non ſit juramento confirmata.* Ratio primi eſt: quia jura hoc ſtatuunt, uti in aſſertione videbimus, ne per hujusmodi promiſſiones detur liceotia & occaſio peccandi, eſſet autem talis occaſio peccandi illa donatio, ſi non poſſet revocari. Ratio ſecundi eſt: quia juramentum ſemper eſt ſervandum, quando absque peccato ſervari poteſt; ſed in propoſito caſu poteſt ſic ſervari, cùm oon peccet doosns ſuam donationem non revocando, poterit tamen facilè donans à tali juramento abſolvi etiam per poteſtatem ſæcularem ſaltem indirectè, & abſolutus ſuam donationem revocsre. Secus tamen eſſet, ſi juraret ſimpliciter, ſe non revocsturum donationem nulla facta expreſſione ingratitudinis; nam tunc juramentum ſequitur nsturam actûs, cui adjicitur, qui ex diſpoſitione juris habet, quòd ob ingratitudinem poſſet revocari.

6 Propoſitio 3. *Donatio remuneratoria ob ingratitudinem non poteſt revocari.* Ratio eſt: quia quod datur causâ remunerstionis eſt debitum debito ſaltem morali; ſed leges, eam tantùm donationem propter ingratitudinem revocandam ſtatuunt, quæ merè liberali & gratioſo animo facta eſt. Hinc ſimiliter nec propter ingraritudinem beneficiarii poteſt collatum beneficium revocari, quia collatio beneficii non tam eſt donatio ipſius collatoris, quàm diſtributio & executio munerum ac dignitatum, quas miniſtri Eccleſiæ nomine Eccleſiæ diſtribuunt; imo nec poſſunt conferre niſi dignis: ergo non eſt sbſolutè liberalis donatio. Imo nec poteſt in totum revocari donatio mille floreoorum, quam fecit Petrus Religioſis, ut filium ſuum ſuſcipiant, qui tamen ſe malè gerena iterum eſt exutus, quia talis donatio non fuit conditionalis, ſed modalis, quæ ſtatim transfert dominium & licèt fuerit conditionalis, fuit tamen conditio adimpleta, cùm filius fuerit ſuſeeptus, quòd autem iterum fuit ejectus, oon fuit culpa monaſterii, ſed filii, unde nec propter ingratitudinem revocari potuit; imò licèt injuſtè ejecerit, & ſe monaſterium ingratum exhibuerit, attamen non poſſet in totum revocari, quia talis donatio cenſetur facta DEO & cauſæ piæ, qui ingratus eſſe non poteſt. Vide ultra advert. 2.

7 Propoſitio 4. *Donatio juramento firmata, ſi donans expreſſè juravit, ſe donationem non revocaturum, etiamſi ſibi filii naſcantur, non poteſt revocari à donatore, benè tamen filii poſt talem donationem nati querelâ inofficioſæ donationis uſque ad legitimam & non ampliùs poſſunt revocare.* Ratio primi eſt eadem, quæ in propoſ. 2. niſi fortè pariter feciſſet totam donstionem animo inofficioſæ donationis, quia tunc juramentum eſſet de re illicita, utpote præjudiciali legitimæ filiorum, & iden ineptum ad obligandum. Ratio ſecuodi eſt: quis pater non potuit præjudicare juri, quod filii habituri eſſent ad legitimam ſibi debitam ex bonis parentis. Nec juramentum patris poteſt adſtringere filios, quia eſt perſonale, quod non tranſit ad hæredes, & cùm ſit in eorum præjudicium, non conſentire cenſentur in tale juramentum. His poſitis;

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Donationes ex defectu cauſa efficientis finalis, formalis, & materialis jure natura ſunt irrita.* Deducitur ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo.*

Probatur 1. pars: cauſa efficiens donationis eſt plenum & perfectum dominium ſuper tem donatsm; ſed hoc dominio deficiente non poteſt ſtare nsturs dooationis: ergo. min. prob. donatio eſt libera translatio dominũ rei donatoris in donatarium: ergo non ſolùm ſupponit in donatore dominium, ſed etiam sdminiſtrationem & liberum uſum rei, ut donans valeat perfectè diſponere de re; ſed hoc non procederet, ſi donans cum dominio tei non haberet libersm etiam diſpoſitionem ejusdem: ergo. hinc donatio à pupillo, dum eſt ſub tutore, à furioſo & prodigo, dum eſt ſub curatore, à filiofsmilias de bonis adventitiis, dum eſt ſub patre, ab uxore de bonis dotalibus, dum eſt ſub poteſtate viri, à Scholaſticis Societatis JESU, dum ſunt ſub Superiore, de natura ſua eſt irrita.

9 Probatur 2. pars: Cauſa finalis eſt honeſtas donationis; ſed hac deficienta non poteſt ſtare natura donationis: ergo. min. prob. omnis donatio Inducit aliquam obligationem; ſed nemo poteſt obligari ad peccandum: ergo deficiente honeſtate non poteſt ſtare natura donationis, ut ante commiſſum peccatum obliget donantem aliàs donando ob turpem cauſam cooperaretur peccato donatarii; hinc ſi quis donat ad pejerandum, homicidium patrandum &c. invalidè donat.

10 Probatur 3. psrs: Cauſa formalis donationis eſt eſſe voluntarium & liberum; ſed hoc defficiente nulla eſt donatio: ergo. min. prob. omnis donatio ſuum robur ſortitur à libera voluntate donantis, cujus eſt liberale donum; ſed omne liberum ſupponit voluntarium, ut ſpecies ſuum genus: ergo. unde jure naturæ irrita eſt dooatio per errorem ſubſtantialem facta, vel etiam facta furioſo, quis etiam in hoc deeſt voluntarium acceptandi, vel

facta

facta ſine animo donandi, & probabiliter etiam metu extorta, cùm donatio ſit de natura actio merè liberalis: ergo poſtulat procedere à voluntate ſpontanea, qualiter non procederet, ſi metu cogeretur.

11 Probatur 4. pars: Cauſa materialis donationis eſt materia poſſibilis & licita: ergo de re impoſſibili & illicita non poteſt eſſe donatio, cùm de his non ſit obligatio; hinc non valet donatio aſtrorum, vel ſuæ vitæ ad omnem ſervitutem ſubeundam, nec promiſſio amici de amico, quòd illum nunquam de perjurio vel dolo velit accuſare, cùm talia promiſſio eſſet inductiva malorum morum.

12 Objicies contra 1. partem: ille defectus adminiſtrationis quòd non poſſit verus Dominus de ſuis rebus diſponere; plerumque oritur ex aliqua lege poſitiva, non ex lege naturæ, quæ nobis cum dominio etiam adminiſtrationem concedit: ergo donatio ex defectu cauſæ efficientis non eſt jure naturæ irrita, ſed ſolùm jure poſitivo.

Reſpondeo neg. conſeq. nam etiam poſita lege poſitiva prohibente adminiſtrationem, donatio eſt jure naturæ irrita, nec eſt quid novi ex jure poſitivo oriri jus naturæ, nam etiam poſito jure poſitivo divino & confeſſione facienda; eo ipſo oritur jus naturale, quo unusquiſque fidelis tenetur ſuæ ſaluti conſulere, eam in periculo mortis aſſumere; hinc dici poteſt, illam donationem jure poſitivo quidem eſſe irritam radicaliter; formaliter verò de jure naturæ.

13 Objicies contra 2. partem: ex D. priori q. 2. ob. ad aſſert. 4.

Objicies contra 3. partem: contractus oneroſi metu celebrati non ſunt jure naturæ invalidi defectu voluntarii liberi: ergo nec donationes tali metu præſtitæ.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: quia hujuſmodi contractus, cùm ex utraque parte transferant jus unius in alterum, naturâ ſuâ non poſtulant tantam libertatem, & ſpontaneitatem, quantam poſtulat donatio, quæ ſolùm transfert donantis in donatarium, nullo translato jure donatarii in donatorem; hinc etiam eſt, quod communiter teneant authores, votum indeliberatè emiſſum non obligare: quia cùm votum ſit quædam liberalis promiſſio facta DEO, naturâ ſuâ poſtulat fieri animo deliberato.

14 Objicies contra 4. partem: donatio prodiga quoad exceſſum eſt de materia illicita & vitioſa; ſed hæc non eſt jure naturæ irrita: ergo defectus materiæ non invalidat jure naturæ donationem. maj. patet à pari: quia nobilis & dives puella, quæ prodiga ſuæ nobilitatis & divitiarum matrimonium contraxit cum ignobili & paupere, tenetur ex juſtitia ſtare contractui, eſto peccaverit ſuam nobilitatem & opes prodigendo.

Reſpondeo diſting. maj. eſt de materia vitioſa antecedenter & ex parte donatoris conc. conſequenter & ex parte donatarii neg. nam donatarius non tenetur inquirere, an illa donatio excedat facultatem donantis, & ideo legitimè acceptat, quâ acceptatione poſitâ exurgit in donante novum debitum juſtitiæ; inter duo autem debita ſemper, quod majus eſt obligat, quale eſt debitum juſtitiæ, & in tali adimpletione non erit peccatum; cùm debitum morale non exequendi donationem prodigam ſuperetur ab arctiori debito juſtitiæ, quod illi accedit ex legitima acceptatione donatarii.

Aſſero 2. *Jure poſitivo invalidæ ſunt donationes omnium bonorum tam præſentium quam futurorum, donationes inter conjuges, & donationes Religioſorum.* 15 Eſt juris civilis & Canonici; & Scoti in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo.*

Probatur 1. pars: donatio omnium bonorum aufert à donante poteſtatem teſtandi; ſed hoc cenſetur eſſe contra bonos mores, qui in omni benè inſtituta republica debent adeſſe: ergo jure poſitivo bene ſtatuitur invalida; hinc jure Cæſareo maxima ſumma, quam quis poteſt donare ſine inſinuatione, ſunt quingenti ſolidi ſeu aurei ut habetur L. 36 *ſi quis. §. 3. cæteris etiam.* C. de donationibus.

Excipe tamen primò: ſi talis donatio fieret Eccleſiæ, aut piæ cauſæ. Secundò: ſi fieret militibus à ſuo colonello ſive in bello ſive extra bellum. Tertiò: ſi fieret à Principe Superiorem non recognoſcente. Quartò: ſi firmaretur juramento. Quintò: ſi fieret in remunerationem.

Probatur 2. pars: L. 2. & 3. ff. de donationibus 16 inter virum & uxorem. Statuitur: omnem donationem inter virum & uxorem eſſe interdictam, ut ipſo jure nihil valeat, quod actum eſt, & quidem ex variis rationibus, primò: ne amor & concordia pretio vendatur. Secundò: ne conjuges mutuo amore ſe bonis ſuis ſpolient. Tertiò: ne profuſia donationibus impediatur ſtudium educandi proles. Quartò: ne detur occaſio faciendi divortia, ſi ſcilicet conjux, quæ poſſet, donaret alteri: ergo.

Excipe tamen primò: ſi talis donatio morte donantis confirmaretur, dummodo mors donantis præcedat mortem donatarii, requiritur tamen adhuc, ut talis res donata ante mortem ſit tradita naturaliter vel civiliter, quod etiam verum eſt de morte civili, ut ſi unus conjugum mittatur in exilium, vel ingrediatur Religionem bonorum incapacem. Secundò: ſi talis donatio confirmaretur juramento, ut ſi conjux juret ſe non revocaturum donationem. Tertiò: ſi conſtet matrimonium defectu alicujus conditionis fuiſſe nullum. Quartò: ſi donatio ſit facta à ſponſo ſponſæ ante contractum matrimonii: etiamſi traditio fiat ſtante matrimonio. Quintò: ſi Impe-

Digitized by Google

Imperator donet Auguſtæ, vel viciſſim, poteſt enim diſpenſare in ſua lege. Sextò: ſi conjux conjugi det ad Inſtaurationem ædium ſuccenſarum. Septimò; ſi donans ex donatione non fiat pauperior, nec donatarius ditior, ut ſi maritus det uxori ad ſucos & unguenta emenda, ad dandas eleemoſynas. Octavò: ſi det, ut aliquam dignitatem acquirat, v. g. ut fiat Doctor. Nonò: ſi fiat cauſâ remunerationis.

17 Probatur 3. pars: in Bulla Clementis VIII. ſtatuitur: Religioſi nihil donent tam ex fructibus, reditibus, aliiſque proventibus ſive certis ſive incertis, denique ex nullis bonis, quæ à regularibus adminiſtrantur cuicunque perſonæ ſive laicæ ſive eccleſiaſticæ cujuscunque ſtatûs, dignitatis, vel ordinis; imo inter ipſos Religioſos (ne prava ambitione impulſi pro ſubſequendis in ſua Religione dignitatibus, alter alterius gratiam aucupetur) quæcunque donatio munerum ſit penitus interdicta, quòd ſi ſecus fecerit, eo ipſo omnibus dignitatibus obtentis ſunt privati &c. ergo tales donationes ſunt invalidæ, & quidem planè jure naturæ in Religioſo particulari, cùm invalida ſit donatio, quæ non procedit à vero Domino, uti aſſert. priori dictum eſt.

Excipe tamen primò: ſi donatio fiat à Superiore non quoad magnam quantitatem. Secundò; ſi fiat circa majorem quantitatem cum conſenſu majoris Capituli. Tertiò: ſi fiat cauſâ gratitudinis, aut alicujus virtutis erga Religionem vel monaſterium.

18 Objicies contra 1. partem: valida eſt donatio omnium bonorum præſentium: ergo etiam præſentium & futurorum. antec. tenet Covarruvias L. 3. var. Q q. C. 12.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: quia donatio omnium bonorum præſentium non adimit poteſtatem teſtandi de futuris; ſimiliter ſi donator reſervet ſibi aliquid ex bonis ſuis, ut ſaltem uſumfructum. Item; ſi donet omnia bona ſua præſentia & futura cauſâ mortis, ut ſæpè fit inter conjuges, qui paciſcuntur, ut ſuperſtes habeat omnia, valebit donatio, quia talis non aufert teſtandi poteſtatem, poteſt enim donator non obſtante tali donatione alium hæredem inſtituere, qui etſi poſtea teneatur donatario dare juxta conventa in donatione, poteſt tamen detrahere falcidiam, id eſt, quartam partem, & eandem ſibi retinere, ut dicemus diſt. ſeq.

Dices: etiam valida eſt donatio inter vivos omnium bonorum præſentium & futurorum, ſi fiat Eccleſiæ: ergo etiam quævis alia à pari.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: tum quia talis donatio non poteſt cenſeri contra bonos mores: ſi enim poſſum perſonam meam tradere Eccleſiæ vel monaſterio, cur non etiam omnia bona? tum quia jus civile non poteſt impedire officia pietatis & conſilia evangelica; ſed donatio talis eſt officium pietatis & conſilium Chriſti juxta illud: vade, & vende omnia, quæ habes &c. ex quo patet donationem talem ex natura rei non involvere inhoneſtatem ex objecto, ſed ſolùm ex circumſtantia prohibitionis poſitivæ.

Objicies contra 2. partem: Petrus ſeniculus duxit Paulam juvenem & nobilem, ſed pauperem, à qua multum nobilitatus erat, ideo donavit ei multa pretioſa, & quidem validè; ſed talis donatio fuit inter conjuges: ergo etiam jure poſitivo eſt valida.

Reſpondeo diſting. min. ſed talis fuit inter conjuges ſimpliciter liberalis neg. fuit inter conjuges remuneratoria conc. min. nam illa donatio potiùs fuit remuneratio, quàm dedit Petrus pro nobilitate & juvenili flore conjugis; unde Petro mortuo potuit Paula licitè expendere illa pretioſa pro ſuo ornatu nihil reſervando filio è Petro ſuſcepto, nam de illis licitè poteſt diſponere Paula, quæ à marito titulo oneroſo & remuneratorio accepit; ſiquidem onus & meritum compenſari debent; ſed illa pretioſa accepit Paula à marito titulo illo, cùm illum multum nobilitaverit: ergo de illis potuit ad libitum diſponere. Vide plura in exceptione à 2. proba aſſert. 2.

Objicies contra 3. partem: Religioſus nuper eſt electus in Prælatum, qui multa dona dedit officiali & commiſſariis; ſed iſti ſciunt Bullam Clementis VIII. & tamen non reſtituunt: ergo validè fit donatio à Religioſo. 20

Reſpondeo conc. totum: quia illa donatio non fuit purè gratuita, ſed remuneratoria; hinc Urbanus VIII. explicat Bullam Clementis VIII. ſic; quod ex cauſis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejúsque conſervationis erga Religionem vel conventum, aliiſque cauſis actum virtutis & meriti continentibus valeat donatio, dummodo hæc fiat cum conſenſu majoris partis capituli. Sed hæc de Superioribus ſunt dicta! ſubditi enim Religioſi nullo modo poſſunt donare, ne quidem ad pias cauſas, niſi ex conſenſu Prælatorum expreſſo vel tacito; unde qui verſantur extra monaſterium in ſtudiis, poſſunt facere eleemoſynas, aliáſque expenſas minutas, quas uſus receptus habet, quia cenſetur adeſſe tacitus conſenſus Superioris, niſi conſtet de contrario, nullo tamen modo poſſunt facere expenſas ad res illicitas, v. g. ad turpes voluptates, & quidquid hoc modo receptum fuerit, erit reſtituendum, quia non poſſunt ob hanc cauſam transferre dominium.

DISTINCTIO XI.

De Juſtitia in teſtamentis, codicillis, legatis, & eorum deductionibus per falcidiam & trebellianicam.

QUÆSTIO I.

An teſtamentum ſcriptum ſine ſolemnitatibus ſit etiam in foro animæ nullum, & ſi non ut ſcriptum, valeat ſaltem ut nuncupativum?

1 ADvertendum eſt 1. Scotum in ſuis libris nihil de teſtamentis tractare; quare pro his ex juriſtis ſtudendum erit. Viſis igitur de donationibus, cùm donatio mortis cauſa ſit aliqua ſpecies ultimæ voluntatis, hic ulterius ultima voluntas, quæ maximè per teſtamenta pateſcit, conſideranda venit; eſt autem ultima voluntas juſta ſententia voluntatis noſtræ de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult. Et dicitur ultima non per comparationem ad alias priores diſpoſitiones, ſed per ordinem ad terminum vitæ, eò quòd ad mortem usque irrevocata perſiſtat; ſunt autem quinque ſpecies ultimæ voluntatis: ſcilicet teſtamentum, codicillus, legatum, fidei commiſſum, & donatio mortis causâ, ex quibus teſtamentum definitur L. 1. ff. de teſtamentis: quòd ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult cum directa inſtitutione hæredis, vel breviùs: eſt ultima voluntas, quâ directè inſtituitur hæres.

2 Advertendum eſt 2. Jure antiquo dividi teſtamentum in illud; quod fiebat calatis comitiis tempore pacis bis per annum convocato populo, & in illud in procinctu, quod ſub vexillis & centurionibus cives romani mox bellum aggreſſuri edicebant, ac in illud, quod dicebatur per æs & libram, quod per imaginariam venditionem coram quinque teſtibus fiebat, numiſmate pro hæreditate oblato, ut habetur Inſt. de teſtamentis. Jure verò novo dividitur teſtamentum in pias & profanas cauſas, in teſtamentum inter liberos & extraneos, in teſtamentum militare & paganicum, ſeu quod fit extra militiam, in teſtamentum publicum & privatum. Primum eſt: quod publicâ fit authoritate, ſive ſi teſtator ultimam ſuam voluntatem per libellum ſupplicem offerat Principi, ſive ſi authoritate judicis in vel extra judicem fiat, & dicitur teſtamentum ad acta. Alterum eſt: quod fit privata authoritate teſtatoris & iterum dividitur in ſolemne & minùs ſolemne. Illud eſt, quod omnibus ſolemnitatibus à jure requiſitis eſt inſtructum, hoc eſt, quod quibusdam caret, quale eſt teſtamentum ad pias cauſas, inter liberos, ruſtici, militis, & tempore peſtis factum, quæ teſtamenta dicuntur privilegiata, & ad hæc duo ſufficiunt teſtes; imo in teſtamento inter liberos ſufficit, ſi ſcriptura præſertim manu propria exarata, quæ dicitur teſtamentum holographum reperiatur in ciſta patris, vel matris, quâ inſtituit liberos etiam ſine teſtibus, quod auditur in curia auſtriaca. Et habetur C. de teſtamentis.

Advertendum eſt 3. Teſtamentum ſolemne potiſſimum dividi in ſcriptum & nuncupatum. Primum eſt, quod in ſcripturam redactum eſt cum ſuis ſolemnitatibus, teſtibus, nempe ſubſcriptis & ſubſignatis. Alterum eſt, quod vivâ voce coram ſeptem illis rogatis teſtibus profertur, & nuncupatur hæres; paucioribus ergo abſolvitur teſtamentum nuncupativum, nam in eo non eſt opus ſubſcriptione & ſigillo, quamvis etiam conſultum ſit, ut illi, qui ſolùm volunt nuncupativè teſtari facilioris probationis causâ curent à publico notario voluntatem nuncupatam ſcripturâ authenticâ excipi. Differt ergo nuncupativum à ſcripto maximè in hoc, quod de eſſentia nuncupativi ſit nuncupatio, hoc eſt, talis manifeſtatio hæredis, ut indubitanter hæres innoteſcat teſtibus, quod quidem communiter fit, ſi teſtator voce articulata proferat nomen hæredis, ſive nomen proprium exprimat, ſive alio modo circumſcribat, ut intelligatur de quo loqui velit, etiam ſufficeret, ſi in præſentia teſtium propria manu hæredem ipſis ſpectantibus ſcriberet; vel priùs ſcriptum legendum exhiberet, aut indubitantibus ſignis indicaret hunc ſe velle eſſe hæredem. Econtra verò teſtamentum ſcriptum, etſi non pugnet cum hæredis manifeſtatione, hanc tamen non requirit; imo in hunc finem introductum eſt, præcipuè ut hæres poſſit latere teſtes, ut habetur L. *hac conſultiſſima* 21. C. de teſtamentis. 3

Advertendum eſt 4. Ad teſtamenti ſcripti ſolemnitatem tres requiri conditiones: prima eſt, ut adſint ſeptem teſtes idonei ad id vocati & rogati, qui uno eodémque tempore ſubſcribant, & ſigillent teſtamentum proprio vel alieno ſigillo, & ſufficerent etiam tales teſtes, qui fortuitò vel viſitationis gratiâ veniſſent ad infirmum, dummodo priùs admoneantur de aſſiſtendo in teſtamento conficiendo; non verò ſufficeret, ſi æger decumbens nec potens plura loqui, quam ita vel non, qui priùs nullum indicavit deſiderium teſtandi, notarius cum teſtibus concipiat teſtamentum, & ei prælegat, ac interroget, an approbet illud vel non? & reſpondeat: ita. Quia tales teſtes non ſunt ad id ullo modo rogati; nec ſic caverentur fraudes, quas maximè cavere ſatagunt leges requirentes ſolemnitatem certam, & æger in tali caſu præſumitur potiùs ad ſubmovendam moleſtiam interrogantis quam animo ſeriò diſponendi reſpondiſſe, & facilè talis notarius pro perſona ſuſpecta haberi poteſt; idonei autem teſtes eſſe non poſſunt furioſi, cœci, muti, ſurdi, prodigi & infames, præterea nec do- 4

meſtici

meſtici teſtatoris, vel ipſius hæredis, nec ipſe hæres, cùm nemo in proprio negotio poſſit eſſe teſtis; per domeſticos autem intelliguntur ii, quorum alter eſt in alterius poteſtate, vel ambo in poteſtate tertii, ſic filius non poteſt eſſe teſtis in teſtamento patris, vel econtra, nec frater in teſtamento fratris, benè tamen maritus in teſtamento uxoris, frater emancipatus, famulus conductus, legatarius, fidei commiſſarius &c. Rottus nec impubes poteſt eſſe teſtis. Tandem nec fœmina, quia mulier eſt fragilis & corruptibilis, ut dicit gloſſa, attamen in teſtamento ad pias cauſas, vel inter liberos, & aliis privilegiatis poteſt eſſe teſtis, cùm illi teſtes non requirantur ad formam ſolemnitatis, ſed tantùm probationis causâ, quòd talis voluntas ſit teſtatoris. Cæterùm cùm confeſſarius, Religioſus, parochus in nullo jure excludantur, ſemper poſſunt eſſe teſtes. Secunda conditio eſt, ut nomen hæredis ab ipſo teſtatore, vel per alium ſcribatur, quòd ſi neſciat ſcribere, adhibendus eſt teſtis octavus; qui loco teſtatoris ſubſcribat, ut autem ſubſcriptio rectè fiat, debent teſtes non ſolùm ſuum nomen, ſed etiam teſtatoris exprimere, ut annotent, cujus teſtamentum ſignificaverint, ſufficit tamen, ſi duo ex teſtibus id exprimant, & ſi unus locò alterius ſubſcribat, ſi ſcribere neſcit. Tertia conditio eſt, ut totum teſtandi negotium uno contextu, hoc eſt, tempore continuo: eodemque loco fiat, modicum tamen intervallum ex aliqua neceſſitate per aliquem actum extraneum: ſeu non pertinentem ad ultimam teſtatoris voluntatem non officeret.

5 Advertendum eſt 5. Hæc omnia, quæ hactenus de ſolemnitate dicta ſunt, ſolùm habere locum ſecundum jus Cæſareum commune ſecluſis ſpecialibus, locorum conſuetudinibus, nam ut teſtatur Haunoldus Tom. Tract. 6. c. 2. controv. 2. in Auſtria duo ſufficiunt teſtes in omni teſtamento; imò jure Canonico in teſtamentis non ſolùm piis, ſed etiam profanis duo ſufficiunt teſtes cum parocho, ut habetur tit. de teſtamentis. ubi, cùm Pontifex in teſtamento pio duos vel tres teſtes non requirat tanquàm de forma (licèt hos teſtes & parochum in aliis teſtamentis ſui juris etiam requirat de forma, ut habetur C. *cum eſſes.* de teſtamentis) ſed tanquam medium idoneum ad probandam ultimam voluntatem defuncti, quia Summus Pontifex eo modo teſtes requirit ad teſtamentum pium, quò de jure naturæ requiruntur ad alios actus; ſed ad hos duo vel tres teſtes jure naturæ requiruntur non tanquam de forma, ſed tanquam medium idoneum ad probandum; ideo ſi aliò modò, v. g. per ſcripturam à notario ſignatam ſufficienter probetur ultima voluntas defuncti, non eſt opus duobus teſtibus. Imò ſi confeſſarius monſtret hæredi ſchedam dicentis Defunctum hæc ante mortem ſcripſiſſe, ut ſuo monaſterio centum numeret, abſque ullo teſte tenetur hæres in conſcientia illa ſolvere, ſi manus teſtatoris agnoſcatur; quòd ſi verò ipſemet confeſſarius hoc legatum ſcripſit, non creditur ei, niſi habeat duos teſtes, inter quos etiam fœmina, vel teſtis non rogatus eſſe poteſt; imo dicit Laymon unum teſtem cum confeſſario ſufficere, ſi teſtator in teſtamento, vel coram teſtibus dixit ſe velle quædam ad pias cauſas erogare. Præterea etiam legata ad profanas cauſas in pio teſtamento ſine ſolemnitatibus facto inſerta ſunt præſtanda, quia tenente principali etiam acceſſoria ſubſiſtunt, quinimò etiam legata ad pias cauſas contenta in teſtamento profano ex defectu ſolemnitatum nulla ſubſiſtunt, utpote jure pontificio à ſolemnitatibus juris exempta. Hæc pro praxi moderna ſunt benè notanda, interim his notatis:

Propoſitio 1. *Poteſtas teſtandi præcipuè & formaliter eſt juris poſitivi.* Ratio eſt a quia bona defunctorum ex natura rei ſunt bona vacantia, & quaſi derelicta, & cederent ex natura rei primò occupanti: ergo jure poſitivo admittitur teſtari, de ſuis relictis diſponere, & quidem variis ex cauſis: primò ne ſit occaſio inſidiandi vitæ eorum, qui ſe ſciunt ex lege ſuccedere. Secundò: quia pietas videtur exigere à republica, ut hôc ſolatiô ſuos ſubditos proſequatur, ut integrè de ſua ſubſtantia poſſint diſponere. Tertiò. ut membra reipublicæ haberent rationabile incitamentum congregandi divitias ad ſuſtentationem commodam, & abducerentur à prodigalitate, quâ inficerentur, ſi ſcirent ſe non poſſe ſua relinquere, quibus vellent. Antec. verò prob. privatus homo non habet à natura poteſtatem diſponendi de ulla re pro illo tempore, quô ipſe omnis juris incapax eſt; ſed talis eſt teſtator poſt mortem: ergo ſicut non poſſum nunc diſponere de re, quæ quidem aliquando mea fuit, nunc autem non amplius eſt, ita ex natura rei præcisè non poſſum diſponere de re pro illo tempore, quô non poteſt eſſe mea. 6

Nec dicas: poteſtas teſtandi eſt juris naturalis & gentium, cùm teſtator ſit verus Dominus ſuarum rerum, & pro tunc habeat voluntatem diſponendi de re ſua, ſicut vult, quod utique ex natura rei ei competit; ergo.

Reſpondeo diſting. antec. eſt juris naturalis & gentium conformiter conc. formaliter neg. unde poteſtas teſtandi ſolùm eo ſenſu dici poteſt eſſe juris naturalis & gentium, quòd rationes, ob quas poteſtas teſtandi conceditur, ſunt valdè conſentaneæ naturæ, ſicut etiam conſentaneum eſt naturæ, ut homo ab homine gubernetur, quod tamen per legem poſitivam inducitur, non autem eſt ita juris naturalis, ut niſi lex exſtaret, quæ ſua authoritate ultimas voluntates ratificaret vi ſupremi dominii,

minii, adhuc teſtamenta ſuum robur haberent; nam rem benè conſiderando, ultimæ voluntates ſunt potiùs adinſtar deſiderii, quàm actus imperantis effectus, quò quis ſibi imperat motum localem, qui niſi impedimentum ponatur, connaturaliter ſequitur, non enim ita ex natura rei ſequitur translatio dominii ad voluntates ultimas, ſed quia hæc ſunt quædam rationabilia deſideria, ut bona noſtra potiùs ad hos, quàm alios perveniant; hinc tale deſiderium, quod intrinſecè potiùs habet rationem velleitatis, extrinſecè fit voluntas efficax per legem poſitivam ratificantem, ex quo etiam conſtare poterit teſtamentum ſine ſolemnitate debita eſſe nullum & ineptum ad jus dandum hæredi, quia nempe deficit voluntas ſuprema ratificativa.

Propoſitio 2: *Incapaces teſtandi ſunt ſe-*
7 *quentes:* primò jure naturali infantes, furioſi, amentes, & quicunque carent uſu rationis, niſi habeant lucida intervalla, ubi intermiſſæ amentiæ tempore poſſunt condere teſtamentum, etiamſi poſtea recidant in amentiam. Amentibus æquiparantur ebrii, quia ebrietas perfecta mentis exilium inducit, & uſum rationis evertit; hoc etiam dicitur de vehementi iracundia, vel amoris paſſione, quæ etiam cerebrum evertunt, nam ira brevis furor & amor inſania eſt. Secundò lege civili inteſtabilis eſt ſurdus ſimul & mutus, ſi literas neſcit, quia nequit ſuæ voluntatis juſtam ſententiam explicare, neque ſolo nutu teſtari ad cauſam profanam ei conceſſum eſt, ad pias tamen cauſas poterit ſolo nutu extenſo teſtari, dummodo de ipſius voluntate certò conſtet. Tertiò cæcus utrôque oculô ad teſtamentum ſcriptum, attamen ad teſtamentum nuncupativum admittitur, dummodò adhibeat cautelas præſcriptas in L. conſultiſſima; excipitur autem iterum cauſa pia, in qua ſolemnia juris remiſſa ſunt, & ſolùm ſolemnitates juris gentium deſiderantur. Quartò prodigi declarati per ſententiam judicis, qui neque codicillarem diſpoſitionem, neque donationem mortis cauſa poſſunt facere, ſuntque pejoris conditionis quàm minorennes, qui licèt inter vivos non poſſint, poſſunt tamen diſponere causâ mortis. Quintò impuberes, quibus ſupponitur deeſſe ſufficiens judicium, ſufficit tamen ultimum diem ad tempus pubertatis jam eſſe inchoatum, ut poſſint teſtari. Sextò ob delictum poſt ſententiam declarativam criminis, qui tale crimen commiſerunt, cui annexa eſt inhabilitas teſtandi; uti ſunt, qui Cardinalem hoſtiliter ſunt inſecuti, vel percuſſerunt, & eorum cooperatores, ut habetur de pœnis in 6. vel condemnati ex libello famoſo vel qui inceſtuoſas nuptias, ut frater cum ſorore &c. ſcienter contraxerunt; item hæretici & eorum receptores, uſurarii publici, rei læſæ Majeſtatis, damnati ad mortem naturalem vel civilem, ut exilium &c. qui & plures alii inteſtabiles pro facilitate memoriæ his verſibus comprehenduntur:

Teſtari nequeunt impubes, Religioſus,
Filius, in ſacris, morti damnatus, & obſes.
Prodigus, ac ſtultus, dubius, ſervus, furioſus.
Crimine damnatus cum muto ſurdus & ille,
Qui Majeſtatem læſit ſic cæcus & ipſe.

Nec dicas: in Imperio hæretici viventes inter Catholicos validè teſtantur; imò etiam alii damnati ad mortem naturalem vel exilium: ergo ex delicto non redduntur illi præfati incapaces ad teſtamentum condendum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illæ leges id ſtatuentes valdè ſunt mitigatæ, & modò ſublatæ per contrariam conſuetudinem, niſi quando condemnatio ad extremum ſupplicium ſimul conjugatur cum confiſcatione bonorum, ut docet Malderus; hinc etiam hæretici in Imperio tolerati, ut Lutherani & Calviniſtæ modò omnino validè teſtantur, quia hoc vi pacis Oſnabrügenſis conceſſum eſt.

Propoſitio 3. *Teſtamentum ſcriptum non vitiatur, quandò ipſe teſtator propria ma-* 8
nu non ſcripſit, ſed alius hæredum nomina, dummodo ipſe propria manu, vel per octavum teſtem in finem hunc adhibitum teſtamentum ſubſcribat in præſentia teſtium. Ratio eſt L. *& non.* C. de teſtamentis. ubi dicitur: *ſubvenitur teſtamentis, ſi per ſe ſive per alium quis inſcribat nomen hæredis.* & ultra in L. *conſultiſſima.* dicitur: *Coram teſtibus propria manu ſubſcribat, vel octavo ſcriptore pro eo adhibito.* Quòd autem hæc ſubſcriptio debeat fieri præſentibus teſtibus, ratio legis eſt: quia alioquin teſtamentum non eſſet uno tractu confectum, nam ſicut teſtes in præſentia teſtatoris, ita teſtator in præſentia teſtium ſubſcribere debet, & non ſufficeret ſubſcriptio facta in abſentia teſtium: ergo.

Nec dicas: L. 28. C. de teſtamentis dicit: *ſi quis ſuâ manu totum teſtamentum vel Codicillum conſcripſerit, ſufficit ei totius teſtamenti ſcriptura*: Ergo ſaltem in teſtamento ſcripto in hoc caſu non requiritur ſubſcriptio teſtatoris.

Reſpondeo neg. conſeq. nam non eſt quidem de jure communi, ſi teſtator totum teſtamentum, vel ſaltem nomina hæredum propria manu ſcripſerit, ut iterùm ſubſcribat, vel octavum teſtem adhibeat, debet tamen hoc ipſum, quod ſua manu ſcripſerit in ſcriptura reponere expreſsè, ut etiam expreſsè in illa lege nobis contraria continetur, & hoc eſſet ſaltem ſubſcriptio æquivalens; imò etiam aliqua jura municipalia adhuc deſiderant in hoc caſu formalem ſubſcriptionem; unde in hoc conſuetudines locorum debent attendi. Cæterùm

terùm abſolutô ſemel teſtamentô, poteſt coram teſtibus teſtator adhuc adjicere codicillum, vel aliqua præcisè ad declaranda quædam obſcura, ut declarando quantitatem vel qualitatem pecuniæ, quia non dat, ſed tantùm ſignificat pro tunc aliquid; non verò poteſt immutare aliquid aliis dando, niſi omnia ex integro repetantur, ut habetur L. 21. ff. qui teſtamentum facit.

9 Propoſitio 4. *In teſtamento nuncupativo probabiliùs eſt non valere nuncupationem hæredis cum relatione ad ſchedam, v. g. inſtituo hæredem eum, quem in ſcheda apud confeſſarium meum depoſita deſignavi.* Ratio eſt ex L. 29. C. de teſtamentis, ubi clarè dicitur: *ſi autem forſan ex morbi acerbitate, vel literarum imperitiâ hoc facere minimè potuerit teſtibus præſentibus nomen hæredis ab eo nuncupari poteſt, ut verò ſciant teſtes* (hoc eſt non eô modô ſolùm, quô etiam ſciunt teſtes teſtamenti ſcripti) & ultra. *Quod ſi non fuerit obſervatum, & nomen hæredis non fuerit voce coram teſtibus nuncupatum, hoc teſtamentum ſtare minimè patimur.* Sed in ſententia adverſariorum, de Scheda apud confeſſarium, non eſt verum dicere, quòd teſtes ſciant, qui ſit ſcriptus hæres, qui ſolùm in confuſo & implicitè propter chartam ſciunt, certè non poſſem dici ſcire, quis ſit pater meus, ſi plus non ſcirem, quàm eum eſſe patrem meum, qui me genuit: ergo.

Nec dicas: id, quod per relationem ad aliud certificatur, poteſt æquè certum eſſe, ac ſi digitô vel voce demonſtraretur, ut habetur L. 6. ff. de rebus creditis. item L. 9. ff. de teſtamentis. Si quis nomen hæredis quidem non dixerit, ſed indubitabili ſigno eum demonſtraverit, quod penè nihil à nomine diſtat, valet inſtitutio: ergo quodcunque ſignum ſufficiet; ideo etiam ſcheda, ſicut in teſtamento ſcripto poteſt fieri relatio hæredis ad codicillum, non obſtante, quòd lege Codicis requiratur, ut nomen hæredis ſcribatur in teſtamento.

Reſpondeo diſting. conſeq. ſufficiet quodcunque indubitabile ſignum vocale, vel clarè ſcientificum hæredis conc. vel quodcunque cum relatione ad illud neg. conſeq. itaque licèt non proferatur nomen hæredis ſi tamen deſcribatur aliô modô, ut perinde ſit, ac ſi eſſet nominatum, v. g. ſi diceret per pronomen digito monſtrando: hic mihi hæres eſto! valebit nuncupatio; hinc ad 1. legem dico: illam procedere in contractibus ubi licèt quædam verbis non ſint expreſſa, ſubintelliguntur tamen ex natura ipſius actus, quem agimus, quod non eſt dicendum de teſtamentis, ubi ſolemnitates pro forma ſubſtantiali requiruntur, & ideo æquivalens forma non ſufficit, licèt etiam ſit plenior & perfectior; hinc teſtimonium mille fœminarum non poſſet æquivalere quoad certitudinem unius maſculi in teſtamentis. Item mille teſtes non rogati non ſufficiunt pro uno rogato, quia ſi liceret, ſolemnitates juris per æquivalentias ſupplere, magnæ confuſionis eſſet periculum, & innumera teſtamenta eſſent dubia, ac ſic jura non efficaciter poſſent obſtare fraudibus; & ideo certæ & determinatæ quædam ſolemnitates debent requiri, ut etiam eſt præſentia parochi proprii in valore matrimonii. Ad L. 2. patet reſponſio ex diſt. conſeq. ad paritatem de relatione ad codicillum dico: diſparem eſſe rationem, quia relatio ad codicillum eſt relatio ad ſcripturam ſolemnizatam, & ſic non mutatur forma teſtamenti ſcripti; & meritò hoc permittitur, cùm teſtamentum aliquando longè ante conficiatur: & multa poſſint mutari & variari usque ad tempus mortis; hinc juſtè poteſt dici in teſtamento referendo illum eſſe hæredem, qui in codicillo nominabitur, cùm hoc ſit valdè utile, & expediens; neque eſt periculum fraudis, quia neſcitur, quid in teſtamento clauſo ſit ſcriptum, an ſit hæres nominatus, vel relatus ad codicillum; aſt in caſu propoſitionis conſtaret teſtibus de relatione ad ſchedam, & hinc naſceretur periculum ſubſtituendi aliam ſchedam. His propoſitis:

10 Aſſero 1. ad quæſt. *Probabiliùs eſt teſtamentum ad profanas cauſas, & non privilegiatum ſine debitis ſolemnitatibus non ſolùm eſſe irritum in foro externo, ſed etiam interno, ita ut hæres ex tali teſtamento in conſcientia debeat cedere hæreditatem aliis ab inteſtato ſuccedentibus; ſecus tamen eſt in teſtamento ad pias cauſas.* Eſt Haunoldi, Menochii, & plurimorum juriſtarum contra Leſſium & pleroſque Theologos.

Probatur 1. pars primò: quandocunque verba legis ſunt abſolutè irritantia aliquem contractum, & non explicant alibi ſe nolle tollere obligationem naturalem, cenſentur etiam in foro interno irritare contractum; ſed teſtamentum ſine ſolemnitatibus tali modo irritatur: ergo. Maj. patet de legibus de lege irritante. 11 Min. prob. ipſi contrahentes poſſunt aliquas conditiones imponere, quibus omiſſis non inducitur obligatio: ergo etiam jus poſitivum poteſt talem formam præſcribere, quâ non ſervatâ nulla obligatio oriatur; ſed ſolemnitas teſtamentorum eſt talis forma à jure introducta pro valore teſtamenti: ergo. Min. ſubſumpta patet ex L. *hac conſultiſſima.* C. de teſtamentis. ubi dicitur: *ex imperfecto autem teſtamento voluntatem* NB. voluntatem, & non tantùm teſtamentum ut inſtrumentum publicum; ut explicant adverſarii) *tenere defuncti* (niſi inter ſuos liberos à parentibus utriusque ſexûs habeatur) *non volumus.* Si verò hujusmodi voluntate liberis alia perſona extranea ſit admixta, certum eſt eam voluntatem defuncti, quantùm ad illam duntaxat per-

mixtam perſonam pro nullo haberi, ſed liberis accreſcere: ergo.

Probatur ſecundò: lex juſta non ſolùm producit effectum in foro externo, ſed etiam interno, niſi falſa præſumptione nitatur, vel ex aliis legibus oppoſitum colligatur; ſed lex irritatoria teſtamenti eſt juſtiſſima lata in finem boni publici, ne diſpoſitiones de omnibus bonis variis dolis & fraudibus ſint obnoxiæ, nec nititur falſa præſumptione: cùm legis præſumptio non ſit de fraude in caſu particulari, ſed de periculo in communi, quod nunquam deeſt; nec ex aliqua alia lege oſtendi poteſt, quòd hæc irritatio ſit reſtricta ad forum externum, ut patebit ex ſolutione object. ergo non ſolùm invalidat imperfectum teſtamentum in foro externo, ſed etiam interno.

Reſpondent adverſarii neg. min. utriusque probæ, & dicunt ex aliis legibus colligi, quòd tantùm procedat in foro externo, & citant L. *paulus*. ff. de rebus eorum, qui ſub tutore ſunt. ubi dicitur: etſi teſtamentum patris poſtea irritum eſſe apparuit, tamen tutores pupilli nihil contra voluntatem principum feciſſe videntur, ſi ſecundùm voluntatem defuncti in teſtamento ſcriptam prædium ruſticum pupil-
10 lære vendiderunt: ergo non fuit principum legiſlatorum mens auferre à teſtamento minùs ſolemni omnem omnino vim.

Contra eſt min. ſubſiſtere, & cit. legem non eſſe contra nos: quia illud teſtamentum non fuit nullum ex defectu ſolemnitatis, ſed ex inhabilitate defuncti propter capitis diminutionem, ut ibi advertit gloſſa: ergo inde nihil probatur, quia etiam adverſarii tenent teſtamenta inhabilium ad teſtandum non inducere obligationem in conſcientia, nec hæredi jus tribuere; attamen ex mente juriſconſulti illud teſtamentum ſufficiebat ad probandum, quòd voluntas fuerit vendendum eſſe prædium, & ideo tutor rectè vendidit.

Probatur 2. pars: Tum quia conſtitu-
11 tiones Canonicæ, quæ principaliter concernunt favorem animæ, non tantùm in territorio pontificio, ſed etiam in Imperio ſunt ſervandæ; ſed conſtitutio C. *relatum*. de teſtamentis. Teſtamentum ad pias cauſas reducendo ad regulam & probationem juris gentium principaliter concernit favorem animæ: ergo etiam ubique in imperio eſt obſervanda. Tum quia conſuetudo, & communis DD. ſenſus fert ad teſtamenta pia tam intrà quàm extra terras Summi Pontificis ſufficere probationem ultimæ voluntatis absque juris civilis ſolemnitatibus. Hinc etſi poteſtas teſtandi ſit pura creatura juris civilis, prout continetur intrà ſphæram & finem legiſlatoris civilis, non tamen prout ſumitur in tota latitudine, & continet cauſas pias, nam tunc etiam eſt juris poſitivi Canonici.

Addo tamen: neque hæredem ſcriptum, qui adivit hæreditatem ex teſtamento inſolemni teneri reſtituere hæredibus ab inteſtato, aut abſtinere ab hæreditate adeunda ante ſententiam judicis, quia licèt noſtra ſententia, ſit probabilior, ex qua videtur facienda reſtitutio in conſcientia ex nullitate teſtamenti tam civili quàm naturali, oppoſita tamen ſententia; quæ etiam eſt probabilis verè, & nititur magno pondere tam rationis quam authoritatis, & hoc onus reſtitutionis non imponit in dicto caſu, ſic hæres ex tali teſtamento poteſt ſe accommodare poſteriori ſententiæ, niſi condemnetur à judice, cujus ſententia, cùm ſit legibus conformis, imponet obligationem in conſcientia.

Objicies primo: ex jure Canonico C. cùm 12
eſſes. de teſtamentis. Alexander III. improbat illas ſolemnitates tanquam à lege Divina & SS. Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine alienas: ergo non obtinent ullam vim in foro animæ.

Reſpondeo cum gloſſa: Summum Pontificem in illo C. loqui de terris ſibi temporaliter ſubjectis, inter quas erat Epiſcopus Hoſtienſis, ad quem ibi reſcribit Pontifex, & improbat conſuetudinem adhibendi ſeptem teſtes, quatenus alienum erat à conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, in qua ſufficiebant duo teſtes cum parocho; ideo conſtitutione pontificia eſt derogatum juri civili in terris Pontificis.

Dices: Pontifex dicit ſe reprobare, quia eſt à verbo Dei alienum plures teſtes requirere, & non agnoſcere ad minimum duos, cùm ſcriptura dicat: *in ore duorum aut trium ſtat omne verbum*. Sed aliquid ſtatuere alienum à verbo DEI eſt peccaminoſum, & in materia peccati juriſdictio Pontificis ligat totum imperium: ergo generaliter quoad omnem terram improbat illam ſolemnitatem teſtamentorum.

Contra diſting. maj. quia eſt à verbo DEI alienum contrarie, quaſi ſolemnitas ſeptem teſtium eſſet contraria legi Divinæ, & SS. Patribus neg. quia eſt alienum diſparatè, quòd nempe talis ſolemnitas non ſit præcepta, & inſtituta à lege Divina, quamvis neque ſit excluſa vel prohibita conc. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. adeóque illa ſolemnitas non eſt contra, ſed ſolùm præter verbum DEI; nam ubi duo vel tres teſtes ad teſtimonium requiruntur, non ideo plures excluduntur; ſicut nec ipſius Summi Pontificis conſtitutio, quâ ſuper duos teſtes parochi præſentiam requirit, eſt legi Divinæ contraria, ubi lex Divina etiam non requirit parochum.

Dices: Ibi Pontifex excommunicat illos, qui non volunt permittere valere illud teſtamentum factum minùs ſolemne; ſed excommunicatio non fertur, niſi propter peccatum mortale: ergo hoc in toto orbe debet obſervari.

Con-

Contra diſting. maj. excommunicat, quia teſtamentum magis ſolemne eſſet peccaminoſum neg. quia in ſuo territorio non ſervare conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, & agere contra obedientiam conſtitutionis pontificiæ eſt peccaminoſum conc. maj. unde, qui in ſuo territorio non vellent permittere valere teſtamentum cum duobus teſtibus, agerent contra obedientiam Pontificis, qui præcipit illud haberi pro valido, & peccarent graviter, quod peccatum inobedientiæ omnino poteſt excommunicatione puniri.

13 Objicies ex jure civili: L. *quæſtionem*. C. de fideicommiſſis. Dicitur: ſi teſtator ſui hæredis fidei commiſit, ut ſpeciale commiſſum reſtituat, & neque ex ſcriptura, neque ex quinque teſtium numero poſſit res manifeſtari, tunc ſi hæres præſidiâ tentus adimplere fidem recuſat negando rem ita eſſe ſubſecutam, ſi fideicommiſſarius juſjurandum ei detulerit, quod nihil tale à teſtatore audierit, ſi jurat, abſolvitur, ſi verò renuat jurare, compellitur ſolvere, ne depereat ultima voluntas teſtatoris fidei hæredis commiſſa: ergo ſine alia ſolemnitate quàm teſtimonio jurato valet tale teſtamentum.

Reſpondeo neg. conſeq. tum quia tales & ſimiles leges nimium probant, nam probarent etiam pro foro externo non requiri ultimatè illas ſolemnitates, ſed illis deficientibus poſſe offerri juramentum hæredi ab inteſtato ſe non audiviſſe à defuncto, quod velit alium hæredem, quod in praxi nunquam obſervatur: tum quia illa lex non loquitur de teſtamenti & hæredis inſtitutione, ſed de fideicommiſſis & legatis, in quibus [quia teſtator fidei hæredis committit aliquid ſolvendum, tunc etiam deficientibus ſolemnitatibus ſtatur fidei ipſius hæredis; unde etiam, ſi fideicommiſſarius nihil peteret ex ignorantia voluntatis defuncti, hæres tamen eam ſciens tenetur in conſcientia dare; ratio autem, cur hoc ſpecialiter ſtatuatur in fideicommiſſis vel legatis, eſt ex ipſo nomine fideicommiſſi, nam fidejuſſorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen quàm ſubſtantiam acceperunt.

Dices: L. 1. ff. de liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis. dicitur: *eſtne nomen, & pronomen, & cognomen dicendum? an ſufficit unum ex his? conſtat ſufficere.* Ergo licèt pro forma exhæredationis deſideretur exprimi nomen, pronomen & cognomen, & tamen ſufficit unum, ſic etiam ſufficiet in teſtamentis minor ſolemnitas.

Contra neg. conſeq. hoc ipſo, quia textus dicit unum ſufficere, vult dicere illa non requiri copulativè; ſed disjunctivè quod non dicit de teſtamentis.

Dices: ſi tale teſtamentum nec valeret in foro conſcientiæ, vel id foret ob defectum voluntatis teſtatoris, vel ob reſiſtentiam juris? non primum; quia ſupponimus teſtatorem habuiſſe & declaràſſe voluntatem teſtandi: non ſecundum; quia hac ratione multæ voluntates ultimæ everterentur; ſed hoc eſt contra finem legislatoris; cùm dicat Imperator in auth. de nuptiis. col. 4. ubique cuſtodire volumus morientium voluntates; neque alia de cauſa iſtæ ſolemnitates fuerunt inventæ, quàm ut major certitudo habeatur de ultima voluntate teſtantis: ergo ſi hæc certitudo aliâ viâ obtinetur, ad quid neceſſe eſt tantus rigor ſolemnitatis.

Contra dico ob reſiſtentiam juris. Ad ejus rationem dico illas ſolemnitates fuiſſe introductas, ut ab infinitis fraudibus cuſtodirentur ultimæ voluntates; nec Imperator vult quaſcunque morientium voluntates cuſtodire, ſed ſolùm illas, quæ ſunt legitimæ, hoc eſt, ſecundùm legum præſcripta formatæ; nam ſolemnitates à jure non requiruntur præcisè ad probandam voluntatem defuncti, ſed ut forma ſubſtantialis & eſſentialis.

Aſſero 2. *Teſtamentum ſcriptum à teſtatore & coram teſtibus publicatum deficiens in ſubſcriptione vel alia ſolemnitate in teſtamento ſcripto requiſita poteſt valere ut teſtamentum nuncupativum.* Eſt communior contra Fabrianum. 14

Probatur: regula communis eſt, quod unusquisque præſumatur velle actum ſuum valere potiùs quam non valere, & quando non poſſit valere in ea ratione, quâ ille putat, ut valeat, in qua valere poſſit, ſi illi magis expediens ſit valere, quàm non valere; ſed magis expediens teſtatori illud teſtamentum valere ut nuncupativum, quàm prorsùs non valere: ergo teſtator ſufficienter tanquam primaria ſua inſtitutione intendit tale teſtamentum ſic velle condere & valere; hoc confirmatur L. 3. ff. de milit. teſt. ſi miles, qui deſtinaverat communi jure teſtari, ante defecerit, quàm teſtaretur, poſuit tamen ea, quæ ſufficiunt ad teſtamentum militare, non eſt dubitandum de valore; neque enim, qui voluit jure communi teſtari, ſtatim beneficio militis renuntiavit. Nec credendus eſt quiſquam genus teſtandi eligere ad impugnanda ſua judicia, ſed magis utroque genere voluiſſe propter fortuitos caſus: ergo ſicut teſtamentum militis valet habens requiſita ad teſtamentum militare, quamvis voluerit teſtari jure communi, ita valebit teſtamentum pagani habens requiſita nuncupativi, quamvis voluerit teſtari in ſcriptis. Lege hoc clariùs in novel. 42.

Objicies: in his, quæ pendent à voluntate unius, ſi non valet, ut ago, nec etiam valet, ut valere poteſt, ut ſcribunt juriſtæ in L. de verb. oblig. ſed teſtamentum eſt diſpoſitio unius: ergo ſi non valet in ſcriptis, quale voluit eſſe teſtator, nec etiam valebit ut nuncupativum. 15

Reſpondeo: poſſet abſolutè neg. maj. nam habemus plurimas inſtantias in contrarium, v. g. ſchiſmaticus Abyſſinus vult facere matrimonium diſſolubile; ſed hoc non facit, & ta-

mne

men valet matrimonium, quia poteſt valere ut indiſſolubile. Hæreticus vult baptizare; ſed nullum imprimere characterem; ſed hoc non facit, & tamen valet baptiſmus, & imprimit characterem. Sed diſting. maj. nec valet, ut valere poteſt in caſibus, in quibus intentio eſt reſtricta ad id, quod menti operantis objicitur, ut in illa L. exponitur conc. in aliis caſibus, ubi intentio non eſt ita reſtricta neg. maj.

Dices: deficiente voluntate teſtandi nullum poteſt eſſe teſtamentum; ſed in caſu aſſertionis deeſt voluntas teſtandi nuncupativè: ergo eſt nullum. min. prob. quia vult teſtari in ſcriptis non vult teſtari nuncupativè; ſicut qui vult ducere uxorem Mariam, non vult ducere Martham; ſed in caſu aſſertionis teſtatos vult teſtari in ſcriptis: ergo.

Contra neg. min. ad probam diſting. maj. non vult teſtari nuncupativè, in quantum putat ſuam ſcripturam poſſe valere ut teſtamentum ſcriptum conc. ſuppoſito, quod forte non poſſit valere, ut teſtamentum in ſcriptis neg. maj. habet ergo talis teſtator implicitam & conditionatam intentionem, ut ſi ſua ultima voluntas deficiat in ſcriptis, ſaltem valeat, in quantum valere poteſt. atqui poteſt valere in ratione nuncupativi teſtamenti, quia ut ſupponitur, non ſolùm ſcripſit hæredem, ſed etiam ſcripturam teſtibus articulatè publicavit: ergo ejus intentio tranſit in abſolutam purificata conditione.

Dices: ergo ſaltem teſtator debet addere hanc clauſulam, ut hoc teſtamentum ſubſiſtat meliori modo, quò poteſt, conſequenter ſi non additur, nullum eſt. prob. illatum: etſi aliquod teſtamentum carens aliqua ſolemnitate habeat omnes ſolemnitates ad codicillum, ſi non adjicitur clauſula codicillaris, ut ſi non poteſt valere ut teſtamentum, valeat ut codicillus, non valebit, ut codicillus, vel valeat meliori modo, quo poteſt, ut habetur L. 1. ff. de jure codicil. ergo nequa in noſtro caſu.

Contra neg. illatum, ad probam neg. conſeq. diſparitas eſt: quia jura ita expreſsè ſtatuunt de clauſula codicillari ob rationabilem cauſam cavendi lites, inter certitudines, ac ambiguitates, quæ intercurrere poſſunt in teſtamento per modum codicilli, non verò ita in teſtamento ſcripto per modum nuncupativi; nam ſi in teſtamento tanquam codicillo ſubſtitutus eſſet frater uterinus, & hæres legitimus ſeu ab inteſtato eſſet frater germanus, inter quos nollet eſſe lites, ſed potiùs vult germanum totam habere hæreditatem, quàm cum diſſidiis eam eſſe reſtituendam uterino; & quia fortè uterinus plus à germano ſperare poteſt, quàm conſequentèr ex hæreditate, ideò poſſet non adire hæreditatem, & etiam hæres legitimus, quia ſpretus eſt in teſtamento, etiam poſſet nolle adire hæreditatem, & ſic fortè hæreditas ad fiſcum deveniret, ac tandem teſtator carebit omni hærede, quod eſt contra ejus intentionem; hinc ob ſimiles rationes noluerunt legiſlatores præſumere in teſtamento minùs ſolemni animum codicillandi, niſi expreſſa clauſula adjiceretur, & ideò illam tacitam voluntatem, etiamſi fortè ſubeſſet, reddere penitus inefficacem ſina clauſula, ſicut noluerunt nudam promiſſionem eſſe efficacem, & ei dare actionem, niſi addita ſtipulatione; interim tamen teſtamentum inter liberos & milites valebit, ut codicillus ſine clauſula, cùm non ſit utilitas talis clauſulæ, nam in his teſtamentis quæcunque ſolemnitas ſufficit ad codicillum, ſufficit etiam ad teſtamentum; tandem etiam ſine clauſula valebit, ſi hæres rogaretur; ut aliquid præſtaret in teſtamento poſitum, & hæres hoc facere juraret, ut patet L. 77. ff. de legatis.

Addo duas formulas, quibus teſtamentum ſubſcribitur. Prima eſt, ſi teſtator poprià manu ſubſcribit: ego Titius fateor præſentem ſcripturam clauſam continere meam ultimam voluntatem, quàm infra ſcriptis teſtibus omnibus ſimul præſentibus, & ad hoc vocatis & rogatis obtuli ſecundùm juris ordinem ſignandam & ſubſcribendam, proinde omnia & ſingula in ea contenta propriâ manûs ſubſcriptione confirmo. Secunda eſt: ſi notarius, aut octavus teſtis loco teſtatoris ſubſcribit: ego Cajus de mandato Titii ſcribere ignari vel morbo impediri, hoc ejus teſtamentum clauſum, quod infra ſcriptis teſtibus rogatis & ſimul præſentibus obtulit aſſeverans in eo contineri ſuam ultimam voluntatem, vicè & nomine illius propriâ meâ manu ſubſcripſi.

QUÆSTIO II.

De codicillo & ſubſtitutione hæredis, præſertim an hæc etiam excludat Patrem & Matrem hæredis?

ADvertendum eſt 1. Codicillum vulgo dici teſtamentum imperfectum & definiri poſſe ex §. 2. inſtitut. de codicillis, 1
quod ſit ultima voluntatis ſpecies, quâ ob defectum ſolemnitatum directè hæreditas nec dari nec adimi poteſt, benè tamen indirectè. Differt ergo principaliter à teſtamento; quia in hoc hæreditas directè dicitur relinqui, in codicillo verò tantùm indirectè poteſt inſtitui hæres vel fideicommiſſum relinqui, differt etiam ultro codicillus à teſtamento in ſolemnitatibus, nam in codicillis etiam ſufficiunt quinque teſtes, nec opus eſt ut ad hoc ſint ſpecialiter rogati, ut habetur L. *fin.* Cod. in codicil. & ſufficit ſubſignatio teſtium, nec ſigillatio requiritur, nec teſtes ita debent eſſe in conſpectu codicillantis ſicut in conſpectu teſtantis, cum jus hoc non ita ibi expreſsè requirat, ſicut hic, imo etiam fœmina teſtis eſſe poteſt in codicillo, cum ſolemnitates codicilli ſolùm requirantur probationis causâ: præterea nec in codicillo facto in-

ter

ter liberos requiruntur quinque teſtes; nam nunquam requiritur plus ad codicillum quàm teſtamentum ejuſdem rationis, ſed ad teſtamentum inter liberos non requiruntur niſi duo teſtes; ergo nec ad talem codicillum plures requiruntur: tandem qui non permittuntur facere teſtamentum, nec codicillum facere permittuntur ut dicitur L. 3. ff. H. T. interim tamen codicilli fieri poſſunt nullo facto teſtamento, ut habetur L. 4. Cod. H. T.

2 Advertendum eſt 2. Conſtare ex quæſtionis præcedentis objectione contra aſſertionem ſecundam, teſtamentum valere ut codicillum, ſi adjecta ſit clauſula, ſi non poteſt valere ut teſtamentum, valeat ut codicillus; talis ergo clauſula aliquos habet effectus; primus eſt, quod per illam ſubſiſtant legata in illo teſtamento imperfecto, quæ debent præſtari, non quidem ab hærede ſcripto, ſed ab inteſtato ſuccedente: ſecundus eſt, quod inſtitutio directa hæredis extranei obliquetur in fidei-commiſſariam, adeo ut hæres ab inteſtato ſuccedens detractâ trebellianicâ debeat hæreditatem reſtituere hæredi ſcripto, dummodò ille hæres ſcienter fuerit præteritus, vel non debitè exhæreditatus; nam ſi teſtator hæredem legitimum inculpabili ignorantiâ prætermiſſet putans fortè eſſe mortuum, non cenſetur fuiſſe gravatus, quia ſi de eo cogitâſſet, procul dubio extraneo prætuliſſet. Cæterum tamen ſi quis feciſſet duo teſtamenta, quorum ſecundum eſt minus ſolemne adeóque invalidum, ſed ſolùm propter clauſulam valens ut codicillus, per hoc ſecundum non revocaretur teſtamentum primum ut hæredes ab inteſtato ſuccedentes gravarentur reſtituere hæredi ſcripto in ſecundo teſtamento, nam ſicut per codicillum nec dari nec adimi poteſt hæreditas, ita nec per teſtamentum invalidum habens vim codicilli.

3 Advertendum eſt 3. Subſtitutionem definiri: *quod ſit in locum honorati vel exhæreditati à teſtatore facta ſubrogatio:* dicitur ſubrogatio loco generis; quia tam morientium quàm viventium eſſe poteſt; dicitur in locum honorati, ut exprimatur directa & fideicommiſſaria hæreditas: dicitur vel exhæreditati, eò quòd ſub ſe etiam comprehendat ſubſtitutionem pupillarem, quæ exhæreditato fieri poteſt; dicitur à teſtatore facta, ut excludantur ſubſtitutiones inter vivos: adeóque exemplum ſubſtitutionis teſtamentariæ eſſe poteſt, v.g. dum teſtator dicit: Cajus hæres eſto, & ſi deceſſerit, Titius hæres eſto, hoc autem deficiente Mævius hæres eſto: ſi autem aliqua ambiguitas in ſubſtitutione intervenit, præcipuè eſt attendenda mens teſtatoris, quæ ſi indagari non poterit, pro favore ſubſtituti eſt interpretanda; nam conſtat hæredem ſubſtitutum aliunde non admitti ad hæreditatem, niſi ſecundo loco, quando ſcilicet hæres primo loco inſtitutus hæreditatem non adit, quod dupliciter poteſt contingere: vel ex capite impotentiæ, quatenus ſcilicet hæres aut à lege redditur incapax ſucceſſionis aut moritur ante teſtatorem: vel ex capite voluntatis, quando ſcilicet primò inſtitutus hæres aut expreſſè renuntiat hæreditati, aut tempore deliberationis à jure conceſſæ, quod ſunt novem menſes, vel annus poſt nonum diem à morte teſtatoris ex hâc vitâ decedit; hæredi autem ex teſtamento ob multas inconvenientias ſemper eſt favendum.

Advertendum eſt 4. Subſtitutionem dividi in directam & obliquam ſeu fideicommiſſariam: prima eſt, quando hæres ſubſtitutus immediatè abſque alterius hæredis inſtituti miniſterio conſequitur ſuo jure hæreditatem, ſi hæres primò inſtitutus non adit eam: ſecunda eſt, quando directo ſeu immediato hæredi ejúſque fidei committitur, ut hæreditatem alteri tradat, ſicque ſubſtitutus non immediatè à teſtatore, ſed ab hærede directo conſequitur hæreditatem; unde plerumque his verbis concipitur: Cajus quidem ſit hæres, ſed ſi contingerit ipſum mori, hæreditatem reſtituat Titio, hinc mediante tali fiduciario hærede ſuccedit ipſi teſtatori ille ad quem tranſire dicitur fideicommiſſum: quando autem dubium eſt, an ſubſtitutio ſit directa vel fideicommiſſaria, cenſenda erit directa; quia intereſt quempiam directè potiùs quam indirectè eſſe ſubſtitutum: tum quia ſubſtitutus directè verus ſit hæres, non verò fideicommiſſarius ſeu indirectè ſubſtitutus; nam hujus jus cadit, quando directus hæres non adit hæreditatem & ſuccedunt hæredes ab inteſtato, quod totum ſe aliter habet in ſubſtituto directo, qui inſuper accipit hæreditatem abſque diminutione, econtra verò in fideicommiſſaria ſubſtitutione hæres directus ab hæreditate detrahit quartam partem quæ ſolet dici trebellianica, de quâ in quæſt. ſequenti. 4

Advertendum eſt 5. Subſtitutionem directam dividi in vulgarem & pupillarem: prima eſt ſimplex ſubſtitutio, quâ quis abſque peculiari privilegio hæredem ſibi ſubſtituit: pupillaris, quâ teſtator filio adhuc impuberi in ipſius poteſtate conſtituto neque per ejus mortem in alterius poteſtatem recaſuro hæredem ſubſtituit, qui ipſius etiam impuberis taliter inſtituti hæres exiſtat; occaſione primæ ſubſtitutionis eſt difficultas, ſi aliquis filiusfamilias ab extraneo inſtitutus hæres eſt, ac ei aliquis vulgariter ſubſtitutus, ſi filius repudiet hæreditatem, an Pater ipſius poſſit adire hæreditatem excluſo ſubſtituto: occaſione autem ſecundæ ſubſtitutionis, eſt difficultas, an per ſubſtitutionem pupillarem excludatur à ſubſtituto mater pupilli etiam quoad legitimam, quam alioquin filios ei relinquere deberet, ſi ipſemet teſtamentum faceret, ad hoc patebit ex aſſertionibus: interim his directis ſubſtitutionibus adhuc accedit alia; quæ dicitur exemplaris; quia ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis eſt introducta, & fit, quando Pater & Mater aliique aſcendentes liberis furioſis ſeu mente captis ſubſtituunt hæredem. 5

Adver-

6 Advertendum eſt 6. Adhuc aliter ſubſtitutionem directam dividi ſcilicet in compendioſam & reciprocam ſeu breviloquam, prima eſt, quæ plures quoad diverſa tempora ſubſtitutiones comprehendit v. g. inſtituo hæredem filium meum; quo mortuo ſubſtituo ei Titium, & ex tali poteſt etiam fieri ſubſtitutio vulgaris, quando nempe filio decedente ſuccedit ſubſtitutus nullo ſuffultus privilegio, ſi verò ſuccedit ſubſtitutus in ætate pupillari fiet ſubſtitutio pupillaris, ſi verò ſuccedit ex impotentiâ teſtandi, erit ſubſtitutio exemplaris; unde cùm has tres ſpecies comprehendat, meritò dicitur compendioſa; ſecunda eſt, quæ eſt quaſi reducta ſeu reflexa, eſtque quoddam complexum inter plures ſubſtitutiones complectentes diverſas perſonas ſibi invicem ſubſtitutas, ubi econtra compendioſa continet pluralitatem ſubſtitutionum multiplicatam non tam à diverſis perſonis ſibi invicem ſubſtitutis, quàm ex reſpectu ad diverſa tempora ac eventus: tandem accidit etiam ſubſtitutio militaris, & eſt quâ quis hæredem ſibi ſubſtituit ex ſolo privilegio, militi competente, miles autem habet privilegium compendioſè ſubſtituendi ad tempus pro ſuo libitu determinandum, ita ut hæc ſubſtitutio ſit directa, quamvis decernat, ut poſt tale tempus Cajo priùs inſtituto ſubſtituatur Titius, taliqus tempore elapſo ſubſtitutus accipiat bona teſtatoris unà cum fructibus in hæreditate inventis; unde quando miles diceret, quandocunque filius meus impubes deceſſerit, hæres eſto Cajus, tunc ſi filius moriatur in pupillari ætate, ſubſtitutio hæc valebit jure comuni ut ſubſtitutio pupillaris, & accipiet bona Patris & filii, ſi vero filius decederet poſt pubertatem, ea ſubſtitutio non vi juris comunis, ſed vi juris militaris valebit, & ſubſtitutus ſolùm bona Patris cum fructibus exſtantibus, non verò bona caſtrenſia filii poſt pubertatem decedentis capiet, ut docet Schneidebinus. His notatis ſit

7 Propoſitio 1. *Si codicillus expreſsè confirmetur in teſtamento tunc codicillus poteſt in effectu aliquem facere hæredem.* Ratio eſt ex priori quæſt. in object. ad propoſit. quartam, quia poteſt in teſtamento fieri relatio ad id, quod in codicillo conſtitutum eſt, nempe ſi in teſtamento ille inſtitueretur hæres, qui in codicillo nominabitur, ut habetur in L. 77. ff. de hæred. inſtit.

8 Propoſitio 2. *Codicillus nudâ voluntate defuncti poteſt infirmari.* Ratio eſt; quia per quas cauſas aliquid naſcitur, iiſdem in contrarium actis ſolvitur; ſed codicilli poſſunt nudà voluntate perfici: ergo. hinc licèt ad confectionem codicilli quinque requirantur teſtes, talis ſolemnitas tamen non eſt ſubſtantialis, ſed ſolùm probationis causâ, adeóque in hoc differt codicillus à teſtamento, quod hoc ſolùm voluntate teſtatoris infirmetur quando vel inciditur, vel per aliud teſtamentum revocatur, hinc ideo teſtamentum nudâ voluntate non infirmatur, quia etiam nudâ voluntate non poteſt perfici.

Propoſitio 3. *Subſtitutio vulgaris exſpirat ſi ſubſtitutus prius moriatur quam impleatur conditio ſubſtitutionis.* Ratio eſt; quia hujus ſubſtitutionis ſpecies non tranſmittitur ad hæredes; hinc ſi decedat ſubſtitutus, antequam primò inſtitutus complevit tempus deliberandi, etiamſi repudiâſſet hæreditatem, hoc nihil prodeſſet hæredibus illius ſubſtituti, ſed hæredibus ab inteſtato; quod etiam eſt extendendum in favorem religioſorum, quorum monaſteria ſolent ſuccedere in locum ſui profeſſi, adeo ut ſi moriatur inſtitutus vel hæres cum alterius etiam ſæculari ſubſtitutione ſi Monachus moriatur ante aditam vel repudiatam hæreditatem in hanc adeundi tranſmittatur ad monaſterium ſecluſo ſubſtituto, licet per Novel. 123. cap. 35. excipi debeat; quo ſubſtituta fuiſſet cauſa pia redemptionis captivorum vel alendorum egentium, huic enim poſtponendum foret monaſterium. 9

Propoſitio 4. *Ad valorem pupillaris ſubſtitutionis varia requiruntur.* Ratio eſt; quia primò requiritur, ut is, cui alter ſubſtituitur, ſit de filiis legitimis, nec tamen opus eſt, ut ſint filii primi gradus, ſed poſſunt nepotes ac remotiores deſcendentes imò etiam poſthumi inſtitui: ſecundò; ut filius, cui pupillariter ſubſtituitur, ſit impubes & conſtitutus in poteſtate teſtatoris; hinc non poteſt mater pupillariter ſubſtituere: tertiò, ut filius ſeu nepos cui ſubſtituitur morte ſubſtituentis efficiatur ſui juris & non incidat in poteſtatem alterius; hinc ſi avus ſubſtitueret nepotem, qui eo mortuo eſſet recaſurus in ſui Patris poteſtatem, evaneſceret ſubſtitutio: quartò: ut Parens priùs in teſtamento ſibi ſcribat hæredem, ac poſtmodum ſubſtituat filio aut nepoti; quod ſi verò Pater intermiſerit facere ſolemne teſtamentum, tenet nihilominus ſubſtitutio, modo ſubſtitutus ſit ex liberis, ſecus verò ſi eſſet extraneus: quintò: oportet, ut impubes ſit inſtitutus vel exhæreditatus, debetque ab ipſo adita eſſe hæreditas Patris, ſi enim tunc repudiet inſtitutus, nequit ſubſtitutus ſuccedere illi, qui eſt in ſtatu pupillari. 10

Propoſitio 5. *Exemplariter poſſunt ſubſtituere parentes non tantùm legitimis, ſed etiam illegitimis, imò mater poteſt ſubſtituere etiam filiis naturalibus ſolummodo.* Ratio eſt conſtitutio juris, quod etiam talem ſubſtitutionem extendit ad nepotes & neptes puberes furore correptos & ſurdos ac mutos, modò tali morbo affecti non priùs, dum adhuc erant ſani, fecerint teſtamentum; in quo tamen talis ordo eſt ſervandus, ut ſi furioſus habeat liberos, iſti ſubſtituendi ſint; imò ipſis deficientibus fratres ejus ſubſtituere oportet, & deinde quoscunque alios extraneos, requiritur 11

tur pariter, ut qui ſubſtitutus eſt non incidat in poteſtatem Patris ſui poſt mortem ſui avi ſubſtituentis, decedátque inſtitutus in furore, nam hoc ceſſante finitur ſubſtitutio exemplaris, ceſſat inſuper talis ſubſtitutio ſi filii naſcantur ei cum ſubſtituitur exemplariter. His itaque præſuppoſitis:

12 Aſſero 1. ad quæſt. *Codicilli confirmantur teſtamento tam prius quam poſtea facto. Etſi non expreſsè inveniantur teſtamento confirmati.* Eſt communior Juriſtarum.

Probatur: Tum quia L. 3. Cod. de jure codicilli habetur: teſtamento facto etiamſi codicilli in eo confirmati, vires tamen ex eo capient, ex quo etiam ſequitur, quod per conſequentiam infirmentur infirmato teſtamento: Tum quia §. 1. Inſtit. de codicillis dicitur: *Sed cum ante teſtamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait: non aliter vires habere, quàm ſi ſpeciali poſtea voluntate confirmentur: ſed Severus & Antoninus reſcripſerunt, ex iis codicillis, qui teſtamentum præcedunt poſſe fideicommiſſum peti. Si appareat eum, qui teſtamentum fecit à voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non receſſiſſe:* ergo.

13 Objicies: Si codicilli ante vel poſt teſtamentum fiunt, non poſſunt alias accipere vires, quam ſi fierent ſine ullo teſtamento, cum etiam ſine teſtamentis ſubſiſtant, & poſt teſtamenta non reluceant aliæ vires: ergo per teſtamenta non confirmantur.

Reſpondeo neg. antec. nam aliæ relucent vires ex teſtamento, quatenus nempe ita innituntur teſtamento, ut tanquam acceſſio & appendix illius teſtamenti jus ſequantur, ſténtque cadántque cum eodem, ut habetur L. 11. ff. teſtament. quemad. aper. ubi dicitur: quòd codicilli pars teſtamenti intelligantur: hinc ſi hæreditas ex tali teſtamento non adeatur, fideicommiſſum etiam in codicillo relictum nullius erit momenti; ſic etiam quando teſtamentum redditur irritum, etiam codicilli cadunt, niſi teſtamentum poſteriori ſcripto ſit confirmatum, tunc enim manent priores codicilli. Adeoque hoc ſenſu codicilli confirmantur teſtamento & pendent ab eo non qualitercunque, ſed quod ab initio validum erat & poſtea rumpitur: à teſtamento verò ſtatim ab initio invalido nullo modo pendet valor codicilli, quia non eſt illius pars.

Dices: Ergo etiam plures codicilli facti poſſunt à teſtamento confirmari; ſed hoc non, cum L. 3. in prob. cit. dicatur: per poſteriorem codicillum priorem eſſe revocatum.

Contra neg. min. nam etiamſi quis plures codicillos fecerit, omnes valebunt, niſi ſibi contrarii ſint, & de his ſolùm loquitur illa lex cit. quod codicillus poſterior vim obtinebit.

Aſſero 2. *Si filius familias inſtitutus repudiet hæreditatem, ejus ſubſtitutus non excludit Patrem ipſius filiifamilias.* Eſt Bartoli, Haunoldi contra Fachineum. 14

Probatur: Pater & filius in poteſtate conſtitutus cenſetur una eademque perſona L. *fin.* Cod. de impub. & aliis ſubſtitut. ergo quocunque eorum hærede alter quoque juris fictione cenſetur hæres exiſtere, ſed ſi Pater exiſtat hæres adeundo hæreditatem à filio repudiatam etiam filius cenſetur eſſe hæres: ergò adhuc nunquam adimpletur conditio ſubſtitutionis ſub quâ alter eſt ſubſtitutus, nempe ſi filius hæres non fuerit; quia fictione juris eſt hæres per Patrem, per conſequens ſubſtitutus non poteſt excludere patrem illius filiifamilias, ideo L. 8. Cod. de bonis quæ liberis dicitur: *in filiofamilias milite qui recuſavit aditionem hæreditatis, patri danda eſt licentia adire hæreditatem tam propter uſumfructum quam dominium talis hæreditatis.*

Reſpondent Adverſarii neg. primum enthymema in teſtamentis; nam in his voluntas teſtatoris totum facit, teſtator autem ſubſtituendo filio id vult, ut ſi filius non adeat hæreditatem, Subſtituto ſit locus, unde illam legem de milite dicunt ſolùm loqui in caſu, ubi nullus eſt ſubſtitutus.

Contra eſt, id etiam eſſe verum in teſtamentis; nam illa fictio pro una perſona eſt in titulo ſpectante ad teſtamenta; hinc potiùs teſtator ſciens patris intereſſe ſi filius adeat hæreditatem potiùs præſumendus eſt noluiſſe ſubſtitutum præferre patri in caſu, quo filius nolit adire hæreditatem; cum & leges dent patri poteſtatem adeundi hæreditatem ſi filius repudiet: hinc hôc ipsô, quod in illa lege de milite pater fingatur à lege ſubſtitutus filii, cum ejus interſit filium adire hæreditatem, & ideo pater præfertur hæredibus ab inteſtato, quidni etiam ſubſtituto? ſicut ergo ſubſtitutio non tollit jus tranſmiſſionis hæreditatis filii in patrem, ita nec jus patris adeundi hæreditatem nomine filii.

Objicies: Vulgaris ſubſtitutio eſt, ſi hæres inſtitutus nolit aut nequit eſſe hæres, ſuccedat ſubſtitutus, ſed hoc eſt in caſu noſtro ubi filius repudiat hæreditatem: ergo. Hinc L. 3. Cod. de hæred. inſtit. ſervo non adeunte hæreditatem, non eam acquirit dominus, ſed ſubſtitutus. 15

Reſpondeo diſting. maj. ſi hæres inſtitutus non faciendo alium hæredem nolit. conc. ſi alium facit, ut filius ſuum patrem ex legis interpretatione neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſequentiam. De ſervo autem diſparitas eſt, quia leges non ita ſtant pro intereſſe domini quam patris, ideo patri facit filius locum adeundi hæreditatem, & non ſervus domino.

Dices: abſurdum eſt filium facere hæredem patrem repudiando ſicut adeundo hære-

ditatem, cum nemo unquam repudiando hæres exiſtat; ideo nec alium facere poteſt: ergo ſuccedit ſubſtitutus.

Contra diſting. antecedens, repudiando repudiatione efficaci à voluntate non ſubordinata alteri conc. repudiatione inefficaci à voluntate ſubordinata & dependente ab alterius conſenſu, ut eſt voluntas filii à patre neg. antec. unde ſicut per adverſarios ubi nullus eſt ſubſtitutus filii repudiantis, voluntas ſuppletur per patrem, ita etiam hic in noſtro caſu, ubi etiam fictione juris potiùs filius cenſetur adiviſſe hæreditatem per patrem, in cujus iterum commodum redundat aditio patris.

Dices: alienum eſt à ratione eum, qui vocatur ad hæreditatem expreſsè, non potiorem eſſe eo, qui ſolùm vocatur tacitè, ſed ſubſtitutus vocatur expreſsè à teſtatore in defectu filii, & pater ejus ſolùm implicitè fictione juris: ergo.

Contra neg. min. quia etiam teſtator ſatis expreſsè cogitâſſe putatur, quod filius poſſit patrem etiam repudiando facere hæredem, ſi pater velit uti ſuo jure & adire hæreditatem à filio repudiatam.

16 Aſſero 3. *In ſubſtitutione pupillari excluditur à ſubſtituto mater pupilli etiam quoad legitimam, quam aliàs filius teneretur relinquere matri.* Eſt communior contra Menochium.

Probatur C. *ſi pater*, de teſtamentis in VI. dicitur: *Licèt autem filius teſtamentè ſuè matrem portione jure naturæ debitâ privare non poſſit, pater tamen in teſtamento, quod filio impuberi fecit, poteſt; nam teſtamentum hujusmodi pupillare paternum vel pars paterni teſtamenti potius eſt cenſendum.* & L. 8. ff. de inoffic. teſtament. dicitur; *ſed nec impuberis filii mater inofficioſum teſtamentum dicit, quia pater hoc ei fecit.* ex quibus ſic: quotieſcunque alicui legitima debetur & contra leges illi non relinquitur competit querela inofficioſi teſtamenti ut fatentur omnes, ſed in noſtro caſu non admittitur mater ad querelam, ut patet ex textibus; ergo legitima ei non debetur per conſequens non ſupereſt ratio, quare per ſubſtitutum non excludatur, niſi forte mater eſſet in ſumma egeſtate ubi ſubſtitutus matri pupilli deberet præſtare alimenta, quæ ei jure naturali debentur: dictum autem eſt mater pupilli, aliud enim eſſet de matre teſtatoris, quam aliqui præferunt ſubſtituto extraneo, ſed mihi eadem videtur ratio; quia non tenetur exſtantibus propriis liberis relinquere matri legitimam, vel poteſt minùs ei aſſignare, quam voluntatem ſatis declarat ſciens ſe habere matrem, ei tamen nihil relinquens.

17 Objicies: quod non poſſum facere per me ipſum, nec poſſum facere per alium, ſed pupillus non poteſt per ſe ipſum excludere matrem à legitima: ergo nec per patrem vel ſubſtitutum.

Reſpondeo diſting. maj. nec per alium tanquam ſuum inſtrumentum ſuæ voluntati ſubordinatum conc. per alium cujus voluntati patris ſubordinatur voluntas illius, cujus loco fit actus neg. maj. voluntas filii poteſt quidem dici per voluntatem patris excludere matrem, ſed hoc ideo, quia voluntas pupilli eſt à jure ſubordinata voluntati patris, qui non præcisè authoritate filii operatur, ſed authoritate propria à lege data. Imò poteſt negari ſuppoſitum, quia nec filius per ſe nec per alium excludit matrem, ſed jus quod dat authoritatem patri faciendi teſtamentum pro filio excludendo matrem, & hoc quidem etiam verum eſt, licèt ſolùm implicitè id contineatur in teſtamento, etſi teſtator ſuam voluntatem extra teſtamentum manifeſtâſſet amicis, ſe nolle ob odium uxoris ſua aut filii bona ad uxorem, ſed ad ſubſtitutum pervenire, ſi filius impubes moriatur: pariter hoc verum eſt, ſi ſubſtitutus eſſet aliquis deſcendens vel aſcendens ex patre aut cauſa pia; quia meritò præſumitur in teſtatore voluntas præferendi ſuam ſobolem vel bonum animæ ſuæ uxori; hinc generalis eſt regula: tacitum & expreſſum habent eandem vim, quando contrarium non eſt legibus cautum.

Dices: Jure ſtatutum eſt: matri deberi legitimam à filio carente liberis: ergo non licèt eâ privari ſine expreſſa authoritate juris, ſed nulla habetur expreſſa talis authoritas: ergo.

Contra neg. min. nam hoc ipſo quod jus dederit patri poteſtatem privandi matrem per ſubſtitutionem pupillarem expreſſam, etiam declaravit matrem excludi, niſi de contraria voluntate patris conſtet.

Dices L. 8. Cod. de impub. & aliis ſubſtitut. filii militis hæreditas adjudicatur matri & non ſubſtituto pupillari: ergo.

Contradico: adjudicari matri non abſolutè ſed conditionatè, ſi ex conjecturis conſtare poſſit, quod miles voluerit dicere: ſi filius hæres non fuerit, quæ eſt ſubſtitutio vulgaris, non verò ſi voluerit dicere: ſi filius meus ante pubertatem diſcedat, quæ eſt propriè ſubſtitutio pupillaris; unde in illa lege caſus ab uxore militis fuit obſcurè propoſitus. Cæterùm adverſarii citant & aliam legem ex ff. ſimilis tenoris, quæ potiùs eſt pro nobis, cum ibi ſolùm mater præferatur ſubſtituto, quia filio naturali non poterat pupillariter ſubſtitui ſimul cum filio legitimo, ita, ut ſi unus decedat, ſit alter hæres, & ideo cadebat ad matrem ab inteſtato: ergo ſi poterat pupillariter ſubſtitui, fuiſſet mater excluſa.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De ruptione, revocatione, & exhæreditatione teſtamentaria.

1 ADvertendum eſt 1. teſtamentum ritè confectum adeóque validum poſſe ſucceſſu temporis pluribus modis infirmari & reddi nullum, præſertim verò irritatione, ruptione & revocatinna: irritatur autem, ſi hæres non adit hæreditatem v. g. ſi vel hæres moriatur ante teſtatorem, ubi nec poteſt jus hæreditatis tranſmittere ad ſuos, cum ipſemet necdum fuerit hæres; nemo enim vivus habet hæredem, vel ſi teſtatorem ſupervivat, ſed repudiet hæreditatem, vel intra tempus deliberandi moriatur, talis tamen jus ſuccedandi tranſmittit ad ſuos hæredes, ita tamen ut intra annum tranſmiſſio perficiatur; imò ſi nullus hæres vellet adire hæreditatem, poſſent legatarii & fideicommiſſarii, ſi qui eſſent ſcripti, eam adire, ut habetur Novel. 1. Cap. 1. ſi autem tales nulli eſſent ſcripti, per ſe teſtamentum irritatur; item irritatur ex parte teſtatoris per mediam & minimam ſtatûs mutationam etiamſi teſtamentum ſit factum ante ſtatûs mutationem & poſtea aliquo tempora teſtator iterum fieret ſui juris uti colligitur ex §. 6. inſtit. E. T. ubi ſcriptus hæres ex tali teſtamento non ipſo jure hæres efficitur, ſed officio Prætoris poteſt bonorum poſſeſſionem agnoſcere ſecundùm tabulas. Imò ſi reperiantur duo teſtamenta, & non appareat, quodnam illorum ſit recentius, neutrum illorum valet apud Juriſtas, defectu probationis (niſi unum eſſet ad piam cauſam, quale non præſumitur teſtatorem revocâſſe) cum quodlibet habeatur ſuſpectum: in foro tamen conſcientiæ, ſi certò ſciretur utrumque teſtamentum eſſe confectum à teſtatora ſanæ mentis hæreditas poterit dividi, & ſi in utroque teſtamento legata eadem eſſent relicta, illa eſſent ſolvenda, quia quoad hæc certò conſtaret de mente teſtatoris,

2 Advertendum eſt 2. rumpi dicitur teſtamentum, ſi teſtator in eodem permanet ſtatu, ſed vitium incurrit in teſtamentum, ut ſi poſthumus ax juſtis nuptiis naſceretur; Dicitur autem poſthumus ille, qui naſcitur poſt mortem patris vel poſt teſtamentum conditum, talis itaque ſi in teſtamento præteritus eſt, nativitate rumpit teſtamentum, adeo ut nec legata ſuſtineantur, niſi fortè teſtator præcognoverit uxorem eſſe prægnantem, tunc enim ſupponitur adhuc velle honorare legatarios, & ſic quoad legata non rumperetur: præterea rumpitur teſtamentum per arrogationem vel adoptionem alicujus deſcendentis; item rumpitur voluntate teſtatoris à jura approbatâ, ſitque verbo vel factis, ut ſi incidat ſignacula, deleat ſcripturam &c. non verò ſi fortuitò vel à mure laceratur: verbis vero rumpitur, ſi coram tribus ſaltem teſtibus vel coram Judice dixerit, ſe nolle valere teſtamentum, & inſuper interim decennium effluxerit à tempore conditi teſtamenti; rumpitur etiam, ſi aliud poſterius conficitur taſtamentum, ſi quis ergo duo teſtamenta feciſſet, in quorum priori Petrum quoad aliquam partem hæreditatis ſcripſiſſet, & in altero Paulum quoad aliam partem, & in poſteriori expreſsè dixiſſet, ut prius teſtamentum quoque vires retineat, non tamen valebit primum, quia jus ſtatuit, quod nemo paganorum poſſit cum duobus teſtamentis decedere, illa autem proteſtatio teſtatoris non poteſt evertere, quod lagibus eſt conſtitutum, attamen illa proteſtatio ſaltem hoc faceret, ut hæres in eo ſcriptus evadat fideicommiſſarius, ita ut jure fideicommiſſi hæres in poſteriore debeat alteri præſtara illam partem hæreditatis, dummodo id, quod ipſi relictum eſt, adæquet trebellianicam, quam integram poteſt retinere ex re relicta. Cæterùm tamen teſtamentum inter liberos dum revocatur per poſterius, debet hoc eſſe ſolemniter coram ſeptem teſtibus confectum, ut habet jus novum, niſi parens prius teſtamentum incideret; hinc non ſufficeret novum imperfectum & privilegiatum,

3 Advertendum 3, quoad revocationem teſtamentum dupliciter poſſe conſiderari ſcilicet per ſe, & per accidens; teſtamentum per ſe conſideratum ſemper usque ad mortem poteſt revocari & mutari, & etiam ad hoc poteſt mediis licitis induci & perſuaderi teſtator; Tum quia ut ait Apoſtolus ad Heb. 9. illud primò in mortuis confirmatur, Tum quia ut dicit L. 22. ff. de legatis III. *nemo ſibi legem poteſt dicere, ut à priori voluntate ei recedere non liceat*, nempe ſine injuria alterius juris acquiſiti per ſolam voluntatem ſina traditinne; & hoc etiam verum eſt licèt teſtamentum ſit factum cum omni ſolemnitate & coram Rege, dummodo etiam ſecundùm teſtamentum habeat ſolemnitatem à jure requiſitam, aliàs revocatio primi teſtamenti eſſet invalida; hinc etiam quando teſtator diceret, ſe vella valere hoc teſtamentum, ſi in hoc morbo diſceſſerit, ſecus ſe nolle valere, tunc valor hujus teſtamenti maneret ſuſpenſus, & ab eventu dependebit, per conſequens loquendo per ſe judicabitur nullum, ſi convaleſcat; ſi tamen poſt convaleſcentiam diu ſuperviveret, nec teſtamentum deſtrueret, videndum eſſet ax conjecturis, utrum illas particulas adjeciſſet ſolùm per modum cauſæ impellentis & non per modum conditionis ſuſpendentis valorem, & talis conjectura poteſt eſſe ipſa retentio diuturna poſt convaleſcentiam; item ſi moneretur, ut faceret teſtamentum, & diceret, ſe jam habere confectum; quod planè certum eſſet, ſi illam conditionem cancellaret, ſeu perfoderet aut ſubduceret; quia etiam confecto teſtamento poteſt teſtator aliqua mutare, quæ ſerviunt ad meliorem animi declarationem. Quæſtio ergo

go ſolum eſt de teſtamento per accidens conſiderato, an ſcilicet per accidens poſſit eſſe irrevocabile, ſcilicet per legem, per juramentum, præſertim per mortem caſu quo aliquis iterum miraculosè reſuſcitaretur.

4 Advertendum eſt 4. exhæreditationem eſſe excluſionem ab univerſo ſucceſſionis jure in bona defuncti quæ ex Novell. 115. C. 3. propter ſequentes fit cauſas: primò, ſi filius parentibus ſuis manus injecerit: ſecundò, ſi gravem & inhoneſtam injuriam intulerit: tertiò, ſi eos in cauſis criminalibus accuſaverit, quæ non ſunt adversùs Principem vel rempublicam: quarto, ſi cum maleficis practicat: quinto, ſi vitæ parentum inſidiari tentaverit: ſexto, ſi novercæ ſuæ ſeſe immiſcuerit: ſeptimo, ſi per delationem gravia diſpendia fecerit ſuſtinere parentes: octavo, ſi parentem captivum eequiſitus non liberaverit: nono, ſi parentes prohibet facere teſtamentum: decimo, ſi præter voluntatem patris ſe mimis ſociaverit & in tali profeſſione permanſerit, niſi fortè etiam parentes tales fuerint: undecimo, ſi parentibus maritum vel dotem dare filiæ volentibus hæc non conſenſerit, ſed luxorioſam vitam elegerit, ſi tamen usque ad 25. annum pervenerit filia, & parentes diſtulerunt eam copulare marito, & forte ex hoc contigerit eam in ſuum corpus peccare, vel ſe ſine conſenſu parentum nuptui tradere, videtur non eſſe imputandum ingratitudini filiæ cum id non ſuâ culpâ, ſed parentum commiſiſſe agnoſcatur: duodecimo, ſi parentes ſint Catholici & filii à fide defecerint: pariter ibi C. 4. enumerantur cauſæ ob quas liberi poſſunt exhæreditare parentes.

5 Advertendum eſt 5. non eſt neceſſè, quod filii in tota ſubſtantia defuncti inſtituantur hæredes, ſed tantùm in portione legibus conſtituta, quæ dicitur legitima, & hæc debetur liberis non ſolùm maſculis, ſed etiam fœminis non ſolùm in poteſtate conſtituris, ſed etiam emancipatis & religionem profeſſis, his autem deficientibus ſuccedit pater & mater defuncti, ſicut & fratres & ſorores ejusdem, prout de novo ſtatutum eſt ab Auguſtiſſimo Carolo VI. nunc ſeliciter regnante; cum enim aliquando in Auſtria obſervaretur, ut hæreditates ab inteſtato non aſcenderent ſed deſcenderent, ita quod deficientibus hæredibus neceſſariis ſolùm fratres vel ſorores fratrum vel ſororum, aut his deficientibus alii propingui & cognati collaterales ſuccederent excluſis parentibus aut avis, ſi ſupervixerint filios aut nepotes ſuos; introduxit prælaudatus Auguſtiſſimus defacto contrarium, ad hoc ſpecialiter condito tractatu in idiomate germanico per Auſtriam publicato, & intitulato: *de ſucceſſione ab inteſtata*. ubi tit. 5. apertè ordinatur parentes ab inteſtato ſuccedere filiis ſuis; quapropter datâ filiis legitimâ poteſt parens ex juſta cauſa uni plus relinquere quàm alteri, quæ juſta cauſa poteſt eſſe, ſi filius vel filia plus meriti habeat apud patrem, ſi unus plus indigere videtur, v. g. ſi magno ſumptu debet adjuvari in ſtudio, ſi unus filius habeat plures proles quam alter &c. adeóque quoad legitimam tenetur ſub gravi peccato ſuos aſcendentes vel deſcendentes inſtituere, non tamen conſanguineos collaterales ut fratres vel filios fratrum, ſed poteſt quos vult, niſi particularis lex ſit in provincia; legitima autem oritur ex diviſione totius ſubſtantiæ, quæ dicitur aſſis hæreditatis, hanc dividunt leges in duodecim uncias, & duas uncias vocant ſextantem, id eſt ſextam partem aſſis; tres uncias vocant quadrantem, id eſt quartam partem aſſis; quatuor uncias vocant trientem, id eſt tertiam partem. Sex uncias vocant ſemiſſem, id eſt dimidiam partem, hinc legitima portio deſcendentium, ſi proles ſint pauciores quam quinque, eſt triens, ſi verò ſint plures quam quatuor, erit ſemis, ut ex his verſibus memoriæ datur:

Quatuor aut infra dant natis jura trientem
Semiſſem verò dant natis quinque vel ultra.

Propoſitio 1. *Teſtamentum metu aut dolo obtentum quamvis jure natura ſit validum, jure tamen poſitivo eſt nullum nec reſciſſione indignum.* Ratio primi eſt; quia adhuc cenſetur ſufficiens voluntarium & liberum teſtatoris adeſſe: Ratio verò ſecundi eſt; quia poteſtas teſtandi eſt legis & non naturæ beneficium, ſed teſtamento ex metu inito facto lex non aſſiſtit: ergo eſt nullum. Min. probatur aſſiſtentia legis pro teſtamento eſt favor teſtantis, ſed ſi aſſiſteret teſtamento ex metu facto, talis aſſiſtentia non eſſet favor ſed afflictio: ergo. Hinc hic valet illa regula L. 6. Cod. de legibus: *Quod favore quorundam conſtitutum eſt quibusdam caſibus ad læſionem eorum nolumus inventum videri*; nam in præſenti materia factio teſtamenti eſt inventum legis, & ideo Juriſtæ dicunt: non aſſiſtere legem in invento legis, eſt reſiſtere legem. Imò magis teſtamentum eſt nullum, ſi quis ex dolo injuſto aliquem induxit ut ſcriberet hæredem, quem non ſcripſiſſet abſente dolo; quia hoc procederet ex ignorantia invincibili antecedente, quæ cauſat ſimpliciter involuntarium. 6

Nec dicas: coacta voluntas eſt etiam voluntas: ergo adeſt teſtatoris voluntae, bine L. 21. ff. quod metus cauſa: aditio hæreditatis per metum eſt valida & ſolùm reſcindenda per Prætorem: ergo etiam teſtamentum.

Reſpondeo diſting. antec. eſt voluntas ſecundùm quid & cui lex reſiſtit conc. aliter neg. antec. ad paritatem eſt diſparitas; quia aditio hæreditatis habet rationem quaſi contractûs & inter vivos perficitur, contractus autem tales ſunt reſcindendi, ut ſuô locô de contractibus dictum eſt, in teſtamento autem poſt

mor-

Digitized by Google

mortem teſtatoris non eſt reſciſſioni locus; cum defunctus non poſſit in integrum reſtitui.

7 Propoſitio 2. *Princeps poſſet alicui auferre poteſtatem revocandi teſtamentum factum, ſi quis ex certâ causâ hoc peteret à Principe.* Ratio eſt; quia Princeps poteſt aliquem reddere omnino inteſtabilem: ergo etiam ob cauſam bonum publicum concernentem poteſt facere, ut teſtamentum confectum non poſſit revocari, ſed illi ſuccedant qui ſcripti ſunt hæredes; nam ſicut leges ſtatuerunt, ut per mutationem ſtatûs irritum fiat prius teſtamentum, ita potuerunt utique leges ſtatuere, ut aliquis qui jam teſtamentum feciſſet, deinde ſervus factus eſt, non poſſet quidem ampliùs teſtari, ſed tamen teſtamentum prius factum valeret, ſicut de facto qui poſt factum teſtamentum profitetur in religione, non poteſt amplius factum teſtamentum revocare ad ſuum libitum.

Nec dicas: ſi tale teſtamentum non ampliùs poſſet revocari non differret à donatione inter vivos: ergo ut ſit formale teſtamentum, debet ſemper eſſe revocabile.

Reſpondeo neg. antec. nam plurimùm differt, quia hæres ante mortem teſtatoris nullum jus in re, imo nec ad rem haberet, adeóque, ſi Princeps ad inſtantiam, teſtatoris poſtea hanc ipſam inhabilitatem relaxaret, fieret teſtamentum iterum revocabile abſque ulla hæredis injuria; ſic videmus aliquos religioſos mendicantes per Tridentinum redditos eſſe capaces, ut poſſint bona ſtabilia & immobilia poſſidere, cùm priùs non poſſent.

8 Propoſitio 3. *Teſtamentum juramento firmatum de non ampliùs revocando adhuc eſt validè revocabile, eſto injuſtè, ita tamen ut hæres poſterior teneatur priori reſtituere totum damnum, quod ex violatione promiſſionis juratæ ſubiret.* Ratio eſt; quia acquiſito ſolùm jure ad rem revocatio poteſt eſſe valida; cùm necdum ſit facta translatio dominii, & per juramentum non eſt infirmata poteſtas transferendi dominium in alium, ſicut qui venderet equum Petro non ſecutâ traditione cum juramento non tradendi alteri, adhuc traditio facta alteri valeret, licèt non eſſet juſta: adeóque diſtinguendum eſt inter pactum non revocandi & inter teſtamentum; ſic omnino non valeret promiſſio ſecunda quâ quis contra priorem promiſſionem factam Petro de non revocando teſtamento promitteret Paulo ſe velle teſtamentum revocare: ratio autem ſecundi eſt; quia hæres ſuccedit in omnes obligationes teſtatoris, teſtator autem hanc obligationem contraxit per revocationem teſtamenti contra pactum juramento firmatum: obſervandum tamen eſt, ſi juramentum ita conceptum eſſet, ut haberet vim clauſulæ derogatoriæ & inſertum eſſet teſtamento ſe jurato teſtari, quod nolit valere teſtamentum poſterius, ſi quod eſſet facturus, tunc in poſteriori teſtamento deberet fieri mentio facti juramenti.

Nec dicas: ſi promiſſarius revocato teſtamento non ſuccedit ut hæres & ei tamen alter hæres tenetur reſtituere damna, nihil videtur intereſſe hunc potiùs quam illum eſſe hæredem: ergo potiùs dicendum eſt primum teſtamentum non eſſe revocabile.

Reſpondeo neg. antec. nam plurimùm intereſt, quia hæres non tenebitur ſolvere legata in teſtamento revocato relicta, niſi etiam legatariis eſſet facta jurata promiſſio, ſicut teneretur ſolvere hæres promiſſarius, ſi hæres eſſet ex teſtamento. Vide plura de donatione & contractu juramento firmatis. His propoſitis:

9 Aſſero ad quæſtionem: *Filio tam emancipato quàm filio ſuo nec inſtituto nec exhæredato ſed in teſtamento præterito teſtamentum de jure novo eſt nullum ſive inſeratur præteritionis causâ ſive non.* Eſt Haunoldi contra Alicatum & Graſſum.

Probatur 1. pars §. 5. Inſtitut. de exhæred. lib. dicitur: *hæc quidem vetuſtas introducebat*, & dein de novo ſtatuitur, ut omnes ſui ſive emancipati ſint, hæredes inſtituantur vel nominatim exhæreditentur & eundem habeant effectum circa teſtamenta parentum ſuorum infirmanda & hæreditatem auferendam, quem filii ſui vel emancipati habent ſive jam nati ſint &c. ubi lex infirmanda debet ſumi de facto ipſo jure, hoc eſt, infirma declarantur; nam fit æquiparatio hic filiorum emancipatorum cum ſuis, quibus præteritis juxta omnes teſtamentum eſt nullum: ergo etiam &c. quod adhuc clariùs ſtatuit Novell. 115. ubi dicitur: *penitus non licere patri vel matri filium aut filiam vel cæteros liberos.* NB. filii emancipati utique non deſinunt eſſe liberi, *præterire*, cujus rationem aſſignat in Inſtit. Imperator ex paritate procreationis naturalis, & ideo infert paritatem ſucceſſionis inter ſuos & emancipatos; cùm emancipatio non immutet aliquid in naturâ filiorum, ſed potius æquè inſerviat ad propagandam familiam parentum, cur ergo non eodem affectu & favore digni eſſent.

10 Probatur ſecunda pars: in loc. cit. Imperator requirit æqualiter & copulativè hæc duo ſcilicet cauſæ expreſſionem & ejusdem probationem, ſed juxta communem ſententiam, ſi cauſa non eſt inſerta, teſtamentum eſt ab initio nullum: ergo pariter ſi eſt inſerta, ſed non probata, erit etiam nullum.

11 Objicies: præteritio poſthumi non facit teſtamentum ab initio nullum: ergo nec præteritio filii emancipati.

Reſpondeo prætermiſſo antecedente (quod multi negant) neg. conſeq. quia poſthumis abunde eſt conſultum, quod agnatione rumpant teſtamentum, nec opus habent petitione hæreditatis per querelam inofficioſam, & per ſe clarum eſt, non poſſe eos antequam naſcan-

ſcantur ita abſolutè inſtitui ſicut jam nati, cum eorum nativitas incerta ſit.

12 Dices: ſaltem ſi alii liberi & nullus extraneus inſtituuntur præterito filio emancipato teſtamentum non erit nullum, quia teſtamentum inter liberos non vitiatur omiſſione ſolemnitatis: ergo.

Contra neg. antec. nam licèt non requirantur ſolemnitates, requiruntur tamen ſubſtantialia ſpecialiter requiſita ad teſtamentum parentum, qualis eſt inſtitutio vel exhæreditatio, cum hoc utrumque ſit in favorem liberorum tam omiſſio ſolemnitatis quam inſtitutio, ubi unus favor non debet præjudicare alteri.

13 Aſſero ſecundo: *Probabiliùs eſt, miraculoſa defuncti teſtatoris reſurrectione teſtamentum non revocari, nec bona adita ab hærede ſcripto reverti.* Eſt Angeli Haunoldi contra communem Juriſtarum & Theologorum.

14 Probatur prima pars: tum quia non eſt in poteſtate teſtatoris reſervare ſibi aliquod jus ſub conditione reſuſcitationis in ſuis bonis; unde ſi nullum penitus nanciſceretur hæredem, ſed haberet bona, de quibus nemo ſcit, ad quem pertineant, poſt mortem illius fierent bona derelicta & primò occupantis, quod ſi nemo ea occupâſſet, tunc reſuſcitatus non eo ipſo eſſet eorum dominus, niſi ea de novo occuparet: ergo. tum quia per reſurrectionem non revocatur prior voluntas de hæredis inſtitutione: ergo etiam manet idem teſtamentum, unde ſi redivivus novâ voluntate non immutet teſtamentum uti poteſt usque ad alterum ſuum obitum, iidem hæredes & legatarii ſuccedent, qui vi prioris teſtamenti ſuccedere debebant, ubi tamen in contraria ſententia deberent alii ab inteſtato ſuccedere: ergo.

15 Probatur ſecundo per inſtantias: prima, maritus non tenetur recipere uxorem à morte reſuſcitatam, imò nec, ſi vellet, poſſet eam recipere ſine novo matrimonio, uti habetur 1. ad Corinth. 7. ſi dormierit vir ejus liberata eſt, cui vult nubat: ſecunda, religioſus reſuſcitatus non reſtituendus eſſet monaſterio, ſed abſolutus eſſet ab omni voto: tertia, ſi Franciſcanus diſpenſatione Pontificis abſolveretur à votis, teſtamentum ejus per aditionem hæreditatis ab aliis factam, retineret ſuas vires: ergo.

16 Objicies: in nativitate poſthumi rumpitur teſtamentum: ergo multò magis in ipſa reſuſcitatione teſtatoris, item qui liberatur à pœna mortis per Principem omnia bona recuperat: ergo multò magis qui à morte reſuſcitatus à Principe cœleſti reſtituitur in ſuis bonis.

Reſpondeo neg. conſequent. diſparitas eſt; quia cum illi caſus non ſint metaphyſici, ideo legislatores hos conſiderârunt & ſuis legibus expreſsè ſtatuerunt, ut ſi præteritus ſit poſthumus, teſtamentum ſit nullum &c. caſus verò noſter, cum ſit miraculoſus non legislatoribus, ſed ſoli DEO eſt notus, ideo manet in ſuâ naturâ.

Dices: mens teſtatoris fuiſſe videtur, ut ſe ipſum omnibus aliis præferat, magis enim diligebat ſe quam ſuum hæredem, quem ſolùm locò ſui ſuccedere voluit, præſertim cùm eſſet mortuus ab inteſtato: ergo reſuſcitatio ipſi debent cedere ſua bona.

Contra neg. antec. quia non poteſt habere mentem contra ordinem juris; cùm enim hoc ſit favor legis, ut homo poſſit diſponere poſt mortem, & jus non det facultatem transferendi dominium revocabile per reſuſcitationem ſed irrevocabile, talis etiam cenſeri debet fuiſſe intentio defuncti.

Dices: per reſurrectionem diſſolvitur matrimonium inter conjuges & inter religioſum ac religionem: ergo etiam teſtamentum.

Contra neg. conſeq. ad primum diſparitas eſt; quia in matrimonio ob graviſſimas inconvenientias quæ aliàs ſequerentur, ſi interea iterum nuberet, aliter ſtatuit lex divina: ad ſecundum etiam diſparitas eſt; quia intentio religioſi voventis ultra ſe non extendit quam ad tempus vitæ, teſtatoris autem mens & intentio eſt diſponere poſt tempus vitæ juxta juris ordinationem.

Aſſero tertio: *Seclusâ authoritate alicujus particularis regni, ſed ſtando in puncto juris non licet extendere licentiam exhæreditandi ad alias ingratitudinum cauſas, quàm quæ in Advert. 4. ex Novell. 115. Cap. 3. enumerantur.* 17
Eſt Molinæ Haunoldi contra Fachineum & communiorem Juriſtarum.

Probatur: tum quia in cit. Novell. dicit Imperator: *quia cauſas ex quibus ingrati liberi debeant judicari in diverſis legibus diſperſas & non apertè declaratas invenimus, quarum aliqua nec digna nobis ad ingratitudinem viſa ſunt, aliqua verò cum eſſent digna, prætermiſſa ſunt, ideo neceſſarium eſſe perſpeximus, eas nominatim præſenti lege comprehendere, ut propter ipſas 14. nulli liceat ex alia lege gratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus conſtitutionis ſerie continentur*: ergo. tum quia ſi liceret ob alias cauſas exhæreditare ſecundùm intentionem Imperatoris, quid opus fuiſſet ſpeciali tam multarum cauſarum enumeratione? aut cur Imperator conqueritur ab antiquis graviores cauſas eſſe omiſſas? nam etiam antiquitas poſſet illi reſpondere, etiam tu omittis multas, quid ergo abſurdi eſſet nos etiam aliquas omiſiſſe, & ſatis eſt aliquas recitâſſe, juxta quarum exemplum poſſit de aliis æquè gravibus judicari, & ſic Imperator non adimplevit id, quod agnovit eſſe neceſſarium contra antiquitatem, quod eſt contra antiquitatem, quod eſt contra ejus mentem & textum cit. interim tamen ſi poſitis his cauſis exhæreditatus ingrediatur monaſterium, tolleretur exhæreditatio, & teſtamentum eſſet nullum ut habetur

betur C. *fin.* cauſa 19. quæſt. 3. & Novel. 123. cap. 41.

Objicies: ad exhæreditationem ſufficientes videntur ſequentes cauſæ: prima, ſi filius ſit proditor patriæ aut reus læſæ Majeſtatis exiſtat: ſecunda, ſi filius ſine conſenſu Patris uxorem inhoneſtam ducat, caſu quo pater voluiſſet ipſi providere de honeſto matrimonio: tertia, ſi quis liberorum contra voluntatem parentum ineat nuptias: quarta, ſi filius cum inimicis parentum ſocietatem iniverit vel amicitiam contraxerit: quinta, ſi filius parentem infirmum non benè curat, cum potuiſſet: ergo cauſæ enumeratæ in cit. Novel. non ſunt ſufficienter.

Reſpondeo neg. antec. nam cauſa prima rejicitur, nam delicta quibus reſpublica directè læditur, non privatis ſed publicis pœnis plectuntur; unde cum poteſtas exhæreditandi ab Imperatore ſpecialiter ſit annexa cauſis ingratitudinis erga parentes, qualis non eſt proditio patriæ aut læſio Majeſtatis, & non ſpecialiter ſtatuatur ob ingratitudinem patriæ aut Majeſtatis, ſic non cenſetur tali pœna illum filium ponire: ſecunda rejicitur; quia matrimonia debent eſſe libera; cui libertati magis favendum eſt, quàm ut exhæreditationis pœnâ talis libertas impediatur, imò apud Theologos certum eſt, poſſe quem ex laudabili fine ducere perſonam turpem v. g. quod malit cum perſona turpi vivere in matrimonio quàm abſque matrimonio cum eâ pariter vivere: tertia ob eandem rationem libertatis matrimonii rejicitur: quarta rejicitur; quia eam expreſsè ex cauſis antiquis, quas pro nimis levibus reputavit Imperator, prætermiſit; & licet ex hâc cauſâ amittatur feudum, non tamen licet exhæreditare ex omnibus iis cauſis ex quibus amittitur feudum: quinta rejicitur, quia licèt illa ſit ingratitudo, ſi ex malitia fiat, quod difficulter probari poterit; quia tamen non accedit ad gravitatem, qualis eſt inſidias poſitivas vitæ ſtruxiſſe, non poteſt hæc cauſa tanquàm ſufficiens aſſignari; cum etiam ipſi adverſarii fateantur; quod tales cauſæ debeant eſſe ejuſdem gravitatis cum aſſignatis.

Dices: ubi eſt eadem ratio, ibi debet eſſe eadem diſpoſitio juris, & ubi eſt par aut major delicti qualitas, eadem eſt pœna imponenda, ne paria maneant minùs punita, ſed ex objectis cauſis quædam ſunt æquales & quædam majores cauſis in Novella aſſignatis: ergo.

Contra diſting. maj. ſi pœnæ ſunt arbitrariæ conc. ſi pœna eſt certa à legiſlatore definita pro certis delictis facta conſtitutione puniendi graviora vel paria delicta aliis pœnis æqualibus neg. maj. quod verò Imperator in præſenti causâ voluerit pœnam certam exhæreditationis his certis delictis præſcribere, patet exinde; quia voluit obviare altercationibus circa cauſas exhæreditandi; ſed non obviaſſet, ſi adhuc liberum eſſet altercari circa cauſas non expreſſas, quales altercationes excitarent adverſarii.

Dices ex lege dicitur eſſe non ſolùm, quod verbis legis continetur, ſed etiam quod per interpretationem duce ratione ex lege colligitur, cum non poſſint omnes articuli legibus comprehendi, ſed cum in aliquâ causâ ſententia eorum eſt manifeſta, is qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque dicere debet, ut ſtatuunt jura: ergo etiam in illis ſimilibus cauſis exhæreditationis.

Contra neg. conſeq. nam aliud eſt legem interpretari, & aliud legem velle extendere contra prohibitionem legis, ut adverſarii faciunt, ſi enim hoc poſſe fieri voluiſſet Imperator, utique addidiſſet (prout addidit in feudalibus) exhæreditationem ex cauſis æque gravibus fieri poſſe, quod ſi addidiſſet plane non ſuſtuliſſet occaſiones altercationum, ſed novam anſam præbuiſſet, ubi tamen ad eas evitandas voluit certas definire cauſas. 2

QUÆSTIO IV.

An una cum legitima poſſit detrahi Falcidia vel Trebellianica?

ADvertendum eſt primò. Olim ex L. 12. tabul. liberam fuiſſe facultatem legandi etiam ad totum patrimonium erogandum, ſed in inſtit. de lege Falcidia Juſtinianus hanc licentiam coarctavit in favorem teſtatorum, qui ea de causâ plerumque inteſtati diſcederent hæredibus ſcriptis pro nullo vel minimo lucro recuſantibus adire hæreditatem, & ideo poſuit legem *furia*, quæ prohibet uni legatario ultra 100. aureos legari, & legem *voconia*, quæ prohibet, ne cui plus, quam hæredi relinqueretur, quæ tamen leges adhuc fuerunt inſufficientes pro eo fine, ideo Cajus Falcidius tribunus plebis poſuit legem falcidiam, quæ cavet ne plus legare liceat quam dodrantem, ita ut apud hæredes maneat quarta pars patrimonii, vi cujus conſtitutionis modo competit jus hæredi in tantum ex legatis defalcandi quam neceſſarium eſt pro quartâ parte patrimonii non ſolùm per retentionem; ſed etiam vendicationem conſequenda ut habetur L. 1. ff. ad legem falcidiam: ſimile etiam remedium datum eſt pro fideicommiſſis univerſalibus, quibus aliquando contingebat hæredem in tantum gravari, ut meritò repudiaret hæreditatem; ideo duo ſenatuſconſulta Pegaſianum & Trebellianicum providerunt ſtatuentes, ut hæreditas eſſet, quartam partem patrimonii detrahere, quæ pars quarta trebellianica dici ſolet, poteſtque hodierno jure etiam hæres ab inteſtato eam deducere ut habetur L. 3. Cod. ad trebellianicam, quâ de causâ hæres fiduciarius etiam invitus poteſt cogi ad hæreditatis aditionem, illa autem detractio debet fieri ab illa quantitate hæreditatis, quæ mortis tem- 1

pore ſpectatur, & non ab illa, quæ poſtea accreſcit vel decreſcit. Cæterùm quoad particularia fideicommiſſa eſt horum cum legatis omnimoda æquiparatio, ita ut ab illis non trebellianica ſed falcidia ſit detrahenda, ex quibus patet falcidiam detrahi à legatis & trebellianicum à fideicommiſſis univerſalibus: de fideicom̃iſſis quid ſint patet ex quæſt. 2. Advert. 4. de obliquâ ſubſtitutione ſcilicet cum tota hæreditas vel pars ejus ab hærede præſtanda verbis precariis alteri relinquitur 3. quid autem ſint legata.

2 Advertendum eſt 2. Legatum aliquando ſumi pro re ſeu materia legata, aliquando verò pro actu legandi, hoc modo ſumptum *eſt donatio quædam à defuncto relicta & ab hærede præſtanda:* dicitur donatio, quia debet ex liberali & gratuito animo procedere; aliàs ſi fiat ad conſcientiam exonerandam non tam erit legatum quàm debitum ex juſtitiâ ſolvendum; unde talia ideo relinquens pauperibus non facit legatum ſaltem nomine ſuo, ſed nomine illorum dominorum, quorum illa debita ſupponuntur eſſe: dicitur à defuncto relicta, per quod differt ab omni alia donatione inter vivos: dicitur ab hærede præſtanda, tum ut differat ab hæreditate, quæ ab ipſo teſtatore præſtatur; tum ut differat à donatione mortis causâ, quæ etiam à donante vivente præſtatur confirmanda tamen morte donantis: ex quo etiam videtur legatum differre à fideicom̃iſſo particulari; nam legatum directè dirigitur ad legatarium v. g. lego Cajo 100. fideicom̃iſſum verò directè ad hæredem, qui fideicom̃iſſario debet præſtare, quod teſtator vult v. g. relinquo meo hæredi fundum, ut illum donet Titio, & ſic reſpectu Titii erat legatum, reſpectu verò hæredis fideicom̃iſſum; eò quod ipſius fideicom̃iſſum relinquatur: legatum ergo aliud eſt pium, aliud profanum, aliud abſolutum, aliud conditionatum; differt autem profanum à pio, quòd profanum fiat caducum, & cedat hæredibus, ſi nequeat executioni mandari opus in quo legatum conſiſtit, niſi legatum ſit factum civitati ad uſum profanum, quod poteſt per magiſtratum converti in aliud opus, quo defuncti memoria celebretur ut habetur L. legati ff. de uſufructu legati; pium verò non fit caducum neque redit ad hæredes, ſed ſi nequit eo modo præſtari, Epiſcopi erit ſubſtituere aliud opus æquè pium, ut habetur ex Trident. Seſſ. 24. cap. 8. de reformat. imo ex privilegio Sixti IV. poſſunt Prælati Ordinis minorum legata ipſis relicta, dummodo id fiat ſine ſcandalo ipſorum, ad quos ſolutio talium legatorum pertinet, ex uno uſu in alium neceſſarium commutare.

Advertendum eſt 3. Legare poſſe omnes
3 quibus jus teſtandi competit, ſiquidem legata ſolo teſtamento relinquuntur, & licèt omnes legatarii poſſint inſtitui ſicut hæredes, ex privilegio tamen Clementis V. in Bulla exivi de Paradiſo, nos Fratres minores ſumus capaces legatorum licèt non teſtamentorum, ita tamen ne videantur eſſe facta in fraudem, quaſi ſub legati forma relinquatur hæreditas: omnes ergo etiam illæ res legari poſſunt, ad quas teſtator habet jus, ſicut enim hoc poteſt vendere vel aliter alienare, ita & legato relinquere ſive illæ res ſint corporales ſive ſpirituales ſive præſentes ſive futuræ, adeóque ſi fructus eo anno, quo teſtator moritur, ſint nati, ab hærede præſtanda ſunt legatario, debet tamen res, quæ legatur, eſſe in rerum naturâ; nam ſi neque in actu neque in potentia ſit, legatum eſt nullum: præterea legatum eo modo, quo teſtator vult, debet præſtari, ſi ita poteſt; unde nec Epiſcopus nec legatus etiam ex juſtâ causâ poteſt opus pium ad certum uſum à teſtatore deſignatum in aliud opus pium commutare, ſi ultima voluntas in ſpecie poteſt adimpleri: tum quia voluntas teſtatoris ſervanda eſt tanquam lex ut habetur C. *voluntas* 13. quæſt. 2. tum quia alienum eſt à ratione, ut bona diſtrahantur & occupentur contra domini voluntatem, nihilominùs tamen Summus Pontifex id poſſet etiam ſine ullâ causâ ex parte legati vel legatarii commutare, cum ſæpè expediat fieri hujusmodi commutationes ob bonum Eccleſiæ, adeòque ſaltem ex parte Pontificis ſemper debebit adeſſe juſta cauſa, cum ei ſit data poteſtas in ædificationem & non in deſtructionem Eccleſiæ: præterea hoc idem eſt dicendum de ſupremo Principe non agnoſcente alium Superiorem in temporalibus reſpectu legati profani, cum eadem ſit authoritas ſupremi Principis ſæcularis in legata non pia, quæ eſt Pontificis in pia. His notatis:

Propoſitio 1. *Lex falcidia non habet lo-* 4
cum in teſtamento militis, nec in legatis privilegiatis, ut ſunt legata relicta cum perpetuâ inalienabilitate, & etiam in communi ſententia legata pia. Ratio primi eſt ex L. 12. Cod. de teſtam. milit. adeóque ne horum ultima voluntas quoad legata deſtitueretur, aliud eſt remedium inventum, ut ſcilicet repudiantibus hæredibus ſcriptis hæreditatem à ſubſtitutis vel ab inteſtato ſuccedentibus legata præſtarentur: ratio ſecundi eſt ex C. de lege falcidia, notandum tamen eſt his legatis privilegiatis non gravari reliqua legata, quaſi de illis ſolis falcidia ſit detrahenda etiam quoad illam partem, quæ eſſet à privilegiatis deducenda, ſed hæc legata ante omnia loco æris alieni cum impenſis funeralibus & pretiis ſervorum ſunt deducenda, & de reliquo minuto patrimonio defalcentur: ratio tertii eſt ex Cod. de lege falcidia, ubi dicitur: ſimiliter falcidia ceſſat in his quæ ad cauſas pias relicta ſunt; quia tamen Haunoldus variè hunc textum explicat, & etiam ex ff. adfert legem, quæ dicit ad municipum quoque legata, vel etiam quæ DEO relinquuntur lex falcidia pertinet, ideo conſuetudini res eſt relinquenda, & optandum eſſet ut communior ſententia ubique pra-

dicaretur; tum quia detractio falcidiæ eſt diſpoſitio juris civilis, quod non habet poteſtatem in pia legata, hinc ad ſummum poſſet ſtatui, ut in piis legatis tunc ſolùm ſit locus falcidiæ, ſi ex aliis legatis integra quarta pars haberi non poſſet. Cæterum tamen ſi una cauſa pia eſſet hæres, poſſet detrahere ab aliis piis legatis, quia una cauſa pia non habet privilegium contra aliam piam cauſam.

5 Propoſitio 2. *Falcidia etiam detrahi poteſt à donatione mortis cauſà:* ratio eſt ex L. 18. Cod. ad legem falcidiam, ubi dicitur: quod illa res corporaliter quidem data ſit, lege autem in patrimonio teſtatoris permanſerit, eùm ultra modum legis ſit data. Hoc pariter extendunt authores ad donationes inter conjuges aliáſque non niſi morte confirmandas ob paritatem rationis.

6 Propoſitio 3. *Si teſtator hæredi etiam relinquit legatum, illud non eſt computandum integrè in falcidiam, benè verò in trebellianicam ſiquid hæredi fiduciario nomine legati eſt relictum.* Ratio primi eſt ex L. 91. ff. ad legem falcidiam ubi dicitur: quod ex illo legato ſicut ex aliis legatis falcidia detrahatur. Ratio autem ſecundi eſt ex eadem lege ubi dicitur: ſed in fideicommiſſariâ hæreditate reſtituenda ſive legatum vel fideicommiſſum datum ſit hæredi ſive deducere ſive retinere juſſus eſt in quartam ei imputatur. Imo & fructus percepti eo tempore, quod inter mortem teſtatoris & reſtitutionem fideicommiſſi intercedit, ſunt in quartam imputandi, ut habetur L. 18. ff. ad legem falcidiam. Diſpar autem ratio hujus primæ & ſecundæ partis poteſt eſſe, quòd ideo in falcidiam non imputetur hæredis legatum; quia cum hæredi per falcidiam quadrans detur, priusquàm à teſtatore quidquam legetur aut fideicommittatur, ideo non poteſt quadrans confici ex legatis hæredi relictis, quin potiùs eum hæc omnia accedant quadranti jam confecto extra quadrantem eſſe debent; aſt verò à Senatuſconſulto Trebelliano non conficitur quarta hæredi, ſed tantùm permittitur, ut ſibi ille ipſe conficiat, ne infructuoſa ſit aditio hæreditatis, ideo videtur huic Senatuſconſulto ſatisfactum, ſi quartam hæres habeat, undequaque eam habeat.

7 Propoſitio 4. *Si hæres detraxit trebellianicam, tunc fideicommiſſarius non poteſt iterum detrahere, quando ulteriori debet reſtituere, imò etiamſi hæres eam non detraxit, niſi hæres omittendo detractionem voluiſſet erga ſolum primum fideicommiſſarium eſſe liberalis.* Ratio primi eſt ex L. 1. ff. ad trebellianicam: ratio verò ſecundi eſt; quia tunc hæres cenſetur donare primo fideicommiſſario partem quartam illique cedere jus detrahendi eam.

8 Propoſitio 5. *A teſtatore & detractio falcidiæ & detractio trebelliana poteſt prohiberi, ſed debet eſſe expreſſa prohibitio, aliàs hæres ſemper poſſet detrahere.* Ratio primi eſt de falcidia L. ſed cum teſtator Cod. ad L. falcid. ſed cum teſtator hoc expreſsè vetuit non ignarus quis modus ſit ſui patrimonii, ceſſat falcidia, & ſi hæres in hoc non pareat, defertur hæreditas perſonis enumeratis ſub titulo de legatis & fideicommiſſis: Ratio ſecundi eſt; quia frequenter in jure ſub nomine falcidiæ venit trebelliana: ergo etiam in citata lege Imperator idem intellexit; nam ſi non ita intellexiſſet ineptè recenſuiſſet inter illos, qui ſuccedunt nolentibus parere teſtatoris prohibitioni fideicommiſſarios, ſi enim trebellianica non poteſt prohiberi, nunquam poſſet eſſe locus ſucceſſioni fideicommiſſariæ, hinc poteſt dici novo jure hæredem fiduciarium ſolùm cogi poſſe adire hæreditatem, quando non prohibetur trebellianica, non verò tunc quando ipſi prohibetur; nam tunc debet ei eſſe liberum repudiare; quia ſuccedet fideicommiſſarius. His poſitis

9 Aſſero ad quæſt. *poteſt una cum legitima falcidia vel trebellianica detrahi.* Eſt Fachinei, Haunoldi, contra Antonium Fabrum & Henricum Zoeſium.

Probatur 1. ex jure Canonico. Can. Reynutius & Can. Raynaldus, de teſtam. Summi Pontifices Innocentius III. & Gregorius XI. confirmant & approbant ſententiam Judicis delegati, qui pronuntiaverat legitimam reſtitutioni non fuiſſe ſubjectam, & inſuper trebellianica detrahi potuiſſe, & licèt in ea ſpecie filius rogatus fuerit ſub conditione ſubſtituere & non purè, in hoc tamen ſe non fundârunt Pontifices, neque juris interpretes tali diſtinctione tunc utebantur, ſed in eo ſe fundârunt, cum aliis juris interpretibus, quod filius in legitima gravari non potuerit, quartam autem trebellianicam quilibet extraneus reſtitutione gravatus deducere poteſt, uti textum legenti patebit, quæ ratio locum habet ſive abſolutè ſive ſub conditione filius ſit rogatus: ergo.

Probatur 2. ex jure civili: jus detrahendi falcidiam vel trebellianicam eſt jus eam detrahendi ex bonis, quæ ſunt in hæreditate, quod jus competit cuivis gravato reſtituere hæreditatem, eámque detrahit jure hæreditario, ut patet ex textibus legum Advert. 1. citatarum, ſed legitima non continetur in bonis hæreditatis, neque hanc filius jure hæreditario acquirit, ſed jure proprio & jure naturæ relicto tanquam æs alienum, ut dicunt Juriſtæ: ergo filius gravatus reſtituere hæreditatem habet jus detractâ jam priùs legitimâ tanquam ære alieno detrahendi trebellianicam. Min. patet à pari: dos non eſt in hæreditate, ut habetur L. 14. ff. ad L. falcidiam, uti dicitur: quia dos in hæreditate patris non invenitur ſed proprio jure filia habebit: ergo nec legitima. Unde ſicut quivis creditor antecedenter ad æſtimationem bonorum, ex quibus deducenda eſt trebellianica deducit ſuum debitum, ita deduci

poteſt legitima, cum hæc tanquam æs alienum & non tanquam donum liberale defuncti reputetur: ergo ſicut, ſi creditor eſſet hæres gravatus ante omnia deduceret ſuum debitum, & deinde trebellianicam, ita & is cui competit legitima. Quamvis legitima ſit ſolum debitum ex lege & alia debita ex contractu, & ideo primo poſt hæc debita deducenda. Hinc appropriatè ad noſtrum propoſitum exſtat L. 8. ff. de inoff. teſtam. ubi dicitur: ſi hæres fuit inſtitutus & rogatus reſtituere hæreditatem & improbè per querelam inofficioſi litigavit & non obtinuit, id quod jure falcidiæ potuit obtinere, ſolùm perdit, ubi per falcidiam hic Juriſtæ & ipſi adverſarii intelligunt legitimam; cùm ſæpè in jure legitima vocetur falcidia: ergo ſi non ſuccumberet in querela, ne quidem legitimam perderet, per conſequens deduceret tam legitimam quam trebellianicam, cum illud ly *ſolùm* hanc perdere ſupponat: ergo aliam manere.

10 Objicies L. 6. Cod. ad S. C. Trebellianum dicitur filium rogatum reſtituere portionem hæreditatis retentâ quartâ ex authoritate S. C. dodrantem illius portionis paternæ reſtituere cogendum eſſe, ſed non reſtitueret dodrantem hoc eſt tres partes, ſi inſuper legitimam retineret: ergo.

Reſpondeo neg. min. quia illa lex benè interpretatur pro nobis; nam ejus ſenſus eſt, quòd poſt detractam legitimam ex reliquo dodrans reſtituatur, quod omnino fiet, ſi ex reliquo trebellianica deducatur; nam ſi Imperator ſolùm voluiſſet unam ex deductionibus vel legitimam vel trebellianicam, ut volunt adverſarii, concedere, & alteram prohibere, potiùs dixiſſet retentâ legitimâ, hanc enim non potuit Imperator prohibere, ſed benè trebellianicam, & cum jure novo legitima non ſit ampliùs quadrans, ſed triens, nemo hodie erit, qui trebellianicam deducat, & non legitimam: ergo vel hodie hæc conſtitutio non obſervabitur, vel dicendum eſt hodie non licere detrahere legitimam, quod utrumque eſt abſurdum, per conſequens rectè dicendum erit, dodrantem eſſe computandum poſt detractam legitimam v. g. pater relinquit 12000. detracto nomine legitimæ triente ſuperſunt 8000. quæ ſi dividuntur in 4. partes, 3. partes reſtituentur fideicommiſſario, ſcilicet ſex avo, & quarta pars ſcilicet duo millia tanquam trebellianica retinebitur, quod ex ipſa cit. L. deſumitur; nam in eâ ſupponitur legitima jam detracta ante eventum conditionis, non quidem realiter ſed æquivalenter; jubet enim teſtator, ut ſi filius ſuus moriatur ſine liberis, portionem hæreditatis reſtituat cæteris liberis, ſed non potuit velle, ut ante impletam conditionem non detrahat virtualiter legitimam; cum hoc eſſet onus imponere legitimæ, quod ex nullo jure licet: ergo Imperator jubet ex reliqua portione detrahere trebellianicam; cùm ille filius ſtatim à morte parentis potuerit detrahere legitimam, adeóque illa detractio trebellianæ eſt detractio ſecunda.

Dices: eadem res non poteſt acquiri duobus titulis lucrativis L. 159. de regulis juris: ergo quarta pars non acquiritur à filio titulo legitimæ & S. C.

Contra conc. totum & neg. ſuppoſitum, nam hic ex diverſis titulis acquiritur una tertia & una quarta nempe titulo legitimæ tertia, & titulo trebellianæ quarta, & ſic non eadem res, adeóque illa lex ſolùm dicit, quod eadem res non poſſit duobus titulis acquiri, licet duobus titulis deberi vel legari, quod nihil facit ad propoſitum. Præterea negatur ſuppoſitum; quod legitima habeatur in noſtro caſu titulo propriè lucrativo, ſed potius ut æs alienum jure naturæ debitum, quali modo non eſt debita trebellianica.

Dices: etiam legitima non debetur jure proprio, ſed hæreditario ſicut trebellianica: ergo. Antec. probatur: quia filius nunquam habet legitimam niſi ſit hæres.

Contra neg. antec. ad prob. dico: licet filius habeat legitimam quatenus eſt hæres neceſſarius, non tamen eam habet ex libero judicio defuncti, ſed ex neceſſario, ac poteſt acceptâ legitimâ ab hæreditate abſtinere, & ſic non eſſe hæres in actu ſecundo, licet fuerit hæres in actu primo.

Dices: ſaltem hoc non curret, ubi plures ſunt liberi, ſcilicet quinque, & pro legitima deducitur ſemis; nam videtur abſurdum, ſi filii gravati plùs accipiant ex hæreditate, quam is, cui hæreditas ex fideicommiſſo reſtituenda eſt.

Contra neg. aſſumptum; nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ad rationem dico: vel negando hoc eſſe abſurdum vel negando ex hæreditate ſtrictè ſumpta deducto ære alieno, ut etiam eſt legitima, plùs conſequi; quia tantùm conſequeretur quarta pars. Tandem ut adverſarii haberent etiam textum in jure, falſificârunt aliquos textus præſertim Hotomanus. in Codice ex Novell. 139. unde non facilè contrariis textibus eſt credendum.

DISTINCTIO XII.

De Feudo & Emphyteuſi.

QUÆSTIO I.

Quomodo fiat ſucceſſio in feudis?

ADvertendum eſt primò Scotum pariter de feudis propriè ſumptis nihil tractare; ſequendo igitur in hâc materiâ Juriſtas, conſtat experientiâ præſertim in Germania 1

manis & Italia ex teſtamentis variè modificatis relinqui bona ſucceſſoribus ſcilicet per modum majoratûs vel fideicommiſſi, ſcilicet ut talia bona non poſſint alienari, & ut eodem jure ac æquè libera ab oneribus transmittantur ad ſucceſſores vel per modum feudi à fidelitate dicti, in quo dominus dominium utile rei immobilis alteri & hæredibus illius maſculis perpetuò & gratis concedit ea conditione, ut is ipſi ad fidelitatem præſtandam & ad ſervitia perſonalia honeſta & poſſibilia exhibenda obligetur vel per modum emphyteuſis, in quo æquè dominium utile relinquitur ſicut in feudo, ſed ea conditione, ut certa penſio realis ſolvatur domino directo, & ut emphyteuta poſſit de tali bono ſuo jure diſponere in teſtamento illúdque alteri legare, quod non poteſt feudarius ſeu vaſallus. Reliqua autem bona, de quibus aliquis poteſt integrè & independenter ab alterius dominio ad ſuum libitum diſponere dicuntur bona allodialia. De bonis ergo præſertim feudalibus aliquid ſuccinctè dicemus in præſenti quæſt. pro quâ

2 Advertendum eſt 2. feudum in 2. lib. feud. tit. 23. definiri: *Quod ſit beneficium, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis penes dantem remaneat, uſusfructus verò illius rei ita ad accipientem tranſeat, ut ad eum hæredésque ſuos ſive maſculos ſive fœminas* (ſi ita exprimitur) *in perpetuum pertineat, ad hoc ut ille & ſui hæredes fideliter domino perſonaliter ſerviant.* Ex quo patet, quod ille, qui ita dat feudum, dicatur infeudator, & qui recipit, dicatur vaſallus, qui obligatur ad dominum defendendum & adjuvandum in pugna etiam contra proprium vaſalli patrem, fratrem aut filium: præterea in bulla aurea Caroli IV. diſponitur ut primogenitus filius ſuccedat in feudis regalibus, ſi habilis eſt ad adminiſtrationem.

3 Advertendum eſt 3. feudum primò dividi in proprium & improprium: primum eſt in cujus conceſſione manent ſubſtantialia, ut eſt fidelitas: ſecundum eſt in quo ſubſtantialia deſunt. Feudum proprium dividitur in regale & non regale: primum eſt dignitas regalis ut Electoratus, Archiducatus & dicitur germanicè *Fanleben*; eò quod vaſallus ſit cum vexillo inveſtitus: feudum autem non regale eſt, cujus dominus directus agnoſcit ſuperiorem. Dividitur ultra in hæreditarium & non hæreditarium: primum eſt, quod vigore inveſtituræ accipitur pro ſe & ſuis hæredibus quibuscunque: alterum, quod etiam feudum ex pacto & providentia dicitur, eſt, quod accipitur pro ſe & ſuis liberis nullâ factâ mentione hæredum quâ talium, & in hoc non ſuccedunt niſi maſculi deſcendentes, & hoc maximè propriè eſt feudum; tandem dividitur in perpetuum & non perpetuum &c. pro diverſitate locorum & materiarum. His ergo notatis:

4 Propoſitio 1. *Ad feudum requiritur inveſtitura:* Ratio eſt; quia inveſtitura eſt quaſi baſis cui innititur feudum, & nihil aliud eſt quam actus per quem vaſallus domino ad fidem obligatur & in rei feudalis poſſeſſionem admittitur, ſed hoc eſt de ſubſtantia feudi ut habetur lib. 1. feud. tit. 26. ergo. Obſervandum tamen eſt, illam inveſtituram eſſe duplicem, unam ſcilicet propriam, realem & corporalem, quæ fit, quando infeudator inducit feudarium per ſe vel per alium in corporalem feudi poſſeſſionem, adeóque quâ conſequitur jus in re; altera verò eſt abuſiva & contingit quando inveſtit per traditionem annuli & enſis, per quam necdum acquirit jus in re, ſed fit facultas ut propriâ authoritate accipiat poſſeſſionem.

5 Propoſitio 2. *Renovatio inveſtituræ petenda eſt ſi dominus feudi vel vaſallus mortuus ſit vel alio modo mutatum fuerit v. g. ſi dominus proprietatem vel vaſallus jus ſuum alteri juſtè vendiderit cum conſenſu domini vel agnatorum.* Ratio eſt; quia renovatio inveſtituræ eſt ſolemniter facta confirmatio feudi interveniente promiſſione fidelitatis à vaſallo ſuo domino, ſed facta mutatione domini vel vaſalli etiam mutatur fidelitas: ergo hæc debet de novo confirmari. Obſervandum tamen eſt, quod quamvis novam inveſtituram non teneantur vaſalli petere, ſed ſecurè poſſint expectare citationem, renovationem tamen ultro & non requiſiti debent petere; quia juramentum fidelitatis ad hæredes non tranſit, & congruum eſt eam petere, ne longanimitate temporis obſcuretur & dubium reddatur jus domini.

6 Propoſitio 3. *Tempus quod fluxit vaſallo non petenti inveſtituram ſi ante annum elapſum moriatur non computatur ejus ſucceſſori, ſed tempus illi reintegratur, ut ex ſuâ perſonâ adhuc integrum annum & diem habeat ad petendam inveſtituram.* Ratio eſt; quia defunctus differendo non deliquit, ſed ſuo jure eſt uſus, ideo nihil præjudicat ſucceſſori, nec paritas eſt de ſucceſſore hæredis, cui reliquum ſolummodo tempus deliberandi conceditur; nam ſucceſſor ex perſona hæredis, quem repræſentat hoc ipſum jus deliberandi conſequitur; feudum verò non ex perſonâ defuncti, ſed ex perſonâ primi acquirentis acquirit vaſallus & non formaliter quâ hæres, ſed quâ comprehenſus in primo contractu. Obſervandum ergo eſt, vaſallo indulgeri ad petendam inveſtituram, ſi paganus eſt, annum & diem, militibus verò annum & menſem. ſi ergo hi infra hoc tempus neglexerint petere inveſtituram beneficio carebunt ob ingratitudinis notam. His ergo poſitis;

7 Aſſero 1. *De feudo pecuniâ patris empto pro filiis tenentur filii ſororibus legitimam dare, non quidem in corpore, ſed in æſtimatio-*

ne, ſi propterea filia ſuam legitimam habere nequeunt. Eſt Manzii contra Berlıchium.

Probatur: Tum quia pater emens feudum pro filiis vult illam pecuniam filiis donatam eſſe: ergo ut talis donatio ſubſiſtat, debet conformari aliis donationibus, quas pater ex allodialibus feciſſet filiis; ſed quando parens uni ex liberis majorem ſubſtantiæ partem donat, tunc cæteris liberis debet ſalva manere legitima, ut ſtatuitur C. de inoff. donat. ergo in tali caſu feudi æſtimatio eousque conferenda eſt, ut inde legitima vel ejus ſupplementum deduci poſſit: tum quia juxta ipſum Berlichium, ſi pater feudum pro primogenitura pecuniâ comparavit, tunc alii liberi ex illo feudo legitimam petere non prohibentur; quia pater emendo feudum cenſetur pecuniam filio primogenito donare, quæ donatio merito conferenda eſt, ut non ſit inofficioſa ſecundo genito, ita ut hic ſuam legitimam poſſit petere: ergo etiam filiæ, cum non ſit diſparitas.

8 Objicies: feudum illud interim in vita patris manet penes patrem: ergo licèt poſt mortem patris feudum ad filios perveniat, id tamen non fit ex quadam donatione, ſed potius ex naturâ feudi, quod jura concedunt, ut excluſis filiabus ſoli filii ſuccedant. Conſeq. patet, quia emendo feudum non cenſetur pater pecuniam donâſſe filiis, cum pretium non ad filios, ſed venditorem perveniat.

Reſpondeo neg. conſeq. nam in effectu idem eſt ac ſi donâſſet, neque curandum eſt de modo donandi, dummodo habetur effectus, aliàs facile in fraudem legum poſſemus operari. Imò jura non concedunt talia feuda ita inſtituere, ut ſine ratione privarentur filiæ ſuâ legitima jure naturæ eis debitâ. Quare hoc idem argumentum urget adverſarios, qui admittunt filium in diviſione paternæ hæreditatis æſtimationem feudi novi à patre empti debere conferre ſororibus ſuis, ſi ſtatim poſt emptionem tradidit filio, & multò magis, ſi pater totam ſuam ſubſtantiam donavit filiis ad feuda emenda; ſed non magis in his caſibus urget cauſa filiorum, quam in caſu noſtro: ergo.

Dices: in feudo ex pacto & providentia, ſi gratia conceſſum eſt, non detrahitur aliqua legitima pro fœminis, cum ſolummodo pro maſculis inſtitutum ſit, quamvis hujusmodi feudum ſit in re indiviſibile, quoad æſtimationem tamen pretii dividi poteſt: ergo nec in feudo pecunia patris empto.

Contra neg. conſeq. quia illa feuda ex providentia cenſentur adinſtar æris alieni maſculis debiti, cùm ex maſſa extra legitimam vel gratis cenſeatur comparata, illa autem diviſio æſtimativa tantùm fit quando indiviſibile eſt bonum allodiale, in quo ſucceditur ab inteſtato, feuda autem ex providentia non ſunt talia; hinc potiùs illud feudum ex pecunia patris emptum habet comparationem cum feudo purè hæreditario, in quo ſemper debetur legitima filiabus, quia tale feudum eſt pars hæreditatis, & in eo etiam ſuccedunt fœminæ ab inteſtato, ſed legitima debetur ex illis bonis, in quibus ab inteſtato ſucceditur: quapropter etiam hujusmodi feuda purè hæreditaria inter bona allodialia quoad ſucceſſionem poſſunt numerari. Cæterum ex feudo fœmineo, in quo fœminæ æqualiter cum maſculis ſuccedunt, ſemper legitima debetur, ſi verò fœminæ non ſuccedant, niſi in defectu filiorum & gratis ſit conceſſum, non debetur illis legitima ex tali feudo.

Aſſero 2. *Si Princeps moritur relinquens* 9 *ex primogenito nepotem & ſimul ſecundo genitum in feudo regali individuo & primogenitum ſpectante ſuccedit nepos ex primogenito non ſecundo genitus filius ſeu patruus nepotis.* Eſt Fachinei contra Bartolum. Caſus hujus aſſertionis modo videtur in Gallia; ubi ex primogenito Regis adeſt pronepos ſcilicet juvenis Dux Andegavenſis, & ſecundogenitus nepos ſcilicet Senior Dux Andegavenſis.

Probatur: Tum quia pater & filius naturâ eadem perſona eſſe intelliguntur; ergo nepos eſt habendus ac ſi haberetur illius pater primogenitus ſi viveret, ſed ſi viveret hic ſuccederet: ergo etiam ejus nepos: Tum quia nepos ſuccedit jure communi in locum patris: ergo etiam jure feudorum in locum ejusdem patris: Tum quia hoc in aurea bulla expreſsè eſt ſtatutum à Carolo IV. pro ſucceſſione electorali.

Objicies: nepos ſolùm jure repræſentationis concurrit cum patruo, ſed tale jus non ſuf- 10 ficit ad hunc penitus excludendum, cum mortuo primogenito æquè ſecundogenitus fiat primogenitus: ergo.

Reſpondeo neg. min. vel potius ſuppoſitum ſcilicet in hac materia ubi jure primogenituræ ſucceditur, dari concurſum, adeóque ille, qui non eſt primogenitus nec in ſe, nec in repræſentatione excluditur ab illo, qui eſt primogenitus in repræſentatione.

Dices: eadem eſt ratio primogenituræ & proximitatis: ergo ſicut eo caſu, quô jure proximitatis ſucceditur, ille ſolus ſuccedit, qui tempore mortis illius, cui ſucceditur, proximior eſt, ita in caſu primogenituræ, qui tempore mortis obtinet locum primogeniti, ſed talis eſt, qui ſecundogenitus eſt mortuo primogenito: ergo.

Contra neg. min. ſubſumpt. nam nepos in noſtro caſu eſt æquè propinquus ac ſit ſecundogenitus, quia repræſentat ſuum patrem, & inſuper ratione repræſentationis gaudet jure primogenituræ: ergo præferendus eſt illi qui ſolo jure proximitatis gaudet.

Dices: jus primogenituræ tanquam exorbitans à jure communi eſt ſtrictè interpretandum,

dum: ergo non ad alium, quàm quem verè primum à parte rei invenit debet extendi.

Contra conc. totum, & neg. ſuppoſitum quod ſcilicet fiat extenſio; quia nepos ipſo jure in locum filii primogeniti ſuccedit & pro primogenito habetur, ſi autem adverſarii vellent vocare extenſionem, hæc fit à lege & non ab interpretibus, imò etiam in ſecundogenito mortuo primogenito realiter tali fieret extenſio primogenituræ.

Dices L. 23. ff. de bonis libert. expreſsè dicitur: quod filius excludat nepotes ſcilicet ſi libertus ab inteſtato deceſſerit relictis patrono filio & ex altero patroni filio duobus nepotibus nepotes non admittuntur quamdiu filius eſſet: ergo & in feudis.

Contra neg. conſeq. quia in ſucceſſione libertorum expreſsè non admittitur jus repræſentationis, ut ex eâdem lege verbis ſtatim ſequentibus ſtatuitur; quia proximum quemque ad hæreditatem liberti vocari manifeſtum eſt, quod ipſum prius dicebatur L. 5. ubi etiam dicitur: nec ad rem pertinet quod ad parentis bona æqualiter vocantur; nam in ſucceſſione pro libertis non attenditur ad primogenituram.

11 Aſſero 3. *In feudo ſuccedunt omnes deſcendentes ſive ſui ſive emancipati ſive ex eodem, ſive ex diverſis matrimoniis nati, imo etiam juſtè exhæredati.* Quoad ultimam partem eſt Roſenthal contra Schneidewinum.

Probatur 1. pars ex lib. 2. tit. 11. ubi dicitur: mortuo enim eo, qui beneficium tenebat, prima cauſa liberorum eſt; filiis enim exiſtentibus maſculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per maſculinum ſexum deſcendentibus cæteri removentur agnati: ergo.

12 Probatur 2. pars: in feudis nihil poteſt defunctus per ultimam voluntatem ordinare; quia feudum non devolvitur ad filium à patre ſed à domino & hujus beneficio, ut clari juris feudorum eſt: ergo exhæreditatio ultimi vaſalli non impedit ſucceſſionem filii aliàs qualificati. conſeq. patet à pari, quia etiam alia, quæcunque jure ſingulari ad filium pertinent non obſtante juſtâ exhæreditatione illi relinquenda ſunt, ut conſtat ex L. 114. ff. de leg. & L. 6. ff. de collat. bon. ubi dicitur: exiſtimo non abſurdè etiam in exhæreditato filio idem poſſe defendi ut hoc ſaltem habeat ex paternis, quod propter illum datum eſt: ergo.

13 Objicies: eædem ſunt cauſæ exfeudandi, quæ ſunt exhæreditandi: ergo ſi juſtè fuit exhæreditatus ſupponitur adeſſe juſta cauſa eum etiam privandi feudo. anteced. poteſt deduci ex lib. 2. tit. 24. §. item qui domino. vide & lege.

Reſpondeo neg. anteced. ad ejus prob. dico: in illo loco non concludi quod ſint eædem cauſæ, ſed ſolùm dicitur, quod cauſæ in prioribus verſiculis enumeratæ & infra ponendæ ideo ſint juſtæ; quia ſunt ſimiles illis, ob quas leges admittunt exhæreditationem & revocationem donationis, imò non ad patrem, ſed ad dominum ſpectat privare feudo.

Dices: liberi exhæreditati privantur etiam jure civili illis rebus, quæ ipſis non tanquam hæredibus ſed tanquam filiis deferuntur v. g. jure patronatûs circa libertos: ergo etiam &c.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia jus patronatûs & ſimilia filio debentur beneficio patris, & ſic non eſt mirùm, quod pater poſſit illis filios ingratos privare; aſt feudum non eſt beneficium patris, ſed domini infeudantis.

Dices: filius non poteſt ſuccedere in feudo niſi ſimul ſit hæres, ut dicemus aſſertione 5. ergo juſtè exhæreditatus non poteſt ſuccedere in feudo; nam hoc ipſo non eſſet exhæreditatus.

Contra diſting. anteced. niſi ſimul ſit hæres, ubi ſpecialiter non exhæreditatur conc. ubi tamen ſpecialiter exhæreditatur neg. anteced. adeòque in aſſertione 5. excipietur caſus exhæreditationis; quia tunc non ex voluntate filii privatur hæreditate, ut patebit ſuo loco.

Aſſero 4. *Quamvis filii illegitimi non ſuccedant in feudo, ſuccedunt tamen filii legitimati per ſubſequens matrimonium.* Eſt Mynſinger contra valdè liquidum textum juris feudalis. 14

Probatur: in camera imperii videtur eſſe recepta ſententia, quòd legitimatio per ſubſequens matrimonium tribuat jus ſuccedendi, quod tam ex ratione in favorem matrimonii laudabiliter obſervatur, quàm ex Novell. 89. in quâ legitimati per ſubſequens matrimonium ad aliàs ſucceſſiones admittuntur; quamvis de feudis in ſpecie nihil dicatur: ergo.

Objicies: lib. 2. tit. 26. §. *mulier*, dicitur: *naturales filii licet poſtea fiant legitimi ad ſucceſſionem feudi non ſoli nec cum aliis admittuntur*: ergo. quid clarius? 15

Reſpondeo, illum textum rationabiliter interpretari poſſe, quòd ſolùm loquatur de filiis naturalibus, qui poſtea fiunt legitimi per reſcriptum Principis, quod non ſuccedant in feudo, non verò loquitur de illis, qui poſtea fiunt legitimi per ſubſequens matrimonium.

Dices: eadem eſt ratio de legitimatione per reſcriptum, quàm per ſubſequens matrimonium, cùm ubi jus non diſtinguat, nec nos diſtinguere debeamus; imò non ſit credibile, quod compilatores librorum feudalium non monuiſſent, aut tam generaliter locuti fuiſſent, ſi aliter de hac ſpecie legitimationis per matrimonium ſenſiſſent: ergo ſi non ſuccedunt illi, nec hi.

Contra neg. anteced. ad ejus rationem dico, nos habere urgentem rationem diſtinguendi, ſcilicet favorem matrimonii, cui omnia jura ſolent aſſiſtere, quæ ratio non urget in legitimatis per reſcriptum Principis.

Dices: etiam ex illo textu poſſemus interpretari, quòd ſolùm ſermo ſit de illis, qui per reſcriptum Principis poſt feudum à patre acqui-

quiſitum legitimantur: ergo ſaltem etiam, qui priùs legitimarentur per reſcriptum Principis, antequam pater accipiat feudum poſſent ſuccedere.

Contra: concedunt quidem aliqui hoc totum, ſed rectiùs neg. anteced. cùm non habeatur talis ratio ita interpretandi; unde illa particula *licèt poſtea fiant legitimi*, debet referri ad tempus nativitatis, & non ad tempus delati feudi; nam aliàs decideretur in textu caſus indubitabilis, nempe quod non ſuccedant illi, qui mortis tempore non ſunt habiles, de quibus nullus dubitat. Cæterùm tamen in feudo hæreditario ſuccederent omnes legitimati, quia ut diximus, tale feudum inter allodialia computatur: ergo ſi legitimati ſuccedunt in allodialibus etiam ſuccederent in feudo.

Dices: filii adoptivi non ſuccedunt in feudis propriis ut habetur lib. 2. tit. 26. ergo à pari nec legitimati.

Contra neg. conſeq. quia feuda ſanguini dantur, niſi ſtatuta localia aut conſuetudo aliud haberet: excipe tamen, ſi adoptatus alioquin etiam jure ſanguinis conjunctus eſſet, poſſet ſuccedere.

16 Aſſero 5. *Filius hæres repudiata hæreditate nequid retinere feudum ſive ſit hæreditarium ſive ex providentia.* Eſt Berliebil contra Roſenthal.

Probatur lib. 2. tit. 45. dicitur: ubi verò vaſallus filium reliquit, ipſe non poteſt hæreditatem ſine beneficio repudiare, ſed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet, quo repudiato ad agnatos, ſi ſit paternum, pertinebit, agnatis tamen conſentientibus poterit dominus eum, ſi voluerit, quaſi de novo beneficio inveſtire, quo facto licebit ei repudiata hæreditate feudum tenere nullo onere hæreditario ei imminente, agnato tamen hærede repudiante hæreditatem feudum retinere licebit, ſi fuerit paternum: ergo à filio nequit retineri feudum repudiata hæreditate, intellige, ſi propria voluntate ſe vellet privare hæreditate, ſecus autem eſſet, ſi ex juſtâ causâ per parentem privaretur hæreditate, ſic enim à patre non obtineret hæreditatem, benè tamen à domino feudum.

Reſpondent adverſarii: textum ſolùm loqui de feudo hæreditario, non verò de feudo ex providentia; cum feudum hæreditarium ſit portio hæreditatis: adeóque repudiatâ hæreditate utique cenſetur & feudum repudiâſſe.

Contra dico: illum textum loqui de feudo ex providentia; quia feudum hæreditarium ab initio de jure feudali ſcripto fuit penitus incognitum, & primùm ex variis formulis inveſtiturarum introductum, nec illud diſcrimen inter filium & agnatum poſitum in textu poteſt procedere in feudo hæreditario, nam, ut ipſi dicunt Adverſarii, feudum hæreditarium eſt portio hæreditatis, adeóque etiam ſi agnatus renuntiat hæreditati, hoc ipſo renuntiat feudo.

Objicies: filius repudiatâ hæreditate pater- 17
nâ poteſt ſuccedere in emphyteuſim, ſi hæc
abſque hæredis mentione ſit conceſſa emphyteutæ & filiis ejus: ergo etiam taliter in feudum.

Reſpondeo tranſmittendo anteced. quod etiam plurimi negant, cum emphyteuſis ſit res hæreditaria & allodialis, & ideo non ſit locus ſeparationi, ſed filius vel utrumque retinere vel repudiare debet, ſed neg. conſeq. quia licèt illud valeret de emphyteuſi, non tamen valet de feudo, de quo expreſsè aliud eſt ſtatutum, ut patet ex textu probæ.

Dices: ille textus admittit iſtam ſeparationem in feudo ipſi agnato: ergo & filio admittere debet, cum ſit eadem ratio.

Contra neg. conſeq. nam diverſa eſt ratio de filio quam de cognato, quia filius, qui ſuum eſſe à patre accepit & una quodammodo perſona eſt cum patre, hunc honorem debet patri, ut ejusdem hæreditatem licèt oneroſam adeat potiùs, quam ut repudiando eam publicè vendi à creditoribus cum injuriâ defuncti parentis patiatur, quæ ratio ceſſat in agnato. Cæterùm ſi filius hæres confecto inventario adivit hæreditatem non juvatur ex feudo, quod non teneatur ſolvere æs alienum, ſi vires allodialium non ſufficerent; quia ei feudum eſt portio hæreditatis: ergo non minus eſt ſubjectum oneribus hæreditatis quam allodialia, agnatus verò, ſi adit hæreditatem confecto inventario ſimul cum feudo ex providentia, non tenetur ultra vires allodialium; quia illa ſola capit ut hæres.

QUÆSTIO II.

De valore emphyteuſis & ejusdem fructibus perceptis in mora.

ADvertendum eſt, Emphyteuſim cum 1
feudo magnam habere affinitatem, ideo
hic ſtatim poſt feudum de illâ ſuccinctè diſſeremus: eſt ergo emphyteuſis contractus, quo quis tradit rem immobilem alteri quoad dominium utile ſub penſione certa reali ſolvenda domino directo, de quo dicit Scotus in 4. diſtinct. 30. quæſt. 2. §. *de ſecundo. Uſum concedere aliis retento dominio non eſt inutile extra de verb. ſignif. exiit, & eſt hodie in VI. quia uſus ille neceſſarius eſt utentibus, - - - non tamen ita videtur, quod uſus poſſit reſervari dominio tradito ſicut è converſo, quia poſterius magis traditur ſine poſteriori quam è converſo.* Cui ergo res traditur, dicitur emphyteuta ſeu colonus, germanicè Grund-Bauer/ & qui tradit, dicitur proprietarius germanicè Grund-Herr/ cum autem emphyteuſis vox græca latinè ſignificet plantationem, ideo finis illius contractùs cenſetur eſſe; ut res immobilis alteri tradita ab eodem per arborum plantationem alio-

ve modo excolatur & melioretur; unde in origine hujus contractûs dabantur plerumque agri ſteriles & inculti, hodie autem etiam jam dantur agri fertiles, ut eorum domini hâc ratione certiùs aliquid conſequantur; quamvis minus quàm ſi ipſimet colerent: differt autem emphyteuſis à venditione & locatione contra quosdam veteres interpretes juris; quia non transfert ſicut venditio dominium directum, ſed tantum utile, & eſt ſolùm rerum immobilium, ubi tamen locatio poteſt eſſe rerum tam mobilium quam immobilium & non tam longo tempore: emphyteuſes antiquitus fuerunt perpetuæ, modo autem non ſemper, ſed aliquando ad tres generationes, ad triginta annos: differt præterea à libella ſeu contractu libellatico, qui eſt, quando vaſallus vel emphyteuta concedit alteri rem emphyteuticam certâ annuâ penſione ſibi retentâ, ut ſit veluti ſub-feudum ſeu ſub emphyteuſis: tandem à feudo potiſſimùm differt ratione penſionis; quia penſio ſolvenda pro feudo eſt perſonalis, id eſt, in obſequio perſonali conſiſtens v. g. ſe ſiſtere Principi procedenti ad bella &c. penſio verò pro emphyteuſi eſt realis conſiſtens in pecuniâ, frumento &c. quamvis etiam aliquando in feudo aliquid modicum ſolvatur in recognitionem directi dominii; quapropter ex hâc parte ultimùm aſſimilatur emphyteuſi adeo ut ſæpè nomina feudi & emphyteuſis confundantur. Cæterùm quando res emphyteutica venditur vel donatione vel permutatione alienatur, is, qui eam accipit debet domino directo ſolvere laudemium germanicè auf und abfahrt geld / idque pro inveſtiturâ & poſſeſſione quam ab ipſo accipit, eſt autem laudemium æſtimationis rei venditæ pars jure communi quinquageſima, conſuetudine verò trigeſima. Hoc autem laudemium non debetur, quando hæres neceſſarius accipit rem illam titulo hæreditatis vel filia titulo dotis, aut quando res ad venditorem ſuum redit reſoluto contractu ex pacto de redimendo. Ita ſentit Leſſius. His notatis:

2 Propoſitio 1. *Emphyteuta tenetur ad eas meliorationes, quas communis diligentia colonus adhibere ſolet & quibus non adhibitis res emphyteutica deterioraretur, ſi autem ponit alias meliorationes, tunc ceſſante emphyteuſi poteſt æſtimationem earum petere.* Ratio primi eſt, de conceptu & fine contractûs emphyteutici eſt eas ponere meliorationes, quæ ſi non præſtaret, fundus deterior fieret, & ſi præſtet, fundus fiat melior: ergo ad eas tenetur emphyteuta, hinc ſi arbores non coleret, terram tribulis non purgaret, nullas arbores loco mortuarum plantaret, res deterioraretur; ratio ſecundi eſt ex L. 7. circa finem ff. ſoluto matrimonio. Ubi in ſimili de marito dicitur: planè ſi novam villam neceſſariò exſtruxerit vel veterem totam ſine culpâ ſuâ collapſam reſtituerit, erit ejus impenſæ petitio. & pariter L. 7. Cod. de uſu fructu dicitur: *eum ad quem uſusfructus pertinet, ſarta tecta ſuis ſumptibus præſtare debet*; proinde ſi quid ultra, quàm impendi debeat, erogatum potes docere, ſolemniter repoſces. Hinc ſi quis domos aut horrea, aut ſtabula de novo ædificet, tunc reſolutâ emphyteuſi absque culpâ emphyteutæ poteſt horum æſtimationem repetere.

Propoſitio 2. *Si quis emphyteuta in eodem* 3
loco excideret arbores & plantaret vineam, ex quâ plus utilitatis capi ſperaret, non ſtatim incideret in commiſſum ſeu expelli poſſet ab emphyteuſi. Ratio eſt; quia quamvis hoc non liceat ſimplici uſufructuario ſine licentiâ domini, attamen licere poteſt emphyteutæ, cùm contractus emphyteuticus ex ſuo fine videatur omnia illa concedere: quibus res emphyteutica melioratur: aſt obſervandum tamen eſt, an res à principio acceptata fuerit vinea, ſylva cædua &c. aut an aliquod magnum ſolum, in quo illa plantata ſunt; ſi ſolum datum eſt, in quo vinea, domus &c. erant, tunc non incidet in commiſſum, cum mutatâ parte quoad formam non cenſeatur finitus contractus emphyteuticus, ſi autem data eſt vinea ſylva &c. tunc finitus videtur contractus emphyteuticus, & in optione proprietarii erit vel uſurpare ſolum & cogere emphyteutam ad ſolvendum intereſſe, vel ad reparandum quod deſtruxit & ad continuandum contractum.

Propoſitio 3. *Emphyteuta habens emphy-* 4
teuſim communem hoc eſt, non eccleſiaſticam, incidit in commiſſum, ſi tribus continuis annis non ſolvat canonem ſeu penſionem, ita, ut etiam non requiſitus aut interpellatus à proprietario amittat jus cum omnibus meliorationibus factis interpellante nimirum tempore pro domino proprietatis, ad quem omnia devolvuntur, niſi aliud fuerit in pactum deductum. Ratio eſt ex L. 2. Cod. de jure emphyteutico: obſervandum tamen eſt in emphyteuſi eccleſiaſtica non indulgeri triennium, ſed ſolùm biennium, ita tamen ut tertius annus compenſetur per celerem ſatisfactionem poſt biennium, ut habetur cap. *potuit.* de locato. & Novell. 7. cap. 3. nihilominus emphyteuta ad has pœnas non tenetur in conſcientiâ ante ſententiam judicis, ubi non extat exactio & inſtantia proprietarii; cum nimis durum ſit infirmæ conditioni humanæ, contra ſe ipſum eſſe executorem tam acerbæ pœnæ. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Non tantum ad ſub-* 5
ſtantiam emphyteuſis eccleſiaſtica & perpetua, ſed etiam laicalis requiritur inſtrumentum ſcriptum. Eſt communior Theologorum & Juriſtarum contra Bacchovium.

Probatur: L. 1. Cod. de jure emphyteutico dicitur: *pactionibus ſcripturâ interveniente habitis placuerint firma illibatâque perpetua ſtabilitate modis omnibus debeant cuſtodiri &c.* & L. 2. Cod. cit. dicitur: *ſiquidem aliqua pactiones in emphyteuticis inſtrumentis ſint conſcripta eaſdem obſervari:* ex quibus ſic ſcri-

ptura requiritur ad firmitatem pactorum quæ adjiciuntur ex arbitrio contrahentium: ergo multò magis ad firmitatem contractûs emphyteutici, cum ſit abſurdum eam requiri ad ſubſtantiam acceſſorii, & non ad ſubſtantiam principalie, niſi fortè conſuetudo loci aliter obſervet, cui conſuetudini ſtandum erit.

Reſpondent adverſarii: in illis legibus ſcripturam ſolùm requiri ad probationem, non verò ad valorem & naturalem firmitatem. Sed

Contra eſt: quia illæ leges dicunt requiri ſcripturam ad firmitatem ſcilicet ſi ſcriptura intervenit, firma ſunt omnia: ergo ſi non intervenit, non ſunt firma & valida; nec urgens apparet ratio, cur in hoc contractu ad probationem ſpecialiter requiratur ſcriptura; cum æquè poſſit aliis modis, ut alii contractus probari, ſcilicet ex ſolutione Canonis per teſtes &c.

6 Objicies: L. 3. Cod. de jure emphyt. dicitur: *ſin autem nullo modo hujuſmodi pactio interpoſita eſt, vel fortè inſtrumentum emphyteuſeos perditum eſt, minimè licere emphyteutæ ſine conſenſu domini meliorationes ſuas aliis vendere vel jus emphyteuticum transferre*: ex quibus ſic; lex dicit, debent obſervari, quæ pactionibus & conventionibus adducuntur, non autem dicit, debet ſcriptura adjici: ergo antec. probatur: ſi ſcriptum inſtrumentum debet de eſſentia adjici, tunc illo non interveniente vel perdito, ipſo jure nullus eſſet contractus, ſed hoc eſt contra cit. L. ergo.

Reſpondeo neg. antec. argumenti, ad cujus prob. neg. ſecund. part. maj. non enim quidquid requiritur ad primam rei productionem, requiritur ad ejus conſervationem, unde benè lex dicit: ſi inſtrumentum eſt perditum non licet adhuc vendere meliorationes, non autem dicit, ſi nunquam intervenerit.

Dices: Imperator Anaſtaſius conſtituit, quod in perpetuâ rei eccleſiaſticæ emphyteuſi ſcriptura ſit neceſſaria, non verò in temporaneâ v.g. ad ſolam vitam accipientis, ſed ſi jam priùs Imperator Zeno ad ſubſtantiam omnis emphyteuſis requiſiviſſet ſcripturam, ſupervacanea fuiſſet conſtitutio Anaſtaſii, qui 26. annis poſt Zenonem imperavit: ergo ſaltem non ad emphyteuſim laicalem requiritur ſcriptura.

Contra neg. min. quia Anaſtaſius non qualemcunque ſcripturam ad emphyteuſim eccleſiaſticam perpetuam requiſivit, ſed ſcripturam publicâ authoritate confectam; cum ad alias emphyteuſes ſufficeret ſcriptura privata ex conſtitutione Zenonis, aliàs etiam emphyteuſis eccleſiaſtica temporanea poſſet ſine ſcriptura celebrari, quod eſt abſurdum & contra intentionem Anaſtaſii volentis coarctare emphyteuſes eccleſiaſticas, & ideo requirit Anaſtaſius nominatim formam pragmaticam, quæ ſecundum Gloſſam eſt ſcriptura publica cum conſilio procerum.

Dices: ſi reqnireretur ſcriptura, ineptè dubitâſſent veteree an emphyteuſis eſſet locatio vel venditio; quia ad neutrum illorum requiritur ſcriptura; ergo.

Contra neg. antec. quia meritò potuerunt dubitare, cum ſaltem omne conſtitutionem Zenonis non requirebatur ſcriptura, & ideo ad conſtituendam diſtinctam ſpeciem requiritur ſcriptura.

Dices: in contractu feudali ſcriptura non eſt neceſſaria & feudi conceſſio etiam per teſtes poteſt probari: ergo nec in contractu emphyteutico.

Contra neg. conſeq. quia argumentum de feudo ad emphyteuſim non eſt univerſale, nec procedit quando ex juris textibus colligitur contrarium, ſed tantum procedit in aliquibus aliis conditionibus: imò poteſt retorqueri argumentum in ipſos adverſarios: ergo ſicut in feudo ne quidem ad probationem requiritur ſcriptura, ita nec in emphyteuſi, quod eſt contra adverſarios.

Aſſero 2. *Si dominus non urgeat reſtitutionem rei emphyteuticæ poſt moram fructus percepti non ſunt reſtituendi.* Eſt Fachinei contra antiquiores. 7

Probatur: res fructificat domino ſuo, ſed emphyteuta retinet dominium utile quamdiu dominus proprietarius non declarat ſe velle habere dominium conſolidatum: ergo min. probatur ex L. 2. Cod. de jure emphyt. ubi dicitur: emphyteutam cadere à jure ſuo ob canonem non ſolutum ſi dominus velit: ergo quamdiu hæc conditio non verificatur, manet commiſſum ſuſpenſum & continuatur dominium.

Objicies: natura alicujus conditionis eſt, 8
ut retrotrahatur, nt habetur L. ſi fil. fam. ff. de V. O. ergo etiamſi emphyteuta fieret dominus fructuum, hoc tamen dominium eſſet revocabile per retrotractionem, ſi poſtea dominue voluerit.

Reſpondeo diſting. antec. natura conditionis cauſalis eſt conc. natura conditionis poteſtativæ & pendentis à voluntate potente vel continuare vel abrumpere titulum percipiendi fructue neg. antec. præterea quod natura conditionis ſit ut retrotrahatur, ſolùm habetur fictione juris, aſt quando agitur de pœnâ, ut eſt in r oſtro caſu tunc ceſſat juris fictio.

Dices: legata ut debeantur legatariis, requirunt etiam hanc conditionem ſi voluerint, & dominium tamen retrotrahitur: ergo etiam hic.

Contra neg. conſeq. quia illud fit fictione juris, quaſi jam voluiſſent tempore mortis, nec agitur de pœnâ, ideo abſque tertii præjudicio ſupplet lex voluntatem legatariorum, in noſtro verò caſu aliter ſe res habet, & quia lex hanc conditionem voluntatis domini ex-

preſsè

preſsè requirit, hoc ipſo indicat eam non ſuppleri per juriſdictionem.

9 Dices: pro illo tempore debet cenſeri poſitus effectus pro quo poſita eſt cauſa principalis & adæquata, ſed cauſa adæquata privationis fructuum eſt non ſolutio Canonis: ergo pro illo tempore debet cenſeri privatus fructibus.

Contra neg. min. nam ultimum illius cauſæ complementum eſt voluntas proprietarii, ut lex expreſsè ſtatuit: ergo donec hæc ponatur, non inducitur privatio juris emphyteutici.

10 Dices: poſtquam emphyteuta moram commiſit, incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, ſed poſſeſſor malæ fidei fructus non facit ſuos: ergo.

Contra neg. maj. cum enim duret dominium non poteſt eſſe poſſeſſor malæ fidei; quia non poſſidet rem alienam ſed ſuam: aliud autem eſt, de ſimplici uſufructuario, qui finito uſufructu non facit amplius fructus ſuos, cum conſolidatio non maneat in ſuſpenſo aut dependens à voluntate proprietarii ſicut in noſtro caſu.

DISTINCTIO XIII.

De Mutuo & uſura & variis contractibus, in quibus uſura nidulari conſuevit, ut de monte pietatis, Antichreſi, Cambio, Locatione, negotiatione, Societate, Precario &c.

QUÆSTIO I.

An in mutuo ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, aut ratione periculi, vel poteſtatis, quâ quis ſe privat certo tempore pecuniâ ſuâ utendi, ſine uſura poſſit aliquid ſupra ſortem accipi, aut ſaltem cum dominio uſura?

1 ADvertendum eſt 1. in mutuo maximè uſuram ſibi ſedem ſuam figere; ideo hic de illo accuratè agendum venit. Eſt autem mutuum juxta etymologiam, quod de meo ſit tuum, vel ut Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo* dicit: *do tibi meum.* & in Inſtit. §. 1. *quibus modis contrahatur obligatio*, definitur: *quòd ſit traditio rei numero, pondere vel menſurâ conſtantis, facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis cum obligatione, ut ſimilis ſpecie & bonitate reſtituatur.* Dicitur traditio, quia mutuum traditione perficitur, ſicut donatio vel depoſitum, & differt à contractibus, qui verbis perficiuntur, ut emptio, locatio &c. Dicitur rei numero, pondere vel menſura conſtantis, quia obligatio mutui in ſolis rebus, quæ numerari, ponderari, vel menſurari poſſunt, conſiſtit, ut in pecunia, carne, frumento &c. nec eſt neceſſe, ut res ſint uſu conſumptibiles, quamvis potiſſimum in ſimilibus mutuum verſetur, nam ſi mutuatur libra æris vel argenti eſt verum mutuum, licèt iſtius rei uſus non ſit conſumptio, vel alienatio, cùm in definitione non addatur rei uſu conſumptibilis, econtra verò non eſt propriè mutuum, ſi quis dat alteri ovem vel bovem, quia non conſtant pondere, ideo etiam non dicimus mutua mihi bovem, ſed potius eſt contractus innominatus dabo ut des. Dicitur eo animo ut ſtatim fiat accipientis, quia transfert dominium rei in mutuatarium, ita ut ſi perit, non pereat mutuo danti, ſed accipienti & differt à commodato & depoſito, cujus dominium manet penes dantem & ei perit. Dicitur cum obligatione, nam aliàs potiùs eſſet donatio. Dicitur ut ſimilis in ſpecie reddatur, ſi enim alterius ſpeciei res ſit reddenda potius erit permutatio, & ſi eadem numero potiùs eſſet commodatum vel depoſitum, tandem ut ſervetur æqualitas, debet eſſe paris bonitatis, quæ poteſt attendi bonitas ut intrinſeca, quam ſcilicet habet res ex natura ſua & ut extrinſeca, quam habet ex taxatione Magiſtratûs; in rebus ergo à pecunia diſtinctis regulariter eſt ſpectanda intrinſeca bonitas, ut tantum & tale reddatur ſive valor extrinſecus ſit major ſive minor tempore mutui accepti, quia in contractibus maximè attenditur id, quod per ſe terminat intentionem contrahentium, quod eſt bonitas intrinſeca, valor vero extrinſecus ſe habet ad objectum per accidens, cùm ſit contingens & variabilis. In pecunia verò ordinariè attenditur valor extrinſecus, quia id, quod in pecunia attenditur principaliter & per ſe, eſt valor à populo receptus; hinc ſi mutuatarius accepit 100. coronatos, qui tempore reſtitutionis minùs valerent, debet ſupplere illum defectum, niſi ſpecialiter exprimatur, ut reſtituat in eadem ſorte; tunc enim non ad plus obligabitur, licèt nunc ſit minoris valoris, cùm ſolùm hic attendatur intrinſecus valor.

Advert. eſt 2. mutui 4. ſpecies à juriſperitis aſſignari. Prima eſt mutuum merè naturale ſeu rectum & germanicum, quando nempe meam pecuniam tibi mutuò do, uti definitum eſt in priori advertentia. Secunda eſt mutuum naturale cui jus civile cooperatur, quando ſcilicet meam pecuniam te mandante ex cauſa mutui do Titio, qui tibi obligatur non quidem aliquo tuo facto naturali, qui nullam pecuniam tranſtuliſti, ſed jus civile ſuc- 2

curiit naturali numerationi à me factæ, ita ut perinde Titium habeas obligatum, ac ſi illi tuas pecunias numeráſſes. Tertia eſt mutuum merè civile, quando debitor ſpe futuræ numerationis Chirographum dat creditori, eóque confitetur ſibi numeratam eſſe pecuniam, quæ tamen numerata non aſt, hoc mutuum in conſcientia non parit obligationem, cùm nemo in conſcientia ſe obliget ad reddendum mutuum niſi ſub conditione, ſi hoc accepit, quia tamen jus civile ex ſcriptura noſcit præſumptionem acceptæ pecuniæ, ideo ob periculum frequentium fraudum putatitio debitori ſuccurrit per exceptionem non numeratæ pecuniæ, cujus debitor intra biennium non quidem amplius poteſt contra creditorem excipere ſibi non eſſe numeratam pecuniam, & onus probandi conjicera in creditorem, ſi hic debitum exigat, ſed potiùs actionem & querelam poteſt movere contra illum, qui pecuniam numerari nolit, poſt biennium verò negatur exceptio & præſumitur pro Chirographum habente, conjiciturque onus probandi in debitorem, & hoc ſpecialiter jus civile C. *de non numerata pecunia* ſtatuit. Quarta eſt mutuum civile, cui natura cooperatur, quando nimirum inter contrahentes hoc agitur, ut pecunia ex cauſa mutui naturaliter numerata non debeatur ex contractu mutui, ſed ex ſtipulatione, cujus implendæ cauſa ante vel poſt numeratio interponitur. Tandem adhuc aliud eſt mutuum, quod Juriſtæ per fictionem brevis manus nuncupant, éſtque quando tibi do v.g. Scyphum 100. aureis æſtimatum ea lege, ut mihi 100. aureos quaſi mutues, nam tunc tu fingeris 100. aureos ex cauſa emptionis mihi dediſſe, eoſdémque à me mutuos accepiſſe. Vel ſiquis ſuum debitorem juſſerit pecuniam ſibi debitam alteri dari v.g. ſuo procuratori, qui dein ſcribit creditori ſe illam pecuniam velle mutuam habere, & creditor conſentiat, nam tunc fingunt jura factam eſſe traditionem brevi manu.

3 Advert. eſt 3. contractum mutui humanæ ſocietati maximè neceſſarium ſpectata ſua natura debere fieri ex amicitia & dilectione proximi juxta illud Lucæ 6. *date mutuum nihil inde ſperantes*, attamen auri ſacra fames effecit, ut modò rarò ſit gratuitus, ſed ſæpe contra naturam ejus, ac jus humanum & divinum uſuris inficiatur, ita ut homines dent mutuò non ſolùm cum obligatione, ut idem in ſpecie & bonitate reddatur, ſed & quid plus reſtituatur ex variis titulis v.g. emergentis damni, vel lucri ceſſantis, aut periculi &c. de quibus hic videndum erit, an licitè & juſtè poſſit propterea aliquid plus exigi; quale plus dicitur intereſſe, quod eſt ſupra ſortem ſeu capitale, dicitur autem damnum emergens jactura eorum bonorum apud mutuantem jam exiſtentium proveniens, ex eo quòd dederit mutuum v.g. ſi ob carentiam pecuniæ non amplius poſſit ſarta tecta conſervare, unde domus ruinam patitur. Lucrum verò ceſſans eſt jactura eorum bonorum, quæ mutuans obtinere poſſet ſeu bonorum, quæ non habemus, ſed ſolùm ſperamus, ſi pecuniam mutuò datam ſervaret, utrumque poteſt mutuatario obvenire vel ex eo, quòd mutuatarius in reddendo mutuo ſit in mora, vel ex carentia pecuniæ mutuò datæ abſolutè, eſto debitor in ſolvendo non ſit in mora v.g. ſi inſtet domus reparanda, frumentum leviori pretio comparandum, quod paulò poſt vendi poſſit majori, tu verò majori neceſſitate preſſus petens à me pecuniam, quam tibi do cum jactura meæ domûs & lucri, quòd obtinuiſſem emendo, & iterum vendendo frumentum, ut autem tale damnum emergens vel lucrum ceſſans ſit juſtum, debet mutuum illius eſſe vera cauſa, & quod aliter impediri non poteſt, nam ſi mutuator habeat alias pecunias, quibus utrumque impedire poſſet pro neutro aliquid ſupra ſortem citra uſuram poſſet exigere, quia tunc non mutuum, ſed mutuator eſt utriuſque cauſa; præterea lucrum ceſſans aliud eſt in re, aliud eſt in ſpe, primum eſt, quod quis certo & realiter ex ſua pecunia mutuò data eſt percepturus. Secundum eſt, quod quis ſe certò ſperat acquiſiturum, quod iterum duplex eſt ſcilicet in potentia proxima & remota, primum eſt, quod alicui ceſſat ex re data mutuò, quæ res negotiationi erat deputata ſaltem vagè ex generali intentione negotiandi, ut eſt apud mercatores in proximiori potentia & ob mutuum impeditur talis negotiatio, ſecundum eſt, quod ceſſat ex re mutuò data, quæ non dum erat deſtinata negotiationi, poterat tamen deſtinari, quæ ſpes remotior eſt apud alios homines, ſed tamen adhuc pretio æſtimabilis, & conſequenter ſe tali ſpe privare, eſt ſe privare re pretio æſtimabili, quapropter etiam aliquid ſupra ſortem axigere permittit, ut tenet Amicus.

Advert. eſt 4. aliud eſſe periculum amittendi mutui, & aliud periculum amittendæ rei mutuatæ, hoc poſterius eſt, quando res mutuò data ſubit periculum, ut ſi v.g. eſſet per mare transvehenda, vel per loca latronibus infeſta, ubi tamen ſi mutuatarius ſufficientem præſtet cautionem de reſtituenda ſorte nullum erit periculum mutui, adeóque periculum mutui tunc eſt, quando mutuans periclitatur de ſorte ſuo tempore vel nullatenus vel non niſi cum magnis expenſis ſolicitationibus & moleſtiis obtinenda, ut frequenter modò contingit, hoc autem periculum, ut aliqui authores agnoſcunt & admittunt non debet eſſe imaginarium & fictum, ſed verum juxta prudentem æſtimationem & pariter debet relinqui arbitrio mutuatarii, ut vel det aliquod auctuarium ratione periculi, vel præſtet cautionem per pignus aut hypothecam, adeóque ſi mutuatarius hoc modò aſſecuret mutuantem de recipienda ſorte nihil poteſt tunc exigi ultra ſor- 4

tem,

tem, quia tunc titulus periculi jam ceſſat, ratione autem aſſecurationis poſſet aliquid ſupra ſortem accipi in ſimili caſu, ſi ſcilicet mutuator paciſcetur de aliquo ſupra ſortem pro obligatione, quâ in ſe recipit periculum transportationis pecuniæ in alium locum remotum hac lege, ut ſi pecunia ſecurè eo pervenerit, debeat pro 1000. ſolvere 60. ſi verò perierit non ſolùm pereat mutuatori, ſed inſuper debeat alia mutuò dare & procurare translationem, nam tale pactum juxta authores tam jure naturæ, quàm jure poſitivo eſt licitum, quia ſuſceptio periculi eſt novum quoddam gravamen pretio æſtimabile, adeóque ſicut pro illo aliquid proportionatum poteſt ſolvi alicui tertio v. g fidejuſſori, ita poterit ſolvi mutuanti, dummodo mutuatarius non cogatur ad tale pactum ineundum cauſa præcisè mutui, quia hoc eſſet uſura palliata.

5 Advert. eſt 5. Authores requirere neceſſariò quaſdam conditiones, quibus ſolùm ſervatis ratione damni emergentis vel lucri ceſſantis aut periculi poſſit aliquid exigi, hinc prima conditio eſt, ut damnum emergens deducatur in pactum, & tunc ſolùm quando mutuatarius aliunde non eſt paratus illud compenſare, ſi ergo mutuator hoc non deducit in pactum, ſibi imputare debet cautelæ negligentiam, neque mutuatarius tenebitur quidquam pro eo ſolvere, licèt poſtea eveniat, niſi fuerit in mora ſolvendi, tunc enim damnum ex illius culpa evenit; dictum fuit, quando mutuatarius aliunde non eſt paratus &c. quia hic non poteſt cogi ad pactum de periculo damni potiùs quàm de damno, ſed relinqui debet ipſius arbitrio, nam licèt periculum damni probabiliter eventuri ſit ab initio æſtimabile pretio minori quidem quàm ipſum damnum non poteſt alter cogi, ut pro ipſo periculo aliquid promittat, ſi paratus ſit reſarcire damnum, quod eventus pateſecerit, cum ſic mutuator ſervetur indemnis, ſi tamen eſſet indifferens vel mallit pro periculo paciſci de certo pretio quàm de incerto damno manere anceps, poteſt acceptare pactum, & licèt poſtea damnum non evenerit, poterit tamen pactatum exigi, nam periculum quod ſubit mutuator erat pretio æſtimabile. Secunda conditio, ut damnum emergens vel lucrum ceſſans non debeat eſſe imaginarium, ſed moraliter certum aut probabiliter futurum ipſi mutuanti, ita ut ſolùm liceat penſare damnum aut lucrum ſuum non verò commodum à mutuo diſtinctum mutuatarii, ut docet Scotus in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* quia non poſſum pretium exigere pro eo, quod meum non eſt, ſed unicè ipſius mutuatarii, qui per mutuatam pecuniam ſcit multùm proſperare, aliàs enim vendens panem pretii duorum obolorum poſſet vendere, quanti valet vita hominis, quam panis conſervat ementi. Tertia conditio eſt, ut lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim mutuô datô, ſed in fine convenientis temporis præfixi, unde illicitum eſſet paciſci dando alteri 100. ut ſtatim reddat quinque ratione lucri ceſſantis, cùm non ſit reparandum damnum, antequam mutuator illud patiatur, & in principio contractûs non patiatur damnum. Quarta conditio eſt, ut pro lucro ceſſante non exigatur tantum, quanti ipſum lucrum, ſed quanti ſpes lucri æſtimatur, ſiquidem lucrum in ſpe minus valet quam lucrum in re. Quinta conditio eſt, ne plus emergente pro damno aut lucro ceſſante exigatur, quàm valeat prudentum judicio, in quo judicio defactò fundatur uſus Provinciæ & totius Europæ, ut abſque ullo ſcrupulo exigantur in ſingulos annos 5. vel 6. pro 100. ratione damni emergentis aut lucri ceſſantis, non vero ratione ſolius carentiæ pecuniarum, cùm hoc eſſet contra decreta Pontificum.

Advert. eſt 6. Siquid ex mutuo ultra ſortem præcisè ex titulo lucrativo exigitur & 6
contra conditiones præfatas, illud dici uſuram propriam, de qua Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de tertio articulo* dicit: *quòd ſit injuſtitia præcipua cujus vituperatio habetur extra: de uſuris ſuper eo, uſura crimen utraque pagina deteſtatur, quod vetus patet per Ezechielem 18. ad uſuram non accommodabis &c. quod nova Luca 6. date mutuum nihil inde ſperantes* definitur autem uſura propriè ſumpta: quod ſit lucrum ex mutuo immediatè proveniens tanquam debitum: dicitur primò lucrum ex mutuo id eſt ex ſolo uſu mutui, ut excipiantur contractus Emphyteuſis Locationis, commodati &c. In quibus cùm rei dominium non transferatur, dominus poteſt paciſci & accipere lucrum propter uſum ſine labe uſuræ ſeu fœneris à funere animarum dicti cum mordeat & arrodat ſubſtantias & animas familiarum. Dicitur ſecundò proveniens tanquam debitum ita ut mutuans obliget mutuatarium ad aliquid dandum ſupra ſortem, nam ſi mutuatarius non tanquam ex debito, ſed ex gratitudine, amicitiâ vel benevolentiâ ſponte velit dare aliquid ſupra ſortem non erit uſura, quæ potiſſimùm hic dupliciter conſideratur ſcilicet ut aperta & ut palliata, prima fundatur in mutuo formali & expreſſo ſeu quod per expreſſum pactum de lucro habendo ſit v. g. do tibi mutuo 100. ut poſt annum mihi reddas 100. & 5. & ſecundùm hoc dicit Scotus cit. §. *de quarto articulo: uſuram facere eſt recipere fructum de ſua pecunia provenientem* per induſtriam alterius, palliata verò ſeu virtualis eſt, quæ committitur in contractu mutui non formalis & expreſſi, ſed nomine alterius contractus, ac ſpecie veluti pallio occultati v. g. mercator ob dilatam pretii ſolutionem, mercem vendit pro 100. cum tantum valeat 95. nam hic nihil aliud agit, quàm quòd 95. florenos, qui veluti juſtum pretium ſtatim ſolvendi eſſent emptori, mutuo det ea lege ut eos poſt annum reddat cum auctuario,

tandem alia adhuc eſt uſura ſed ſpiritualis & bona, quæ eſt accreſcentia bonorum ſpiritualium quam Deus à nobis exigit ſolùm ob noſtrum emolumentum ut Matthæi 25. *nonnè oportebat te pecuniam dare ad uſuram*, id eſt talenta tua pro meritorum incrementis expendere, *ut & ego veniens cum uſuris* id aſt cum fructu operum *exegiſſem illam*, de qua hic non eſt ſermo, ſed ſolùm de illa temporali, & iniqua paulo ante definita, his ergo notatis:

7 Propoſitio 1. *Uſura ex genere ſuo eſt peccatum mortale*, ratio eſt, tum quia ut Scotus paulò ante citatus dicit, *crimen uſura utraque ſacra pagina deteſtatur*. Tum quia Clem. un. *de uſuris* decernitur, ſi quis in illum errorem incideret, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, puniatur tanquam hæreticus. Imo jura varias ſtatuunt pœnas pro uſurariis; nam jus civile L. improbum fœnus C. *ex quibus cauſis infamia irrogetur.* ſtatuitur infamia. Ex jure Can. tit. *de uſuris* ſtatuitur; quòd non faciant valida teſtamenta, niſi facta ante mortem ſufficienti cautione. Quòd non admittendi ſint ad ſacram communionem, neque ad confeſſionem peccatorum, donec ſatisfecerint vel idoneam cautionem dederint, vel urgente periculo mortis juraverint ſe non habere, unde ſatisfaciant. Quòd nec poſſint Eccleſiaſticâ ſepulturâ gaudere, quæ pœnæ utique culpam in ſuo genere gravem ſupponunt. Dicitur in ſuo genere, quia poteſt uſura eſſe venialis ex gravitate materiæ, vel ex deliberationis defectu, aut quòd mutuatarius non ſit graviter invitus in præſtando lucro uſurario, uti in tractatu de actibus humanis de peccatis dictum erat.

Nec dicas licitè aliquid accipitur ab eo, qui equum commodat pro uſu illius ſicut etiam pro uſu domûs quam locat: ergo etiam pro uſu pecuniæ, quam mutuat; ideo ex jure civili L. eos qui. Cod. de uſuris. permittuntur uſuræ ſaltem moderatæ.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia in commodatione & locatione non transfertur dominium rei, unde ſi pereat ſine culpa eorum, quibus datur, non debet reſtitui: in mutuo verò cùm transferatur dominium, ſi pereat mutuum etiam ſine culpa illud reſtitui debet; adeóque pro uſu commodati ratione periculi aut lucri ceſſantis poteſt accipi lucrum non vero ratione mutui. Plures diſparitates eruet ex propoſitione ſequenti. Interim ad jus civile dico vel hoc eſſe correctum per jus Canonicum, vel jus civile nihil poſſe ſtatuere contra jus naturale: bene tamen poſſe permittere ſeu non punire illud, quod eſt contra jus naturale, ſicut permittit quæſtum meretricium ad evitanda majora mala. Cæterùm tamen pecunia habens uſum utilem ex propria natura, utpote ad videndum, ornandum, oſtendendum tanquam divitem ad hunc finem concedit Scotus poſſe per eam lucrari, ſicut propter equum retento dominiò poteſt recipi pecunia, ſed tunc ſolùm eſſet contractus locationis non verò mutui.

Propoſitio 2. *Uſura jure natura eſt in-*
hibita; Ratio eſt, tum quia inæqualitas rei 8
datæ & acceptæ in contractibus eſt jure naturæ illicita contra juſtitiam, cùm hæc per ſe intendat æqualitatem, aliàs non tribueret cuique jus ſuum, ſed concederet vel formaliter vel mediatè diteſcere ex damno alterius ſed uſura infert in contractu mutui inæqualitatem inter rem mutuò datam ex una parte & acceptam ex altera parte, cum illa datio mutui non pluris valeat, quàm res ipſa mutuò data: ergo. Tum quia ut arguit Scotus cit. §. *de ſecundo articulo* in mutui datione transfertur dominium, nam hoc ſonat vocabulum mutuo do tibi meum: ergo qui dat mutuo, non manet dominus pecuniæ mutuatæ per conſequens ſi pro illa pecunia aliquid recipit ultra ſortem non pro ſuo recipit ſive vendit non ſuum, imo ut pergit Scotus: eſto pecunia maneret ſua, illa tamen pecunia non habet ex natura ſua aliquem fructum ſicut habent alia ex ſe germinantia & fructifera, ſed tantùm pervenit aliquis fructus ex induſtria alterius ſcilicet utentis: ergo ille volens recipere fructum ex pecunia vult habere fructum de induſtria aliena, quam tamen non dedit, ille alius ex hoc quod accepit mutuum ab alio, & hinc eſt diſparitas, quod fructus aliquarum rerum v. g. lignorum germinantium poſſint computari ad ſortem rei.

Nec dicas: per uſuram accipiendo aliquid ſupra ſortem non fit inæqualitas & damnificatio mutuatarii: ergo non eſt jure naturali illicita. Antec. probatur mutuatarius dat volens aliquid ſupra ſortem ut experientiâ conſtat, ſed volenti non fit inæqualitas & damnificatio: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad probam diſting. maj. dat volens voluntate invalida ſeu non juridica conc. voluntate valida ſeu juridica neg. maj. nam licèt volens det aliquid ſupra ſortem, quia tamen hæc voluntas contradicit voluntati divinæ, ideo eſt invalida. Præterea ut dicit Scotus cit. §. *de tertio articulo. In uſuris dandis non eſt merè donatio liberalis, quia uſuram dans attractus & quaſi coactus dat*, mutuatarius non dat voluntariè ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundùm quid & mixtè ex metu, ſicut dicitur de mercatore projiciente merces ad mare, & ſic mutuans accipiendo aliquid ſupra ſortem facit injuriam mutuatario.

Propoſitio 3. *Uſura etiam jure divino eſt* 9
prohibita. Ratio eſt, quia pſalmo 14. ingreſſus regni cœleſtis illi promittitur, *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Ezechielis 14. *Qui ad uſuram non accommodaverit & ampliùs non acceperit hic juſtus vitâ vivet.* Deut. 23. *non*

Digitized by Google

non fœneraberis fratri tuo. & tandem Lucæ 6. *benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes*, quod per modum præcepti & non conſilii dictum agnoſcit Urbanus tertius. C. conſuluit. *de uſuris*: ergo.

Nec dicas: Deut. 23. dicitur: *non fœneraberis fratri tuo ad uſuram ſed alieno*, & ultra c. 28. *fœneraberis gentibus multis &c.* ergo DEI licentiâ uſuræ permitti videntur.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ex primo textu vel ſolùm eruitur quòd Hebræis uſuræ ab exteris accipiendæ, fuerint à DEO permiſſæ non qua licitè ſed ad evitandum malum majus nempe ad uſuras cum ſuis fratribus, ad quas uſuras nimiùm erant proclives. Vel quod DEUS Supremus Dominus dederit poteſtatem ad accipiendas uſuras ab infidelibus, ſicut ipſis dedit poteſtatem in ſpolia Ægyptiorum, ut diximus de legibus. In ſecundo verò textu fœnus accipitur pro mutuo ut ſit ſenſus quod Iſraëlitæ ſint habituri tantam rerum abundantiam, ut ipſi nullis indigi aliis gentibus mutuum ſint daturi, quo ſenſu Eccleſiaſtici 24. dicitur: *fœnerare proximo tuo tempore neceſſitatis.* Hoc eſt da ipſi mutuum.

10 Propoſitio 4. *Uſura committitur, ſi mutuans titulo mutui ſive explicito ſive implicito obligat mutuatarium ad procurandum officium, ad remutuandum, ad emendum ex officina mutuantis ad reſtitutionem famæ &c. non verò ſi ſimpliciter exigit amicitiam aut obligat mutuatarium, ut ſolvat debita antea contracta.* Ratio primi eſt: quia omnia illa onera ſunt pretio æſtimabilia, adeóque in illis recipitur aliquid mutui titulo ſupra ſortem. Dictum eſt titulo mutui ſive explicito ſiva implicito, nam etiamſi exigeret illa titulo benavolentiæ adhuc eſſet uſura palliata, & ex titulo mutui implicito prout agnovit Innocentius XI. damnans ſequentem propoſitionem: *uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigitur ex juſtitia debitum.* Ratio ſecundi eſt, tum quia cum amicitia non ſit ſuapte natura bonum pretio æſtimabile, ideo abſolutè tantùm cenſetur peti titulo gratitudinis, niſi fortè talis exactio fieret cum pacto imponente obligationem quaſi ex juſtitia, quod adhuc injuſtum eſſet. Tum quia illorum debitorum obligatio jam priùs ex juſtitiæ titulo contracta ſupponitur: ergo.

Nec dicas: licitum eſt obligare alium ad æquale onus ſubeundum, nam ubi onus eſt æquale nulla committitur injuſticia; ſed obligari mutuatarium ad remutuandum eſt obligare ad æquale onus ſubeundum v. g. dans mutuo pecuniam, ut remutuetur vinum vel triticum: ergo. item obligatio ad virtutem non minuit eam: ergo etiam obligatio ad ſigna amicitiæ non prohiberet, quin talis ſigna adhuc procederent ex virtute amicitiæ, antecedens autem patet, quia præceptum de virtute non tollit virtutem.

Reſpondeo ad 1. Diſtinguendo min. ſed obligari mutuatarium ad remutuandum eſt obligare ad æquale onus, ſi mutui datio ſit etiam cum obligatione conc. ſi ſit liberè & ſpontaneè neg. min. unde ſi dans mutuo det cum obligatione, ita ut teneatur mutuo dare, tunc cum hæc obligatio ſit pretio æſtimabilis poterit & alterum obligare ad remutuandum, & ſic duo ſe invicem poſſent obligare etiam in futurum, quoties alter indigebit, quia tunc par erit utriusque onus, & æqua compenſatio, ſi verò ſponte det mutuum tunc talis ſpontaneitas non poteſt pretio æſtimari, cùm id non faciat extrinſecè coactus contra ſuam perfectam libertatem, & ideo nullam incommoditatem libertatis ſuæ ſubit. Ad ſecundum dico, licèt non minuat virtutem, addit tamen novam obligationem ad virtutem exercendam, ad quam nequit mutuatarius obligari, ſicuti præceptum non tollit virtutem, addit tamen novam obligationem obedientiæ, quam virtus non dicit, & ideo magis meretur apud DEUM, qui ex præcepto, quam qui ſponte actus virtutis exercet.

Propoſitio 5. *Poteſt in mutuo ſicut in aliis contractibus apponi aliquid ſolvendum pro pœna ſine uſura, ſi debito tempore non reſtituatur.* Ratio eſt ex Scoto cit. §. *de ſecundo articulo.* quia volenti & conſentienti non fit injuria, & inſuper poteſt adeſſe rationabilis cauſa hoc modo adſtringendi & ſtimulandi mutuatarium, nempe ut mutuator ſe ſervet indemnem, cùm experientia doceat, mutuatarios ſæpe inverecundè moroſos eſſe & creditori maximas cauſare moleſtias, quæ inſunt litibus; nihilominus tamen duplex eſt diſcrimen inter pactum de pœna ſolvenda, & inter pactum de compenſatione damni emergentis & lucri ceſſantis, quod propriè dicitur intereſſe, primum eſt, quod pactum de pœna non habeat locum niſi ſuppoſita culpa in mora, pactum verò de intereſſe etiam nullâ ſuppoſitâ culpâ in mora; alterum eſt, quòd pactum de pœna fieri poſſit, licèt nullum ſit periculum damni vel lucri ceſſantis, pactum verò de intereſſe non poteſt fieri, niſi ſit ſpes lucri aut damni vel ſolùm conditionatè, ſi aliquod lucrum ceſſet, vel damnum emergat. 11

Nec dicas: ſi talis pœna ſolvenda poſſet adjici, ſic plurimi Uſurarii poſſent ſe excuſare, nam dum ſciunt, quod mutuatarii præfixo tempore non poſſint ſolvere, poſſent apponere pœnam, & ſic ſemper aliquid accipere ſupra ſortem ſine ulteriori titulo damni vel lucri ceſſantis: ſed hoc eſſet occaſio uſuræ: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia ut illa pœna rectè apponatur, requiritur, ut non apponatur ad palliandam uſuram, quæ palliatur, ſi mutuans nullam rationabilem cauſam habens illam

lam appnnendi, expreſsè tamen apponit illam, quia luctum habere vult ex ipſo mutuo, quod ut occultet dictam pœnam prætendit, quod potiſſimum agnoſci debet, quando mutuans ſciens non poſſe mutuatarium ſolvere in tempore præfixo, adhuc tamen pœnam apponit; hinc Scotus cit. ait: *ſignum autem quando non eſt in fraudem uſurarum manifeſtum eſt illud, quando mercator magìs vellet pecuniam ſibi ſolvi die præfixo, quàm in craſtino cum pœna adjecta, & per oppoſitum eſt in fraudem quando potiùs vult transferi diem, quàm pecuniam ipſo die ſolvi.*

12 Propoſitio 6. *Mutuum ſemper parit obligationem reſtituendi, niſi in caſibus à jure exceptis.* Ratio 1. eſt definitio mutui, ratio ſecundi eſt ex L. 1. ff. *de ſenatusconſulto Macedoniano.* Unde primus caſus eſt filii vel filiæfamilias nam cum quidam civis Romanus nomine Macedonianus filiisfamilias numeràſſet pecunias ſibi ſolvendas poſt mortem patris & filii eas prodegerint ac vitæ parentum inſidiati ſunt, ut in hæreditate ſuccedentes ab obligatione ſe liberarent ſenatûsconſultum ſtatuit in ſecuritatem parentum & odium fœneratorum, ne filii ſive in vita parentum ſive poſt mortem eorum neque eorum parentes, licèt illorum bona poſſiderent, neque eorum fidejuſſores ex mutuo obligarentur; hinc eis conceditur exceptio, quam fœneratoribus à ſe debitum exigentibus opponant per ſenatûsconſultum Macedonianum, cui nec filiusfamilias poteſt renuntiare; cùm non in illis ſed parentum favorem & fœneratorum pœnam ſit introductum, & ideo etiam in conſcientia ſit tutum; ſicut nec Clericus renuntiare poteſt privilegio canonis & fori. Excipe tamen primò, niſi filiusfamilias fuerit publicè æſtimatus ſui juris: ſecundò ſi non pecunias, ſed alias res ut vinum, frumentum &c. mutuò acceperit; niſi fortè hæ tes eſſent in fraudem legis datæ, ut nempe illis venditis filii compararent pecunias: tertiò niſi pecunia fuerit verſa in utilitatem patris, vel conſenſus patris præſumi potuerit, ut ſi filius abſens ſtudiorum causâ pro ſua ſuſtentatione mutuò acceperit: Secundus verò caſus eſt Minorennis habentis curatorem, qui non tenetur ſolvere mutuum ipſius nomine à curatore contractum, niſi mutuans probaverit, illud eſſe converſum in utilitatem minorenni; idem etiam eſt de pupillo, unde ſi minor ſe læſum ſenſerit ex mutuo, conceditur ei beneficium reſtitutionis in integrum, ut habetur L. *ſi curatorem* C. *de in integrum reſtitutione:* tertius caſus eſt Eccleſiæ vel cauſæ piæ, ne damnificentur, & cultus divinus minuatur; hinc licèt Prælatus cum conſenſu Capituli acceperit pecunias mutuas, ſi tamen illas ſine alienatione bonorum immobilium ſolvere non poteſt, Eccleſia non tenetur ſolvere, niſi mutuans probaverit pecunias eſſe converſas in Eccleſiæ utilitatem; cujus ratio eſt: quòd talis alienatio ſit omnino invalida, niſi conſtet de utilitate & neceſſitate Eccleſiæ. His ergo propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Ex titulo tam damni emergentis, quàm lucri ceſſantis poteſt aliquid accipi ſupra ſortem abſque uſura, ſi conditiones in advert. 5. citata obſerventur.* Eſt Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo* verſu *excipiuntur in ipſa mutuatione.* Unde falsè citant Amicus & alii Scotum pro adverſario primæ partis: nam 13

Probatur prima pars: primò authoritate Scoti cit. dicentis: *quandoque licet accipere ultra capitale ex pacto &c. ſecundum eſt ratione intereſſe, debitor enim ex cujus non ſolutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de juſtitia ſatisfacere creditori de intereſſe.* Quid ergo clarius ex Scoto pro damno emergente?

Probatur 2. ratione: tum quia contra æquitatem naturalem eſt, quod mutuans alteri ſubveniendo damnum patiatur, ſed hoc ſequeretur, ſi non poſſet de damno paciſci, ut pro illo ſupra ſortem aliquid acciperet; tum quia licitum eſt ſe ſervare indemnem & laborare, ne officium, quod alteri præſtat, ſibi ſit damnoſum; tum quia damnum emergens eſt pretio æſtimabile & ab uſu pecuniæ diſtinctum: ergo ſine uſura de tali pretio poterit paciſci, cum naturalis ratio dictet, neminem obligari cum ſuo damno alteri præſtare beneficium.

Probatur 2. pars: ſpectatâ rei naturâ eadem eſt ratio lucri ceſſantis, quæ damni emergentis, cum utrumque ſit pretio æſtimabile & abuſu mutui diſtinctum, unde lex 13. ff. *rem ratam haberi* eodem modo loquitur de lucro ceſſante: quo de damno emergente, ſed nec jure divino nec humano tale pactum videtur prohibitum: ergo. Tum quia ex Scoto cit. verſu *addo* res poteſt eo majori pretio vendi, quo pluris valet vendenti eique eſt commodior: ergo etiam res poteſt eo majori pretio tradi mutuatario, quo pluris valet mutuanti eique eſt utilior; ſed hæc eo mutuanti eſt utilior, quo per illam majus poteſt obtinere lucrum: ergo. 14

Objicies 1. Cum Amico Scotus cit. poſteriori §. *de tertio articulo* ad primum dicit: *ſi non vult damnificari pecuniam ſibi neceſſariam reſervet, quia nullus eum neceſſitat ad faciendam miſericordiam proximo; ſed ſi vult miſericordiam facere, neceſſitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam:* ergo ratione damni emergentis nihil poteſt ultra ſortem accipi. 15

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ibi ſolùm reprobat palliatam uſuram ſeu mutuum vitiatum, quatenus ſæpius prætextu damni emergentis & lucri ceſſantis, ubi nullum ſubeſt damni periculum, aliquid ultra ſortem vel ultra damnum emergens exigitur; quòd autem talis ſit ejus ſenſus, patet ex loco in proba cit.

cit. ubi aſſignat aliquos caſus exceptos, in quibus licet ſupra ſortem accipere, & ibi mutuans non prohibetur lege divioa mutuare cum obligatione, ut damnum compenſetur, cùm naturali æquitate mutuatarius teneatur damnum compenſare, quod ex mutuo oritur.

16 Objicies 2. Lucæ 6. dicitur: *date mutuum nihil inde ſperantes*: ergo mutui datio debet fieri omnino gratis.

Reſpondeo diſt. conſequens, gratis pro ipſo mutuo præcisè ſpectato conc. etiam pro ſpe lucri quam ex illa pecunia acceperat, qua ſpe ſe ſimul privat, dum illam pecuniam tradit neg. conſeq.

Dices: lucrum ſolùm alicui ceſſat, quando invitus privatur & impeditur: ergo cum mutuans liberè det mutuo, hoc ipſo etiam liberè cenſetur cedere à lucro ſperato, per conſequens non poteſt pro eo aliquid exigere.

Contra neg. antecedens, oam etiam lucrum ceſſat ſive ſponte ſive ad preces alterius ſe privat, quod etiam ſemper eſt pretio æſtimabile, ſicut ſi quis me roget, ut inſtrumenta artis meæ ipſi commodem, poſſum paciſci de lucro ceſſante, oon enim teneor me privare gratis meo emolumento.

Dices: exigere aliquid ratione lucri ceſſantis eſt dare anſam multis uſuris, quæ ſub pallio lucri ceſſantis facilè committi poſſunt; ſed non debemus dare anſam uſuris: ergo.

Contra neg. maj. quia non propterea quòd aliquis ſuâ culpâ ſumat occaſionem uſuræ eſt taceoda veritas, cùm non minùs ſit cavendum, ne juſti contractus condemnentur, ut uſurarii & eorum authores obligentur ad reſtitutionem, quod durum & intolerabile eſſet; imò nullum eſſet periculum palliatæ uſuræ, ſi juxta conditiones advert. 5. aſſignatas contractus mutui; & ratio damni & lucri examinentur.

Dices: non poteſt mutuator licitè vendere, quod nondum habet, & quod multis viis impediri poteſt; ſed lucrum ceſſans nondum habet & multis viis impediri poteſt: ergo maj. patet, aliàs acciperetur lucrum certum pro incerto & dubio, quod reprobat D. Thomas q. 78. art. 2. ad 1.

Contra diſt. maj. quod nondum habet nec in re nec in ſpe proximâ conc. quod nondum habet in re benè tamen in ſpe & potentiâ proximâ neg. maj. nam quidquid jam eſt in tali firma ſpe poteſt vendi, cùm pretio ſit æſtimabile, licèt non tanti, quanti eſt in ſe & in re, ſed quanti æſtimatur prudentis judicio & juxta qualitatem majoris vel minoris periculi. Adeóque D. Thomas ſolùm loquitur de lucro planè remoto ex pecunia nullo modo negotiationi deſtinata, vel quod non poſſit exigi tantum, quantum lucrum erat poſſibile, ſed ſemper aliquid minus ut notat q. 62. *articulo* 4. ad primum.

17 Aſſero 2. *Quamvis ob ſolum periculum rei mutuatæ nihil liceat exigere ſupra ſortem, attamen periculum mutui licitè deducitur in pactum pro accipiendo aliquid ſupra ſortem.* Eſt Scoti cit. dicentis: *tertia conditio eſt, quando utrumque ſcilicet capitale & illud ſuperfluum ponitur ſub incerto, quod probatur C. naviganti: de uſuris. arguendo per locum à ſimili, quia ſicut hic incertitudo excuſat, ita ibi.* Eſtque Leſſii contra Covarruviam.

Probatur prima pars: res mutuata tranſit in dominium mutuatarii, & ſi pereat jam non mutuanti ſed mutuatario perit: ergo niſi advertatur periculum mutui ratione rei mutuatæ nihil poterit exigi, cùm aliunde totum illud, quod periit, teneatur mutuatarius reſarcire de ſuis.

Probatur 2. pars: exponere ſe periculo 18
amittendæ vel difficulter recuperandæ ſortis eſt pretio æſtimabile, neque ſequitur ex natura mutui, ſed ex conditione mutuatarii v. g. quòd ſit perſona difficilis conventionis, ignota, debitis gravata &c. ergo illud periculum licitè poteſt deduci in pactum, cùm quivis ad cavendum ſuæ indemnitati poſſit inire contractum aſſecurationis, & ideo aliquid in aſſecurationem petere.

Objicies: C. *naviganti* de uſuris. Ponti- 19
fex reſcribit naviganti ad nundinas: certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd ſuſcipit in ſe periculum recepturus aliquid ſupra ſortem uſurarius eſt cenſendus: ergo ob periculum &c.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Pontifex ibi loquitur de exigente aliquid ſupra ſortem non ob periculum mutui, ſed rei mutuatæ & quando mutuans ab initio cogit mutuatarium ad acceptandum pactum aſſecurationis ita ut alias nolit ei dare mutuum, quæ obligatio cum non ſit pretio æſtimabilis jam reddit contractum mutui illicitum; imò Layman dicit in illo textu eſſe omiſſam particulam non, ideóque legendum eſſet: uſurarius non eſt cenſendus; quod deducitur ex Scoto, qui illud cap. adducit in contrarium, ut patet in textu poſt aſſertionem adducto. Vide ergo quæ diximus advert. quarta.

Dices: periculum mutui ſubeſt omni mutuo ab intrinſeco: ergo ſemper ſub hoc prætextu licebit ultra ſortem exigere.

Contra neg. antecedens. nam poſſet mutuum dari ſub bono pignore, fidejuſſione, hypotheca &c. & pariter debitor poſſet eſſe integræ fidei notus ab experientia, ubi deinde nullum ſubeſt periculum.

Dices: etiam ipſum intereſſe eſt ſub periculo ſicut capitale: ergo etiam pro illo licebit aliquid petere & ſic in infinitum.

Contra neg. conſeq. quia non poteſt aliquid exigi pro periculo illius intereſſe, quod exigitur pro periculo ſortis, quia primum auctarium etiam ut periclitans eſt ſufficiens compenſatio omnis intervenientis periculi, quamvis non videatur negandum, quia eò majus proportionaliter poſſit accipi auctarium,

quod hoc ipſum eſt obnoxium majori periculo cùm eò minùs valeat, quò magis periclitetur.

20 Aſſero tertiò: *ob pecuniæ carentiam, ob ſolutionis dilationem, ob non repetendi obligationem ante certum tempus non poteſt aliquid ſupra ſortem exigi.* Eſt Scoti cit. Leſſii contra Medinam & aliquos antiquiores.

Probatur: carentia pecuniæ ad tempus ſicut & dilatio & obligatio non repetendi usque ad illud tempus eſt intrinſeca & de eſſentia mutui: ergo dum aliquid recipitur ratione hujus, recipitur ratione mutui, quod eſt uſurarium & illicitum; antecedens probatur, qui dat mutuum, alienat rem ſuam à ſe adeóque mutuum eſſentialiter includit, quòd ſuâ pecuniâ careat, quòd non poſſit repeti niſi ad certum tempus, ideo ab Alexandro VII. & Innocentio XI. hæ propoſitiones ſunt damnatæ: prima eſt: *licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem accipere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Secunda, *cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quam futuram poteſt creditor aliquid ſupra ſortem à mutuatario exigere, & ex eo titulo ab uſura excuſari.*

21 Objicies: privare ſe poteſtate repetendi ſuam pecuniam eſt aliquid pretio æſtimabile: ergo poteſt aliquid ratione iſtius ſupra ſortem accipi. Antecedens patet, quia omnis actus indebitus eſt pretio æſtimabilis; ſed: ergo.

Reſpondeo ob propoſitiones damnatas neg. maj. ad probam diſt. maj. ſi talis actus ſit diſtinctus à mutuo conc. ſi non ſit diſtinctus, ſed in eo eſſentialiter eſt incluſus neg. maj. diſparitas autem eſt inter iſtos duos actus, quia eo ipſo, quòd in mutuo eſſentialiter includatur, eſt debitus ratione mutui, nam qui ex lege charitatis tenetur gratis dare mutuum, & hunc actum neceſſariò incluſum gratìs facere tenetur, ubi enim totum gratis fieri debet, & partes eſſentialiter incluſæ eadem ratione fieri debent, aliàs poſſet æquè mutuans ratione mutui præcisè accipere uſuram.

Dices: obligatio mutuandi eſt pretio æſtimabilis, & pro ipſâ licitè aliquid accipitur, ut ſi certi deputarentur Campſores: ergo etiam obligatio non repetendi pecuniam mutuatam.

Contra diſparitas eſt, quòd in obligatione mutuandi gravetur mutuans ad habendas paratas pecunias, adeóque ad carendum lucro, quod poſſit percipere ex iiſdem ad negotiandum applicatis, hoc autem non reperitur in pura mutui non repetitione ad certum tempus.

22 Aſſero 4. *Si mutuatarius habet animum abſolutum non ex errore, quo putat ſe debere, ſed quia vult ſatisfacere fidelitati, quod promiſit, transfert dominium uſuræ ad uſurarium, & ſic ad quemcunque res uſuraria perveniet, illam vindicare poſſet uſurarius, non mutuatarius, ac in concurſu creditorum uſurarius præfertur aliis creditoribus.* Eſt Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. §. *de tertio articulo.* ubi dicit: *etſi transferat dominium, tamen recipiens tenetur reſtituere, ſicut in mutui datione transfertur, & tamen debitor tenetur tantam reſtituere creditori.* Eſtque Haunoldi contra Leſſium & alios.

Probatur: nulla lege eſt irritata voluntas transferendi dominium aut illud acceptandi: ergo ſi mutuatarius ita transfert, erit translatum, & præſertim ſi uſura commiſcetur cum ſubſtantia ſortis; hinc è contrario non eſt translatum, ſi mutuatarius talem animum non habet, nec vult transferre aliter quàm ad quod tenetur ex juſtitia, quæ voluntas fortè communiter præſumenda eſt pro mutuatariis in praxi, & ideo ex hoc capite non transferri dominium.

23 Objicies: ad transferendum dominium non ſufficit nuda traditio ſine titulo juſto, ut diximus de dominio; ſed ad traditionem uſuræ non eſt juſtus titulus: ergo min. patet, non eſt titulus contractus, quia contractus mutui non parit obligationem ſolvendi ſupra ſortem; nec titulus veræ promiſſionis, quia juxta omnes promiſſio uſurarum non parit veram obligationem: ergo.

Reſpondeo diſt. maj. ſi fiat traditio animo ſolvendi ex aliquo titulo conc. ſi fiat animo ſatisfaciendi veracitati & fidelitati neg. maj. unde omnino ſequitur, ſi mutuatarius ſolvat uſuras animo ſatisfaciendi pacto uſurario non transferre dominium, cum talis titulus non ſit legitimus, non tamen ſequitur, quod illud non transferat, ſi ſolvat animo ſatisfaciendi fidelitati & veracitati, ſicut qui per injuriam inductus foret ad vendendum, non propterea venditio non valeret, ſi verè habet animum vendendi.

Dices: uſurarius tenetur reſtituere fructus ex uſura perceptos, & quos mutuatarius poterat percipere: ergo non eſt uſuræ dominus.

Contra neg. conſeq. quia ſaltem non tenetur reſtituere fructus, quos percepit uſurarius & non percepiſſet mutuatarius, dum vult transferre dominium, illos autem fructus quos percepiſſet mutuatarius tenetur reſtituere, cum illum debeat ſervare indemnem, præterea ſi non velit transferre dominium, debet etiam naturales fructus reſtituere, quia res domino ſuo fructificat.

Dices: natura non patitur, ut quis ex ſua iniquitate reportet commodum cum detrimento alterius; ſed uſurarius reportaret commodum ſi haberet dominium uſuræ: ergo.

Contra neg. pro univerſali maj. nam qui alterum inique dejicit à poſſeſſione fit poſſeſſor civilis & commodum reportat cum detrimento domini; natura igitur eatenus non patitur illud, quatenus obligat ad reſarciendum detrimentum illatum.

Dices: uſurarius non habet jus utendi illa re uſuraria ad quemcunque uſum, quia non

poteſt

poteſt licitè alteri dare quam mutuatario: ergo non eſt dominus.

Contra neg. conſeq. nam etiam venditor manet dominus rei venditæ antequam eam tradat, & tamen non poteſt eam licitè tradere alteri quam emptori.

24 Dices: ergo alii creditores privilegiati vel hypothecarii in illa re uſuraria deberent præferri mutuatario, quod eſt duriſſimum.

Contra diſtinguo illatum, ſi mutuatarius negligat ſuum jus reſcindendi contractum conc. ſecus neg. nam mutuatario ante omnes competit jus reſcindendi contractum, quô factô deſinit uſurarius eſſe dominus, & per conſequens alii creditores nullum jus habent ad rem uſurariam.

Dices: plus eſt jus in re quam ad rem, ſed mutuatarius non amittit jus ad rem: ergo nec in re.

Contra neg. conſeq. nam quamvis jus in re ſit quid plus faciliùs tamen poteſt amitti, quàm jus ad rem, ut manifeſtè patet, quando uſurarius ſit dominus uſuræ per commixtionem, quod etiam patet in phyſicis, ubi aqua faciliùs amittit ſummam intenſionem frigoris, quàm ultimum gradum & pariter in moralibus, ubi dominus rei ſuæ apud poſſeſſorem bonæ fidei amittit jus in re circa fructus perceptos non tamen ad rem, cùm dominium poſſeſſoris bonæ fidei ſit revocabile.

Dices: non poteſt aliquis acquirere dominium per contractum in ſubſtantia nullum, ut eſt contractus de uſura.

Contra diſt. ſi primaria intentio referatur in illud, quod eſt contra ſubſtantiam contractûs conc. ſi tantum ſecundaria intentio referatur in illud neg. imo poterit illa conditio haberi pro non adjecta, ut ſi uſura apponeretur contractui venditionis, hic eſſet validus & tamen illicitus propter accidentale uſuræ.

QUÆSTIO II.

An montes pietatis, pacta antichreſeos, Legis commiſſoriæ & petitio penſionis rei locatæ in omnimoda ſterilitate ſint licita?

1 ADvertendum eſt 1. de monte pietatis nobis eſſe ſingulariter diſcurrendum, cum ex noſtro ordine ſumpſerit exordium, nam ex prædicatione Patris Barnabæ Interamnenſis Ordinis Minorum fuerunt permoti fideles ut ad montes pietatis conſtituendos copioſas eleemoſynas ſubminiſtrarent; ita ut eos in pluribus Italiæ locis propagaverint Bernardinus Senenſis, Feltrenſis, Joannes de Capiſtrano & alii. Eſt autem mons pietatis cumulus quidam pecuniæ vel frumentorum &c. in hunc finem collatus à piis hominibus, ut illorum qui mutuo indigent, neceſſitati ſuccurratur, & ſic iniquis & ſanguiſugis fœneratorum uſuris occurratur; cujus utilitas ut ſit perpetua, neceſſe eſt eum integrum ſervari per quaſdam conditiones, quarum prima eſt, ut ſolis pauperibus detur mutuum. Secunda non plus una vice quàm 3. aurei. Tertia ut accipiantur pignora, quæ montis miniſtri cuſtodiant cum ſuo periculo. Quarta ut poſt annum pignora vendantur, & ſorte ſubtracta, quod reliquum eſt, detur domino pignoris. Quinta ut mutuatarii ad ſuſtentationem miniſtrorum montis dent aliquod moderatum auctarium v. g. unum vel duos florenos ultra ſortem; ſi enim expenſæ, quæ debent fieri in ſtipendiis miniſtrorum, conſervandis pignoribus, conficiendis rationibus &c. fierent ex maſſa montis, brevi exhaurietur. De hac ergo ultima conditione movent aliqui difficultatem, an non contineat uſuram?

Advert. eſt 2. Antichreſim eſſe pactum, 2
quô creditori conceditur facultas tamdiu lucrandi fructus pignoris, ut non reputentur ad ſortem, donec ſibi à debitore mutuum reſtituatur. Huic pacto ſimile eſt aliud pactum legis commiſſoriæ, quod nihil aliud eſt quàm conventio, quâ contrahentes tanquam per legem peculiarem ſibi ſtatuunt, ut, ſi debitor in termino ſtatuto promiſſam pecuniam non ſolverit, res data ſtatim fiat creditoria & vendi poſſit, & æſtimatio pretii acquiratur pro ſorte, ac propterea dicitur commiſſoria conventio, quia debitor, qui non præſtat fidem incidit in commiſſum, hoc eſt amittit jus ſuæ rei propter culpam commiſſam in adimplendo contractu. Tale pactum in venditionibus licitum eſſe conſtat ex L. 2. & 3. ff. de lege commiſſoria; cujus ratio eſt, quòd præſumatur fraus intervenire, ſi emptore pretium non ſolvente reſcindatur venditio, & res ad ſuum dominum revertatur, unde L. 16. ff. de pignoribus dicit: poteſt ita fieri pignoris datio hypothecáve, ut ſi infra certum tempus non ſit ſoluta pecunia jure emptionis poſſideat rem juſto pretio æqualem, hoc enim caſu videtur quodammodo conditionalis eſſe venditio. Eſt ergo difficultas, an tale pactum etiam in mutuo habeat locum, ita videlicet, ut ſi debitor intra certum tempus non ſolverit, pignus pro ipſo debito, vel pro certo pretio fieret creditoris, eo quod debitor incidiſſet in commiſſum omittendi pignus.

Advert. eſt 3. Locationem & conductio-
nem ſe correlativè habere ſicut emptionem & 3
venditionem, nam qui rem pro pretio utendam tradit, dicitur locator, & qui accipit conductor: eſt ergo locatio contractus, quo vel res immobilis ad tempus minùs decenniô, vel perſona, vel res mobilis ad quodcunque tempus pro pretio traditur ad uſum inde percipiendum. Dicitur minus decenniô, ut differat ab Emphyteuſi, quæ longius requirit tempus, dicitur ad uſum percipiendum, ut diſtingua-

tur ab emptione, quâ etiam transfertur dominium. Qui ergo prædium ruſticanum conducit in jure dicitur colonus, qui vero Urbanum dicitur inquilinus. Locatoris obligationes ſunt ſequentes: Prima, ut non locet rem vitiatam, ut de vitio præmoneat, ut dicemus de venditione; unde qui ſcienter locat equum aſſuetum infirmari vel ſe ad aquam dimittere vel vaſa vitiandi vinum, tenetur ad reſtitutionem damni. Secunda ut non ſolum reſarciat expenſas neceſſarias à conductore factas in conſervanda re conducta, ſed etiam utiles, quæ ultra conductionis tempus ſunt duraturæ, niſi conductor has in ſe expreſsè aſſumpſerit præſtandas. Tertia ut ſolvat onera & tributa impoſita pro re locata, niſi aliter conventum ſit. Dixi pro re locata; nam pro fructibus tenetur conductor. Quarta ut locationem relinquat usque ad præfinitum tempus, niſi in 4. caſibus à jure admiſſis. Primò, ſi conductor abutatur re conducta & ei damnum inferat; ſecundò ſi penſionem non ſolvat præſertim accedente monitione. Tertiò ſi egeat reſtauratione, quæ namque nequit fieri, quamdiu conductor inhabitat. Quartò, ſi cauſa gravis & improviſa cogat locatorem, ut ipſemet utatur re ſua, ut habetur L. *ade.* C. de locato; econtra obligationes conductoris ſunt ſequentes: prima, ut ſolvat penſionem tempore conſtituto. Secunda ut tranſacto tempore rem conductam integram reſtituat. Tertia ut non poſſit abſque juſta cauſa rem conductam dimittere ante tempus præfixum. Quarta, ut non utatur re ad alium uſum, quam locata ſit, & ſi in alio uſu periret, deberet reſtituere, cùm peccaret contra juſtitiam cum damno locatoris, niſi rationabiliter præſumeret, locatorem non diſſentire, tunc enim poſſet uti re conducta etiam ad alium uſum abſque onere reſtitutionis. Difficultas ergo potiſſimùm eſt, an etiam teneatur ſolvere penſionem, ſi prorſus nullum fructum acciperet ex re locata, ut eſſet in inſperata ſterilitate. His notatis:

4 Propoſitio 1. *Montes pietatis Reipublicæ ſunt utiles.* Ratio eſt, quia illis primò impediretur peccatum uſuræ. Secundò pecuniæ remanerent in patria. Tertiò incolæ pecuniâ affluentes haberent locum, ubi ſecurè & fructuosè eam poſſint collocare. Quartò homines tenuiores in omni eventu ad ſua negotia poſſent ſtatim habere pecuniam numeratam, idque mediocri detrimento. Quintò venditis pignoribus reſtitueretur illud, quod ſortem & detrimenta excedit, ubi tamen uſurarii totum pretium pignoris, etiamſi multo pluris valeat, ſibi reſervant.

5 Propoſitio 2. *Si in pacto Antichriſis vel commiſſorio non expreſsè diceretur, ut pignus deinde ſit pro vendito, ſed præcisè diceretur, ut ſit pro ſoluto, non propterea legitimaretur tale pactum, ſi ſubintelligeretur pro ſoluto per juſtum pretium;* Ratio eſt: quia ſic penitus eluderetur omnis lex irritans talia pacta, quia fortè nunquam ſolet aliis terminis fieri, quam ut pignus ſit creditori in ſolutum hoc eſt loco debiti, ſed ſemper poſſet intelligi pro juſto pretio: ergo ſic eluderetur lex prohibens talia pacta, quæ lex afferetur in aſſertionibus. Aliud autem eſt, ut pignus ſit pro vendito, quia tunc ſubintelligitur pro juſto pretio, ut eruitur ex Lege advert. 2. cit.

Propoſitio 3. *Si ſterilitas ſit modica, nihil eſt remittendum de penſione locationis, pariter nec ſi eſt contracta & non inſolita.* 6 Ratio eſt primi: non videtur æquum ob modicam ſterilitatem minui penſionem, cum hæc nec augeatur per modicam fertilitatem. Cæterum vero immodica ſterilitas dicitur illa quando vel nec ſemen ſparſum colligitur, vel quando tale à prudentum arbitrio judicatur; ſecluſo autem ſpeciali pacto ſterilitas, & fertilitas debet deſumi à tempore, quo fructus collecti jam ſunt recepti intra locum eis ſervandis deputari ſolitum, quia priusquam recipiuntur, manet moraliter, idem adhuc ſtatus fruendi re locata; hinc ante hoc tempus pereunt locatori, poſt illud conductori. Ratio ſecundi eſt: quia hoc ipſo, quod ſterilitas ſit conſueta etiam minuitur penſio, & conductor conſuetum periculum in ſe recipit.

Propoſitio 4. *Quando intra tempus ejusdem locationis alicui fundo tanta contingat fertilitas, quæ aliorum annorum ſive præcedentium ſive ſequentium ſterilitatem compenſet, penſio non eſt remittenda; imo ſi ob ſterilitatem eſſet quid remiſſum poſſet revocari ſubſequente ubertate.* 7 Ratio eſt: quia talis eſt mens juris & contrahentium, niſi aliud exprimatur. Dixi ejusdem locationis, non enim verum eſſet de compenſatione ſterilitatis per fertilitatem comparatione diverſorum contractuum, nam reſpectu talium ſterilitas & fertilitas ſe habent per accidens. Cæterum remiſſio penſionis nequit differri ſpe ſubſequentis ubertatis, ſed ſtatim pro anno ſterilitatis facienda eſt, licèt ſit revocabilis ſequente ubertate.

Propoſitio 5. *Locare domum meretricibus non eſt per ſe illicitum.* 8 Ratio eſt,. quia domus eſt per ſe indifferens, & non ex natura ſua ad peccatum inductiva; unde peccatum ſolum ex malitia abutentis præter intentionem locatoris contingit; imo locator nec indirectè præbet occaſionem peccandi, quia illa dicitur indirecta cooperatio, quando quis poteſt ſine ſuo incommodo, & tenetur abutentis peccatum evitare, quod non accidit in caſu propoſitionis, ſi adeſt juſta cauſa, uti in ſimili dicitur de petente mutuum ab uſurario parato ad uſuras; ut praxis & conſuetudo oſtendit. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Montes pietatis ſunt liciti.* 9 Eſt communis contra Cajetanum & Petrum Soto.

Pro-

Probatur 1. in Concilio Lateranenſi ſub Leone 10. Seſs. 10. Pontifex re maturè diſcuſſa approbat montes pietatis tanquam laudabiles & meritorios. Imò & Trident. Seſſ. 22. c. 11. inter pia loca numerat hos montes pietatis. Neque dicant Adverſarii, quoad hoc punctum non eſſe receptum Concilium; ſiquidem Concilium, quando aliquid definit, quod ad fidelium mores ſpectat, non pendet à receptione populi.

Probatur 2. id quod à monte pietatis ſupra ſortem accipitur non datur tanquam lucrum ex titulo mutui, ſed pro neceſſariis ſumptibus ad montis conſervationem & ſtipendiis miniſtrorum, quibus eſt obligatio cuilibet de communitate dandi mutuum, quoties petierit, pro quo neceſſe eſt ut ſemper habeant pecuniam paratam; ſed talis obligatio eſt titulus ſufficiens, ut in priori quæſtione dictum eſt: ergo. Tum quia ſolum aliquid accipitur pro labore & ſolicitudine, in cuſtodiendis pignoribus ſuſcepto in ſe periculo etiam ſub culpa levi, quam præſtare debent miniſtri.

Nec dicant Adverſarii, quod hæc cura pertineat aliunde ad creditorem, ideo non poterit aliquid exigere.

Contra hoc falſum eſt in jure, cum creditor habeat actionem pignoratitiam adverſus debitorem ad recuperandos omnes ſumptus tam neceſſarios quam utiles, quos fecit in conſervando pignore uti habetur L. 18. ff. de pignoratitia actione: ergo cum inter has expenſas ſint alimenta famulorum poterit aliquid accipi à dominis pignorum.

10 Objicies: miniſtri cuſtodientes pignora debent ſuſtentari ab eo, cujus eſt ſervare montem indemnem; ſed hoc eſt Reipublicæ: ergo nihil poteſt ab indigis mutuatariis exigi à Republica pro miniſtrorum ſuſtentatione.

Reſpondeo neg. min. nam pauperum eſt conſervare montem indemnem, cum ejus utilitas immediatè non ſpectet ad Rempublicam quæ montem erigit, ſed ad bonum indigentium ſubditorum, quibus etiam erit onus alendi miniſtros, & incumbet illis aliquid exigere pro impenſis miniſtrorum, ſicut à Republica conſtituuntur Ludimagiſtri & advocati & tamen debent ali à clientibus.

Dices: ſi privata perſona pietatis cauſa mutuaret pauperibus & pro ſuſtentatione miniſtrorum aliquid acciperet, committeret uſuram: ergo etiam mons pietatis committit.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia privatæ perſonæ non eſt licitum extruere montem pietatis, qui publica authoritate debet fieri, ideo in privata perſona eſſet palliata uſura, ſiquidem in ea non ſint juſti tituli recipiendi aliquid præter ſortem & pignus, ſicut in montibus pietatis publicis.

Dices: pignora ſunt valdè diverſa, aliqui enim majorem requirunt curam ut veſtes, quæ ſæpè debent purgari, & ſoli exponi &c. contra verò poculum argenteum ſimpliciter ſervatur in ciſta, & tamen æquè multum cogitur contribuere unus ſicut alter, ſed hæc eſt inæqualitas: ergo.

Contra diſt. min. eſt inæqualitas perſonæ privatæ ad privatam conc. Reipublicæ ad membra privata neg. min. nam talis inæqualitas à Republica non poteſt commodè obſervari, ideo cum mons ſit Reipublicæ valdè neceſſarius & ei moraliter ſit impoſſibile in tanta pignorum varietate ſervare exactam proportionem æſtimationis expenſarum, ſic Reſpublica ſupplet omnes defectus & condonat libenter, quidquid proportionis deeſt, ſicut fit, quando in hoſpitio ſimul plures compotant & æqualiter ſolvunt, licet unus poteſt, quam alter, quia ſinguli in hoc conſentiunt, & moraliter non poteſt ſervari proportio.

Dices: ſaltem mons pietatis non poteſt plus exigere ratione longioris temporis, quo non ſolvit mutuatarius, nam eſt uſura aliquid exigere præciſè ob dilationem ſolutionis; ſed hoc tamen practicatur in monte pietatis: ergo.

Contra neg. min. quia ſolum ideo plus exigit, quia toto illo tempore utique plus expenditur in ſtipendia miniſtrorum, quam tempore breviori.

Aſſero 2. *Pacta Antichreſeos & legis commiſſoria ſunt illicita & uſuraria*, eſt quoad primam partem juris Can. contra civile, quoad 2. vero partem & utriusque juris. 11

Probatur 1. pars primò. c. 6. de pignoribus dicit Innocentius III. *attendentes quod in talibus perceptio fructuum in ſolutione ſortis accedat, cùm ſecundum Canonicas ſanctiones fructus reſtitui, & in ſortem debeant computari.* Ideo etiam C. 1. & 2. de uſuris dicitur: *Fructus pignoris ſine uſura non cedere lucro creditoris, ſed imputandos eſſe in exonerationem ſortis.* ergo.

Probatur 2. quidquid creditor per pactum ex mutuo ſupra ſortem lucratur eſt uſura, ſed per pactum antichreſeos in mutuo fructus præciſè ex titulo mutui lucrantur ſupra ſortem: ergo. Excipitur tamen feudum, ex quo à Vaſallo ſibi oppignorato dominus lucratur fructus. Item res quæ marito oppignoratur pro dote uxoris, in qua maritus lucratur fructus, ratio primi videtur eſſe quod ſit hoc de natura feudi & Emphyteuſis, in quibus ſolum dominium utile tranſit in Vaſallum manente dominio directo penes dominum; per oppignorationem verò res tota revertitur ad dominum, ideóque convenientius eſt, ut ea potius domino quam alteri fructificet. Ratio vero ſecundi videtur eſſe, quia maritus ex re pro dote uxoris oppignorata lucratur ob compenſationem lucri ceſſantis, quod haberet, ſi dote ipſa potiretur.

Probatur 2. pars 1. de jure Can. extat. C. 7. de pignoribus, ubi dicitur: *cum igitur pa-* 12

ctum legis commiſſoria ſit in pignoribus improbatum - - - mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prædictum creditorem, ut ſorte contentus ſit, penſionibus pignoris computatis in eam, cenſurâ Eccleſiaſticâ cogatis: ergo jus Can. non reprobat, ſed potius ſupponit à jure civili reprobatum tale pactum. Hinc de jure civili exſtat lex fin. Cod. de pactis pignorum, quæ dicit: *Quoniam inter alias captiones præcipue commiſſoriæ pignorum legis creſcit aſperitas, placet infirmare eam, & impoſterum omnem ejus memoriam aboleri:* ergo.

Probatur 2. Uſura formalis ab utroque jure reprobatur; ſed per pactum legis commiſſoriæ palliatur uſura formalis; ergo. Min. probatur, per tale pactum adigitur mutuatarius ſupra ſortem ad ceſſionem ſui pignoris, quod ſine aliquo alio juſto titulo omnino eſt uſurarium & illicitum: ergo.

13 Objicies contra 1. partem. L. *ſi pactione* C. de uſuris. admittitur pactum Antichreſis propter incertum fructuum eventum, etiamſi fructus interdum excedat legitimum modum dandi ſupra ſortem: ergo.

Reſpondeo diſt. antec. admittitur ut licitum, neg. ut impunitum conc. antec. nam etiam jus civile generaliter uſuras permittit non tamen propterea ſunt licitæ in conſcientia, cum nequeat reddere licitum, quod jure divino & Canonico eſt prohibitum.

Dices: quod fit præcisè cauſa proximi juvandi non poteſt eſſe illicitum: ergo ſi pactum antichreſis eo ſolum titulo contrahatur, non erit illicitum.

Contra neg. antec. nam quod ex ſe malum eſt, nec poteſt cauſa proximi licere, alias etiam liceret mentiri, quando proximus à periculo gravi poſſet liberari mendacio, quod nemo dicit; imò quæ eſſet charitas proximi præcisè titulo mutui auferre proximo fructus pignoris.

Dices: illi fructus poſſent computari in vicem moleſtiæ, quam creditor ſubit in colendo fundo oppignorato non quidem ſimul, ſed per vices recuperando, quæ particularis ſolutio multa habet incommoda: ergo.

Contra neg. antec. quia contractus ab initio ſunt voluntatis, poſtea verò neceſſitatis, adeóque creditor ſibi debet imputare, quod cum jure non cogatur ad mutuandum hanc ſibi neceſſitatem injecerit ex fructibus rei pignorata ſortem ſuam cum moleſtia colligendi, & ab hac moleſtia potuit ſe liberare non recipiendo in ſe pignus, ſed hypothecæ nomine relinquendo debitori.

Dices: in tali caſu fructus non recipiuntur vi mutui, quia in hoc caſu ſors non poſſet revocari, quod eſt contra mutuum: ergo non eſt uſura.

Contra diſt. antec. non vi mutui nudi conc. non vi veſtiti pacto propter mutuationem præcedentem neg. antec. hinc cum creditor lucretur fructus pignoris vi pacti, qua ſupponentis mutuum, merito incidit in uſuram. Præterea nec obſtat mutuo, quod contrahatur ad incertum tempus & diem; adeóque nec obſtabit illa irrevocabilitas.

Objicies contra 2. partem: poteſt pignus obligari ut venditum, ut diximus advert. 2. ergo etiam ut ſolutum, ſi debitor ſtatuto tempore non ſolvit; conſeq. probatur, quando præter obligationem ſolvendi mutuum imponitur alia obligatio pignus vendendi non eſt uſura: ergo nec ſi imponitur obligatio dandi pignus pro ſoluto. 14

Reſpondeo neg. conſeq. cum proba: diſparitas eſt, quod in priori caſu non ſuperadditur obligatio obligationi abſoluta ſolvendi mutuum, ſed tantum conditionata & disjunctiva nempe vel ſolvendi mutuum, vel vendendi pignus datum in ſecuritatem ſortis, de quo non poteſt conqueri mutuatarius, ſicut in obligatione ut manere debeat totum pignus. Obſervandum tamen etiam eſt in caſu venditionis, ſi alium emptorem haberet, qui plus vellet ſolvere pro pignore, quàm creditor, quod non teneretur vendere creditori, ſed poſſet alteri vendere & ex pretio ſolvere debitum, reſiduum ſibi reſervando; nam ſic jam ſatisfaceret debito ſuo disjunctivo, ut de ſe patet.

Aſſero 3. *Quando ſterilitas aut impedimentum ab caſum fortuitum eſt tanti momenti, ut nullus fructus aut uſus ex re conducta abſque culpa conductoris haberi poſſit penſio tota eſt remittenda à locatore: quando vero ſterilitas eſt ſolum notabilis minuenda erit penſio pro rata ſupervenientis ſterilitatis, aut impedimenti, niſi aliter conventum fuerit.* Eſt Gomez & Molinæ contra Pinellum & Hunnium. 15

Probatur utraque pars 1. Jus Can. c. 3. de locato dicit: *propter ſterilitatem aſſicientem magna incommodo conductores vitio rei ſine culpa coloni, ſed caſu fortuito contingentem colonis Eccleſia tua pro rata penſionis remiſſio eſt facienda; niſi cum ubertate præcedentis vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari.* Jus civile L. 15. ff. *de locata* dicit: *Si vis tempeſtatis calamitoſa contigerit, an locator conductori aliquid præſtare debeat, videamus; Servius, omnem vim, cui reſiſti non poteſt, dominum colono præſtare debere ait, ut puta fluminum ſturnorum, locuſtarum & quid ſimile acciderit, aut incurſus hoſtium fiat: ſiqua tamen vitia ex ipſa re oriantur, veluti ſi vinum coacuerit, herbis ſegetes corrupta ſint, hæc damna coloni eſſe. Sed etſi labes facta ſit inſueta, ſi exercitus præteriens abſtulerit, ſi terra motu terra corruerit, omnémque fructum tulerit damnum coloni non eſſe, oportet enim agrum præſtare conductori, ut frui poſſit.* hoc idem ſtatuitur L. 8. C. *de locata.*

Pro-

Probatur 2. Quando conductor re conducta, uti non potuit poſito impedimento v. g. tempore peſtis, aut belli, aut quando nullos fructus percipere potuit tempore ſterilitatis, non cenſetur ſe obligâſſe ad penſionem: ergo ei eſt remittenda tota penſio; antec. probatur: tunc cenſetur ſe obligâſſe, quando potuit ſperare fructum vel uſum; ſed tempore omnimodæ ſterilitatis v. g. per grandines non potuit ſperare fructum aut uſum: ergo; hinc eadem eſt ratio & intentio contrahentium, ſi ſterilitas non eſt omnimoda, bene tamen notabilis & inſolita; nam poſtulat æquitas naturalis, ut ſcilicet proportionaliter pro rata fiat. Dictum tamen eſt, niſi aliter conventum fuerit, tunc enim non locatur non tenetur remittere, qûia conductor ceſſit juri ſuo.

16 Objicies: L. *fiſtulas* ff. de contrahenda emptione. dicitur: *Si nives immoderata fuerunt & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit:* ergo non eſt remittenda penſio.

Reſpondeo neg. conſeq. nam dicunt aliqui in illo textu eſſe omiſſam particulam non, & legi debere, agi tecum non poterit; ſed de hoc ſit quidquid ſit, dico: textum loqui de notabili damno, in quo agi poterit coram judice, ut æqua proportio ſervetur & ſtatuatur ejus arbitrio remittenda, non vero ut ſimpliciter tota penſio poſſit peti, & nihil remitti.

Dices: propter ſupervenientem immodicam ubertatem fructuum non eſt augenda penſio: ergo neque ob immodicam ſterilitatem remittenda aut minuenda.

Contra negant aliqui antec. ob paritatem rationis, ſi talis fertilitas non ex induſtria conductoris vel bonitate rei provenit. Sed conc. antec. neg. conſeq. quia major eſt ratio pro ſterilitate quam fertilitate, quod jus ita ſtatuerit L. 25. ff. de locato, nam immodica ſterilitas frequentius accidit quam immodica fertilitas & ex pluribus cauſis poteſt timeri immodica ſterilitas quam ſperari immodica fertilitas, ideo ad illam ſuſtinendam non tam facilè ſe obligant quam ad hanc percipiendam. Tum quia ſterilitas intolerabile damnum conductori inferebat; lucrum verò ingens nulli nocet, cum non ideo locator quidquam perderet penſionis ſibi promiſſæ, ideo lex voluit miſero conductori ſubvenire & non locatori, cum non ſit neceſſe, ut plus lucraretur quàm ipſemet ſua ſorte contentus lucrari voluerat.

Dices: ſi fructus periculis ordinariis pereant, non eſt minuenda penſio: ergo nec in ſterilitate integra.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia quando res eſt ſita in loco ordinariis tempeſtatibus expoſito, caſus eſt ordinarius, unde minori penſione conduci ſolet, in caſu autem extraordinariæ ſterilitatis nihil cogitatur de ea ſuſtinenda; hinc in primo caſu videtur tacita conventio, ut ſit periculum penes colonum, non vero in caſu ſecundo.

Dices: res perit domino ſuo; ſed conductor eſt dominus fructuum ergo huic pereunt.

Contra diſt. min. eſt dominus fructuum collectorum conc. pendentium vel in area locatoris exiſtentium neg. min. ſic enim adhuc locator eſt dominus illorum cum ſit pars fundi, & conſequenter ipſe damnum ferre, nam non videntur plane percepti fructus, etſi à terra ſint ſeparati, niſi in horreum vel alium locum conductoris eſſent conjecti, eo quod tunc ſolum plenus uſus contingat conductori, ut deinde debeat manere superveniens damnum rei tanquam ſuæ.

Dices: damnum illud non eſt reſarciendum ab alio, quod ex natura accidit; ſed ſterilitas inſolita poteſt accidere ex natura: ergo. Maj. patet; quia damnum ab illo ſolo debet reſarciri, qui eſt cauſa damni, atqui natura poteſt ſterilitatem reſarcire annis ſequentibus: ergo.

Contra diſt. maj. damnum intrinſecum conc. extrinſecum neg. maj. ad probam reſpondeo per propoſitionem 4 & præterea ſaltem locator eſſet cauſa mediata damni conductoris per ſuum contractum.

QUÆSTIO III.

An contractus cenſualis & cambium cum lucro poſſint licitè fieri?

ADvertendum eſt primò: cenſum hic accipi pro jure annuos reditus vel penſionem ex re, vel induſtria aliena provenientes percipiendi v. g. conſtituit quis alteri jus percipiendi annuos reditus ex ſuo fundo 1
manente ſibi tam quoad dominium utile, quam directum, per quod ab Emphyteuſi differt; qui habet tale jus vocatur cenſualiſta ſeu creditor; debens verò penſionem, cenſuarius ſeu debitor, qui in hoc contractu eſt venditor, quia vendit cenſualiſtæ jus exigendi annuam penſionem; jus vero cenſualiſtæ dicitur cenſus activus, obligatio vero cenſuarii cenſus paſſivus; ideóque contractus cenſualis eſt emptio, qua ejuſmodi jus comparatur, & dividitur in perſonalem & realem, realis eſt, qui fundatur ſupra certa re, ipſámque rem ad quemcunque poſſeſſorem devenerit, committatur, v. g. ſi emas à Titio jus percipiendi fructus, quos ipſe ex prædio percepit. Perſonalis vero eſt, qui fundatur ſupra certa perſona, vel fructibus ex talis perſonæ induſtria provenientibus. Præterea dividitur in cenſum perpetuum & temporalem, temporalis eſt qui ad certum tempus conſtituitur, perpetuus cui nullum redimendi pactum adjicitur, nam poſſet adjici pactum redimendi cenſum vel ex ſola parte venditoris, ut venditori liceat reſtituto pretio cenſum redimere,

mere,

mere, & ſe ab obligatione liberare, vel etiam ex parte emptoris, ut ei liceat reſignato cenſu pretium repetere, & vocatur cenſus utrinque redimibilis; ideo dividitur in redimibilem & irredimibilem, hic eſt ſi nullum pactum de redimendo adjicitur.

2 Advert. eſt 2. ad contractum cenſus, de jure naturæ quasdam deſiderari conditiones, quarum prima eſt, ut ſit intentio vendendi & emendi; nam tota vis contractuum pendet ab intentione contrahentium. Secunda ut adſit juſtum pretium inter cenſum & pretium, quia res tanti debet emi, quanti conſtat. Tertia ut conſtituens cenſum ſuper re aliqua liberam habeat illius rei diſponendæ facultatem, quia nemo poteſt alteri tradere, quod non habet. Quarta, ut cenſus fundetur ſuper re fructifera, & non ſterili; hinc in tritico, vino &c. quæ uſu conſumuntur, non poteſt in rigore conſtitui cenſus, bene tamen in pecunia ſi hæc negotiatione eſt fructifera; & de his conditionibus in præſenti quæſtione diſcurremus; nam aliæ conditiones, quas extravagans Pii V. & aliorum Pontificum requirunt, & non ſunt de jure naturali & divino, non ſunt receptæ in Germania, ut obſervat Laymann & Leſſius. Ideo hic non eſt opus contractum cenſualem juxta illas celebrare, ſed ſufficit ſi juxta legem locorum & conſuetudinem celebretur, dummodo illa conſuetudo juri naturali & divino non adverſetur; & potiſſimum erit quæſtio, de cenſu perſonali, cujus penſiones ſimul ſumptæ excedunt pretium ſolutum; nam ſi omnes penſiones ſimul ſumptæ non excedunt pretium ſolutum, non eſt difficultas, tunc enim non ſolum non eſt injuſtitia, ſed potius beneficium ab emptore exhibitum. Præterea etiam hic conſiderari debent omnes tituli, qui mutuum excuſant ab uſura nam etiam ii cenſum poterunt excuſare.

3 Advertend. eſt 3. Cambire vel campſare veteribus idem ſignificâſſe, quod permutare; hodie autem ſignificat permutationem pecuniæ pro pecunia, ubi, qui rogatur, ut permutet, campſor, numularius, menſarius, bongarius, cabiliſta dicitur, qui verò rogat, campſarius dicitur. Cambium præcipuè dividitur in manuale, ſeu minutum, & in locale: manuale eſt, in quo pecunia unius formæ, vel materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, vel materiæ v. g. argentea pro aurea, imperiales pro coronatis &c. cambium locale eſt, quando præſens pecunia permutatur pro diſtante in alio loco, quod plerumque fit per litteras, & quidem dupliciter, vel ut campſor prius à campſario accipiat pecuniam alibi reſtituendam, vel ut ipſe det alibi à campſario ſolvendam, periculum autem literarum cambii eſt campſoris, & in hoc ſenſu gerit perſonam mutuantis; diſtinguitur autem cambium à mutuo, quia in mutuo non numeratur pecunia, ut ſtatim ejus loco alia ſubſtituatur, ſed ut mutuatarius ejus dominium & uſum recipiat cum obligatione aliam ejusdem bonitatis reſtituendi intercedente certo tempore inter traditionem & repetitionem; diſtinguitur ab emptione & venditione, quia in his datur pecunia pro merce, nec ſtatim transfertur dominium; in cambio verò datur pecunia pro pecunia, & ſtatim transfertur dominium diſtinguitur à contractu depoſiti, tum quia hoc non fit in ſolis pecuniis; tum quia per hunc non transfertur dominium. His ergo notatis:

Propoſitio 1. *Cenſus perſonalis taliter non* 4
eſt licitus, ut caſu quo nec penſiones ſolvantur, nec debitor habeat ulla bona poſſit hic à creditore in ſervum proprium redigi. Ratio eſt ex L. 12. C. *de obligationibus & actionibus.* An autem hoc jure naturæ vel ſolò poſitivò ſit illicitum, dependet à communiori ſententia, quòd non jure naturæ, dummodo aliunde æqualitas ſervetur inter datum & acceptum, ſi enim jure naturæ homo liber poſſit licitè emi, cur non etiam ob debitum pecuniarium in ſervum redigi.

Propoſitio 2. *Ad cenſum realem venden-* 5
dum eſt neceſſarium, ut res ſit exiſtens & fructifera. Ratio eſt, quia aliàs eſſet palliatio uſuræ, quia eſſet venditio penſionum ſine jure ad illas penſiones; hinc quando res fructifera non fert tot fructus, quot penſio exigit, aut quando aliis jam cenſibus eſt adeò oneroſa, ut ampliùs non ſufficiat ferendo fructua novo cenſui conſtituendo cenſus non poteſt eſſe juſtus; unde ſicut venditor cenſûs perſonalis tenetur fructus illos annuos perficere, ne fraudet emptorem, & emptor debet cognoſcere, an perſona cenſualis ſit idonea ad annuas penſiones ſua opera lucrandas, ſecus nihil juris ad annuos fructus in perſona incapaci emeretur, ſed illæ penſiones annuæ eſſent injuſtæ, ita pariter de cenſu reali dicendum erit.

Propoſitio 3. *Pretium cambii debet cre-* 6
ſcere, & decreſcere. Ratio eſt; quia pretium in cambio conſideratur inſtar mercis, cujus juxta variationem circumſtantiarum creſcit & decreſcit, ſic itaque etiam in cambio ex majori abundantia vel inopia pecuniarum apud campſores ratione majoris vel minoris lucri ceſſantis à campſoribus plùs minùsque exigi poterit. Ex hoc juſtificatur cambium Francofurtenſe ſeu ad nundinas Francofurtenſes, nam ſi Antverpiæ campſor numerat pecuniam, ut recipiat Francofurti, ſic pro floreno Germanico quinto menſe ante nundinas, qui valet 80 groſſis Flandricis, dat 73. groſſos, ſi tertio menſe dat 75. ſi ultimo menſe dat 77. quia ratione majoris lucri ceſſantis plus & ratione minoris lucri ceſſantis minus dare ſolent campſores Belgici, quo enim longiùs abſunt nundinæ, eo campſores minus dant & plures recipiunt, econ-

econtra verò quò propinquiores ſunt, plus dant & minus lucrantur. His poſitis:

7 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Emptio censûs realis per ſe loquendo eſt jure naturæ licita, non tamen censûs perſonalis præciſo omni alio titulo.* Prima pars eſt Lugonis & aliorum contra Henriquum; ſecunda pars Molinæ contra Palao.

Probatur 1. pars primò. Licitè per ſe loquendo emitur in ra fructifera jus quoddam reale ad certos fructus annuos percipiendos, cùm licitum ſit emere uſumfructum, perpetuam ſervitutem itineris vel ſtillicidii &c. pretio determinato, licèt fructus ex re fructifera vel utilitas ex re ſerviente percipiendi ſint perpetui: ergo etiam licitum eſt emere rem fructiferam cum pleno jure certo pretio, licèt fructus vel penſiones ex illa percipiendæ ſint perpetuæ, cùm hæc bona & jura ſint ad utilitates perpetuas, non tamen ſimul exiſtentes, ſed ſucceſſivè extituras & ſperandas; quia tamen quà tales per ſe loquendo pluribus ſunt affectæ periculis communiter à prudentibus jus præſens ad illas determinato ſolùm pretio æſtimatur quodam minori.

Probatur 2. juxta Adverſarios cenſus jam conſtitutus licitè emitur determinato pretio, licèt ſit ad percipiendos fructus vel penſiones perpetuas: ergo etiam licitè emetur dum primùm conſtituitur determinato pretio, licèt ſit ad percipiendos fructus ſive penſiones perpetuas; quia non pluris valent cenſus primùm conſtituendi, quàm conſtituti.

8 Probatur 2. pars: qui emeret v.g. 150. florenos ſucceſſivè ſolvendos non tamen plùs daret, quàm centum, ita ut per 30. annos ſingulis annis ſint ſolvendi 5. ſi omnis alius titulus abſit eſt uſura, ſicut in mutuo & tantùm palliaretur nomine emptionis vel censûs, cùm non ſit æqualitas inter pretium & rem acceptam; ſed emens cenſum merè perſonalem emit ipſas penſiones ſucceſſivè ſolvendas per modum unius cumuli conſideratas: ergo ſi iſte cumulus excedit pretium eſt inæqualitas & uſura. Min. probatur: emere jus ad accipiendum equum eſt formaliſſimè idem ac emere ipſum equum, ut dicunt omnes; ſed emens cenſum perſonalem emit jus ad penſiones, & nullum jus reale: ergo formaliſſimè emit ipſas penſiones, quæ ſimul in unum computatæ, & tandem ſolutæ excedent pretium.

9 Objicies contra 1. partem: ille contractus eſt injuſtus, per quem ponitur inæqualitas inter datum & acceptum; ſed in emptione censûs realis committitur talis inæqualitas: ergo. Min. probatur, qui centum florenis emit annuum cenſum 5. florenorum poſt triginta annos multò plus recipit, quàm dedit, præſertim ſi cenſus ſit perpetuus, quia 20. annis ſucceſſivè accepit totam ſortem, quam dedit, & reliquum eſſet de lucro.

Reſpondeo hoc idem argumentum eſſe ſolvendum Adverſariis de venditione uſusfructûs & aliarum rerum frugiferarum, nam etiam qui ex uſufructu quotannis percepto ſucceſſivè percepiſſet, quanti ipſum prædium æſtimatur, ſi fructus collectivè ſumantur, non poſſet ſalva conſcientia ejuſmodi fructum emere vel continuare, & qui emit agrum poſt aliquot annos ex fructibus, ex eo perceptis recuperat totum pretium pro illo ſolutum & præterea manet illi integer, ex quo plures fructus percipere, non poſſet nec vendere eodem pretio, quo ipſe emit, quod nullus dicit. In forma ergo neg. min. ad probam etiam neg. antec. vel potiùs ſuppoſitum, quòd ematur fructus aut pecunia cenſualis, id enim quod emitur, eſt jus ad percipiendos annuatim fructus aut pecunias cenſuales, quod imprudentum æſtimatione longè minoris habetur, quàm fructus, vel pecuniæ iſtæ præſentes & ſimul ſumptæ neque fructus in ſpe tanti ſunt æſtimabiles, quanti ſunt fructus in re, cum illi ſoleant variis periculis eſſe ſubjecti; hinc falſum eſt, quòd cenſualiſta poſt 20. annos tantum recipiat, quantum dedit, non enim emit ſuum capitale, ſed jus ſucceſſivè fructus annuos percipiendi.

10 Dices: Contractus ille eſt uſurarius, qui pro mutuo dat aliquid ſupra ſortem; ſed talis eſt cenſus realis: ergo. Min. probatur, qui 100. aureis emit jus ex eis ſingulis annis accipiendi 10. intra annos undecim accipit totam ſortem & ultra illam 10. aureos: ergo quaſi ex mutuo aliquid ſupra ſortem accipit.

Contra neg. min. & ejus probam, quia qui ex jure empto quotannis accipit 10. illos non accipit ex mutuo, ſed ex jure ipſo empto, ſicut qui ex vinea empta cum pacto de retrovendendo accipit fructus, non accipit illos ex mutuo ſed ex re empta, proinde non tenetur tempore redemptionis fructus perceptos reſtituere, ita etiam qui ex jure empto quotannis certam accipit penſionem, illam non accipit ex mutuo, ſed ex jure empto; inter quod & mutuum hoc intereſt, quòd in mutuo maneat in ipſo mutuante poteſtas repetendi vel ad certum tempus, vel quando ſibi placuerit rem mutuatam, & pereat mutuatario; in emptione verò nec manet in emptore poteſtas repetendi pretium pro re empta ſolutum, niſi quando eſt cum pacto de retrovendendo in favorem emptoris, nec ea pereunte ex natura rei perit venditori ſed emptori: & ſimile eſt in emptione censûs, nam non manet regulariter in cenſualiſta poteſtas repetendi pretium pro cenſu ſed potiùs in cenſuario cen- 11
ſum redimendi, ſi eſt redimibilis, & pereunte re cenſita, cenſus ipſi perit non venditori, qui re perempta pecuniam pro cenſu acceptam non tenetur reſtituere.

10 Objicies contra ſecundam partem: poteſt emi cenſus realis: ergo etiam perſonalis: conſequentia probatur, nihil refert rem aut perſonam obligari ad annuas penſiones: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quòd in cenſu reali ematur quoddam jus reale præſens diſtinctum à fructibus ſeu penſionibus annuis quod pro tempore contractus determinato pretio æſtimatur; ſecus eſt in cenſu merè perſonali, quo emuntur penſiones iſtæ futuræ, quæ debent tanti æſtimari, quanti ſunt abſtrahendo ab aliis titulis, hinc etiam patet diſpar ratio ad probam.

Dices: ideo cenſus realis licitè emitur, quia emitur jus in re fructifera ad percipiendos ex illa fructus: ergo etiam cenſus perſonalis ideo licitè emetur, quia emitur jus in perſona ad fructus ex illa percipiendos, quos ſua arte ferre poteſt.

Contra neg. ſuppoſitum conſequentis, quòd conſtituatur in perſona jus ad illius operas; Tum quia contrahentes in illo contractu nihilominùs intendunt, quàm vendere vel emere operas. Tum quia cenſuarius eſt frequenter perſona infructifera. Tum quia pretium operarum eſt variabile juxta varietatem perſonarum conductarum, nam pluris æſtimantur operæ perſonæ nobilis quàm ignobilis, doctoris quàm mercenarii, proinde etiam cenſus deberet eſſe variabilis, quod tamen non fit.

Dices: Poteſt alicui conferri jus perſonale ad annuas penſiones donatione aut ultima voluntate: ergo etiam conventione venditoria.

Contra diſt. conſeq. ſervata æqualitate conc. non ſervata neg. conſequentiam; ultimata tandem diſparitas eſt, quòd venditio ſive alius contractus oneroſus verſetur inter duos terminos dati & accepti, inter quos eſt æqualitas attendenda, ſecus autem eſt de ultima voluntate aut donatione, ut de ſe patet, cæterùm quæ hic negavimus, procedunt ſolùm de cenſu temporali ad certum tempus, non autem ad incertum tempus v. g. ad vitam emptoris vel venditoris, quia emptio cenſuum ad tempus incertum, quod æquè facile poteſt afferre damnum vel lucrum emptori, eſt expoſita fortunæ, ſicut luſus aut jactus retis, ſed talis ſpes mixta cum periculo poteſt certo pretio æſtimari: ergo valebit talis emptio cenſûs perſonalis, nec talis contractus præberet periculum propinquum inſidiandi vitæ alteriùs, aliàs nec valerent ultimæ voluntates favorabiles, quæ innotuerunt illi, in cujus favorem fiunt.

11 Aſſero 2. *In utroque cambio ſcilicet manuali & locali non committitur uſura, quando accipitur moderatum lucrum.* Eſt communis contra Medinam & Sotum non quidem aſſertionem abſolutè negantes, ſed aliquos titulos criticantes.

Probatur: Tum quia uſura ſolùm committitur in mutuo formali & virtuali, ſed cambium manens intra terminos cambii non eſt mutuum formale aut virtuale, ut patet advertent. 3. ergo. Tum quia non committitur injuſtitia quando aliquod pretium proportionatum accipitur ob titulum pretio æſtimabilem; ſed in utroque cambio accipitur lucrum per modum pretii ob titulum pretio æſtimabilem: ergo. Min. patet primò. In manuali accipitur ob onus, quod campſor habet in cambiendo, & paratam habendo meliorem monetam ubique valentem. Secundò ob puritatem & bonitatem monetæ. Tertiò ob lucrum ceſſans, quod poterat habere campſor argenteam vel auream monetam aliorſum deferendo. In locali accipitur primò ob virtualem tranſlationem pecuniæ in alium locum, quâ camſarius liberatur ab expenſis in tabellarios faciendis, & à periculis & moleſtiis pecunias transferendi. Secundò ob periculum & onus aſſecurationis, quod campſor in ſe ſuſcipit, cum efficiatur dominus pecuniæ ad cambium datæ. Tertiò ob majorem æſtimationem pecuniæ præſentis quàm abſentis ſecundùm locum. Quartò ob onus cambiendi, congregandi, numerandi pecunias & expenſas faciendi pro ſcribis.

Objicies cum Medina: quando Princeps taxat valorem monetæ debet omnes commoditates reſpicere & taxare: ergo campſor ob quaſdam qualitates, ut eſſet pecuniæ raritas & antiquitas &c. illicitè aliquid acciperet ultra pretium principii lege taxatum niſi violando legem Principis. 12

Reſpondeo diſt. maj. quoad rationem uſûs primarii propter quem moneta eſt introducta, ut ſcilicet ſit pretium rerum venalium conc. quoad rationem uſûs ſecundarii neg. antec. ſic enim ſi pecuniæ præter uſum primarium habent alias commoditates, Princeps non prohibet, quin propter eas poſſit aliquod lucrum accipi, ſicut ſi aliquod vinum præter communem uſum habet virtutem medendi, non prohibetur, quin cariùs poſſit vendi ultra taxatum pretium, nec Princeps poteſt omnes commoditates in particulari cognoſcere, dum taxat monetas; unde licèt Princeps taxet v. g. ducatum ut æquivaleat duobus imperialibus, & tamen ſi creditori commodum eſſet ſolvi in ducatis ob majorem facilitatem transportandi, nihil obſtat, quò minùs poſſet debitor 1000. imperialium ſolvendo in auro pauciores ducatos quàm 500. ſolvere.

Dices: quæ valore ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed 10. imperiales in auro & 10. in argento æquivalent in valore uni tertio v. g. certæ cuidam menſuræ vini pro 10. imperialibus vendibili ergo 10. imperiales in argento & auro æquivalent inter ſe.

Contra diſt. maj. & min. ſunt æqualia inter ſe & in ea ratione, quâ ſunt æqualia tertio nempe

nempe in ratione pretii præcisè conſiderata ratione formalis monetæ & valoris conc. in alia ratione v. g. mercis ſecundùm naturalem & materialem conſtitutionem conſideratâ prout ſubeſt commoditatibus particularibus neg. min. vel aliter diſtinguo min. ſunt eadem in ordine emptionis conc. permutationis neg. min. nam in contractu emptionis attenditur ſolùm æqualitas inter mercem & pretium, in permutatione autem attenditur præſtantia monetæ & aliæ commoditates.

Dices: non minores commoditates habet parva pecunia quàm major: ergo ſi propter utilitates hæc pluris vendi poteſt, etiam illa propter ſuas commoditates poterit pluris dari, & ſic commoditates unius commoditatibus alterius compenſantur. Antec. verò patet, quia moneta parva eſt magìs neceſſaria & utilia pro quotidianis uſibus quàm major.

Contra diſt. antec. quoad rationem monetæ præcisè conc. hic & nunc quoad cæteras circumſtantias neg. antec. ſic pro imperiali in ſpecie nunc continente 40. groſſos licitum eſt accipere 41. & hoc ob varias commoditates, quas imperialis habet ultra groſſos ob puritatem materiæ, univerſaliorem valorem, facilitatem aſportandi &c.

Dices: ergo ſi hic Græcii duo eſſent, quorum alter habet pecuniam Segetini, eámque vellet habere hic & alter haberet pecuniam hic Græcii, quam vellet habere Segetini, poſſet ſolvere pecuniam ei, qui illam habet Segetini, eámque vellet habere hic Græcii, & ſimul ab eo pretium Cambii accipere; ſed hoc videtur abſurdum, quia æquè ei beneficium præſtatur.

Contra conc. ſequelam, nego abſurditatem, nam talia non accipit lucrum ex beneficio ſuo; ſed ex beneficio alterius, quia qui pecuniam ſuam habet Segetini, cámque cupit habere Græcii, re ipſa percipit beneficium translationis pecuniæ Segetinô Græcium, unde tutè poterit accipere juſtum pretium, ſicut ſi quis vellet juſto ſtipendio equum ſuum remittere domino, & alter indigeret equo, quem alioquin ſi talem occaſionem non acquiſiviſſet, pecunia ſibi conduxiſſet, poſſet talem equum reducere & ſimul pro reductione ſtipendium accipere, eò quòd non obſtante beneficio, quô fruitur equum reducens dominus equi habet commodum, quod juſtô ſtipendiô intendebat, quod totum tribuitur bonæ ejus fortunæ mediante qua cum lucro ſuo negotia peragit.

Dices: cum Soto ſaltem Campſor non poteſt lucrari ratione majoris valoris pecuniæ, ſi ſemel lucratur ratione trajectionis: ergo. Antec. probatur. Si tuis pecuniis trajicis pecuniam tuam ad locum, ubi plùs valet, ille major valor debet tibi accreſcere & non trajicienti Campſori: ergo. Antec. probatur. Sicut ſi Bajulus mercede conductus tuam pecuniam illuc deferret, nihil utique exigere poteſt ultra mercedem propter majorem valorem, quem in illo loco pecunia eſt habitura.

Contra neg. antec. ad probam neg. antec. ad hujus probam dico paritatem nimiùm probare, nam probaret etiam, quòd quando pecunia trajicienda minùs valet in loco, ad quem transfertur, quàm in loco ubi campſori ſolvitur, non minùs lucrum deberetur campſori, quam ſi eundem utrobique valorem haberet, quod eſt contra omnes, hoc autem patet à paritate bajuli, qui etiam in tali caſu eandem mercedem exiget, ſive pecunia habeat ibi æqualem ſive minorem valorem; interim tamen diſparitas eſt, quia campſor non ſolùm trajicit, ſed etiam aſſecurat pecuniam ſolvendam in termino; certum autem eſt aſſecurationem tantò plùs valere, quò plùs valet res aſſecurata, vel cum majori diſpendio aſſecurantis eſt ſolvenda. Cæterùm tamen in hoc caſu pro campſore hoc eſſet conſilium, ut faceret ſimpliciter cambium pecuniæ pro pecunia, exigendo illum majorem valorem & non utatur titulo trajectionis.

QUÆSTIO IV.

De reliquis contractibus uſura expoſitis, ut de olla fortunæ, mohatra, monopoliis, negotiatione, ſocietate, commodato, depoſito, precario, ludo, ſponſione, & aliis contractibus ſubſidiariis, ut pignore & hypotheca, fidejuſſione & aſſecuratione.

QUæres 1. *Quid ſit, & an licita olla fortunæ?* 1

Reſpondeo 1. *Ollam fortunæ eſſe contractum, quo quis paucis crucigeris extrahit ſchedam ſignatam valore 100. florenis, alius verò pro 20. florenis ſchedas merè vacuas.*

Reſpondeo 2. *Poſſe vacare omni uſura & iniquitate.* Ratio eſt; quia in olla fortunæ non eſt mutuum, in quo ſolo reperitur uſura; & præterea contractus venditionis, quô pecunia datur in pretium ſpei rei recipiendæ, caret iniquitate; ſed ita ſe habet olla fortunæ, cùm in illa ſimiliter impoſitione pretii ematur ſpes rei extrahendæ: ergo. Interim tamen propter quàm plurima pericula fraudum & deceptionum ac Reipublicæ damna quæ intervenire poſſent olla fortunæ à Magiſtratibus ratò ſunt concedendæ & cautè.

Quæres 2. *Quid ſit mohatra, & quomodo licita?* 2

Reſpondeo 1. *Eſt contractus venditionis cum pacto emptionis reciproca* v. g. quidam indigens pecuniis non invenit, qui daret mutuò, acce-

accedit mercatorem, & ab ipſo emit merces ad creditum ſummo pretio v.g. 100. non indigens mercibus ad ſuum uſum, ſed illas eidem mercatori ſtatim iterum vendit pretio infimo v.g. 80. ut ab ipſo præſentem pecuniam pro ſublevanda ſua neceſſitate obtineat pactum retrovenditionis adjecit, quod ab Hiſpanis dicitur mohatra.

Reſpondeo 2. *Talem contractum non eſſe licitum ſed eſſe uſurarium.* Ratio eſt; quia includitur lucrum virtuale, ut nempe ex illo lucrum virtuale accipiatur in redditione minoris pretii præſentis pro majori pretio in prima venditione creditò facta, quod eſt uſura virtualis; ideo Innocentius II. hanc damnavit propoſitionem: *contractus mohatra eſt licitus etiam reſpectu ejusdem perſona, & cum contractu retrovenditionis praviè inito cum intentione lucri.*

3 Quæres 3. *Quid ſit monopolium, & an licitum?*

Reſpondeo primò. *Monopolium dici, dum unus vel pauci ſibi ſolis vendicant jus vendendi certas merces, ita ut omnes alii ab ipſis pretio, quo ipſi voluerint, emere cogantur.* Contingit autem 4. ferè modis: primò authoritate publica, cum Princeps uni vel pluribus tribuit privilegium, ut ipſi poſtea ſolis liceat certum genus mercium vendere & advehere. Secundò ut illi comparent omnes merces viliori pretio, ut poſtea vendant ſummo pretio, unde caritas rerum in Republica inducitur. Tertiò dum mercatores inter ſe conveniunt de mercibus vendendis determinato pretio & non alio. Quartò dum quis ut ſuas merces cariùs vendat, impedit ne alii merces ad eum locum deferant.

Reſpondeo 2. *Monopolium primi modi eſſe licitum, ſi ex juſta cauſa conceditur à Principe & monopola juſtum pretium taxatur, præſertim in rebus neceſſariis ut carne, vino &c. in non neceſſariis tamen ut chartifoliorum, Tabaca &c. non videtur neceſſaria taxatio pretii;* nec obſtat in his monopoliis ſubditos ſentire aliquod onus; nam etiam ex juſta cauſa & ſuadentibus neceſſitatibus, in debitis circumſtantiis poteſt princeps contributiones imponere, cur non & monopolia cum aliquo ſubditorum onere conſtituere? *in ſecundi & tertii modi monopolio toties committitur injuſtitia, quoties homines adiguntur ad merces emendas ſupra juſtum & ſummum pretium, quô juxta communem & prudentem æſtimationem competeret emere ſine monopolio.* Si verò non adigantur ultra juſtum pretium, tunc peccatum erit tantùm contra charitatem & miſericordiam, in quantum egentes privantur libertate merces viliori pretio comparandi. *In quarti tandem modi monopolio committitur peccatum injuſtitiæ, quandocunque alii vi vel fraude impediuntur, ne merces ſuas poſſint invehere.* Si verò abſque vi vel fraude ſolùm ſuaſione hoc faciunt, erit tantùm peccatum contra charitatem.

Quæres 4. *Quid ſit negotiatio, & an licita?* 4

Reſpondeo 1. *Negotiationem eſſe merces eô animô comparare, ut iis poſtea cariùs venditis lucrum capiatur;* ſeu ut Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *ſequitur de commutatione*, dicit: *quando quis emit, non ut utatur, ſed ut vendat & hoc cariùs;* ſi ergo per accidens fiat, ut res ad proprium uſum empta, poſtea oblata occaſione cariùs vendatur, non eſt negotiatio, ſed œconomia; eſt autem duplex negotiatio, una propria, quâ res empta, ut vinum &c. in ſe immutata, cariùs poſtea venditur quæſtûs gratia. Altera impropria, dum res empta & melior effecta poſtea cariùs venditur, ut ſi ex lana conficiantur panni, ſi pecora ſaginata vendantur &c.

Reſpondeo 2. *Utraſque negotiationes, ſi intra limites juſtitiæ exercentur eſſe licitas:* Ratio eſt; quia res infimo pretio empta poteſt vendi ſummo, uti dicemus diſt. ſequenti de emptione & venditione debent tamen ordinatè fieri, cum aliàs negotiatores ſint expoſiti multis periculis peccandi per fraudes vel nimium lucri affectum, vel negligentiæ circa propriam ſalutem juxta Eccleſiaſticum c. 26. & ideo etiam prohibentur Clericis & religioſis c. fin. de vita & honeſtate Clericorum; hinc docet Scotus cit. requiritur, quòd talis commutatio ſit utilis Reipublicæ, & quòd talis juxta diligentiam ſuam & prudentiam & ſolicitudinem & pericula accipiat in commutatione pretium correſpondens; & addit ultra: ſunt aliqui vituperabiliter negotiatores, ſcilicet illi, qui nec transferunt nec conſervant (neceſſaria vel utilia Patriæ indigenti) nec eorum induſtriâ melioratur res venalis, nec certificatur aliquis alius ſimpliciter de valore rei emendæ; ſed modò emit, ut ſtatim ſine omnibus iſtis conditionibus vendat, iſte eſſet exterminandus & exulandus & vocantur Gallicè tales Regratiers, quia prohibent immediatam commutationem volentium emere & commutara œconomicè & per conſequens faciunt, quodlibet venale, vel uſuale cariùs ementi, quàm deberet eſſe, & viliùs vendenti, & ſic damnificant utramque partem.

Quæres 5. *Quid ſit contractus ſocietatis, & quomodo licitus?* 5

Reſpondeo 1. *Contractum ſocietatis eſſe conventionem duorum vel trium ad ferendum aliquid in commune lucrum & damnum ſecundùm proportionem rerum contributarum.* Poteſt fieri tripliciter, primò, ut ſit ſocietas omnium bonorum. Secundò, quod magis eſt in uſu, ut ſit ſocietas certæ rei, dum plures ad certum negotii genus conveniunt, vel ut uterque pecuniam vel ut unus pecuniam & alter ſuam operam conferat. Tertiò, ut contractui ſocietatis adhuc alii duo contractus acce-

dant

dant ſcilicet aſſecurationis & venditionis lucri incerti pro certo v. g. ſi quis centum dedit ad ſocietatem, ut ex eis ſocii negotientur & finita negotiatione petit 6. vel 8. pro 100. una cum integra ſorte relicto ipſis ſolùm lucro majori incerto, quod ſperari poterat v. g. 20. vel 30. pro 100. ubi præter contractus ſocietatis intervenit etiam contractus aſſecurationis capitalis & venditio lucri incerti majoris pro minori certo.

Reſpondeo 2. *Illam triplicem ſocietatem eſſe licitam. Pro prima autem & ſecunda ſequentes debent obſervari conditiones:* prima, ut negotiatio, in qua fit ſocietas ſit licita. Secunda, ut qui pecuniam ſuam ponit, etiam debeat ſubire commune periculum. Tertia ut tam quòad lucri quàm damni partitionem proportio & æqualitas ſervetur juxta prudentum æſtimationem, ut quando plus pecuniæ vel operæ poſuit tantò plus lucretur. Quarta pecunia detur ad negotiandum aliàs non eſſet contractus ſocietatis; ſed mutui & lucrum quæſitum eſſet uſura. *Pro tertia autem ſocietate etiam ſequentes debent obſervari conditiones:* Prima ut ſocius lubens & volens contractum aſſecurationis admittat, ne ratione mutui virtualis ad illam obligationem coactus videatur; unde Scotus citatus §. *de ſecundo articulo*, ait: *ſi unus ex contrahentibus lucrum ponat in tuto & ſocius duntaxat ſubjiciatur damno, uſura eſt.* Secunda ut pecunia detur ad negotiandum, aliàs eſſet mutuum & uſura. Tertia ut lucrum certum, quod exigitur ſit adeo moderatum, ut attento capitali, quòd confertur & ſpe lucri majoris, compenſentur onera contractûs, hinc quantò majus & certius eſt lucrum, minùsque periculum amittendæ ſortis tantò plus exigi poterit.

6 Quæres 6. *Quid ſit commodatum?*

Reſpondeo, *eſſe alicujus rei ad ſolum uſum gratuita conceſſio ad nutum non revocabilis.* Dicitur primò rei, quâ intelliguntur tam mobiles quàm immobiles; nam etiam hortus commodari poteſt, in quo differt à mutuo, quòd ſolùm eſt de mobilibus; dicitur ſecundò ad ſolum uſum, in quo etiam differt à mutuo; dicitur gratuita, ut differat à locatione, in qua pretium intercedit; dicitur quartò conceſſio, ſcilicet ad certum uſum & tempus; dicitur quintò ad nutum non revocabilis, ut differat à precario, & ſignificatur ex parte commodantis eſſe obligationem, ne commodatum repetat ante tempus conventum, niſi caſus inopinatus eveniat, v. g. niſi contigerit rem meam mihi ipſi eſſe neceſſariam, nam talis conditio ſemper videtur ſubintellecta, ſi autem aliàs ante tempus revocet, tenebitur ad damnum commodatario compenſandum; hujus autem ſunt duæ obligationes, prima ut re conceſſa non utatur ad alium uſum. Secunda ne ultra tempus conceſſum utatur, ſed tempore effluxo abſque petitione reſtituat idem in individuo; hinc peccaret quis, ſi equo Viennam conceſſo uteretur Venetias & ſi ultra tempus uteretur, tenebitur compenſare lucrum & damnum.

Quæres 7. *Quid ſit precarium?* 7

Reſpondeo, *eſſe alicujus rei gratuitam conceſſionem pro ſolo uſu ad preces alterius quouſque concedenti revocare placuerit;* ex his patet illud differre à commodato; cum non ad certum tempus concedatur & pariter ſit ad arbitrium concedentis revocabile, ſi tamen abſque rationabili cauſa ſtatim revocetur, validè quidem abſque injuſtitia revocatur, nihilominus tamen contra prudentiam peccaret, vel alias virtutes, ut patet de mutatione boni propoſiti.

Quæres 8. *Quid ſit depoſitum?* 8

Reſpondeo, *eſſe contractum quo res alteri gratis cuſtodienda traditur, ut eadem numero reddatur, quando à deponente repetita fuerit;* ſolent autem ordinariè deponi res mobiles, immobiles verò dicuntur ſequeſtrari; quando ergo vergente aliqua controverſia de re immobili hæc ſequeſtro committitur, ejúsque fructus reſervantur, donec conſtet, cuinam res per ſententiam adjudicata fuerit; ſi res depoſita ſit conſumptibilis uſu, & depoſitarius ſit certus, quòd dum depoſitum repetetur, ſit habiturus rem ejusdem bonitatis, & ſpeciei à gravi peccato injuſtitiæ ſaltem in foro conſcientiæ excuſabitur ſi utatur depoſito, ut ex illo fructum lucretur.

Quæres 9. *Quid ſit ludus, & quæ condi-* 9
tiones ad juſtum ludum?

Reſpondeo 1. *Ludum eſſe contractum quò ludentes inter ſe paciſcantur, ut victori cedat, quod uterque depoſuit.* Alius eſt ludus, in quo experimentum artis, induſtriæ, dexteritatis, & alius in quo fortuna vel caſus prævalet alius, in quo utrumque miſcetur.

Reſpondeo 2. Leg. ult. ff. de aleatoribus. *Probiberi quidem luſum alearum & alios, qui magis fortuna & caſu reguntur quàm arte; ſed per contrariam conſuetudinem videtur abrogata lex, ita ut ſaltem ſub mortali non amplius obliget, quamvis ludatur pro magna ſumma.* Quod idem aliqui ſentiunt de lege Canonica C. *officia.* de vita & honeſtate Clericorum. Vetante Clericis luſum alearum; nec etiam de jure naturæ per ſe eſt talis luſus probibitus, ſed ſolùm per accidens, in quantum luſus poteſt eſſe occaſio blaſphemiarum &c. hinc Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de tertio articulo* inquit: *Ludus alearum, & hujusmodi eſt injuſtus, vel ex deceptione voluntaria (ſi hæc adſit) vel ex prohibitione ſuperioris; unde poteſt dici injuſta commutatio juxta illud ff de aleatoribus L. ultima. & extra. de vita & honeſtate Clericorum ſuper illud: officia in gloſſa. Lex iſta tamen non ligat, niſi illos, qui politicè vivendo ſubſunt legi imperiali, qui fortè nulli ſunt hodie, quia ubi præcipuè illa lex locum habere conſue-*

vit, municipalia præjudicant imperialibus, ut patet in Italia.

Reſpondeo 3. *Conditiones ad juſtitiam ludi requiſita ſunt ſequentes:* prima poteſtas diſponendi de rebus ad luſum expoſitis, hinc Religioſi pro magna ſumma non poſſunt ludere. Secunda, ne ludentes utantur fraude contra leges ludi; hinc ſi quis notet chartas, collocet ſpeculum à tergo alterius &c. tenetur reſtituere non ſolùm ea, quæ eſt lucratus per tales fraudes, ſed etiam ea, quæ alter certò eſſet lucratus, ſi fraus defuiſſet, quia privat alterum per injuſtam actionem ſuo lucro, nihilominus tamen aſpicere chartas ab altero non bene cuſtoditas, non monere ſocium, dum erat, inducere alterum ad augendum pretium, dum eſt certò perditurus, fingere metum &c. non ſunt reſtitutioni obnoxia, quia ludentes cenſentur implicitè conſentire in ſimiles fraudes ſibi ſufficienter notas. Tertia ne quis alterum per injuriam ad ludendum pertraxerit; ſi quis tamen in luſu jure humano vetito aliquid acquiſiverit, non tenetur illud reſtituere ante judicis ſententiam, quia ludus jure naturæ habet vim transferendi dominium ſecuta traditione, etiamſi prohibeatur, nam multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent; nec illæ leges prohibentes luſum irritant contractum, ſed ſolùm in pœnam legis transgreſſæ concedunt victo repetitionem ejus, quod in eo perdidit. Quarta ut pendendi periculum ſit æquale, ſic ſi quis eſt peritior altero, ut moraliter certus ſit ſe lucrari non poterit pretium retinere, debet tamen exceſſus peritiæ eſſe notabilis, nam ſi non eſſet talis poſſet retinere, quia exceſſus non notabilis adhuc periculum perdendi non tollit, cùm in omni luſu magnam partem habeat fortunæ.

10 Quæres 10. *Quid ſit ſponſio, & ejuſdem juſtitiæ conditiones?*

Reſpondeo, *eſſe contractum in quo duo de veritate, & eventu alicujus rei contendentes ſibi invicem aliquid ſpondent, ut ejus ſit, qui veritatem ſit aſſecutus;* conditio autem ad hujus juſtitiam eſt, ut qui ſpondet de rei veritate non ſit certus, aliàs deficeret æqualitas, ſi in uno ſpondentium eſſet periculum, & in altero nullum, niſi fortè alter pertinaciter contradicens etiam te invitum traheret ad ſpondendum, tunc enim nulla fraus interveniret, & alter qui perdit ſuæ temeritati debet imputare damnum.

11 Quæres 11. *Quid ſint ſortes, & quot earum ſpecies?*

Reſpondeo, *ſortes dici, cùm aliquid eo fine agatur, ut ex ejus eventu res occulta vel dubia diſcernatur & ſunt 3. ſpecies.* Prima, ſortes divinatoriæ, in quibus inquiritur de futuris eventibus v. g. quid in dubiis & obſcuris ſit agendum, & tales ſunt ſuperſtitioſæ. Secunda, diviſoriæ, quibus ex plurium conventione, quid ex re communi cuivis partium ſit tribuendum & ſunt licitæ. Tertia, Electoriæ, quibus inter plures ad idem aliquid aſpirantes definitur, quisnam alteri ſit præferendus, quæ etiam ad fines politicos & temporalia officia ſunt per ſe licitæ: ad officia verò Eccleſiaſtica prohibitæ, ut habet C. *de Eccleſia.* De ſortilegiis.

Quæres 12. *Quid ſint contractus ſubſidiarii?* 12

Reſpondeo, *eſſe illos, qui ineuntur ad alios contractus confirmandos vel ad rem aliquam aut obligationem periclitantem ſalvandam; & plerumque ſunt 4. ſcilicet pignus, hypotheca, Fidejuſſio, & aſſecuratio.*

Quæres 13. *Quid ſit pignus, & hypotheca, quale jus, & quas obligationes per ea habeat Creditor?* 13

Reſpondeo 1. *pignus propriè dici rem, quæ creditori traditur, hypothecam vero, quæ ſine traditione rei nuda conventione perficitur, ut creditor de ſuo credito ſit ſecurus.* Dicitur quidem pignus à pugno, quod manu tradatur unde pignus propriè rei mobilis, hypotheca vero rei immobilis eſt, quæ diſtinctio modò non ſervatur, cùm hæc nomina paſſim in jure idem valeant. Differt tamen pignus à depoſito, quòd depoſitum detur ſimpliciter ad cuſtodiendum: pignus verò ad cautionem creditori; pariter differt ab hypotheca, quòd in hac res creditori non tradatur, ſed ſolùm ſit obligata in pignore verò tradatur; dividitur autem hypotheca & eodem modo, quo pignus in judicialem & conventionalem, prima fit ſententia judicis immittendo creditorem in bona debitoris; Secunda fit pacto hominum; præterea dividitur in univerſalem & particularem, in primo omnia bona debitoris tam præſentia quàm futura obligantur: in ſecundo aliquod certum bonum. Tandem dividitur in expreſſam & tacitam, prima fit expreſſa conventione. Secunda vero legis diſpoſitione, licèt nulla intercedat expreſſa conventio, ſic bona Tutoris fiunt ipſo jure hypothecata pupillo, quæ tacita hypotheca vocatur legalis, ſicut expreſſa conventionalis.

Reſpondeo 2. Creditor primò acquirit jus, ut ad quemcunque devenerit pignus, maneat pro debito ſolvendo obligatum. Secundò acquirit jus vendendi pignus vel hypothecam, ut ſibi debitum ſolvatur, certis tamen ſervatis ſolemnitatibus lege præſcriptis, quarum prima eſt, ut pignus non poſſit vendere, niſi poſtquam debitor fuerit in mora ſolvendi. Secunda ut non poſſit ſtatim vendere poſt moram, ſed vel poſt trinam admonitionem, ſi præceſſit pactum de non vendendo: vel poſt unicam, ſi tale pactum non præceſſit. Tertia ut poſt monitionem adhuc debeat expectare biennium, intra quod ſi debitor comparuerit & ſolverit, recuperabit ſuum pignus; ſi verò non comparuerit, tunc creditor acquirit plenum dominium pignoris, ita tamen, ut reſiduum reſtituat debitori.

Re-

Reſpondeo 3. Obligationes creditoris eſſe: Primò ut curet ne pignus pereat aut deterius fiat, aliàs tenebitur recompenſare damnum: Secundo ut integro perſoluto pretio reſtituat pignus, quod ſi culpa vel dolo ejus perierit, tenebitur ſatisfacere debitori, ſecus ſi caſu fortuito & ſinè culpa perierit. Tertiò ut creditor nequeat uti pignore cum damno debitoris, niſi adſit illius conſenſus expreſſus vel tacitus, ut ſi utatur equo, ne otio torpeat vel vaſe argenteo ſibi oppignorato &c. econtra verò ex parte debitoris ſunt obligationes: primò ne rem oppignoratam uni det alteri, niſi ubi ſufficiens eſſet pluribus creditoribus ſatisfacere. Secundò ut ſolvat omnes expenſas à creditore factas in conſervando pignore, niſi eſſent voluntariè factæ. Tertiò ut pignus repetere non poſſit priusquàm integrum debitum perſolverit, nec ſufficeret, quòd major pars ſolvatur, quia creditor pro minima parte debiti pignus poteſt retinere.

14 Quæres 14. *Quid ſit fidejuſſio & aſſecuratio, & quæ ad earum juſtitiam requiruntur?*

Reſpondeo 1. *Fidejuſſionem eſſe ſuſceptionem in ſe alienæ obligationis, quâ quis ſe obligat ad eam implendam, ſi debitor principalis in ſolvendo defecerit: aſſecuratio verò eſt contractus, quo quis alienæ rei periculum ſive gratis ſive pretio in ſe ſuſcipit obligando ſe ad eam compenſandam ſi pereat.*

Reſpondeo 2. *Ad fidejuſſionem requiruntur ſequentes conditiones:* Primò ut ſupponat alium debitorem principalem: ſecunda ut fidejuſſor non obligetur ad plus quàm debitor principalis: Tertia, ut ſi debitoris principalis obligatio ſit invalida talis ſit etiam obligatio fidejuſſoris: Quarta ut fidejuſſor non cogatur ſolvere niſi priùs facta excuſſione in bonis debitoris principalis iſta inveniantur non ſufficere. *Ad aſſecurationem verò requiruntur ſequentes:* Prima ut res aſſecurata ſit pretio æſtimabilis: Secunda ut verè ſubſit periculum: Tertia ut juxta æſtimationem periculi in pretio ſervetur æqualitas.

DISTINCTIO XIV.

De Contractu emptionis & venditionis.

QUÆSTIO I.

Quo pretio ſit licitum vendere & emere res ſuas?

1 ADvertendum eſt 1. Emptionem & venditionem, utpote quotidianam, contractum eſſe, qui conſenſu perficitur de merce pro pretio; dicitur contractus, qui conſenſu perficitur locò generis, & dicitur de merce pro pretio locò differentiæ; hinc is, qui ad pretium ſe obligat, vocatur emptor, qui verò ad rei traditionem venditor; & ideo ipſa conventio, emptio & venditio. Emptio eſt pactio pretii pro merce ex parte emptoris: & venditio eſt pactio mercis pro pretio ex parte venditoris: ex his inferunt authores eſſe de ſubſtantia emptionis & venditionis intentionem ſe obligandi ad transferendum dominium, quantùm in ſe eſt; adeo ut pactum adjectum de non transferendo dominio ſit contra ſubſtantiam hujus contractùs, actualem tamen tranſlationem non eſſe de ſubſtantia ejus, ut patet, quando ſolo conſenſu abſque traditione tum mercis tum pretii perficitur, transfertur autem dominium, quando res vendita traditur, & ſolvitur ab emptore pretium: vel pro ſoluto certo exiſtimatur ſive per datum pignus, ſive ex bona fide in debitorem.

Advertendum eſt 2. Ex Scoto in 4. D. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* in emptione & venditione debere eſſe æqualitatem mercis cum pretio & pretii cum merce, ut patet ex definitione juſtitiæ commutativæ, quæ potiſſimùm in emptione & venditione intercedit; adeóque ſicut mercis bonitas, ita & pretium debet eſſe legitimum, quare ſive venditor ultra juſtum accipiat quomodocunque ex errore emptoris ſive emptor minùs debet, quàm juſtum ſit, uterque tenebitur ad reſtitutionem, & in hoc ſenſu utrumque dicitur conſiſtere in indiviſibili, dixi in hoc ſenſu, nam juxta Scotum cit. § de *ſecundo articulo. Verſu, alia tranſlatio.* Ex alio capite pretium legitimum patitur latitudinem, ſub qua ſemper adhuc manet juſtum; deſumitur autem hujus juſtitia vel ex lege poſitiva & publica authoritate, vel ex æſtimatione prudentum timoratorum: & ideo dividitur pretium in legitimum, & naturale, ſeu vulgare; primum eſt, quod lege vel decreto principis eſt conſtitutum, alterum eſt, quod communi hominium judicio penſatis circumſtantiis imponitur. Eſtque triplex ſcilicet infimum, medium & ſummum, inter quæ quidem non poteſt aſſignari certa diſtantia; Leſſius tamen ſic exemplificat, ut ſi pretium medium ſit 10. infimum erit 9. vel 8. cum medio, ſummum erit 11. vel 12. cum medio, vel ſi medium ſit 100. infimum erit 95. & ſummum 100. & 5. 2

Advertendum eſt 3. pretia rerum ex variis regulis creſcere & decreſcere: creſcere poſſunt primò, ſi merces ſint ſubhaſtatæ & dentur plùs offerenti. Secundò ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ut ſi hodie res vendatur, quæ cras poſſet cariùs vendi. Tertiò propter labores & expenſas factas in comparatione mercis, ſic ſi mercatores propter pluralitatem famulorum, vel ob naufragium majores 3

jores fecerunt expenſas poterunt augere pretium; nam licitum eſt ſe ſervare indemnem; & hæc eſt regula Scoti ſupra cit. quidquid contra reclament Molina & Lugo, qui ſolùm probant hoc aliquando per accidens in particulari caſu non valere, Scotus autem intelligit ut communiter accidit. Quartò prout id magis explicat de Mercatoribus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *ſequitur de commutatione.* propter copiam emptorum & mercium raritatem, ut patet in imaginibus & ſtatuis antiquis vel fructibus novis & primis, vel in rebus levibus ut ſpeculis, quæ apud Indos ultra aurum æſtimantur. Quintò ex modo emendi & vendendi, & hoc tripliciter: primò vendens rogatus in gratiam emptoris, aliàs non venditurus poteſt cariùs vendere, cùm abdicatio ſuæ commoditatis ſit pretio æſtimabilis; unde Scotus in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo* inquit: *Poteſt quis cariùs vendere, ſi multùm indiges re ſuâ & per magnam inſtantiam inducatur ab alio, ut vendat, & ex venditione ipſa multùm damnificatur; ſed ſi emens magnum commodum conſequatur ex re illa ſibi vendita, non poteſt cariùs vendi; nam propter majus commodum ejus quod conſequitur, nec res materia eſt pretioſior nec mihi melior, & ideo non debet mihi majus pretium apportare; ſecus autem eſt, quando damnificor, quia tunc eſt mihi pretioſior, licet non in ſe.* Secundò ex adverſo emens rogatus à venditore poteſt viliori pretio emere, præſertim, ſi res emptori ſit parùm utilis. Tertiò inſtitores circumforanei, qui ſuas res obtrudunt, non tantò poſſunt, aut ſolent vendere, quantò mercatores, qui ab ementibus conveniuntur multùmque laborum & ſumptuum in comparandis, advehendis & conſervandis mercibus impendunt; nam juxta proverbium: *merces ultroneæ pro tertia parte viloſcunt.* His notatis:

4 Propoſitio 1. *Venditor, & quicunque alius, qui contractu oneroſo rem in alium transfulit, tenetur de evictione.* Antequam detur ratio, obſervandum eſt, evictionem eſſe, quando convincitur, quòd res vendita pertineat ad alium, quàm poſſeſſorem, cùm ſæpe fiat, ut res alienæ vendantur; unde tenebitur venditor defendere rem ſuam, & emptorem ſervare indemnem de expenſis in evictione factis. Ratio ergo eſt, quia non debet plùs oneris imponi emptori, quàm venditori; ſed ſi venditor non obligaretur ad evictionem, emptor eſſet in periculo tùm perdendæ rei emptæ, tum pretii ipſius rei; venditor autem eſſet ſecurus de pretio rei venditæ: ergo. Excipe tamen primò, ſi venditor id in contractu exceperit, & bona fide putet rem, quam vendit eſſe ſuam; tunc enim ſolùm tenebitur ad pretium & non ad expenſas factas, ſi verò ſciens aut dubitans exceperit, non ſolùm tenebitur ad pretium, ſed etiam ad expenſas factas, cum tale pactum exceptorium cum dubio non poſſit eſſe juſtum. Secundò non tenebitur ad evictionem, ſi culpa imperiti judicis res evicta eſt, cùm de jure debuiſſet pro emptore judicari. Tertiò non tenetur, quando res evincitur culpa emptoris v. g. ſi emptor moneatur à venditore, ut alia meliori actione procedat, & emptor neglexerit & victus fuit, vel ſi emptor ob contumaciam ſuam condemnetur.

5 Propoſitio 2. *Venditio cum pacto retrovendendi eſt licita ſub certis conditionibus.* Ratio eſt; quia in tali venditione poteſt ſervari æqualitas ſine ulla contrahentium injuria, cùm volenti, & conſentienti nulla fiat injuria: ergo ſi vendens ſe vellet obligare, quòd rem venditam ab emptore reciprocè venditam velit recipere, nihil eſt, quòd æquitatem contractûs impediat. Dixi ſub certis conditionibus, quarum prima eſt, ut ſi hoc pactum cedat in ſolius vendentis utilitatem, ut nimirum emens venditori teneatur reſtituere, ſi velit redimere, ſi res vendatur viliori pretio, ſiquidem hoc onus annexum eſt pretio æſtimabile. Secundò ſi econverſo fiat ad placitum emptoris, ut nempe venditor ad ejusdem placitum teneatur rem redimere, poteſt res majori pretio, quàm aliàs vendi. Tertio, ut quo tempore res redimitur, ſimul æſtimentur fructus in flore cum expenſis laboris & induſtriæ. Obſervandum tamen eſt, quando venditor redimit rem olim à ſe venditam reſervato jure redimendi non teneri emptorem de evictione, ſicut venditorem in venditione, quia redemptio non eſt emptio, neque aliquis contractûs, ſed diſtractus, ſeu prioris contractûs reſolutio.

6 Propoſitio 3. *In venditione licitè aliquando intercedit retractus.* Antequam detur ratio, obſervandum eſt, retractum eſſe, quando quis lege vel privilegio, aut alia ratione jure conceſſa retrahit ab alio rem emptam eodem pretio, quo fuerat ab altero empta, etiamſi priori emptori jam fuerit tradita, ut qui eſt proximus ſanguine vendenti, habet jus ad rem alteri venditam eodem pretio retrahendi. Ratio ergo eſt, quia jus Canonicum C. conſtitutus de in integrum reſtitutione, hoc pro conſanguinitate admittit & aliàs nullibi reprobat. Imo tale ſtatutum, ut communis praxis obſervat non eſt contra jus naturale prohibitivum, eſto jus naturale permittat rem venditam & traditam pertinere ad emptorem. Cæterùm talis retractus non ſolum habet locum in venditione ſed etiam in locatione Emphyteuſi & ſimilibus contractibus, in quibus omnibus poteſt dari prioritas juris ad rem ſuam denuo habendam.

7 Propoſitio 4. *Pretium legitimum ſeu taxatum eſt ab omnibus in venditione obſervandum, quamdiu conſtat de ejus injuſtitia*, ratio eſt; quia magiſtratus habet poteſtatem pro bono communi taxandi pretia rerum & imponendi

nendi es; pretium autem hoc modo indiviſibile eſt à privatis hominibus; ſicut ergo in aliis legibus bonum commune concernentibus omnia Reipublicæ membra ad legis obſervantiam adſtringuntur, ita etiam ad legis taxantis pretia; hinc licèt mercatores ob expenſas factas in adducendis mercibus eas cariùs vendere poſſint, quando non habent valorem taxatum, non tamen ubi habent taxatum, cum in ipſa conſtitutione pretii ſufficienter cenſeantur penſati labores & expenſæ, quæ ordinariè fiunt, pro illis autem, quæ incautè & imprudenter fiunt, non debet fieri recompenſatio. Excipe tamen ſi res ſint notabiliter meliores, quàm quæ communiter ſub taxa venduntur v. g. Triticum ſit purius, vinum generoſius, poſſet in pretio aliquid ſupra taxam addi. Cùm hoc admittat æquitas naturalis, econtra verò ſi res ſint minoris bonitatis debent etiam minori pretio vendi, unde qui inter 10. urnas vini, unam urnam aquæ miſcuiſſet, teneretur tertiam partem pretii detrahere.

8 Propoſitio 5. *Non tantùm Venditor, qui emptorem lædit ultra dimidium pretii, ſed etiam ſolùm ultra juſtum pretium tenetur ad reſtitutionem in conſcientia.* Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 15. q. 2. *de ſecundo articulo.* Quia jus civile reſcindit contractum, in quo contrahens decipitur ultra medietatem juſti pretii. Ratio verò ſecundi eſt; quia licèt in foro externo regulariter non detur actio pro reſtitutione læſis infra dimidium juſti pretii, ſi abeſt dolus, ut reſtringantur nimiæ lites; attamen in conſcientia etiam læſis infra dimidium juſti pretii debet fieri reſtitutio, ut ſentit Scotus citatus; quia quandocunque exceditur latitudo juſti pretii in vendendo, & diſceditur à juſto pretio in emendo tenetur quis ad reſtitutionem, quod etiam verum eſt, quamvis bona fide contraxerint; quia bona fides contrahentium non facit rerum æqualitatem lege taxatam; aliud autem eſt dicit Scotus, *quando relinquitur ipſis commutantibus, ut penſata mutua neceſſitate reputent ſibi invicem æquivalens dare: nam durum eſt inter homines eſſe contractus, in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiviſibili juſtitia remittere; ut pro tanto omnem contractum comitatur aliqua donatio - - - ideo ſatis probabile eſt, quòd quando ſunt mutuò contenti, mutuò ſibi volunt remittere, ſi ſecundum aliquid deficiunt ab illa juſtitia requiſita.* His propoſitis:

9 Aſſero ad quæſtionem: *Licitum eſt unicuique intra latitudinem juſti pretii naturalis res ſuas vendere pretiô infimô, mediô & ſummô; imo eandem rem eodem tempore cariùs uni quàm alteri citra omnem injuſtitiam, ſi non extat pretium legitimum ſeu taxatum.* Eſt communis & Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* verſu. *alia translatio,*

Probatur prima pars: qui emit pretiô infimô & venderet ſummô juſtô non excedit aliquam legem taxatam, ſed adhuc faceret æqualitatem pretii cum merce: ergo hoc cuilibet eſt licitum. Antec. patet, quia illud quod plus in venditione recipit; quam in emptione dederit eſt fructus ſuæ induſtriæ, quem leges permittunt ad æqualitatem computari: ergo; hinc excuſantur mercatores, qui alicubi in nundinis à mercatoribus aliunde advenientibus præveniunt alios emptores & infimô pretiô merces emunt, & deinde ſtatim in iiſdem nundinis divendunt longè cariori pretiô ſcilicet ſummô & juſtô tamen.

Probatur 2. pars: qui ex tribus illis pretiis unum eligit, manet intra terminos juſtitiæ; ſed quilibet poteſt intra terminos juſtitiæ facere uni & non alteri, quod ſibi placet: ergo. 10
Min. prob. qui vendit merces ſuas uni ex hoc triplici pretio nullius lædit juſtitiam, nam nulli facit injuriam: ergo poteſt facere, quod ſibi placet, dixi niſi extet pretium taxatum, nam tunc in rebus vendibilibus non liceret illud excedere, cum privatæ opiniones judicio publico ſeſe ſubmittere debeant; unde quidquid ultra tale pretium legitimum acciperetur, reſtitutioni eſſet obnoxium; nihilominus tamen infra pretium legitimum poterit quis res ſuas vendere, eò quòd pretium ordinariè taxetur in favorem emptorum, ne à venditoribus nimium graventur; venditor ergo ſi ſit legitimus dominus rei vendibilis, poterit minoris vendere, quia lex non obligat venditorem, ne minoris, ſed ſolùm ne pluris res ſuas vendat.

Objicies: vendere rem juſto pretio eſt licitum, ſed pretium naturale ſummum & infimum eſt juſtum: ergo etiam eſt licitum, tali pretio vendere contra legitimum taxatum. 11

Reſpondeo diſt. min. ſi non excedat pretium legitimum conc. ſi excedat neg. min. quia quamvis res non prohibita, ſit licita, ſuppoſita tamen prohibitione non eſt licita; ſic ergo licet pretium vulgare & naturale præſcindendo à lege ſeu prohibitione ſit juſtum & licitum, ſuppoſita tamen prohibitione ſeu lege redditur injuſtum & illicitum.

Dices: Juſtè accipitur, quod ſponte datur; ſed pretium ſummum naturale in concurſu legitimi taxati ſponte datur: ergo juſtè accipitur. Maj. patet, min. probatur. Quia qui tale pretium pro eis dat, donare cenſetur: ergo.

Contra transmiſſa maj. neg. min. cum ſua proba; quia talis non intendit donare, ſed vel ex affectu ſpeciali erga mercem vel ad evitandam moleſtiam ſolicitantis ſolvit pretium rei poſtulatum, ſicut qui ut evadat moleſtiam mutuantis ſtipulatur uſuras; adeóque cum nihil in ſe reſpondeat incremento pretii non poteſt hoc incrementum inſtar pretii retineri. Nec refert, quod ei nulla neceſſitas aut vis emendi

inferatur; aliàs poſſent uſuræ peti ab eo, qui nulla neceſſitate coactus ſed ad luſum vel aliam oblectationem mutuum petit.

Dices: ſi ergo non eſt licitum rem vendere pretio naturali excedente legitimam: ergo neque licitum erit rem vendere pretio taxato excedente naturale. Conſeq. probatur, quia pretium ordinariè taxatur in gratiam emptorum: ergo ſi pretium taxatum majus eſt quàm vulgare, non erit licitum eò vendere contra naturale & vulgare.

Contra neg. conſeq. quia pretium lege taxatum ſemper manet juſtum, quousque non mutantur circumſtantiæ notabiliter, pretium autem naturale, eo quod lege aliter taxetur fit illicitum & injuſtum. Ad probam dico nihil referre, quod pretium taxetur in favorem ementium, quia quamdiu taxa pretii publica lege facta non mutatur, cenſetur juſta & legitima, proinde qui illam ſequitur, non peccat contra juſtitiam ſequendo medium ſibi à lege publica præſcriptum, niſi fortè evidenter conſtaret de negligentia & incuria magiſtratûs pretia rerum variatis circumſtantiis non mutantis.

QUÆSTIO II.

An venditor ſemper teneatur vitium mercis emptori manifeſtare? & cuinam res vendita ante traditionem pereat?

1 ADvertendum eſt 1. Ex Scoto in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* vitium vel bonitatem alicujus rei tripliciter poſſe contingere: primò in ſubſtantia, ut ſi vitrum vendatur pro gemma: Secundò in quantitate, ut ſi menſura augeatur vel minuatur: Tertiò in qualitate, ut ſi animalia infirma, panis aduſtus pro valido vendantur; ſi ergo vitium ſit circa ſubſtantiam rei vel circa accidens redundant in ſubſtantiam rei non ſolùm eſt manifeſtandum, ſed etiam contractus talis eſt nullus, ſi non manifeſtetur, ut diximus in Diſt. 8. de contractibus, ubi pariter conſtat vitium ſive ſubſtantiale ſive accidentale ipſo jure irritare contractum in favorem damnificati, ſi dolo dante cauſam contractui fuit occultatum; econtra vero ſi dolus non dedit cauſam contractui, tunc contractus quidem valet, ſed decipiens tenebitur ad reducendum contractum ad æqualitatem, & ad reſarcienda quæcunque damna, quæ ratione talis contractûs paſſus eſt deceptus, adeóque ſi Caupones vel mercatores utantur minori menſura tenebuntur ad reſtitutionem vel eiſdem alia vice dando majorem menſuram aut leviori pretio vel in defectu eorum pauperibus, non tamen tenebuntur ad reſtitutionem, ſi vinum Styriacum venderent pro Auſtriaco habens eundem ſaporem & effectum aut unam mercem pro alia, modò ſit æque idonea ad communem uſum, ut docet Leſſius, qui pariter concedit licere quandoque miſcere mercem etiam leviori materia, modo æquè fiat bona per induſtriam venditoris, ac alia non mixta, eo quod ſit lucrum induſtriæ, & per hoc nihil decedat emptori; unde ſiquis ſuâ induſtriâ vinum Patrium perduceret ad præſtantiam vini Hiſpanici, eodem pretio vendere poſſet, dummodo emptor ſimilia non intendat ſervare, & illa propter talem admixtionem ſervari nequeant; nam ex Scoto cit. & communi Doctorum in re vendibili non ſemper attenditur res ſecundùm ſuum naturam, ſed ſecundùm utilitatem & uſum ordinarium, quod pro praxi valde eſt notandum. Cæterùm tamen vitium aliquando eſt patens, aliquando latens, patens ſive manifeſtum dicitur, quod ipſe emptor vel quivis alius facilè advertere poteſt; latens verò ſive occultum dicitur, quod tegitur vel aliquo modo celatur, poteſt autem patens per accidens & reſpectivè eſſe latens, ut ſi emens adeo eſſet rudis aut oculis debilis, ut reſpectu ejus vitium reputetur occultum, & tunc de tali vitio idem erit judicandum, quod de latente, ut ſentit Layman.

Advert. eſt 2. Hugonem Grotium quondam docuiſſe merum eſſe commentum juris civilis, jurique naturali contrarium, quod periculum & commodum pertineat ad emptorem, antequam res ei tradatur; ideo adhuc unus vel alter Juriſta docet, quòd quando res vendita periit, detur emptori ex æquitate actio ad intereſſe, in hoc autem puncto alii Juriſtæ notabilem faciunt diſtinctionem inter rem venditam ad corpus ſeu determinatam in individuo v. g. vendo tibi hoc dolium vini 20. florenis, & inter rem venditam, quoad numerum, pondus vel menſuram ſeu indeterminatam v. g. vendo tibi dolium vini 2. florenis in ſingulas urnas, ad cognoſcendum autem, an res vendatur ad corpus vel ad menſuram duas regulas ponunt Juriſtæ: prima eſt, quando incipitur in venditione à corpore, unoque pretio totum venditur, etiamſi poſtea addatur quantitas rei v. g. vendo tibi hoc vas vini 20. florenis continens 10. urnas, venditio eſt ad corpus. Secunda eſt, quando pro unaquaque menſura pondere vel numero ſpeciale pretium exprimitur, etiamſi poſtea addatur totum corpus v. g. vendo tibi 10. urnas vini 2. florenis pro ſingulis hujus vaſis, venditio eſt ad menſuram vel pondus; adeóque communiter docent Juriſtæ, ſi res vendatur primo modo, celebrato contractu ſtatim commoda & incommoda rei venditæ tranſeunt in emptorem: Secundo vero modo, contractu celebrato non niſi poſt ſingulas menſurationes, quæ ſunt æquivalens traditio; nunc ergo quid de jure æquè & juſtè in hoc puncto conſtitu- 2

tum

tum ſit, nobis videndum erit in aſſertione ſecunda. Interim

3 Propoſitio 1. *Si venditor ad vitia manifeſtanda tenetur, etiam ad id proportionaliter obligandus eſt emptor.* Ratio eſt; quia æquè injuſtè ageret emptor ſciens merces eſſe integras, & ille emeret tanquam adulterinas v. g. gemmam à ruſtico putante eſſe Cryſtallum, nam non ſervaretur æqualitas, niſi fortè aliunde daret pretium æquivalens; neque venditor intendit rem donare qua parte excedit, ſed juſtô pretiô juxta communem æſtimationem commutare, & in hoc periclitantur aurifabri, qui ſimplicibus planè interrogantibus non indicant veram rei æſtimationem, ex quo fit, ut illam rem longè viliùs ipſis vendant; interim tamen ſi in aliqua regione res illæ communi æſtimatione parvi æſtimentur, quamvis habeant magnam pretioſitatem, quam incolæ ignorant, tunc poſſent parvô pretiô emere, quia pretium ſumitur ab æſtimatione communi & uſu ordinario, ſic pariter ſi in faſce herbarum vel lapidum, quæ ad cibum vel alium uſum venduntur, inveniatur herba aliqua magnæ virtutis ſoli ementi nota, poſſet pretio currente emere, quia communiter pro tali uſu tanti æſtimatur; quòd autem ſciatur plus de ea ab arte perito, id totum illius induſtriæ eſt tribuendum. Imo etiam ſi quis ſciret in alterius fundo latere theſaurum poſſet illum emere non majori pretio, quàm ſecundùm externam ſuperficiem valeret; quia communiter ille ager non æſtimatur ratione theſauri inviſcerati; ſed ſecundùm ſuperficiem ad proferendos fructus.

4 Propoſitio 2. *Venditor qui pro una re dat aliam æquè utilem ad eundem finem facit validum & licitum contractum.* Ratio eſt; quia licèt ſit error circa ſubſtantiam phyſicè ſumptam, non tamen ſumptam moraliter, ac in ordine ad intentionem emptoris, qui primariò intendit rem emere utilem ad talem finem; adeóque res ſuppoſititia iiſdem prorſus virtutibus debet pollere, quibus res petita, nam ſi incertum ſit, aut ſolùm probabile, de hoc non cenſetur eſſe intentio contrahentium, & talis contractus eſſet nullus, totúmque pretium eſſet reſtituendum, ac omnia damna, quæ ex tali fraude conſequuntur, eſſent compenſanda. Secundùm ergo hanc propoſitionem poſſunt aliquando excuſari pharmacopolæ, qui dant aliquando unum medicamentum pro alio, quod non habent, ſeu vendunt quid pro quo, ne de ſuis officinis aliqua deeſſe conquerantur emptores.

Propoſitio 3. *Si publica lege taxatum ſit certum pondus carnis aut menſura vini, quæ conſideratis circumſtantiis ſit injuſta aut non correſpondeat ſuis expenſis, poſſet venditor tantum de pondere aut menſura detrahere, quantum ſufficit, ut ſe indemnem conſervet.* Ratio eſt; quia talis lex non poteſt in damnum ſuorum civium illos in conſcientia obligare. Secundùm hanc ergo propoſitionem poſſunt aliquando excuſari caupones; ſi quid aquæ miſceant, aut in menſura detrahant, ſi pretium vini nimis leviter ſit taxatum & ipſi alioquin damnum paterentur. Secus autem eſſet, ſi ſe offerant velle vendere viliori pretio, nam tunc tenerentur ad reſtitutionem, ſicut etiam in talibus detractionibus, ubi fraus & avaritia intercedit.

6 Propoſitio 4. *In re vendita regulariter habet prioritatem juris & poſſeſſionis ante omnes alios etiam tempore priores, cum quibus venditio fuit inita, ille emptor, cui res eſt tradita.* Ratio eſt; quia ante traditionem venditor adhuc eſt dominus rei; ſed quamdiu eſt dominus rei poteſt validè dominium illius in quemcunque transferre; ergo celebrata venditione cum aliis poteſt dominium transferre in alium, ſed traditione transfertur completè dominium; ergo. Dixi regulariter, nam excipiuntur omnes illi, quibus ex privilegio acquiritur ante rei traditionem dominium, ut Eccleſiæ, hoſpitalia, civitates &c. ut conſtat ex dictis de dominio ut ſic, unde etiamſi res donata vendita aut locata Eccleſiæ tradatur alteri non privilegiato ſemper præferendus eſt privilegiatus. Cæterùm in caſu propoſitionis venditor non ſolùm tenetur reſtituere pretium aliis emptoribus, ſed etiam reſarcire totum intereſſe, quod illi defectu traditionis rei ſibi venditæ incurrunt, cùm talis venditor ſit moralis cauſa damnificationis, ſi tamen poſterior emptor fuerit conſcius de priori contractu cum alio celebrato, etiamſi res ſibi fuiſſet tradita, poſſet tamen prior emptor ab hoc ſibi rem evincere, quia poſterior emptor egit in fraudem prioris, fraus autem nulli debet patrocinari.

7 Propoſitio 5. *Si eadem res pluribus eſt vendita & nulli tradita, neque in illam ratione privilegii aut hypotheca ullum eſt jus acquiſitum, ſemper cæteris paribus ille emptor eſt præferendus, qui eſt prior tempore;* Ratio eſt quia qui priùs habet jus in rem, illi priùs eſt res tradenda, ſed cui primò promittitur, ille habet prius jus, nam promiſſio acceptata induit obligationem juris naturæ fundatam in fidelitate, & terminatam in acceptante: ergo illi priùs eſt res tradenda, & tunc talis per traditionem primò completè acquirit jus in re, ſeu dominium juris poſitivi diſpoſitione; nam alias contractus emptionis & venditionis rei determinatæ abſolutè celebratus jure naturæ & gentium eſt ſufficiens ad transferendum dominium. Jus autem poſitivum congruenter ſtatuit, ut ante traditionem non transferatur, nam ſicut ad phyſicum uſum rei requiritur applicatio phyſica, ita ad uſum moralem dominii applicatio moralis, quæ fit per traditionem & apprehenſionem. His ergo propoſitis;

8 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Quamvis vitium occultum tam ſubſtantiale quam acciden-*

tale, ſi per hoc emptor damnificaretur, ſemper ſit manifeſtandum, attamen ſi vitium eſt patens, & res non pluris venditur, quàm valeat cum vitio, non tenetur venditor illud manifeſtare, imo licèt vitium ſit occultum, ſi tamen nullum exinde damnum timeatur, nec res vitiata, reddatur inutilis emptori, nec majori pretio vendatur, quàm cum tali vitio valeat, venditor non interrogatus non tenetur per ſe vitium manifeſtare. Prima pars eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* & communis. Secunda & tertia pars etiam eſt communis Juriſtarum L. 1. ff. de ædilitio edicto.

9 Probatur 1. pars ratione Scoti: qui fraudulenter occaſionem damni dat, damnum videtur dediſſe; ſed non manifeſtans vitium occultum vel in ſubſtantia vel quantitate, aut qualitate fraudulenter dat occaſionem damni, cum alter tanto pretio non permutaret aut emaret, ſi crederet aliam eſſe ſubſtantiam, quantitatem aut qualitatem, quam recipit; ergo ne ſecundùm præſumptionem juris & ſecundùm veritatem damnum det, tenetur vitium fundans tale damnum manifeſtare.

10 Probatur 2. pars: tunc non eſt opus manifeſtare quando vitium ſeipſum manifeſtat, vel quando occultatio non eſt doloſa; quia ideo præcisè debet venditor rem vitioſam manifeſtara, quatenus amptor non poteſt aliunde cognoſcere, & ne occultatio damnum cauſet, ſed quando vitium eſt patens ſe ipſum manifeſtat, etſi res non pluris venditur quàm cum vitio valeat occultatio non eſt doloſa, & imputet ſibi ipſi emptor, ſi videntibus oculis non videat.

11 Probatur tertia pars: tunc non tenetur venditor ad manifeſtandum vitium quando ex occulto vitio non eſt cauſa moralis damnificationis; ſed in caſu noſtro nullum damnum emergit emptori: ergo. Min. probatur, quando res non ſit inutilis, ſed æquè utilis emptori, nec pluris venditur, quàm valeat cum vitio, nullum infertur damnum amptori, cùm ſervetur æqualitas mercis cum pretio: ergo.

12 Objicies contra ſecundam partem: D. Ambroſius Lib. 1. *de officiis* dicit: *in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi debent, ac niſi intimaverit venditor, quamvìs in jus emptoris tranſierint doli actione evacuantur:* ergo ſemper vitia etiam patentia exprimi debent.

Reſpondeo neg. conſeq. D. Ambroſius autem loquitur in caſu, quo emptor interrogat de vitio ſiva in genere ſiva in ſpecie, nam tunc omnino non poſſunt occultari; quia patet ex interrogatione intentio emptoris nolentis emere, niſi ſciat rei vitia, adeóque tunc jam dolus daret cauſam contractui niſi fortè res eſſet parvi momenti, & quæ etiam cognita non removeret emptorem ab emptione eodem pretio, ſi verò amiſſet, ſed non tanti, tunc illa pars pretii vel erit reſtituenda, quia quoad illam partem dolus dedit cauſam contractui, vel reſcindendus erit contractus, ut uterque contrahens ſervetur indemnis.

Dices: ſaltem non manifeſtans etiam vitium patens utitur dolo dante cauſam contractui; ſed talia dolus irritat contractum: ergo maj. patet, aliàs ſincerè vitium diceret.

Contra neg. maj. quia talis taciturnitas non eſt dolus vel injuſtitia, quæ tunc ſolùm eſt, quando per occultationem defectuum res venalis redditur inutilis emptori, vel cariùs ipſi venditur, ut emptor poſſit rationabiliter eſſe invitus; in caſu noſtro autem non poteſt cenſeri invitus, cùm non occultetur ei vitium prorſus incognitum, aut nocivum, nec majori pretio quàm valeat vendatur.

Objicies contra 3. partem: vitium mercis emptori incognitum facit, quòd ſi emptor vitium præcognoviſſet illam rem non emiſſet; ſed quando quia emit, qui aliàs non emiſſet, non eſt voluntarius & conſentiens: ergo ut contractus talia ſit validus, ſemper debet manifeſtari vitium occultum.

Reſpondeo diſt. maj. vitium incognitum quoad ſubſtantiam mercis conc. incognitum ſolùm quoad qualitatem facit, quòd rem non emiſſet, neg. maj. prudens enim emptor plùs attendit ſubſtantiam, quàm qualitatem rei; nam hæc non ſemper deterret emptorem; inſuper jura involuntarium quoad qualitatem non dicunt eſſe cauſam annullandi contractum, ſed ſolum decernunt, ut pars damnificans teneatur reſiduum pretium parti damnificatæ reſtituere; imo cùm talis res non ſit inutilis, ſed æquè utilis, & non majori pretio vendatur quàm valeat cum vitio, non poteſt emptor rationabiliter eſſe invitus.

Dices: licèt illa res adhuc ſit utilis, poteſt tamen adhuc eſſe inutilis huic emptori in particulari pro tali uſu, pro quo emit: ergo non poterit occultari vitium.

Contra diſt. conſeq. non poterit occultari, ſi emptor non dicit ſe expreſsè vel implicitè velle ad talem uſum emere neg. ſi emptor diceret ſe rem ad talem uſum velle emere pro quo in particulari eſſet inutilis conc. conſeq. nam tunc omnino eſſet obligatio manifeſtandi vitium, quia hæc eſt intentio emptoris, adeóque aliter dolus daret cauſam contractui, & ideo in illa parte aſſertionis additum eſt non interrogatus.

Dices: ſi venditor manifeſtaret vitium emptori, tunc emptor poſſet illam rem iterum alteri vendere ut integram & majori pretio, quod eſſet injuſtum; ſed hujus cauſa fuiſſet primus venditor occultans vitium: ergo hoc non poteſt occultare.

Contra diſt. conſequens: non poteſt occultare per ſe neg. per accidens conc. conſeq. unde etiam in aſſertione fuit additum per ſe; quia non negamus, quòd aliquando per accidens

dcua teneatur venditor occultum vitium etiam noo damnificans proximum manifeſtare, nt ſi intelligeret emptorem emere res illas ad rurſum vendendas; nam tunc omnino eſſet cauſa moralis damni tertii.

13 Aſſero 2. Si venditor rei quoad corpus nullam ſpecialia cuſtodiæ curam in ſe ſuſcipit rei venditæ, nec eſt io mora tradendi & præterea diligentiorem (intellige ſicut de rebus commodatis, quæ ſemper exactius cuſtodiuntur ut etiam culpa levis evitetur) curam, ſicut alii boni Patresfamilias, adhibuit, & tamen rem venditam amiſit, tenetur quidem emptori cedere actiones ſi quas habet, de reliquo damnum eſt emptori, ita ut ei non competat actio ad intereſſe; & teneatur ſolvere pretium tam benè ac ſi res tradita fuiſſet; ſecus verò eſt, ſi res ſit vendita ad menſuram, nam ante menſurationem periens perit venditori, licet contractus venditionis ſit celebratus. Eſt communis Juriſtarum ex ff. L. 7. 8. 11. & præſertim 34. de periculo & commodo rei venditæ & ex C. L. 4. eodem tit. contra Cujacium & Vulterium.

Probatur prima pars primò: Contractus venditionis rei determinatæ ad corpus v.g. domûs eſt ſufficiens jure gentium ad transferendum dominium, quòd à re ipſa non transferatur ante traditionem eſt juris poſitivi ob certas rationes ſtatuentis: ergo etiam idem jus potuit nolle impedire, quia ante traditionem omnia rei commoda & incommoda ad emptorem pertinerent, perinde ac ſi dominium fuiſſet translatum, uti patet ex citatis LL. adeóque quamvis impediat dominium ante traditionem non tamen impedit effectum, qui ex dominio ſequi ſolet: & hoc fortè ideo ut emptores fiant cautiores in re empta à venditore recuperanda.

Probatur 2. Quamvis dominium rei venditæ ante traditionem non transferatur in emptorem, eſt tamen naturali ratione congruum, quod emptor volens habere commodum fructûs aliáſque acceſſiones rei venditæ etiam non traditæ, etiam conſentiat in incommodum & periculum, ita ut ſicut vult rem ſibi, quaſi eſſet dominus fructificare, ita etiam velit ſibi perire.

Probatur 3. Venditor tenetur ſolùm actione perſonali & itidem emptor, ſi pretium nondum tradidit, etiam tenetur venditori tantùm actione perſonali: ergo ſi venditori redditur impoſſibilis traditio, extinguitur obligatio; quia verò manet emptori poſſibilis ſolutio pretii, hæc non extinguitur, ſicut nec extingueretur, ſi res vendita ex alio titulo debita periret, emptor verò pecuniam ex alio titulo deberat.

14 Probatur 2. pars: natura venditionis ad numerum vel menſuram habet hanc tacitam conditionem, ut non transeat periculum rei venditæ in emptorem, donec illa fuerit tradita numerata vel menſurata, quæ menſuratio eſt quædam traditio, cum coram emptore fieri debeat; ſed venditio ſub conditione non cenſetur valida ante conditionis eventum: ergo. Hoc idem eſt dicendum in indeterminatis & guſtabilibus; quia in indeterminatis, ſi res eſt indeterminata quoad individuum, emptor poſt contractum habet jus ad aliqua individua exigenda, & venditor ſemper obligatus manet ad ſervandum contractum ſaltem quamdiu manet ſpecies vel genus: ergo ſi perit, perit venditori, cum emptori perire non poſſit, niſi determinata. In guſtabilibus quoque, ſi vinum emptum cum conditione guſtationis ante guſtationem deterioratur, perit venditori, etiamſi vaſa ab ipſo emptore ſint obſignata.

Objicies illud Tritum juris: *unaquæque res perit domino ſuo*; ſed venditor eſt dominus rei venditæ ante traditionem: ergo illi & non emptori perit. 15

Reſpondeo diſt. maj. perit domino ſuo, qui non eſt obligatus tradere alteri dominium, & à quo ad libitum non poteſt avocari exhibito pretio conc. maj. perit domino, qui ita eſt obligatus tradere neg. maj. nam in ordine ad commoda & incommoda fingitur à jure dominus eſſe emptor; adeóque licèt non ad omnes effectus, ad effectus tamen commodi & incommodi fictione juris ſit emptor dominus, ideo illud ly Dominus in textu opponitur depoſitario, uſurario, &c. apud quos, ſi res pereat, non talium periculo perit, ſed periculo domini, ſcilicet debitoris, ut habet L. 9. C. *de pignorat.* cit.

Dices: L. 33. ff. *locati* dicitur: ſi vendideris mihi fundum, isque priùs quàm vacuus traderetur, publicatus fuerit (intellige vi & majori potentiâ abreptus) teneris ex empto, quod hactenus verum erit, ut pretium reſtituas non verò intereſſe: ergo perit venditori.

Contra diſt. conſeq. perit venditori quando impotentia tradendi rem emptam provenit à jure, ut quando evincitur à Domino rei venditæ, vel à Principe ob neceſſitatem publicam, ut dat intelligere textus legis cit. nempe quando fundus publicatur à Principe, hoc eſt, ſi fit publicus ſeu publici juris v. g. excitando munitionem in illo, quod Princeps facere poteſt bono publico id exigente, modò domino fundi æſtimatio refundatur conc. conſeq. quando impotentia tradendi provenit ex aliquo facto aut caſu fortuito neg. conſeq. adeóque cum impotentia juris venditor nullum jus in re vendita retineat, quod emptori tradere poſſit meritò hoc juris damnum, eatenus ad ipſum pertinet, ut pretium ab emptore non poſſit exigere, acceptum verò reſtituere teneatur, quia non poſſit rem venditam ita tradere, ut non poſſit evinci ſaltem à jure. 1

Dices: L. 12. ff. *de periculo & commodo.* dicitur: quòd ſi lecti neque traditi eſſent, ne-

que emptor in mora fuiſſet, quò minùs traderentur venditoris periculum erit: ergo.

Contra neg. conſeq. quia ille textua hoc ideo ſtatuit, quia venditor poſuit lectos in via publica, quod eſt culpa venditoris & quidem lata rem alteri obligatam exponere injuriis in via publica, quod non obeſt aſſertioni noſtræ.

Dices: L. 31. de ſolutionibus. Excipitur caſus, quòd tunc periculum pertineat ad emptorem, quando merx fuit depoſita apud eum, quem emptor elegit, & ſibi imputare debet, quòd talem elegerit; ſed exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis: ergo in aliis caſibus periculum manet apud venditorem.

Contra neg. maj. nam ille textus non benè citatur de mercis periculo, cùm potiùs ſit de periculo pretii & noſtram ſupponat ſententiam; nam ita dicit: *conſequens eſſe puto, ut etiamſi & emptor nummos & venditor mercem quod invicem parùm fidei haberent, depoſuerint, & nummi emptoris periculo ſint, ſi ipſe, eum, apud quem deponeretur, elegerit, & nihilominus merx quoque* NB. merx quoque, *quia emptio perfecta eſt*; ex quo patet in hoc caſu tam periculum pretii quàm mercis eſſe penea emptorem, ſed ex diverſis cauſis; nam pretii quia elegit, mercis verò etiam ideo, quia contractus eſt perfectus.

Dices: ergo etiam periculum eſſet apud eum, qui ex contractu innominato, do ut des, ſolvit, & poſtea perit, quod alter debet, quod eſt contra legem fin. ff. *de conditione causâ datâ, causâ non ſecutâ.* Ubi dicitur: & ideo ſi mortuus eſt Stichus, intellige homo ſervus repetere poſſum, quod tibi dedi, ut mihi Stichum dares: ergo.

Contta neg. ſeq. quia diſpar eſt ratio de venditione & de contractu innominato, quòd nempe in hoc non amittatur res tradita, ſicut in priore pretium jam datum; quia jus hoc ita ſtatuit, imo ille contractus innominatus eſt potiſſimùm conditionatus, do ſi recipio, venditio autem eſt contractus abſolutiſſimus. Cæterùm ſi aliæ leges citarentur in contrarium plerumque loquuntur de rebus emptis in genere indeterminatè & ad menſuram, quarum periculum verò manet apud venditorem.

QUÆSTIO III.

An liceat currente pretio vendere merces, quando venditor privatè ſcit earum pretium brevi minuendum, & an liceat cariùs vendere ob dilatam vel minoris emere ob anticipatam ſolutionem?

1 ADvertendum eſt primo duobus modis poſſe ſcire venditorem pretium mercium eſſe minuendum: primò ratione mercium jamjam in abundantia advenientium. Secundò ratione legis ſtatuentis minus pretium nondum quidem promulgatæ, ſed proximè promulgandæ. Quæſtio ergo eſt non de notitia publica pretii, ſed de privata, ſi enim publica foret, nulli fieret injuria, ſi ita ſolveret, rurſus dupliciter poteſt ſe habere venditor reſpectu talis notitiæ: primò quòd habitâ tali notitiâ privatâ de minuendo pretio mercium non plùs diſtrahit de his mercibus, quàm eſſet aliàs diſtracturus, ſi pretium mercis non fuiſſet minuendum. Secundò quòd habita hujuſmodi privata notitia plùs diſtrahat quàm diſtracturus fuiſſet, ſi talem privatam notitiam non habuiſſet; in primo ergo ſenſu non procedit prima pars quæſtionis, cùm illa notitia non debeat plùs venditori nocere, quàm ſi talem notitiam non habuiſſet; adeóque ſolùm in ſenſu ſecundo prima pars quæſtionis procedit.

Advert. eſt ſecundò. Partem ſecundam 2
quæſtionis procedere, quando propter dilatam ſolutionem ſub licito termino juſti pretii exceduntur rerum pretia vendendo rem ultra ſummum pretium, aut ob anticipatam ſolutionem minoris infimo juſto pretio emendo: in quo puncto emptor cum venditore de re emenda per anticipatam ſolutionem dubus modis convenire poteſt: primò indeterminato quodam pretio, quo plùs vel minùs creditur res valitura tempore traditionis: ſecundò pretio determinato, quo merx valitura eſt tempore traditionis. Utroque modo contractus eſt juſtus etiamſi in priori contractu contingat vel pretium augeri vel minui infra dimidium infimi; quia ex parte utriusque contrahentis fuit æqualis fortuna & periculum; uterque enim expoſuit ſe æquali dubio damni: vel lucri, ideo pretium talis contractus non eſt illud, quod erat futurum in re, ſed quod tempore celebrationis erat ſub ſpe, ſive ergo augeatur ſive minuatur in re, non augetur vel minuitur in ſpecie; quare illi ſtandum eſt, ſi tamen emptor aut venditor eſt certò ſciens pretium vel augendum vel minuendum tempore traditionis tunc contractus non eſſet juſtus: quia tunc non eſſet æqua ſors utriusque, neque periculum æquale.

Advert. eſt tertiò: partem ſecundam quæ- 3
ſtionis poſſe etiam procedere de creditis, an minoris emi poſſint anticipata pecunia quàm re ipsâ contineant, eſt autem creditum aliud maturum, aliud immaturum, primum eſt, cujus ſolutionis tempus jam advenit & præteriit. Secundum cujus tempus nondum advenit, ſed anticipato pretio illud emitur, & hoc utrumque poteſt eſſe vel dubium vel litibus implicatum, & nonniſi magnis expenſis impetrandum, in quo caſu conveniunt authores, quòd propter tales difficultates illud creditum vel Chirographum minoris poſſit emi anticipata ſolutione juxta proportionem tamen talium difficultatum, cùm in morali æſtimatione hominum talia credita ſemper minoris exiſtimentur. Hinc juxta Leſſium poteſt aliquando dimidio emi, & aliquando planè minoris

v. g.

v. g. Chirographum in ſe conſideratum valens
100. poſſet emi 50. 40. vel 30. imo adhuc mi-
noris, ſi exigua ſit ſpes v. g. apud Principem
Turcarum, etiamſi alter totum poſſit obtine-
re, eò quòd hæc ſit illius fortuna. Vel pot-
eſt eſſe certum & tutum ac carens prædictis
difficultatibus, & ut dicitur liquidum tum ex
parte venditoris tum emptoris, in quo caſu
procedit. His ergo notatis:

Propoſitio prima. *Senatores vel conſiliarii*
4 *Principis, etſi certò ſciant futuram legis pretia
diminuentis promulgationem, non tenentur ſuis
emptoribus manifeſtare promulgationem futu-
ram ante tempus aſſignatum à Principe, non
tamen poſſunt etiam differre promulgationem eo
ſolo fine, ut vendant ſuas merces ipſi aut eorum
amici.* Ratio primi eſt; quia Senatores per
hoc quod priùs ſciant non ſunt deterioris con-
ditionis, quàm alii venditores: ergo illi ſuis
emptoribus non tenentur manifeſtare promul-
gationem futuram ante tempus aſſignatum à
Principe. Ratio autem ſecundi eſt, quia in
illo caſu viderentur abuti ſua poteſtate in dam-
num ſubditorum, quæ tamen ſolum in bonum
commune eſt conceſſa, & ideo in tali caſu eſ-
ſet abuſus, ubi aliàs eſſet ſolùm uſus ſcientiæ,
& actus prudentiæ œconomicæ, quæ reſpicit
propria commoda. Cæterùm licèt Senator
faciat contra officium, cùm ei ſit ſilentium im-
poſitum, ſi futuram diminutionem mercium
ſuo amico patefaceret, ut ante ſtatutum tem-
pus ſuas merces divenderet talis tamen patefa-
ctor non tenetur ad compenſationem damni,
cum non fuerit cauſa damni injuſti, ſi alter ju-
ſto pretio res ſuas vendiderit, etſi puniri poſ-
ſit ob violationem ſilentii.

Probatur 2. *Senatores vel conſiliarii inter-*
5 *rogati v. g. de diſceſſu aulæ de futura copia mer-
cium, de diminutione Tritici vel monetæ non
peccant contra juſtitiam ſi dicant ſe neſcire.*
Ratio eſt, quia non tenentur veritatem aperire,
cum ſuo damno, ideóque poſſunt uti æquivo-
catione. Imò putant aliqui etiam non pecca-
re contra juſtitiam, etiamſi planè dicant non
futuram eſſe diminutionem, quia tale menda-
cium non eſſet pernicioſum ſed officioſum ad
avertendum damnum proprium, adeóque licèt
utatur malo medio ſcilicet mendacio non tamen
contra juſtitiam ſed tantùm contra veritatem &
aliquando contra charitatem.

6 Propoſitio 3. *Licitum eſt rem cariùs ven-
dere dilata ſolutione juxta limites juſti pretii,
ut ſi præſenti vel numerata pecunia vendebat
quis rem pretio infimo poterit credito ſive ob di-
latam ſolutionem vendere pretio ſupremo.* Ra-
tio eſt; quia tale pretium, eſto rigoroſum, li-
mites juſti pretii non excedit: ergo ſive eo
pretio res vendantur expectatâ pecuniâ, ſive
numeratâ juſtè venduntur; quia detrahere de
pretio rigoroſo eſt gratia, quam mercator pro
ſua voluntate dare poteſt, quando voluerit:
& illud non detrahendo nullam committit in-
juſtitiam, cùm ob id latitudinem pretii juſti
non excedat.

Propoſitio 4. *Si credita futura poſſunt* 7
*minoris emi anticipata ſolutione ab aliis etiam
ipſe debitor poteſt parata pecunia ſuum debitum
futurum ſive immaturum minoris redimere.*
Ratio eſt; quia ſi hoc non eſt injuſtum in aliis,
nec poteſt in ipſo debitore eſſe injuſtum, hinc
ſi debitor vi contractûs non niſi poſt annum
elapſum teneatur debitum perſolvere, & ex
anticipata ſolutione damnum incurreret, in
quod aliàs non incidiſſet, vel lucro privaretur,
quod tali pecuniâ ſibi potuerit comparare,
poſſet anticipato futurum ſuum debitum mino-
ris redimere, ratione lucri ceſſantis vel damni
emergentis. His itaque propoſitis:

Aſſero primò ad quæſtionem: *Venditor* 8
*poteſt licitè ſuas merces vendere citra injuſtitiam
currente pretio ſive privatâ ſcientiâ ſciat brevi
pretium minuendum ob adventum novarum
mercium ſive ob legem Principis.* Deduci pot-
eſt ex Scoto in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo
articulo.* ubi dicit: *qua autem iſta latitudo* (pu-
ta æqualitatis, valoris rei, & juſti pretii) *& ad
quantum ſe extendat, quandoque ex lege poſiti-
va, quandoque ex conſuetudine innoteſcit.* Eſt
autem expreſsè D. Thomæ, Leſſii & aliorum
contra Medinam.

Probatur prima pars. Tum quia ſemper
licitum eſt ſuas merces vendere pretio, quod
communi æſtimatione hominum vel publica
lege Principis eſt definitum tempore, quo mer-
ces venduntur nullo habito reſpectu ad tempus
futurum, nam tale pretium pro hic & nunc
cenſetur juſtum, ut ſentit Scotus in aſſertione
cit. ſed qui ſcit merces brevi levioris valoris fu-
turas ob adventum aliarum, & eas currente
pretio vendit, ille vendit pretio, quod com-
muni æſtimatione hominum eſt pro illo tem-
pore definitum: ergo. Tum quia poteſt quis
licitè prævidens futuram mercium inopiam vi-
li pretio currente emere, ut poſtea ſummo
vendat, uti patet ex facto Joſeph Geneſis 40.
ergo etiam licitè poteſt quis prævidens futuram
copiam mercium juſto currente pretio vende-
re, ne poſtea cogatur vili vendere. conſeq. pa-
tet à pari, quia tanta committitur injuſtitia in
emptione, quanta in venditione.

Probatur 2. pars. Tum quia lex antequam 9
promulgatur, non obligat ex dictis de legibus:
ergo non mutat pretium mercium antiqua lege
taxatum; ſed quamdiu lex nova vel jam con-
cepta non obligat, pretium antiquum eſt ju-
ſtum: ergo tamdiu poteſt quis currente pre-
tio vendere, quamvis ſciat privatâ notitiâ per
poſitionem novæ legis brevi pretium mer-
cium fore minuendum. Tum quia qui ſe-
cundùm legem antiquam nondum abrogatam
operatur, licitè agit, etiamſi ſciat illam legem
brevi tollendam. Additum fuit in aſſertione
citra injuſtitiam, quia interdum tales vendito-
res poſſunt peccare contra charitatem, ut ſi ex
tali

tali venditione emptor redigeretur ad extremam vel gravem neceſſitatem, eò quòd ingentem copiam ſic ei vendiderit, nam multa debent fieri ex charitate, ad quæ facienda non eſt obligatio ex juſtitia. Dixi iterum interdum, quia regulariter loquendo talis venditio nec eſt contra charitatem, nam poteſt quis rebus ſuis conſulere, licèt inde par damnum eveniat proximo ſuo, nec tenetur quis proprium lucrum intermittere, ſi inde leve damnum oriatur ementi, leve tamen debet eſſe damnum, quia lex charitatis prohibet, ne lucrum proprium quæratur cum damno notabili proximi, & præterea cavendum eſt, ne emptor fraudibus & mendaciis alliciatur ad emendum, quia ſic injuſto modo eſſet cauſa damni, ac proinde læderet juſtitiam & teneretur ad reſtitutionem ut v. g. ſi ſubornaret aliquem, qui emptoribus perſuaderet pretium brevi augendum.

10 Objicies contra primam partem: non poteſt venditor licitè merces currente pretio vendere, quando nequit tale pretium retinere; ſed in caſu aſſertionis nequit pretium retinere: ergo. min. probatur, emptores in tali caſu tanquam ignorantes conſentiunt: ergo non liberè conſentiunt in tradendum tale pretium, per conſequens nequit venditor illud retinere.

Reſpondeo neg. min. diſt. antecedens ignorantes ignorantia lædente contractum neg. non lædente contractum conc. antecedens, nam cùm talis ignorantia non cauſetur ab ipſo venditore fraude vel dolo, ſed ab ipſa temporis & circumſtantiarum varietate non tollit voluntarium ad validitatem contractûs; aliàs quoque illi mercatores qui ignorantes brevi futuram mercium copiam currente pretio vendiderunt, ad reſtitutionem tenerentur, nam etiam reſpectu talium venditorum emptores ignorantes in pretii quantitatem conſenſerunt, cum ſi ſciviſſent abundantiam futuram non dediſſent tantum pretium. Negatur ergo conſeq. proba quia ementes tali caſu hic & tunc liberè conſentiunt libertate cauſata ex præſenti & currenti earum mercium æſtimatione, quæ ſolùm hic & nunc eſt practica regula talis contractûs.

Dices: etiam prudenti hominum æſtimatione res cujus pretium brevi minuendum, non tanti valet, quanti ſi non foret minuendum: ergo antecedens probatur. Talis æſtimatio fundatur in ignorantia & errore, conſequenter non eſt legitima & ſufficiens ad pretium taxandum.

Contra neg. antecedens, nam prudens æſtimatio non eſt addanda penes unum vel alterum, qui privatâ notitiâ novit brevi futuram copiam mercium, ſed penes communitatem, quæ hic & nunc prudenter practicè judicat hoc eſſe pretium juſtum & licèt hæc communis æſtimatio fundetur in ignorantia circumſtantiarum extrinſecarum mercium, adhuc tamen hæc facit juſtum pretium, ut patet in æſtimatione rei occulto vitio ſubjectæ, quæ nihilominus vulgato pretio æſtimatur. Nec etiam dici poteſt tale judicium practicum, cùm fundetur in præſentibus circumſtantiis communiter omnibus notis.

Dices: ſciens vinum per qualitatem intrinſecam phyſicam brevi corrumpendum, hoc non manifeſtans emptori, aut de pretio non diminuens peccat contra juſtitiam: ergo ſimiliter venditor tenetur emptori manifeſtare pretium brevi minuendum, vel ſaltem aliquid de currente pretio remittere.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia deterioratio proveniens, eſt à phyſica qualitate rei, utpote intrinſecum rei vitium, ideo tenetur illud manifeſtare venditor, aliàs eſſet moralis cauſa damnificationis; copia autem mercium futurarum, & per conſequens futura diminutio pretii mercium præſentium eſt prorſus extrinſeca rei, nec venditur cum ipſa re, nec hujus diminutionis pretii dat cauſam ipſe venditor, ſed aliunde cauſatur ab extrinſeco; imo talis futura copia æquè ab emptore ſciri poſſet, quòd autem ſæpius ſciatur à venditore non emptore, id erit tribuendum particulari induſtriæ venditorum. Unde Scotus cit. §. *ſequitur de commutatione.* dicit: *unusquisque poteſt induſtriam ſuam & ſolicitudinem juſtè vendere.*

Objicies contra 2. partem: Lex eſt publica regula æqualiter ab omnibus tum inſciis tum conſciis ſervanda: ergo contra juſtitiam delinquit, qui eâ in aliorum præjudicium utitur, diſtrahendo merces ſuas pretio currente, habitâ notitiâ legis de pretio minuendo. Conſequentia probatur. Talis in fraudem legis vendit a ergo. 11

Reſpondeo diſt. antecedens, poſtquam lex eſt ſufficienter promulgata conc. ante talem promulgationem neg. antecedens, cùm enim poſt promulgationem ſolùm incipiat eſſe regula communis reſpectu omnium facta, licebit eâ non uti in aliorum gravamen ante promulgationem, non verò dum eſt propoſita, ut communis regula omnium; ſed licebit uti lege priori, & ei ſe conformare. Neque dicendus eſt hoc facere fraude, qui utitur jure ſuo.

Dices: ſi Princeps alicui aperiret ſuum decretum ante promulgationem, & talis ex occaſione notitiæ in præjudicium & damnum aliorum illo uteretur diſtrahendo plùs de mercibus, Princeps teneretur reſtitutionem, quia dedit occaſionem damni: ergo etiam ille, qui privatâ tali utitur notitiâ.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia Princeps tenetur ex juſtitia vi proprii officii, & ex tacito pacto cum ſubditis dare operam, ut ſuos cives ſervet indemnes ab omni, quantum fieri poteſt, damno: & conſequenter, ne ex talibus decretis, quibus pretia mutuantur, ut eorum promulgationis inæqualitate aliquibus præ aliis eveniat damnum. Alii autem qui tali notitiâ privatâ utuntur, non tenentur aliorum incommoda curare, & damna ex ju-

ſtitia

ſtitia avertere, nec ulla lex vetat, ne talis utatur notitiâ illius decreti in ſuum commodum. Vide ultra propoſitionem 1. & 2.

12 Aſſero 2. *Ob ſolam dilationem ſolutionis non licet cariùs, hoc eſt ſupra* legitimum ſummum pretium res vendere, quàm valeant tempore venditionis, nec licèt minoris emere ob ſolam anticipatam ſolutionem, ſi nulla alia ſubſit cauſa, pariter nec debita certa poſſunt minoris emi ob anticipatam pecuniam, quàm re ipſa contineant. Eſt Scoti cit. §. *de ſecundo articulo* dicentis: *prima (regula juſti) eſt, quòd commutans non commutet & vendat tempus, quia tempus non eſt ſuum.* Eſtque communis, & quoad ultimam partem contra Navarrum.

Probatur prima pars: rem vendere majoris præcisè ob dilatam ſolutionem eſt contractus uſurarius ſeu palliata uſura virtualis per contractum venditionis: ergo. Antec. probatur. Ob dilatam ſolutionem pluris vendere, quàm de præſenti valeat, idem eſt ac ſi emptor de præſenti ſolveret pretium, illudque ſolutum à venditore daretur emptori mutuò, ut ex eo aliquid ſupra ſortem pro ſola temporis dilatione acciperet, ac ſi v. g. mutuarentur 100. ad certum tempus, & exigerentur 100. & 10. quod eſt uſurarium, quia ſolum tempus venderetur, ut inquit Scotus cit. ſeu pro ſola dilatione temporis aliquid ſupra ſortem acciperetur.

13 Probatur 2. pars: quòd res majori vel minori pretio poſſit vendi, oritur vel ex majore, vel minore æſtimabilitate rei vendendæ; ſed anticipata ſolutio non facit rem in ſubſtantia eſſe majoris vel minoris æſtimabilitatis: ergo cum non faciat anticipata majorem vel minorem æſtimabilitatem, ſequitur, quòd ob hanc præcisè non ſit licitum rem majoris vel minoris vendere, ſi ſcilicet nulla alia ſubſit juſta cauſa v. g. damni emergentis, lucri ceſſantis, aut alterius difficultatis.

14 Probatur tertia pars: debitum certum v. g. 1000. fl. ad annum ſolvendum tantum valent quantum 1000. præſentes omni dubio remoto, periculo, damno emergente, vel lucro ceſſante: ergo ſicut non licet citra uſuram pro 1000. fl. præcisè dare 990. ita neque licebit his 990. fl. emere debitum 1000. florenorum. Antec. patet, quia debitum certum 1000. florenorum, nil aliud eſt, quàm ipſa ſumma 1000. florenorum, & ideo damnata eſt propoſitio: *Quòd numerata pecunia ſit pretioſior numeranda.* Conſequentia vero tenet à paritate rationis.

15 Objicies contra primam partem: plùs valet res actu poſſeſſa, quàm in ſpe poſſidenda: ergo etiam minoris valet pecunia in ſpe quam actu poſſeſſa: ergo ob dilationem ſolutionis licitum erit cariùs emere. Antec. patet, quia etiam poſſeſſa beatitudo eſt majoris æſtimabilitatis, quam beatitudo in ſpe.

Reſpondeo diſt. antec. quàm in ſpe dubia conc. quàm in ſpe certa neg. antec. verùm igitur eſt, ſi pecunia in ſpe poſſidenda indiget magno labore, quòd in eo caſu pecunia plus valeat in re, quam in ſpe, uti in advert. 3. prænotavimus: ubi autem non ſunt tales difficultates, eodem modo ſe habet pecunia in ſpe certa, ſicut in re, uti patet à pari de depoſito, ubi pecunia depoſita apud amicum & adhuc ab ipſo poſſeſſa habet eandem æſtimabilitatem. Ad probam etiam diſtinguo antec. eſt majoris æſtimabilitatis ſimpliciter & præcisè neg. in quantum poſſeſſio ſecum trahit rationem fruitionis conc. hinc ſi alicui fieret revelatio de pro certo obtinenda beatitudine tam firma eſſet illa revelatio, quàm actualis acceptio beatitudinis, & in ratione conſecutionis tam firma eſſet illa ſpes, quàm actualis poſſeſſio, licèt hæc ſecum ferat fruitionem, ratione cujus eſt majoris æſtimabilitatis; pecunia autem in re non obtinet majorem fruitionem aut æſtimabilitatem, quàm pecunia in ſpe certa.

Objicies contra 2. partem: ſe actu privare 16
dominio rei ſuæ eſt pretiò æſtimabile, ſed anticipata pecunia privationem dominii rei ſuæ involvit: ergo.

Reſpondeo diſt. maj. privare ſe dominio abſque æquivalente utilitate refundenda, eſt pretio æſtimabile conc. cum refuſione æquivalentis utilitatis neg. maj. in præſenti autem caſu merces certò futuræ ſunt æquivalentis utilitatis cum anticipata pecunia, per conſequens etiam nullam ultroneam habent æſtimabilitatem; imo abſolutè poſſet negari major, ubi privatio dominii nullum affert periculum vel damnum, prout contingit in præſenti. Ubi quidem ob anticipatam ſolutionem privat ſe quis dominio actuali, nullum tamen inde ſentit onus, vel periculum; aliàs enim quævis res conceſſa ſimpliciter eſſet pretiò majori æſtimabilis, quia transfert actualem poſſeſſionem, quod tamen nullus admittit, ſed ſolùm tunc quando talis privatio eſt cum periculo perdendi rem ſuam vel ubi intervenit damnum emergens vel lucrum ceſſans, uti diximus de mutuo.

Objicies contra 3. partem: Credita etiam 17
certa communiter minoris æſtimantur, quàm parata pecunia: ergo licitè poſſunt minoris emi. Antec. patet ab experientia & ratione, quia illa credita toto tempore, quò non ſolvuntur ſunt intrinſecè inutilia.

Reſpondeo diſt. antec. æſtimantur minoris ſimpliciter & intrinſecè neg. extrinſecè propter periculum vel difficultates conc. ad probam dico hoc idem dici poſſe de pecunia parata, quæ etiam intrinſecè eſt inutilis, & ſecundùm ſe nec fructificat niſi induſtriâ hominis; unde ſequitur, quòd ſolùm titulo induſtriæ vel lucri poſſit aliquid ſupra ſortem accipi.

Dices: juxta illud Tritum: merces ultroneæ pro tertia parte vileſcunt, ſed credita etiam certa ſunt merces ultroneæ, cùm communiter homines rogentur emere hujusmodi credita: ergo emi poſſunt minoris quàm valeaot ſaltem pro tertia parte.

Contra diſt. illud Tritum: merces ultroneæ, quæ ex ſe non habent certum pretium, & quæ tempore traditionis non plùs valent, quàm tempore ſolutionis conc. ſecus neg. maj. diſparitas autem eſt, quia pretium emptionis factæ anticipata ſolutione eſt id, quô res æſtimatur tempore, quô traditur, non verò, quô ſolvitur, eo quod menſura pretii attendenda ſit tempore traditionis mercis non ſolutionis pretii. Debita autem certa tanti valent ex oatura rei & prudenti æſtimatione tempore præſantis ſolutioois, quàm in termino traditionis vel receptionis valeot, quare licitè minoris emi non poſſuot, quàm io ſe contineant, adeóque cùm merces, quæ ex neceſſitate de præſenti exponuntur, offeruntur & venduntur, minùs valeant tempore traditionis quàm ſecundùm ſe, ſic minùs emi & ſolvi poſſunt, credita verò certa cùm non minùs valeant tempore traditionis quàm ſolutionis, nequeunt minùs emi, quia ut ſupponitur, nullus alius eſſet titulus juſtus quàm anticipatio ſolutionis ſive tempus, quod vendere non eſt licitum.

DISTINCTIO XV.

De Juſtitia in Judiciis.

QUÆSTIO Unica.

An reus à Judice legitimè interrogatus ſinè amphibologia teneatur fateri crimen occultum verum.

1 ADvertendum eſt primò: juſtitiam maximè in tribunalibus & Judiciis ſuam habera ſedem; ideo poſt alia hic de judiciis agendum erit, judicium autem formale potiſſimum 3. Principales perſonæ complent ſcilicet judex, cui accedit aſſeſſor: accuſator, cui accedit teſtis: & reus, cui accedit advocatus; eſt igitur judex perſona publica ad hoc conſtituta, ut ſecundùm leges populo jus dicat, alius eſt ordinarius, qui ex officio omnibus cauſis præeſt, ſive ſit ſupremus ſive ſubordinatus, alius eſt delegatus, cui ſuas vices commiſit ordinarius, alius eſt arbitrarius ſeu compromiſſarius, qui conſenſu partium eſt electus, ut litem dirimat; aſſeſſores autem ſunt, qui judicem in ſuo officio juvant ſcilicet in cognitione cauſarum dando conſilium, imo hodie ſoleot magiſtratus aſſeſſoribus ſuis committere cauſarum cognitioocm reſervata ſibi ſententiæ publicatione & ultima cognitione.

Advert. 2. Accuſatorem eſſe illum, qui jus ſuum aut crimen defert ad publicam deciſionem; qui ergo io cauſis civilibus jus ſuum defert, dicitur actor, & qui in criminalibus defert crimen, propriè dicitur accuſator, qui differt à denuntiante, quòd ille ſe conſtituat partem contra accuſatum, & in ſe onus probandi recipiat, non autem ſimplex denunciator. Interim autem ad accuſandum variæ perſonæ ſunt inhabiles; nam primò non admittitur filiusfamilias & ſervus. Secundò impubes ac Minorennis ob defectum ætatis. Tertiò mulier ob imbecillitatem ſexûs. Quartò infamis & excommunicatus ob indignitatem perſonæ. Quintò qui nummis eſt conductus ad accuſandum. Sextò inimicus accuſati ob defectum fidei. Septimò ſervus, Libertus, Vaſallus contra dominum ob reverentiam accuſati. Octavò, Maritus contra uxorem, frater contra fratrem, ob amorem, qui tamen ad accuſandum admittuntur, ſi ſuam ſuorúmque injuriam proſequantur, L. *ſi autem omnes.* ff. de accuſatoribus. Eſt autem in duplici tantùm caſu obligatio accuſandi; primò ſi crimen vergit in damnum Reipublicæ. Secundò quando ex crimine adhuc peodente imminet tertio innocenti grave periculum nullum verò accuſatori. Oportet tamen etiam io his caſibus, ut delictum poſſit ſufficienter probari, neque per charitativam denuntiationem aut fraternam correctionem emendari; aliàs extra hos caſus non eſt licita accuſatio; cum gravis infamiæ nota conſequatur proximo, & nullum Reipublicæ aut alterius proximi damnum; & in his caſibus etiam obligantur teſtes deponere teſtimonium, ſi à legitimo judice juridicè interrogentur; non verò ſi notitia criminis habeatur ex confeſſione ſacramentali, nec ſi dolo notitiam obtinuerit, ut aperiendo literas, nec ſi teſtimonium eſſet inutile ad plenam probationem, nec ſi damnum grave inde prudenter timeatur. Cæterùm teſtes debent eſſe omni exceptione majores, hoc eſt nullum debeot habere impedimentum, quod ipſis objici poſſet, uti dicunt hi verſus: 2

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Conditio ergo excludit ſervos, ſexus in criminalibus mulierem excepta hæreſi, læſa Majeſtate, Sodomiâ, maleficiô, falſificatione monetæ, & hoc de jure Canonico; nam jus civile in omni cauſa admittit mulieres exceptô teſtamentô, ætas excludit impuberes, diſcretio furioſos, fama infames, fortuna pauperes, fides infideles, præſertim in materia Religionis.

Advert. eſt 3. reum eſſe alteram partem litigantium, & denominatur à re, quæ in judicio 3

cio ab actore petitur, ut à reo præſtetur, & dividitur in civilem, & criminalem, ſicut
3 actor; advocatus autem eſt, qui ambigua facta cauſarum dirimit, & ſuæ defenſionis viribus lapſa erigit, & reos defendit. Ab advocando tamen aliquas perſonas jura prohibent: primò ob impotentiam infantes, & amentes. Secundò Religioſos ob dignitatem perſonæ & ſtatûs, quem non decet importunis fori negotiis avocari à divinis, niſi de mandato ſui Prælati pro cauſa monaſterii & Religionis. Tertiò Clericos in foro ſæculari, niſi pro ſe, & ſuis Eccleſiis, vel miſerabilibus perſonis ſuſcipiant patrocinium. Quartò ob indignitatem infideles & criminoſos &c. niſi aliquando ſit neceſſitas advocandi; nam neceſſitas non habet legem. Cæterùm verò advocatus aliqua ex miſericordia, aliqua ex juſtitia tenetur obſervare, ex miſericordia, ſi habeat ſufficientem peritiam & ſpem liberandi, tenetur ſub gravi culpa gratis patrocinari pauperibus, injuſtè oppreſſis, & in extrema vel gravi neceſſitate conſtitutis v. g. ſi quis eſſet injuſtè damnatus ad triremes, quia præceptum charitatis obligat ad ſuccurrendum proximo in tali neceſſitate. Ex juſtitia tenetur primò abſtinere à falſis allegationibus, quibus parti adverſæ adferretur injuſtum nocumentum. Secundò ne pro ſuo commodo Clientis diſpendio pernitioſis dilationibus contentioſum funem trahat. Tertiò ne cauſam injuſtam ſuſcipiat, vel ſi in proceſſu injuſtam deprehenderit, defendere pergat. Quartò ne parti adverſæ ſuæ cauſæ debilitatem in præjudicium ſui clientis detegat.

4 Advertend. eſt 4. viſis ergo his tribus perſonis judicium formale conſtituentibus judex in judicando ſemper debet præmittere inquiſitionem, quæ triplex eſt, prima eſt generalis, & fit abſque ulla perſonæ aut criminis determinati expreſſione, quâ etiam nullo præluccente indicio aut præcurrente infamia licitè utuntur viſitatores, dum inquirunt, an in communitate aliquis legum temerator reperiatur? ubi tamen ſubditi crimina occulta, aut quæ juridicè probari non poſſunt, denuntiare non debent ob injuſtam infamiam denuntiati. Secunda eſt inquiſitio ſpecialis de perſona vel delicto particulari v. g. an Titius commiſerit furtum? & hæc non inſtituitur licitè, priusquam præceſſit infamia perſonæ, quæ debet ſupplere vicem accuſatoris. Infamia autem non dicitur frequens vox diſcolorum, ſed talis, ut apud probos & providos perſona reddatur ſuſpecta. Interim tamen præter infamiam dantur alia indicia, à quibus præſertim judex civilis ad inquirendum moveri poteſt, ut eſt denuntiatio perſonæ gravis &c. Tertia eſt inquiſitio mixta de perſona indeterminata in delicto determinato v. g. quis ſit author ipſius homicidii &c.

5 Advert. eſt 5. Olim quidem plurimos authores docuiſſe reſtrictiones purè mentales ex juſta cauſa licere, hodie tamen omnino illicitæ ſunt, Innocentio XI. proſcribente ſequentem propoſitionem, quæ eſt num. 26. *ſi quis vel ſolus vel coram aliis ſive interrogatus vel propria ſponte ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo aliquid, quod non fecit, vel aliam viam in qua non fecit, reverà non mentitur nec eſt perjurus.* Reſtrictio autem purè mentalis dicitur illa cujus ſenſum verba exterius prolata omnino habere non poſſunt, v. g. ſi quis occidit Titium in die Veneris dicat verbis: non occidi Titium intelligendo die Dominica. Reſtrictio verò non pura eſt, cujus ſenſus poſſet per verba intelligi, ſi cum diligentia diſcuterentur, & ideo dantur 4. modi ſine mendacio uſurpandi reſtrictiones ſeu amphibologias, qui non ſunt damnati, cum & Chriſtus eos aliquando adhibuerit ut Joan. 7. dicens: *non aſcendam ad diem feſtum*, ubi tamen aſcendit ſcilicet non ad patranda miracula & publice. Primus ergo modus eſt, quando verba ſunt ambigua, æquivoca, & ego utor in uno ſenſu, alter vero putat in alio, ut ſi quis volens aliquem occultare diceret non eſt hic, quando non commedit hic, quia utramque ſignificationem habet verbum eſt. Huc revocari poteſt verbum ſcio, quod aliquando ſignificat notitiam evidentem, aliquando obſcuram, aliquando aliis manifeſtabilem; ideo ſi juſta adeſt cauſa licitum erit ſic dicere non ſcio, id eſt notitiâ manifeſtabili, non verò ſi non adſit juſta cauſa. Secundus modus eſt, quando verba ex ſua ſignificatione non ſunt ambigua, ſed tamen attentis circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ limitantur ad aliud ſignificatum, ut dicitur de noſtro S. P. Franciſco interrogato, an latrones hàc tranſierint, mittens manus in manicas reſpondit non tranſierunt hàc. Tertius modus eſt occultare veritatem per metaphoras. Sic S. Auguſtinus excuſat Jacob, dum dixit: ego ſum primogenitus tuus Eſau nempe in figura & Dei ordinatione. Sic vir ſpiritualis dicere poteſt, quòd ſibi noceat cibus delicatior nempe in Spiritu, vel dum dolores patitur, quòd benè valeat ſcilicet in anima. Quartus modus eſt, dum quis reſpondet ad mentem interrogantis, quamvis interrogans eam non rectè percipiat, ſic qui aliquando furtum fecit, quod jam eſt confeſſus, interrogatus in alia confeſſione, utrum furtum fecerit, licitè reſpondet ſe non feciſſe, quia licèt talis negatio ſit univerſalis, limitatur tamen ex intentione Confeſſarii, cujus per ſe ſolùm eſt interrogare, quæ non ſunt debitè expoſita in alia confeſſione, & ideo eſt ſenſus, non feci furtum, quod non ſum confeſſus, ſic etiam qui habet unum panem ſibi neceſſarium, benè reſpondet, ſe nullum habere, nempe quem poſſit commodare alteri, de quo ſolo alter interrogat, & ſic etiam licitè Con-

feſſarius interrogatus de peccatis ille negat, quia eſto non reſponderet juxta intentionem formalem interrogantis, reſpondet tamen ei juxta intentionem debitam; unde ſibi imputet, quòd interroget de te, quam ſcit non eſſe manifeſtabilem.

6 Advert. eſt 6. Me quidem in ſcholis aliquando docuiſſe reum teneri ex conſcientia fateri ſine omni reſtrictione crimen occultum judici legitimè interroganti, & aliquo modo deviâſſe à via Scoti in 4. Diſt. 15. quæſt. 4. §. *de tertio membro.* ſtatuentis: *quod non teneatur quis retractare negationem ſuam quâ negavit in publico verum crimen ſibi impoſitum, quia non tenetur quicunque ſtatim in judicio confiteri ſe reum nondum convictus, tenetur tamen per quadam verba ſobria, ut dictum eſt in proximo articulo reſtituere famam illi accuſanti, quem indirectè de calumnia notavit, dicendo: non habeatis illum pro calumniatore, quia credo, quod habuit bonam intentionem proponendo, vel fortè ſe credidit probare intentum ſuum & deceptus fuit.* Deflexeram aliquo modo ab hoc ſenſu motus maximè praxi communiori qua reo in judicio deferebatur juramentum de dicenda veritate; aſt quia recenter Benedictus XIII. feliciter regnans in ultimo Concilio Lateranenſi anno 1725. celebrato tit. 13. c. 2. hæc habet: *reprehenſibile judicari non debet, ſi ſecundum temporum varietates, ubi id neceſſitas vel utilitas expeſcat, conſuetudines & leges quandoque varientur humanæ; ipſe enim DEUS & Dominus æternus Legifer noſter ex iis, qua veteri teſtamento ſtatuerat, multa poſtmodum mutavit in nove, ſtylum itaque in quibusdam curiis ſæcularibus & Eccleſiaſticis nullo unquam jure præceptum inoleviſſe perpendimus, ut judices ſive eorum notarii & ſcribæ rei criminali facinore accuſatos examinaturi juramentum ab his præſtari jubeant de veritate dicenda, quia tamen ex hoc, quotidiana ſicuti eſt experientia compertum, nec in fiſci favorem, nec contra reos ipſos, qui ut plurimùm patrata à ſe negant delicta utilitatis aliquid effici non ignoratur, adeo ut in peculiari hac facti contingentia, ne dum talia deinceps juramenta exigendi neceſſitas non adeſſe probetur; imo potiùs ne illa penitus exigantur, ſacri ipſa juramenti ratio poſtulet ac ſuadeat, hinc eſt, quod nos juramentum ipſum per reos ſic criminaliter inquiſites præſtandum conſulto tollendum & ſubmovendum dicimus; prout præſenti conſtitutione omnino tollimus & ſubmovemus.* Unde

7 Advertendum eſt 7. Per quæ tamen juramentum imponendum teſtibus, qui pro aliis examinantur, nullatenùs ſubmovetur, ut ipſemet Pontifex excipit, cum pro teſtibus tale periculum vitæ non currat, nec ii tantæ anxietati ſubjiciantur ſicut rei, quæ omnia cum multùm videantur favere ſententiæ Scoti me in hac quæſtione ex integro in ſententiam Scoti reducere, eique me conformare volui. His notatis:

Propoſitio 1. *Judex habens titulum coloratum juriſdictionis, ut eſt ille, qui communi errore æſtimatur habere juriſdictionem, quam tamen ratione alicujus defectûs non habet, adhuc validos actus judiciales exercet.* Ratio eſt; quia in tali caſu ad evertenda mala ab ipſo jure extraordinariè confertur juriſdictio ad ſingulos actus, dummodo illud impedimentum aut defectus non ſit juris divini, ſed ſolùm humani; hinc Sacerdos non legitimè ordinatus licèt communi æſtimatione habeatur ordinatus & approbatus, non validè abſolvit à peccatis; quia habet defectum characteris, qui eſt juris divini, nec ab Eccleſia ſuppleri poteſt, benè tamen ſi legitimè ordinatus Sacerdos putatur Confeſſarius, qui non eſt abſolvit. 8

Propoſitio 2. *Judex per acceptationem perſonarum adjudicando alicui aliquid ob conditiones impertinentes alicujus perſonæ ad negotium, quod ſecundùm merita perſonarum vel cauſæ alteri eſſet adjudicandum, peccat contra juſtitiam & tenetur revocare & compenſare damna.* Ratio eſt; quia judex per ſuſceptionem officii habet pactum ſaltem implicitum cum Repub. ut ſententiam ferat ſecundùm merita cauſæ: ergo peccat in tali caſu contra juſtitiam commutativam. Poteſt autem variis modis fieri in judicio acceptatio perſonarum; primò ſi in gratiam alicujus partis feratur apertè injuſta ſententia. Secundò ſi in inæquali probabilitate partium feratur ſecundùm eam, quæ ſibi videtur minùs probabilis. Tertiò ſi in cauſis probabilitatem æqualem habentibus materiam ſibi ſubjectam inæqualiter dividat, & plùs uni, quàm alteri faveat. Quartò ſi cauſas pauperum procraſtinet & divitum expediat. 9

Propoſitio 3. *Tam judex in judicio, quàm electores extra judicium ſi per acceptationem perſonarum eligant non dignum præteritis dignis tenentur Eccleſiæ vel Reipublicæ reſarcire damna, quæ ex ejus adminiſtratione obveniunt, ſi tamen eligant dignum præteritis dignioribus, licèt non teneantur ad reſtitutionem, graviter tamen peccant.* Ratio primi eſt; quia ſunt cauſa damni. Ratio ſecundi eſt, quia quando dignus eligitur præ digniori ordinariè non ſolet evenire grave damnum Eccleſiæ vel Reipublicæ, ſi verè dignus & utilis eſt: ergo non tenetur aliquid reſtituere. Ratio vero tertii eſt ex Innocentio XI. qui ſequentem damnavit propoſitionem: *cùm dixit Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium vel primò videtur per hos digniores nil aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundo locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos non vero dignos vel tertiò loquitur, quando fit concurſus.* 10

Pro-

11 Propoſitio 4. *Judex habens publicum ſtipendium peccat contra juſtitiam & tenetur ad reſtitutionem, ſi à litigantibus extorqueat munera, ſi nonniſi viſis ſportulis, ac muneribus vult jus dicere, ſi nonniſi benè muneratus & unctus cauſæ manum admoveat, ſi ita alteri manifeſtè foveat, ut opportaat muneribus vexam redimere &c.* Ratio eſt; quia iniquè contra ſuum officium gravat & damnificat aliam partem, quæ ad talia munera quaſi coacta non cenſetur conſentire; ſubinde tamen largitores munerum ex ſe ſunt prompti, ut ſponte offerant aliqua munera, quæ judices non tenentur reſtituere; quia tales largitores præſumuntur obligationem reſtituendi remittere.

12 Propoſitio 5. *Reus interrogatus extra judicialiter de crimine vero, ſed occulte non tenetur reſpondere aut veritatem fateri.* Ratio eſt, quia quamvis nunquam ſit licitum negare veritatem & audientem poſitivè ex intentione fallere intendendo per ſe illius deceptionem, tamen ſecundùm S. Auguſtinum & alios Doctores licèt ex cauſa veritatem occultare, quando non expedit illam manifeſtare præſertim in caſu, quando aliquis non compellitur ſuperioris authoritate veritatem propalare: & quando occultatio veritatis nulli eſt ſpecialiter damnoſa; juſta autem cauſa eſt gravis neceſſitas ita loquendi, dum nimirum orietur loquenti vel aliis graviſſimum damnum, cui nec ſilentio nec aliâ viâ quàm iſtis æquivocationibus hic & nunc & in iſtis circumſtantiis & anguſtiis occurri poſſet. Ut eſt in Confeſſario interrogato fractio ſigilli, in muliere adultera interrogata à marito, pœna mortis vel alia gravis infamia. In legato Principis interrogato à Rege, ad quem mittitur, everſio regni Principis ſui, aut aliud grave nocumentum. Poſſunt igitur tales interrogati dicere non ſcio, non feci intelligendo, ut tibi debeam dicere.

13 Propoſitio 6. *Reus interrogatus non juridicè à Judice non tenetur reſpondere & veritatem edicere tam in causâ civili, quàm criminali ſibi damnoſâ.* Ratio eſt, quia judex non habet poteſtatem interrogandi niſi ſervato juris ordine: ergo nec reus habet obligationem reſpondendi niſi ſervato à judice juris ordine per conſequens poterit reus vel per appellationem vel aliter licitè ſubterfugere interrogationem judicis. Ordo autem juris dicitur ſervari à judice, quando præceſſit infamia ſuper aliquo crimine. Vel apparuerunt expreſſa quædam indicia: vel præmiſſa eſt ſemiplena probatio, unde tunc poſſet ad mentem Interrogantis reſpondere etiam jurejurando; non feci crimen, de quo tu me interrogas, hoc eſt legitimè. Præterea etiam ſi cum fundamento quis dubitet, an ſervato juris ordine interrogetur, quia in dubio eſt melior conditio poſſidentis famam & in dubio favendum eſt reo. Hinc tenetur judex manifeſtare reo ſe legitimè interrogare, & maximè cavendum eſt judici, ne ad extorquendam à reo confeſſionem delicti ſpem impunitatis promittat, quam tamen non vult, nec poteſt præſtare, ſic enim deciperet reum, & ſi taliter criminis confeſſionem extorſerit, non poterit illum ex tali confeſſione condemnare reum, ſed ſolùm velut ex indicio torquere, ut docent Juriſtæ communiter. Tandem etiam ſi reus pro ſe habeat rationes probabiles, quod judex non interroget legitimè, quamvis etiam pro judice ſtent rationes probabiles, quod legitimè interroget, non tenetur reſpondere, ſed poteſt juſtè veritatem occultare, quia hic videtur ſtare juſtum quaſi ex utraque parte formaliter bellum, ubi quivis licitè poteſt pugnare, ut ſuperet alterum.

Propoſitio 7. *Reus interrogatus juridicè in* 14
cauſis civilibus & criminalibus minoris momenti tenetur ſine amphibologiis apertè judici veritatem. Ratio eſt; quia ad hoc tenetur ex juſtitia nempe ad conſervandum bonum commune, quod oritur ex tribunalibus debitè adminiſtratis, ob quod bonum commune quivis privatus ſe debet exponere, cum aliquo leviori diſpendio famæ ſuæ vel fortunæ, unde reus in cauſis minoribus legitimè interrogatus à judice juridicè procedente & quilibet inferior à Superiore inquiſitus pro manifeſtatione alicujus veritatis ad bonam gubernationem neceſſaria tenetur ſub peccato obedire & veritatem ſincerè detegere, pariter pœnitens quando interrogatur à Confeſſario de peccatis, quæ commiſit & de pertinentibus ad judicium fori interni de reſtitutione facta & occaſione proxima &c. tenetur clarè reſpondere fatendo veritatem.

Aſſero ad quæſtionem: *in cauſis crimina-* 15
libus gravioribus ut eſt cauſa ſanguinis & capitis, etiamſi judex ſervato juris ordine interroget, reus tamen in conſcientia ſine omni amphibologia fateri veritatem non tenetur. Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 4 §. *de tertio membro.* in advert. 6. adducti. Eſtque Navarri, Leſſii, Bonacinæ, Lugonis, Haunoldi contra D. Thomam & plurimos alios.

Probatur 1. Tum quia leges humanæ non obligant cum periculo vitæ cum hoc ſit nimis difficile conditioni humanæ & ideo moraliter impoſſibile, ut docemus in tract. de legibus Diſt. 4. q. 4. aſſert. 2. ſed illud præceptum judicis de fatendo crimine occulto eſt purè humanum: ergo non obligat in cauſa ſanguinis cum periculo capitis. maj. patet ultro in tract. de legibus D. 4. q. 4. ubi propoſitione 3. docemus nec omnem legem divinam ſemper cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam obligare, ut illa 1. Reg. 21. de non comedendis panibus propoſitionis à Laicis, quos tamen comedit David ob neceſſitatem vitæ. item illam 1. Machab. 2. de ſanctificando Sabatho, quod non fuit obſervatum à Machabæis, cùm in die Sabathi prœlium conſtituerint ad ſe ſalvandos. Tum quia ut tangit Scotus paulò poſt citandus: nemo cum ſuo gravi incommodo niſi in

Tt 3 caſu

caſu rariſſimo tenetur teſtari adverſus alterum: ergo multò minùs adverſus ſe ipſum cum periculo vitæ. Tum quia leges humanæ non obligant perſonas adverſùs ſibi ſanguine & affinitate conjunctos deponere teſtimonium in re gravi, cùm hoc abhorreat natura humana, & ſit quaſi contra eam, induatque ſpeciem crudelitatis: ergo multò minùs obligant deponere teſtimonium contra ſe ipſum ad deperdendam vitam.

Reſpondent Adverſarii: Leges humanas quidem per ſe non obligare cum periculo vitæ, benè tamen per accidens, & dum periculum vitæ continetur infra finem proximum præcepti, qui eſt bonum commune Reipublicæ, in caſu autem rei à judice legitimè interrogati præceptum judicis habet pro fine proximo vindictam criminis, quæ multùm conducit bono communi, in quo periculum vitæ involvitur ex motivo juſtitiæ vindicativæ, adeòque cùm talis obligatio plùs videatur conducere bono publico, ne delicta relinquantur impunita, quàm vita privata: & bonum commune debeat præcedere bono particulari, præſertim tunc, quando quis propriâ culpâ ſe in talem neceſſitatem injecit, reus tenebitur fateri crimen.

Contra eſt ex Scoto cit. nec in hoc caſu illud præceptum judicis humanum cum tanta difficultate ſtringere reum, quia Reſpublica non omnia mala debet punire pro ſuo bono conſervando; ſed quæ, cum hoc, quòd ſunt punienda, poteſt iſta poteſtas juſtè punire; talia autem ſunt, quæ coram judice ſæculari ſufficienter poſſunt probari; & ideo non læditur Reſpublica, ſi divinum judicium excedat judicium ejus, ut aliqua reſerventur divino judicio, ſuper quæ non poteſt eſſe juſtum judicium Reipublicæ, quia *homo videt ea, quæ patent, DEUS autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. ſufficienter enim providetur Reipublicæ bono, ſi puniantur delicta publica, aut illa, quæ probari poſſunt, de eiſque rei convinci. Hinc --- pergit Scotus dicens: *durum videtur, quod quilibet accuſatus in publico ab uno ſtatim teneretur de neceſſitate ſalutis in publico confiteri illud: & ſic ſtatim ſe exponere patibulo in judicio ſanguinis; ſed habendo oculum non tantum ad pœnam, ſed ad honeſtum & inhoneſtum non apparet, quòd iſte honeſtè & ſecundùm rectam rationem debeat confiteri coram tali judice quia ipſe plùs, quàm quiſcunque alius accuſans ſingularis aufferret ſibi famam, quia confitenti contra ſe in judicio creditur.*

Probatur 2. Tum quia reus non poteſt obligari ad manendum in carcere præcepto judicis ſed licitè poteſt fugere & infringere carcerem, aut pugnare contra feras quibus objicitur: ergo etiam in reſpondendo poteſt effugere & amphibologicis dictis elidere interrogationem judicis. Tum quia non magis eſt contra debitum juſtitiæ accipere rem alienam proximi; quàm reum non obedire ſuperiori legitimè interroganti; ſed non obſtante primo debito, natura excipit caſum extremæ neceſſitatis in vitæ conſervationem: ergo etiam non obſtante ſecundo debito natura eximit reum in caſu amittendæ vitæ.

Reſpondent Adverſarii ad 1. Quod reus negando veritatem non adhibeat medium licitum ſicut effringens carceres aut pugnans contra beſtias, quia in his non reſiſtit publicæ poteſtati, utpote quæ reſidet ſolùm in miniſtris juſtitiæ & non in ſaxis & vinculis, ſicut reſiſtit negans veritatem judici, cui ſe proprio facto criminis ſubjecit. Ad ſecundum verò, quòd extrema neceſſitas faciat deſinere rem eſſe alienam, faciatque eſſe communem & primi occupantis, quam accipere natura nunquam prohibet. Aſt extrema neceſſitas vitæ, quæ reo imminet non facit reum innocentem, ideo natura ob bonum commune ipſum potiùs condemnat ad dicendam veritatem, cùm propterea dederit judici jus ad interrogandum reum.

Contra eſt ad primum. Hoc ipſum eſt in quæſtione: an non ſit licitum negare veritatem verbis amphibologicis in tali cauſa ardua; & quamvis in ſaxis, vinculis, aut beſtiis non reſideat publica poteſtas, attamen per ea judex declarat ſuum præceptum & poteſtatem; cùm igitur licitè ea poſſit infringere, etiam licitè poterit reſiſtere tali poteſtati, ſi autem dicerent judicem non habere jus præcipiendi, ut maneat in carcere, aut non ſe defendat contra beſtias, ſed tantum jus cuſtodiendi, ne effugiat, hoc ipſo dico: nec judicem habere jus præcipiendi, ut ſub reatu peccati in cauſa ſanguinis reus dicat veritatem, ſed tantùm jus torquendi, ut inferiùs patebit.

Contra eſt ad ſecundum. Licèt illa extrema neceſſitas vitæ in reo non faciat illum innocentem in privato, facit illum tamen innocentem in publico, ubi ejus crimen occultum non poteſt probari, vel ſaltem permittit ipſi jus conſervandi famam & vitam ſuam. His:

Addo nos per noſtram edictam ſententiam 16 non docere propoſitionem damnatam in advert. 5. adductam; nam clarum eſt in illa propoſitione ſolùm damnari reſtrictionem purè mentalem; in caſu autem noſtro non eſt reſtrictio purè mentalis & interna, ſed ſenſibilis & externa, quia circumſtantia cauſæ ſanguinis externa dat intelligere, quòd dicat ſe non feciſſe, in quantum hoc publicum aut probatum eſſet pro vita amittenda, aut quod tibi interroganti debeam crimen neceſſariò fateri. Quare licèt in alia propoſitione num. 28. ab Innocentio XI. etiam damnatâ damnetur hæc cauſalis: *quia non tenetur declarare judici crimen occultum*, attamen illa damnatione ſolùm ferìretur ille, qui univerſaliter (cauſales enim ſunt univerſales) diceret, nunquam teneri ullum declarare crimen occultum, quamvis etiam non ſit cum periculo vitæ, nos autem id ſolùm docemus in hoc extraordinario periculo perdendi capitis, aliàs enim libenter fatemur reum in civilibus

bus aut etiam criminalibus minoris momenti teneri directè reſpondere judici juridicè interroganti aperiendo veritatem.

17 Addo 2. Confeſſarium nequaquam poſſe reum negantem occultum crimen capitale obligare ad dictum ſuum retractandum ſub privatione abſolutionis, cum reus ſequatur ſententiam verè probabilem & nulli notabiliter noceat, ut ſupponitur. Imo etiam verum eſt, licèt reus præmiſiſſet juramentum de dicenda veritate, quia per tale juramentum non cenſetur ſe voluiſſe magis obligare, quàm de ſe ex natura & conſcientia foret obligatus, quam obligationem juramento voluit tantùm firmare, cum autem de natura & conſcientia non ſit obligatus, ut diximus, neque etiam per tale juramentum erit obligatus, quia tantùm jurat ſe velle dicere veritatem in quantum debet; imo illud, ut dicit Leſſius juramentum, quod dicitur calumniæ, & exigitur à reis non eſſe juramentum de dicenda veritate, ſed de non agendo calumnioſè, quòd ſcilicet non faciet aut dicet, quod à jure ſive poſitivo ſive naturali ſibi conceſſum non ſit, & ſic certè quo modo per aliquam licitam amphibologiam licitum eſt reo reſpondere, ita etiam ſub ſimili jurare ſe dicturum veritatem.

18 Addo tertiò: reum tamen teneri ſtare ſententiæ judicia condemnatoriæ ad quamcunque pœnam, ut non poſſit ſe per aliquam vim contra juſtitiæ miniſtros defendere. Tum quia judex habet verum jus exequendi talem ſententiam & à Republica ad hoc compellitur: ergo reus ei reſiſtere non poteſt. Tum quia orire-tur exinde grave ſcandalum & perturbatio Reipublicæ, nam judicaret plebs talem injuſtè damnari, unde concurreret ad opprimendum judicem & liberandum reum, quod peſſimum eſſet exemplum in communitatibus; ex quo pariter ſequitur, non poſſe alios cooperari ad carceris effractionem & fugam, cùm ita facilè poſſint liberari omnes incarcerati, quod ſummum eſſet ſcandalum in Republica; neque alii habent tantum jus ad infringendum carcerem, ſicut habet ipſe reus, ſi tamen reus nolli vim inferat, poſſet etiam poſt ſententiam judicis fugere, tum quia ſicut fugere poteſt, ne à juſtitiæ miniſtris capiatur, & in carcerem conjiciatur, ita fugere poteſt, ne in carcere detineatur, tum quia reus licitè adhibet media ordinata ad conſervationem vitæ, quam Reſpublica probibere non poteſt; ſed media talia ſunt fuga & fractio carceris: ergo. ex quo pariter ſequitur, quòd etiam alii licitè poſſint ſubminiſtrare inſtrumenta, quibus carcerem effringat; ad factum enim quod alteri licèt, rectè etiam media præberi poſſunt, & cui licitus eſt finis, pariter licita ſunt media ad talem finem utilia & neceſſaria. Haud tamen miniſtri juſtitiæ poſſunt reum juvare ad fugam, quia agerent contra ſuum officium. Nec reus percutiendo vulnerando aut occidendo miniſtros juſtitiæ poteſt ſuæ ſaluti conſulere, quia inculpabiles ſunt, & officium ſuum obeunt. proinde cum violentia abſque injuria lædi non poſſunt, interim tamen eos aliis viis & ſtratagematibus de ſe intrinſecè non vetitis circumvenire ut locus fugiendi pateat non eſt illicitum. Nec reus rationem habere tenebitur de damno, quod tales miniſtri incurrunt; quia ipſe utitur jure ſuo, & ſibi imputent miniſtri, quòd reum debitè non cuſtodiant, cùm paſſim ſciant talia à reis practicari tentamina.

Objicies primò: Judex ſecundùm omnes habet jus interrogandi reum etiam in cauſis criminalibus majoribus, ſed repugnat dari jus interrogandi tanquam relativum ſine correſpondente debito & obligatione reſpondendi tanquam correlativo, cùm jus interrogandi nil aliud ſit, quam jus exigendi reſponſum: ergo reus habet obligationem reſpondendi cum veritate in cauſis etiam criminalibus gravioribus. 19

Reſpondeo diſt. maj. judex habet jus interrogandi reum etiam in criminalibus majoribus ſub pœna conc. ſub culpa neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. poteſt igitur judex in cauſis criminalibus gravioribus tantùm inducere neceſſitatem vel fatendi delictum vel ſubeundi torturam, in cauſis autem ubi non adeſt tanti damni periculum benè poteſt inducere propriam obligationem fatendi veritatem correlativam ſuo juri interrogandi ſub culpa, quia aliàs tunc judici deeſſet aliud medium obtinendi veritatem v. g. per torturam, quæ in cauſis minoribus non poteſt inferri, in cauſis autem gravioribus meliùs conſulitur Reipublicæ dando judici poteſtatem exquirendi veritatem per torturam, quàm per obligationem conſcientiæ, cùm hæc paucos moveat, & talis lex potiùs ſit occaſio peccatorum, cùm vix ullus reus fatetur crimen inferens pœnam mortis prout etiam *Benedictus XIII.* refert in ſua conſtitutione cit. advert. 6. nota tamen niſi delictum eſſet plenè probatum, vel reus ſciret omnino eſſe plenè probandum, & ideo non ſit ulla ſpes declinandi pœnam per occultationem veritatis, nam tunc haberet judex jus interrogandi reum ſub culpa, & Reus obligationem reſpondendi ſimiliter; cùm tunc occultatio veritatis ad prorſus nihil deſerviret; adeóque præceptum judicis actum obedientiæ utilem habere debebit; nihilominus tamen etſi delictum plenè ſit probatum, non tamen adhuc teneretur reus juridicè citatus comparere, quia cum tanto periculo quis obedire non tenetur; eſt enim contra naturam ſibi ipſi nocere & pœnam inferre; cùm natura potiùs inclinet ſemper ad conſervationem ſui; & hac ipſa paritate eludi poteſt argumentum Adverſariorum in objectione adductum cùm in tali citatione æquè adſit jus correlativum in judice ſinè debito in reo.

Dices:

Dices: Si reus non obligaretur in caſu ad dicendam veritatem, eſſet ideo, quia utitur jure ſuo occultando veritatem, ut ſalvet vitam ſuam, ad cujus conſervationem maximum jus accipit à natura, quamdiu ſpem habet vitæ conſervandæ; ſed etiam judex utitur jure ſuo interrogando, ut conſervet bonum commune, ad cujus conſervationem etiam à natura adhuc ſtrictius jus accipit: ergo hoc prævalebit contra reum.

Contra neg. min. nam judex, cum habeat aliud remedium conſervandi bonum commune, nempe per torturam examinandi reum, ſic à natura non accipit aliud ſtrictius jus, quàm ad torturam; reus verò, cùm non habeat aliud remedium ſalvandi vitam, quàm occultando veritatem, accipit à natura jus ad hoc; nam reus debet quidem omnia pœnalia, quæ ab extrinſeco proficiſcuntur, & ſibi infliguntur, prout meretur, ut obediens ſubire, ſed non tenetur pœnæ occaſionem propriè dare, ſed poteſt eam omni modo fugere, contra quam naturalem libertatem non poteſt humana poteſtas obligationem imponere.

Dices: Saltem æquale jus interrogandi acciperet judex à natura illi, quod reus habet ad negandum; ſed ex hoc ſequeretur, quod poſſit bellum eſſe ex utraque parte juſtum materialiter, quod omnes negant: ergo.

Contra transmiſſa maj. quia negari poſſet, ſolum enim jus interrogandi ſub pœna acciperet, cui obſiſtendi jus non habet reus, ſed parere debet & pœnas acceptare; quamvis in conſcientia non habeat debitum dicendi veritatem; ſed dato quòd etiam probabiliter jus accipiat interrogandi ſub culpa, neg. min. nam tantùm ſequitur bellum poſſe eſſe ex utraque parte formaliter juſtum nempe ex rationibus utrinque probabilibus, quod plurimi concedunt. Cæterùm à parte rei unum debebit eſſe verùm, quòd judex poſſit interrogare ſub culpa vel non poſſit ſic interrogare.

Dices: poſt ſemiplenam probationem habet judex poteſtatem torquendi reum pro fatendo crimine: ergo hoc ipſo poteſt illum obligare, ut veritatem dicat; aliàs injuſtè torqueret eum, qui reſpondere non tenetur.

Contra neg. conſeq. quia tortura non eſt in pœnam negationis veritatis, cùm enim nondum conſtet, quòd neget veritatem, nec pro ea ratione puniri debebit; ſed eſt medium licitum, & jure gentium introductum ad exquirendam à reis veritatem; ſicut carcer arctus ad eos cuſtodiendos; uti ergo judex ratione ſui muneris jus habet cuſtodiendi in carcere reum, & adhuc reus jus naturale retinet ad fugiendum à carcere, ita etiam quamvis judex habeat jus exquirendi veritatem per torturam & alia tormenta, reo tamen jus naturale manebit ad occultandam veritatem, quamdiu ſpem habet evadendi mortem, aut ſaltem pœnam acerbiorem.

Dices: Si judex non haberet poteſtatem reum interrogandi ſub culpa, ſic reum ſub dolo deciperet præſertim, ſi interrogat per præmiſſum juramentum, quod collimat ad obligationem conſcientiæ faceretque ei injuriam, per conſequens virtute talis confeſſionis non poſſet ferre ſententiam condemnatoriam, ſed hoc videtur contra praxim Judicum: ergo.

Contra neg. antec. quia judex utitur jure ſuo applicandi media, ut extorqueat veritatem, quale etiam eſt illud juramentum, per quod tamen plùs non intendit illum obligare, quàm ex ſe à natura adſtringitur, per conſequens non obligaret in conſcientia ad dicendam veritatem, ſed ſolùm ad non faciendum talia, quæ jure non poſſet, ut diximus in additione 2.

Objicies 2. Reus juridicè interrogatus, ſi 20
non fatetur crimen, mentitur pro ſe mendaciô officiosô, & accuſanti ac Reipublicæ pernitiosô, quia accuſanti & teſtibus infert infamiam falſi, cùm tamen ſint ſine culpâ, quia de crimine vero ut ſupponitur, accuſant, & ſimul Reipublicæ damnum graſſantium delictorum impunitorum; ſed nullus poteſt abſque peccato eſſe pernitioſus: ergo.

Reſpondeo cum Scoto in aſſertione cit. negando maj. nam pro ſe non mentitur, ſed ſolùm viâ licitâ & ſobriâ occultat veritatem, cujus manifeſtatio ſibi contra naturam in caſu eſt nociva. Nec eſt pernitioſus accuſanti & teſtibus, quin potiùs accuſator ipſe ſibi ipſi pernitioſus, qui eo modo proponit crimen, quod non deberet proponere, unde ſe ipſum exponit periculo infamiæ falſi, ſi delictum plene probare non potuerit; accuſatus enim utitur jure ſuo, eóque naturali ad ſe defendendum; nec pariter infert nocumentum Reipublicæ, quin etiam poteſtas interrogandi ſub culpa ei æqualiter ſit nociva, cum tot exinde ſequantur mendacia & perjuria delinquentium in Republica, & ſe ſatis aliis mediis poſſit conſervare, ut diximus in reſponſione ad objectionem primam & in proba 1. contra adverſarios Reſpondentes. Advertit tamen Scotus cit. reum negantem debere per verba ſobria conſervare & reſtituere famam accuſatori, qualia verba retulimus in advert. 6. cum accuſatorem ſaltem indirectè notaverit de calumnia. Vel juxta communem Juriſtarum reſponſionem debet dicere; nego propoſita, ut proponuntur, & hoc quidem ſinè mendacio, quia proponuntur in publico ut publica & publicè probanda, poteſt autem quis negare ea, qui ſcit ea non poſſe probari in publico.

Dices: Si judex urgeat reum ut confiteatur propoſitum ut propoſitum, vel publicè neget, quid tunc? nonne negando tunc peccabit?

Contra dicit Scotus: reſpondere poſſet, quòd ſufficienter reſponderit ad accuſationem

ſicut

ſicut eſt modus juriſperitis reſpondere, nec ab illa reſponſione velit declinare; faciat igitur judex reſpectu accuſantis, quod juris eſt, hoc eſt: examinet rem benè.

Dices: nunquid ſi ita neget, intendens negare illud ut propoſitum eſt ſcilicet ut publicum, tenebitur de illa negatione pœnitere?

Contra dicit Scotus: bonarum mentium eſt culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt uti refertur C. ad ejus. Diſt. 5. ex S. Gregorio, & ideo multò magis ubi dubitatur, an ſit culpa & qualis culpa, bonæ mentis eſt culpam agnoſcere; & ideo in noſtro caſu tutum eſſet poſt talem negationem pœnitere indiſtinctè de hoc tanquam de tali, quale eſt, utpote ſub tali indiſtinctione, ſi mortale tanquam de mortali, ſi veniale tanquam de veniali.

DISTINCTIO ULTIMA.

De Reſtauratione Juſtitiæ læſæ ſeu de Reſtitutione.

SUBDISTINCTIO I.

De natura reſtitutionis.

QUÆSTIO I.

Cujusnam præcepti ſit reſtitutio, & an volenti poſſit fieri injuria?

1 ADvertendum eſt primò, dictum eſſe Diſt. 2. q. 2. de diviſione juſtitiæ reſtitutionem eſſe actum alicujus virtutis, cùm ex ſuo objecto ſit honeſtum & rationi conforme ponere æqualitatem inter jus unius & debitum alterius, ſicut præſtat reſtitutio, & quidem dictum eſt propoſitione 4. reſtitutionem eſſe actum elicitum ſolius juſtitiæ commutativæ, quæ ſcilicet in commutationibus & actionibus inter ſingulas Reipublicæ partes ad invicem ſervat æqualitatem; eſt autem reſtitutio juris alieni læſi reportatio, & differt à ſimplici redditione commodatarii, mutuatarii, creditoris, hypothecarii, quia redditio per juſtam acceptionem inducitur, non verò reſtitutio. Nunc autem exurgit difficultas, ex quonam præcepto, an ſcilicet affirmativo vel negativo ſit facienda reſtitutio, pro qua certum eſt extare præceptum naturale reſtitutionis, nam ſi hoc tolleretur, & ſola pœnitentia ſufficeret, certò innumeris furtis & injuſtis læſionibus via aperiretur; ac inde tandem ſocietas humana diſſolveretur, promanat autem talis obligatio præcepti ex eodem fonte, quo provenit obligatio non lædendi nempe ex voluntate habentis jus ſuum illæsè conſervandum. Cæterùm verò præceptum negativum dicitur, quod eo modo, quo obligat, ſemper & pro ſemper id eſt omni tempore obligat, & cui poteſt ſatisfieri etiam ſine ullo actu, nimirum ſi omittatur ille actus, qui prohibetur v. g. non furtum facies; præceptum verò affirmativum eſt, quod certum aliquem actum reſpicit, cui non poteſt ſatiſfieri, niſi per actum qui præcipitur v. g. in die feſto ſacrum reverenter audito.

2 Advert. eſt 2. injuriam eſſe actionem poſitivam, vel privativam, quâ læditur jus alienum ſimpliciter tale. Eſt autem injuria alia realis, alia perſonalis, alia materialis, alia formalis, idque vel in ſenſu phyſico vel morali; læſio quæ alicui fit in rebus ſuis eſt injuria realis, quæ concernit perſonam eſt perſonalis, quæ lædit ex motivo damnificandi eſt formalis, & quidem phyſicè, ſi verò lædit culpabiliter eſt formalis moraliter, & in eodem ſenſu eſt materialis, ſi fit ſinè culpa; pro his tamen injuriis eſt obſervandum, aliud eſſe aliquem conſentire juridicè, & aliud non juridicè, ſeu efficaciter & inefficaciter: juridicè ergo conſentit, qui dat alteri jus vel legitimam facultatem non annullatam à lege vel ſuperiore: non juridicè conſentit, qui contra legitimam facultatem dat alteri jus v. g. ſi conſentiens non habet plenam libertatem ut ebrius vel habens philtrum vel metum cadentem in conſtantem virum, prætereà ſiquis ſolùm non impedit, quod nec tenetur impedire, ſic licèt Deus non impediret peccata, ob id tamen non conſentit, ut fiant, his ergo notatis:

3 Propoſitio 1. ad reparandam juſtitiam per ſe ſufficit, ut quis reſtituat ſimplum aut æqualitatem juris læſi. Ratio eſt; quia ille ſatisfacit præcepto reſtitutionis, qui reducit ad æqualitatem, quod per inæqualitatem eſtablatum; ſed hoc facit, qui ſimplum reſtituit: ergo. Dixi per ſe, quia per accidens ob pœnam impoſitam à judice fieri poſſet, ut quis obligetur etiam ad duplum vel quadruplum reſtituendum, ut habetur §. finali. Inſtit. de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur; quod autem Luc. 19. Zachæus dicit, *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, id ſolùm quaſi ſupererogatoriè dixit; unde præmiſit dicens: *ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

4 Propoſitio 2. *Adhuc ut aliquis actus ſit injuria ſufficit, quòd ſit violentus perſonæ quà inſtructa tali jure, licèt non ſit violentus perſona ſecundùm ſe.* Ratio eſt; quia ad injuriam ſufficit, ut aliquis reſiſtat voluntate juridica, licèt adſit perſonæ conſenſus ſecundùm ſe, ſeu non juridicus: ergo ſi actus eſt violentus perſonæ, quà inſtructæ tali jure reſiſtente eſt injuria, hinc conſenſus Clerici in actionem contra privilegium fori & Canonis non eſt juridicus, ſed adhuc ei fieret injuria, cùm pars non poſſit validè cedere favorem conceſſum communitati quà tali, ſic pariter maritus etiam ſponte conſentiens in adulterium uxoris

ris patitur injuriam, cùm ſit conſenſus jure nullus quia jus mariti in uxorem eſt merè perſonale, conſequenter ineptum, ut aliom conſtituat uſufructuarium, & jus prohibendi alterum non eſt merum privilegium, ſed præceptum divinum ex vi Sacramenti quoad ſignificationem Chriſti conjuncti cum vera & unica Eccleſia. Nec obſtat, quòd maritus poſſit jure quæſito per matrimonium ſe privare quoad ſolum uſum voto: ergo etiam ceſſione juris, quod habet, ne alter utatur uxore ipſius; nam contra, per primum nihil ſit contra naturam juris perſonalis benè verò per ſecundum. His poſitis:

5 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Præceptum reſtitutionis eſt principaliter & per ſe negativum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quarto ſunt quinque.* Eſtque contra Cajetanum, Navarrum, Leſſium, & alios.

Probatur 1. illo præcepto principaliter prohibetur rei alienæ detentio, quæ eſt actio poſitiva, ſicut per illud: *non furtum facies*, acceptio rei alienæ, ſed præceptum, quô actio poſitiva prohibetur, ut eſt illud: *non furtum facies* eſt negativum, ſicut affirmativum eſt, quô actio poſitiva jubetur: ergo. Maj. patet, idem enim eſt ſi dicatur reſtitue, ac ſi diceretur: non retineas alienum, ſicut dicere: *jejuna*, idem eſt ac, *non comedas bis in die;* quod eſt negativum.

Nec refert, quòd per modum affirmationis exprimatur, quia non vox, ſed res præcepti eſt attendenda, quæ eſt prohibitio actionis retentivæ rei alienæ eſto voce poſitivâ exprimatur, ſicut præceptum audiendi ſacrum manet affirmativum, etiamſi voce negativa exprimatur: v.g. nemo in die feſto ſacrum omittat.

Probatur 2. qui alienam uxorem detinet peccat contra præceptum negativum: *non mœchaberis:* ergo qui retinet rem alienam invito domino peccat contra præceptum negativum: *non furtum facies.* Conſequentia probatur, prima læſio juris alieni fuit actio poſitiva contra illud præceptum negativum: *non furtum facies:* ergo etiam continuatio illius, quæ eſt retentio rei alienæ eſt ſemper actio poſitiva contra illud præceptum negativum: unde ut quis reſtituat prædium injuſtè poſſeſſum, ſufficit, quòd illud deſerat & deſinat poſſidere. Qua omiſſione poſſeſſionis adimpletur utique præceptum negativum.

6 Objicies: illud præceptum eſt per ſe & formaliter affirmativum, quô per ſe formaliter præcipitur actus poſitivus & proſecutivus virtutis; ſed hoc fit in præcepto reſtitutionis: ergo. Min. prob. reparatio juris læſi eſt actus poſitivus, ſed reſtitutio eſt talis actus: ergo.

Reſpondeo neg. min. ad probam diſt. maj. reparatio juris eſt actus poſitivus phyſicus tranſeat, eſt actus poſitivus moralis neg. maj. nam reſtituere ſeu reparare & non retinere alienum eſt idem moraliter, ſicut ab initio non furari & jus illæſum conſervare ſunt idem moraliter.

Dices: poteſt aliquis non retinere rem alienam, quin ipſam ſuo domino reſtituat & præceptum reſtitutionis obſervet, ut ſi quis deſereret rem proximi furtô ablatam, quin illa reponatur in manus domini, quo caſu non ſatisfieret præcepto reſtituendi: ergo reſtituere & non retinere non ſunt idem.

Contra diſt. antec. poteſt non retinere in eſſe naturæ, quin domino reſtituat, conc. in eſſe moris, quia præceptum eſt non retinere neg. antec. hinc illa non retentio in genere moris debet eſſe talis, ut perveniat ad manus domini, & quamvis debeat per actionem poſitivam rem portare ad dominum, talis actio tantùm eſt annexa per accidens. Præceptum enim principaliter ſolùm eſt, ut non retineat rem alienam, ſive ipſe tradat ſive Dominus aliunde accipiat, & ipſe voluntariè non reſiſtat, ſicut etiam quis tenetur equum divertere à via, ne conterat puerum, aut vitare occaſionem proximam, non tamen ſequitur præceptum taliter obligans eſſe affirmativum, nam licèt præcipiatur actio poſitiva, finis tamen principaliter intentus eſt non occidere, non fornicari &c.

Dices: Si præceptum reſtituendi ſemper eſt negativum, ſemper debet prohibere actionem poſitivam; ſed hoc non: ergo. Maj. probatur. Si læſi tuam domum aut famam detrahendo præceptum reſtituendi nullam prohibet actionem poſitivam, aut aſſignetur? ergo ſolùm præcipit reſtitutionem.

Contra neg. min. ad probam aſſigno retentionem ſolutionis aut retractationis infamiæ, quæ retentio eſt aliquid poſitivum ſicut ab initio læſio domus aut detractio famæ.

Dices: Retentio retractationis eſt formaliſſimè omiſſio retractionis vel ſolutionis: ergo præceptum reſtituendi erit prohibitio omiſſionis ſolutionis, ſicut præceptum audiendi miſſam eſt prohibitio omiſſionis auditionis & ideo affirmativum.

Contra neg. antec. ſed eſt poſitiva continuata detractio & damnificatio ideo æquivalens retentio famæ & damni alterius, ad quam conſecutivè ſequitur omiſſio retractionis & ſolutionis; ideo præceptum reſtituendi principaliter prohibet continuationem damnificationis, & conſecutivè omiſſionem retractationis.

Dices: Si foret negativum prohibens retentionem, tunc nec minimo tempore liceret rem alienam retinere, cùm præceptum negativum obliget ſemper & pro ſemper; ſed hoc eſt nimis durum, & plures dantur cauſæ excuſantes à reſtitutione: ergo.

Contra diſt. ſequelam maj. ſi res eſt in talibus circumſtantiis, in quibus dominus eſt rationabiliter invitus, etiam nec minimo tempore licebit retinere conc. ſi res eſſet in circumſtantiis, in quibus ſolùm irrationabiliter foret invitus non licebit retinere neg. primum ergo

non

non eſt durum, ſed evidenter verum, ſecundum verò excuſat, uti eſſet ille, qui gladium depoſitum vellet repetere ad occidendum alium, tunc enim non teneor permittere oblationem gladii, ſed poſſum retinere, imò ex charitate teneor retinere.

Dices: Si peccatum injuſtitiæ ſaltem aliquando eſt omiſſionis, tunc hoc ipſo præceptum reſtituendi debet eſſe affirmativum, quia tali læſioni non poteſt ſatisfieri niſi per actum poſitivum ponendo, quod eſt omiſſum, ſed ſaltem aliquando peccatum injuſtitiæ eſt omiſſionis: ergo. Min. probatur. Tum quia qui ex me quærit, an Petrus ſit verax vel mendax ſciens me habere bonam notitiam de Petro, tunc ego ne lædam famam Petri teneor non omnino tacere, nam talis tacens conſentire & affirmare cenſetur: ergo ſi taceo, pecco peccato omiſſionis, cui injuſtitiæ non poteſt ſatisfieri niſi per actum poſitivum loquendi, tum quia ſi operarius conductus non laborat, dum deberet, per omiſſionem lædit dominum, & non niſi per actum poſitivum laboris poteſt compenſare damnum: ergo.

Contra neg. min. ad probas dico, illud ſilentium & otium in talibus circumſtantiis eſſe virtualem locutionem & injuſtam pretii acceptionem, & ideo peccatum commiſſionis & tali injuſtitiæ per omiſſionem virtualis locutionis & acceptionis injuſti pretii poterit ſatisfieri.

7 Aſſero 2. *Volenti juridicè non poteſt fieri injuria, benè tamen volenti non juridicè.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 29. q. un. §. *in ſecundo:* dicentis: *conſenſus coactus impedit profeſſionem Religioſam ut habetur C. preſens. 20. q. 3.* Eſtque communis Theologorum & juriſperitorum.

Probatur prima pars: injuria non fit, ubi in altero jus non reſiſtit; ſed quando alter ceſſit efficaciter juri ſuo, ſeu quando conſentit juridicè, jus non reſiſtit; imò pro tali actu moraliter jus non exiſtit, ſed ſublatum eſt, quia non fit injuria, unde Petrus non dicitur fur, ſi alicui videnti & diſſimulanti multóque magis poſitivè volenti, veſtem auferat, ideo in utróque jure habetur regula: quòd ſcienti & conſentienti non fiat injuria neque dolus ſcilicet conſentienti juridicè.

8 Probatur 2. pars: in caſu cum conſenſu non juridico ſtat, quòd jus taliter conſentientis reſiſtat actioni alterius: ergo licet conſentiat phyſicè, adhuc reſiſtit juridicè, & ſic ei fit injuria, antec patet, quia per illum conſenſum nec fit ceſſio juris, nec poteſtatis legitimæ ad ponendum uſum: ergo adhuc ſemper jus ejus reſiſtit, antec. ultra patet, quia talis conſenſus perinde eſt ac non conſenſus, eſt enim nullus nullitate juris, cùm hoc ipſo quod non ſit juridicus, ſit vel contra vel præter jus & ideo nullus.

Objicies: homicida volentem & rogantem occidens committit injuſtitiam: ergo volenti fit injuria. 9

Reſpondeo diſt. antec. committit injuſtitiam, quia juridicè volentem occidit; neg. quia volentem non juridicè occidit, conc. antec. adeóque cum nemo juri ſuæ vitæ poſſit juridicè & efficaciter cedere, cum à ſolo Deo dependeat, ideo adhuc ſemper fit injuria, licèt aliquando non ipſi conſentienti, ſemper tamen alteri connexo cum illo jus habenti, ſic licèt ſervo non fiat injuria, ſi ipſi conſentienti auferatur cibus, poteſt tamen lædi jus domini, quod habet, ne ſervo ſuo neceſſaria auferantur; ſimiliter ergo, qui volentem occideret, licèt non inferat injuriam ei & ſuis hæredibus, quibus nihil tenetur reſtituere, benè tamen inferret injuriam DEO & Reipublicæ, quibus tenetur reſtituere. Interim tamen fieri poteſt, ut quis ex parte ſuà inferat injuriam, & tamen alter propriè injuriam non patiatur, & pariter econtra. Exemplum primi eſt: ſi quis detrahit famæ alterius & ei noceat, ille tamen cedit juri ſuo optans haberi infamis propter Chriſtum. Exemplum ſecundi: ſi per ignorantiam vendas alteri rem vitioſam, quam ille putat eſſe integram, & aliàs non vellet emere.

Dices: Chriſtus & Sancti Martyres ſponte & juridicè conſenſerunt in torturas & tamen tortores non ſunt excuſabiles ab injuria: ergo adhuc juridicè conſentienti poteſt fieri injuria.

Contra diſt. antecedens juridicè conſenſerunt per propriam juris ceſſionem neg. per paſſionis injuſtè illatæ Heroicam acceptationem conc. antecedens, adeóque non eo ipſo, quòd quis habeat ſe permiſſivè, & aliquando optet ſibi injuriam vel damnum ad majus meritum, ceſſat ratio injuriæ in inferente, adeó ne Chriſtus & Martyres non abſolutè ceſſerunt juri ſuo, & quamvis etiam abſolutè potuiſſent cedere, hoc tamen non prodeſſet tortoribus, quia vel hoc non ſciviſſent vel in eodem affectu perverſo perſeveráſſent. Hinc illud Matth. 5. ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam &c. non eſt præceptum ut cedamus juri noſtro, ſed tantùm conſilium, ut patienter perferamus injurias, quas ſuo tempore juſtus Judex vindicabit, juxta illud ad Hebræos 10. *ſcimus enim, qui dixit mihi vindicta & ego retribuam eis.*

QUÆSTIO II.

An non reſtituentes continuo peccent actualiter, quamdiu non reſtituunt, & inter plures damnificantes, an quivis teneatur reſtituere in ſolidum?

ADvertendum eſt primò pro prima quæſtionis parte, non eſſe difficultatem an fures tunc ſemper actu peccent, quan- 1

 do

do non reſtituere proponunt, & quando ſe offert occaſio reſtituendi, non reſtituunt, quia tunc certum eſt per novum elicitum actum non reſtituendi novum numerò perpetrari peccatum ſed ſolùm difficultas eſt, an continuò peccent actualiter eodem peccato, quamdiu non reſtituunt. Thomiſtæ communiter docent, tales eſſe ſolùm in ſtatu peccati habitualis, non actualis, ſeu peccare quidem continuò habitualiter, non verò actualiter. An hoc verum ſit patebit ex differentia.

2 Advertendum eſt ſecundo: pro ſecunda parte quæſtionis ſenſum eſſe, an quando plures concurrunt ad unam injuſtam damnificationem, ut ad devaſtandam vineam quilibet iſtorum teneatur ad reſtitutionem in ſolidum, hoc eſt ad totius damni compenſationem vel ſolùm ad ratam; id eſt partem damni, pro quo ſciendum eſt aliquas cauſas nullam inter ſe habere relationem, ut ſi quis ingrediatur vineam, & aliquod leve damnum inferat, neſciens de aliis, aut ſi hi damnum inferant ſine ejus conſenſu & adhortatione, aliæ autem cauſæ habent relationem & ordinem ob mutuam conſenſionem. Unde juxta Scotum in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quarto.* de his cauſis ſequentes ſunt notandi verſus:

Quilibet in ſolidum, reddat prius injuriato.
Juſſio, Conſilium, conſenſus, palpo; recurſus,
participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Horum verſuum ſententia eſt, quicunque abſtulit vel detulit alienum, tenetur reſtituere: auferre autem poteſt, ut cauſa Principalis, Superior ſcilicet præcipiendo, vel alios conducens conſulendo, conſentiendo, adulando, ut fiat ablatio, item recipiendo hoſpitio auferentes, accipiendo ab ipſis ablata: item tacendo, dum conſpiciuntur auferentes, vel non impediendo, non manifeſtando, qui poſſunt & ex officio tenentur. Ex his cauſis aliquæ ſunt Principales ſeu totales totalitate cauſæ & effectûs, aliæ verò ſunt acceſſoriæ ſeu concauſæ & minus principales ſeu partiales partialitate effectûs & partialitate cauſæ, de quibus quidem certum eſt, ſingulas cauſas damnificantès teneri ad reſtitutionem ſecundùm proportionem influxûs, & ſic principaliores etiam præ aliis teneri. An autem cauſæ, quæ totum damnum ſuo influxu & cauſalitate attigerunt, teneantur in ſolidum ſeu in integrum reſtituere, ita tamen, ut ſi una harum ſatisfaceret apud reliquas poſſit habere regreſſum, & juxta ratam exigere compenſationem? difficultas eſt, quam reſolvet aſſertio ſecunda. Interim

3 Propoſitio 1. *Injuſtus detentor variè ſuum peccatum interrumpit.* Ratio eſt, quia facilè & variis modis poteſt continuationem eandem numerò facere moraliter deſinere, ita ut de novo alia numerò retentio debeat incipere; ſed hoc modo interrumpitur peccatum, ut diximus de actibus humanis: ergo. maj. patet primò, dum proponit alienum reſtituere & poſtea liberè non reſtituit. Secundò dum ſit impotens ad reſtituendum & poſtea iterum potens factus non reſtituit; nam tunc in pinguiori fortuna tenetur reſtituere. Ut habetur extra. de ſolutionibus C. *Odoardus*, quia actio non expirat per inopiam debitoris, ſed tantùm ſopitur juxta illud juris: *inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit*, ſed jus agendi manet, ſicut & obligatio ſopita in debitore, & tales interruptiones explicandæ ſunt in confeſſione, non verò interruptiones phyſicæ per ſomnum vel negotium diſparatum, cùm his temporibus fur ſit impotens ad reſtituendum.

Propoſitio 2. *Cauſis inter ſe nullam connexionem habentibus non eſt obligatio, ut quævis reſtituat in ſolidum, ſed ſolùm pro rata à ſe ablata.* Ratio eſt, quia reſtitutio debet correſpondere damno illato, & non eſſe major illo: ergo non pro toto damno, ſed pro rata debet ſatisfacere, etiamſi ſciat etiam alios inferre damnum, dummodo cum eis non conſpiret, quia hoc ſe habet per accidens, hinc ſi ſubitâ rixâ plures Adverſarium impugnent ſine mutua inter ſe conventione, ille ſolùm tenebitur de homicidio, qui vulnus lethale inflixit non idem alii, qui eundem graviter percuſſerunt ex quorum percuſſione mors nullatenus fuiſſet ſecuta. Ut habetur L. ult. ff. ad legem Corneliam de ſicariis. Quidquid ſit, an tales ſint irregulares nec ne. His propoſitis: 4

Aſſero 1. ad quæſtionem: *non reſtituentes tamdiu peccant actu peccato furti, quamdiu rem aliquam reſtituere poſſunt, & non reſtituunt non quidem novo ſed eodem actualiter continuato peccato.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quarto articulo.* ubi dicit: *per conſequens vel actu ſtatim tenetur reddere, vel ſaltem velle reddere, quando eſt opportunitas:* ergo quamdiu hanc obligationem actu liberè non præſtat actu peccat. Eſt contra Thomiſtas. 5

Probatur, quotieſcunque continuatur eadem malitia actu pendens à libera voluntate peccatoris, dicitur continuari idem peccatum ſub ratione actûs liberi; ſed in non reſtituente continuatur eadem malitia furti ab initio inchoati ſemper actu pendens à libera voluntate non reſtituentis: ergo continuatur idem peccatum; ſed à peccato actualiter exiſtente, dicitur quis actu peccare: ergo. min. principalis probatur. Ex quo fur ſua injuſta acceptione inchoavit furtum ſupponitur nunquam habuiſſe propoſitum reſtituendi, aut ſtatum impotentiæ reſtituendi, ſed hæ duæ cauſæ ſolùm interrumpunt moraliter peccatum inchoatum furti: ergo non reſtituendo dum poteſt ſemper continuat liberè inchoatum peccatum furti per liberam omiſſionem reſtitutionis dum poteſt.

Objicies: ſi de reſtitutione non cogitans ſemper peccaret actualiter ſic etiam dormiens pecca- 6

peccaret actualiter dormiendo; ſed hoc non, cùm nullum peccatum actuale babeatur ſine voluntario, quod non poteſt eſſe in ſomno: ergo.

Reſpondeo neg. ſequelam majoris, diſparitas eſt, quia in ſomno non continuatur virtualis & interpretativa voluntas, ut in vigilia, etiamſi fur non cogitet actu de injuſta detentione, quia ſaltem in vigilia continuatur cum libertate expedita ad operandum, quæ ſi non pro ſingulis momentis ſaltem pro interpolatis temporibus liberè poteſt rem alienam reſtituere, quod non poteſt in ſomno & boc ſufficit, ut detentio dicatur libera, etiamſi fur de illa non cogitet, quia potuiſſet de illa cogitâſſe, ſi voluiſſet, binc cenſetur virtualiter & interpretativè non valle reſtituere.

Dices: vulnus ſemel inflictum non dicitur ſemper peccatum, quamvis ſemper noceat: ergo nec damnum illatum furto dicetur ſemper peccatum actuale furantis.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia vulnus ſemel illatum non eſt actu in poteſtate vulnerantis, ut tolli poſſit vel impediri, ne ſuos effectus naturales doloris cauſet vulnerato, proinde nequit perſeverare in ratione peccati actualis conſtituentis peccatum unum conſummatum cum voluntate vulnerantis, quod idem de alteri propinante venenum eſt. Aſt damnum furto illatum continuatum actu pendet à voluntate furantis; unde quamdiu tale damnum non tollitur manet ſub ratione actualis peccati continuò liberè pendentis à voluntate furis.

Dices: ex boc ſequi, quòd quævis actio prava continuata ſeu non retractata perſeveret ſub ratione actualis peccati; ſed hoc non, aliàs negaretur peccatum habituale: ergo. ſequela patet, quia ſi non interrumpitur moraliter per retractationem, nec operans reddatur impotens ad retractandum, perſeverat ſub eadem malitia morali continuò pendente à voluntate peccatoris: ſicut actio furtiva quouſque fiat reſtitutio.

Contra neg. ſequelam & ejus probam, non enim omne peccatum continuatur ſub ratione ejuſdem peccati actualis & malitiæ, ut patet de mendacio quod ſemel commiſſum & ceſſante locutione externa non perſeverat ampliùs in ratione mendacii actualis ſed ſolùm habitualis à præterito actu, quia malitia mendacii conſiſtit in actuali prolatione verbi contra mentem, quæ prolatio non ſemper perſeverat. Et licèt perſeveret ratione liberæ omiſſionis retractationis mendacii præteriti, hæc tamen eſt diverſa malitia à malitia mendacii ſcilicet malitia impœnitentiæ. Non reſtitutio autem eſt æquè malitia injuſtitiæ ſicut prima injuſta acceptio, ideo ſi non ſemper fit reſtitutio, actu injuſtitia infertur, & actu peccatur.

Dices: ut quis dicatur actu peccare non ſufficit ſemel habuiſſe voluntatem tale peccatum committendi, ſed requiritur ut per aliquem actum in peccato perſeveret; ſed qui detinet rem alienam per nullum actum perſeverat in peccato; ergo.

Contra diſt. maj. requiritur ut per actum vel formalem vel interpretativum perſeveret conc. ut ſemper per formalem perſeveret neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequentiam. Actus autem interpretativus eſt tunc dum interpolatis temporibus omiſſionem actionis debitæ poſſit quis tollere & non tollit, ideo interpretatur non velle reſtituere, dum poteſt reſtituere & ſic per actum liberum interpretativum perſeverat in actualis peccati malitia. Cæterùm cùm peccatum continuatum quò plùs durat, fit cæteris paribus eò gravius, ſic detentio rei alienæ toto tempore, quo commodè reſtitui poteſt, eſt unum continuum actuale peccatum, quod ſingulis momentis poteſt creſcere vel ratione liberæ durationis vel majoris nocumenti, quod inde provenit domino, in ordine tamen ad conſcientiam parùm refert, an ſint plura peccata numero diſtincta, vel unum continuatum gravius & æquivalens pluribus.

7 Aſſero 2. *Si plures concurrant ad individuum damnum, ita ut quivis etiam ſeorſim eſſet cauſa ſufficiens, quilibet tenebitur in ſolidum reſtituere. Imò licèt non quivis ſeorſim poſuiſſet totum damnum, ſi tamen omnes damnificantes fuerunt cauſæ principales, ſinguli tenentur in ſolidum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quarto ſunt quinque.*

Probatur 1. pars: quilibet ſic concurrens eſt cauſa adæquata & totalis damni, vel totalitate cauſæ moralis vel ſaltem totalitate effectûs: ergo quivis talis tenetur in ſolidum. Conſequentia tenet, quia non eſt major ratio, cur potiùs unus quàm alter teneatur. Antecedens etiam patet, nam hoc ipſo quòd quis cum altero ad eandem actionem concurrat, conſtituit cum eo unam cauſam totalem, & ſic totus effectus damnoſus ſingulis tribuitur cauſis æque concurrentibus.

8 Probatur 2. pars: Licèt quis non potuiſſet ſe ſolo ponere totum effectum, potuit tamen quivis ſubtrahendo impedire totum, quod & debuit: ergo ſi ſe non ſubtraxit & non impedivit totum, quod poterat & debuerat, ipſi imputabitur totum damnum, ſic ſi plures furantur eandem ciſtam, quam unus auferre non poterat, tenetur ad totum damnum reſarciendum. Additum tamen eſt in aſſertione, ſi fuerunt cauſæ principales ſolùm obligantur in defectu principalis damnificantis, id eſt ſi damnificator principalis non putetur compenſaturus; quia non poteſt, vel quia non vult, & quidem etiam in ſolidum, ſi in totum damnum influxerunt; ideo in reſtituendo eſt aliquis ordo obſervandus. His ultra

Addo duas regulas ab authoribus in tali caſu ſtatutas: prima eſt, ſi ſine hac cauſa damnificante non fieret totum damnum, obligabitur

in ſolidum, ita ut non reſtituente alia cauſa cooperante iſta teneatur in totum. Secunda eſt, ſi quis ad damnum ita concurrat, ut ſine ipſo nulla alia cauſa ſuperveniente adhuc fieret totum damnum, cooperans non obligabitur niſi ad partem juxta influxum prudentis viri judicio æſtimandam, quia tunc ſolùm diminutè influit, ideo etiam ſola diminuta obligatione tenebitur ad reſtituendum.

9 Objicies contra primam partem, quando plures cauſæ ad eandem actionem concurrunt, nulla cauſarum eſt cauſa totius damni: ergo nullus tenetur in ſolidum. Antecedens probatur: implicat eundem effectum dependere à pluribus cauſis totalibus, ſed ſi eſſent plures cauſæ damni totales, idem effectus dependeret à pluribus cauſis totalibus: ergo.

Reſpondeo neg. antecedens, ad probam diſt. maj. implicat eundem effectum dependere à pluribus cauſis totalibus totalitate cauſæ conc. implicat totalitate effectûs neg. maj. diſt. min. idem dependeret à pluribus cauſis totalibus totalitate cauſæ neg. totalitate effectûs conc. & patet hoc in phyſicis, ubi pater & mater concurrunt ad generationem prolis totalitate effectûs, & duo trahentes ad eandem tractionem navis &c. adeóque multò magis hoc poteſt eſſe in moralibus.

Dices: ſaltem non ſervaretur æqualitas, ſed potiùs læderetur juſtitia cum paſſus injuriam plùs recipiat, quàm fuerat illi ablatum, & fures plùs tenerentur reſtituere, quàm abſtulerint; ſi enim eſſent 10. fures & quilibet abſtuliſſet 100. ideo ſumma furata eſſet 1000. ſic læſus acciperet pro 1000. 10000. & quilibet fur teneretur ad 1000. cùm ſolùm centum acceperit, quod eſt contra juſtitiam: ergo.

Contra neg. ſequelam ad rationem ejus neg. primam partem. Secundam verò diſtinguo, plùs deberent reſtituere, ſi reliqui non ſolvant conc. ſi ſolvant, nego; nam uno reſtituente totum nullus ex cooperantibus ad aliquid tenetur læſo, ſed ſolùm illi, qui locò eorum ſolvit pro rata furti.

10 Objicies contra 2. partem, ſi eſſet obligatio reſtituendi in ſolidum id fieret propter animationem, ſed ab uno concurrente videtur valde exigua animatio, imò etſi defuiſſet, adhuc fuiſſet tale damnum illatum: ergo.

Reſpondeo neg. min. quia ſupponitur ſine illius cooperatione in particulari damnificationem non fuiſſe factam & nullum ſine alio hoc damnum intuliſſe ergo ſufficienter quivis alium animat & cauſat damnum, nec illud, ſi defuiſſet &c. facit ad rem, quia ſic omnes poſſent ſe excuſare, ut rationem reſtituendi effugerent, quod eſt contra juſtitiam, & ſaltem ſi defuiſſet; non eodem modo damnum fuiſſet illatum, per plures enim fit faciliùs & animoſiùs.

Dices: ergo etiam miles gregarius ſine quo aliàs non fuiſſet facta iniqua direptio civitatis non ſolùm eſſet obligatus ad reſtituendum, quod ipſe accepit, ſed etiam ad damnum in ſolidum reparandum; ſed hoc videtur nimis durum: ergo.

Contra conc. ſequelam, in quantum eſt ex natura rei per ſe loquendo ſpeculativè & nego in hoc ſenſu min. per accidens tamen & impotentiam ac quia pro priori & principaliter tenebitur dux, cujus imperio id factum eſt, erit excuſatus, adeoque belli duces tenentur ad totum damnum injuſtum ordinariè & milites ad ratam, niſi in iis damnis, quorum fuerunt ſimul concauſa, ut in arce expugnanda, quia duces in bello habent ſe ut mandantes, qui ſuo imperio applicant milites ad devaſtandum. Aſt ſi milites non ſunt concauſa illius damni habent ſe ut cauſæ ſeorſim cauſantes ſuos diſtinctos effectus, proinde unus non tenetur ad reſarciendum damnum alterius eo non reſarciente, niſi ſint concauſæ, quia tunc ſinguli ſunt cauſa totius damni, nec refert, quòd ſint directi à Duce, nam hoc ſolùm probat ducem eſſe cauſam principalem totius damni, quod non impedit, quò minùs etiam milites ſint cauſa totius damni executiva, ſicut ex eo, quod mandans ſit cauſa principalis homicidii non tollit, quò minùs exequens ſit etiam cauſa executiva ejuſdem, atque adeo quin in defectum mandantis teneatur reſtituere totum damnum. Tandem hoc idem eſt dicendum, ſi plures conſiliarii æqualiter ad idem damnum concurrunt, ita ut unum conſilium ſine alio nihil faceret v. g. ſi requirerentur 10. ſuffragia etſi unum dêſit, reliqua non ſufficeret, tunc quivis tenebitur in ſolidum, ſecus tamen eſt, ſi ſine hoc ſuo ſuffragio totum damnum fuiſſet illatum.

QUÆSTIO III.

An in homicidio pro vita ablata debeat fieri reſtitutio, & in adulterio, an cum manifeſtatione criminis adulterii occulti, ſi aliter fieri non poſſit reſtitutio?

ADvertendum eſt primò. Injuſtum occiſorem vel vulneratorem duplex poſſe inferre damnum, unum perſonale in vita, membro, cicatrici difformi cauſata; alterum reale in rebus pecuniâ æſtimabilibus, quarum acquiſitio pendebat ex hominis læſi vita & corpore integro. De damno reali communis eſt ſententia, quòd teneatur ad omnia damna compenſanda, quia injuſtus occiſor vel mutilator dat cauſam talium damnorum, qui autem cauſam damni dat damnum feciſſe videtur, ideo ex juſtitia tenetur ad damni reparationem, quapropter ſunt reſtituendæ expenſæ in curatione vulneris factæ deductis tamen ſumptibus, quos mutilatus ſi ſanus eſſet in ſuo victu ordinario erat inſumpturus, nec tamen expenſæ funeris eſſent reſtituendæ; quia hæ 1

ali-

aliunde erant aliquando faciendæ in defunctum morte naturali, niſi aliquando extra Provinciam fuiſſet occiſus, & majores debuiſſent fieri expenſæ, tunc exceſſus deberet reſtitui, ſic pariter lucrum ceſſans, quod vulneratus vel hæredes occiſi ex negotiatione vel arte ejus eſſent habituri: eſt ergo ſolùm quæſtio, an aliquid reſtituendum pro damnis perſonalibus v.g. pro ipſa vita ut membro abſciſſo vel cicatrice difformi &c. ubi adhuc duo diſtincta ſunt conſideranda, unum eſt privatio vitæ aut membri; alterum eſt injuria, quæ per illam injuſtam læſionem irrogatur, damnum menſuratur ex quantitate boni ablati, injuria verò ex contemptu Domini, à quo bonum aufertur, qui contemptus aliquando poteſt eſſe major cum minori damno, & econtra ut patet in rapina, ubi cum minori damno deſpectus eſt major; quàm in ſimplici furto. Eſt itaque ſententia Scoti, quòd ſit reſtitutio facienda pro damno vitæ vel corporis, quæ reſtitutio fieri debet, ut aliquis in bello juſto pro Reipublicæ bono ſe exponat cum vita ſua, vel juſtæ pœnæ patienter ſe ſubjiciat, ſi deprehenditur & punitur; non verò ut ſe ipſum deberet ſiſtere judici ut occidatur, uti aliqui imponunt Scoto, ut patet ex contextu dicente: vel ſi hoc durum videatur, juvet orationibus vel piis ſuffragiis animam occiſi, aut ut alii volunt compenſet per pecunias.

Advertendum eſt 2. Adulterum & adulteram dupliciter poſſe conſiderari, primò prout ex eis non naſcitur proles, ſed prout ſolùm marito adulteræ fit injuria. Secundò prout ex eis naſcitur proles, & ideo etiam fit reliquis prolibus legitimis injuria in parta hæreditatis illis relinquendæ. Communis autem eſt ſententia in primo ſenſu non eſſe faciendam reſtitutionem per pecuniam, quia reſtitutio ſolùm debetur pro damno permanenti injuſtè allato; pro injuria autem ab omni damno ſeparata non debetur reſtitutio, ſed ſatisfactio, & fit per ſigna doloris & veniæ petitionem, ſi injuria ſit cognita injuriato ſed in ſenſu primo ſupponitur injuria ſeparata à damno. Nec obeſt, quòd ille, qui patitur adulterium, contrahat aliquod damnum ſcilicet maculam moralem; nam in foro externo hoc nihil faceret, cùm leges prohibeant, ne maritus cum adultero de pretio paciſcatur pro injuria ab adultero illata, ne Læno ſuæ uxoris habeatur; nihilominùs tamen probabiliter concedit Leſſius eſſe licitam occultam tranſactionem abſque ſcandalo & adulterum tunc obligari ad reſtitutionem, cùm illæ leges ſolùm videantur eſſe pro judicibus, pariter in ſenſu ſecundo communis eſt ſententia, tunc tam adulterum quàm adulteram debere facere reſtitutionem filiis legitimis & damnificato marito, quæ reſtitutio variis modis fieri poterit, uti dicemus in propoſitionibus, & ſolummodo manet quæſtio, an ſi nullo modo adultera poſſit ſatisfacere filiis legitimis? an inquam debeat prodere ſuum delictum, quod negat Scotus. Interim his notatis:

Propoſitio 1. *Reſtitutio pro damnis realibus ſolùm eſt facienda hæredibus neceſſariis, ut uxori, parentibus & liberis occiſi, non verò fratribus aut aliis, quibus profuit.* Ratio primi eſt; quia illis tenetur occiſor reſtituere, quibus per ſe damnum intulit, ſed hæredibus neceſſariis ſolùm per ſe intulit, cùm iſti cenſeantur moraliter una perſona cum occiſo: ergo ſolùm his debet fieri reſtitutio, excipe tamen, ſi homicida damnetur ad ſupplicium, & pœnam talionis, quia videtur eſſe praxis, quòd ſit ſatisfactum, cùm hæredes non videantur aliud exigere, & pariter hæredes homicidæ ad ſupplicium maximè tam infame adjudicati multùm patiantur, & ſic jam videtur facta eſſe æqualitas. Ratio eſt à contrario & accedit praxis, quòd interfectores non obligentur ad alendos famulos pauperes, aut convivas, quos alebat interfectus, niſi fortè hoc ipſum etiam intenderit occiſor, quia intentio faceret, quòd actio externa, directè connecteretur cum damno aliorum, adeóque eſſet formaliter injuſta damnificatio illorum. 3

Propoſitio 2. *Creditoribus occiſi eſt facienda reſtitutio, ſi illi ab occidente fuerunt præcogniti, vel facilè præcognoſcibiles, non verò ſi invincibiliter fuerunt ignorati.* Ratio eſt primi; Occiſor præcognoſcens exiſtere tanta debita, quibus non poſſit ſatisfieri ex bonis defuncti, potuiſſent verò probabiliter ſolvi ſucceſſu temporis per induſtriam occiſi, tunc intendit illos damnificare: ergo etiam tenetur illis reſtituere, conſequentia patet, quia occiſus habuit obligationem & intentionem ſolvendi ea, imò ſtrictiorem habuit obligationem ſolvendi debita quàm alendi proles, quia alimenta non debentur, niſi detracto ære alieno; ratio autem ſecundi eſt, quia occiſor non debebat habere intentionem damnificandi creditores, & ſuſpicari adeſſe debita, eò quòd debita communiter poſſint ſolvi ex bonis relictis, vel certè debitor ipſe nunquam evaſiſſet ſolvendo. 4

Propoſitio 3. *Si provocatus comparuit & occiſus fuit, occiſor non tenetur ad reſtitutionem, ſi verò ex ſe ſit moderamen inculpatæ tutelæ tenetur juxta exceſſum ad reſtitutionem.* 5 Ratio primi eſt; quia provocatus cenſetur ei condonare, dum facit ei poteſtatem, ut contra ſe faciat, quod poteſt, ut patet à pari de luſu. In aliis autem injuſtis occiſionibus niſi occiſi expreſsè explicent ſe condonare omnia damna ſolùm cenſetur feciſſe remiſſionem injuriæ ac odii in ordine ad pœnitentiam, non verò reſtitutionis damnorum; & præterea id ſolùm extendendum eſt ad jura ſibi propria, nam jura aliorum & damna, ad quæ ipſe occiſus ex juſtitia tenetur non poteſt condonare, nam ſicut ſe ipſum hoc ab onere non poteſt abſolvere, ita nec jus hoc condonare occiſori. Ratio ſecundi eſt, quia ad plus tenetur proſſus injuſtus

ſtus occiſor vel mutilator, quàm ſolùm excedens moderamen: ergo ſi ille ad damnum totum tenetur, hic ſolum ad exceſſum moderaminis tenebitur, ut tenet Sotus apud Leſſium.

6 Propoſitio 4. *Reſtitutio lucri ceſſantis ex occiſione debet juxta prudentis viri arbitrium æſtimari.* Ratio eſt, quia communis regula ſtatuitur ab authoribus, quòd non tantus valor debeat reſtitui, quantò valuiſſent opera, ſi actu & realiter exhiberentur; cùm lucrum in ſpe minùs valeat, quàm lucrum in re; nam multa pericula & impedimenta præſertim in negotiatione poſſent contingere lucri acquirendi. Imò licèt mutilatus ad certum genus operis ſit inutilis, poterit tamen aliud genus operis tentare, ut ſi laborare nequeat, poſſit negotiari, & ideo non totum lucrum ex vulnere, ſed propria partim ex negligentia ipſi ceſſat.

7 Propoſitio 5. *Si nata prole adultero non ſit moraliter certum prolem eſſe ſuam non tenetur ad aliquam compenſationem, benè tamen ſi habet moralem certitudinem, quod proles ſit ſua.* Ratio primi eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis & nemo debet luere antequam conſtet ipſum eſſe debitorem, ſed quamdiu non cenſetur habere moralem certitudinem, tamdiu habet rationem probabilem dubitandi de contrario, qualem ſufficienter habet, ſi adulterans ſit valde levis, tunc non poteſt prudenter præſumere eam adhuc cum aliis eſſe adulteratam, hoc idem quidem ſpeculativè poſſet dici, ſi à duobus dubitetur, quisnam ſit pater in praxi tamen uterque tenebitur ad damna reſarcienda, & in defectum unius alter in ſolidum, quia uterque injuſtè dedit cauſam illi incertitudini de damno certo, nam certum talem prolem eſſe ipſorum filium: ergo proles habet jus petendi ab eis alimenta ſaltem partialiter & disjunctim, aliàs certò magnum damnum deberet pati carens alimentis. Ratio ſecundi eſt, quia talis pater certus dedit injuſtè cauſam damnorum, ideo debet ſolvere, quæ ſunt impenſa in alimentatione prolis; ſed primò poſt tertium annum, nam adulter non debet eſſe melioris conditionis quàm alii patres. Tenetur ulteriùs adulter, cum adultera pro rata concurrere, & in defectum alterius quisque in ſolidum ad reparanda damna, quæ filiis legitimis vel hæredibus neceſſariis in alimentis aut hæreditate proveniunt ex ſuppoſitione ſpurii pro filio legitimo.

Propoſitio 6. *Nata prole etiam tenetur adultera, quantùm ſine ſua vita vel fama detrimento fieri poteſt procurare, ne legitimi hæredes ratione prolis illegitimæ aliquod damnum capiant.* Ratio eſt, quia in quantum damnificantur iſti in tantum eis infertur injuria, & conſequenter debetur reſtitutio; ideo ſi pater putatitius fecit ſumptus in ſpurio, vel is in hæreditate, legato, donatione Patris intuitu facta, aliis legitimis fuit æquiparatus, tenetur mater ex ſuis bonis paraphernalibus compenſare tenetur, aut ſpurium inducere, ut ingrediatur Religionem, vel fiat Clericus recipiens beneficia Eccleſiaſtica, & his contentus relinquat hæreditatem fratribus, aut de ſua ſuſtentatione non neceſſaria ſubtrahere, aut ſpeciali aliquâ diligentiâ lucrari, & ſic aliis filiis legitimis ſatisfacere, quod ſi facit, poteſt permittere ut filius illegitimus cum legitimis in bona Patris putatitii ſuccedat, non enim tenetur ſuam, filiique famam in reliquorum filiorum commodum prodigere, unde ipſi nullum damnum infortunii patiuntur.

Propoſitio 7. *Ipſe filius ſpurius dicente matre, quod ſit ex adulterio ortus, non tenetur ei credere.* Ratio eſt; tum quia allegauti turpitudinem ſuam nulla debetur fides, & jura ſtatuunt. Tum quia mulierum ingenium eſt, ut aliquos præter modum ament filios & alios perſequantur, ideo meritò poſſet fraus ſuſpicari. Tum quia filius tamdiu eſt in poſſeſſione ſui honoris quamdiu contrarium non evincitur, & ideo non tenetur credere ſe eſſe illegitimum donec probetur, ſi verò certò convictus & probatus fuerit v.g. ſi mulier probet teſtibus maritum toto tempore ad conceptum & partum requiſito abfuiſſe, tunc teneretur credere & abſtinere ab hæreditate adeunda. 8

Propoſitio 8. *Pœna pro adulterantibus ſtatuta, ut erant quondam pœna capitis, modò verò communiter pœna carceris, relegationis, multta pecuniaria, amiſſio dotis, & ex jure Canonico pœna privationis juris exigendi debitum conjugale variis ex cauſis ceſſant.* Ratio eſt; quia variis ex cauſis cenſetur culpa remiſſa: primò ſi conjuges utrinque adulterentur, nam tunc cenſentur eorum crimina invicem compenſari tam quoad amiſſionem dotis & donationis propter nuptias, quàm quoad divortium, ita ut neuter præfatis pœnis afficiatur. Secundò, ſi uxor ſit violenter oppreſſa. Tertiò ſi maritus poſt patratum adulterium nihilominus uxorem retinuit, vel eandem ſibi reconciliavit, ut quando cognito adulterio eandem tamen iterum cognoſcit. His propoſitis: 9

Aſſero 1. ad quæſtionem: *injuſtus occiſor vel mutilator obligatur tam propter injuriam illatam, quam vitam aut membrum ablatum aliquid reſtituere.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 3. §. *de ſecundo.* Eſtque contra Haunoldum Esparzam & plures alios. 10

Probatur 1. pars: non tantùm omne damnum, ſed etiam injuria injuſtè illata compenſabilis recompenſari debet ex juſtitia; ſed per vitæ privationem aut mutilationem præter damnum infertur injuria, quæ compenſari poteſt: ergo injuſtus occiſor tenetur ad ſatisfactionem injuriæ. min. quoad primam partem patet, quia contemnitur perſona læſa per injuſtam actionem. Secunda autem pars probatur, tunc compenſatur injuria, quando aliqua compenſatione digna placatur offenſus; ſed

poteſt

poteſt mutilatus vel occiſus ita placari: ergo. Min. probatur injuria principaliter conſiſtit in diſplicentia voluntatis de facto contemptu & deſpectu, ſed hæc diſplicentia poteſt aboleri vel in diverſo genere v. g. boni inferioris ut eſſet pecunia, ſi offenſus vel hæredes vellent eſſe contenti, aut in eodem genere cum injuria illata, ſcilicet humiliatione, veniæ petitione, aliiſque ſubmiſſionis ſignis.

11 Probatur 2. pars. De lege naturæ eſt omnem inferentem alteri contra juſtitiam damnum debere illud ex juſtitia reſarcire æquivalenter, ſi poteſt, vel in eo, in quo poſſibile eſt; ſed occidens vel mutilans infert alteri damnum contra juſtitiam: ergo pro vita ablata vel membro abſciſſo tenebitur aliquid reſtituere. Maj. probatur. Si non omne damnum deberet reſarciri, tale maximè eſſet damnum vitæ, cùm vita non ſit pretio æſtimabilis, per conſequens talis reſtitutio ſit impoſſibilis, ſed non obſtat, quòd non ſit pretio æſtimabilis: ergo, Min. probatur. Fama etiam non eſt pretio æſtimabilis & tamen per adverſarios damnificans in fama ex præcepto naturali tenetur eam reſtituere, revocando calumniam, aut alio modo æquivalenti: ergo non obſtat. Hinc dicit Scotus, *fatui ſunt, qui abſolvunt homicidas, non eis oſtendentes reſtitutionem neceſſariò incumbentem, quaſi faciliùs poſſit tranſire homicida quàm Canicida vel bovicida, quia ſi quis occidiſſet bovem proximi ſui non abſolveretur ſine reſtitutione:* ergo multò minùs qui occidiſſet hominem, unde

12 Addo Confeſſarium debere examinare homicidam, an per homicidium fuerit cauſa damni conſanguineis occiſi, quòd ſi ſic, tunc debet illum obligare ad reſtitutionem, ſi verò tales non exiſtant, vel non ſint paſſi damnum, ut ſi uxor occiſi æquè commodè nubat alteri, vel ſi parens non indiget occiſi filii auxilio, nulla eſt facienda reſtitutio, quia nullus eſt læſus, attamen Confeſſarius debet homicidæ injungere, pro congrua ſatisfactione eleemoſynas, orationes, peregrinationes, & miſſas non tantùm ex charitate, & conſilio, ſed etiam ex juſtitia peragendas, adeóque primitus illum diſponat, ut petat veniam ab amicis occiſi, & omnia damna realia reſarciat; deinde pro anima occiſi per annum tria præſtet: primò ſingulis ſeptimanis curet unam celebrare miſſam; ſecundò aliquam Eleemoſynam juxta facultates eroget: Tertiò ſingulis menſibus confiteatur & communicet, & roſarium oret, vel peregrinationes perficiat juxta prudentis Confeſſarii arbitrium in variis circumſtantiis.

13 Objicies contra 2. partem: Exodi 31. dicitur: ſi rixati fuerint viri & percuſſerit alter proximum ſuum & ille mortuus non fuerit, ſed jacuerit in lecto, ſi ſurrexerit & ambulaverit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit, qui percuſſerit, ita tamen ut operas ejus & impenſas in Medicos reſtituat: ergo pro vita & membris nihil eſt reſtituendum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia de damno vitæ æquivalenter reparanda, eſt authoritas negativa; ideo nihil ſequitur, aliàs injuſtus bovicida eſſet pejoris conditionis quàm homicida, cùm ille teneatur ad reſtitutionem & hic ſolùm ad pœnitentiam.

Dices: juſtitia petit proportionem & æqualitatem; ſed nulla eſt proportio inter bona vitæ & bona fortunæ: ergo. Min. patet L. ult. ff de *his, qui effundunt*, ubi dicitur; cicatricum autem & difformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimabilitatem.

Contra eſt primò retorquendo argumentum: ergo quando Cajus debet Titio 1000. & non habet niſi 100. non teneretur hos reſtituere, cùm non poſſit ponere æqualitatem.

Contra eſt ſecundò retorquendo argumentum: ergo cum minimus honor ſit majoris Ordinis & valoris, quàm quæcunque ſumma pecuniaria, ſic minima inhonoratio erit gravior damnificatio, quàm ablatio mille florenorum; ſed hæc eſt damnificatio gravis: ergo omnis inhonoratio minima eſt damnificatio gravis & ſic nulla poſſet eſſe levis ex parvitate materiæ, quod eſt apertè falſum.

Contra eſt tertiò diſtinguendo maj. petit æqualitatem ejuſdem ordinis entitativi, id eſt, vitæ pro vita neg. æqualitatem ejuſdem ordinis æquivalentis conc. licèt ergo in pecunia ordinis inferioris non habeatur proportio æſtimationis vitæ, habet tamen pretium proportionatum æquivalentiæ in rebus ſuperioris ordinis, ut ſunt res ſpirituales, ad quas tenebitur homicida & ſic diſtinctá min. neg. conſeq. ad probam per legem citatam dico nullam fieri æſtimationem ejuſdem ordinis entitativi, benè tamen ejuſdem ordinis æquivalentiæ per bona ſpiritualia in commodum & ſalutem animæ occiſi, orationibus, ſuffragiiſque illam adjuvando, & juſtitia ſemper obligat ad reſtitutionem quoad æquivalentiam, quando res nequit in ſpecie reſtitui, ſicut pœnitentia, quæ eſt ſpecies juſtitiæ ſemper obligat ad ſatisfactionem pro peccato mortali, quamvis non ſit proportio æqualitatis inter mortale & noſtram ſatisfactionem, ſed ſolius æquivalentiæ per legem & acceptationem divinam.

Dices: reſtitutio non fit niſi pro bonis comparabilibus, quando res ipſa ablata non poteſt reſtitui, ſed vita & membrum nullo pretio poſſunt comparari: ergo.

Contra diſt. maj. niſi pro bonis comparabilibus per æquivalentiam vel realem vel eminentialem conc. niſi pro comparabilibus ſemper per æquivalentiam realem neg. maj. diſt. min. vita vel membrum nullo pretio reali poteſt comparari, tranſeat, nullo eminentiali

ut eſt ſpirituale neg. min. dixi tranſeat, nam etiam læſus aliquando fortè pluris faceret 100. aureos, quàm unum digitum amiſſum.

Dices: Reſtitutio eſt formalis ablatio illius mali ſeu damni, quod eſt cauſativum triſtitiæ v. g. ſi quia alteri eruit oculum, etiamſi det 1000. florenos ſemper ipſi erit ratio dolendi propter oculum amiſſum: ergo.

Contra diſt. maj. eſt formalis ablatio illius damni triſtantis, vel ex integro, vel quantùm fieri poteſt, conc. maj. ſemper ex integro, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequentiam; Tam ergo per bona ſpiritualia, quàm etiam quandoque temporalia pro oculo data poteſt animus averti, ut propter gaudium de iis non doleat de oculo amiſſo, licèt adhuc radix dolendi non auferatur ex integro; nam etiam juſtitia obligat reſtituere id, quod debitor poteſt, licèt non poſſit totum debitum extinguere.

Dices: bona ſpiritualia ſunt altioris Ordinis, quàm vita hominis, quæ eſt bonum temporale; ſed nemo tenetur dare pretioſiora pro inferioribus: ergo.

Contra diſtinguo maj. bona ſpiritualia ſimpliciter talia ſunt altioris ordinis ut gratia & habitus ſupernaturales, quàm vita corporalis conc. bona ſpiritualia ſecundùm quid talia, ut orationes & ſuffragia, quæ ſcilicet ordinata ſunt ad bona ſpiritualia ſimpliciter, ut eſt gratia & gloria, neg. maj. & ſic diſt. min. conſequentiam; imò licèt bona ſpiritualia ſint altioris ordinis, quàm bona corporalia infra vitam corporalem, ut ſunt pecuniæ & alia bona externa, non tamen quàm ipſa vita, quia finis eſt nobilior mediis ad ipſum ordinatis, orationes autem & ſuffragia ordinantur ad hominem tanquam inſtrumenta ad finem, hæc enim non ſolùm ſunt propter vitam ſpiritualem, ſed etiam ad vitam corporalem, ideo oramus pro ſanitate conſervanda, & etiam pro pecuniis acquirendis ad vitam conſervandam; adeóque licèt bona hæc ſpiritualia ſint pretioſa, non tamen exeunt extra ſphæram eorum, per quæ fit ſatisfactio. de rebus temporalibus, commutantur enim pro bonis temporalibus, nam damus bona temporalia ut pecunias pro orationibus, Miſſis &c. ut quis oret pro nobis, & ideo per illa poteſt ſatisfieri etiam pro bono temporali.

14 Aſſero 2. ad quæſtionem: *Etſi nullo alio modo adultera poteſt ſatisfacere filiis legitimis, non tenetur ſuum crimen manifeſtare cum periculo vitæ vel famæ, licèt etiam ſit certa moraliter de damno avertendo.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *ad argumenta.* contra Ricardum & Hoſtienſem.

Probatur 1. pars. Vel adultera tenetur crimen revelare ſpurio, ut hæreditatem dimittat vel ipſi marito ut aſſignet hæreditatem vero hæredi, ſed nulli tenetur: ergo. Min. probatur. Non ſpurio, quia talis crederet matri, aut non? Si credit non tamen eſt probabile, quòd propter hoc vellet dimittere hæreditatem, cùm pauci inveniantur ita perfecti, ut propter juſtitiam ſervandam in foro Dei dimittant magnas poſſeſſiones, quas poſſunt tenere jure exteriori; ſed non tenetur mater ſe exponere certo periculo diffamationis apud filium propter incertam correctionem filii: ergo. Si verò non crederet, tunc forent duo mala, quia & ipſa eſſet diffamata, & ille teneret hæreditatem. Non tenetur revelare marito, quia & mulier ſe diffamat & ſe exponit periculo mortis & maritum periculo uxoricidii, cum poſſit eſſe tantus Zelator, ut illam occideret, vel perpetuo odio haberet; ſed ad iſta mala diffamationis odii & mortis, quæ in pluribus videntur eventura, non debet ſe mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis reſtituendæ: ergo. Min. hæc & prior probatur, quia in dubio eſt melior conditio poſſidentis, & magnum eſſet imprudentiæ reddere ſe infamem & exoſam apud filium, & vix poteſt abeſſe juſta cauſa dubitandi, an revelatio ſit profutura, cum filius non teneatur in tali caſu credere, etiamſi ſciat matrem eſſe adulteratam.

Probatur 2. pars. Tum quia vita exce- 15
dit omnem æſtimationem pecuniæ, ſempérque eſt cauſa excuſans à reſtitutione, ac pariter periculum vitæ concedit uti re aliena tanquam ſua: ergo in periculo vitæ non tenetur adultera avertere damnum pecuniarium hæreditatis filiorum. Tum quia etiam fama eſt bonum ſuperioris ordinis quàm pecunia, & meliùs eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ Proverb. 22. ergo mulier ob diffamationem ſuam non tenetur avertere damnum divitiarum filiorum.

Objicies: poteſt Spurius eſſe tam depra- 16
vatis moribus, ex quibus plurima mala timerentur integro regno, ſi eſſet ſucceſſurus in regnum locò legitimi optimis moribus imbuti regno plurimùm profuturi, ſed tenetur tunc bonum privatum mulieris cedere bono publico: ergo tenetur crimen revelare.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, tenetur revelare ex juſtitia commutativa & in finem reſtitutionis filiorum legitimorum, neg. ex juſtitia legali reſpectu totius Reipublicæ in pace conſervandæ, conc. conſeq. hoc autem non eſt contra aſſertionem noſtram.

Dices: ſaltem poteſt mulier eſſe ita vilis, ut ejus fama ſit parvi pretii: ergo pro tunc teneretur revelare, ut filiis legitimis non adveniat gravius damnum in bonis fortunæ.

Contra neg. conſeq. quia ſaltem adhuc filio ſpurio poſſet eſſe magna diffamatio, quæ non poteſt æquiparari damno aliorum filiorum, ſi autem hujus & mulieris parvi eſſet fama & damnum aliorum grave, & certò avertendum, tunc omnino teneretur revelare, nam quivis injuſtè lædens tenetur non ſolùm cum æquali damno,

Digitized by Google

damno, ſed etiam cum aliqualiter majore, non autem longè majori reſtituere, ſic qui alterum injuſtè conjecit in periculum vitæ, cum periculo vitæ debet illum ſalvare, non tamen ſi læſit famam aut fortunam tenetur cum periculo vitæ illi reſtituere, ita neque cum periculo probabili vitæ aut jactura famæ propriæ vel filii longè majori, quàm æſtimetur damnum alinrum, tenebitur mater manifeſtare crimen, benè tamen ſi jactura non eſſet tanta, quin homines communiter libenter illam ſubirent ad lucranda tanta bona fortunæ.

Dices: poſſet maritus & reliqui filii cum ſpurio ex amore erga adulteram rem ſilentio ſepelire & damnum avertere; ergo tunc ad damnum avertendum, tenebitur revelare.

Contra neg. conſequentiam, præterquam quòd hoc rariſſimè contingat, potiùs ex tali amore præſumendum eſſet, filios velle habere matrem excuſatam à reſtitutione & malle delictum matris eſſe occultum etiam reſpectu unius filii ob maculam, quæ ex manifeſtatione delicti etiam in tales perſonas redundat, & potiùs pati velle talia damna quàm ex tam periculoſa manifeſtatione & reſtitutione incurrere maculam.

SUBDISTINCTIO II.

De Radicibus Reſtitutionis.

QUÆSTIO I.

An obligatio Reſtitutionis requirat culpam Theologicam & qualem tam in officio, quàm Conſilio & contractu?

1 ADvertendum eſt primò. Communiter aſſignari duo capita ſeu radices, unde omnis oritur obligatio reſtitutionis: prima radix eſt ex injuſta acceptione; ſecunda ex re accepta ſeu ut dicit Scotus in 4. D. 15. q. 2. §. *de quarto.* *Omnis obligatio ad reſtitutionem reducitur ad auferre vel detinere.* Leſſius adhuc tertiam aſſignat ex contractu, & alii alias, quæ tamen ad duas præfatas facilè reducuntur; aſt autem injuſta acceptio, quando per iniquam actionem alteri eſt illatum damnum, ut ſi quis incendiſſet domum alienam, dediſſet conſilium ad furtum, ſi perpetrâſſet homicidium, adulterium, detractionem famæ &c. & reſtitutio, quæ ex hac radice oritur, dicitur reſtitutio ex damno illato. Res autem accepta eſt, quando non ſolùm mala fide eſt ablata, ſed etiam bona fide, ſi habet dominum, imò etiam licèt nihil acceperit, ſi tamen rem apud ſe detineat, quæ ſpectat ad alium, v. g. legatum alteri debitum, vel rem alteri venditam & nondum traditam &c. inter has autem duas radices magnum eſt diſcrimen, nam ex injuſta acceptione & ex contractu manet obligatio reſtituendi, etiamſi res perierit ſine noſtra culpa, non verò manet talis obligatio, quando res ſolùm debetur ex re accepta, ſic ſi pereat depoſitum abſque culpa, illam in depoſitum accipientis, vel ſi bona fide accepit & abſumpſit, nec inde factus eſt ditior.

Advert. eſt 2. præfatas duas radices reſtituendi adhuc fundari in una alia tanquam capitali radice, unde omnis obligatio reſtituendi oritur, & dicitur culpa, quam cum aliter Theologus aliter Juriſta conſideret; ideo dividitur in culpam Theologicam & Juridicam, prima eſt quodlibet peccatum in foro conſcientiæ, altera vero eſt aliqua omiſſio diligentiæ, quà damnum proximi potuiſſet impediri ſive in foro conſcientiæ ſit peccatum, ſive non, hanc ergo conſiderat Juriſta in foro externo, & ſecundùm eam fert ſententiam; ideo dicitur juridica. Theologica alia eſt mortalis alia venialis. Juridica verò alia eſt latiſſima, vel latior, alia lata, alia leviſſima, alia levis. Lata eſt omiſſio alicujus diligentiæ, quam homines ejusmodi conditionis communiter ſolent adhibere, ut ſi domum egrediens oſtium reliquiſti apertum, unde fures ingreſſi furabantur rem alienam, nam ſolent claudere oſtia homines etiam mediocriter diligentes. Culpa levis eſt omiſſio diligentiæ, quam ſolent adhibere homines diligentes, ut ſi clauſiſti quidem, ſed ita ut facili negotio quis aperire poſſet. Leviſſima eſt omiſſio diligentiæ, quam adhibent diligentiſſimi, & prudentiſſimi, ut ſi benè clauſiſti, ſed non etiam tentâſti, an oſtium probè ſit clauſum, culpa tandem latiſſima eſt dolus apertus, ut ſi quis aliquid agit vel committit intendens damnum proximi, quod ex tali actione ſecuturum prævidet, ut ſi quis alterum inebriat prævidens, ut talis egregiè ab aliis baculiſſetur. Latior eſt, dum licèt non intendat, prævidet tamen damnum proximè ex ſua actione, & dicitur dolus præſumptus, ut ſi non cures rem alienam ea diligentia, quâ tuam. 2

Advert. eſt 3. Certum eſſe injuſtam damnificationem ex culpa gravi Theologica ponere obligationem gravem reſtituendi tanquam effectum proportionatè ſecutum ex gravitate cauſæ; adeóque ſolùm eſt quæſtio, an ex culpæ levis damnificatione gravi etiam ſit gravis obligatio reſtituendi, poteſt autem ex duplici capite culpa eſſe levis: primò ob parvitatem materiæ: ſecundò ob defectum perfectæ deliberationis, ad quod etiam reducitur defectus negligentiæ, adhiberi debitæ; de damnificatione leviter culpabili ex parvitate materiæ etiam certum eſt, adeſſe quidem obligationem reſtituendi, ſed non niſi ſub peccato veniali. De damnificatione verò leviter culpabili ex ſecundo capite 3

diverſæ ſunt opiniones, aliqui enim affirmant etiam ex veniali damnificatione eſſe gravem obligationem ad compenſandum totum grave damnum. Alii autem volunt eſſe obligationem gravem ex culpa levi, neque quoad totum neque quoad partem recompenſandum, quid autem nos ſentiamus, patefaciet aſſertio 1. interim pro ſecunda parte quæſtionis

4 Advert. eſt 4. præfatas culpas magis minúsque aliquando attendi in iis, qui ex officio vel conſilio non benè adminiſtrato dederunt cauſam damni, & præſertim etiam in contractu, quando obligatio cuſtodiendi rem contractam, aut caſus fortuitus non exprimitur. Tripliciter autem hic conſiderantur contractus: primò ſunt contractus, qui cedunt in ſolius accipientis utilitatem v. g. commodatum. Secundò ſunt contractus, qui cedunt in ſolius dantis utilitatem, ut eſt depoſitum ad cuſtodiendum datum: Tertiò ſunt contractus, qui cedunt in utilitatem utriusque v. g. emptio, locatio &c. De his diverſam leges Civiles ſtatuunt obligationem; nam de contractu cedente in ſolius accipientis utilitatem eſt obligatio vitandi culpam leviſſimam, & ideo damnum ex tali culpa datum eſt recompenſandum. De contractu verò cedente in ſolius dantis utilitatem eſt obligatio reſtituendi ex culpa lata, non autem levi, ideo in Inſtit. §. *præterea & is.* quibus mod. re contrab. oblig. docetur, depoſitarium ſolùm teneri ex dolo, quo nomine culpa lata intelligitur; excipitur tamen contractus mandati, qui etiam culpam levem & leviſſimam prohibet. Tandem de contractu cedente in utriusque utilitatem eſt obligatio ex culpa lata & levi non verò leviſſima; unde qui pignus accepit non tenetur, niſi ad exactam diligentiam in cuſtodiendo, non verò ad exactiſſimam, ut habetur C. *contractus.* de Regulis juris in 6. quorum omnium ratio videtur eſſe æquitas naturalis, quæ expoſcit, ut res aliena cum majori diligentia ſervetur, quando illius utilitas ex toto vel parte redundat in ſervantem, quàm quando nulla redundat; unde quæſtio eſt, an iſta reſtituendi obligatio ex legibus civilibus deducta ſit juris naturalis, an poſitivi, habeátque ne locum tam in foro interno quàm externo ante vel poſt ſententiam judicis? His notatis:

5 Propoſitio 1. *Sola intentio mala Theologicè culpabilis & gravis ſinè actione externa injuſta non inducit obligationem reſtituendi*, ratio eſt, quia per talem culpam nullum damnum externum tertio infertur; ideo licèt judex gaudeat internè de gravi malo ſui inimici & morte, cujus debet proferre ſententiam non tenebitur ad reſtitutionem, quia non peccat contra juſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, ad reſtitutionis autem obligationem ex actione injuſta non ſufficit affectus, ſed requiritur effectus, imò licèt etiam quandoque ſequatur effectus, ſi tamen affectus ſe ſolùm habuit concomitanter vel conſequenter ceſſabit obligatio, ut ſi Petrus occidit hominem ſuum inimicum cogitans eſſe feram, etiamſi etiam fuiſſet occiſurus, ſi ſciviſſet vel ſi dein gaudeat de hoc ſuo facto non tenebitur ad reſtitutionem pro homicidio, cùm talis affectus concomitans vel ſubſequens non faciat illam actionem injuſtam, cùm non cauſet illam.

Propoſitio 2. *Actio externa fundans obligationem reſtituendi debet eſſe ex culpa contra juſtitiam non verò contra aliam virtutem.* 6
Ratio eſt; quia ſola juſtitia reſpicit æqualitatem ponendam inter jus læſum unius & debitum alterius, & per hoc diſtinguitur ab aliis virtutibus. Hinc judex non tenetur ad reſtitutionem, ſi ex odio condemnet reum, ſi crimen eſt ſufficienter probatum; quia ſolùm peccat peccato odii contra charitatem proximi, item ſi quis vovet in infirmitate varia anathemata, & dein non perſolvit, quia tantùm peccat contra Religionem & fidelitatem, non verò contra juſtitiam, imò nec ad hoc tenebuntur hæredes, niſi in teſtamento vel aliter fuiſſet imperatum; pariter ſi quis non ſuccurrat extremè vel graviter indigenti vel alterius accenſam domum non extinguit, vel naufragantem non eripit, vel furem non impedit, ſi non ſit conſtitutus cuſtos, non tenebitur ad reſtitutionem cùm ſolùm peccet contra miſericordiam & charitatem.

Propoſitio 3. *Nulla culpa juridica niſi ſit conjuncta cum culpa Theologica inducit obligationem reſtituendi in foro conſcientiæ.* 7
Ratio eſt; quia ubi nullum eſt delictum in conſcientia, ibi nulla eſt obligatio & pœna in conſcientia; ſed ubi nulla eſt culpa Theologica, ibi nullum eſt delictum in conſcientia: ergo. Hinc ſi quis ſinè ulla culpa intulit grave damnum v. g. combuſſit ſtabulum habens lucernam, quam omni modo cuſtodivit, & dein avocatus alio vel repentè obdormiens oritur incendium, aut ſi aperuit puteum, & oblitus claudere, ubi aliquis incidit & moritur, non tenetur in foro conſcientiæ ad ullam reſtitutionem; excipe tamen unum caſum, nempe ſi accedat ſententia judicis, quæ ex culpa leviſſima aliquando obligat aliquem ad reſtitutionem, qui caſus eſt ſic diſponente lege Aquilia juſtè lata, poſt ſententiam tamen judicis, dum ſcilicet tuum animal intulit damnum vaſtando agrum vel lædendo alterius domini animal, nam tunc animal licèt domino invito eruperit, qui tamen paſſus eſt damnum poteſt illud animal pro noxa accipere niſi dominus velit illud totum damnum reparare ut patet ex Inſtit. *Si quadrupes*, & ex lege Aquilia. Ubi præterea ſtatuitur: ſi v. g. aries tuus aggrediatur arietem Pauli, teneris ad reſtitutionem Paulo juxta quantitatem damni, ſi verò aries tuus

tuus læſiſſet graviter aut occidiſſet arietem Pauli aggreſſorem, ad nihil teneris Paolo, quia aries utebatur veluti jure ſuo naturali, ut ſe contra iniquum defenderet invaſorem. Præterea ſi canis mordax catenæ ſit alligatus, & quis fugiat in domum tuam ut inimicos effugiat, ſi mordeatur à cane ad nihil teneris, quia uteris jure tuo, ut hoc cane domum tuam ab iniquis invaſoribus defendas. Tandem in exceptione dictum eſt ex culpa leviſſima; nam ſi damnum fuiſſet datum ex merè fortuito caſu, damnificans nec ante nec poſt ſententiam judicis teneretur ad refuſionem; cum iſta lex Aquilia, ideo dicta, quia ab Aquilio Tribuno lata, requirat culpam & abſolvat damnificantem ex caſu fortuito; hinc putat Haunoldus, ſiquis ſibi verè conſcius eſſet nullâ ſuâ culpâ damnum eveniſſe, poſſet, uti occulta compenſatione, ſi per ſententiam judicis condemnatus fuiſſet; cùm lex Aquilia fundetur in præſumptione culpæ; lex autem fundata in falſa præſumptione facti nec poſt ſententiam judicis obligat in conſcientia.

8 Propoſitio 4. *Ex culpa juridica lata & latiori inducitur obligatio reſtituendi in foro conſcientia.* Ratio eſt; quia in culpa lata moraliter non eſt poſſibile, quòd non interveniat aliqua culpa Theologica ſaltem venialis, & inſuper voluntarium indirectum ſufficit ad culpam Theologicam, ac quivis in actionibus periculoſis tenetur eam adhibere diligentiam, quam ſolent homines prudentes ſimilis conditionis. Unde non excuſant communiter authores talem etiam in foro conſcientiæ cum culpa lata, quamvis eum excuſent, ſi abſit hæc culpa lata, licèt intercedat levis, eo quod foret nimis grave, nec quisquam tenetur adhibere majorem operam, ne alteri noceat, quàm ut ſua conſervet, ad has autem diligentias exactas non tenetur in rebus ſuis: ergo neque ad alienas, hinc excuſari poſſunt Medicus & Chirurgus ab onere reſtitutionis, qui adhibuit curam diligentem, licèt non diligentiorem, & diligentiſſimam quamvis optaverit caſu obvenire mortem ægro, quia adhibuit totum, quod ex juſtitia tenebatur, unde omittendo diligentiorem circumſpectionem non peccavit contra juſtitiam, ſed ad ſummum contra charitatem, ſicut quando quis omitteret ſuccurrere pauperi in neceſſitate. Interim tamen etiam probabile videtur, quòd ſaltem pactum implicitum interveniat inter Medicum & ægrum, ut diligentiori etiam modo ſe curet, maximè ſi illi ampliùs perſolvat ſtipendium, ſecus tamen eſt de cura diligentiſſima, quia hæc eſt difficillima & nimiùm gravarentur conſcientiæ Medicorum & Chirurgorum.

9 Propoſitio 5. *Si nulla culpa juridica & Theologica intercedit in damnificatione alicujus, ſed hæc merè fortuita ſit & caſualis nulla eſt obligatio reſtituendi.* Ratio eſt; quia res quæcunque perit ſuo domino; ſi nulla interceſſit culpa vel pactio, ratione cujus ſit obligatio ad damnum reſarciendum, ut ſi res periret apud commodatarium vel conductorem ſine ulla culpa non teneretur ad reſtitutionem, ut habetur C. un. de commodato. Tres tamen caſus in eo cap. excipiuntur: primus, ſi caſus fortuitus in contractu fuit expreſſus. Secundus, ſi commodatarius ſit in mora reſtituendi, hoc eſt, dum non reſtituit, ubi poſſet & deberet reſtituere. Tertius, ſi re aliter utatur, quàm in contractu conventum fuit, ut ſi equus fuit commodatus ad colendam terram, & adhibeatur ad periculoſum iter, in quo equus perit, niſi dum dominus talem ſati habuiſſet, aut res eodem modo apud dominum fuiſſet peritura. Tandem in contractu rem transferente in dominium accipientis, ut ſit in mutuo, cùm quævis res domino ſuo pereat ipſe mutuatarius in ſe rei mutuatæ periculum ſuſcepit, unde ſi poteſt, tenebitur mutuantem ſervare indemnem, tametſi mutuum ſine culpa ſua v. g. tempeſtate vel latronum violentia amiſiſſet. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Qui grave damnum intulit alteri cum culpa Theologica ſolùm levi non obligatur quidem naturaliter ſub culpa gravi reſarcire totum damnum extra contractum & officium. obligatur tamen ſub culpa levi ad reſarciendum partem damni juxta menſuram culpæ.* Deducitur ex Scoto in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quarto.* ubi de cauſis concurrentibus ad damnum reparandum, dicit: *& hæc omnia, ex quo reducuntur ad conſenſum efficacem vel interpretativum;* Eſtque communis contra Vasquez & Turrianum. 10

Probatur 1. pars: repugnat æquitati naturali vi delicti par onus imponere delictis omnino inæqualibus; ſed ſi quis tantùm venialiter deliquit, & intuitu ſui delicti teneretur ad damnum ſub culpa, grave haberet omnino idem onus, quod ille qui feciſſet idem damnum ſciens & volens cum plena deliberatione. Tum quia ſi in contractu non adfuit plenus & efficax conſenſus, ſimiliter in voto vel promiſſione facta homini, aut in juramento, non oritur obligatio gravis. Item actus ſemideliberati, ut in ſemiſomno, ſemiebrietate non inducunt gravitatem peccati mortalis: ergo pariter ex tali peccato veniali non orietur illa obligatio gravis reſtituendi, etiamſi damnum in ſe ſit grave, gravitas enim præcisè non poſſet inducere hanc obligationem, ut patet, ſi ab amente vel alio ſine culpa fuiſſet illatum.

Probatur 2. pars: Tum quia perfecta obligatio ad compenſandum totum damnum tanquam effectus pœnalis oritur ex injuria efficaci & perfectè voluntaria: ergo ex injuria imperfectè voluntaria oritur obligatio imperfecta hoc eſt ſub veniali ad reſtitutionem partis. Conſequentia tenet, nam ſi cauſa perfecta pa- 11

rit effectum pœnalem perfectum; cauſa imperfecta parit imperfectum. Tum quia damnum aliquo modo voluntariè contra juſtitiam illatum in foro conſcientiæ eſt reſtitutioni obnoxium, cùm æquitas naturalis dictet eſſe convenientiùs, ut is luat, qui cum aliqua ſua culpa damnum intulit, quàm qui nulla ſua culpa invitus damnum patitur, ſed non eſt obnoxium ſub gravi peccato, & ad totum, ex proba priori: ergo ſaltem ſub veniali & quoad partem.

12 Objicies contra 1. partem: totum illud damnum eſt culpabiliter voluntarium: ergo eſt obligatio reſtituendi totum; ſed totum eſt grave damnum: ergo eſt obligatio reſtituendi grave damnum, ſed obligatio ad materiam gravem eſt gravis: ergo.

Reſpondeo diſt. antec. eſt culpabiliter voluntarium perfectè & cum plena deliberatione neg. imperfectè cum ſemiplena deliberatione conc. antec. & neg. conſeq. aliàs culpa levis haberet idem onus, quod culpa gravis quod eſt contra æquitatem naturalem, hinc diſtinguo ultimam min. obligatio ad materiam gravem præcisè eſt gravis neg. ad materiam gravem cum reliquis requiſitis ad gravitatem conc. adeóque licèt 100. aurei ſint materia gravis ſecundùm ſe, poſſunt tamen eſſe materia levis ſolùm obligationis, ut ſi voves, te daturum Eccleſiæ illos 100. aureos ſine animo tamen te obligandi graviter, ſed ſolùm expreſſè leviter, quia obligatio nobis voluntaria in materia nobis libera ſinè alia ſuppoſitione totam ſuam vim habet à libera voluntate illam ſibi imponentis.

Dices: ideo ergo non eſſet obligatio gravis reſtituendi totum, quia onera delictorum inæqualium non poſſunt eſſe æqualia; ſed hæc ſæpe congruenter inæqualibus delictis imponuntur, ut eadem pœna Excommunicationis majoris variis delictis: ergo.

Contra diſt. min. inæqualibus ſecundùm quid conc. inæqualibus ſimpliciter neg. in allata ergo probatione duorum delictorum, quæ puniuntur æqualiter Excommunicatione majori ambo ſunt peccata mortalia, non verò unum mortale & alterum veniale, ideo ſunt ſimpliciter æqualia, & ſecundùm quid inæqualia ſcilicet in intenſione. Tandem noſtra ratio procedit de oneribus ex natura actûs, non verò de oneribus & pœnis voluntariis, quæ infliguntur à Legiſlatoribus intuitu boni publici, nam in his quandóque auget pœnam neceſſitas ſtatuendi aliis exemplum; ut à ſimilibus arceantur, ideo excommunicatio minor incurritur per peccatum veniale, licèt ſit pœna gravis.

Dices: Licèt pœna purgatorii ſit graviſſima, & juxta catholicam doctrinam major omnibus pœnis totius mundi, incurritur tamen propter unicum peccatum mortale: ergo etiam non eſt inconveniens, ut propter levem culpam Theologicam incurratur gravis obligatio reſtituendi totum damnum.

Contra neg. conſeq. quia licèt pœna purgatorii ſit graviſſima comparatione Reipublicæ humanæ, non tamen comparatione Reipublicæ æternæ & fori divini, in quo infligitur, aſt obligatio ex culpa levi foret gravis in eodem foro conſcientiæ.

Objicies contra 2. partem: Semiplena de- 13
liberatio etiam eſt inſufficiens ad inducendam obligationem moralem levem: ergo nec eſt obligatio reſtituendi ſub culpa levi. Antec. probatur. Qui ſemiplenè liberè vovet totum roſarium, nec ſub veniali tenetur ad partem: ergo.

Reſpondeo diſt. antec. eſt inſufficiens ad obligationem etiam levem pendentem aliunde quam à ſola voluntate obligati, neg. pendentem à ſola voluntate obligati conc. antec. nam omnis obligatio merè voluntaria, quam ſcilicet quis propria voluntate ſibi imponit, ut eſt in votis, matrimonio, & profeſſione requiritur liberum perfectum vel ex diſpoſitione Legum vel ex ipſa voluntate ſe obligante non intendente ſcilicet ſe obligare, niſi adſit plenum liberum, cum aliàs tale obſequium non acceptet, cum Deus velit habere cultum perfectè liberum, ex quo patet diſparitas ad probam antecedentis de voto roſarii, nam Deus tale votum non acceptat; aſt verò obligationes aliunde provenientes ex lege aut alia ratione ſimili attendunt rationem culpæ, & ſecundùm ejus menſuram determinant quantitatem obligationis adeóque cùm in caſu noſtro ſit culpa levis incumbit etiam pars levis reſtituenda ſub culpa levi.

Dices: Indeliberatio aufert malitiam moralem, quæ aliàs fuiſſet: ergo etiam onus reſtituendi.

Contra diſt. antec. aufert malitiam moralem gravem conc. ſemper etiam levem. neg. antec. & conſeq.

Aſſero 2. *Nemo tenetur in conſcientia ad* 14
reparandum damnum ex culpa levi in officio vel conſilio commiſſa, ſed tantùm ex culpa lata, quæ in foro conſcientiæ eſt gravis & mortalis. Deducitur ex Scoto in aſſertione priori cit. éſtque communis.

Probatur nemo tenetur in officio ſuo eſſe diligentior, prudentior, quàm ejuſdem conditionis homines paſſim ſolent eſſe: ergo licèt ex defectu eminentis ſcientiæ aliquando committant errorem, ac in ſuo officio exequendo aliorúmque damnis evitandis non utantur ſummâ diligentiâ, ſed ea ſolùm quam communiter prudentes ac diligentes ſimili officio fungentes in ejuſmodi negotiis adhibere ſolent, non imputabitur ipſis in foro conſcientiæ damnum reparandum ſolùm ex aliquali negligentia & culpa levi, aut potiùs imperitia ſubſecutum; hinc Magiſtratus, Medicus, architectus, Advo-

vocatus in foro conſcientiæ ſunt immunes à culpa & reſtitutione, ſi eam habent doctrinam ac diligentiam, quæ aliis paſſim ejusdem officii ineſt, licèt aliquando aliquod damnum eveniat.

15 Objicies : Qui ſcienter accedit aliquem imperitum advocatum vel Confeſſarium pro concilio, ex quo accedens nocet alicui tertio tenetur advocatus vel Confeſſarius ad reſtitutionem tertii damni paſſi; ſed hæc fuit culpa levis in officio commiſſa: ergo.

Reſpondeo neg. min. quia cum illi tertio invito inferatur damnum, ad quod ille imperitus ſuaſit; cenſetur etiam hic committere culpam latam, & ideo tenebitur ad reſtitutionem, fecus tamen eſſet, ſi ſolùm illi ſcienter interroganti contingeret damnum, nam qui ſcit aliquem eſſe imperitum, nec eſſe officii illius, & tamen illum interrogat, debet ſibi adſcribere damnum, ſicut & ille ſuæ temeritati debet adſcribere, qui ſequitur alterius dubitationem, ſi quis v. g. conſultus dicat ſe de eo dubitare. Cæterùm excuſatur à culpa & reſtitutione Confeſſarius, ſi conſultus reſpondeat juxta opinionem probabilem, quia agit prudenter, & utitur diligentia moraliter ſufficiente præſertim ſi dicit: hanc eſſe probabilem, alteram probabiliorem. Viderit autem ipſe petens conſilium, quam præeligere velit. Tandem qui præbet conſilium ratione ignorantiæ craſſæ ſeu culpæ latæ tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti; ſic Theologus, Concionator, Confeſſarius, Juriſconſultus vel ſimilis profeſſionis, ad quos ſpectat conſultatio, ſi dicant quempiam teneri ad reſtitutionem, qui reipſa non tenetur, vel non teneri, qui tenetur ſeu contractum eſſe juſtum, qui injuſtus eſt, obligantur ad reſtitutionem, ſi craſſa eſt eorum ignorantia, quia hi tenebuntur ex officio habere ſcientiam & diligentiam neceſſariam pro damno conſultantis evitando, adeóque ſunt cauſa injuſta damni, dum ex eorum ignorantia ſequitur alterius damnum.

16 Aſſero tertiò: *Intra limites juris naturalis nemo tenetur ex contractu de damno dato in re alterius, niſi ob dolum & culpam latam, etiamſi res fuerit apud ipſum, jure tamen poſitivo eſt obligatio in conſcientia etiam ante ſententiam judicis reſtituendi ex culpa levi & leviſſima in contractibus advert. tertia poſitis.* Eſt communis.

Probatur 1. pars: jure naturæ nemo tenetur adhibere majorem diligentiam in rebus alienis, quàm in propria, & quàm præſtitiſſet ipſe dominus, ſi res apud illum fuiſſet: ergo ſi res pereat ſine omiſſione talis diligentiæ: non peribit ex damno injuſtè dato; ſed nemo tenetur jure naturæ in conſcientia de damno, niſi injuſtè dato: ergo.

17 Probatur 2. pars: Tunc eſt obligatio in foro conſcientiæ ad reparandum damnum etiam ex culpa leviſſima, quando talis reparatio vel explicitè vel implicitè eſt in contractu deducta, ſed reparatio ex culpa levi in contractibus eſt ita deducta: ergo. Min. probatur. Contrahentes ſaltem implicitè ſe obligant ad cuſtodiendam rem juxta formam legibus præſcriptam; ſed forma legibus præſcripta eſt, ut in certis contractibus requiratur major vel maxima diligentia, ſiique obligatio ex culpa levi & leviſſima: ergo.

18 Objicies: Si Advocatus dicit ſe cæteris eſſe diligentiſſimum & doctiorem ut cauſa ſit, quòd Clientes ad ſe pertraheret, tenetur de natura rei ex culpa levi & leviſſima ad reſtitutionem damni; ſ d hoc eſt quaſi ex contractu & implicita obligatione ad ſummam diligentiam cauſæ cuſtodiendæ, quâ omiſſâ eſt res injuſtitiæ & tenetur ad reſtitutionem: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia licet talis teneatur ex leviſſima culpa, non tamen ad hoc tenetur ex natura cauſæ cuſtodiendæ, ſed ex ſua propria voluntate ſe ad hoc obligante; adeóque cum faciat quaſi contractum & implicitam promiſſionem de ſumma diligentia adhibenda, ſi ex hujus omiſſione ſequatur damnum tenebitur ad reſtitutionem, non quidem totius damni, ſed quanti æſtimatur ſpes victoriæ mediante majori diligentia advocati obtinendæ.

QUÆSTIO II.

Ad quid teneatur, qui mala & qui bona fide poſſidet rem alienam?

1 ADvertendum eſt primò. Poſſeſſorem rei alienæ eſſe malæ & bonæ fidei, malæ itaque fidei ſeu iniquus poſſeſſor dicitur ille, qui vel actione injuſtæ actionis vel detentionis eſt cauſa moralis alterius damni, licèt res jam perierit, & nihil lucri apud damnificantem exiſtat, ut ſi incendit domum alterius &c. poſſeſſor verò bonæ fidei eſt, qui prudenti vel probabili judicio credit rem, quam poſſidet eſſe ſuam, qui ſi quandoque ad reſtitutionem tenetur, tunc ex ſecunda radice ſeu ex re accepta tenebitur. Certum autem eſt de poſſeſſore malæ fidei illum habere obligationem reſtituendi ex prima radice ſeu injuſta acceptione & ideo tenetur ad omnia damna, quæ ſequuntur ex injuſta acceptione vel detentione ſive ſint damna emergentia, ſive lucra ceſſantia hæc lucra ſunt ordinaria & extraordinaria, prima ſunt, ſi res plus valet uno tempore quàm alio, altera ſunt, quæ proveniunt ex ſingulari domini induſtria, ut ſi mercator per ſuam negotiationem mille aureis lucretur alios ducentos, & hæc utraque lucra tenebitur poſſeſſor iniquus reſtituere, quia aliàs non fieret æqualitas, cùm res ubicunque ſit, domi-

Digitized by Google

domino ſuo fructificet. Quæſtio ergo potiſſimùm eſt de poſſeſſore malæ fidei, an ad fructus tam naturales quàm induſtriales interea perceptos reſtituere teneatur? & de poſſeſſore bonæ fidei, an rem cognito errore teneatur illam reſtituere vero domino, vel poſſit reddere furi, ſi alio modo non poterit recuperare ſuum pretium.

2 Advertendum eſt 2. Fructus ex re poſſeſſa provenientes aliquos eſſe merè naturales, aliquos mixtos, alios verè merè induſtriales, naturales ſunt, qui ex ipſa re proveniunt ſine induſtria Domini, ut fœnum ex prato, pullus ex ovibus &c. mixti ſunt, qui partim ex natura partim ex induſtria ſive parva ſive magna proveniunt, ut frumentum vel fructus ex agris, vineis, aut caſeus ex ovibus huc etiam reducuntur fructus civiles, ut pretium ex locata domo, cùm ad hoc concurrat tam res quàm induſtria hominis, ſine qua hoc pretium ex his rebus non compararetur, ſi tamen aliquando eſſet maxima induſtria & minima vis naturæ, videtur aliquibus potiùs eſſe dicendos fructus induſtriales, quàm naturales; ſi enim à potiori, multò magis à potiſſimo delumetur denominatio & parùm pro nihilo reputatur, unde ſi quis ſuâ arte tingeret florem in radice admirando colore, ut 30. florenis venderetur, fructum merè induſtrialem faceret, adeóque fructus merè induſtriales ſunt, qui præcisè proveniunt ex induſtria utentis illa re, ut ſi quis frumentum eveheret ad locum, ubi eſt ſumma annonæ caritas: illud ſummum pretium eſſet fructus induſtrialis. Præterea hic eadem quæſtio poteſt fieri de meliorament is & expenſis: ſunt autem melioramenta alia intrinſeca & inſeparabilia à re, ut eſt ſtereoratio vinearum &c. alia extrinſeca & ſeparabilia, ut ſi ponantur plures feneſtræ &c. expenſæ etiam aliæ ſunt neceſſariæ, & quæ ſi fierent, res periret, vel deterior fieret, ut cultura vinearum, alimenta animalium &c. aliæ expenſæ ſunt utiles, quæ ſcilicet fructus rei augent, ſine quibus tamen res integra maneret. Aliæ tandem expenſæ ſunt voluntariæ ſeu voluptuariæ, quæ ſcilicet rem tantùm ornant & ad recreationem inſerviunt, utilitatem tamen ſeu fructus non augent, ut ſunt aquæ ſalientes, picturæ &c. His notatis.

Propoſitio 1. *Dominus rei poteſt illam à*
3 *quocunque poſſeſſore tam malæ quàm bonæ fidei recuperare, quamdiu res extat, & quantumcunque poſſeſſor ab alio emerit, non tenetur dominus rei pretium ſolvere;* ratio eſt, quia ipſe ſemper manet verus Dominus illius rei, cùm dominium illud invito domino non poſſit per furem in aliud transferri, & neque ex delicto neque ex contractu aliquid poſſeſſori ergo ubicunque dominus rem ſuam invenerit, ſibi poterit recuperare ſine ſolutione & alter ſibi adſeribat, quòd non magis attenderit, ex opere tamen, niſi quis modico pretio emiſiſſet rem furtivam eo animo, ut ſuo domino redderet, quia prævidet illum aliter non recuperaturum rem aut ſaltem magnum ſubeſſe periculum, nam tunc emptor utiliter ageret negotium Domini, ideóque in utroque foro tenebitur dominus ad reſtitutionem illius pretii modici.

Propoſitio 2. *Poſſeſſor malæ fidei qui ſcienter rem furtivam emit, tenetur illam reſtituere domino & non poteſt illam furi reddere.* Ratio eſt; quia cùm talis emptor teneatur ad reſtitutionem non ſolùm titulo rei acceptæ, ſed etiam injuſtæ acceptionis, eò quòd acceperit rem alienam invito domino ſciens eſſe alienam, tenetur etiam cum ſuo damno & omiſſione pretii rem reſtituere. Tum quia idem poſſeſſor bonæ fidei poteſt rem furtivam reſtituere furi, quia jure naturæ poteſt contractum vitioſum & ſibi damnoſum reſcindere, uti dicemus in aſſertione quarta; ſed emptor malæ fidei non poteſt ita reſcindere, quia cum ſciverit rem eſſe alienam, & nihilominus voluerit emere etiam cenſetur damnum & periculum in ſe voluiſſe ſuſcipere juri ſuo cedendo, quod habuiſſet ad diſſolvendum contractum, ſi rem eſſe alienam neſciviſſet. Contrarium tamen etiam probabile cenſet Leſſius; præſertim quando res ex continenti, & non diu poſt factam emptionem furi reſtituatur, quia tunc nondum Domino cenſetur fuiſſe illata notabilis injuria, iſtius rem tam brevi tempore ſervando. 4

Propoſitio 3. *Malæ fidei poſſeſſor non tenetur rem furtivam reſtituere, ſi apud ipſum perit eodem communi infortunio v.g. incendio vel diluvio apud dominum perituram.* Ratio eſt; quia in hoc caſu realiter & effectivè loquendo fur nullum intulit damnum, ſed ſolùm affectivè, imò in hoc caſu non deſtruitur res voluntariè à fure, ſed adæquatè ſolo caſu fortuito & quidem eodem quo fuiſſet peritura apud dominum, ſic ſi quis in navi exiſtens aliquid eſt furatus, ſed navis periit cum omnibus ſuis & alterius rebus, ſi equus furto ſublatus laboravit morbo occulto æquè apud dominum periturus, ſi vas vini iniquè detentum aceſcat, quod idem erat futurum apud dominum, excuſatur à reſtitutione, non tamen ille, qui furatus eſt rem, quam etiam alius fuiſſet furaturus, quia primus fur in ſe ſuſcepit obligationem reſtituendi, quam alioquin ſubiiſſet alter. Sunt tamen adhuc quædam circumſtantiæ conſiderandæ v.g. an non aliqua longa mora æſtimabilis vel fraus aut negligentia interceſſit, quia mutatis circumſtantiis facilè poteſt oriri obligatio reſtituendi v.g. ſi quis pridiè accepit quædam comeſtibilia, & abſumpſit, & ſic pepercit ſuis, factúsque ditior, etiamſi dein die ſequenti fuiſſent incendio abſumenda apud dominum, tenetur reſtituere. Præterea aliquando eſt excuſatio à reſtitutione, non tamen ab alio peccato, ut ſi quis interficeret hominem poſt horam certò moriturum, eſſet verus homicida & irregularis, quamvis non teneatur ad reſtitutionem 5

tionem conſanguineis, quia illud detrimentum per illam horam eſt leviſſimum, & moraliter non æſtimatur, ſicut ſi quis ſuccendiſſet domum, quam ſciebat hoſtem immediatè omnia ferro & igne devaſtantem deſtructurum.

6 Propoſitio 4. *Poſſeſſor malæ fidei, ſi deſtruit rem alterius ſine illius uſurpatione, tenetur ad reſtitutionem totius valoris, etiamſi ex eventu poſtea conſtet, rem apud dominum perituram fuiſſe, ſi periculum non poterat probabiliter prævideri.* Ratio eſt, quia deſtruendo rem voluit ſubire obligationem reparandi rem, quæ obligatio manet non obſtante, quòd poſtmodum fuiſſet peritura, nam idem eſt, ac ſi emiſſet pro obligatione ſolvendi, deberet enim ſolvere, etiamſi fuiſſet apud venditorem peritura & ſi pretium ſtatim ſolviſſet, non teneretur venditor refundere. Ratio ſecundi, quia ratione periculi præciſi res minùs valet & ideo tantò minùs erit reſtituendum.

7 Propoſitio 5. *Poſſeſſor malæ fidei tenetur ad reſtitutionem totius valoris, ſi res apud dominum peritura elapſo periculo v. g. erepta jam ex incendio à fure, deinde apud furem pereat, non peritura apud dominum, ſi deinde quamprimùm poterat commodè, reſtituiſſet.* Ratio eſt; quia licet res illa nihil valeret, dum erat conſtituta in manifeſto periculo, poſtquam tamen erat erepta recipit integrum valorem, ac ſi de novo eſſet producta, & manet in dominio prioris domini, cujus negotium utiliter geſſit, quisquis à periculo liberavit: ergo naſcitur in fure obligatio reſtituendi, cùm habeat voluntatem directè privandi dominum re ſua, licet partialiter etiam pereat caſu fortuito, qui caſus fortuitus non facit, quòd dominus rem ſuam non habeat, ſed tamen una cum voluntate furis non reſtituendi facit, quod deinceps eam in ſe habere non poſſit; ideo contrahit obligationem, ut reſtituat.

8 Propoſitio 6. *Poſſeſſor bonæ fidei ſtatim, ubi ſcitur res eſſe aliena, debet domino reſtituere.* Ratio eſt; quia aliàs poſſeſſor bonæ fidei fieret iniquus & malæ fidei detentor, nihilominus tamen ly *ſtatim* non eſt mathematicè accipiendum, ſed moraliter, & niſi legitima cauſa intercedat, præterea dictum fuit, ubi certò ſcitur, nam in dubio non tenetur, quia propter poſſeſſionem bonæ fidei melior eſt ipſius conditio, modo diligenti examine indaget veritatem; imò eſto non adhibuiſſet ſufficientem diligentiam, permittunt aliqui illi poſſeſſori dubio poſſe rem alienare & vendere, modò tantùm ſit paratus reſtituere, dein domino comparenti eò quòd ſic nullam inferat injuriam.

9 Propoſitio 7. *Poſſeſſor bonæ fidei, ſi rem emit & dein eodem pretio, vel minoris bona fide vendidit, ad nihil tenetur, ſi tamen eam dono accepit & vendidit, tenetur reſtituere pretium.* Ratio primi eſt; Poſſeſſor bonæ fidei tantum tenetur reſtituere, in quantum eſt factus ditior; ſed ſi eodem pretio vel minori, quô emit, vendidit, non eſt factus ditior: ergo. Ratio ſecundi eſt; quia qui dono accipit & vendit, fit ditior, niſi fortè illud pretium inſumpſerit in luſu, vel alias largitiones, ita ut ex eo non ſit factus ditior, intellige tamen, ſi aliàs talia impendia non conſtituerat facere; nam ſi hoc decreverat, tunc licèt illius rei pretium non obtigiſſet, jam pepercit rebus ſuis, quas impendiſſet, & ſic cenſetur factus locupletior; unde ſi Cajus catenam auream Titii dono accepiſſet bona fide, & eadem fide vendidiſſet aurifabro, qui eam deſtruxit, illius tamen pretium Cajus donâſſet alicui amico ſe ad aliquam dignitatem promoventi, tunc Cajus ad nihil teneretur Titio, quia egit bona fide, & in nullo factus eſt ditior. Nec aurifaber ad aliquid tenetur, quia bona fide emit & æquale pretium reddidit Cajo, adeoque ille bonus amicus & promotor apud quem invenitur pretium catenæ debet reſtituere, quia ſuo infortunio debet adſcribere, quòd res aliena apud ſe exinde ditiorem ſit inventa, & hoc idem dicendum eſt, ſi eandem rem plures emiſſent, tunc ultimus teneretur ad reſtitutionem, quia dominus ſemper habet jus rem ſuam recipiendi, ubicunque repererit, quamvis ultimus emptor haberet actionem contra venditorem ex contractu emptionis, in quo implicitè includitur evictio, ut venditor indemnem reddere debeat emptorem, quoad rem venditam.

Propoſitio 8. *Poſſeſſor dubiæ fidei, ſi aufert à Domino, dubitans, an res ſit ſua, manente dubio, tenetur illam rem reſtituere antiquo poſſeſſori: ſi verè eam accipit ex titulo oneroſo, vel lucrativo, & dubitat, an legitimè, v. g. dubitans, an ſit furtiva, non tenetur reſtituere.* Ratio primi eſt, quia antiquus poſſeſſor in dubio ratione poſſeſſionis prævalet. Ratio verò ſecundi eſt: quia tunc ſe juvare poterit poſſeſſione bonæ fidei prioris poſſeſſoris, cui ex empto ſuccedit, & protegitur à bona fide, quâ cœpit poſſidere, & caret is, qui dubia fide cœpit. His propoſitis: 10

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Nec Poſſeſſor bonæ nec malæ fidei tenetur reſtituere fructus merè induſtriales ex re aliena acquiſitos.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 15. q. 2. §. *de quartò.* Eſtque communis contra Baldum. 11

Probatur: non tenemur reſtituere, quod noſtrum eſt, ſed quod alienum eſt; at fructus ex noſtro labore & induſtria comparati ſunt noſtri, ſunt enim partus laboris & induſtriæ, cujus nos veri domini ſumus, quô fit ut ſi artifex furtivo inſtrumento confecerit opus non teneatur reſtituere, niſi inſtrumentum & æſtimationem uſûs inſtrumenti, quem in opere conficiendo invito domino uſurpavit, pariter ſi fur propriâ induſtriâ res uſu conſumptibiles alienas pluris vendidit, quàm proprius dominus vendidiſſet, poterit talem exceſſum ſibi retinere reſtituto pretio æquali & compenſato ſi-

mul damno emergente, ſi quod interceſſit: ex his ergo.

12 Inferendum eſt primò, quandoque à reſtitutione excuſandos eſſe præfectos, quæſtores, & ſimiles raptores pecuniæ, ſi ſuâ induſtriâ cum pecunia aliena evaſerint divites, maximè ſi acceſſerit expreſſus vel tacitus conſenſus domini, ſcilicet quando hoc ſcit & diſſimulat, quia res non caret periculo; nam ſæpe ſunt domini graviter inviti, & cùm hujusmodi officiales certum ſuum habeant ſtipendium, volunt pecuniam ſibi ipſis & non officialibus fructificare.

Secundò, ſi filius in domo paterna multùm patri lucratur ſuâ induſtriâ aliis fratribus intereà ſtudentibus, & aliquam quantitatem pecuniæ clam patri auferat, in ludos & potationes inſumens non tenebitur ad reſtitutionem, cùm aliàs pater in conſcientia in tali caſu teneatur filio tantùm dare, quantùm extraneo famulo deberet dare; imò juxta Leſſium, ſi filius ex metu reverentiali non audeat petere ſciens repulſam, poſſet clam tantùm ſurripere, à Confeſſario tamen monendus, ne tali licentiâ abutatur.

Tertiò: ſi quis alienâ pecuniâ magnam ſummam in ludo fuiſſet lucratus, poſſet ſibi hanc retinere, ſicut & famulus, qui juſſus fuit ſolvere creditori, & acceptos à domino aureos commutaſſet in pecuniam minutam cum aliquo lucro ad ſingulos aureos, quod idem dicendum eſt de depoſitario, matre, tutore &c. negotiantibus cum depoſito, & bonis relictis pupillorum, peccabunt tamen aliunde vi contractûs & officii.

Quartò: ſi quandoque mercatores famulis & ancillis dent quædam leviori pretio ex eo, quòd ad ſe præ reliquis accedant, poſſunt excuſari à reſtitutione, quia videtur vera donatio, & intereſt illis, ut ſic citiùs ſua vendant, modò tamen ſincera fide agatur.

13 Objicies: Dolus nulli debet patrocinari, & ita neque injuria: ergo lucrum induſtriale ex injuſta detentione acquiſitum ſaltem à poſſeſſore malæ fidei debet reſtitui.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud lucrum induſtriale per ſe obvenit furi ex propriâ induſtriâ non verò ex injuria, aut pecunia furtiva niſi merè materialiter & per accidens, cùm pecunia de ſe fructifera non ſit.

Dices: ſi radix eſt mortifera etiam arbor & rami ſunt talia, ut habetur ad Rom. 11. ergo cum radix injuſtæ acceptionis in poſſeſſore malæ fidei ſit obnoxia reſtitutioni etiam omnes fructus ex ea &c.

Contra neg. conſeq. quia pecunia furata non ſe habet ad tale lucrum tanquam radix ad ramos, ſed potiùs veluti materia & inſtrumentum, radix ergo eſt induſtria, ideo illud lucrum non ex pecunia, ſed ex induſtria procedit, ideo tale lucrum ipſius negotiantis efficitur, cùm rami ex radice ſuum eſſe ſortiantur.

Dices: ſi quis accepit à domino rem v. g. catenam vendendam 100. aureis, ſi ipſe tamdiu inquirit, usque dum inveniat, qui ſolvat 100. & 20. tenetur non tantùm illos 100. ſed etiam illos 20. reddere, ſed illi 20. ſunt fructus induſtriales: ergo.

Contra neg. maj. quia probabile eſt, quòd non teneatur illos 20. reddere, cùm ſint fructus induſtriales, & plerumque dominus cenſeatur tacitè eſſe contentus, ut, ſi plùs acquiret, ſibi retinere poſſit; ſuadendum tamen eſſet, ut ille priùs emat pro ſe illo pretio, quô dominus dedit, & dein ut propriam vendat, quod tamen difficile fiet ſine fictione, cùm non ſupponatur ſibi velle rem retinere & ſibi perire, ſi interea periret; ſecus tamen eſſet, ſi aliquis daret aliquid ad vendendum alteri ſine determinato pretio, tunc enim deberet totum pretium reddere, quia vel accepit mercedem ob laborem impenſum, & tunc nihil ulterius poteſt accipere, ſed ſicut quicunque alius famulus mercatoris, negotiatur rebus domini: vel non accepit, & tunc ſicut gratis ſuſcepit, ita gratis laborem præſtare debebit.

Aſſero 2. *Poſſeſſor malæ fidei tenetur totam rem ejúsque fructus tam merè naturales quàm mixtos ſtatim domino reſtituere, ſive exiſtant ſive non, ſive ex his ſit factus ditior ſive non, licèt ſtatim res perierit, non pariter peritura apud dominum, ac pariter melioramenta intrinſeca rei, deductis tamen in foro conſcientiæ expenſis etiam utilibus & voluntariis, imo etiam illos fructus, quos dominus interea percepiſſet.* 14 Eſt Scoti aſſert. priori cit. éſtque communis & quoad ultimam partem contra Covarruviam.

Probatur 1. pars: ſi poſſeſſor malæ fidei non teneretur reſtituere totam rem, non fieret reſtitutio ad æqualitatem, ſed hoc eſt contra juſtitiam: ergo. maj. patet. Tunc enim non fit æqualitas, quando non reſarcitur totum jus, quod habet dominus, ſed dominus habet jus in totam rem: ergo ſi non tota reſtitueretur non fieret reſtitutio ad æqualitatem.

Probatur 2. pars: fructus tam naturales quàm mixti quamprimùm fuerunt nati tranſierunt in jus domini, nec malæ fidei poſſeſſor in ipſos ullum ſibi jus poterat comparare; cùm ut fert commune axioma res ſemper fructificet prò domino ſuo, & ſi ipſos conſumpſit hoc ipſo tenetur ex injuſta acceptione, interim tamen ly *ſtatim* non debet mathematicè accipi, ſed moraliter & niſi legitima cauſa intercedat. 15

Probatur 3. pars: ſi res apud dominum non periiſſet, tunc poſſeſſor malæ fidei eſt cauſa damni & ratione rei acceptæ, & ratione injuſtæ acceptionis: ergo tenetur tale damnum reſarcire, ſupponitur enim, quòd ſi hanc rem non accepiſſet adhuc manſiſſet apud dominum, & ſic non periiſſet, aliud autem eſt, ſi æquè 16

certò

certò periiſſet apud dominum, nam de hoc vide propoſitionem 3. 4. & 5.

17 Probatur 4. pars: melioramenta intrinſeca ſunt inſeparabilia ab ipſa re: ergo ſequuntur ipſam rem; ſed fructus rei debent reſtitui: ergo. adeóque ſi quis pullum equinum abſtulit & apud eum adoleſcat, fiátque melior tenetur domino reſtituere etſi hunc equum quis vendidit 100. florenis tenetur hos reſtituere, licèt domino ſolùm valuerit 50. quando illum eſt furatus. Aſt melioramenta extrinſeca, cùm ſint ſeparabilia, ſunt potiùs fructus induſtriæ, poſſeſſoris malæ fidei, ideo is poſſet talia melioramenta auferre, dummodo res Domino non fiat deterior, ſed in priſtino permaneat ſtatu, ut habetur L. Julianus ff. *de rei vendicatione.*

18 Probatur 5. pars: nemo poteſt licitè cum alterius jactura locupletari; ſed ſi dominus poſſet conſervare expenſas utiles & voluntarias locupletaretur cum jactura poſſeſſoris: ergo non poteſt has retinere expenſas. Dictum eſt in foro conſcientiæ, quia in foro externo leges non patiuntur æſtimari expenſas, ſed in pœnam malæ poſſeſſionis poſſeſſor his expenſis privatur, ut habetur L. 5. C. *de rei vendicatione.* adeóque cum hoc ſit pœnale non obligat ante ſententiam Judicis.

19 Probatur 6. pars: Poſſeſſor malæ fidei tenetur ad reparationem cujuscunque damni injuſtè illati, ſed dominus rei propter injuſtam detentionem ſuæ rei patitur damnum in fructibus, quos aliàs probabiliter percepiſſet NB. probabiliter, quia ſi non probabiliter percepiſſet, ad nihil teneretur poſſeſſor, cùm in nullo læſerit dominum, quod iterum ſolùm verum eſt in foro conſcientiæ, nam in foro fori condemnatur poſſeſſor in pœnam injuſtæ detentionis, ut illos fructus reſtituat, quos dominus honeſtè percipere potuiſſet.

20 Objicies: Cajus advertens vinum in ſequenti autumno majori pretio vendendum, quàm nunc in Junio emit à Titio hoc menſe omne vinum, quod creſceret illi futuris vindemiis illo pretio, quô vinum hoc menſe erat vendibile, id eſt, quamlibet urnam duobus florenis, interim tamen pretium vini crevit, ut tempore vindemiarum valeat una urna quatuor florenis. Titius ergo dat multas urnas pro ſingulis accipiens duos florenos juxta pactum; ſed in tali caſu Cajus eſt poſſeſſor malæ fidei reſpectu pretii majoris, & tamen non tenetur reſtituere ratione contractûs juſtè initi: ergo poſſeſſor malæ fidei non tenetur ad rem totam.

Reſpondeo neg. ſuppoſitum min. quòd ſcilicet talis contractus fuerit juſtus, adeóque Cajus tenebitur reſtituere reſiduum pretii pro ſingulis urnis tempore traditionis, quia ut docent Theologi, pretium in contractu ſervandum debet numerari juxta tempus traditionis, & non juxta tempus contractûs, quo factus eſt, & hoc ideo, quia res eatenus valet aliquo pretio quatenus voluntate venditoris utilitatem affert emptori; ſed hanc utilitatem primò affert tempore traditionis, & non tempore contractûs: ergo pro illo judicandum erit de valore rei.

Dices: Cajus furatus eſt vas vini valens 30. quod crevit usque ad 60. florenos, & poſt annum iterum decrevit usque ad 30. ſed Cajus in hoc caſu non tenetur reſtituere 60. ergo ſaltem non illos fructus quos probabiliter percepiſſet ille dominus.

Contra diſtinguo min. non tenetur reſtituere, ſi dominus tanti non erat venditurus usque ad tempus decretionis conc. tunc enim ſufficit, ſi reſtituat 30. cum in tali caſu non ſit cauſa lucri ceſſantis. Si erat tanti venditurus neg. min. nam in tali caſu eſſet cauſa damni. Si tamen infra hoc tempus periret, ubi poterat vendi vel ſummo, vel medio vel infimo pretio, ſufficiet, ſi reſtituat medium, hoc enim eſt commune, & ſummum eſt rariſſimum. Si verò dubium eſt, quo pretio dominus fuiſſet diſtracturus, tunc reſtitutio facienda eſt ſecundùm medium ſtatum, quam res interea habuit.

Dices: ſaltem Cajus miles ex Italia in Styriam tranſiens, cujus commilitones ſpoliârunt domum alicujus ruſtici, & ille vas vini valens 20. florenis abſtulit; ſed Cajus in hoc caſu ad nullam tenetur reſtitutionem, nam ſi hic non abſtuliſſet, alii certò abſtuliſſent: ergo.

Contra neg. min. nam talis mala fide accepit, adeóque debet reſtituere domino, ſi poſſit, ſi verò non poſſit, pauperibus, quia verò milites gregarii ipſimet plerumque ſunt pauperes, poterunt titulo paupertatis ſibi retinere, qualiter autem præfatus Cajus peccaverit juxta communiorem eſt dicendum ſolùm venialiter, nam licèt illud vas vini vel aliæ res, ut veſtes abſolutè æſtimentur 20. florenis, quæ quantitas per ſe eſt ſufficiens ad mortale, attamen pretium rerum debet ſumi ex morali hominum æſtimatione juxta præſentes & imminentes circumſtantias, quando autem hoſtium incurſus timetur, pretium rerum valdè decreſcit, ita ut tales res vix uno æſtimetur floreno: ergo non multùm damni intulit, conſequenter tantùm venialiter peccâſſe videtur; adeóque ſi infra tempus periculi invaſionis hoſtilis vendidiſſet vas vini non teneretur ad reſtitutionem ſaltem ſub mortali, quia effectivè nullum damnum, ſed affectivè ſolùm fuiſſet illatum. Dico infra tempus periculi, quia ſi talis res elapſo periculo ſit apud furem, tenetur ad reſtitutionem etiam ſub mortali pro quantitate rei. De hoc vide propoſitionem quintam.

Aſſero 3. *Poſſeſſor bonæ fidei deductis expenſis tenetur reſtituere fructus naturales & mixtos, qui adhuc extant, aut quibus factus eſt ditior, ſi adhuc non ſunt præſcripti.* Eſt Scoti citati & communis. 21

Probatur: quælibet res fructificat domino ſuo; ſed talis res non eſt poſſeſſoris bonæ fidei, ſed domini ſui: ergo huic & non illi fructificat, adeóque filius ex ancilla eſt ſervus domini ancillæ, ubicunque fuerit progenitus. Dictum eſt primò. Deductis expenſis, quia ex re accepta non eſt plus reſtituendum, quàm ſit damnum iſtius domini, ſed expenſæ factæ non pertinent ad damnum domini, imò ſi Dominus illas perciperet, acciperet rem alienam, dictum eſt ſecundò, qui adhuc extant, hoc eſt, vel formaliter vel æquivalenter, hoc eſt, in quantum poſſeſſor factus eſt ditior, quia rei non exiſtentis reſtituenda obligatio non oritur ex titulo rei acceptæ. Dictum eſt tertiò, ſi non ſunt præſcripti, quia ſicut aliæ res mobiles, ita & fructus à bonæ fidei poſſeſſore poſſunt præſcribi triennio, & ſic completa præſcriptione ceſſabit obligatio reſtituendi.

22 Objicies: Cajus bona fide emptor decem urnas vini furtivi culpabiliter abſumpſit inebriando ſe Theologicè; ſed in hoc caſu tenetur ad reſtitutionem ob culpabilem vini abſumptionem, quod vinum nec extat formaliter, nec virtualiter: ergo etiam bonæ fidei poſſeſſor tenetur rem & fructus abſumptos reſtituere.

Reſpondeo neg. min. ſi inde non fuit factus ditior, egit enim cum ſua re, ut poſſeſſor bonæ fidei, nullus autem tenetur ex juſtitia rem ſuam ſervare, adeóque licèt peccaverit contra alias virtutes, non tamen peccavit contra juſtitiam, adeóque non tenetur reſtituere, niſi in quo factus eſt ditior v.g. ſi quid ex rebus ſuis locò rei abſumptæ conſumpſiſſet, vel alios ſumptus feciſſet ex ſuis fortunis.

Dices: Cajus bona fide emptum equum 50. florenis deduxit Viennam, ibique 80. vendidit alicui Comiti; ſed Cajus cognito errore tenetur reſtituere 30. florenos, cùm ſit factus ditior: exinde ergo quoscunque fructus tenetur etiam poſſeſſor bonæ fidei reſtituere.

Contra neg. min. cum proba, non enim ex re accepta factus eſt ditior, cùm equus per ſe non fructificet, nec ratione lucri acquiſiti, cùm non ſit ex re aliena, ſed ex propria induſtria; hinc Doctores communiter ſtatuunt regulam, quòd quando valor intrinſecus rei creſcit, tunc debet reſtitui, quando verò ſolùm creſcit valor extrinſecus, non debet reſtitui, cum procedat ab induſtria.

23 Aſſero quartò: *Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur rem acceptam à fure cognito errore reſtituere domino, ſed poteſt reddere furi, ſi alio modo non poterit recuperare ſuum pretium.* Deducitur ex Scoto citato dicente: *debet quis magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quàm modicum incommodum ſuum,* éſtque communior Leſſii, Torriani contra Covarruviam, Haunoldum & alios.

Probatur: tum quia ille contractus emptionis poteſt ab emptore reſcindi utpote dolo initus: ergo poteſt rem emptam reſtituere in illum ſtatum, in quo ante emptionem fuit. Tum quia ſi poſſeſſor bonæ fidei obligaretur ad rem domino reſtituendam cum æquali vel graviſſimo damno haberet eandem obligationem, quam haberet fur vel poſſeſſor malæ fidei; ſed hoc repugnat æquitati naturali, cum is, qui habet rem bonæ fidei nullam intulerit injuriam domino & ideo debeat eſſe melioris conditionis: ergo. Tum quia nemo per ſe loquendo tenetur ſuum periculum poſtponere alieno periculo; ſed poſſeſſor bonæ fidei, niſi rem furtivam furi reſtituat, incurrit periculum amittendi rem unà cum pretio, quod poteſt evitare rem alienam reſtituendo furi: ergo non tenetur hoc ſuum periculum poſtponere periculo domini. Dictum tamen eſt, ſi alio modo non poterit recuperare ſuum pretium, nam ſi certus ſit, ſe pretium recepturum à fure, debet rem reſtituere domino non furi, nam quilibet tenetur ex juſtitia non ſolùm non inferre malum proximo ſed etiam laborare, ne proximus damnum patiatur ex ſua actione quando id ſine proprio incommodo fieri poteſt.

Objicies: melior ſtatus rei undecunque 24
provenerit, pertinet ad utilitatem domini: ergo non habet ſine injuria domini ex meliori ſtatu, quàm acquiſivit, rem dejicere in pejorem; ſed res furtiva de fure proveniens ad poſſeſſorem bonæ fidei accepit meliorem ſtatum ſicut res ex incendio à me erepta: ergo ſicut hanc non poſſum iterum projicere in incendium, ita nec rem furtivam furi reſtituere.

Reſpondeo diſt. antecedens, ſi ille melior ſtatus proveniat ex ipſa re conc. ſi ex bonitate fidei poſſeſſoris neg. antecedens & diſt. conſequens: ergo non licet rem furtivam à ſtatu meliori poſitivè dejicere conc. non licet permiſſivè dejicere hoc eſt non poſitivè conſervando bonum ejus ſtatum cum proprio damno neg. conſequentiam; ſic enim etiam poſſum Petrum, quem teneo, ne ruat in incendium dimittere, ſi mihi periculum incendii immineret.

Dices: illi debet reſtitui, cujus res eſt, niſi ſit cauſa excuſans; ſed res eſt Domini non furis: ergo.

Contra conc. maj. & neg. ſuppoſitum ejus, quia grave & æquale damnum illius, qui rem alienam bona fide poſſidet eſt ſufficiens cauſa excuſans à reſtitutione rei proprio domino.

Dices: Si dominus rem ſuam repetat à poſſeſſore bonæ fidei, tenetur iſte reſtituere etiam cum jactura pretii, nec licet eam furi reddere. Ergo etiam emptor bonæ fidei non requiſitus tenetur illam domino reſtituere.

Contra neg. conſequentiam, diſparitas eſt, quia priusquam dominus determinatè ſciat poſſeſſorem rei ſuæ, non habet determinatum jus adverſus illum, & debet eſſe contentus per quemcunque demum ſibi res ſua ſive mediatè ſive immediatè ſive per ſe ſive per alium reſtituatur; aſt ſi ſemel devenit in notitiam poſ-

ſeſſoris

ſeſſoris, etiam habet jus determinatum adverſus illum, qui proinde etiam determinatè tenebitur reſtituere.

QUÆSTIO III.

An ſit gravis obligatio reſtituendi ablata per minuta furtula: & an occulta compenſatio ſit licita ex propria authoritate facta?

1 ADvertendum eſt 1. Caſum pr . æ partis frequenter contingere in mercatoribus, qui per vices nummum & nummum injuſtè accipiunt; item in ancillis & famulis, cùm vel mittuntur ad nundinas, vel curam habent victualium: item in cauponibus utentibus menſurâ minori &c. de iſtis ergo certum eſt, ſi deliberatè proponant per minuta furta ſenſim obtinere gravem ſummam, quòd per ſingulas actiones graviter peccent; cùm deliberatè velle ſibi habere materiam gravem alieno juri debitam, ſit graviter malum; adeóque quoties finis intentus eſt graviter malus, etiam ejus intentio libera eſt graviter mala, conſequenter etiam quælibet ordinatio mediorum ad talem finem. Nihilominus tamen illæ acceptiones minutæ nón ſunt plura moraliter, ſed tantum unum peccatum grave furti, cùm ſint actus interni, qui exterius conſumantur; hi autem non ſunt peccata plura numerò moraliter, quando actus externi, in quibus conſumantur, non ſunt de ſe opera omnino completa, & dicunt ordinem ad invicem, ut patet de impudicis tactibus, & aſpectibus ordinatis ad copulam fornicariam.

2 Advertendum eſt 2. Difficultatem ergo ſolùm eſſe, ſi absque intentione perveniendi ad magnam quantitatem furentur ſolùm ex occaſione quadam res modicas diverſis vicibus. Aliqui ergo dicunt, quòd ſi quis à diverſis ita furetur, non peccet mortaliter, quia nullum illorum graviter lædit, ſi verò ab eodem auferat, peccet mortaliter, cùm ſucceſſivè graviter lædatur; ſed immeritò ita diſtinguitur; nam notabile furtum à quocunque uſurpatum ſive uni, ſive pluribus illatum, ſemper eſt ex genere ſuo mortale; adeóque poſtremum furtum, quod ſimul cum præcedentibus notabilem integrat quantitatem etiam reſpectu diverſorum dominorum erit mortale; aliàs enim poſſet quis toto ſuæ vitæ tempore ex furto vivere, ſi à diverſis dominis paulatim modica ſurripiat: vel ſi etiam magnam auferret quantitatem ex horreo communi ad omnes cives ſpectante quod utique maximum damnum inferret reipublicæ, & convictum humanum perturbaret. Alii ergo probabiliùs dicunt, quòd ſi quis ex occaſione ſolùm furetur modicum ſive uni ſive pluribus, quod non peccet graviter, nec quod illa furta venialia ſimul ſumpta conſtituant unum mortale, attamen poſtquam ad notabilem devenerit quantitatem eam detinendo, peccabit mortaliter. Cæterùm tamen non improbabile eſt, majorem requiri quantitatem ad mortale, ſi auferatur à multis, quàm ab uno ſolo, damnum enim reſpectu multorum minus & levius judicatur, quàm reſpectu unius, ut de ſe clarum eſt.

Advertendum eſt 3. quamvis de occulta compenſatione ſit propoſitio damnata, eam tamen adhuc in quibusdam caſibus licitam docent Authores; ſed ad eam quasdam requirunt conditiones & præſertim tres. Prima eſt, ut ſit de liquido ad liquidum, hoc eſt, ut quis ſciat actu ſibi deberi. Secunda eſt, ut creditor non poſſit, vel ſaltem non facilè per poteſtatem publicam, id, quod ſibi debitum eſt, obtinere, vel non niſi cum magnâ moleſtiâ expenſis & amiſſione benevolentiæ, ut notat Leſſius. Tertia, ut amoveatur periculum, ne tibi vel tuo hæredi iterum idem debitum ſolvatur, quod fiet, fingendo donationem dicti debit. Quia tamen hæ tres conditiones non videntur ſufficere rectè adducuntur aliæ: prima, ut alteri tertio non ſequatur grave damnum v. g. ſi illi furtum imputaretur, & ut fur deberet ſuſpendio vel triremibus puniri, hoc tamen ſolùm ex charitate debet præcaveri, & non ex juſtitia; nam qui utitur jure ſuo, ut alteri damnum ſequatur, hoc fit per accidens, & ſic quamvis peccaret graviter contra charitatem, non tamen teneretur ad reſtitutionem; cùm illud damnum non ſequatur per ſe ex injuſtâ actione compenſantis ſibi occultè. Secunda, ut non fiat in re, quæ jam alio titulo alteri eſt locata, commodata aut pignori data; nam ſic occultè compenſans alterum ſpoliaret jure ſuo; hinc non poterit intercipere rem dono miſſam ſuo debitori antequam acceptetur à debitore, quia ante acceptationem adhuc eſt donantis, qui nihil ut ſupponitur, debet. Tertia, ut abſit periculum ſcandali vel infamiæ, ne occultè compenſans tanquam fur habeatur & puniatur. His itaque notatis: 3

Propoſitio 1. *Regulariter loquendo major requiritur quantitas, ut ex furtis minutis fiat peccatum mortale, quàm in furto, quod una vice perficitur.* Ratio eſt, quia furta minuta, licèt etiam uni fiant ſucceſſivè, minùs tamen inferunt damnum, quàm ſi una vice accipiatur illa quantitas; cùm interea illud modicum damnum facilè aliis lucris & proſperitatibus poſſit facilitari, ita ut non tam graviter ſentiat, aut tam graviter ſit invitus ille, qui ita læſus eſt. 4

Propoſitio 2. *Major requiritur quantitas ad mortale, ſi notabile temporis intervallum mediet inter minuta furta, etiamſi reſpectu unius, quàm ſi in dies, aut alternis diebus fur-* 5

ripiatur. Ratio eſt, tum quia in poſteriori caſu magis rationabiliter eſt invitus dominus, quàm in priori. Tum quia per magna intervalla difficulter uniuntur moraliter illa furta, adeóque nec tam facilè unietur materia gravis reſtitutioni graviter obnoxia; quale autem ſit illud notabile tempus prudentum judicio eſt relinquendum. Sanchez aſſignat unum annum, cùm tanta interpollatio non videatur moraliter conjungere illas quantitates parvas. Alii aſſignant ſex menſes: alii unum, alii dimidium menſem, ut Diana. Hinc

6 Propoſitio 3. *Non videtur ſub mortali obligatus reſtituere, qui aliquibus diebus unius menſis parva furta committeret ſine intentione perveniendi ad gravem quantitatem, ſi eam quantitatem conſumpſit & propoſuit abſtinere: attamen ob malam propenſionem poſt dimidium menſem iterum totidem abſtulit, & conſumpſit, nec ditior factus eſt.* Ratio eſt, quia cùm talis, ut ſupponitur, nunquam habuerit animum provenienda ad gravem quantitatem, & illa furta parva propter notabile illud intervallum ab authoribus probabiliter admiſſum, non conjungantur moraliter, non videtur peccare mortaliter ratione injuſtæ acceptionis, nec gravis retentionis, cùm ſint illæ quantitates conſumptæ, & illa ultima quantitas ex ſuppoſitione & ex ſe ſit levis, nec fiat reſpectivè gravis, eò quod moraliter cum præcedentibus ob inſufficiens intervallum non uniatur: ergo. Unde

7 Propoſitio 4. *Si in caſu prioris propoſitionis eſt animus perveniendi ad gravem quantitatem, & poſt menſem per minutum furtum completur, vel licèt non ſit talis animus, ſi tamen parva furta commiſſa etiam magnis intervallis conſlarent unam gravem ſummam, quæ adhuc apud furem exſtaret, tenetur ſub mortali reſtituere.* Ratio primi eſt, quia tunc intervenit propoſitum diteſcendi ex minutis furtis & cumulandi gravem quantitatem, quod eſt affectus ad peccatum mortale, & præterea continuat & unit quantitates ablatas, ut cum eiſdem tandem grave damnum inferatur læſo. Hinc venditores vini, & alii, qui per parvas menſuras defraudant, non poſſunt à mortali excuſari, ſi illa modica ſubtrahant animo continuandi. Quare ſæpiùs à Confeſſario eſt examinandus pœnitens ſurripiens modica, an non fuerit animus ſurripiendi plura, ſi fuiſſet occaſio, vel an non id ſæpius animo perveniendi ad magnam quantitatem fecerit. Ratio verò ſecundi eſt, quia licèt illæ acceptiones propter tale intervallum non conſlent moraliter unam quantitatem, benè tamen illæ retentiones, quamdiu ſingula furta non reſtituuntur, ut pluribus conſtabit ex aſſert. 1.

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Si quis per furta minuta pervenit ad gravem materiam, tenetur ſub peccato mortali ad reſtitutionem gravis damni ſive in ultimo furtulo adverterit gravem materiam, ſive non adverterit.* Deducitur ex Scoto in 4. Diſtinct. 15. §. *de quarto.* Eſtque communis cum Sanchez contra Navarrum & Sa quoad 2. partem.

Probatur 1. pars: res furtiva vel exſtat, vel non? ſi exſtat, tunc ſurripiens eſt obligatus titulo rei acceptæ, ſi non exſtat, ſaltem eſt obligatus titulo injuſtæ acceptionis, ſiquidem in ultimo furtulo, in quô advertit materiam illius furtuli una cum præcedentibus conſtituere grave damnum proximi, peccavit mortaliter contra juſtitiam.

9 Probatur 2. pars: Tum quia datur obligatio ad reſtituendam ſummam gravem per plura furtula acceptam; ſed hæc obligatio non eſt levis: ergo gravis. Min. probatur: obligatio ad gravem ſummam reſtituendam eſt gravis: ergo. Antec. probatur: in læſo eſt jus & efficacia alterum graviter obligandi ad non detentionem ſummæ gravis: ergo pariter in lædente eſt debitum legale & obligatio gravis ad reſtituendum grave damnum, quod ſive per plura furta ſive per unicum inferatur, reſpectu læſi eſt planè per accidens. Tum quia lex naturalis non eſt minoris efficaciæ, quàm lex poſitiva: ſed ſi quis per legem poſitivam vel ſententiam Judicis condemnaretur ad reſtitutionem gravis damni per minuta furta illati contraheret gravem obligationem reſtituendi illud damnum: ergo cùm lex naturalis condemnet ad reſtitutionem faciendam ſi gravis injuria infertur etiam imponit gravem obligationem, ſi grave damnum per furta minuta infertur.

Probatur utraque pars ſimul: Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parva furta quantumcunque ſit magna ſumma totalis:* ergo tenetur ſub culpa gravi reſtituere. His

10 Addo 1. regulam generalem eſſe diſcernendi, an ultimum furtum minutum ſit mortale an veniale: nempe quotieſcunque materia ultimi peccati vel ſecundùm ſe vel ſecundùm ſuos effectus aut ex primaria intentione operantis cum materia præcedentium continuatur tunc ultimum peccatum, in quo materia notabilis completur, eſt mortale, quòd aliàs eſſet veniale. Quando verò materia ultimi peccati non poteſt ſic continuari moraliter cum materia præcedentium, ultimum manet veniale, cùm ſit furtum minutum de materia levi. Sic ſimiliter, qui interruptim pſalmos ex officio illius diei intermittit, vel eodem feſto ſæpe per intervalla laborat, mortaliter peccat, quia hæ operationes & omiſſiones ex natura ſua moraliter conficiunt unam omiſſionem & operationem gravem, cum in unam materiam coaleſcant. Econtra, qui diverſis diebus unum pſalmum omitteret, vel diverſis feſtis laboraret parùm, non peccaret mortaliter, quia cum iſta non moraliter coaleſcant inter ſe, nec mora-

moraliter continuari aut ſimul coëxiſtere cenſentur, & ſingula ſint parva, non faciunt materiam gravem.

11 Objicies: Si eſſet gravia obligatio reſtituendi gravem materiam per furta minuta ablatam, vel eſſet ex radice rei acceptæ, vel injuſtæ acceptionis; ſed neutrum dici poteſt: non rei acceptæ, quia ſupponimus hanc non amplius exſtare: non injuſtæ acceptionis, præſertim ſi non advertit in ultimo furto ad gravem læſionem, quia ex levi culpa theologica non naſcitur gravis obligatio ad reſtituendum grave damnum illatum: ergo.

Reſpondeo neg. min. quia licèt non ſemper, ſæpe tamen oritur ex radice rei acceptæ, dum nempe res furtiva tranſivit in poſſeſſionem furis, ex qua factus eſt ditior, & ſic utique domino rei furtivæ acceptæ eſt jus rem ſuam ab iniquo acceptore repetendi. Imo ſemper cenſetur adhuc talis res, licèt non phyſicè, ſaltem moraliter exſtare, cùm acceperit ſemper malâ fide; adeóque licèt illa obligatio non proveniat præcisè ex illis acceptionibus moraliter unitis, provenit tamen univerſim ex injuſtâ detentione rei alienæ notabilis, quæ ex natura ſua eſt mortaliter peccaminoſa; nam licèt in ultimo furto levi iniquus acceptor per accidens non adverterit ad connexionem præcedentium furtulorum, per quam gravis materia conſtituitur, hoc ipſo tamen, quòd illa materia coaluerit, obligatur gravi & negativo præcepto juſtitiæ de non retinendo rem alienam; adeóque quàm primum advertit ad gravitatem materiæ vel damni, debebit habere propoſitum reſtituendi, aut ſi non habet, peccabit mortaliter.

Dices: non poteſt eſſe obligatio gravis, ubi ſufficit reſtitutio levis materiæ; ſed in furtis minutis coaleſcentibus in gravem materiam ſufficit reſtitutio levis materiæ: ergo. Min. probatur: illud ſufficit ad reſtitutionem, per quod grave damnum ceſſat; ſed ſi etiam materia levis reſtituitur in furtis minutis, jam damnum grave ceſſat: ergo. Min. probatur: ſi quis abſtulit per duos menſes quatuor vicibus quinque groſſos, per conſequens florenum, qui cenſetur eſſe materia gravis, hic reſtituendo quinque ultimos groſſos ſatisfaceret; ſed quinque groſſi ſunt materia levis; ergo. Maj. probatur: ſicut ante acceptos illos quinque ultimos groſſos, damnum nondum fuit grave, ita etiam redditis ſolùm illis quinque groſſis damnum ampliùs non manet grave; ſed ad illud, per quod damnum non eſt grave, non tenemur ſub obligatione gravi reſtituere: ergo ſatisfaceret.

Contra: hoc quidem admittit P. Amicus Tom. 5. disputat. 38. Section 5. & mihi probabile arridet in ſpeculatione, ſed in praxi hoc concedere non potui, tum quia eſt contra ipſum Adverſarium, qui admittit eſſe obligationem gravem ad reparandum grave damnum; ſed ſi tantum quinque groſſi deberent reſtitui, non poſſit eſſe obligatio gravis, cùm illa materia ſit ſolùm levis, niſi fortè diceret eſſe abſolutè levem, ſed reſpectivè & concomitanter cum reliquia gravem; ſed hoc ipſo dico eſſe cum reliquis concomitantibus reſtituendum, cùm gravis materia ſit reſtituenda, & illi ultimi quinque groſſi cum reliquis ſint gravis materia. Tum quia hoc idem deberet dici de illo, qui ſimul & ſemel florenum acciperet aut aliam gravem materiam, quòd ſolùm obligaretur graviter ad illam partem, quæ facit materiam eſſe gravem, & reliquas partes poſſet retinere, quod nullus Authorum docet, & eſſet occaſio ita furandi & ditescendi per tales iniquas minutas ablationes. Tum quia ſic etiam ſatisfaceret tam peccato quàm reſtitutioni, ſi ex accepto floreno tantum unum groſſum reſtitueret, qui ut ultimus complet florenum & materiam gravem, quæ ante illum ablatum adhuc non eſſet gravis, quod reverà adhuc eſt incongruum; quomodo enim unus groſſus repararet grave damnum illatum, ut ſupponitur? hinc ad formam argumenti: neg. min. ad probam diſting. maj. ad quod ceſſat damnum grave æqualiter ad ablatum conc. inæqualiter neg. maj. & ſic diſtinct. min. neg. conſeq. nam cum juſtitia requirat æqualitatem debiti ad jus alterius, ſic ſi ſemel obligat graviter, obligat ad omnimodam æqualitatem juris præſtandam, ut patet, qui ſimul & ſemel accepit unum aureum vel bovem, debet illum ex integro reſtituere ad æqualitatem debiti. Ad illius prob. neg maj. ad hujus prob. diſting. maj. non ampliùs manet grave quoad entitatem conc. non manet grave quoad obligationem ſemel contractam neg. maj. & diſting. min. id per quod damnum non eſt grave quoad entitatem, ſed benè quoad obligationem, non debet reſtitui neg. per quod non eſt grave quoad obligationem conc. min. nam hoc ipſo, quòd fur ſemel compleverit gravem materiam, ſe jam ſubjecit gravi obligationi, quæ ſe extendit ad omnes partes etiam parvas reſtituendas, & hoc debet ſibi adſcribere, eo quod pervenerit ad materiam gravem, & ſe ſubjecerit obligationi juſtitiæ, quæ adſtringit ad æqualitatem, nec poteſt rationabiliter præſumi dominus eſſe contentus, ſi ex floreno minima pars ſolùm reſtituatur, & major reſervetur: benè tamen viciſſim poſſet probabiliter concedi, ſi reſtituerentur quindecim groſſi, & ſolùm quinque reſerventur, quia ſic magis poſſet cenſeri non invitus.

Aſſero 2. *In quibusdam caſibus ſervatis conditionibus Advert. 3. aſſignatis, compenſatio occulta propriâ authoritate eſt licita.* Deducitur ex Scoto citat. dicente: *debet quis magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi, quàm modicum incommodum ſuum.* Eſtque Medinæ, Leſſii, contra quosdam alios. 12

Pro-

Probatur: Pro creditore ſemper ſtat jus naturæ recuperandi ſua, quando juridicâ viâ non poteſt habere, nec creditor injuriam infert debitori, quod ſua compenſet ex rebus debitoris, cum potiùs faciat, quod debitor ipſe ex juſtitia facere deberet, & ideo nulla ſit inæqualitas, neque alter rationabiliter poteſt eſſe invitus: ergo. Sic famuli vel famulæ non peccant, ſi non ſolvantur à dominis, aut ſi plurium officia, de quibus non contraxerunt, ſubeunt, ſi quædam ſibi appropriant inſciis dominis.

13 Objicies: Innocentius XI. damnavit hanc: *Famuli & famulæ domeſtica poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt:* ergo non eſt licita compenſatio occulta.

Reſpondeo neg. conſeq. quia rectè damnatur ille caſus famulorum, cùm vix eveniat, quòd in tali ſurreptione reperiantur præſcriptæ conditiones; imò famuli ſæpe ſibi perſuadent inſtinctu pravæ cupiditatis ſuam operam eſſe majorem ſalario, quod percipiunt, & hoc ipſo deficiunt in prima conditione, quæ requirit non probabilitatem, ſed certitudinem debiti; imo ab initio de tali ſalario conveniunt, & conſenſerunt, aut ſi plus operæ, quàm alii famuli pro tali ſalario præſtare ſolent, ab ipſis exigatur, poſſunt renunciare famulitio.

Dices: ergo etiam liceret compenſationis præventio de eo, quod primò in futurum certò debebitur v. g. poſt annum vel menſem, cùm ſit eadem ratio; ſed hoc in mutuo reprobavimus de anticipato intereſſe: ergo.

Contra conc. illatum his poſitis duabus conditionibus: prima, ſi adſit periculum certum moraliter, quòd debitor ſuo tempore non ſit ſoluturus; quia quilibet poteſt etiam futura ſua damna cavere, & illius aſſecurationem vel pignus accipere. Secunda, ut ſit propoſitum, ſi hinc debitori aliquod damnum eveniret, omnia compenſandi; quæ conditiones communiter deſunt in anticipato intereſſe, ſi autem adeſſent, non reprobaremus.

Dices: ſaltem, ſi res debitoris non ſunt fungibiles, ſeu uſu conſumptibiles, ſi eas creditor occultè capit, non acquirit dominium in illas, cùm hoc non transferatur invito Domino; ſed debitor habet dominium in tales res, & non conſentit ad transeundum ad creditorem: ergo.

Contra neg. maj. nam debitor non poteſt etiam in his rebus eſſe invitus, ubi creditor facit, quod ipſe debitor ex juſtitia deberet facere; ſicut enim debitor non habens res uſu conſumptibiles deberet debitum ſolvere ex uſu non conſumptibilibus, ita poteſt creditor facere compenſationem, quam ipſe debitor ex juſtitia debuiſſet facere.

Dices: poteſt dominus rem ſuam repetere, ubicunque illam repererit: ergo poteſt debitor iterum occultè ſurripere rem ſuam uſu non conſumptibilem à creditore, cùm ſit ejus dominus.

Contra neg. ſuppoſit: conſeq. quod adhuc ſit dominus; unde nec jure poteſt debitor talem rem repetere, niſi debitum vellet in propria ſpecie, vel rebus uſu conſumptibilibus reſtituere.

Dices: ergo etiam, ſi quis occultè non poſſet ſuum debitum recuperare, poſſet patenter, & per vim id recuperare; cùm eodem modo jus naturæ ei aſſiſtat; ſed hoc communiter negatur: ergo etiam &c.

Contra neg. illatum, quia jus naturæ dictat ſemper reipublicæ quietem eſſe præferendam cuicunque bono privato, niſi ſolùm in caſu, quo reſpublica adeò eſſet perturbata, ac tyrannide oppreſſa, ut nemo jus ſuum obtinere poſſit.

SUBDISTINCTIO III.

De Circumſtantiis reſtitutionis, præſertim pluralitate cooperantium, ordine, & loco.

QUÆSTIO I.

De variis quæſitis circa poſitivè, & negativè cooperantes ad damna illata.

ADvertendum eſt: Cùm non tantùm ad reſtitutionem teneatur, qui alienum accepit, vel poſſidet, ſed etiam, qui directè & efficaciter ad damnum proximi fuit cooperatus, hic de cooperantibus ſuccinctè agendum erit. Communiter novem cooperantes ad reſtitutionem obligati numerantur, ſex priores dicuntur poſitivè cooperari, tres verò poſteriores negativè aut privativè juxta illos verſus diſtinct. ult. ſubdiſtinct. I. ex Scoto adductos: 1

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Juſſio ergo ſignificat mandatum, ut alteri fiat damnum vel explicitè v. g. jubeo ut hunc occidas, vel implicitè ſignificando alicui gratum fore, ſi quis tale præſtet; attamen mandatum inefficax redditur, ſi ante patratum damnum revocetur, ita ut revocatio ſufficienter innoteſcat mandatario, nam efficacia pendet à voluntate mandantis moraliter perſeverante, hoc eſt non revocata. Conſilium eſt ſuaſio, inſtru-

inſtructio, hortatio, directio aut terror, ut alteri damnum fiat. Dupliciter poteſt accipi conſilium: primò ad ſolam veritatem ſciendam: Secundò ad utilitatem. Ex primò non videtur obligatio ad reſtitutionem, ſi conſilium prius revocetur, antequam alter operetur, ſecus eſt ex ſecundo, quia conſilium non influit præcisè ratione pravæ voluntatis perſeverantis, ſed etiam propter vim motivam ex utilitate manifeſtatâ à conſulente, & per hoc conſilium differt à mandato, quia hoc movet præcisè ratione ſui, non verò conſilium. Conſenſus eſt efficax approbatio damni vel iniqui ſuffragii, ut plerumque fit apud conſiliarios & ſenatores v. g. dat conſiliarius ſuum ſuffragium vel conſentit, ut ſubditis Provinciæ imponatur contributio, vel ut hic eligatur & alter reprobetur, quod ſcit eſſe injuſtum. Palpo eſt qui laudando, adulando vel irridendo, arguendo eſt cauſa, ut is alteri damnum inferat, talis autem laus debet eſſe damnificativa; nam ſi ſolùm conſiſteret in genere v. g. laudando perſonam furis, quod ſit generoſa, pulchra, quæ dicitur laus lætificativa, non deſcendendo ad malitiam furti, hæc non eſt obnoxia reſtitutioni, cum talis non peccet contra juſtitiam. Cæterùm palpator fermè coincidit cum conſulente, & ideo quæ de hoc dicentur, palponi applicanda erunt. Recurſus eſt in illo, qui malefactores recipit & protegit & ſecuritatem præbet ad injuſtè agendum vel non reſtituendum. Poteſt autem fieri vel materialiter, quando quidem recipitur malefactor, attamen vel ignoratur vel dubitatur talis eſſe, vel licèt ſciatur, non tamen eo animo recipitur, ut liberiùs ſua ſcelera peragat, ſed ratione amicitiæ, conſanguinitatis, humanitatis, miſericordiæ ne à lictoribus capiatur, aut communis hoſpitii. Vel formaliter, quando ſcilicet recipitur, ut eò ſecuriùs malè agat, & ad malè faciendum exinde moveatur. Mutus dicitur, qui cum poſſet vel deberet, verbo vel ſigno non prohibet v. g. non clamat, non ſcribit vel monet ante damnum ad illud impediendum. Non obſtans dicitur, qui, cùm poſſit & debeat ipſo facto non impedit, ſcilicet non impedit, non defendit, non repellit, non cuſtodit ne damnum inferatur. Non manifeſtans dicitur, qui poſt damnum jam illatum non revelat damnificantem, vel non monet damnificatum ad rei ablatæ recuperationem. Hi tres ultimi cooperantes negativè dicuntur non impedientes damnum. His itaque adverſis:

2 Quæres 1. *Quid ſi mandans damnificationem revocavit ſuum mandatum, & mandatarius, ſeu cui datum eſt mandatum adhuc eſt executus mandatum, vel ſpe lucri, vel quia revocationem mandantis putat eſſe fictam & non ſeriam?*

Reſpondeo cum Scoto in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 2. §. de quarto dicente: *reſtituere tenentur in ſolidum omnes conſenſum efficacem vel verum vel interpretativum præbentes ad auferendum vel detinendum alienum.* Si ergo conſtet de nequitia mandatarii, excuſatur mandans, quia tunc non movetur à mercede danda; nam hæc non debetur ampliùs, ſi mandans maturè & ante opus efficaciter revocavit ſuam mentem: ergo à ſuâ malitiâ, quâ vult iniquè illam pecuniam ſibi dari. Hinc ipſe mandatarius obligatur ad reſarciendum quidquid damni ex tali homicidio ipſi mandanti fortè imputato obvenerit. Ad ſecundum dico eſſe probabile, quod excuſetur mandans, quia facit, quod erat in ſe, & totus error vel culpa eſt in mandatario, ſicut ſi mandans juſſiſſet, ut occideret equum Caji, & ipſe malè intellexiſſet & occidiſſet ipſum Cajum, non ideo hoc homicidium imputandum eſſet ſaltem in conſcientia ipſi mandanti, ſed errori mandatarii, neque ideo mandans fieret irregularis, ut tenet P. Pittner contra Lugonem.

Quæres 2. *Quid ſit agendum mandanti, ut inferatur damnum, ſed jam omnino cupit mandatum revocare; aſt non poteſt, tenebiturne monere damnificandum, ut ſibi caveat?* 3

Reſpondeo cum Scoto in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 2. §. de quarto dicente: *debet velle non fieri reſtitutionem tunc, quando eſſet in diffamationem reſtituentis, quia debet magis velle famam proximi, quàm illud modicum commodum ſuum ſtatim: conſimiliter debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi &c.* reſpondeo inquam ſub diſtinctione, vel enim mandans patietur majus damnum & in alio genere, vel æquale, vel minus, aut planè nullum quàm damnificandus? ſi primum, non obligabitur, quia nemo cum majori ſuo periculo tenetur damnum alterius avertere; unde ſi in illa monitione periclitaretur vita vel fama mandantis, non obligaretur monere damnificandum de damno ſuo cavendo in rebus temporalibus. Si verò patietur damnum æquale, aut minus, tenebitur monere: quia illud injuſtum mandatum, quod eſt cauſa, obligat ad amovendum damnum ab innocente.

Quæres 3. *Si Dominus ſciat ſervum ſuum paratum eſſe accidere inimicum domini, ubicunque fuerit, & occaſione data v. g. occurrente à longo inimico non prohibet famulo cùm facilè poſſit, & occurat memoria teneturne dominus ad reſtitutionem in conſcientiâ hæredibus occiſi?* 4

Reſpondeo cum Scoto cit. Subdiſtinct. *Vel ſervus ſcit dominum illud ſuum malignum propoſitum habere cognitum, & tamen non contradicere velle, vel non ſcit? ſi primum, tunc tenebitur ad reſtitutionem;* quia illa taciturnitas videtur approbatio domini, cui per hoc factum famulus præſumitur velle placere, & ſic movetur à tacito illo conſenſu: *ſi ſecundum, non tenebitur ad reſtitutionem;* quia dominus non peccavit contra juſtitiam, ſed charitatem, vel ſi ex officio teneretur, potiùs eſſet non obſtans

quàm mandans. Similiter ſi famulus mandatus excederet limites mandati, ſub diſtinctione loquendum eſt, vel enim talis exceſſus eſt ex communiter contingentibus, & à domino facilè poterat prævideri, vel non? ſi primum, eſt obligatio reſtituendi etiam exceſſum, quia ille exceſſus moraliter conjungitur cum opere mandato, ſi ſecundum v.g. dominus juſſit leviter percutere, & famulus planè occidit, non obligatur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, in foro autem fori poſſet condemnari ob præſumptionem juris de culpâ latâ vel dolo.

5 Quæres 4. *Quid ſi quis revocet conſilium, ipſe autem, qui petiit, nihilominus damnum inferat, excuſatúrne à reſtitutione?*

Reſpondeo cum Scoto cit. *Si conſulens ſufficienter oſtendat ſuum conſilium fuiſſe nullum, vel falſum & illicitum, & alter nihilominus adhuc pergit, probabiliter excuſabitur.* Ut plures tenent apud Dianam, quia ſuadens ſatisfecit ſuæ obligationi oſtendendo non licere ſequi hoc conſilium; adeóque potiùs ex propriâ malitiâ movebitur executor. Unde ſi quis dedit conſilium contra veritatem falſum v.g. dicens contractum eſſe licitum, qui eſt illicitus, medicinam eſſe bonam, quæ eſt nociva, & ante applicationem ſe oſtendit eſſe deceptum, alter verò neglecta revocatione pergit ponere nocumentum, tunc non conſilio, ſed ſuâ malitiâ cenſebitur motus. Aliter autem aliqui ſentiunt, ſi quis rogatus eſt pro conſilio ad ſciendam commoditatem nocendi v.g. procurandi abortum, exequendi furtum; nam tunc licèt aliquis revocet, ſi tamen alter ſecutus conſilium nocuit, teneretur ad reſtitutionem; nam tamdiu influit quis efficaciter in damnum, quamdiu remanent ſua motiva, quibus operans ad nocendum inducitur; ſed hæc remanent in caſu, ſicut ſi alteri arma ad nocendum dediſſet, maneret concauſa homicidii, tametſi illum à ſcelere revocâſſet; ſed cum hoc idem poſſet dici de prioribus conſiliis, ſi in illis eſt probabile, aliquem excuſari ad reſtitutionem, ita etiam in poſterioribus conſiliis. Cæterùm tamen Scotus in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 3. §. reſpondeo dicit: *& ex hoc patet, quantum periculum eſt alium ſolicitare, & inducere ad peccatum, qui vix poteſt reſtituere dignè; cum voluntatem illam allectam ad peccata vix poſſit perſuaſionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutem.*

6 Quæres 5. *An ſine onere reſtitutionis & peccati liceat conſulere alicui: ut faciat minus malum ad evitandum majus?*

Reſpondeo, deducendo id ex Scoto in 4. Diſtinct. 50. quæſt. 2. §. *reſpondeo ergo.* dicente: *quando ſunt duo mala, in eligendo minus malum eſt fugere majus malum, quia ibi unum habet rationem boni reſpectu alterius affirmativè.* Si paratus ſit facere etiam minus: & ſi minus malum ſit pars vel formaliter vel virtualiter incluſa in peccato majori, quod alter perpetrare moraliter certò decreverat; quia in tali caſu non ſuadetur ſimpliciter malum, ſed ceſſatio à malo majori; ideo tale conſilium non fertur abſolutè in ſe malum, ſed ſub ratione boni, quatenus eſt evitatio majoris mali; ſic parato committere adulterium, licitè conſulitur fornicatio ex intentione, ut evitetur adulterium, quod aliter impediri non poteſt; quia malitia fornicationis continetur formaliter in adulterio tanquam pars in toto. Sic pariter licitè perſuadetur determinato ad furtum, ut furetur potius rem profanam, quàm ſacram, potius diviti, quàm pauperi. Obſervandum tamen eſt, ne tali ſuaſione damnum ſive corporale ſive ſpirituale alicui tertio inferatur v.g. volenti adulterium committere non licet perſuadere, ut cum tertia perſona ad hoc non reſolutâ nominatim fornicetur: aut volenti à Petro furari centum, non licet ſuadere, ut furetur quinquaginta à Paulo, cùm non liceat impedire damnum Petri cum injuriâ Pauli, & ſic eſſet præciſa cauſa nocumenti Pauli. In dubio tamen, ſi paratus eſt uni ex duobus furari, videtur licitum perſuadere, ut potiùs Petro quàm Paulo ſuo amico inferat damnum, cùm tale damnum titulo amicitiæ poſſit avertere, & ſic per accidens erit, quòd illud inferat alteri; probabiliùs tamen eſt illum ſolum poſſe rogare, ne furetur amico nihil dicendo de altero; ſi tamen minus malum nec formaliter nec virtualiter in majori continetur, aut alter illud minus malum nec formaliter nec virtualiter perpetrare decreverat, non eſſet licitum minus malum conſulere; quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona; ſic non licet furari ad bonum finem v.g. eleemſynæ: ſic non licet parato ad uxoricidium ſuadere adulterium, de quo non cogitavit, quia ſic, quantum in ſe eſt, inducet illum ad peccatum, & ideo Author talis peccati exiſteret.

7 Quæres 6. *Quomodo conſentientes in injuſtas contributiones, & electiones peccent, & teneantur ad reſtitutionem?*

Reſpondeo 1. Cum Scoto ſupra quæſt. 1. cit. *tales in re notabili peccare graviter, licet ſciant pro eodem effectu præceſſiſſe vota majora;* quia ſic conſentiunt in rem injuſtam. *Secundò ſi concluditur per vota majora, & quis dedit ſuum ſuffragium poſtquam præceſſerunt majora irrevocabiliter, peccat quidem ut dictum eſt, ſed non tenetur reſtituere, ſi nihil prius cum aliis contulerit,* quia ſic jam invenit damnum ab aliis plenè datum: ergo non eſt cauſa ejus; ſi autem aliquid prius cum aliis contulit, jam eſt concauſa damni. *Tertiò ſi ſuffragia eſſent revocabilia, ut ſi ille reſiſteret, illi non conſentirent in damnum, vel vota ſua revocarent, talis iniquè votans teneretur ad reſtitutionem;* cùm ſit cauſa damni; nam per vota præcedentia non exiſtebat damnum efficaciter. *Quartò tenetur ad reſtitutionem, qui primus*

con-

conſentis in damnum, licèt certus ſit, ſine ſuo ſuffragio fore alia plura ſufficientia ad damnum; quia aliud eſt eſſe cauſam ſine quâ damnum fieret, & aliud eſſe cauſam, ſine quâ damnum non eſt factum; hoc autem ſecundum contingit in caſu poſito, quia damnum eſt revera, ejus effectus, & ſic vera eſt cauſa damni, per conſequens ad reſtitutionem obligatur.

8 Quæres 7. *Quomodo teneantur ad reſtitutionem receptores malefactorum?*

Reſpondeo cum Scoto ſupra quæſt. 1. cit. *ſi receptant, & ſecuritatem præbent ad injuſtè agendum, vel non reſtituendum, & ut tales receptant, fovent, & animant, tenentur reſtituere*, nam ſic efficaciter inferunt damnum, & ſunt ejus cauſa; ſic caupones aliquando tenentur ad reſtitutionem, ſi filiosfamilias contra voluntatem parentum in domo ſua ſuſcipiunt, ut ibidem pecunias abſumant. Sic pariter advocati cauſæ manifeſtè iniquæ patrocinantes &c. excuſat tamen Rebellus receptorem latronis, ſi eſſent alii, à quibus æquè reciperetur, & ipſe aliquod damnum pateretur; quia tunc non videtur adhuc determinatè inferri damnum. Ex quo etiam aliqui excuſant caupones catholicos à peccato, qui in diebus jejunii dant carnes hæreticis, vel aliis ad ſe venientibus, ſi alii eſſent, qui eſſent daturi, & ipſi aliquod damnum inde paterentur. Hinc multò magis, cùm talis receptatio ſit actio merè indifferens de ſe, omnino poterit admittere cauſam excuſantem à reſtitutione ob metum mortis vel gravis damni; quare excuſari poſſunt caupones in hoſpitiis ſolitariis ita recipientes latrones ob metum incendii domûs ſibi incuſſum &c.

9 Quæres 8. *Quando participantes præſtito auxilio ad damnum inferendum teneantur ad reſtitutionem?*

Reſpondeo 1. cum Scoto ſupra quæſt. 1. cit. *Si formaliter cooperantur, tenentur reſtituere;* cùm ſint cauſa efficax damni, unde ſi ſine alicujus auxilio non poſſet perfici crimen, licèt inveniretur alius, qui cooperaretur, talis cooperans non excuſatur, cùm adhuc formaliter concurrat; aliàs etiam excuſaretur miles iniquè conductus ad faciendum homicidium, quia licèt ipſe non faceret, alius tamen inveniretur, qui faceret, hinc Innocentius XI. hanc damnavit: *famulus qui ſubmiſſis humeris adjuvat ſcienter herum ſuum aſcendere per feneſtram ad violandam virginem, aut inſervit afferendo ſcalam, aut quid ſimile operando non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne domo expellatur. Secundò non tenentur, qui materialiter ſolùm cooperantur;* unde non tenentur ſequentes: primò: qui metu gravi coacti præbent auxilia, dummodo actio non ſit per ſe mala, ſic excuſantur remiges chriſtiani apud Turcas & ruſtici, qui injuſtas militum prædas avehunt. Dicitur dummodo actio non ſit per ſe mala, ut eſſet pugnare, tormenta explodere & occidere chriſtianos, vel domum infringere, res repertas pro furibus ejicere, quæ actiones ſunt per ſe malæ contra juſtitiam. Secundò famuli uſurarii juſſu Domini pecuniam numerantes non cooperantur formaliter ad uſuram, ſed ſolùm materialiter. Tertiò ancillæ dominabus ſuis vocantibus auxilia ferentes in aſportanda ciſtâ furtivâ, quam etiam ſine earum ope auferrent, & furarentur dominæ, & ſimilia.

Quæres 9. *Quot modis poſſit quis obligari* 10
ad impediendum damnum alterius, & qualiter non impedientes obligentur ad reſtitutionem?

Reſpondeo cum Scoto ſupra quæſt. 2. cit. *Poteſt quis generaliter obligari ad impediendum damnum ex charitate, & ſpecialiter ex juſtitiâ*, ex charitate omnis tenetur impedire damnum alterius, quando commodè poteſt, nimirùm ſine ſuo notabili incommodo; nam proprius actus charitatis eſt benè velle interiùs proximo, & exteriùs benefacere, ſi neceſſitas poſtulat: ex juſtitiâ verò obligantur impedire damnum, qui vel ex officio, vel contractu antecedente aliorum indemnitati ſtudere debent, ut ſunt magiſtratus, conſiliarii, advocati, medici, cuſtodes, adminiſtratores, curatores, famuli omnéſque mercede conducti ad res alterius cuſtodiendas. Hinc nullus ex non impedientibus tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio, vel contractu obligatus; quia obligatio reſtituendi oritur ſolùm ex violatione juſtitiæ commutativæ, quando ſcilicet alicui aufertur vel negatur aliquid, ad quod actuale jus habebat; ſed quando quis ſolùm ex charitate obligatus non impedit damnum alterius, non omittit aliquid, ad quod alter jus habet; cùm non habeat jus in me, ut tenear res ejus cuſtodire: ergo ſi talis ex charitate obligatus etiam ſtudio non impediret, ſed permitteret ex odio inferre damnum, non obligatur ad reſtitutionem, quia odium non eſt cauſa reſtitutionis, ſed injuſtitia commiſſa externa, quæ hic non eſt, ubi non eſt obligatio ex juſtitiâ impediendi.

QUÆSTIO II.

De variis quæſitis circa ordinem & locum reſtitutionis.

Advertendum eſt, hic eſſe diſtinguendum 1
inter obligationem reſtituendi ex delicto, & ex contractu, ut ſunt plerumque nocentes & damnificantes alterum, & ex re accepta, ut plerumque ſunt creditores; adeóque attendendum eſt ad jura creditorum: an nimirum habeant jus reale reſpectu debitoris, vel perſonale: an bona reſtituenda jure proprietatis pertineant ad debitorem, an ad creditorem: an aliqui ex creditoribus habeant pignus vel hypothecam eámque vel generalem vel ſpecialem, privilegiatam vel non privilegiatam, expreſſam vel tacitam, ſcilicet quæ

rebus imponitur à lege in favorem certorum creditorum, non requiſito conſenſu domini, id eſt debitoris, ut habet pupillus in bonis tutoris pro malâ adminiſtratione, uxor in bonis mariti pro dote. His notatis:

2 Quæres 1. *Quis ordo ſit ſervandus in reſtitutione ex parte damnificantium & nocentium?*

Reſpondeo id deducendo ex Scoto in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. §. *de quarto. Non omnes concauſas damni teneri æquè primò ad reſtitutionem, ſed aliquas ſolùm in defectu aliorum, dum ſcilicet magis principalis non reſtituit*; adeóque primo loco tenetur reſtituere ille, apud quem res furtiva ſive in ſe, ſive in aliquo æquivalenti exſtat, ſive bonâ ſive malâ fide poſſideat; quia tunc adeſt titulus rei acceptæ, cujus eſt fortiſſima obligatio. Secundo loco, qui fuit cauſa principalis, & cauſa damni executiva, hoc eſt, qui phyſicè proprio nomine nemine mandante damnū exequitur; nam qui proprio nomine, & phyſicè influit, magis principaliter influit, quàm qui ſolùm moraliter alieno nomine, & inſtrumentaliter influit; ſi autem plures ſunt phyſicè, & proprio nomine influentes, tenebuntur juxta majoritatem influxûs. Tertio loco inter cauſas morales debitor principalis eſt mandans vel minis impellens, qui etiam tenetur ſolvere ante executores & mandatarios habentes ſolùm rationem inſtrumenti phyſici, ſic etiam Rex tanquam immediatè mandans priùs tenetur, quàm ſuus tribunus, cui mandat, & priùs tribunus, quàm milites. Quarto loco tenentur concauſæ ſecundariæ; & acceſſoriæ, quales ſunt conſulens, conſentiens, laudans, receptans, adjuvans, non impediens, qui tamen non tenentur reſtituere, niſi in defectu principalis, ubi omnes æquè primo nullo ſervato ordine reſtituere tenentur, ſiquidem nulla ex iſtis alteri ſubordinatur per modum inſtrumenti, & qui majorem habent partem damnificationis, majorem quoque debent habere partem reſtitutionis.

3 Quæres 2. *Quis ordo ſit ſervandus in reſtitutione debitorum ex parte creditorum?*

Reſpondeo 1. Ex Scoto cit. *Debita realia nullo attento ordine ſunt integrè reſtituenda creditoribus jus reale proprietatis in illam habentibus, licèt omnes alii vacuis manibus deberent diſcedere*; quia creditoribus reale jus proprietatis habentibus res ipſæ ſunt obligatæ, quæ ipſis proinde denegari non poſſunt; adeóque præ omnibus bona depoſita, commodata, pignorata ſuis dominis debent reſtitui; imò etiam probabiliter res empta, ſi eſt apud debitorem, & ab illo nondum ſoluta; quia æquitati naturali conformiùs eſt, ut talis venditor, ſi res vendita exſtat, aliis creditoribus præferatur; cùm valdè durum ſit, & ab æquitate naturali alienum, ut res mea, quam non ſoluto pretio à me emiſti exſtans in ſuâ ſpecie cedat aliis, & abſque meâ culpâ ſimul re, & ejus pretio defraudarer. Imo videtur venditor non velle aliâ ratione ſe omni jure in rem venditam abdicare, niſi quando pretium re ipsâ ſolutum fuerit; quod potiori jure dicendum eſt in caſu, quo res ab Eccleſia, fiſco, vel minori, eſt empta; tunc enim debet res ſolvi, vel ipſa res reſtitui; quia ſic leges ordinant, quod dominium rerum à talibus dominis emptarum non transferatur mutuo contractu & traditione, niſi pretium ſolvatur; ideóque talia bona, ubicunque fuerint, vindicari poſſunt, ut patet L. *ſi curator.* ff. de jure fiſci.

Reſpondeo 2. *Ex bonis ipſius debitoris poſt mortem ejusdem ſolvenda ſunt ſecundo loco expenſæ factæ pro funere.* L. penult. ff. de religioſis & ſumptibus funerum. *Item quæ expoſita ſunt pro conficiendo inventario, apertura teſtamenti, chirurgorum, medicorum ſtipendia, pretia medicinarum in pharmacopæis.* L. ult. Cod de jure deliberandi. Quorum ratio eſt, quòd alioquin non reperiantur facilè, qui hæc tam neceſſaris vellent præſtare; ideo etiam videntur præferri poſſe operariis, quamvis ad uſum neceſſarium conductis.

Reſpondeo 3. *Creditores hypothecarii ſunt præferendi creditoribus merè perſonalibus & nullam hypothecam habentibus, quos vocant chirographarios.* ut habetur L. *eos qui.* ff. qui potiores in pignore. Hi enim habent jus reale in hypothecam, quâ illi carent; hâc de causâ enim dantur hypothecæ, ut debita magis aſſecurentur, quàm ſi non forent hypothecata. Quod ſi adſint plures hypothecarii, ille qui prior eſt tempore, præferendus eſt quibuscunque poſterioribus per regulam juris 54. in VI. *qui prior eſt tempore potior eſt jure.*

Reſpondeo 4. *Habens hypothecam privilegiatam præferendus eſt habenti imprivilegiatam, quamvis ſit poſterior.* Sic primò bona mariti etiam tacitè obligata ſunt uxori ejúsque liberis pro dote; ideo hi præferuntur aliis creditoribus. Secundò privilegio prælationis gaudet, qui dat mutuum ad extructionem vel emptionem rei, quam ſibi pactus eſt in pignus, vel hypothecam. ut patet L. *licet.* Cod. qui potiores. Tertiò etiam ille, qui dat mutuum ad conſervationem rei alteri generaliter vel ſpecialiter hypothecatæ, ut patet L. *interdum.* ff. qui potiores. Quartò pupillus per ſuum tutorem dans mutuum ad emptionem alicujus rei v. g. prædii, facit illud ſibi tacitè hypothecatum. Quintò dans mutuum pro cauſa militiæ v. g. ut emat equos & arma &c. talis habet privilegium prælationis etiam ante dotem, ut patet Novell. 97. Sextò hypothecam publicam habens, hoc eſt, coram Judice datam vel coram notario & teſtibus factam præfertur habenti hypothecam privatam, id eſt, privatâ ſcripturâ firmatam. Septimò hypothecæ contractui oneroſo appoſitæ habentur pro privilegiatis reſpectu aliarum, quæ apponuntur debitis gratuitis.

Reſpondeo 5. *Inter reliquos creditores perſona-*

ſonales non hypothecarios, nec privilegiatos, aut ex eadem cauſa æqualiter privilegiatos probabilius nullus datur ordo prælationis; nec proinde uni præ altero facienda eſt reſtitutio, ſed debitor qui omnibus ſolvendo non eſt, tenetur pro rata ſingulis reſtituere ſervatâ proportione geometricâ, ita videlicet, ut ſi jura creditorum ſunt diverſa plùs juris habenti, plus ſolvatur, & minus juris habenti detur minus, ſi autem jura ſint æqualia, etiam ſingulis æquales portiones tribuantur; unde ſiquis Cajo debet tria millia, Titio duo, Sempronio unum, & non habeat in ſuis bonis plus quam tria millia, ſic debebit dare Cajo mille & 500. Titio 2. Sempronio 500. ſic enim ſervatur proportio, quæ in ipſis creditorum juribus repetitur.

4 Quæres 3. *Quo loco ſit facienda reſtitutio?*

Reſpondeo ex Scoto cit. §. *ad argumenta. Qui ſolùm tenetur ex re accepta debet reſtituere in loco, in quo eſt res;* Si creditor eſt abſens, eſt illi mittenda ſuis ſumptibus, quos ſi facere nolit, res usque ad opportunitatem reddendi ſervanda eſt, vel juxta expreſſam aut præſumptam creditoris determinationem ſequeſtrò in depoſitum tradi poterit. Si quoque à debitore fuiſſent ſumptus facti in re aſſervanda, refundendi ſunt à creditore, quia debitor bonæ fidei non ad plus tenetur, quàm rem acceptam reddere, in reliquo autem indemnis debet ſervari.

Reſpondeo 2. *Qui obligatur ex injuſta acceptione, tenetur reſtituere in eo loco, ubi dominus rei eam erat poſſidens vel erat poſſeſſurus, ſi ipſi ablata non fuiſſet;* hinc latrones tenentur res in via ablatas ſuis expenſis ad locum mittere, ubi degit dominus rei, quia injuſtus acceptor non ſolùm tenetur rem ipſam reſtituere, ſed etiam dominum ſervare indemnem. Si tamen etiam dominus aliquas expenſas in ejusmodi rei transportatione fuiſſet facturus, v. g. ſi in via vinum ſit ablatum, tunc injuſtus acceptor poterit illas expenſas deducere, quia licèt creditor debeat ſervari indemnis, non tamen debet lucrum reportare. Quodſi tamen expenſæ faciendæ ex parte debitoris notabiliter excedant damnum, quod creditor ex dilatione pateretur, non tenebitur debitor ad reſtitutionem eo loco imediatè faciendam, ſed eandem in benigniorem occaſionem differre poteſt; quia juſtitia debet eſſe ſubordinata charitati, quæ ſolum damnum proximi averſatur; neque juſtitia aliud in actu reſtitutionis intendit, quàm æqualitatem, atqui ſi debitor pro 100. deberet luere 200. potiùs conſtitueretur inæqualitas.

Reſpondeo 3. *Quæ debentur ratione contractus, ſunt eo loco reſtituenda, de quo inter partes eſt conventum, vel loci conſuetudo præſcripſit, ſi verò nihil ſit conventum, reſtitutio fieri debet in loco ubi res debitori fuit tradita & illius ſumptibus, in cujus utilitatem contractus fuit initus;* Sic in redditione commodati dabit commodatarius, in depoſito deponens, in emptione, mutuo &c. reſtitutio fiet, ubi merx, aut mutuum acceptum fuit, aut ubi tacitè vel expreſsè conventum fuit.

SUBDISTINCTIO IV.

De Materiis reſtitutionis circa res ſpirituales, temporales, vitæ & famæ.

QUÆSTIO I.

De variis quæſitis circa reſtitutionem in damnis ſpiritualibus, & religionis.

Quæres 1. *An inducens aliquem ad peccandum contrahat obligationem reſtituendi?* 1

Reſpondeo cum Scoto in 4. Diſt. 15. quæſt. 3. §. *reſpondeo hic. qui conſulendo, perſuadendo aut rogando alterum ad peccandum inducit aliàs non paratum ad peccandum, tenetur ex juſtitia ad aliquam reſtitutionem inducto faciendam ſcilicet inducendo illum ad pœnitentiam, orando pro ipſo, ut emendetur.* Ratio eſt ex Scoto cit. quia ille peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur, qui damnificavit proximum in bonis ſuis, & quidem tantò magis peccat, quantò majus eſt bonum, in quo damnificat; ſed qui inducit aliquem ad peccandum privat eum gratiâ Dei & damnificat in bonis ſpiritualibus: ergo. Maj. patet. Quia nulla eſt ratio, cur damnificatio extendatur ſolùm ad bona temporalia famæ, & fortunæ, & non ad bona animæ ſpiritualia, ſi hæc etiam commodè reddi poſſunt: ergo. Ex hoc patet multò magis teneri ad reſtitutionem, qui vi vel fraude alterum inducunt ad peccandum; cùm tales ſint magis injuſtæ cauſæ talis damni ſpiritualis. Dictum tamen eſt, aliàs ad peccandum non paratum, quia qui cum proſtibulo peccat occaſionatè ſe ſolùm habet, non autem tanquam cauſa impellens vel inducens, ſed ad ſummum ut concomitans vel conſequens determinationem voluntatis proſtibuli, ſecus autem eſt de muliere pudicâ, quæ non niſi precibus, donis & ſimilibus cadit in ruinam; ideo non eſt conſentiens & volens voluntaria ſimpliciter & ſimul ſecundùm quid; ſed licèt ſit voluntaria ſimpliciter, manet tamen involuntaria ſecundùm quid, & ideo ei adhuc ratione involuntarii ſecundùm quid fit injuria & reſtitutio facienda eſt, ut patet in uſurariis, qui tenentur reſtituere uſuras dantibus & conſentientibus; quia ſecundùm quid involuntariè conſentiunt.

Quæres 2. *Quomodo teneatur ad reſtitutionem, qui alterum privavit uſu rationis, vel errorem in ejus intellectum induxit?* 2

Reſpondeo 1. ex Scoto cit. *qui alterum philtro vel maleficio privavit uſu rationis tenetur in quantum in ſe eſt removere medio li-*

cite maleficium & procurare remedia contra datam potionem ac reparare omnia damna ex tali maleficio conſecuta.

Reſpondeo 2. *Tenetur ad reſtitutionem, qui alium impedivit à ſtudio litterarum præſertim vi vel fraude.*

Reſpondeo 3. *Qui in alterius intellectu errorem induxit, quod tripliciter fieri poteſt: primò, ſi ſit error pertinens ad fidem, tunc talis inducens non tantùm peccat contra fidem, ſed etiam contra juſtitiam, & tenetur errorem revocare. Secundò qui ex officio Doctor, Profeſſor, pro veris ſententiis tradit falſas aut improbabiles, tenetur errores corrigere;* quia cum ex officio teneatur docere aliquam facultatem, gravem injuriam infert diſcipulis eorum intellectum falſitatibus replendo, ordinariè tamen ſi error non ſit valdè notabilis aut ſolùm ſpeculativus, non cenſetur eſſe magni momenti aut injuriæ. *Tertiò qui culpabiliter alterum inducit in errorem practicum, tenetur illum amovere & reparare damnum exinde ſecutum;* cum hac tamen diſtinctione, quod ſi quis tenetur ex juſtitia ſolùm non decipere, ſatisfaciat pro injuria, ſi dicat eſſe falſa, quæ docuerat, ſi verò ex juſtitia etiam teneatur docere veritatem veluti Parochus, Advocatus &c. non ſolùm tenetur manifeſtare ſuum errorem, ſed etiam docere veritatem. Dictum eſt culpabiliter; nam ſi quis poſſit cenſeri voluntariè deceptus, ei non eſt facienda reſtitutio, ut contingit illis, qui avidi novitatum & prurientes auribus accedunt hæreticorum conciones, & inde errores hauriunt, non erit obligatio hæreticorum ex juſtitia hæreſim apud eos revocandi, ſed ad ſummum ex præcepto fidei vel charitatis.

3 Quæres 3. *An teneatur ad reſtitutionem, qui aliquem ſine vi vel fraude impedivit ab ingreſſu religionis, vel ingreſſum extraxit?*

Reſpondeo 1. ex Scoto cit. §. *ad argumenta, qui hoc bono animo fecit ad nihil tenetur;* quia in tali caſu nulla infertur injuria nec perſuaſio, cùm potiùs ad utilitatem ejus ſuaſit, cùm ut ſupponitur, ob ejus defectus onera religionis ferre non poteſt, nec religioni, cum & hoc in ejus utilitatem vergat, nec ipſa jus aliquod acquiſivit in volentem ingredi religionem, aut novitium, ita ut ex juſtitia oriretur reſtitutionis obligatio.

Reſpondeo 2. *Qui ſinè vi & fraude, ſed abſque juſta cauſa ita aliquem impedivit, non tenetur ad reſtitutionem religioni;* quia religio necdum ullum jus acquiſivit nec pertinet ad illam, niſi quando acceptavit illum in profeſſione, & ideo ſicut novitius ad nihil obligatur religioni, ſi recedit, ita nec alter, qui hoc ſuadet; tenetur tamen ipſi perſuaſo reſtituere, quia injuſtè eum retrahit, & damnificat in bonis ſpiritualibus gravibus: & ideo etiam parentes injuſtè retrahentes filios à ſtatu religionis non tantùm peccant contra charitatem, ſed etiam juſtitiam.

Reſpondeo 3. *Qui aliquem profeſſum eo modo abſtraxit à religione tenetur ex juſtitia reſtituere religioni;* quia religio habet jus ſtrictum juriſdictionis ad gubernandum profeſſum, & ad percipienda opera ejus illi monaſterio utilia, quod jus violatur per extractionem à religione; ſed ex violatione juris naſcitur obligatio reſtituendi: ergo cum in ipſa profeſſione religioſus tacito contractu ſe obligaverit ad manendum, etiam ipſe non tantùm peccat contra religionem, ſed etiam contra juſtitiam.

Quæres 4. *Ad quid teneatur, qui aliquem meditantem ingreſſum religionis, vel novitium, vel jam profeſſum à religione per vim vel fraudem abducit?* 4

Reſpondeo cum Scoto cit. *talem ex juſtitia teneri ad ſequentia:* primò tenetur amovere omnem vim vel fraudem, quia violavit jus rigoroſum, quod ille habuit, ne vi vel fraude impediatur à ſuo bono. Secundò compenſare omnia damna tam perſonæ quàm religioni ſecuta, eò quod utrique ſtrictam intulerit injuriam. Tertiò procurare media, ut ſeductus ad ſtatum religioſum redire poſſit. Si autem remota vi vel fraude non ampliùs vellet redire, non tenetur reſtituere, illud emolumentum temporale, quod religio facilè conſequi poteſt alium ipſius loco ſuſcipiendo, quem alioquin non potuiſſet ſuſcipere ob numerum perſonarum completum; nam quoad hanc quantitatem nullum patitur damnum. Quartò tenetur ad illa, quæ cum ingreſſu talis perſonæ erant moraliter conjuncta, ut ſi homo fuit induſtrioſus, practicus, utilis &c. item ad ea, quæ jam animo deſtinaverat donare monaſterio, ſi hoc conſtitit ſeductori; nam vi talis animi jam habuit monaſterium propinquam ſpem: econtra verò non tenetur ad illa, cum quorum carentia non niſi valdè remotè connexa eſt ſeductio v. g. ſi fuit dives, ſi ſperavit hæreditatem; quia adhuc ex variis cauſis poterat religio ea bona non conſequi; cùm potuiſſet æquè facilè ſua bona in alia transferre, ſi necdum ſtatuit dare religioni.

Quæres 5. *An is, qui aliquem vi vel fraude ſeduxit, ne ingrediatur religionem, aut jam ingreſſus egrediatur, teneatur vel ipſe ingredi, vel alicui alteri perſuadere ingreſſum, ut hac ratione religioni compenſet damnum, quod ex illa perſona ſeducta ſperare potuiſſet, ſaltem pro æſtimatione ſpei?* 5

Reſpondeo cum Scoto cit. ad primum: *non teneri*, quia hac ratione obligaretur ſuam libertatem dare pro læſione in bonis temporalibus, quod non videtur dicendum; nam libertas eſt altioris ordinis; ſicut ergo impediens per fraudem ne Bertha ducatur à Cajo in uxorem, non tenetur ipſe eam ducere, ita in præſenti caſu negandum eſt. Ad ſecundum dico, Scotum ſentire, *probabile eſſe, quod aliquis retrahens ad hoc ſit obligatus, probabiliùs tamen eſſe, quòd non ſit ad hoc obligatus.* Ratio eſt, quia vel deberet illum inducere, ut in-

ingrediatur in hunc finem ut ſatisfaceret pro debito ſeductoris, & hoc dici non poteſt; nam quod per ſe impoſſibile eſt moraliter, & inſperabile, non cadit ſub obligatione, ſed eſt moraliter inſperabile, ut alius ſe includat clauſtro nullâ aliâ ratione ductus, quàm ut ſeductorem à tali onere liberet: vel ſufficeret ſeducere aliquem, alioquin ingreſſurum, ut ſuperadderet intentionem ſatisfaciendi pro debito ſeductoris, & hæc obligatio non eſſet utilis aut optabilis religioni, ac proinde eam nihil faceret, & ſic eſſet talis obligatio remiſſa. Vel denique requiretur, ut ſaltem alicui aliàs non ingreſſuro perſuaderet ingreſſum ſpontaneum & ex propria devotione ſine voluntate ſatisfaciendi pro debito ſeductoris, & tunc iſte non liberaretur à ſuo debito; quia libertas unius non extinguit debitum alterius, ſicut non ſolveret quis 100. Petro debitos perſuadendo Paulo, ut donet 100. Petro; aſt hoc ultimum poſſet talem aliqualem reſtitutionem in ſe continere pro ſenſu probabili juxta Scotum cit.

6 Quæres 6. *Quomodo peccet, qui abſque cauſa novitio negat ſuffragium ad profeſſionem?*

Reſpondeo ex Scoto cit. *qui ſine rationabili cauſa novitio negando ſuffragium ad profeſſionem eſt cauſa dimiſſionis ipſius, non tantùm graviter peccat contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam.* Ratio primi eſt, quia per expulſionem novitio grave cauſatur detrimentum, partim quia privatur maximo bono religionis & exponitur magno periculo, partim quia ipſi inuritur gravis nota; cùm quiſque præſumat ipſum non niſi ratione defectum vel naturalium vel moralium fuiſſe dimiſſum. Ratio ſecundi eſt, quia gravem notam alicui inurere & honorem minuere ſine cauſa eſt peccatum contra juſtitiam; ſed hoc facit, qui ſine cauſa novitium defraudat ſuffragio profeſſionis. Tum quia communiter cenſetur dedecori dimitti ex religione. Tum quia præſumitur neminem ex monaſterio dimitti, niſi ſit ipſi inutilis & habeat defectum. Hinc econtra novitius poteſt à religione diſcedere abſque gravi peccato, & injuria religionis, quia religio non patitur grave damnum & notam infamiæ ex diſceſſu novitii, quam tamen pateretur novitius ex ſua dimiſſione. Cæterùm ad licitè denegandum ſuffragium non requiritur cauſa graviſſima, ſed ſufficit vel gravis aliqua culpa moralis, vel quod ratione ſanitatis, indolis, talentorum defectu &c. judicetur futurus gravis religioni, aut aliquod notabile damnum ſive ſpirituale ſive temporale ab ipſo timeatur.

QUÆSTIO II.

De variis quæſitis circa reſtitutionem in materia famæ detractæ.

1 Quæres 1. *Quid ſit, & quale peccatum, ac quotuplex contumelia?*

Reſpondeo deductivè ex Scoto in 4. Diſtinct. 21. quæſt. 2. §. *in iſta quæſtione. Contumeliam eſſe dehonorationem alicujus per verba, quibus id, quod eſt contra honorem illius deducitur in notitiam ejus & aliorum.* Dicitur dehonoratio per verba, ut differat à diſhonoratione in factis. Dicitur, quibus deducitur in notitiam ejus & aliorum, per quod diſtinguitur à detractione, quia detractio clanculatoriè nocet proximo, contumelia verò palam vim infert; adeóque contumelia ſemper requirit præſentiam ejus, qui patitur. Quamvis verò contumelia de ſe ſufficiat, ut etiam veniat in notitiam aliorum, non tamen tam neceſſaria eſt notitia aliorum, quin etiam ſinè illa contumeliæ injuria inferatur.

Reſpondeo 2. *Contumeliam formalem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale;* eo quod gravem habeat repugnantiam cum charitate, dum proximum conatur ſpoliare bono honoris, qui eſt ſuper divitias multas; ideóque gravis illi pœna interminatur Matth. 5. *Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Dixi ex genere ſuo, nam aliquando poteſt eſſe veniale ex parvitate materiæ vel intentione proferentis, ſi ſcilicet non intenditur gravis diſhonoratio. Nihilominus tamen poteſt eſſe obligatio reſtituendi, ſi grave damnum honoris proximo exinde ſequatur. Imò aliquando planè non eſt peccatum, ſi ſcilicet contumelia quandoque dicitur correptionis cauſa, ſicut Chriſtus diſcipulos *ſtultos & incredulos* vocavit Luc. ult.

Reſpondeo 3. *Quadruplicem eſſe contumeliam.* Primò *convitium*, ſi ſcilicet alicui vitium vel defectus verus obtruditur. Secundò *improperium*, ſi exprobretur indigentia auxilii præſtiti. Tertiò *irriſio vel illuſio*, ſi proximus habeatur ludibrio & viſui exponatur. Quartò *ſubſannatio*, ſi per motus vel geſtus corporis proximus deſpectui habeatur; quæ tamen omnes differentiæ, cùm ſint accidens, & ejuſdem ſpeciei infimæ cùm habeant unam rationem formalem, ſcilicet denigrationem honoris alieni, in confeſſione ſufficienter exprimuntur dicendo: quòd alium gravi contumeliâ affeceris, non ſpecificando, an furem, vel proditorem vocaveris.

Quæres 2. *An ſi offenſus ſumpſit vindictam à contumelioſo, hic nihilominus teneatur reſtituere?* 2

Reſpondeo cum Scoto in 4. Diſtinct. 15. quæſt. 4. §. *reſpondeo. certùm eſſe, tam pro contumeliâ in publico illatâ, quàm in privato datâ eſſe ſatisfaciendum;* nam ſi in publico quis alteri colaphum intulit, ejus æſtimationem abſtulit, cùm in fama ſua ſit paſſus injuriam, ideo reſtitutio eſt facienda; ſi autem in privato ſit illata, licèt non ceſſerit in damnum famæ, eſt tamen obligatio ſatisfaciendi pro contumelia, cùm læſo propriè ſit facta injuria. Modus tamen reſtituendi honorem juxta prudens judicium poteſt obſervari, ſic ſuperior ſubdito, nobilis plebejo ſatisfaciet amica appellatione & ſalutatione, vel benevolentiæ exhibitione; non enim tenetur veniam petere,

tere, ne juxta regulam S. Auguſtini regendi frangeretur authoritas, quando nimia per ſuperiores ſervaretur humilitas. Item inter pares reſtituitur honor adbibendo ad menſam, cedendo locum honorificum &c. item optimus modus inter æquales vel inferiorum ad ſuperiores eſt, ut lædentes veniam petant; igitur nunc ad quæſtionem dico: *talem non teneri reſtituere;* quia juxta communem uſum putant homines ſe eſſe liberos à ſatisfactione danda, quando læſus nova injuria reaffectus fuit, item ſi pœnam à judice impoſitam luebat.

3 Quæres 3. *Quale ſit peccatum temerè judicare, ſuſpicari, vel dubitare, & quomodo ſatisfaciendum?*

Reſpondeo ad primùm deducitve ex Scoto mox cit. *per judicium temerarium lædi famam proximi internè;* ideo autem dicitur judicium, quòd formetur de alterius defectu ex levibus judiciis, quæ non poſſunt facere opinionem probabilem; hinc temerè judicare per firmum aſſenſum ſine formidine de oppoſito *eſt ex ſuo genere mortale,* niſi defectus advertentiæ aut levitas materiæ excuſet, quia gravis violatio juris alieni eſt mortale; ſed quivis habet jus ad propriam famam retinendam in aliorum intellectu, quæ in materia gravi per judicium temerarium adimitur: ergo.

Reſpondeo ad ſecundum: *Opinari vel ſuſpicari temerariè de altere regulariter eſſe ſolùm veniale*, quia per ſuſpicionem regulariter non infertur gravis contemptus, ſed ſolùm minuitur habitualis exiſtimatio alterius, & cùm ſuſpicio ſit facilè in oppoſitum mobilis, neque ordinariè habeat perfectam deliberationem adjunctam, plerumque patitur defectum voluntarii; unde ſi in confeſſionali aliqui interrogantur, an illud malum de proximo certò credant, & reſpondent ſe nullo modo firmiter credere, tunc erit ſignum, quòd non mortaliter peccaverint.

Reſpondeo ad tertium. Pari ratione *temerè dubitare de altero regulariter eſſe veniale;* quia utique minor fit injuria alterius æſtimationi per dubitationem de bonitate ipſius, quàm per determinatum judicium.

Reſpondeo tandem ad quartum: *illum, qui alterius bonam famam læſit judicio temerario interno, teneri ex juſtitia deponere malam opinionem de proximo;* quia alio modo reparatio ejus fieri non poteſt.

4 Quæres 4. *Quale ſit peccatum detractio famæ alterius?*

Reſpondeo deductivè ex Scoto mox cit. *famam proximi potiſſimùm lædi externè per detractionem, quæ utique in ſuo genere eſt mortale;* cùm damnificatio proximi in gravi bono ſit ex ſuo genere mortale, dico in ſuo genere, quia dantur aliquæ cauſæ excuſantes à mortali: primò, ſi res de proximo narrata ſit de ſe levis, vel defectus inculpabilis: ut ſi dicas, eſſe gibboſum, vel cæcum; tunc enim, niſi reſultet gravis contemptus, non erit gravis detractio. Secundò, ſi culpa, quæ de alio ſpargitur, etiamſi ſit gravis, tamen ex conditione perſonæ non cenſeatur ipſius famæ grave nocumentum inferre, ut ſi dicatur de milite, quòd acceptaverit duellum &c. Tertiò, ſi generalia vitiorum nomina de alio dicuntur, quibus potiùs inclinatio vitioſa, quàm ipſa peccata poſſunt intelligi, ut ſi quis dicatur iracundus, niſi fortè propter dignitatem perſonæ de qua ſimilia dicuntur, poſſit gravis cenſeri injuria. Quartò, ſi quis advertat ad circumſtantias grave damnum impedientes, ut ſi perſona, cui detrahitur, ſit ignota, & nunquam noſcenda, ſi audientes videntur non habituri fidem, ſi is, cujus recenſetur crimen, ſit jam in ſimili infamis & notorius, aut proximè fiet notorius. Quintò, ſi ob rationabilem cauſam manifeſtandi defectum proximi ipſe non poſſit graviter eſſe invitus, quales cauſæ ſunt: averſio gravis damni probabilis publici, aut privati, quando ſcilicet abſque manifeſtatione delicti tale damnum averti non poteſt; hinc licebit prodere alterius ſimulationem, ſi ſibi ficta eruditione famam periti v. g. medici procuravit; pariter licebit prodere ad correctionem proximi, ad procurationem conſilii, ad captionem ſolatii propter illatam ex illo crimine injuriam.

Quæres 5. *Quænam notoreitas ſufficiat, ut detractio à gravi peccato excuſari poſſit?* 5

Reſpondeo deductivè ex Scoto paulo ante cit. *crimen dupliciter poſſe eſſe notorium, ſcilicet notoreitate juris, & facti in loco, ubi non erat notum, vel perſona, cui non erat notum; & tale crimen revelare non eſſe peccatum;* quia qui perdit jus in famam, ſinè injuria diffamatur, ſed: ergo. Imo nec eſt contra charitatem, niſi illa infamatio fiat ex odio; quia boni publici intereſt, ut quæ ſunt publica in patria delinquentium, etiam alibi fiant cognita, ne homines in tractando cum ejuſmodi facinoroſis paſſim decipiantur. Eſt autem notoreitas juris, quæ habetur ex publicâ & juridicâ Judicis ſententiâ, vel confeſſione rei in judicio, vel legitimâ teſtium depoſitione: notoreitas verò facti eſt, cùm delictum in multorum præſentia perpetratum, vel majori parti viciniæ ob oculos verſetur, vel aliunde in multorum notitiam devenerit. Quæ autem multitudo requiratur, ut cenſeatur crimen notorium notoreitate facti, non conveniunt authores; aliqui enim requirunt multitudinem 12. hominum, aliqui 6. aliqui plurium, aliqui pauciorum v. g. trium, ut ſentire videtur Scotus cit. alii iterum dicunt, ſi in tribus domibus conſtet delictum, quòd jam ſit notorium; eſt ergo relinquendum prudenti arbitrio. Cæterùm tamen ſi Prælatus regularis etiam per ſententiam judicialem puniat religioſum, non licebit delictum vel pœnam impoſitam aliis manifeſtare extra clauſtrum exiſtentibus; quia non poteſt præſumi de Prælato regulari, quòd per ſuam ſententiam voluerit dare licentiam delictum ſubditi evulgandi, ſicque ipſum infamem divulgandi. Quæ-

6 Quæres 6. *Quomodo peccet, qui recenſet de proximo audita ut audita, vel occultum delictum uni, vel duobus ſilentium ſervaturis?*

Reſpondeo ad primum ex Scoto in 4. diſt. 15. quæſt. 4. §. *reſpondeo. Si quis ſimpliciter, & ſine ſufficienti causâ credendi refert audita coram viris, quos probabile eſt ex ſuâ levitate non credituros, peccat quidem, ſed non ſemper graviter, nec contra juſtitiam;* quia talis non eſt efficax cauſa damni; nam rara fides hominum, & multi multa loquuntur, ideo illud damnum potiſſimum per accidens ex ejus revelatione ſequitur. Secus tamen eſſet, qui refert audita ut audita tali modo & nominatim iis auditoribus, ut audientes meritò poſſint de proximo malè opinari, & ſic teneretur quis ad reſtitutionem, cùm in tali caſu narrans ſit cauſa efficax, ut lædatur fama proximi; ponit enim media ex ſe inducentia in ſiniſtram opinionem de proximo. Ex quibus patet, valdè eſſe periculoſum narrare audita delicta aliorum.

Reſpondeo ad ſecundum: *Probabiliter illum graviter peccare;* quia etiam bona opinio apud unum poteſt eſſe magnum bonum, uti patet in judicio temerario, ubi diminutio bonæ opinionis apud unum eſt grave peccatum; quia cenſetur ablatio gravis boni: ergo.

7 Quæres 7. *Quomodo peccent audientes detractores?*

Reſpondeo primò, *qui in auditâ detractione complacentiam habet, ſed ad detrahendum non animat, aut inducit, etſi aliquo modo peccet contra juſtitiam, non tamen tenetur ad reſtitutionem;* quia ratio reſtituendi oritur ex reali damnificatione, quæ hic nulla ſupponitur.

Reſpondeo ſecundò, *Superiores & qui ex officio obligantur impedire detractiones, graviter peccant contra juſtitiam tolerando detractiones, & ſi detrahens non reſtituat, tenentur ipſi famam reſtituere;* quia illa tenetur ex juſtitiâ reſarcire damnum illatum, qui ex juſtitiâ tenebatur illud impedire; ſed ſuperiores ita tenentur: ergo. hinc econtra, qui non tenentur ex officio detrahentem corrigere, ſolùm peccant contra charitatem audiendo detractiones; imo frequenter excuſantur ſaltem à gravi peccato; nam primò audiens à loquente non poteſt ſtatim præſumere, quod ſit detractor, ſed poteſt exiſtimare quòd crimen narratum ſit publicum. Secundò poteſt prudenter timere, ne ſua correctio futura ſit fruſtra, præſertim ſi ipſe ſit exiguæ authoritatis, aut ex ſuâ correctione aliquod incommodum ſibi timeat. Tertiò poteſt audiens præſumere, quòd loquens habeat aliquam juſtam cauſam crimen proximi aperiendi v. g. ſolatii vel conſilii petendi causâ. Tandem ſi audiens ſcit detractionem eſſe injuſtam, & tamen præ verecundiâ non audet corrigere detrahentem, ſufficiens erit medium ad evitandum peccatum, vel ſermonem aliò divertere, vel diſcurſu, aut triſtiori fronte, diſplicentiam ſignificare; nam ut dicitur Proverb. *Facies triſtis diſſipat linguas detrahentium.*

Quæres 8. *Ad quid teneatur, qui alterum falsò vel verò occulto de crimine infamavit?* 8

Reſpondeo ad primum cum Scoto in 4. diſtinct. 15. quæſt. 4. §. *reſpondeo. Si aliter recuperare nequeat, tenetur per ſe vel per alios fateri ſuum mendacium & ita publicè, ſicut publicè dixit, retractare detractionem, quinimo ſi opus ſit, juramento vel teſtibus confirmare;* nam reſtitutio famæ debet eſſe efficax ex parte detrahentis, ideóque ſi non ſufficit juramentum, opus eſt adhibere teſtes. Imo etiamſi quis ex probabili errore ductus alterum de falſo crimine infamavit, tametſi non peccaverit infamando, nihilominus tamen poſt deprehenſum errorem tenetur ad famæ reſtitutionem, ſi abſque notabili damno poteſt; quia qui poſuit cauſam, ex quâ damnum proximo emergere advertit, tenetur ex juſtitiâ illud avertere, ſi poſſit, aliàs damnum fit indirectè voluntarium v. g. ſi quis ſcintillam in alienam veſtem inculpabiliter excuſſit, tenetur illam extinguere, ſi inde veſtem conſumandam advertit. Ad ſecundum verò dico: *pro vero ſed occulto crimine detecto duobus modis poſſe ſatisfieri:* primo modo, ut quis coram illis, apud quos verum crimen detexit, dicat ſe malè & injuſtè de proximo fuiſſe locutum; ſed talis modus ſolùm videtur conveniens apud ſimplices, non verò apud prudentes, qui, ſi audirent proximum quidem iniquè, non tamen falsò, diffamatum, magis confirmabuntur de malâ opinione in proximum. Secundus, & ferè optimus modus eſt captare occaſionem; ut res narrata abeat in oblivionem, ſæpius apud auditores narrati criminis laudare infamatum, & honorificè de illo loqui, etiam in aliquâ aliâ materiâ; nam calliditas hominum eò jam devenit, ut ſuſpicentur prædictas retractationes fieri eo ſolùm fine, ut reſtituatur fama ablata, de cætero credentes firmiter id, per quod fama eſt ablata, ita ſe habere.

Quæres 9. *An ſufficiat famæ reſtitutio apud illos, apud quos eſt fama ablata, vel an ulterius apud illos debeat fieri reſtitutio, quibus ipſi evulgàrunt?* 9

Reſpondeo, *quamvis per ſe loquendo detractor videatur obligari ad faciendam reſtitutionem, non tantùm apud immediatos, ſed etiam mediatos auditores, eò quòd totum illud damnum & infamia ſubſequens procedat ex incuriâ detractoris; in praxi tamen ſufficiens videtur, ſi fiat reſtitutio penes illos, apud quos ipſe detraxit,* ut tenet Lugo. Tum quia eſt moralis impotentia omnes illos conveniendi, quibus infamatio fuit evulgata. Tum quia; qui apud immediatos auditores detegit rei narratæ falſitatem, etiam videtur implicitè ipſis committere hujus retractationis evulgationem, quam commiſſionem, cùm non expreſsè rejiciant, implicitè acceptare tenentur. Cæterùm hæredes infamatoris non tenentur ad reſtitutionem famæ, ſi infamator illam non reſtituit, quia eſt obligatio merè perſonalis, neque tranſiens ad hæredes; quia non eſt obligatio ad aliquid agendum; tenentur tamen hæredes ad re-

ſtitutionem damnorum, ſi quæ ſecuta ſunt ex injuſtâ diffamatione; quia talis obligatio non eſt merè perſonalis, ſed etiam realis, ſiquidem afficit illa bona infamatoris.

QUÆSTIO III.

De variis quæſitis circa reſtitutionem in materia fortunæ & deflorationis virginum.

1 QUæres 1. *An furtum ex ſuo genere ſit peccatum mortale, & quotuplex furtum?*

Reſpondeo ad primum cum Scoto in 4. diſtinct. 15. quæſt. 3. §. *de ſecundo damnificans, eſſe mortale;* quia actio ex natura ſua tendens ad læſionem proximi, & humanæ ſocietatis ex objecto, & genere ſuo habet gravem diſformationem repugnantem charitati; ſed ita ſe habet furtum: ergo.

Reſpondeo ad ſecundum, *furtum potiſſimùm eſſe quadruplicis ſpeciei:* prima eſt ſacrilegium, quod eſt furtum è loco ſacro, aut rei ſacræ è loco non ſacro. Secunda eſt peculatus, & eſt furtum rei ad fiſcum, vel Principem pertinentis, & huc reducitur cuſſio falſæ monetæ, vel veræ, ſine licentiâ Principis. Item converſio bonorum communium in utilitatem propriam. Tertia eſt abiegatus ab abigendo dictus, & eſt abductio jumentorum, & animalium ex alieno grege vel ſtabulo. Quarta eſt plagium, & eſt injuſta abductio hominis liberi, vel ſervi alieni, ad vendendum, & retinendum in mancipium.

2 Quæres 2. *Quæ ſit materia reſpectivè, quàm abſolutè, gravis in furto?*

Reſpondeo primò, *unum aureum eſſe materiam gravem tam abſolutè in ſe, quàm reſpectu omnium, etiam ditiſſimi Principis;* quia illud furtum ſemper cenſetur grave, ex quo, ſi permitteretur, turbaretur tranquillitas reipublicæ; ſed ſi furtum unius aurei non eſſet grave, id fieret; nam licèt furtum ſeorſim ſpectatum alicui diviti non afferat nocumentum, ſi tamen ſolùm eſſet veniale, ex nimiâ hominum proclivitate ita multiplicarentur peccata, ut etiam ditiſſimi exinde grave damnum paterentur.

Reſpondeo ſecundò. *Loquendo de hominibus mediocris vel minimæ fortunæ, illa quantitas probabiliter ſufficit ad mortale, quæ pro uno die ſufficeret ad victum illius cui fit furtum;* unde ſi à cive mediocri accipiatur florenus, ab operario 4. pacei, à mendico aliqui nummi, à ſartore quandoque acus, quò ſe cum ſuo labore poſſet per unum diem alere, peccatur mortaliter; quia valor pecuniæ pro victu, vel mercede diurnâ ſufficientis meritò cenſetur notabilis in ordine ad illam perſonam, quæ ita ſuſtentatur, cùm reſpectu talis furti cenſeatur rationabiliter & graviter invita. Cæterùm quantitas furti non eſt ſimpliciter menſuranda juxta dignitatem, vel divitias perſonæ; quia hinc ſequerentur plura abſurda, & incommoda reipublicæ, & quantò quis eſſet ditior, tantò magis eſſet furtis expoſitus; nam ponamus ruſticum habere 100. florenos, & mercatorem 100. millia florenorum, & quòd requiratur ad grave furtum ruſtici unus florenus, ſic jam ſequeretur, quòd plùs, quàm mille, requirantur ad gravem materiam reſpectu mercatoris illius divitis, quod eſt abſurdum.

Quæres 3. *Quid ſit dicendum de furtis famulorum & ſartorum?* 3

Reſpondeo, *plerumque famulos excuſari à gravi furto, quando poſſunt ex liberalitate, & humanitate domini præſumere, ipſos ad acceptionem rerum modicarum, præſertim in eſculentis & poculentis, non eſſe invitos: ſic ſimiliter de ſartoribus eſt dicendum, eis licere retinere fragmenta;* quia ſicut domini veſtium ſolvunt minus juſtum pretium ſartoribus, eò quòd ſciant ab ipſis retineri fragmenta, ita etiam magiſtri famulis ſolent ſolvere minus juſtum pretium, eò quòd ſciant ab ipſis fragmenta ſervari & vendi; imò ſartoribus non eſt tantus ſcrupulus incutiendus, quia moraliter loquendo à dominis ſponte derelicta habentur illa fragmenta. Tum quia parvi ſunt valoris. Tum quia ipſis non ſervirent reſtituta.

Quæres 4. *An teneatur ad reſtitutionem, qui virginem volentem defloravit?* 4

Reſpondeo deductivè ex Scoto in 4. diſt. 29. quæſt. un. §. *in ſecundo.* loquente à contrario de conſenſu coactò, *negativè*, quia nec puellæ, nec parentibus, fit injuria, non puellæ, quia volenti non fit injuria, & ipſa habet liberam poteſtatem ſui corporis, & ideo nec parentibus; quia non parentes, ſed filia habet corporis poteſtatem, poteſtque ſine injuriâ parentum nubere, vel non nubere vel malè nubere: ergo cùm deflorator non magis peccet contra jus parentũ, quàm ipſa filia, & ipſa non peccet contra jus ipſorum, ita neque deflorator peccabit contra juſtitiam. Hinc in conſcientiâ non eſt obligatus ad reſtitutionẽ: dico in conſcientiâ; quia ex jure poſitivo patri, vel tutori competit actio adverſus defloratorẽ, qui ſi per ſententiam judicis condemnatus fuerit, tenebitur poſt ſententiam patri præſtare ſatisfactionem per modum pœnæ exhibendam.

Quæres 5. *Ad quid teneatur, qui puellam vi, vel fraude, vel metu incuſſo violavit abſque promiſſione matrimonii?* 5

Reſpondeo 1. cum Scoto in 4. diſtinct. 30. quæſt. 1. §. *ad iſtam quæſtionem. Talem defloratorem in conſcientiâ ad alterutrum obligari, ut vel ducat in conjugem, vel damnum ex defloratione ſecutum reparet;* & licèt cap. 1. de adulteris. conjunctim loquatur, *dotabit eam, & habebit uxorem*, hoc tamen ſolùm intelligendum eſt de obligatione poſt ſententiam judicis, ut communiter explicant Doctores.

Reſpondeo ſecundò, *virginem defloratam non teneri nubere defloratori, ſi hoc offerat conjugium;* quia alterius injuria non debet præjudicare illius libertati; adeóque ſi nollet nubere, tenebitur deflorator compenſare, in quantùm indiget ad alteri pro ſuâ conditione liberè nubendũ.

Reſpondeo tertiò. *Si corrupta nihil detrimenti ex defloratione patiatur, ut ſi æquè cōmodè nubat, vel moriatur, tunc violator ad nullam obligabi-*

ligabitur reſtitutionem temporalem; quia damnificatio non obligat ad reſtituendum, niſi damnum re ipsâ ſequatur.

6 Quæres 6. *Ad quid teneatur deflorator, ſi virginem ſpe promiſſi matrimonii decepit?*

Reſpondeo cum Scoto mox cit. *talem in conſcientiâ ordinariè teneri illam ducere, licèt fictè promiſiſſet*; quia in contractu innominato *facio ut facias*, ſi ex unâ parte contractus fuit impletus, tenetur etiam altera pars implere. Nec obſtat fictus animus; quia in contractu oneroſo utraque pars ex juſtitiâ tenetur ſe obligare ad id, quod contractu ſignificatur, ne quis per fraudem reportet commodum, & alterum damnificet; ideóque tenebitur verè conſentire in matrimonium, nec ſatisfaciet offerendo æquivalens, cùm poſſit in ſpecie reddi, quod debetur, ut ſi equum furatum poteſt reddere, non ſatisfaciet reddendo pretium equi. Dictum tamen eſt ordinariè; quia limitatur, primò, ſi puella ſcivit defloratorem eſſe longè diſparem nobilitate, vel divitiis, vel ſi ipſe uſus eſt verbis ambiguis; tunc enim facilè poterat conjicere ipſum tantum ſimulatè nuptias promittere, & ſic non tantùm ab illo, quàm à ſe ipsâ decepta cenſetur. Secundò, ſi ſcandalum, aut mali exitus è tali matrimonio timeantur, ſi ſiat affinis, ſi ducat aliam de præſenti, ſi ſuſcipiat ſacros ordines, ſi pater eam nolit tradere, in quo caſu ad nullam reſtitutionem tenetur; quia in conſcientiâ ad aliud non tenetur, quàm ad implendum promiſſum ducendo eam in uxorem. Tertiò, ſi puella mentita eſt ſe eſſe virginem; tunc enim tanquam deceptrici nihil debetur. Quartò, ſi illam poſtea cum alio fornicari contingat; quia frangenti fidem, fides impunè non ſervatur per regulam 73. juris in VI. in promiſſione autem matrimonii hæc conditio implicitè involvitur, ſi pro futuro matrimonio ſe caſtam contineat; ideo etiam per ſubſequentem fornicationem ſponſalia ſolvuntur. Plura de his in materiâ de ſponſalibus.

7 Quæres 7. *Ad quid teneatur injuſtus deflorator, qui ante vel poſt deflorationem virginis ſub ſpe matrimonii emiſit votum caſtitatis vel religionis?*

Reſpondeo deductivè ex Scoto in 4. diſt. 38. quæſt. un. §. *dico quòd. Si virgo fuit ignara hujus voti, & recuſet omnem aliam ſatisfactionem, tenetur eam ducere*; quia cum cælibem vitam agere non poſſit ſine gravi injuriâ puellæ, ideo cælibatus & ingreſſus religionis fit ipſi illicitus, nec puella tenetur, quæ ex ſuâ parte contractum cum damno pudicitiæ bonâ fide complevit, aliam compenſationem admittere. Nec obſtat, quod votum ſit actus religionis, & præſtantioris virtutis, quàm eſt juſtitia commutativa; nam obligatio juſtitiæ nihilominus eſt major, quàm obligatio religionis, ut patet in ſimili: ſi quis voviſſet 100. dare pauperibus, & poſtea alteri damnum intuliſſet, totidem florenos, ſi aliunde compenſare non poteſt, tenetur impendere in compenſationem damni. Dixi ſi fuit ignara voti; nam ſi ſcivit votum, etiam ſcivit illum nuptias non poſſe promittere, nec licitè promiſſas ſervare, ideo non cenſetur bonâ fide contraxiſſe, ſed ſponte in ſuam violationem conſenſiſſe, niſi fortè expreſſis verbis deflorator voti diſpenſationem impetrandam ſignificâſſet. Interim tamen in caſu, licèt deflorator etiam in matrimonio poſſit ſervare votum caſtitatis non petendo debitum, conſulendum eſt, ut petat diſpenſationem voti, quia facilè incurrit periculum transgrediendi votum, ideo conſultiùs eſt petere diſpenſationem.

SUBDISTINCTIO V.

De Cauſis excuſantibus à reſtitutione, præſertim de impotentia, neceſſitate, bonorum ceſſatione, & ingreſſu Religionis.

QUÆSTIO UNICA.

De variis quæſitis circa varias cauſantes à reſtitutione.

ADvertendum eſt: quamvis dictum ſit in antecedentibus, præceptum reſtitutionis ſtatim obligare: poſſe tamen aliquas cauſas intervenire, ob quas quis vel à reſtitutione omnino excuſetur, vel ſaltem ad tempus, ita ut actus reſtituendi ſine peccato differri poſſit, juxta illud, quòd dicit Scotus in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. §. *de quarto. Quando aliquis eſt impotens, tunc non tenetur reſtituere: tenetur tamen poſt, cùm pervenerit ad pinguiorem fortunam, ſicut probatur extra de ſolut: cap. Odoartus. -- unde illud: inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit. Sed jus agendi manet, ſicut obligatio in debitore, licet ſopita.* Igitur aliquas cauſas excuſantes à reſtitutione ex Scoto citato in præſenti quæſt. ſuccinctè adferemus. Unde 1

2 Quæres 1. *An & quæ impotentia excuſet à reſtitutione, & an ratio ſtatûs honorifici, ſeu ſolemnis?*

Reſpondeo ad primum ex Scoto cit. *impotentiam aliam eſſe phyſicam, aliam moralem.* Prima eſt quando abſolutè deſunt media ad reſtituendum: moralis verò, & ſecundùm quid eſt, quando nimirum ſolutio & reſtitutio redditur valdè difficilis. *Phyſica ergo impotentia omnino excuſat à reſtitutione*, quia nemo poteſt ad impoſſibile obligari, ut dicit regula 6. in VI neque creditor in tali caſu poteſt eſſe irrationabiliter invitus, ſi re ſuâ carere debet. *Moralis* autem *impotentia*, quæ ſolùm eſt ſecundùm quid impotentia, *non ſemper excuſat*, & confunditur cum neceſſitate, de quâ ſtatim in quæſito ſequenti dicetur: Interim

Reſpondeo ad ſecundum ex Scoto in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2 §. *ad argumenta non licere alicui ſtatum ſolemnem tenere de bonis alienis; nec tantum valet reipublicæ alicuius perſonæ ſtatus ſolemnis, quem conſervat per non reſtitutionem, quantum valet fidelitas eius & iuſtitia communis.*

3 Quæres 2. *An, & quæ neceſſitas excuſet à reſtitutione?*

Reſpondeo ex Scoto cit. *neceſſitatem aliam eſſe extremam, aliam gravem, aliam communem.* Extrema eſt, ut quâ imminet periculum vitæ vel membrorum. Gravis, per quam vita miſerè ducitur, & communis, quâ laborant pauperes mendicatione victitantes. *De extremâ ergo neceſſitate ſive propriâ ſive aliorum ſcilicet parentum, filiorum, conjugis &c, certum eſt illam excuſare ab onere reſtitutionis*; quia in tali caſu definit res eſſe aliena, nec dominus rei poteſt eſſe rationabiliter invitus.

Reſpondeo 2. *Qui in extremâ neceſſitate conſumpſit rem, quam tenetur reſtituere ex titulo rei acceptæ, ſive bonâ ſive malâ fide rem habuit apud ſe, in ipſo totaliter extinguitur onus reſtituendi*; nam rem illam ut ſuam & non ut alienam conſumpſit: *ſi verò neceſſitate ceſſante res illa adhuc exſtet*, quia nimirum non eſt uſu conſumptibilis, vel uſu ejus ſolùm indigens ad evitandam extremam neceſſitatem v. g. equo ad effugiendum hoſtem, *reviviſcit obligatio reſtituendi*; quia extrema neceſſitas tribuit jus ad uſum equi, &

non ad ipſum equum. *Si tandem obligatio reſtituendi ſit ex injuſtâ acceptione vel contractu bonâ fide inito, non extinguitur, ſed ſuſpenditur obligatio per extremam neceſſitatem;* quia talis obligatio eſt perſonalis, & non niſi cum perſona extinguitur; hinc dicit Scotus in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. §. *ad argumenta; tenetur poſtea deveniens ad pinguiorem fortunam reddere æquivalens, quia talis obligatio videtur ortum habuiſſe per comparationem ad illam occupationem primam rei alienæ, quæ fuit injuſta ante extremam neceſſitatem, per quam non eſt extincta, ſed ſopita; aſt ſi nunquam ante extremam neceſſitatem occupaſſet, tunc juſtè ſimpliciter occupaſſet rem ſuam, nec ad aliquam teneretur reſtitutionem.* Hæc Scotus.

Reſpondeo tertiò, *neceſſitas gravis ſolummodo differt ſolutionem, quando damnum debitoris notabiliter majus eſt damno, quod creditor patitur per dilationem;* quia virtus juſtitiæ unicè intendit æqualitatem, neque poteſt creditor plus rationabiliter exigere, quam ut fiat æqualitas; ſed ſi majus eſſet damnum debitoris, quàm creditoris per dilationem ſolutionis, non eſſet æqualitas. Cæterùm tamen in gravi neceſſitate furari non licèt; nam eſt damnata ab Innocentio XI. ſequens propoſitio: *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Aliàs enim plurimis furtis aperiretur via, ſi ita illimitatè gravi neceſſitati (quam humana cupiditas ſæpè fingit, ubi non eſt) aliena bona redderet obnoxia.

4 Quæres 3. *An ſi creditor ſit in pari neceſſitate conſtitutus, nihilominùs excuſetur debitor à reſtitutione?*

Reſpondeo primò ex Scoto mox cit. *debitorem etiam ex delicto in extrema neceſſitate poſſe differre ſolutionem, & priùs ſibi, ſuiſque, quàm creditori ſuccurrere;* quia ordo charitatis expoſcit, ut prius ſibi, & ſuis, quam extraneis ſuccurratur, & extrema neceſſitas aliunde facit, ut bona transeant in dominium primò occupantis; cùm ergo debitor apud ſe habeat bona creditoris, gaudebit jure primò occupantis, & ibi melior eſt conditio poſſidentis; hinc Scotus cit. dicit: *ſi autem ambo detinens ſcilicet, & cujus res detinetur, ſunt in extrema neceſſitate, ſi priùs devenit dominus ad illam extremam neceſſitatem, debet reddi domino duplici jure, tum quia prius eſt ſuum, tum quia jam ex iſta neceſſitate factum eſt ſuum; ſi verò priùs devenit detinens, factum eſt ſuum, & tunc domino poſtea deveniente ad iſtam neceſſitatem, non debet reddi, quia ceſſavit dominium ejus in re iſta, & factum eſt alterius jure poli, ſi autem ambo ſimul deveniant, dico, quòd debeat reddi domino, quia nunquam cecidit à dominio.* Hæc Scotus.

Reſpondeo ſecundò, *aliquis tertius debet in pari neceſſitate debitoris & creditoris potiùs reddere creditori;* quia in pari causâ potior eſt conditio creditoris, quàm debitoris, præſertim ſi ſit debitor ex delicto; tunc enim etiam melior eſt conditio innocentis, quàm nocentis.

Reſpondeo tertiò, *liberari à reſtitutione, qui ſolvit creditori creditoris;* quia ei liberum eſt in conſcientiâ transferre in ſe jus creditoris alterius, cui alter creditor aliquid debet, & nulla ſit injuſtitia: dummodo debita ſint ejuſdem qualitatis.

5 Quæres 4. *An per bonorum ceſſionem aliquis excuſetur in foro interno à reſtitutione, ſi ad meliorem fortunam pervenerit?*

Obſerva: bonorum ceſſionem eſſe remedium à jure inventum, flebile quidem, & miſerabile, ut leges appellant, quò debitori ære alieno gravato ſuccurritur, ne à creditoribus in carcerem poni poſſit; ſi nimirum debitor, videns ſe non eſſe ſolvendo, palam profiteatur ſuam impotentiam, ſeque ideo cedere bona ſua creditoribus, ut eis ſatisfiat. Hinc duplicem operatur hæc ceſſio effectum, primò ut non poſſit poni in carcerem, ut habetur L. 4. ff. de ceſſione bonorum. Secundò, ut poſt ceſſionem, cum ad meliorem fortunam pervenerit non poſſit propter debita ante ceſſionem contracta conveniri ultra id, quod commodè poteſt, ut habetur in cit. L. ſed de hoc

Reſpondeo ad quæſitum ex Scoto in advert. cit. *negativè*, quia per ceſſionem bonorum creditores non privantur ſuo jure, cui ex parte debitoris reſpondet naturalis obligatio, licet ſopita, ſolvendi debitum; adeóque licèt ceſſio bonorum fiat publicè cum ceremoniis ignominioſis, illa tamen ignominia non eſt ſtatuta à legibus ad tollendam obligationem naturalem, ſed partim in pœnam ob præſumptam culpam debitoris in contrahendis debitis ſupra ſuas vires partim in terrorem aliorum, ne ſint ita incurii in debitis contrahendis.

Quæres 5. *Quibus non concedatur illud beneficium ceſſionis bonorum: & quibus concedatur jus competentiæ?* 6

Reſpondeo ad primum: *variis non conceditur.* Primò debitoribus ex delicto v. g. furto, rapina &c. vel ex morâ culpabili non ſolventibus. Secundò nec iis, qui velut ex induſtria culpabiliter bona dilapidando ſe ſe conjecerunt in iſtas anguſtias. Tertiò nec iis, qui à creditoribus quinquennales inducias ad ſolvendum obtinuerunt. Quartò nec iis, qui huic privilegio juramento renuntiarunt.

Reſpondeo ad ſecundum, *aliquos eſſe, qui non indigent tali beneficio ceſſionis, quia ſunt meliori beneficio ſcilicet jure competentiæ muniti, hoc eſt, privilegio, ne ultra id, quod ad commodam & competentem ſuſtentationem indigent, conveniri poſſint;* & hoc beneficio gaudent perſonæ, quæ ſibi mutuo præbent alimenta, ut pater adverſus filios, & viciſſim: Item maritus adverſus uxorem repetentem dotem. Patronus adverſus libertum. Socius adverſus ſocium. Item milites armatæ militiæ conveniri non poſſunt, ultra id, quod ſua conditione præſtare poſſunt. Mulieres quoque honeſtè viventes incarcerari non poſſunt. Tandem hoc privilegium cum communi extendit Haunoldus ad perſonas nobiles, & illuſtres, ad perſonas publicas, ut Doctores & Profeſſores, & ad Clericos gaudentes privilegio fori. Vide & lege Haunoldum, qui pro praxi moderni ſtatûs debitorum valdè multa adducit.

Quæres 6. *An ingreſſus religionis liberet debitorem ab onere reſtitutionis?* 7

Reſpondeo 1. Deductivè ex Scoto in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. §. *de quarto, ſpectato jure naturæ poteſt debitor impotens ſolvendi, ſi non, niſi longo tempore manendo in ſæculo, ſpem ſolvendi habeat, non tantùm validè, ſed etiam licitè, cedendo bonis ſuis in favorem creditorum ingredi religionem:* quia nemo tenetur præſtare ſatisfactionem cum detrimento gravi in bonis altioris ordinis; tunc enim cenſetur moraliter impotens ex dictis; ſed debitor pateretur magnum incommodum multo vel toto tempore manendo in ſæculo ſine commodis ſpiritualibus, quæ conſequeretur per ſtatum religioſum. Nec obſtat, quòd dicatur: ſolvere debita eſſe opus præcepti, & non conſilii, ſicut ingreſſum religionis: nam diſtinguitur; ſi debitor ſit moraliter potens, conceditur: ſi impotens, negatur.

Reſpondeo 2. *De jure poſitivo in decreto Sixti V. & Clementis VIII.* (in quo primus vetuit in religionem recipi eos, qui ſuper vires ſuas ære alieno ſunt gravati, ut ob illud lites, & moleſtiæ inferendæ timeantur, & talium profeſſionem annullavit. Secundus verò annullatione profeſſionis revocatâ quoad cætera, & pœnas ibi ſtatutas illam conſtitutionem in ſuo valore reliquit) *ſolùm comprehendi illos, qui de alienis fortunæ bonis uſurpatis ſuâ culpâ ingentibus debitis ſunt gravati, ut creditoribus in præſenti ſatisfacere non poſſint, poſſint verò manentes in ſæculo.* De aliis enim debitoribus ex infortunio judicandum eſt juxta obligationem juris naturalis in priori reſponſione expoſiti. Interim tamen graviter peccant debitores, qui, cùm ſint ſolvendo, ingrediuntur religionem non ſolutis creditoribus; quia obligatio juſtitiæ prævalet operibus conſilii; profeſſio tamen ſtante jure naturæ erit valida; quia traditio perſonæ nemini debita eſt. Præterea ſi debita ſolùm ſint ex liberali promiſſione, ſine morâ poteſt quis ingredi religionem; quia in liberali promiſſione ſemper hæc tacita conditio ſubintelligitur: niſi ad meliorem vitæ ſtatum tranſivero, ſicut dicitur de promiſſione matrimonii in ſponſalibus. Item ſi nulla ſit ſpes, quòd in ſæculo manendo ſit aliquando futurus ſolvendo; quia talis impotentia ſatis excuſat à ſolutione. Hæc de jure & juſtitiâ dicta ſint ſatis, & cedant in gloriam divinæ & juſtiſſimæ majeſtatis.

TRACT.

TRACTATUS
DUODECIMUS
DE
QUATUOR POSTERIORIBUS SACRAMENTIS, DE POENITENTIA, EXTREMA UNCTIONE, ORDINE ET MATRIMONIO.

INDEX
TRACTATUS DUODECIMI
DE QUATUOR POSTERIORIBUS SACRAMENTIS, DE POENITENTIA, EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, ET MATRIMONIO.

Ordo & numerus quæſtionum, quomodo in ſingulis diſtinctionibus proponuntur.

DE POENITENTIA UT VIRTUTE, ET SACRAMENTO.

DISTINCTIO I.

De natura, & objecto pœnitentiæ ut virtutis.

Quæſt. I. An pœnitentia ſit ſpecialis virtus, & quidem juſtitiæ vindicativæ à cæteris virtutibus diſtincta? pag. 1.

Q. II. Quodnam ſit ſubjectum: & objectum materiale, & formale virtutis ſpecialis pœnitentiæ? p. 8.

Q. III. An virtus pœnitentiæ ſit virtus Theologica, aut infuſa, aut acquiſita? p. 15.

DISTINCTIO II.

De actibus virtutis pœnitentiæ in communi.

Quæſt. I. An Actus pœnitentiæ chriſtianæ debeant eſſe ſupernaturales tam ex parte dictaminis, quàm ex parte principii productivi? p. 19.

Q. II. An actus pœnitentiæ fructuoſæ ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vel quoad modum? pag. 23.

DISTINCTIO III.

De actibus Pœnitentiæ in particulari, præſertim de actu Attritionis, Contritionis, & Propoſiti.

Quæſt. I. Quid ſit attritio ſeu pœnitentia imperfecta: & quæ ejus motiva? p. 27.

Q. II. An attritio debeat eſſe formalis, & expreſſa deteſtatio: & an cognita ut attritio requiratur: & ſit ſufficiens diſpoſitio cum ſacramento ad juſtificationem? p. 33.

Q. III. Quid ſit Contritio: & ex quo motivo procedat: aut ſaltem procedere poſſit? p. 37.

Q. IV. An contritio deteſtetur peccatum ſuper omnia mala: & an ad eam requi-

requiratur diſtincta recogitatio omnium peccatorum in particulari? pag. 43.

Q. V. An contritio ad ſui conſtitutionem requirat certam intenſionem actûs, & durationem temporis? p. 51.

Q. VI. An propoſitum non peccandi de cætero: & votum aſſumendi ſacramentum pœnitentiæ debeant eſſe formalia pro vera pœnitentia & contritione juſtificante? p. 55.

DISTINCTIO IV.

De Neceſſitate virtutis pœnitentiæ.

Quæſt. I. Quanta ſit pœnitentiæ neceſſitas: & an ſemper pœnitentia formalis neceſſaria? p. 59.

Q. II. Quo tempore neceſſitas præcepti pœnitentiæ, cuilibet ſemper poſſibilis, urgeat: & an in articulo mortis urgeat ad contritionem inſufficiente attritione cum ſacramento? p. 68.

SUBDISTINCTIO V.

De cauſalitate pœnitentiæ.

Quæſt. unica. An contritio vel attritio in genere cauſæ formalis cauſet, vel cauſare poſſit remiſſionem peccati & gratiam: ac an ut meritum de condigno vel congruo? p. 76.

DISTINCTIO VI.

De efficacia pœnitentiæ perfectæ quoad remiſſionem mortalium.

Quæſt. unica. An pœnitentia perfecta deleat omnia mortalia tam quoad pœnam æternam ipſi debitam, quàm commutatam in temporalem: & an de potentia Dei abſoluta poſſit remitti culpa non remiſſo debito pœnæ æternæ? p. 82.

DISTINCTIO VII.

De Efficacia pœnitentiæ quoad remiſſionem venialium.

Quæſt. unica. Quomodo remittantur venialia tam intra, quàm extra ſacramentum: & an etiam per ſacramentalia: ac tam in hac vita, quam poſt hanc vitam? p. 91.

DISTINCTIO VIII.

De reviviſcentia meritorum per pœnitentiam, & peccatorum per novum peccatum.

Quæſt. unica. An merita mortificata reviviſcant per pœnitentiam: & an etiam peccata per novum peccatum? p. 97.

DE POENITENTIA UT SACRAMENTO.

DISTINCTIO IX.

De Exiſtentia, & Eſſentia ſacramenti pœnitentiæ, ejúsque partibus conſtitutivis, materiâ & formâ.

Quæſt. I. Quænam ſint partes eſſentiales conſtitutivæ eſſentiam ſacramenti pœnitentiæ & quid hoc ſacramentum importet in recto? p. 98.

Q. II. De materia ſacramenti pœnitentiæ, præſertim an & quomodo peccata jam dimiſſa poſſint eſſe materia ſacramenti pœnitentiæ fructuoſi, tam ad effectum gratiæ, quàm remiſſionis pœnæ? p. 103.

Q. III. De forma ſacramenti pœnitentiæ, quænam verba ſint eſſentialia formæ: ac an poſſit cadere ſuper abſentem confitentem per litteras vel nuncium? p. 110.

DI-

DISTINCTIO X.

De efficacia ſacramenti pœnitentiæ.

Quæſt. I. An per ſacramentum pœnitentiæ verè abſolvatur pœnitens à peccatis quoad culpam, & pœnam æternam, ac temporalem? pag. 114.

Q. II. An pœnitentiæ ſacramentum ſemper conferat ſuum effectum, ſeu an poſſit eſſe validum & informe? p. 119.

DISTINCTIO XI.

De præcepto Divino & eccleſiaſtico confeſſionis ſacramentalis.

Quæſt. I. An ſufficienter ex Evangelio poſſit colligi inſtitutio, & præceptum Divinum Confeſſionis? p. 122.

Q. II. Quinam teneantur ad confeſſionem ex jure & præcepto Divino: an infideles, muti, ac ignotæ linguæ? p. 126.

Q. III. De variis quæſitis circa præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis. p. 130.

DISTINCTIO XII.

De variis conditionibus ſacramenti pœnitentiæ, præſertim de modo ſecreto, & integritate quoad ipſa peccata & eorum circumſtantias.

Quæſt. I. An confeſſio ut ſit ſacramentalis & valida, debeat eſſe ſecreta? p. 134.

Q. II. An confeſſio ſemper debeat eſſe integra, quoad peccata in ſe, præſertim in caſu moribundi, tam cum ſignis, quàm ſine ſignis doloris, & in caſu manifeſtandi complicis? pag. 137.

Q. III. An confeſſio ſemper debeat eſſe integra etiam quoad circumſtantias notabiliter aggravantes: & quoad peccata tam reſervata, quàm non reſervata? p. 142.

DISTINCTIO XIII.

De Sigillo Confeſſionis.

Quæſt. unica. Quo jure obliget ſigillum: & an illud de licentia pœnitentis poſſit relaxari: ac an confeſſarius notitiâ ex confeſſione poſſit uti in aliis negotiis abſque violatione ſigilli? p. 146.

DISTINCTIO XIV.

De Miniſtro ſacramenti pœnitentiæ.

Quæſt. unica. An quivis ſacerdos, hoc ipſo, quòd ſit ſacerdos, habeat poteſtatem abſolvendi quemlibet pœnitentem? p. 152.

DISTINCTIO XV.

De ſatisfactione ſacramentali.

Quæſt. I. An ſatisfactio valeat ad remittendam pœnam temporalem adimpleta in mortali: & an pœnitens teneatur eam acceptare, aut poſſit ad purgatorium differre? p. 155.

Q. II. An ſatisfactio poſſit imponi ad placitum pœnitentis: & pœnitens, vel an alius confeſſarius, ac quomodo poſſit illam commutare: & tandem an poſſit per alium impleri? p. 160.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

DISTINCTIO XVI.

De Eſſentia, Ritu, & Effectibus extremæ unctionis.

Quæſt. I. Quid ſit extrema unctio, ejúsque materia, & forma? p. 163.

Q. II. De Ritu, unitate, Effectibus, & adminiſtratione, ac reliquis ad hoc ſacramentum pertinentibus. p. 167.

DI-

DISTINCTIO XVII.

De Extremo Dei Judicio, & conflagratione mundi.

Quæſt. I. De variis quæſitis circa extremum DEI judicium. pag. 171.

Q. II. De variis quæſitis circa ultimam conflagrationem mundi. pag. 177.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DISTINCTIO XVIII.

De Eſſentia, unitate, & Effectibus Ordinis.

Quæſt. unica. Quid, & quot ſint ordines: & an Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à ſacerdotio: ac quæ eorum materia, forma, & effectus? p. 187.

DISTINCTIO XIX.

De primario ſacerdotis officio, id eſt ſacratiſſimo Altaris ſacrificio.

Quæſt. I. In qua parte Miſſæ eſſentia ſacrificii Altaris conſiſtat: & an utriusque ſpeciei conſecrationem neceſſario exigat? p. 190.

Q. II. An ſacrificium Altaris habeat valorem infinitum? p. 201.

Q. III. Qualem applicationem in ſacerdote ſacrificium Altaris requirat: & quomodo proſit defunctis? p. 208.

DE SACRAMENTO MATRIMONII ET SPONSALIBUS.

DISTINCTIO XX.

De Eſſentia & Inſtitutione Matrimonii, & hæreticorum matrimoniis.

Quæſt. I. In quonam eſſentialiter conſiſtat matrimonium: & à quo, ac quomodo ſit inſtitutum? p. 215.

Q. II. An matrimonia infidelium ſiant ſacramenta: & an fideles poſſent inire matrimonium validum in ratione contractûs, & non in ratione ſacramenti, talem rationem non intendendo? p. 222.

Q. III. Quomodo matrimonia hæreticorum ſint ſacramenta, valida, & inſolubilia? p. 226.

Q. IV. Quæ ſit materia & forma: & quis miniſter ſacramenti matrimonii? p. 230.

Q. V. An matrimonium tam ratum, quàm conſummatum ſit indiſſolubile, tam per diſpenſationem, quàm per ingreſſum Religionis, aut per adulterium? pag. 234.

Q. VI. An matrimonia contracta per procuratorem aut epiſtolas ſint valida, & ſacramenta? p. 242.

DISTINCTIO XXI.

De neceſſitate, & objecto Conſenſûs ad matrimonium requiſiti.

Quæſt. unica. An nequeat eſſe matrimonium ſine conjugum conſenſu: & quodnam hujus ſit objectum? p. 245.

DI-

Index Tractatus Duodecimi.

DISTINCTIO XXII.

De libertate Conſenſûs matrimonii.

Quæſt. unica. An Conſenſus ex vi vel metu præſtitus in matrimonio invalidet matrimonium: & quo jure? pag. 253.

DISTINCTIO XXIII.

De Conditionibus appoſitis contractui matrimonii.

Quæſt. I. Quomodo conditiones poſſibiles & honeſtæ reddant validum Conſenſum ad matrimonium? p. 261.

Q. II. Quomodo conditiones impoſſibiles & turpes invalident matrimonium? p. 266.

DISTINCTIO XXIV.

De Conſenſu ficto.

Quæſt. unica. Ad quid teneatur ficte contrahens matrimonium & quomodo tale matrimonium ſit revalidandum? p. 271.

DISTINCTIO XXV.

De matrimonio clandeſtino.

Quæſt. I. Quot modis cenſeatur matrimonium clandeſtinum: ac quo jure ſit irritum vel prohibitum? p. 275.

Q. II. De proprii parochi aſſiſtentia, & denuntiationibus matrimonii. p. 279.

Q. III. De matrimonio clandeſtinè celebrato in locis, ubi Tridentinum non eſt receptum. p. 281.

DISTINCTIO XXVI.

De impedimentis matrimonii in Communi.

Quæſt. I. Quinam habeant poteſtatem conſtituendi impedimenta matrimonii? p. 284.

Q. II. An etiam impedimenta dirimentia invincibiliter ignorata obſint valori matrimonii? pag. 288.

DISTINCTIO XXVII.

De impedimentis ſolùm impedientibus.

Quæſt. unica. Quomodo conſideranda ſint impedimenta impedientia, præſertim interdictum & votum? p. 289.

DISTINCTIO XXVIII.

De impedimentis dirimentibus in particulari.

Quæſt. I. Quid ſit error & conditio: & quo jure diriment matrimonium? p. 297.

Q. II. Quo jure votum ſolemne religionis, & ordo diriment matrimonium? p. 304.

Q. III. Quo jure conſanguinitas, affinitas, & publica honeſtas diriment matrimonium? p. 311.

Q. IV. Quo jure diſparitas cultûs, ligamen, & impotentia dirimant matrimonium? p. 321.

Q. V. Quomodo impedimentum criminis, & raptûs dirimant matrimonium? p. 330.

Q. VI. Quænam in petenda & obtinenda diſpenſatione ſuper impedimenta matrimonii ſint obſervanda? p. 333.

DE

Index Tractatus Duodecimi.

DE SPONSALIBUS.

DISTINCTIO XXIX.

De natura ſponſalium.

Quæſt. I. Quid ſint ſponſalia: quale inducant jus: & an cum pœna conventionali poſſint celebrari? pag. 337.

Q. II. An ſponſalia ita obligent etiam in foro externo, ut ſponſi poſſint à judice eccleſiaſtico compelli ad contrahendum? pag. 342.

DISTINCTIO XXX.

De diſſolutione ſponſalium.

Quæſt. unica. Quibus variis modis poſſint ſponſalia diſſolvi? p. 343.

TRA-

TRACTATUS XII.

DE
Quatuor poſterioribus Sacramentis, de Pœnitentia, extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio.

DE
POENITENTIA UT VIRTUTE, ET SACRAMENTO.

DISTINCTIO I.
De natura, & objecto Pœnitentiæ ut virtutis.

QUÆSTIO I.

An pœnitentia ſit ſpecialis virtus, & quidem juſtitiæ vindicativæ à cæteris virtutibus diſtincta?

1 ADvertendum eſt 1. Licèt in lege gratiæ adeò conjungatur pœnitentia ut virtus, & ut Sacramentum, ut nec virtus prodeſſe valeat ſine ordine ad Sacramentum, nec Sacramentum ſine virtute, nihilominus tamen, quia non ſolùm per Sacramentum pœnitentiæ fit remiſſio peccatorum, ſed etiam per virtutem pœnitentiæ abſolutè loquendo, cùm ab initio mundi in omni lege fuerit aliquod remedium à DEO hominibus conceſſum, quò & ipſi primi parentes & deinceps alii peccatores ſuorum peccatorum veniam conſequi potuerunt, ideò non immeritò hìc priùs de virtute, quæ prior eſt & independens à ratione Sacramenti, & poſteà de Sacramento, quod ex inſtitutione Chriſti initium habuit, agemus.

2 Advertendum eſt 2. Ex Scoto in 4. D. 14. q. 1. §. *de ſecunda concluſione:* Etymologiam pœnitentiæ derivari à pœna & tenere, ut pœnitentia ſit quaſi pœnæ tenentia, ſicut & ipſum verbum pœnitere ſignificat animi dolorem ſeu retractationem ac deteſtationem facti præteriti; hinc pœnitentia pro actu ſumpta eſt voluntaria punitio proprii delicti, pro habitu verò ſumpta eſt habitus inclinans habentem ad puniendum delictum proprium commiſſum; talis autem punitio ſeu pœnæ tenentia quatuor actibus ſeu potiùs modis juxta Scotum cit. exercetur: primò per actum voluntatis imperativum, imperando ſcilicet intellectui, ut conſideret peccatum eſſe offenſivum divinæ bonitatis ſummè diligendæ, imperando ſibi ipſi nolitionem & deteſtationem peccati commiſſi, imperando conjunctionem cauſarum inducentium pœnam ſeu triſtitiam, id eſt, ut intellectus conſideret illud malum peccati, & voluntas illud odio habeat, quibus poſitis ſolet ſequi pœna ſeu triſtitia in affectu, licèt non ſemper in effectu, & hoc modo pœnitere eſt vindicare, vel punire peccatum ob aliquod ſupernaturale motivum. Secundo modo pœnitere contingit deteſtando vel odiendo peccatum, & hoc in particulari ſub propria ratione vel in generali de quocunque peccato à ſe commiſſo, ſive dein hæc deteſtatio ſit formalis ſive virtualis, quæ ſcilicet includitur ut effectus in ſua cauſa, licèt effectus non ſequatur formaliter, & talis deteſtatio virtualis eſt actus dilectionis divinæ, ad quem utique natum eſt ſequi odium ſeu diſplicentiam peccati. Tertio modo contingit pœnam inflictam ſeu triſtitiam gratanter acceptando, & talis complacentia triſtitiæ eſt actus voluntatis habentis triſtitiam pro objecto volito, ad quod ſequitur paſſio gaudii, ſicut dicit S. Auguſtinus: *peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Quarto tandem modo contingit pœnam inflictam patienter ſufferendo, ſeu non remurmurando ſive pœna ſit in parte intellectiva, quæ propriè eſt pœna, ſeu diſſenſio animæ ab his, quæ nobis nolentibus accidunt, ſive ſit in parte ſenſitiva per dolorem ſenſibi-

lem; ex quibus patet duos poſteriores actua præſupponere duoa priores, in quibus autem potiùs conſiſtat virtus pœnitentiæ, patebit ex ſtatim dicendis, interim his notatis:

3 Propoſitio 1. *Pœnitentia eſt propriè virtus.* Ratio eſt, quia virtus definitur, quòd ſit habitua electivus ſecundùm rectam rationem; quòd ſit per ſe principium actûs laudabilis & præmiabilis, quòd ſit diſpoſitio perfecti ad optimum, quòd juxta S. Auguſtinum: ſit qualitas bonæ mentis, qua benè vivitur, & nemo malè utitur; ſed Pœnitentia ſuos quatuor ſpecificaeos actus conſormiter rectæ rationi elicit, & principiat eoa ut laudabiles & præmiabiles & per eam homo benè & ſanctè vivit, ac diſponitur ad amicitiam DEI, quæ eſt quid optimum: ergo.

Nec dicas: omnis virtus habet pro objecto bonum, ſed pœnitentia reſpicit malum, quia objectum pœnitentiæ eſt peccatum, quod nullam habet rationem boni: ergo.

Reſpondeo diſting. min. reſpicit malum ſimpliciter, neg. malum ut deteſtabile & punibile conc. min. licèt ergo malum ſecundùm ſe conſideratum ſit rectæ rationi difforme, tamen ut fugiendum eſt conforme rectæ rationi, quæ dictat malum eſſe fugiendum, quod eſt quid bonum; adeóque virtua pœnitentiæ primariò tendit ad proſecutionem boni, & ſecundariò ad fugam mali, cùm omnis averſio mali fundetur in amore alicujus boni, quod appetitum movet ad deteſtandum malum tali bono oppoſitum, ſicut natura non tendit ad deſtructionem unius niſi propter generationem alterius, quod principaliter movet, ita voluntas non tendit ad deteſtandum malum niſi propter bonum, quod principaliter movet, quale bonum eſt expiabilitaa peccati, ſeu commutabilitas peccati in pœnam per aliquam ſatiafactionem; nec per hoc Pœnitentia excluditur pertinere ad perfectionem hominis ſimpliciter, eò quòd ſit ex ſuppoſitione peccati, quia eſt ex ſuppoſitione peccati non ſolùm proprii, ſed etiam alieni, cùm inclinet ad promptè vindicandum peccatum; quòd autem ſit proprium vel alienum, eſt materiale, & accidentorium, nam homo vindicat proprium peccatum per pœnitentiam non authoritate propriâ, ſed ut DEI miniſter, cujus legem fregit, & à quo Legislatore ſibi fuit commiſſum punire peccatum proprium, quæ ratio formalis pœnitentiæ eſſet eadem, ſi DEUS commiſiſſet alicui vindicare peccatum alienum, ſicut aliqui dicunt hoc fuiſſe commiſſum Chriſto, & tamen hoc non obſtante juſtitia vindicativa eſt ſimpliciter virtus, licèt egeat ſuppoſitione culpæ, ſicut & miſericordia, licèt egeat ſuppoſitione miſeriæ ſublevandæ.

4 Propoſitio 2. *Sæpè virtus pœnitentia eſt ſolùm naturalis, & infructuoſa.* Ratio eſt, quia omnis virtus appetitiva, qualis eſt pœnitentia, habet ſua particularia dictamina in intellectu, à quibus in ſuis actibus regulatur; ſed ſæpè talia dictamina poſſunt eſſe merè naturalia ſeu habita ſine revelatione ſupernaturali, ſed ſolo ductu naturæ: ergo talis virtus eſt ſæpè ſolùm naturalis & infructuoſa. Min. probatur: quòd prima cauſa ſit colenda, quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quòd omne malum ſit fugiendum, dictat natura etiam in paganis; hinc econtrario patet ad pœnitentiam fructuoſam & ſupernaturalem ſemper requiri aliquod dictamen revelatum verbi gratia: DEUM offendi per omne peccatum, ejus gratiam amitti, obligationem ad pœnam manere, DEUM per dolorem & vindictam de peccato commiſſo poſſe placari, & gratiam perditam recipere.

Nec dicas: talis pœnitentia non poteſt eſſe infructuoſa, quæ meretur præmium & laudem; ſed pœnitentia etiam cum illis dictaminibua, hoc ipſo, quòd ſit virtus, elicit actus laudabilea & præmiabiles: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. quæ ſolùm meretur præmium naturale, neg. quæ meretur præmium ſupernaturale, conc. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. adeóque illi actus pœnitentiæ ex naturalibus dictaminibus eliciti ſolùm ſunt præmiabiles naturaliter, quale præmium ſunt aliquomodò bona naturalia, vel ipſa delectatio naturalis, quam aliquis habet in ipſo exercitio actûs, quem conſormiter rectæ rationi elicit, de quo ſemper delectamur, per bona autem ſupernaturalia nunquam præmiantur talea actua naturales cùm nullam habeant proportionem ad præmium ſupernaturale; hinc licèt talia pœnitentia non ſit prorſùa infructuoſa in genere naturæ, eſt tamen infructuoſa in genere ſalutis æternæ.

Propoſitio 3. *Pœnitentia catholicè ſumpta non eſt ſimpliciter reſipiſcentia ſeu nuda ceſſatio à peccatis cognitis, & ſolùm propoſitum inchoanda nova vita, ſed etiam eſt triſtitia & dolor peccatorum ac odium & deteſtatio eorum.* Ratio eſt contra hæreticoa ex Tridens Seſſ. 14. c. 4. ubi dicitur: *Declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato & vita nova propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere*; præterea hoc patet ex multia Scripturæ locis præſertim ex pſalmo 50. miſerere: *tibi ſoli peccavi*, item *laboravi in gemitu meo* &c. quæ loca apertè dolorem ac deteſtationem peccati deſignant: ergo. 5

Nec dicaa: pœnitentia hoc ipſo, quòd ſit virtus, debet eſſe quid voluntarium; ſed ſecundùm illud, quod eſt triſtitia, ſeu pœna, & dolor peccatorum, non poteſt eſſe voluntaria: ergo. min. prob. actus renendi pœnam eſt contra inclinationem voluntatis, utpote repugnans ei: ergo.

Reſp. neg. min. ad prob. diſt. ant. eſt contra inclinationem voluntatis conſideratæ ſecundùm affe-

affectionem commodi & naturæ, tanta conſiderata ſecundùm affectionem juſtitiæ ac deliberationis, neg. antec. & conſeq. licèt ergo naturæ ſit contraria pœna, voluntas tamen, vel ex ſuo arbitrio, vel ex motivo honeſto poteſt ſibi aliquam pœnam inferre, aut præcipere potentiis inferioribus, ut verbi gratia, jejunare, & ſic pœna poteſt eſſe voluntaria, ſeu potiùs volita, tam voluntate antecedente, ſcilicèt voluntariâ applicatione cauſarum, ad quas ſequitur pœna, quàm voluntate acceptante, ſeu voluntate ſequente affectionem juſtitiæ, quia ſic acceptat, quidquid habet ordinem ad per ſe volendum juſtè.

6 Propoſitio 4. *Optimè methodo data eſt diviſio quatuor actuum pœnitentiæ à Scoto in advert. 2. cit.* Ratio eſt, quia duobus modis poteſt aliquis voluntariè habere punitionem de peccato commiſſo, ſcilicet cauſaliter & objectivè primo modo habet quis triſtitiam, qui elicit aliquem actum, ad quem vel remotè ſequitur triſtitia, vel proximè, ideò, qui habet voluntatem imperantem & applicantem cauſas proximas, dicitur pœnitens cauſaliter remotè, & qui habet conſiderationem & nolitionem actualem & formalem, dicitur pœnitens cauſaliter proximè; & hi duo actus differunt per ſuas rationes formales, & quia prior actus eſt magis voluntarius, quàm ſecundus, cùm actus imperans ſemper ſit magis voluntarius, quàm imperatus, & poteſt unus ab altero ſeparari, cùm poſſet alicui peccatum diſplicere, & is propter hoc triſtari abeque eo, quòd præcedat actus imperans talem diſplicentiam. Secundo modo ſcilicet objectivè habet quis pœnam, qui elicit aliquem actum terminatum ad triſtitiam præexiſtentem, vel ſolùm patienter ferendo pœnam inflictam, ut contingit de pœnis & flagellis temporalibus à DEO inflictis, vel non ſolùm patienter ferendo pœnam, ſed etiam gratanter acceptando cum gaudio & lætitia; & hi duo actus pariter differunt, ut eruitur ex Trident. Seſſ. 14. c. 9. ubi docet: tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut à Sacerdote impoſitis, ſed etiam temporalibus flagellis à DEO inflictis, & à nobis patienter toleratis ſatisfacere valeamus; ubi prioribus verbis deſcribit pœnitere tertio modo ſumptum, & poſterioribus quarto modo ſumptum pro pura tolerantia abſque renuentia, & has duas pœnitentias meritò vocat Scotus objectivas, cùm ſint tentiones pœnæ objectivè & non cauſaliter, cùm non cauſent, ſed ſupponant pœnam ſeu triſtitiam.

Nec dicas cum Suarez: fruſtrà & ſine fundamento diſtinguuntur à Scoto illi quatuor actus pœnitentiæ; nam primus velle punire peccatum, & ſecundus deteſtari peccatum coincidunt, non enim eſt intelligibile, quòd aliquis priùs habeat actum puniendi peccatum, quàm peccatum illi diſpliceat, ac illud deteſtetur; hinc deteſtari peccatum includit ſaltem virtualiter voluntatem vindicandi, nam qui deteſtatur, vult abeſſe peccatum efficaciter; item duo poſteriores actus coinciduot. Nam patienter ferre pœnam eſt eam velle facere, & poſtquàm facta eſt, in ipſa delectari, quod eſt libenter eam acceptare: ergo.

Reſpondeo neg. antec. nam hic declaratur voluntas formalis & expreſſa vindicandi, quod non coincidit cum deteſtatione peccati, quia poteſt formalis & perfecta deteſtatio peccati fieri ſine voluntate vindicandi expreſsâ, ſed ex ſolo motivo charitatis, ſpei, gratitudinis &c. in quibus oon includitur motivum formale pœnitentiæ, quod eſt juſtitiæ ponendo æqualitatem ſeu compenſationem, & ideò illi duo actus priores noo coincidunt, imò voluntates finis & medii ſunt diverſæ; ſed vindicare peccatum eſt voluntas finis, nempe ſatisfaciendi injuriæ per pœnam, deteſtari verò peccatum eſt medium ad hunc finem conſequendum: ergo non ſunt idem actus; & per hoc etiam patet ad duos poſteriores actus, cùm toleratio pœnæ poſſit eſſe ſine quodam ſpeciali gaudio & lætitia.

Propoſitio 5. *Actus pœnitendi ſecundo & tertio modo ſecundùm ſe & in ſuo genere non eſt actus alicujus ſpecialis virtutis, ſed eſt actus cuique virtuti communis.* Ratio eſt, quia quæcunque virtus inclinans ad complacendum in bono honeſto, inclinat etiam ad deteſtandum & diſplicendum de malo inhoneſto oppoſito, ſicut v. g. caſtitas inclinat ad actum caſtum, ita inclinat ad deteſtandum actum incaſtum, & ſicut ad charitatem ſpectat gaudere de bono DEI, ita ad eam ſpectat dolere de peccato apprehenſo ut malo DEI &c. ſimiliter eodem modo eſt diſcurrendum de tertio modo pœnitendi, ſcilicet gratanter ſufferendi pœnam, quia quæcunque virtus poteſt eſſe principium aliquid acceptandi in ordine ad ſuum objectum, ſic ſi ex charitate amatur DEUS, poteſt acceptari pœna, in quantùm eſt reductiva ad amicitiam DEI, ſi ex virtute timoris DEI cavetur amiſſio vitæ æternæ, ex ipſa poteſt acceptari pœna ut excluſiva talis amiſſionis, ſi ex amicitia honeſta ad ſe ipſum quis diligit munditiam & innocentiam, ex illa poteſt acceptare pœnam, quæ ſolvit reatum, qui infuit. Dictum eſt illos actus ſecundùm ſe & in ſuo genere, nam ſi fierent ex motivo vindictæ in peccatum, tunc tales deteſtationes & acceptationes pœnarum eſſent actus virtutis pœnitentiæ determinatè, unde viri religioſi exercentes aſſiduos labores, flagella, & jejunia ex motivo vindicandi peccata veri dicuntur pœnitentes, ſeu virtutem pœnitentiæ exercentes in ſimilibus actibus.

Nec dicas Scotus in 4. Diſt. 14. q. 2. §. *de ſecunda ſignificatione*: dicit: *patienter ferre pœnam eſſe actum ſpecialis virtutis*: ergo & alii

alii duo actus non ſunt cuique virtuti communes.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ibi loquitor de ſufferentia pœnæ, quando fit ex motivo patientiæ, quæ dictat non eſſe remurmurandum in adverſis, ſed pro amore DEI tolerandum, Deóque benedicendum, uti fecit Job, & ſic utiqoe iſte actus eſt determinatæ virtutis ſcilicet patientiæ, quæ patientia à multis virtutibus poteſt imperari, cùm habeat ſpeciale motivum virtutis patientiæ; hoc autem non habent per ſe alii duo actus.

8 Propoſitio 6. *Actus pœnitendi primo modo ſumptus eſt actus alicujus ſpecialis virtutis, ſcilicet ſpecialis juſtitiæ, & actus quarto modo ſumptus eſt ſpecialis virtutis patientiæ.* Ratio primi eſt, quia ille actus, qui eſt vella imperativum aſſumendi pœnam ſeu triſtitiam propter peccatum ſeu jus Dei læſum, ſpecialiter attendit proportionalem æqualitatem introducere inter delictum & pœnam, ſeu inter jus Dei læſum, & debitum peccatoris ad ſatisfaciendum eidem, quod non ita per ſe attendunt aliæ virtutes: ergo talis actus eſt aliua ſpecialis virtutis juſtitiæ, & per hoc patet, talis actus cujusnam ſit effectûs, ſcilicet triſtitiæ, & per quæ quaſi inſtrumenta proxima, ſcilicet per conſiderationem & nolitionem actualem alicujus objecti actualis, & circa quod, ſcilicet circa peccatum, & à quo, ſcilicet à miniſtro habente commiſſionem puniendi à Legislatore, & propter quem finem, ſcilicet propter obſervantiam legis, & ulteriùs propter bonum commune. Ratio ſecundi eſt ex reſponſione ad objectionem propoſitionis prioris.

Nec dicas: ſi illud vella imperativum triſtitiæ eſt ſpecialis virtutis juſtitiæ, ſequitur, quòd talis virtus per ſuum actum etiam poſſit imperare actum charitatis, & eſſet virtus ſuperior charitate; ſed hoc eſt falſum, quia objectum per ſe charitatis eſt DEUS, & quidem ſub nobiliſſima ratione, objectum verò illius virtutis eſt malum vindicabile, ſeu reus, in quem eſt vindicandum: ergo ille actus non eſt ſpecialis virtutis juſtitiæ, ſed potiùs eſt etiam actus charitatis.

Reſpondeo conc. primam partem, & neg. ſecundam partem ſequelæ maj. nam ille exceſſus pœnitentiæ, quòd poſſit imperare actus charitatis, non provenit ex perfectione ipſius aut ſui motivi, ſed ex libertate voluntatis, quæ uti poteſt ſuis habitibus reciprocè imperando actum unius ex motivo alterius; charitati autem convenit magis ex objecto ſuo imperare actus aliarum virtutum, quia eſt ſuprema, & immediatè operatur circa ultimum finem, ad quem reliquæ virtutes ut medium ordinantur, & ideò dicitur plenitudo legis, quia omnia præcepta & virtutes ad eam tanquam finem ordinantur, ſine qua ſunt informes in genere meriti ad ſalutem.

9 Propoſitio 7. *Actus pœnitentiæ virtutis non coincidit cum actu virtutis religionis.* Ratio eſt, tum quia virtus, cujus actus ſupponit offenſam, eſt alia ab illa, cujus actus nullatenùs ſupponat offenſam, ſed pœnitentia eſt virtus, cujus actus ſupponit offenſam, non verò religio, cujus actus exerceri debet ab innocente ex motivo, quòd DEUS ſit primum principium creationis, habénsque ſupremum dominium in omnes creaturas: ergo actus pœnitentiæ non continetur in virtute religionis. Tum quia peccatum impœnitentiæ eſt prorſùs diverſum & contra pœnitentiam ſpecialem ab aliis peccatis religioni oppoſitis, ut eſt idololatria, perjurium &c. ergo econtrà actus pœnitentiæ ſunt moraliter quoque diverſi ab actibus religionis.

Nec dicas cum Cajetano: proprius actus virtutis pœnitentiæ eſt ſubjectio hominis ad DEUM; ſed per religionem homo ſubjicitur DEO tanquam ſupremo Domino: ergo actus proprius pœnitentiæ eſt actus religionis, conſequenter & habitus pœnitentiæ coincidit cum habitu religionis; imò pœnitentia dicitur ſacrificium juxta illud pſalm. 50. *ſacrificium DEO Spiritus contribulatus* ſeu contritus &c. ſed ſacrificium eſt virtutis religionis, per quod æquè expiantur peccata, ſicut per pœnitentiam: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. actus pœnitentiæ eſt ſubjectio hominis ad DEUM ut offenſum ex motivo vindicandi peccatum, conc. eſt ſubjectio ad DEUM ut ſupremum Dominum ex motivo reverendi ſummam ejus excellentiam, neg. maj. & ſic diſtinctamin. neg. conſeq. diverſæ ergo virtutes poſſunt tendere in DEUM, imo omnes tendunt in illum, ſed ſub diverſo motivo & ratione *ſub qua*: hinc licèt DEUS actibus pœnitentiæ generali quadam ratione colatur, eò quòd omnia noſtra bona divinæ voluntati conformentur, & in gloriam DEI debeant redundare, attamen non benè exinde infertur actum pœnitentiæ eſſe actum religionis, cùm habeant diverſam rationem formalem proximam, nam licèt peccator colat DEUM quantumcunque ob ejus ſupremum dominium, ſi tamen non vindicet peccatum per odium, illud non extirpabit. Præterea ad illud de ſacrificio dico, contritionem ſeu ſpiritum contribulatum metaphoricè vocari ſacrificium, non verò propriè, quia ſacrificium debet eſſe actus externus, non autem ſolus internus, ut eſt contritio, & deinde licèt per ſacrificium etiam expientur peccata, dico hoc ipſo ſacrificia talia pertinere ad duplicem virtutem ſcilicet religionis ex natura ſacrificii, & ad pœnitentiam ex intentione operantis, & illud pro peccatis offerentis.

Propoſitio 8. *Actus pœnitentiæ virtutis* 10
non coincidit cum actu virtutis amicitiæ vel pacis cum DEO. Ratio eſt, quia finis proximus amicitiæ eſt interdum correctio, & finis ultimus eſt diligibilitas amati; ſed vindicta

da

Digitized by Google

de peccato, quam reſpicit pœnitentia, non intendit correctionem, neque diligibilitatem pro fine per ſe & intrinſeco habet: ergo actus pœnitentiæ non eſt amicitiæ vel pacis; major patet, quia ſi correctio poſſet aliâ viâ haberi per amicitiam ſine pœnâ, tunc lex amicitiæ, quæ bonum amici intendit, non præſeriberet eum eſſe puniendum, ſicut experientiâ videmus contingere: ergo. Min. verò prob. vindicta, quam exercet pœnitentia, dicit neceſſariò correſpondentiam pœnæ ad culpam, ſive ſequatur correctio, ſive non, nam vindicta de crimine ſæpè fit per necem rei: ergo per accidens eſt, ſi concurrat reconciliatio aut amicitia, & amicitiæ per accidens contingit quandoque vindicta, cùm potiùs ipſam reconciliationem & amicitiam reſpiciat.

Nec dicas cum Lugone: amicitia inclinat ad reconciliandum amicum; ſed per vindictam, quâ quis punit ſuum ſcelus veluti Dei commiſſarius, reconciliabitur ipſi Deo: ergo pœnitentia coincidit cum amicitia.

Reſpondeo diſting. min. per illam punitionem reconciliabitur ipſi Deo per ſe neg. per accidens, conc. min. & neg. conſeq. licèt ergo peccator per pœnitentiam reconcilietur Deo, ipſa tamen pœnitentia vindicativa non eſt principaliter & per ſe ad hanc reconciliationem ordinata, ſed ad commutationem culpæ in pœnam, ſeu juſtam correſpondentiam earundem, quam exigit, & requirit lex inter culpam & pœnam. His propoſitis:

11 Aſſero 1. ad quæſt. *Pœnitentia eſt quædam virtus ſpecialis à cæteris diſtincta, non verò univerſalis incluſa in omnibus.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *ſecunda inquiſitio.*

Probatur: illa eſt virtus ſpecialis à cæteris diſtincta, quæ habet ſpeciale objectum tam materiale, quàm formale, & determinatos actus ſpeciali laude dignos, ac ſpecialem difficultatem ſuperandam; ſed hæc habet virtus pœnitentiæ: ergo. Min. quoad primam partem patet, quia pœnitentia habet pro objecto peccatum quatenùs vindicabile, & per pœnam expiabile, cùm reſpiciat illud ut offenſam Dei expiabilem & deteſtabilem, ut exactè probabitur quæſtione ſequenti, ſed reliquæ virtutes hoc objectum non habent, nam quamvis fides dictet cavendam & deteſtandam infidelitatem, temperantia immoderationem, fortitudo puſillanimitatem &c. tanquam malum oppoſitum, non tamen dictant dolendum, vindicandum, pœnam aſſumendam voluntariè de illis malis, nam oderunt quidem hæc mala, ſed non quia mala vindicanda, ſed ſolùm, quia impedientia actus virtutum: ergo. Min. prob. quoad ſecundam partem, actus pœnitentiæ ſunt illi quatuor recenſiti in advert. 4. & præcipuus eſt primus ſcilicet velle vindicare; ſed hic actus per ſe peculiarem laudem & honeſtatem habet, cùm peccatum per talem vindictam deleatur, & Deus antea iratus fiat placatus. Prob. eandem min. quoad tertiam partem, in hoc, quòd per talem vindicationem aboleatur Dei offenſa, & Deus reddatur placatus, eſt difficultas ſpecialis à difficultate cujuſcunque virtutis diſtincta, quia virtus pœnitentiæ, cùm verſetur in peccato præterito deſtruendo, tantas homini confert vires, ut quamvis peccati illecebras ſit expertus, adhuc peccatum efficaciter deteſtetur, quod utique valde difficile eſt, per alias autem virtutes peccata ipſis contraria aveſatur quis formaliter, & per ſe, non ut jam expertus, ſed ut habent turpitudinem tali virtuti repugnantem, ſiva quis illam expertus ſit, ſiva non: ergo pœnitentia habet ſpecialem difficultatem ſuperandam propter circumſtantiam experientiæ peccati præteriti, quam non habent aliæ virtutes.

Objicies: virtus ſpecialis non poteſt opponi omni vitio; ſed pœnitentia opponitur omni vitio: ergo. Maj. patet, quia ſicut virtus ſpecialis habet determinatum bonum objectivum, à quo ſpecificatur, Ita habet malum determinatum, cui opponitur, nam vitium ſpecificatur à bono virtutis, cui privativè opponitur. Min. etiam patet, quia omne vitium eſt objectum pœnitentiæ: ergo. 12

Reſpondeo diſting. maj. virtus ſpecialis non poteſt opponi omni vitio ſub motivo ſpeciali, ſub quo unum vitium diſtinguitur ab alio, & ſingula vitia opponuntur diverſis virtutibus, conc. non poteſt opponi ſub motivo univerſali, ſub quo omnia vitia conveniunt, ſcilicet ſub una ratione, quatenus ſingula ſunt punibilia per pœnæ ſuſceptionem, quod ſola pœnitentia dictat, neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. unde non eſt contra rationem alicujus habitûs ſpecialis, quòd verſetur circa objecta plurium aliorum habituum materialia, dummodò illa reſpiciat ſub aliqua ratione propria; ut patet in habitu Metaphyſicali, qui omnia objecta aliarum ſcientiarum reſpicit ſub ratione entis, & non ſub eodem motivo, ſub quo ab aliis ſcientiis reſpiciuntur.

Dices: Fruſtrà aſſignatur pœnitentia pro virtute ſpeciali, ſi ea ratio, ſub qua ponitur virtus ſpecialis, ab omnibus aliis virtutibus reſpicitur; ſed ita eſt: ergo. Min. prob. quælibet virtus poteſt dici odiſſe ſub ratione punibilis malum proprium ſibi oppoſitum, nihil enim impedit, quin dicatur caſtitas odire impudicitiam, & velle punitionem ejus: ergo.

Contra neg. min. ad prob. neg. antec. Nam caſtitas inclinat ad caſtè vivendum, & vitandam impudicitiam, non verò dictat vindicandam eſſe impudicitiam, & pœnam de ea ſumendam, cùm punitio non ſpectet ad rationem objectivam & intrinſecam caſtitatis, ſed pœnitentiæ docentis eſſe puniendum omne malum morale, quod aliæ virtutes facere nequeunt, niſi imperando actus pœnitentiæ.

Dices: Deteſtatio peccati concepta ſolùm

ex motivo charitatis abſque intentione vindicandi peccatum ſufficit, ut quis dicatur pœnitere: ergo non requiritur ut virtus ſpecialis. Antec. patet ex Trident. Seſſ. 6. de Juſtificatione cap. 6. ubi dicitur: *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes* &c. *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.*

Contra diſting. antec. abſque intentione vindicandi explicita, conc. abſque implicita, neg. antec. talis ergo deteſtatio concepta de peccato ex motivo charitatis ſufficit ad delendum peccatum, ſed non contingit ſine eo, quod ſaltem implicitè, ſi non explicitè, præceſſerit voluntas vindicativa peccati; nam plura in eo, qui vult pœnitere, ut oportet, per Ordinem à citato Concilio aſſignata intervenire ſolent: primò enim illuminatur homo ex divino auxilio ad agnitionem ſuorum peccatorum. Secundò ex motivo divinæ juſtitiæ malorum vindicia concutitur ad timorem vel ex nimia Dei bonitate & tolerantia ad amorem. Tertiò erigitur in ſpem divinæ miſericordiæ, videns Deum propitium fore. Quartò illum tanquam omnia juſtitiæ & boni fontem incipit diligere, ac tandem Quintò movetur ex illa ratione contra peccata ea deteſtando & puniendo, quòd à ſpeciali virtute pœnitentiæ præſtatur.

Dices: Si pœnitentia eſt virtus ſpecialis, ſic non eſſet ſufficiens numerus virtutum Theologicarum, cùm non contineatur inter fidem, ſpem, & charitatem nec numerus virtutum moralium, cùm non contineatur in prudentia, juſtitia, fortitudine & temperantia; ſed hoc dici nequit: ergo.

Contra neg. maj. non enim ponitur à nobis pœnitentia virtus ſpecialis ex eo, quòd non contineatur ſub aliqua ex virtutibus moralibus communiter enumeratis, ſed ex eo, quòd non pertineat ad omnes virtutes, nec ſit quid aggregatum ex omnibus virtutibus; unde dicimus illam eſſe virtutem ſpecialem, hoc eſt, non vagantem per omnia virtutum genera, eo quòd omnes ſibi mala oppoſita odio habeant, ſed ſub uno tantùm virtutis genere conſtitui debere, eo quòd odium, quo utitur pœnitentia ut medio ad peccatum puniendum, ſit diverſum ab odio aliarum virtutum; ad quod autem virtutis genus debeat reduci pœnitentia patefaciet ſequens aſſertio; hinc

13 Aſſero 2. *Virtus pœnitentiæ reducitur ad ſpecialem virtutem juſtitiæ ex quatuor Cardinalibus, & quidem ad virtutem juſtitiæ vindicativæ.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *ulterior inquiſitio.* Eſt contra Thomiſtas quoad ſecundam partem.

Probatur prima pars: Tum quia virtus inclinans ad puniendam tranſgreſſionem legis eſt juſtitia, ut loquitur Ariſtoteles 10. Ethicorum; ſed pœnitentia inclinat ad puniendam tranſgreſſionem legis: ergo. Min. prob. actus potiſſimi pœnitentiæ ſunt actus, quibus pœna infligitur, ſeu peccatum vindicari intenditur pro tranſgreſſione legis, ut patet de quatuor actibus in advert. 2. aſſignatis, qui omnes directè tendunt ad punitionem peccati. Tum quia ad juſtitiam propriè pertinet ſatisfacere alicui pro offenſa illata, aut compenſare injuriam, vel reſarcire jus læſum divinum; ſed hoc ſuo modo præſtat pœnitentia erga Deum, ut magis patebit ex proba partis ſecundæ; ergo.

Probatur 2. pars: Div. Aug. de vera & falſa pœnitentia cap. 8. definit eam, quòd *ſit dolentis vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*; ſed ſi eſt vindicta, eſt juſtitiæ vindicativæ: ergo. Tum quia Trident. Seſſ. 14. cap. 2. vocat pœnitentiam *tribunal juſtitiæ*, ſed non alterius quàm vindicativæ, cùm dicat ibi reos ſiſti ante hoc tribunal & peccatorum remiſſionem recipere; certum autem eſt reos non niſi juſtitiæ vindicativæ ſubjici; ergo. Tum quia Deus ex juſtitia vindicativa ordinat peccatum per pœnam, ſeu actus pœnitentiales, ut oſtendit citat. Concil. Trident; ſed idem eſt finis exequentis pœnam ſeu miniſtri, cujus perſonam agit ipſe peccator; cùm ſit ſimul reus & miniſter Deus exequens juſtitiam, & judicis ipſius, ut eſt Deus: ergo finis proprius & intrinſecus virtutis pœnitentiæ hominis eſt vindicare peccatum. Min. prob. ut miniſter ordinatè procedat, debet procedere ex fine legis, & Legiſlatoris, cùm idem ſit finis poteſtatis miniſterialis & principalis cauſam delegantis. Pro his dicta tamen

Addo: nos non velle pœnitentiam eſſe perfectam juſtitiam erga Deum, cùm in tractatu de jure & juſtitia rigoroſam juſtitiam negemus inter Deum & hominem, cùm pœnitentia deficiat in rigoroſa alteritate jurium & æqualitate, uti ibidem diximus; hoc tamen non obſtante pœnitentia non deficit à ratione virtutis ſimpliciter, neque ab illa perfectione morali, quam habet rigoroſa juſtitia inter homines, ſed potiùs eſt perfectior & nobilior in ratione virtutis, utpote cùm jus divinum ſit longè altioris Ordinis, quàm jus humanum, quod tamquam objectum ſuum reſpicit juſtitia; hinc ſolùm dicitur non eſſe perfecta juſtitia ob defectum illarum duarum conditionum, non autem quaſi non eſſet perfecta virtus reducibilis ad juſtitiam vindicativam.

Objicies contra primam partem: Juſtitia eſt ad alterum; ſed pœnitentia ad ſe: ergo non eſt ad juſtitiam reducenda. 15

Reſpondeo diſting. maj. eſt ad alterum vel abſolutè & ſimpliciter, vel quaſi ad alterum ſeu virtualiter, conc. ſemper ad alterum abſolutè & ſimpliciter, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. Nam pœnitentia ſemper exercetur quaſi ad alterum, quia actum vindicandi peccatum poteſt aliquis eodem modo ſecundum

dùm rectam tationem exercere in alterum, ſicut io ſe ipſum, ideò quando exercet in ſe ipſum ooo exercet in ſe niſi ut in alterum, cùm non exerceat io ſe, niſi in qnantùm ſibi committitur à Legislatore io ipſum reum vindicate; accidit autem, quòd ipſe, cui committitur ut miniſtro judicia, ſit ipſe reus, quia eodem modo exercet ſecundùm rectam rationem miniſtri in reum, ſi eſſet omnino alius in perſonâ, ſicut accidit in medicinâ, quaodo Medicus ſanat ſeipſum, cùm medicina reſpiciat ſanabile ut ſic.

Dices: Si pœniteotia eſſet juſtitia, vel eſſet diſtributiva vel commutativa; ſed neutra dici poteſt: ergo. Min. prob. ooo diſtributiva, quia hanc exercet Superiot, qui punire ac præmiare poteſt; ſed peccator, qui pœoitentiam in ſe habet, noo eſt Superior neque præmiator: ergo. Nec eſt commutativa, quia hæc petit æqualitatem, & quidem rerum, ſed talis æqualitas inter Deum & creaturam non poteſt dari: ergo.

Contra neg. min. quia dicit Scotus citat. quòd pœnitentia formam & veſtigium utriuſque imitetur; non tamen rigoroſè, ut dictum eſt; ad primam ergo impugnationem dico: juſtitiam diſtributivam punitivam convenire Superiori per ſe & ex officio, attamen ex delegatiooe poteſt coovenire reo, cui commiſſum eſt à Legislatore, ut inferat ſibi pœnam pro peccato, ſéque efficaciter puoiat; volitio autem efficax ſupplicii eſt eadem in Superiore ferente legem, & in miniſtro exequente, ut ſe conformet Superiori; præterea etiam ſervat aliquam proportionem Geometricam, ſi ſcilicet fiat comparatio inter plures peccatores aut plura peccata; unde ad remiſſionem majoris culpæ dictat majorem pœnam aut ſatisfactionem. Ad ſecundam impugnationem dico: hanc ſolùm probare pœniteotiam non eſſe juſtitiam commutativam ſimpliciter perfectam & rigoroſam, quod gratis concedimus; adeóque juſtitia commutativa ſecundùm qoid non exigit illam æqualitatem & jotium alteritatem; quapropter ſufficit, quod pœnitentia quaſi pro commutatione det aliquid, quod eſt acceptatum, reddátque veluti id, quod peccatum Deo abſtulit, maximè cùm Deus hojuſmodi pœnam & ſatisfactiooem acceptet, & videatur cum illa eſſe contentus, & ideò dum Scotus dicit, quòd actus pœnitentiæ ſit juſtitiæ punitivæ, prout diſtinguitur contra juſtitiam commutativam, intelligit commutativam propriam & rigoroſam.

Dices: actus pœnitentiæ aliunde eſt Deo obligatus: ergo per eum noo poteſt fieri aliqua commutatio juſta.

Contra diſting. conſeq. non poteſt fieri commutatio abſolutè & ſimpliciter æqualis, conc. ſecundùm quid ex beneficio & acceptatione Dei creditoris, neg. conſeq. licèt ergo perfecta commutatio offenſæ in pœnam, aut æqualitas propria haberi non poſſit, attamen ex ſuppoſitione bonitatis divinæ acceptantis illam pœnam pro peccato, commutatio & ſatisfactio ſufficiens habetur, quatenus dat aliquid, qnod eſt gratum Superiori, ac quo Deus ſibi ipſi vult ſatisfieri.

Dices: Inter nos & Deum non poteſt eſſe datum & acceptum; ſed hoc requirit juſtitia commutativa: ergo.

Contra neg. maj. de dato ſecundùm quid, & minùs rigoroſo, nam Deus à nobis petit redditionem promiſſi juxta illud Pſal. 75. *Vovete & reddite Deo veſtro*, neque Deus exigit ut Dominus proprietatis omnes omnino actus hominis, ſed relinquit homini aliquos, quos, ſi vult, poteſt in Deum exercere, ſi verò non vult, manet liber, adeóque poteſt aliquo modo eſſe datum & acceptum, dona enim ſunt liberalia non coacta, quamvis Deus, ſi vellet, poſſet omnes actus exigere, quia omnes ſunt ſui, illo tamen jure non utitur, ſed relinquit aliquos in arbitrio hominis.

Dices: Juſtitia exercetur inter eum; qui commiſit injuſtum, & illum, erga quem commiſſa eſt injuſtitia, ita quod offenſus & offendens ſint extrema: ergo pœnitentia non poteſt dici juſtitia, cùm non habeat pro objecto formali Deum offenſum; ſed vindicabilitatem peccati, uti aliqualiter jam inſinuavimus.

Contra conc. primam, diſting. 2. partem antec. ita ut offendens reſpiciat offenſum tanquam extremum & objectum *quod*, neg. ut objectum & extremum *cui* conc. antec. & neg. conſeq. patet enim ex Tractatu de jure & juſtitia, juſtitiam vindicativam reſpicere culpam & pœnam illi debitam ſecundùm legem, perſonam autem offenſam reſpicit ut objectum, cui vult illam pœnam.

Dices: pœnitens poteſt Deo ſatisfacere per actus temperantiæ & fortitudinis aliarumque virtutum; ſed tales actus non ſunt juſtitiæ: ergo actus pœnitentiæ non ſunt actus juſtitiæ.

Contra diſting. maj. pœnitens poteſt Deo ſatisfacere per actus temperantiæ &c. imperatas à pœnitentia in vindictam peccati, conc. ſecus, neg. maj. & diſting. min. ſed tales actus non ſunt juſtitiæ eliciti, conc. non ſunt imperati, neg. min. & conſeq. adeóque cùm pœnitentia poſſit quoscunque actus virtutis imperare, ſic poteſt pœnitens per tales actus à pœnitentia imperatos, & à propriis virtutibus elicitos Deo ſatisfacere & ſic actus aliarum virtutum ſolùm imperativè erunt virtutis pœnitentiæ; elicitivè verò erunt illius virtutis, ex cujus motivo proximè eliciuntur.

Objicies contra 2. partem: Juſtitia vindicativa verè & propriè eſt in judice, non in 16
reo: ergo pœnitentia non eſt juſtitia vindicativa, cùm ſit virtus reſidens in reo.

Reſpondeo diſting. antec. Eſt in judice tan-

tantùm, neg. eſt vel in judice vel in ejus miniſtro delegato, conc. 1. partem antec. & ſimiliter diſting. 2. partem, non in reo principaliter & authoritativè, conc. miniſterialirer & executivè, neg. antec. ſicut ergo judex poteſt alteri præcipere, ut adminiſtret vindictam, & ideò juſtitia vindicativa poteſt eſſe in miniſtro judicis: ita poreſt hoc committere ipſi reo, ut in ſe ipſo puniat paecarum & ideò ipſi poteſt ineſſe juſtitia vindicativa, non quidem ei ut reo, nam ut reus eſt, non convenit ipſi niſi voluntariè pœnam acceptare, non autem exequi, ſed ut DEI miniſtro in tali caſu conſtituto, quod non repugnat, cùm etiam ex Trident. in hoc foro pœnitens gerat perſonam accuſatoria & rei, ac ut accuſator eſt, reſpicit ſe ipſum ut alrerum, quà reus eſt: ergo ſi tenetur ſe accuſare, & in ſe ipſum debitam pœnam exequi, hæc poteſtas derivatur in ipſum ut miniſtrum judicis principalis, non reum ut privatam perſonam.

Dices: Punitio convenit pœnitenti, ut reus eſt; ſed pœnirentia eſt punitio: ergo debet convenire ei ut reo; ſed ex conceſſis juſtitia vindicativa non eſt in reo: ergo.

Contra diſting. maj. punitio paſſiva convenit pœnitenti ut reo, conc. punitio activa, neg. maj. conc. min. & diſting. conſeq. ergo pœnitentia paſſiva, ſeu patiens acceptatio pœnæ debet ei convenire ut reo, conc. pœnitentia activa ſeu executiva, neg. conſeq. Nam talis executiva pœnirentia eſt actus juſtitiæ vindicativæ, cùm in hoc idem ſit objectum Principis ac miniſtri delegati ſeu rei.

Dices: Pœnitens principaliter tantùm exercet munus ſatisfaciendi DEO pro peccaro commiſſo: ergo non ex commiſſione judicis vindicat in ſe peccatum, niſi concomitanter puniendo ſcilicet peccata perpetrata, dum eligit voluntariè ſatisfacere.

Contra diſting. antec. principaliter exercet munus ſatisfaciendi reſpectu objecti, & finis, qui reſpicitur, neg. reſpectu objecti & finis *cui* conc. antec. & neg. conſeq. juxta Scotum ergo infligere ſibi pœnam eſt principale munus, & finis pœnitentiæ, minus verò principale eſt ſatisfacere DEO, & reparare jus læſum, & ſic licèt pœnitens ut reus ſatisfaciat DEO, attamen ut miniſter judicis infligit ſibi pœnam in ſatisfactionem.

Dices: Finis immediatus & finis *qui* pœnitentiæ eſt emendatio peccatoris, & ejus reconciliationis cum DEO, ergo non ejus pœnæ inflictio, aut æqualitas compenſæ per juſtitiam vindicativam attacta.

Contra neg. antec. Nam ut jam diximus in propoſitione octava, licèt peccator per pœnitentiam reconcilietur DEO, hic tamen finis non eſt proximus & præcipuus pœnitentiæ, cùm juſtitia vindicativa ſæpè etiam det æqualem compenſationem parti læſæ absque reconciliatione & amicitia ac emendatione rei, ut patet de punitione juſta damnarorum, ideò pœnitentia ut juſtitia vindicativa hanc reconciliationem & recompenſationem offenſæ tantùm pro fine ſecundario & per accidens reſpiciet.

Dices: licèt juſtitiæ vindicativæ conveniat pro peccatis ſeipſum punire, adhuc tamen non poteſt dici pœnitentia: ergo. Antec. prob. juſtitia vindicativa non includit propoſitum ampliùs non peccandi; ſed pœnitentia neceſſariò includit tale propoſitum: ergo.

Contra neg. antec. ad probam diſting. maj. juſtitia vindicativa non includit formale & explicitum propoſitum ampliùs non peccandi, conc. maj. non includit tale propoſitum implicitum & virtuale, neg. maj. & diſting. min. pœnitentia neceſſariò includit tale propoſitum vel formale vel virtuale, conc. ſemper formale, neg. min. & conſeq. volens ergo efficaciter punire malum aliquod ſive in alio ſive in ſe, ſemper virtualiter odit illud malum, & vult, ut illud non ampliùs committatur.

Dices: ergo in ſenſu formali & identico videtur hæc propoſitio vera: Juſtitia vindicativa eſt pœnitentia, ſed hoc eſt contra ſenſum Authorum, qui utique aliud volunt ſignificare per juſtitiam vindicativam & aliud per pœnirentiam: ergo.

Contra rtansmitti poſſet illatum quoad ſignificatum formale & eſſentiale, licèt non quoad accidentale & circumſcriptivum, attamen neg. illatum, quia latiùs videtur patere juſtitia vindicativa, quàm pœnitentia, ſicut in ſenſu formali falſum eſt: animal eſt homo; quia juſtitia vindicativa plerumque exercetur ab ipſis Superioribus, & etiam perficitur, licèt in reis non ſit voluntaria acceptatio pœnæ, aut planè nullum propoſitum emendationis, non tamen ſic pœnitentia conſtituitur, ut de ſe patet. Cæterum licèt pœnirentia ut juſtitia commutativa non inferat proportionatam pœnam culpæ mortali ſecundùm ſe, ex parte DEI ramen acceptantis hoc ſufficienter præſtat, ut etiam in humanis cernimus, nam ſæpè alicui offenſo non poteſt dari ſufficiens aut æqualis gravitati delicti ſatisfactio, nihilominùs tamen ſi talis reus morte puniatur acerbiſſima, vera adhuc exercetur juſtitia vindicativa ſecundùm acceptationem offenſi vel poſſibilitatem ſatisfactionis.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit ſubjectum, & objectum materiale & formale virtutis ſpecialis pœnitentiæ?

ADvertendum eſt 1. Pro prima quæſtionis parte de ſubjecto, in quo ſcilicet reperiatur habitus ſeu virtus pœnirentiæ, Authores movere difficultatem de Chri- 1
ſto, de ejus puriſſima Genitrice, de Angelis, de

Digitized by Google

de primis Parentibus in ſtatu innocentiæ, & de Beatis; an ſcilicet in illis ſit vel maneat habitus pœnitentiæ,-quem hic ſupernaturaliter acceperunt? aliqui ergo Authores in illis omnibus negant eſſe habitum pœnitentiæ, aliqui in omnibus concedunt, aliqui tandem in aliquibus concedunt, in aliquibus autem negant.

2 Advertendum eſt 2. de ſecunda quæſtionis parte eſſe difficultatem, an ſola peccata à proprio ſuppoſito commiſſa ſint objectum materiale pœnitentiæ, an verò etiam peccata tam propria quàm aliena, tam actualia quàm originalia, tam remiſſa, quàm non remiſſa, imo an etiam ſolæ imperfectiones ſint objectum ejus materiale? de quibus varii variè ſentiunt, & nos ſuccinctè mentem noſtrem aperiemus conſiderantes dupliciter pœnitentiam: primò adæquatè pro habitu juſtitiæ ſimpliciter inclinante tam ad illæſum ſervandum jus divinum per actus conformes regulæ primæ, quàm ad reparandum jus divinum per deteſtationem mali lædentis, ſecundò inadæquatè pro habitu juſtitiæ quà vindicativæ inclinante ad vindicationem peccatorum jus divinum lædentium.

3 Advertendum eſt 3. pro tertia quæſtionis parte potiſſimam difficultatem eſſe in aſſignando motivo & objecto formali virtutis pœnitentiæ, ex quo ſcilicet moveatur peccator ad ſua peccata proximè deteſtanda, ita, ut non coincidat cum motivo aliarum virtutum, ex quibus licèt ſæpè etiam moveatur pœnitens ad deteſtanda ſua peccata, quia tamen virtus ſpecialis à nobis probata eſt, etiam ſpeciale motivum debebit habere, à quo ſaltem extrinsecè, & manifeſtativè quoad nos ſpecificatur; variè autem tale motivum formale aſſignant Authores, uti videndum erit ex propoſitionibus, in quibus varia motiva afferemus & rejiciemus. Interim his notatis.

4 Propoſitio 1. *In damnatis non manet habitus pœnitentiæ, benè verò in animabus purgantibus.* Ratio primi eſt, quia ille habitus pœnitentiæ vel maneret ut infuſus, vel ut acquiſitus? non primò, quia in damnatis omnes habitus infuſi ſimul cum gratia deperduntur; cum ſint indigni ullius beneficii & favoris ſupernaturalis. Non ſecundò, nam cum damnati nullum ampliùs exerceant actum pœnitentiæ, ſed potiùs actus contrarios, ſic in illis corrumpitur, & deſtruitur habitus pœnitentiæ. Ratio ſecundi eſt, quia in animabus purgantibus manet gratia habitualis, & illæ faciunt pœnitentiam per ſatiſpaſſionem: ergo etiam manet habitus pœnitentiæ.

Nec dicas: in damnatis manet ad illorum cruciatum character, quamvis ſit qualitas ſupernaturalis impreſſa: ergo etiam habitus pœnitentiæ ad illorum confuſionem, quamvis ſupernaturaliter acquiſitus.

Reſpondeo neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd character habeat duo munia, ſcilicet ut ſit ſignum diſtinctivum, & ut ſit poteſtas ad ſanctas functiones peragendas, ideò licèt character non maneat ob aliquas actiones præſtandas, poteſt tamen manere in ſignum diſtinctivum illorum damnatorum ab aliis, quod nullus eſt favor aut beneficium DEI; habitus verò pœnitentiæ, ſicut & alii habitus boni ſunt ſolummodò ex ſua natura propter actus benè & laudabiliter producendos, ideò cum in damnatis nulli ſint tales actus pœnitentiæ, nullus manebit habitus pœnitentiæ.

Propoſitio 2. *Pœnitentia adæquatè ſumpta, pro juſtitia ſimpliciter, objectum materiale ſunt omnes actiones morales conformabiles cum regula prima ſeu infinita rectitudine.* Ratio eſt, quia pœnitentia taliter ſumpta habet pro fine proximo *cui* jus DEI; ſed quidquid confert ad finem proximum virtutis, eſt objectum materiale, nam hoc & medium ad talem finem ſunt idem, ut patet in artibus, quarum objecta ſunt media ad finem artis conſequendum: ergo cum omnes actiones morales poſſint eſſe media ad jus DEI vel illæſum conſervandum, vel læſum reſarciendum, erunt objectum materiale talis pœnitentiæ, ſicut juſtitiæ ut ſic objectum materiale non ſolùm ſunt actus humani ut compenſativi juris læſi, ſed etiam conſervativi ejusdem. 5

Nec dicas: Objectum materiale non debet includere formale; ſed actiones conformabiles cum jure divino includunt objectum formale pœnitentiæ, includunt enim conformitatem & æqualitatem cum jure divino, quod eſt objectum formale pœnitentiæ: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. Objectum materiale non debet includere formale conſtitutivè & in recto, conc. terminativè & in obliquo, neg. cùm enim eadem actio moralis poſſit eſſe objectum materiale diverſarum virtutum, ut reſtringatur ad objectum materiale ſolius virtutis pœnitentiæ, additur in obliquo reſpectus ſeu connotatio objecti formalis.

Propoſitio 3. *Motivum ſeu objectum formale pœnitentiæ non eſt compenſatio DEO facienda pro offenſa.* Ratio eſt, tum quia virtus pœnitentiæ primò & per ſe conſtituitur per actum volendi pœnam tenere pro patrato delicti: ergo compenſatio non eſt motivum formale pœnitentiæ. Antec. prob. illud, quod pœnitentiam à cæteris diſtinguit, illud etiam eam conſtituit & ſpecificat; ſed velle pœnam ſeu vindictam pro peccato diſtinguit pœnitentiam, & non illud velle compenſationem, cum compenſatio etiam poſſit eſſe objectum gratitudinis; imò in definitione pœnitentiæ à S. Auguſtino data, quod *ſit dolentis vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe,* nulla ſit mentio de compenſatione, ſed ſola punitione: ergo hæc & non illa conſtituit pœnitentiam. Tum quia juſtitia vindicativa eſſentialiter non reſpicit compenſationem, aut ſatiſfactionem, 6

ſed potiùs ſatiapaſſionem; ſed pœnitentia eſt joſtitia vindicativa: ergo. Maj. prob. potiùa aliæ juſtitiæ, ut commutativa & diſtributiva, intendunt compenſationem, nam DEUS juſtè puniena damnatoa in inferno exercet veram juſtitiam vindicativam, & tamen non reſpicit niſi ſatispaſſionem & neqoaquam ſatiafactionem: ergo. Hinc quòd peccator per illam inflictam voluntariam pœnam ſatisfaciat, non reſpicitur formaliter à pœnitentia, ſed à juſtitia generali commutativa.

Nec dicas cùm Vaſquez: in actu pœnitendi fit vera compenſatio pro injuria DEI per peccatum illatâ: ergo hæc erit ejus objectum formale; conſeq. patet, quia alia virtua in pœnitente nequit aſſignari, quæ talem compenſationem intendat.

Reſpondeo neg. conſeq. nam etiam per actum pœnitendi multa habentur alia bona, ut deletio peccati, reviviſcentia meritorum, amicitia DEI &c. quæ tamen obinde non conſtituuntur motivum formale pœnitentiæ, ſed potiùa dicuntur ejua effectus, & ita etiam de compenſatione eſt dicendum; hinc ad probam conſeq. dico: juſtitiam generalem & gratitudinem generalem inclinare ad ſatiafaciendum DEO tam pro beneficiis acceptis, quàm pro peccatia patratia, pœnitentia ergo per ſe non intendit ſatisfactionem, ſed ſolam pœnam & vindictam, & ſatiafactio ſolùm oritur ut effectua, ſicut juſtitia vindicativa, qua occiditur reua homicidii, compenſat quidem offenſam, ſed per ſe primo hoc non intendit, cùm ſolùm delictum punire intendat.

Dices: ergo hoc ipſo etiam per ſe primò reſpicit compenſationem, quia juſtitia vindicativa vult pœnam condignam pro delicto; ſed talia condignitas eſt ipſa compenſatio: ergo.

Contra neg. illatum, & ejua rationia min. nam aliud eſt velle pœnam pro delicto taxatam ſeu condignam, & aliud eſt velle compenſationem illam, quæ habetor per pœnæ tenentiam, primum ſolùm directè & formaliter à pœnitentia ut juſtitia vindicativa intenditur, alterum verò non ſolùm, materialiter & quaſi per accidens.

7 Propoſitio 4. *Motivum formale pœnitentia non eſt jus divinum, ſeu æqualitas & reparatio juris divini læſi.* Ratio eſt, tùm quia finis extrinſecua utpotè variabilis, & voluntarius non ſpecificat habitum virtutis, cujus eſſentia eſt immutabilis; ſed jus divinum in noſtras actiones, aut æqualitaa ei fatienda in ſuia bonia extrinſecia eſt finis extrinſecua & *cui* in virtute pœnitentiæ: ergo. Min. prob. pœnitentia de ſua ratione formali pro fine *qui* & intrinſeco eſt tenentia pœnæ, quòd verò hanc teneat ob jua divinum ſervandum vel ob æqualitatem erga DEUM ponendam, eſt quid extrinſecum, & finis, *cui* vult ſuam vindictam proficere. Tum quia æqualitaa DEO ſervanda & reſarcitio juris læſi haberi poteſt per alias virtutes: ergo non eſt formale motivum pœnitentiæ, antec. prob. jus læſum reſarciri poteſt per actum obedientiæ, item æqualitas per actua aliarum virtutum, contra quas fit peccatum, fieri poteſt, nam æqualitaa, quæ per idololatriam ablata fuit, per actus Latriæ, & æqualitaa, quæ per blaſphemiam fuit ablata, per actum laudandi DEUM fieri poteſt. Ergo.

Nec dicaa cum Soarez: pœnitentia eſt ſpecies juſtitiæ: ergo habet pro objecto jue, cùm juſtitia ut ſic habeat pro objecto & fine *qui* jus ut ſic; ſed hoc jus nequit aliud eſſe, quàm jua divinum: ergo.

Reſpondeo diſting. conſeq. habet pro objecto & fine extrinſeco ſeu *cui* jus, conc. pro fine intrinſeco & *qui*, neg. conſeq. hinc ad rationem conſeq. vel nego eam, & dico in omni juſtitia jus ſolùm eſſe finem extrinſecum *cujus vel cui*, id verò, per qnod ſervatur illæſum, vel ſemel læſum reſarcitur eſſe finem *qui*, ſeu objectum formale *quod;* vel diſtinguo eam rationem: juſtitia commntativa & diſtributiva habet pro fine qui jus vel æqualitatem juris; trana. juſtitia vindicativa, neg. hæc enim immediatè reſpicit punitionem & pœnam ob jus legis & Legislatoris ac bonum communitatis.

Propoſitio 5. *Reconciliatio, pacificatio aut amicitia cum DEO non eſt motivum formale pœnitentia.* Ratio eſt, tum quia illud non eſt formale motivum pœnitentiæ, quod pertinet ad objectum formale charitatis; ſed pax & amicitia cum DEO pertinet ad formale charitatis: ergo. Min. prob. charitaa vult DEO amicitiam, & eum eſſe benè affectum homini, & per conſeqoena non eſſe iratum homini, eum ejusdem virtutis ſit velle bonum & fugere oppoſitum illi malum, & ſic cùm velle habere amicum pertineat ad charitatem, etiam nolle habere inimicum pertinebic ad illam. Tum quia effectua pœnitentiæ non eſt ejua formale motivum, aliàs idem eſſec cauſa ſui effectiva; ſed amicitia DEI eſt effectus pœnitentiæ, cum pœnitentia ex divina ordinatione ſit inſtituta, ut conſequamur amicitiam, & DEI amorem; undè pœnitencia ſolùm ſpecialiter tendit, uc recuperetur amicitia, tanquam ad finem extrinſecum operantis, non verò tanquam intrinſecum operia, qui eſt pœnæ tenentia, imò DEUS vindicat peccata in inferno per tenentiam pœnæ ſine reconciliatione & amicitia: ergo hæc eſt ſolùm finis per accidens. 8

Nec dicas cum Lugone: nolle dare alicui amico fundamentum indignandi rationabiliter & velle fundamentum talis indignationis tollere eſt aliquod bonum honeſtum: ergo pertinet ad aliquam virtutem; ſed non ad aliam qoàm pœnitentiam ergo. Min. prob. talis virtus vult peccati deſtructionem, ut eſt offenſa DEI, & ut placat DEUM, non verò, ut eſt injuria DEI vindicabilis, cum aliud ſit of-

fenſa,

fenſa, sliud injuria, nam injuris eſt contra jus ſtrictum, quod quis habet in sliqua, offenſa verò non eſt ſemper contrs jus, & fieri poteſt ſine injuria, v. g. ſi smicus msus indigeat libro meo, & petit à me, ut commodem, ſi ipſi denegem, offenditur, non verò injuriatur, ſi verò amico meo aliqua furer, ipſum offendo cum injuria, quia non ſolùm do occaſionem amico ſa avertendi, ſed etiam lædo jua ejus, quod habet in ſuss res, ergo licèt injuria debeat recompenſari per juſtitiam, offenſs tamen per aliam virtutem, quæ pœnitentia dici poteſt, poterit recompenſari.

Raſpondeo neg. min. nam poteſt dici, quòd pertineat ad charitatem, quæ dictat omnibus eſſe volendum bonum, & nulli malum, ideóque removenda eſſa omnia impedimenta, quæ tollunt smicitiam & pscem; hinc sd probam min. neg. antec. nam ex hoc ſequeretur, quòd pœnitantia non ſit ſpecialis virtus juſtitiæ, cum non tendaret ad compenſandam injuriam DEO Legialatori, utpota quem tantùm offenderet, & non ejus jus læderet, quod valda improbabila spparat, nam cum peccatum difformet noſtras actinnes morsles, ſupra quaa DEUS habet ſtrictiſſimum jua, ut illæ à nobia eliciantur conformes rectiſſimo ejus dictamini, ſia utiqua propriam injuriam infert DEO lædendo hoc ſtrictiſſimum jus, ideò negari non potaſt, quin ex hoc capite pœnitentia ſit ſpecialis juſtitia, quæ etiam ad hoc ſtrictiſſimum jus DEI compenſandum concomitanter tendit, quamvis daſectu æqualitatis poſſibilia nequeat eſſa rigoroſa juſtitia, unaque illud exemplum in humanis de amico eſt ad rem, quia potaſt homo offendi in sliquo, in quod nullum habet jus, ut patet de illo libro amici sd uſum petito, non autem poteſt DEUS per peccatum offendi, quin aliquod ajua jus lædatur, quod ſcilicet hsbet, ut noſtræ sctiones morales ſapientiſſimo ejus dictamini conformentur. His itaqua propoſitis:

9 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Subjectum habitûs pœnitentia eſt tam voluntas Chriſti, quàm ejus innocentis Matris, ac etiam voluntas in ſtatu innocentia, Angelorum, & Beatorum*, Eſt Scoti in 4. d. 14. q. 2. §. *ad primum argumentum in ſolut. tertii*, eſtque contra Thomiſtas.

Probatur 1. pars: In Chriſto fuerunt alii habitus moralas ad perfectionem ejus ſanctiſſimæ animæ, & ad inclinandum volitionam ad actus eorum in aliis: ergo etiam habitus pœnitentiæ; antec. patet da hsbitu prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ &c. qui habitus non tantùm inclinant habentem ad volendum in ſe sctus, ſed etiam ad volendum in aliis. Conſeq. verò prob. pœnitentiæ objactum ut aſſertione ſequenti dicemus, non tantùm eſt peccatum proprium, ſed etism alienum: ergò potuit in Chriſto habitus pœnitentiæ vindicare & odio habere aliorum peccata, habaréque promptitudinem ad hoc faciendum; nam ſufficit, ut sliquis habitus non ſit otioſus in ſubjecto, ut poſſit aliquem actum ex proprio motivo exercere, & ideò Scotus in patria admittit habitum ſpei quoad aliquem actum sb ea producendum, uti docui in Tractatu de fide, ſpe &c. aliàs neque in Chriſto, neque in beatis eſſet admittendus habitus charitatis, quia in eis non poſſet charitas actum contritionis exercere, imò nec ulla virtus, cùm omnis virtus ex eodem motivo, quo inclinat ad proſequendam honaſtatem ſui objacti, etiam inclinet ad retractandam malitiam contrà illud, quam cum beati non poſſint committere, nulla in eis eſſet sdmittenda virtus.

Probatur 2. pars: potuit beata Virgo toto tempore vitæ vella vindictam peccatorum, 10
& habere odio peccata hominum, triſtarique de illis, ac retrsctata hsbere: ergo rationsbiliter habuit habitum pœnitantiæ ſiva dein infuſum ſive scquiſitum, da quo hic non eſt curandum, ſed quæſtiona ſequenti declarabitur. Conſeq. patet, quia talia diſplicantia & triſtitia de paccatis alisnis, & deſiderium illa delendi & vindicandi procurando opportuna remedia eſt ex motivo formali pœnitentiæ, ſcilicet ſub ratione vindicabilitatis: ergo licèt beatiſſima Virgo caruerit omni paccato, attamen habitum pœnitentiæ habere potuit.

Probatur 3. pars: conceduntur alii ha- 11
bitus hominibus, ſi ſtatus innocentiæ duràſſet: ergo etiam pœnitentiæ, cùm non ſit major ratio de hac quàm da aliis: nec habitus pœnitentiæ importat perfectionem repugnantem ſtatui innocantiæ; nam licèt in ſtatu innocentiæ objectum habitûs pœnitentiæ ſcilicet peccatum non ſit ita poſſibile, ſicut objectum aliarum virtutum, attamen venialiter in illo ſtatu peccare non eſt prorſus impoſſibile; imò poſſet eſſe sd deteſtandum peccatum ſub conditiona: ſi ineſſet.

Probatur 4. pars: tum quia in Angelis 12
viatoribus non eſt fruſtrà habitus pœnitentiæ, cùm poſſit eſſe sd habendam voluntatem vindictæ delicti proprii, ſi ineſſet, vel aliorum; cum Angelus bonus poſſit odio habere peccata hominum, & ſic eſſe diſpoſitus, ut, ſi DEUS permitteret, vellet pœnam in ſa tanera pro peccatis eorum, ſicque reſarcire divinum jus læſum: ergo cùm in eis poſſent tales actus procedere ax motivo juſtitiæ vindicativæ, poterit in eis eſſe hsbitus pœnitentiæ.

Probatur 5. pars: Habitus pœnitentiæ 13
non repugnat beatis: ergo in eis eſt admittendus. Antec. prob. virtus ornans snimam & potens habere actum in patriâ non repugnat cum ſtatu beatitudinis, cum beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; ſed habitus pœnitentiæ eſt talis; tum quia auget perfectionem, nec dolorem aut pœnam inducit, ſed gaudium juxta illud pſal. 57. *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam.*

Tum quia non repugnat, quin beatus cognoſcens peccata præterita, illa odio habeat, aut vindicare, ſi poſſet, intendat, cum ipſemet DEUS peccats odio habeat, & velit, ut vindicentur; nec ſequitur beatum poſſe triſtari ex eo, quòd peccata odio hsbeat, cum triſtitia poſſit ſeparari ab odio tanquam effectus à cauſa realiter diſtinctus, & DEUS poſſet concurrere ad actum odii, non verò ad effectum ejus, ſcilicet triſtitiam: ergo habitus pœnitentiæ in beatis eſt habitus ornans, & potens habere actum.

14 Objicies: habitus pœnitentiæ verſatur circa proprium peccatum; ſed Chriſtus, & beata Virgo non potuerunt peccare: ergo in eis non eſt ponendus hsbitus pœnitentiæ.

Reſpondeo neg. maj. ſed etiam verſatur circa aliena peccata ex motivo vindicabilitatis, ut patebit aſſertione ſequenti.

Dices: ſaltem in ſtatu innocentiæ non potuit primum peccatum eſſe veniale, cum quo manens habitus pœnitentiæ, ex ſuppoſito, quòd ſit cum gratia infuſus, habere potuiſſet actum circa illud per retractationem, ſed fuiſſet mortale, quod cùm deſtruat habitum pœnitentiæ, fruſtrà fuiſſet illis datus, cum ante peccatum non potuiſſent habere actum ob defectum materiæ, quæ eſt proprium peccatum, nec poſt peccatum, cùm per peccatum deſtruatur, & hoc etiam præſertim urget de Angelis, qui fortè poſt pstratum peccatum non habuerunt paratum auxilium ad reſurgendum.

Contrà: vel neg. antec. quia potuerunt tam Adam & Eva, quàm Angeli venialiter peccare, uti tradidi in Tractat. de gratia, & de Angelis. vel neg. ſuppoſitum quòd illorum habitus pœnitentiæ debeat eſſe de peccato proprio abſolutè commiſſo, ſed poteſt eſſe de peccato ſub conditione, ſi ineſſet, vel de alienis peccatis.

Dices: Angelus eſt ſua natura immutabilis in eo, quod ſemel elegit; ſed pœnitentia eſt habitus inclinans ad retractandum, quod aliquando elegimus: ergo nequit eſſe in Angelo, in quo non poteſt ſuum actum exercere.

Contrà: neg. maj. nam licèt difficulter immutent, quod ſemel elegerunt Angeli propter intellectûs perſpicacitatem, quâ omnia prævident, antequam ſe determinant; attamen non ſunt ſimpliciter immutabiles, ut conſtat de Angelis, qui omnes actum primum in principio creationis meritoriè elicuerunt, quem tamen actum Angeli mali liberè mutârunt, tranſeuntes ex illo in actum pravum.

Dices: ſaltem beati ſemper operantur ex perfectiſſimo motivo charitatis propter DEUM ſcilicet ſummè bonum & dilectum: ergo non ex motivo pœnitentiæ, ſcilicet vindicabilitatis peccati.

Contrà: ex hoc ſequeretur in patria nullum eſſe habitum præter charitatem admittendum, quod eſt contra communem; ſed diſting. antec. omnia operantur ex motivo charitatis imperativè, conc. elicitivè, neg. antec. adeóque cùm beati poſſint interdum ex motivo aliarum virtutum elicitivè procedere, debent habere earum habitus, ut per intrinſecum principium connaturalius eliciant actus.

15 Aſſero 2. *Objectum materiale virtutis pænitentia quà vindicativa eſt omne malum morale ſive veniale, ſive lethale, ſive proprium, ſive alienum, ſive perſonale, ſive originale, ſive præteritum & dimiſſum, aut non dimiſſum, ſive futurum & poſſibile, imò etiam actus materialiter mali, ſimiliter puræ imperfectiones, ac tandem etiam malum pœna.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *ad argumentum*, & D. 19. q. un. in fine, éſtque contra Thomiſtas.

Probatur 1. Pars de omnibus malis culpæ: quidquid continetur ſub objecto formali pœnitentiæ, pertinet ad objectum materiale ejusdem; ſed omnia peccata, & mala culpæ continentur ſub objecto formali pœnitentiæ: ergo. min. prob. objectum formale pœnitentiæ eſt vindicabilitas & deteſtatio peccatorum; ſed omnia mala culpæ utpotè offenſæ contra DEUM ſunt vindicabilia, & deteſtabilia per virtutem pœnitentiæ, quamvis diverſo modo, nam peccata perſonalia propria præterita ut deſtruenda per efficacem retractationem, futura & poſſibilia ut vitanda & fugienda per diligentem cautelam, aliena & originale ut deteſtanda per ſimplicem diſplicentiam & odium, jam ſemel dimiſſa per novam vindicationem, & deteſtationem abundantem, ideò, ſi quis caret peccato, poteſt ad perficiendum ſacramentum pœnitentiæ aliquod peccatum jam ritè confeſſum & dimiſſum confiteri; ſed confeſſio ſacramentalis nequit haberi abſque actu pœnitentiæ virtutis: ergo tale peccatum dimiſſum, & alia mala culpæ ſunt ſufficiens objectum materiale virtutis pœnitentiæ.

16 Probatur 2. Pars de actibus materialiter malis: tum quia actus eliciti ex invincibili ignorantia malitiæ, licèt non habeant difformitatem & vindicabilitatem cum principio proximo libero, à quo ſunt eliciti, habent tamen difformitatem tum objecto, cùm quo ut cum proximâ regulâ poſtulant conformari, ob quam difformitatem poterunt vindicari, & deteſtari: ergo. Tum quia actus materialiter mali ex ſua multiplicitate gignunt habitum juvantem potentiam ad alios ſimiles promptiores eliciendos, etiam deinde in pleniori advertentiâ, quibus creatura DEUM offendit: ergo ſub hac ratione poſſunt cadere ſub objecto formali pœnitentiæ, & ideò eſſe objectum materiale ejusdem.

17 Probatur 3. Pars de imperfectionibus: tum quia imperfectiones morales puræ, ſeu ſecundùm ſe non culpabiles ſunt quidam defectus, quia oppoſita illarum ſunt bona moralia,

lia, vel quia aliquo modo elongant ab aliquo bono morali, vel quia privant habentem aliquo dono & beneficio honeſto v. g. non ſequi ſtatim inſpirationes ad opus ſupererogationis, eſſe ſegnem ad obſervantiam præceptorum & conſiliorum &c. ſed tales defectus in actionibus moralibus ſunt privationes majoris conformitatis cum divina regula & rectitudine, quam ipſæ actiones habere poterant à ſuo principio proximo operante: ergo poteſt circa illas verſari pœnitentia per actum diſplicentiæ dolendo de privatione illa poſſibili majoris conformitatis cum regula prima, quæ dictat non ſolùm actiones morales eſſe ei conformandas, ſed etiam perfectè conformandas juxta principii proximi virtutem. Tum quia tales imperfectiones etiam per reſpectum ad peccatum, cujus per proclivitatem, quam inducunt, poſſunt eſſe cauſa, habent rationem vindicabilitatis: ergo poſſunt eſſe objectum diſplicentiæ, & pœnitentiæ.

18 Probatur 4. Pars de malo pœnæ: malum pœnæ eſt proximum vindicativum peccati, & compenſativum juris divini, nam per pœnam voluntariè aſſumptam peccator proximè punit culpam, & DEO ſatisfacit: ergo eſt objectum materiale pœnitentiæ, cum etiam pœna contineatur ſub motivo formali pœnitentiæ, ſcilicet ſub ratione vindicationis & punitionis.

19 Objicies: præcipuus actus pœnitentiæ eſt contritio; ſed nequit contritio eſſe, niſi de peccato proprio: ergo alia peccata & mala culpæ nequeunt eſſe objectum materiale pœnitentiæ.

Reſpondeo diſting. maj. actus pœnitentiæ ut habitus juſtitiæ vindicativæ, & ſimul retractativæ, eſt contritio, conc. actus pœnitentiæ ut habitus juſtitiæ ſimpliciter vindicativæ, neg. maj. nam hujus actus ſunt velle vindicare & diſplicere de malis culpæ; unde conc. min. & diſting. conſeq. ergo alia peccata non poſſunt eſſe materiale pœnitentiæ ut habitûs retractativi, conc. ut habitûs vindicativi, neg. conſeq.

Dices: ſaltem nihil poteſt eſſe objectum diſplicentiæ reſpectu pœnitentiæ, niſi quod cedit in offenſam DEI, ſed actus materialiter mali & imperfectiones non cedunt in offenſam DEI, cum non ſint materia confeſſionis: ergo.

Contra neg. maj. nam cum finis pœnitentiæ ſit perfectiſſimè deteſtari mala, & jus divinum illæſum conſervare per conformitatem actionum moralium, ſic non ſolùm objectum à pœnitentia deteſtabile erunt actiones poſitivè difformes, ſed etiam negativè non conformes, quales ſunt actus indifferentes, imperfectiones, & materialiter mali, cur autem non ſint materia confeſſionis, patebit de pœnitentia ut Sacramento, interim tamen ſciri debet virtutem ſe magis extendere poſſe, & ad plura, cùm potiſſimùm in affectu conſiſtat, quàm Sacramentum, quod debet habere materiam & formam realiter exiſtentem, & ejus forma ſit abſolutio & vera, ſic neceſſariò debet ſupponere culpam eſſe abſolvendam, ut ſit vera.

Aſſero 3. *Objectum ſeu motivum formale pœnitentiæ eſt vindicabilitas peccati, ſeu peccatum quatenus vindicabile.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *ſecunda inquiſitio:* contra plurimos alios. 20

Probatur 1. Formale aliarum virtutum eſt id, per quod, ſeu ſub quo virtus tendit in materiale; ſed per vindictam ſumendam de peccatis tendit pœnitentia non ſolùm per actus elicitos, ſed etiam imperatos in peccata: ergo. min. prob. niſi de peccato eſſet ſumenda pœna ſeu vindicta, pœnitentia non reſpiceret illud, ſed ſi eſt neceſſaria propter pœnam ſumendam pro culpa, dicit ordinem eſſentialem ad vindictam: ergo. maj. prob. quoties enim pœnitentia inculcatur in Scriptura, toties pœna ſumenda præſcribitur.

Probatur 2. Ex communi ſententia: peccatum eſt objectum, in quod tendit pœnitentia, ſed nullâ aliâ ratione tendit in illud, niſi ſub ratione vindicabilis, & per pœnam expiabilis: ergo. min prob. non enim tendit in peccatum ſub ſua ratione formali ſeu privatione boni alicujus virtutis, quia ſub hac ratione quælibet virtus tendit in peccatum, cui virtus opponitur; non ſub ratione injuriæ, quia ſic peccatum reſpicitur à juſtitia commutativa, quæ dictat compenſationem pro injuria, & præſcindit à pœnali & non pœnali actione; nec ſub ratione offenſæ, quia ſub hac ratione reſpicitur à charitate, quæ reſpuit omne malum, & vult in DEO omne bonum; nec ſub ulla alia ratione, uc videndum eſt ex propoſitionibus, quàm ſub ratione vindicabilitatis: ergo.

Probatur 3. Vindicabilitas eſt aliquid eligibile ſecundùm rectam rationem: ergo pertinet ad aliquam virtutem; ſed non ad aliam, quàm pœnitentiam: ergo. min. ſubſumpta prob. non ad fidem, quæ reſpicit verum à DEO revelatum, non ad ſpem, quæ bonum poſſidendum, non ad charitatem, quæ bonum Amico, non ad fortitudinem, quæ reſpicit arduum aggrediendum, non ad temperantiam, quæ mediocritatem in delectationibus: ergo ad juſtitiam, ſed non ut commutativam, quæ reſpicit æquale: ergo ad juſtitiam punitivam, quæ vindicat malum, & continet pœnitentiam.

Objicies: pœnitentia eſt virtus deteſtativa, & non proſecutiva: ergo vindicabilitas non eſt ejus objectum formale. Antec. patet, quia odium & deteſtatio peccati eſt potiſſimus actus pœnitentiæ. Conſeq. pariter patet, quia vindicabilitas non eſt deteſtabilis. 21

Reſpondeo diſting. antec. eſt deteſtativa ſecundùm omnes actus, quos habet, neg. ſecundùm aliquos, conc. nam actus pœnitentiæ

 non

non minùs ſunt confeſſio, & ſatisfactio, aut vella vindicare peccatum, quàm odium aut detaſtatio, & ſic pœnitentia inclinat ad puniendum peccatum tam per odium quàm per confeſſionem & ſatisfactionem, adeóque pœnitentia ſecundùm ſuoa actus primarios eſt proſecutiva, & ſecundùm alios eſt deſtructiva, nam actus deteſtativi ordinantur ad proſecutivos, nam ideò odio habetur peccatum, ut habeatur vindicta dictata à lega pro delictis pœnam ſtatuente, unde cùm quælibet virtus ſit proſecutiva ſui boni & fugitiva mali oppoſiti tali bono, cur tale proſecutivum & deſtructivum non poſſet etiam verificari in pœnitentia.

Dices: Primarius actus eſt nolle peccâſſe, ſeu deteſtatio peccati, ſed hic actus non habet pro objecto vindicabilitatem: ergo. Maj. patet ex Trident. Seſſ. 14. c. 4. ubi dicitur: contritionam habere primum locum inter actus pœnitentis, ſed in hoc nihil intervenit da vindicabilitate, ſed omnia de deteſtatione peccati: ergo.

Contra diſting. maj. Primarius actus imperatus aſt deteſtatio, conc. primarius actus elicitus aſt deteſtatio, neg. maj. adeóque actus elicitus primarius eſt valle vindicara, ſeu punire peccatum, actus varò imperatus eſt odium ſeu deteſtatio peccati, qui aſſumitur tanquam medium ad vindicandum, nam cogitatio peccati ſub motivis odibilibus, & ajus odium ſub aliquo eorum ſunt medium vindicandi peccatum per triſtitiam, & alias actiones pœnam inferentes, ut per confeſſionem inferentem erubeſcentiam, per ſatisfactionam inferentem laborem &c. ad probam conc. contritionem, quatenus habet ex charitate deteſtatiooem peccati, eſſe primarium actum imperatum pœnitentiæ, ſed neg. in illo non intervenire vindicabilitatem peccati ſaltem implicitè, unde licèt Trident. loc. cit. non faciat mentionem expreſſam de vindicatione, alibi tamen ſcilicet c. 9. ejus aſt memor, dum dicit: *Tanta eſt divina munificentia largitas, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis* &c. quod verò in priori loco non faciat mentionem, ratio eſt, quia deteſtatio, de qua Concilium ibi loquitur, non eſt ex motivo ipſius pœnitentiæ expreſſo, ſed ex motivo charitatis, quæ deteſtatio utiqua ſufficit, non tamen contingit ſine eo, quòd antea præceſſerit voluntas vindicativa peccati, ſiquidem, cùm quis vult pœnitere, dabent aliqua per Ordinem intervenire, ut diximus q. 1. in object. ad aſſert. 1. circa finem.

Dices: Datò, quod illud odium & deteſtatio ſit medium, adhuc tamen vindicabilitas non eſt ratio formalis pœnitentiæ: ergo. Antec. prob. illud odium deberet odio habere peccatum ſub ratione vindicabilitatis, ſed non odit hoc modo peccatum vindicabile, alias peccatum vindicabile eſſet malum: ergo. Maj. patet, quia medium ad finem deberet habere pro objecto eandem rationem formalem finis: ergo.

Contra neg. antec. ad probam neg. maj. ad ejus probam diſting. antec. medium debet habera eandem rationem formalem finis, ſi finis eſt extrinſecus, & finis *cujus*, neg. ſi finis eſt intrinſecus *qui*, ſau objectum quod, conc. antec. Nam omnis intentio habet pro objecto aliquem finem, quem reſpicit ſub propria ratione, electio verò mediorum, licèt ſit propter finem extrinſecum, attamen pro objecto intrinſeco & formali habet aliquid aliud v. g. volo tanquam propter finem ſatisfacere amico meo offeoſo, finis eſt ſatisfactio, & placatio amici, ulteriùs verò cogito, quibus mediis hoc poſſim præſtare, & reperio, mediantibus actibus humilitatis & perpeſſionis laboris pro eo, qui actus utique habent pro objecto intrinſeco aliquid aliud præter finem, cujus gratiâ fiunt; hoc idem dic de pœnitentia, quæ in finem vindictæ vult odio habere peccata.

Dices: Ratio formalis alicujus virtutis eſt ea, à qua virtuoſus movetur ad exercitium virtutis, ſed pœnitens non movetur à vindicabilitata: ergo. Maj. per ſa patet, min. prob. peccatores moventur ad pœnitendum, vel ex indignitate & fœditate peccati, vel ex damno & pœnâ, nam quamprimùm iſta cognoſcunt, moventur ad pœnitendum: ergo.

Contra neg. min. cum ſua proba, peccator enim quamprimùm illuminatur de fœditate peccati, aut offensâ Dei, aut damno ſibi imminente, experitur ſtatim ſibi dictari, quòd, ut ſuffersotur peccata, indigeant axpiari per vindictam ſau pœnam triſtitiæ, odii, confeſſionis &c. deinde divino adjutus auxilio vult ſua peccata expiara, & per illa media punire, adeóque reverà movetur formaliter à vindicabilitate, licèt occaſionaliter etiam moveatur ex aliis aſſignatis.

Dices: ergo poſſet dari habitus pœnitentiæ abaqua illis prædicatis, quæ communiter tribuuntur pœnitentiæ, ſcilicet ſina odio, diſplicentiâ, deteſtationa, ſed hoc eſt inconveniens: ergo. Sequela probatur: voluntas puniendi ſæpè axercita facit habitum, ſed velle pœnam, non dicit aut includit odium, diſplicentiam, deteſtationem.

Contra neg. ſequel. ad ejus probam diſting. min. non involvit formaliter, conc. non involvit virtualiter, neg. min. quamvis ergo nulla voluntas efficax finis includat eſſentialiter & formaliter electionem ſeu media, includit tamen virtualiter, & concomitanter, aliàs non eſſet volitio efficax, quæ per hoc diſtinguitur à volitiona inefficaci, quia illa dicit neceſſariam connexionem cum mediis, & non iſta, ſic efficax velle punitionis dicit neceſſariam connexionem cum madiis, atqui dictat fides unum ex medus eſſa odium & diſplicen-

tiam

tiam ſub hoc vel illo motivo: ergo non poteſt dari efficax volitio vindictæ absque volitione illius odii & deteſtationis.

Dices: Licèt habeatur efficax volitio vindictæ absqua odio peccati, tamen non erit actus pœnitentiæ, econtra, ſi habeatur odium ſina volitione vindictæ, erit actus pœnirentiæ: ergo non vindicabilitae, ſed potius odibilitas peccari eſt formale pœnitentiæ.

Contra diſting. antec. Licèt habeatur volitio efficax vindictæ absque odio formali vel virtuali, non eſt actus pœnitentiæ, conc. nam talis actus efficax vindictæ implicat, ut patet ex priori reſponſione, volitio efficax vindictæ absque odio formali, benè tamen cum virtuali non eſt actus pœnitentiæ, neg. antec. & conſeq. nam velle punire, ut præcedit actum odii, eſt verus actua pœnirentiæ, cùm ſit efficax volitio pœnæ & applicationis mediorum ad pœnam.

QUÆSTIO III.

An virtus pœnitentiæ ſit virtus Theologica aut infuſa aut acquiſita.

1 ADvertendum eſt 1. virtutem adæquatè dividi in Theologicam & moralem, prima eſt, cujus objectum immediatum eſt DEUS, vel aliqua perfectio DEI, ut fides, ſpes, charitas, quorum objecta ſunt veracitas, & bonitas DEI; ſecunda verò eſt, cujus objectum eſt honeſtas actionie humanæ, ſeu aliquid creatum; præterea virtutes Theologicæ dicuntur, quæ immediatè ab ipſo DEO infunduntur, & morales, quæ per ipſam frequentationem actuum moralium à potentia acquiruntur, quia ramen etiam DEUS poteſt illas virtutes infundere, quas ſibi poteſt potentia acquirere; hinc fit, quod aliquæ virtutes dicantur per ſa infuſæ, & aliquæ per accidens infuſæ, quæ licèt conveniant in ratione virtutis infuſæ ut ſic, quia tamen virtutes acquiſitæ, ſi infunderentur, non exigerent ex natura ſua infundi, ideò ſolùm per accidens eſſent infuſæ, Theologicæ verò virtutes ſunt talis naturæ intrinſecæ, ut non poſſint acquiri per actus ab ipſa potentia; ideò ex natura ſua petunt infundi à DEO, & ab ipſo creari, & dicuntur per ſe infuſæ.

2 Advertendum eſt 2. Virtutem ſatis communiter etiam dividi in infuſam & acquiſitam, uti ex priori advert. patet; quando ergo hic quæritur, an pœnitentia ſit virtus infuſa, loquimur de virtuta infusâ rigorosè ſumptâ, eo ſcilicet modo, quo virtutes Theologicæ, fides, ſpes, & charitas dicunrur virtutes per ſe infuſæ, hoc eſt, quatenus ſunt habitue quoad ſubſtantiam totaliter ſupernaturales, & immediatè à DEO in anima cauſati, quia de ratione entis à DEO in hoc ſenſu infuſi eſt, ut DEUS activè, totaliter, phyſicè cauſet id, quod in ſubjectum aliquod infundit, ut patet de infuſione animæ rationalie, luminia gloriæ, & virtutum Theologicarum; non verò loquimur in ſenſu Patrum, qui infuſum appellare ſolent quodcunque gratuitè à DEO donatum, ut ejus gratiâ obtentum, ad quod natura propriis viribus pertingere non poteſt; nam tali modo omnino pœnitentia, quæ eſt diſpoſitio ad juſtificationem dici poterit infuſa, quatenus divioâ gratiâ auxiliante & excitanta donatur mediante ſuo actu, nam actus pœnitenriæ, ut ſit fructuoſue & diſponens ad juſtificationem, requirir gratiam auxiliantem, & excitantem, uti dicemus Diſt. ſequenti, in quo ſenſu etiam pœnitentia virtus ſupernaturalis dicitur. His ergo notatis:

Propoſitio 1. *Ad virtutem Theologicam non ſufficit quicunque reſpectus ad Deum, ſed requiritur, ut reſpiciat aliquam perfectionem DEI, circà quam immediatè tanquam objectum tendat.* 3
Ratio eſt, quia hoc vult nomen virtutis Theologicæ, quod idem eſt, ac occupatio de DEO, & ſic à virtutibus moralibus diſtinguitur, nam aliàs omnes virturea poſſent dici Theologicæ, ſi quicunque reſpectua ad DEUM ſufficeret, cùm omnea virtutes ex ſua natura finem ultimum reſpiciant.

Nec dicas: Non ita proximè includitur in objecto temperanriæ aur fortitudinis ipſe DEUS, ſicut in objecto v.g. piæ affectionis credendi DEO; vel in objecto religionls: ergo licèt illa reſpectus ad DEUM non ſufficiat, ut temperanria, vel fortitudo ſit virtus Theologica, ſalrem quicunque reſpectus ad DEUM tanquam objectum ſufficiet ad virtutem Theologicam, ut ſcilicet etiam illam piam affectionem credendi DEO, & religionem faciat virtutem Theologicam, conſeq. prob. temperantia & fortitudo ſunt virturea morales: ergo illa pia affectio & religio ſunt quid plus, cùm in ſuo objecto includant DEUM, & per conſequens ſunt Theologicæ.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ex tali proximitate ad DEUM ſolùm ſequirur virtutes eſſe in triplici differenria, aliæ ſcilicet habent pro objecto & fine DEUM ut Theologicæ, aliæ nea pro objecto, nec pro fine proximo, ſed ſolùm pro remoto habent DEUM, ut temperantia & fortitudo, quæ pro materia & objecto habent paſſiones operantie, pro fine proximo animi quietem, pro fina ultimo & remoto ipſum DEUM; quædam verò ſunt, licèt non habeant DEUM pro objecto, habent tamen ipſum pro fine proximo, ad quem omnes earum actus diriguntur, ut eſt religio, & ipſa pia affectio credendi DEO, ac etiam pœnitentia, ut dicemus, quarum actus proximè ordinantur ad DEUM, quæ propterea propinquiſſimæ ſunt Theologicalibus, à quibua proximè imperantur, adeóque objectum ipſius piæ affectionia ut virtutia moralis in voluntate non eſt DEUS, ſed honeſtas credendi pri-

mæ veritati; objectum religionis eſt honeſtas, quæ reperitur in cultu Dei, licèt in his etiam DEUS ſit objectum materiale & finis cui.

4 Propoſitio 2. *Præter virtutes Theologicas non dantur aliæ virtutes morales per ſe infuſæ.* Ratio eſt, quia non ſunt ponendi alii habitus in viatore, quàm qui poſſunt ſufficere ad perficiendum ipſum in Ordine ad DEUM, & creaturas, ſed viator ſufficienter perficitur per virtutes Theologicas, & acquiſitas moraliter: ergo. Min. prob. objectum, circà quod operatur viator, eſt DEUS vel creatura, ſed per habitus Theologicos ſufficienter diſponitur ad Deum, & per habitus acquiſitos ad creaturas: ergo.

Nec dicas: Licèt quis per habitus naturales & acquiſitos fidei, ſpei, & charitatis poſſit verſari circa DEUM, & per alios acquiſitos circa creaturam, nihilominùs ponuntur alii habitus per ſe infuſi, quibus homo perfectiùs poſſet verſari circà DEUM: ergo ſimiliter poſſunt pooi habitus morales infuſi perfectiores circà creaturas.

Reſpondeo neg. conſeq. Diſparitas eſt; quia certè magis convenit propter DEUM ſupernaturalem ut immediatum objectum ſufficienter attingendum ponere principium ſupernaturale infuſum, quàm propter creaturam aut honeſtatem naturalem actûs, cùm id habeatur ex Scriptura & Conciliis de virtutibus Theologicis, non verò de moralibus; nam illæ ſunt principia capitalia & fundamentalia directè ordinata ad DEUM ſupernaturaliter attingendum, ex quibus incipit noſtra juſtificatio ſupetuaturalis, adeoque convenit, ut ſint principia ſupernaturalia, quæ convenientia non ita oritur ex virtutibus moralibus acquiſitis. His poſitis:

5 Aſſero 1. ad quæſt. *Pœnitentia non eſt virtus Theologica.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *in iſta quæſtione.*

Probatur: Tum quia, illa non eſt virtus Theologica, cujus objectum immediatum & formale non eſt DEUS, aut aliqua increata DEI perfectio, ſed virtutis pœnitentiæ objectum non eſt tale: ergo. Min. patet ex præced. quæſt. ubi objectum formale pœnitentiæ ſtatuitur vindicabilitas, aut punibilitas peccati, quod eſt quid creatum, ſcilicet actio creaturæ, non autem quid increatum, aut intrinſeca DEI perfectio. Tum quia, ſi pœnitentia eſſet virtus Theologica, maximè eſſet ideò, quia non eſſet diſtincta à charitate, ſed eſt diſtincta: ergo. Maj. patet ex adverſariis, qui docent odium & fugam mali ſeu peccati directè pertinere ad charitatem, eo ipſo enim, quòd quis inclinetur ad amandum, etiam inclinatur ad fugiendum, & odiendum malum amati. Min. verò prob. charitas inclinat ad diligendum DEUM & proximum propter DEUM, pœnitentia verò ad dolendum. vindicandum peccatum, ſed hi actus non ſunt dilectio aut charitas, ergo nec pœnitantia eſt charitas, ſed virtus diſtincta, cùm charites inclinet ad odiendum malum, quà nocivum amati non verò ad odium malum quà vindicabile, punibile, & ideò odium charitatis non eſt odium inflictivum pœnæ pro malo, ſed ſimpliciter ſolùm repulſivum mali.

Objicies: Pœnitentia inclinat ad vindicandum peccatum propter DEUM: ergo eſt virtus Theologica. Conſeq. patet, finis ſpecificat virtutem, ergo licèt pœnitentia habeat pro objecto peccatum, quia tamen reſpicit finem increatum, ſpecificabitur ab eo. Antec. etiam patet, quia pœnitentia ad hoc datur, ut reconciliet hominem DEO, & faciat amicum DEI. 6

Reſpondeo diſting. antec. Ad vindicandum peccatum propter DEUM, ut finem extrinſecum, cui debetur ſatisfactio, conc. propter DEUM ut objectum proprium & finem *qui*, neg. antec. Ratio autem finis extrinſeci non ſpecificat intrinſecè pœnitentiam; ſicut neque actus fidei factus ex motivo charitatis dicitur charitas, neque eleemoſyna pauperi propter DEUM porrecta dicitur virtus Theologica; vide, quæ diximus propoſit. 1.

Dices: Pœnitentia inclinat ad odium peccati, quatenus eſt offenſivum DEI, ſeu reſpicit DEUM offenſum, ergo reſpicit DEUM ut finem *qui*.

Contra diſting. antec. Inclinat ad odium peccati offenſivi DEUM ex proprio motivo, neg. ut conjuncta cum motivo charitatis, conc. antec. nam dum quis vult pœnitere, ſic poteſt vel ex motivo charitatis pœnitere, vel ſolummodò cognoſcendo peccatum eſſe quoddam malum vindicabile, quia ſic præcipit lex divina; & ſic ex hoc motivo vindicare peccatum, & odio habere illud, quo ſenſu pœnitentia non inclinat ad odium peccati, quatenus eſt offenſivum DEI reduplicativè, ſed quatenus à DEO præceptum vindicari.

Dices: Ab actu pœnitentiæ non poteſt ſeparari ordo ad DEUM, quatenus offenſum, ergo neque ab habitu, qui ad actum inclinat, conſequenter cùm ſemper reſpiciat DEUM, erit virtus Theologica.

Contra vel neg. antec. Quia attritio reverà eſt actus pœnitentiæ, licèt minùs perfectus, & tamen non tendit in peccatum ut offenſam DEI reduplicativè, ſed in peccatum, ut eſt aliquid inhoneſtum, vel inducens gehennam, ſicque nullum dicit Ordinem ad DEUM. Vel transmitto primum enthimema, & neg. ultimam conſeq. licèt enim omnis actus pœnitentiæ dicat Ordinem ad DEUM, aut ex motivo DEI fieret, non tamen ab hoc motivo ſpecificabitur, cùm tale motivum ſit ei ſolùm extrinſecum, ſicut ſi temperantia exerceretur propter DEUM, non tamen ab hoc ſpecificaretur, ſed à proprio & intrinſeco motivo.

Aſſero 2. *Pœnitentia non eſt virtus per ſe infuſa, ſed moralis acquiſita.* Eſt Scoti in 4. 7

D. 14.

D. 14. q. 3. §. *dicitur ergo.* Eſtque contra Thomiſtas & Recentiores.

Probatur 1. Nulla eſt neceſſitas habendi pœnitentiam pro virtute per ſe inſuſa: ergo. Antec. prob. ſi quæ eſſet neceſſitas, eſſet ideò, quia actus ab ea procedens ordinatur ad deletionem peccati, quod non remittitur, niſi per præſuppoſitam pœnitentiam tanquam diſpoſitionem præviam, ut patet ex Trident. Seſſ. 6. c. 5. & 6. ſed ad hunc effectum nulla eſt neceſſitas habendi pœnitentiam pro virtute infuſa: ergo. Min. prob. priùs naturâ habet homo dolorem de peccatis quàm DEUS illum juſtificet, & infundat gratiam, ergo talis dolor ut actus pœnitentiæ non procedit à pœnitentia infuſa. Antec. patet, conſeq. prob. pœnitentia non infunditur, niſi in ipſo inſtanti juſtificationis cum gratia, ut ipſimet tenent adverſatii: ergo ſi actus pœnitentiæ præcedat juſtificationem ut prævia ejus diſpoſitio etiam præcedet pœnitentiam infuſam, & ſic non procedit ab ea, cùm independenter à tali habitu infuſo DEUS acceptaverit pœnitentiam actualem ex dictamine revelato & auxilio ſupernaturali ac charitatis imperio procedentem.

Probatur 2. Nulla eſt ſuffitiens congruentia habendi pœnitentiam pro virtute per ſe infuſa: ergo. Anter. prob. ſi quæ eſſet congruens ratio, eſſet ideò, quia pœnitentia ordinat, & diſponit media ad finem ſupernaturalem, ſed hæc ratio non ſufficit: ergo. Min. prob. ſola charitatis & gratiæ connexio cum cæteris virtutibus moralibus poteſt has proportionatas reddere ad finem ſupernaturalem: ergo. Antec. prob. licèt virtutibus moralibus conveniat ſolùm ab extrinſeco, quatenus ſcilicet per charitatem ſunt informatæ, vel ab auxilio ſupernaturali habeant, quòd conducant ad finem ſupernaturalem, hoc tamen abundè ſufficit, ut ſint media ſupernaturalia ad finem ſupernatutalem, ergo ſola charitatis & gratiæ connexio poteſt facere proportionem ad finem ſupernaturalem. Antec. prob. ſi hoc non ſufficeret, ſed propter finem ſupernaturalem deberent virtutes motales tanquam media proportionata eſſe per ſe infuſa, ſic etiam ipſimet actus deberent infundi, ut ſint proportionata media ad finem ſupernaturalem, ergo ſicut ad actus ſufficit per principium extrinſecum eos eſſe ſupernatutales, ita etiam ad alias virtutes, & ad pœnitentiam ſufficiet, ut ſint proportionatæ ad finem ſupernaturalem per gratiam & charitatem elevatæ.

8 Objicies: Omnis virtus, quæ hominem ordinat ad finem ſupernaturalem, eſt per ſe infuſa, ſed pœnitentia ordinat hominem ad finem ſupernaturalem, ſcilicet remiſſionem peccatorum, quæ finis ſupernaturalis conſecutionem impediebant. ergo. Maj. patet, quia talis virtus vires naturæ excedit: ergo.

Reſpondeo neg. maj. Nam virtutes morales acquiſitæ ſufficientiſſimè ordinant ad finem ſupernaturalem mediante gratiâ aut ſpeciali Dei auxilio, nam reſpicientia finis ſupernaturalis non infert eſſe infuſum à Deo in habitu talem reſpectum habente, aliàs etiam quilibet actus ſupernaturalis deberet dici propriè infuſus, quia & hic ordinat hominem ad finem ſupernaturalem, hinc ad probam diſting. antec. talis virtus excedit vires natutæ ab intrinſeco, neg. ab extrinſeco, conc. adeóque ſi actus pœnitentiæ eliciuntur à virtute morali acquiſitâ mediante imperio charitatis, vel alio auxilio excitante, vel adjuvante ſupernaturali, jam ſufficit, ut non dicamur juſtificari ex viribus naturæ.

Dices: Fructuoſos actus pœnitentiæ ſine ſpeciali DEI auailio elicere non poſſumus, ergo debemus concipere in homine aliquod principium permanens ſupernaturale ac inhærens teſpectu horum actuum, ſed hujuſmodi principia ſunt virtutes infuſæ: ergo.

Contra neg. conſeq. Nam de ratione ſupernaturalitatis actûs non eſt, ut ſit ab habitu infuſo elicitus, ſed ſufficit, quòd ſit ab uno principio ſupernaturali, ſive concurrat per modum principii permanentis, ſive transeuntis, adeóque ſufficiet ad fructuoſum actum pœnitentiæ, quod fiat à voluntate cum ſpeciali DEI adjutorio, ac imperativè procedat à charitatis habitu ſupernaturali.

Dices: ergo actus pœnitentiæ ſemper deberet elici ex imperio charitatis inexiſtentis, utpotè indiſtinctæ à gratia in ſententia Scoti, ſed hoc dici nequit, cùm interdum actus pœnitendi ſit diſpoſitio & via ad juſtificationem & gratiam habitualem acquirendam.

Contra neg. illatum, nam Scotus duplices actus pœnitentiæ admittit, aliqui enim ſunt, qui ex motivo vel imperio charitatis eliciuntur cum auxilio gratiæ actualis, & tales apti ſunt generare habitum charitatis acquiſitum & ſolùm ſunt diſpoſitio ad juſtificationem, alii verò eliciuntur ex motivo & imperio charitatis inexiſtentis, & hi à virtute charitatis accipiunt valotem ad finem ſupernaturalem non tantùm per modum meriti de congtuo, ſed etiam de condigno tam augmenti gratiæ quàm gloriæ.

Dices: Si actus pœnitentiæ naturales morales ſufficienter elevantur ad meritum condignum gloriæ per hoc, quod dignificentur à charitate, etiam poſſemus dicere ipſum amorem naturalem DEI ſufficienter procedere ab homine habente auxilium ſupernatutale actuale: ergo non erit neceſsè ponere amorem ſupernaturalem per habitum infuſum.

Contra neg. ſequelam antec. Hoc ipſo enim, quòd amor ille ſupponatur procedere ab homine habente gratiam ſupernaturalem, cùm hæc in ſententia Scoti non ſit habitus à charitate diſtinctus, jam erit amor ſupernaturalis

ralis ſupernaturalitate intrinſecâ & eſſentiali ab habitu infuſo procedens.

Dices: Virtus acquiſita poteſt eſſe in nobis ſine charitate & gratiâ, ſed pœnitentia non poteſt ſic eſſe in nobis: ergo non poteſt eſſe virtus moralis acquiſita, min. prob. quia pœnitentia delet mortale: ergo non ſtat ſine gratia, quæ non diſtinguitur in ſententia Scoti à charitate infusâ.

Contra neg. min. Nam ex multis actibus vindicandi & pœnitendi poteſt acquiri habitus, qui manet cum peccato. Ad probam ergo min. diſting. antec. pœnitentia ut virtus & habitus delet peccatum, neg. ut actus, qui natus eſt eſſe actus virtutis, ſive à virtute elicitus ſit, ſive non, ſed ab imperio charitatis vel auxilio ſupernaturali procedens, conc. antec.

Dices: Ad cujus cognitionem requiritur aliquid ſupernaturale, illud non eſt virtus acquiſita, ſed pœnitentia pro ſua regula habet notitiam ſupernaturalem, cùm tantùm ſit poſſibilis haberi ex revelatione, ſcilicet quòd peccatum ſit DEI Authoris ſupernaturalis offenſivum, beatitudinis impeditivum, gehennæ inflictivum: ergo.

Contra reſpondet Scotus in aſſert. cit. neg. mag. Nam quòd regula alicujus virtutis ſit ſolùm ex revelatione vel fide nota, non ſequitur talem virtutem non eſſe moralem, quia virtus moralis ab Ariſtotele 2. Ethic. dicitur ex hoc, quod eſt ex more vel conſuetudine generabilis, quaecunque autem notitiâ ſive naturali, ſive ex fide habitâ poteſt illa virtus appetitum inclinare, & ex frequenti actione generare in ſe habitum ſic inclinantem, & erit habitus electivus ſecundùm rectam rationem, licèt non naturalem, ſed aliam rectiorem, & hoc modò paupertas dimittendi omnia pro Chriſto, humilitas &c. ſunt virtutes morales, licet eliciantur & generentur ſuppoſitâ regulâ notâ ex Evangelio, cùm adhuc ex more & conſuetudine generentur, quia in omnibus doctrinis & artibus ſuperior notitia aliquid novit eo modo, quo illud non poteſt noſcere inferior; ſic Philoſophia noſcit aliquid propter quid, Medicus verò tantùm quia; adeóque cùm veritates ſupremas tam ſpeculativas quàm practicas non poſſimus naturaliter noſſe, ſed tantùm ex revelatione; ut DEUM eſſe trinum, DEUM eſſe ſub propria ratione finem creaturæ intellectualis, ideò ſunt aliquæ virtutes poſſibiles naturæ humanæ ordinabiles ad finem ſub ratione ſuperiori, ad quam ſe cognitio hujus ſtatûs extendere poteſt, ut eſt pœnitentia, virtutes Evangelicæ &c.

Dices: Si ex talibus actibus pœnitendi moralibus, ſed cum auxilio ſupernaturali ſupernaturaliſatis habitus acquiſitus generetur, ſequeretur, quòd ex viribus naturæ poſſemus de peccatis pœnitere, ſicut oportet, ſed hoc eſt Semipelagianum: ergo. Sequela probatur: habitus acquiſitus naturaliter inclinat ad actus ſimiles illis, ex quibus fuit generatus, ſed iſte habitus fuit acquiſitus ex actibus pœnitentiæ ſupernaturalibus: ergo naturaliter inclinat ad ſimiles actus, per conſequens naturaliter poſſemus pœnitere & nos diſponere de congruo ad juſtificationem.

Contra eſt: Ex Tract. de virtutibus Theologicis, neg. ſequelam maj. ad probam diſting. antec. habitus acquiſitus naturaliter inclinat ad actus ſimiles illis, à quibus fuit generatus, quoad ſubſtantiam actûs, conc. quoad certum modum actûs, neg. maj. conceſsâ min. diſting. conſeq. ergo naturaliter inclinat ad ſimiles actus, quoad ſubſtantiam actûs, conc. quoad modum, ut ſit ultima diſpoſitio ad gratiam, neg. conſeq. nam nihil obſtat, quò minùs illi actus ſupernaturales producere poſſint habitum ordinis naturalis, quia illi actus quoad modum tantùm ſunt ſupernaturales, & naturales quoad ſubſtantiam, cùm tendentia circa tale objectum conveniat genericè tam actibus purè naturalibus, quàm ſupernaturaliſatis; hinc facilè intelligi poteſt, quomodò ſecundùm eam rationem, quà non ſunt ſupernaturales, poſſint talem habitum generare, qualem actus naturales poſſunt producere, cùm enim quoad ſubſtantiam naturales ſint, ſic ejuſdem Ordinis poſſunt producere habitum, ut patet exemplo ſtatuæ ligneæ, ex qua lignum produci poteſt, non quatenus arte facta eſt, ſed quatenus lignea eſt, ita etiam habitus pœnitentiæ ex frequentatis actibus ſupernaturalibus inclinabit voluntatem ad actum pœnitendi, quantùm ad ſubſtantiam actûs, quod eſt vindicare peccatum, nolle peccâſſe, non tamen ad finem DEI præcipientis, ut ille actus pœnitendi ſit ultima diſpoſitio ad gratiam, nam in quantùm talis eſt, requirit auxilium ſpeciale ſupernaturale; de hoc vide plura ex Tract. de Virtutibus Theologicis.

Dices: Trident. & SS. PP. unanimiter docent, gratiam eſſe neceſſariam ad actum pœnitendi, ſicut ad actum credendi, ſperandi: ergo ſentiunt eodem modo actum pœnitendi eſſe ſupernaturalem, ſicut actum credendi &c. ſed ſupponunt actum fidei procedere ab habitu infuſo fidei, ergo & actum pœnitendi ab habitu infuſo pœnitentiæ.

Contra neg. conſeq. quia Concil. & PP. ſolùm contra Pelagianos & Semipelagianos dicunt illos actus non fieri ſine ſpeciali Dei auxilio ex ſolis viribus liberi arbitrii, ideò loquuntur prorſus eodem modo de neceſſitate gratiæ ac quarumcunque virtutum, ad hoc, ut ad vitam æternam conducant, quod ſcilicet debeant procedere ex ſupernaturali auxilio; & ſic concedimus illos actus eſſe eodem modo ſupernaturales, quatenùs ſupernaturale contradiſtinguitur ab eo, quod fit ſolis viribus naturæ, non verò prout actus exigunt pro principio elicitivo virtutem ſupernaturalem & infuſam quoad ſubſtantiam; cæteræ

autem

autem authoritates aliquando ſolùm loquuntur de pœnitentiâ virtute infuſâ, quatenus talis pœnitentia eſt charitas DEI ſuper omnia.

DISTINCTIO II.
De actibus virtutis pœnitentiæ in communi.

QUÆSTIO I.
An actus pœnitentiæ Chriſtianæ debeant eſſe ſupernaturales tam ex parte dictaminis quàm ex parte principii productivi?

1 ADvertendum eſt 1. Conſtare aliunde potiſſimos actus pœnitentiæ eſſe illos quatuor, de quibus diſtinctione priori q. 1. advert. 2. diſſeruimus; his etiam pro nunc accedit propoſitum non peccandi de cætero, confeſſio, & ſatisfactio, imò & plurimi alii actus tam eliciti, quàm imperati à virtute pœnitentiæ; eliciti autem ejus actus ſunt in duplici differentia, alii enim ſunt circa bonum: ut amor, complacentia, deſiderium, intentio, electio mediorum, gaudium &c. alii ſunt circa malum oppoſitum, ut eſt diſplicentia, odium, deteſtatio, dolor, propoſitum vitandi &c. nam hi omnes actus competunt pœnitentiæ, cum enim bonum, quod pœnitentia formaliter intendit, ſit vindicatio peccati à DEO præcepta; primi generis actus poterunt circa tale bonum haberi, econtrà circà malum oppoſitum actus ſecundi generis poterunt elici.

2 Advertendum eſt 2. De his actibus eſſe difficultatem, præſertim an velle vindicare peccatum, & odio habere illud, ac deteſtari, ad hoc, ut ſint meritorii ad juſtificationem, debeant neceſſariò eſſe ſupernaturales, & an aliqui actus pœnitentiæ poſſint eſſe purè naturales, tam ex parte dictaminis, ita ut non ex dictamine revelato, ſed purè naturali poſſent procedere, quàm ex parte principii, id eſt, ſine habitu, aut auxilio ſupernaturali concurrente ad eliciendum actum pœnitentiæ ex parte voluntatis; nam docent aliqui cum Nominalibus & Durando: actum pœnitentiæ neque ex parte dictaminis, neque ex parte conprincipii neceſſariò debere eſſe ſupernaturalem, ſed elici poſſe cum ſolo DEI concurſu generali, etiam prout talis actus eſt diſpoſitio congrua ad juſtificationem, quia dicunt hominem poſſe naturaliter cognoſcere peccatum eſſe offenſivum DEI Legislatoris, eſſe deviativum à recta ratione, cui cognitioni poteſt in voluntate correſpondere aliquid inclinans juxta illam regulam, quòd tale peccatum ſit vindicandum, quod de eo ſit diſplicendum; vel certè ſi aliqua notitia ſupernaturalis ad pœnitendum requiritur ex parte intellectûs, poterit ſaltem habito tali dictamine fidei voluntas propriis viribus deteſtari peccatum, & ſic de congruo ſe diſponere ad gratiam, & juſtificationem, ſed cùm hoc ſit error Semipelagianorum, & Maſſilienſium noviſſimè damnatus in Trident. Seſſ. 6. c. 3. ſuſtineri ampliùs non poterit.

Advertendum eſt 3. Aliquos Authores præſertim Soto carpere, & calumnieri noſtrum Scotum, quòd etiam ſentiat cum Semipelagianis, eo quòd admittat non eſſe neceſſarium auxilium gratiæ divinæ ad juſtificationem, ſed principium juſtificationis noſtræ eſſe poſſe naturam, ſeu liberum arbitrium cum ſuis viribus naturalibus ex eo, quod Scotus in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali.* doceat his verbis: *ad hujus intellectum ſciendum, quod peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum DEI, & contra legem divinam, & poteſt voluntas illud ſic deteſtari, poteſtque ille motus continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ, qui motus eſt attritio, & meritum de congruo, & diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem.* Hæc quidem Scotus; ſed quomodo hæc intelligat, & qualiter a calumnia aliorum ſit vindicandus, patebit in aſſertione; pro interim tamen verum eſt, Scotum in 4. D. 14. q. 3. §. *hic dicitur.* admittere dari poſſe actus pœnitentiæ, qui ſunt naturales tam ex parte dictaminis, quam ex parte principii, quos quidem nominat bonos moraliter utpotè cum omnibus circumſtantiis objecti, modi, & finis naturalis, non tamen unquam concedit tales actus eſſe diſpoſitiones ad deletionem culpæ, & infuſionem gratiæ, aut meritum de congruo, ſed vult ſemper tales actus eſſe infructuoſos; adeòque his notatis: 3

Propoſitio 1. *Poteſt dari actus pœnitentiæ, qui ſit naturalis ex parte dictaminis.* Ratio eſt, quia poteſt peccator naturaliter cognoſcere peccatum eſſe offenſivum DEI, & averſivum ab illo, ut ab Authore, gubernatore, & fine naturali ergo: ſub hac ratione poteſt quis naturaliter cognoſcere peccatum eſſe vindicandum, & deteſtandum, ſicut homo naturaliter cognoſcit offenſam & injuriam homini illatam diſplicere homini, & ideò de illa eſſe dolendum, & pœnam, & ſatisfactionem eſſe aſſumendam, per conſequens multo magis poterit naturaliter cognoſcere peccatum, v. g. blaſphemiæ, diſplicere DEO ſupremo Legislatori, & ideò eſſe dolendum, & DEO ſatisfaciendum. Antec. verò patet ex Metaphyſica, quòd ex moderna providentia lumine naturali cognoſcatur, quod DEUS ſit ſupremus Legislator, finis ultimus naturalis hominis, ſed ex his principiis etiam poteſt naturaliter cognoſci per peccata DEO injuriam irrogari, quatenus ſcilicet ejus leges & rectiſſima dictamina contemnuntur, ac ei in ratione 4

ultimi finis aliquod creatum præfertur: ergo.

Nec dicas: ſi poſſet dari actus pœnitendi ex dictamioe naturali, deberent dari duæ ſpecies pœnitentiæ, una oaturalis, & altera ſupernaturalis, ſed hoc non videtur eſſe verum: ergo. ſequela patet, quia haberent ſpecificata diverſa, ſcilicet naturalitatem, & ſupernaturalitatem, ſi ſcilicet dictamen pœnitentiæ ex origine & productione naturale conſideretur per excitationem & illomioationem ſupernaturalem perſeveranter & proſecutivè, vel ſi dictamina ſunt ſupernaturalia. Min. verò prob. quia quælibet ſpecies haberet unum idémque objectum formale, ſcilicet vindicabilitatem peccati; ſed obi eſt unum objectum formale, non ſont multiplicandæ virtutes: ergo.

Reſpoodeo neg. ſequelam maj. cum proba, nam illa ſupernaturalitas non eſt intrinſecum ſpecificativum virtutis, ſed ad ſummum extrinſecum; adeóque cum utriusque pœnitentiæ objectum formale & intrinſecè ſpecificativum ſit vindicabilitas peccati, non erunt duæ, ſad una ſpecies virtutis; hinc illa ſupernaturalitas dat ſolùm aliquam ſpecificationem minùe propriam, extrinſecam, materialem, & accidentalem, non verò propriam, intrinſecam, & eſſentialem, quæ debet ab objecto deſumi; aliter autem ſe res habet in fide divina ſupernaturali, & fide humana ſeu naturali; nam ſupernaturalitas fidei divinæ ſufficienter diverſificat quoad ſpeciem fidem divinam à naturali, quia eſt intrinſecè quoad ſuam naturam à DEO producta, & infuſa ſupernaturaliter, quamvis earum actus poſſint eſſe ejusdem ſpeciei, quia poſſunt ejusdem ſpecici actus procedere à diverſis habitibus, ſed invicem tamen ad actum ſubordinatis, ut tenet Scotus quodlib. 17.

5 Propoſitio 2. *Poteſt dari actus pœnitentia, qui ſit naturalis ex parte principii.* Ratio eſt, tum quia actus pœnitentiæ ex fina bono naturali, ſicut & alii actus aliarum virtutum, ut etiam charitatis DEI authoris bonorum naturalium, fortitudinis &c. ex tali fine producti habent proportionem cum ſuis objectis, potentia, fine, & circumſtantiis: ergo fieri poſſunt à potentia naturali abſque aliquo concurſu principio ſupernaturali. Antec. prob. quælibet cauſa ſecunda cum generali DEI concurſu habet in ſua poteſtate effectus proprios, ſed liberum arbitrium hominis eſt cauſa ſecunda: ergo habet in poteſtate ſua cum generali concurſu DEI effectus aliquos ſibi proprios & connaturales, per conſequens reſpectu actuum purè naturalium non indiget homo alio ſpeciali auxilio ſupernaturali, licèt ad alios actus in finem ſopernaturalem ordinatos non habeat totaliter virtutem eos producendi, niſi adjuvetur divinâ gratiâ. Tum quia Trident. ad pœnitendum, ut oportet, requirit expreſsè ſpeciale auxilium, ergo ſupponit dari aliquod pœnitere, non ſicut oportet, ad quod non requiritur ſpeciala DEI auxiliom, ſed hoc non poteſt eſſe aliud, quam actus pœnitentiæ, qui naturæ viribus prodocitor: ergo. tum quia ſi non eſſet dabilis actue pœnitentiæ naturalis, poſſemus ſcire nos eſſe in gratia, ſed hoc eſt cootra communem Catholicorum: ergo. ſequela patet, quia ſcimue ooe aliquando pœnitere, & odio habere peccatum, ſed hoc ipſo, qood talis actus non poſſit eſſe naturalie, ſed deberet eſſe ſupernaturalis, ſciremus nos habere actum ſupernaturalem, & per eum recuperare gratiam, ut fides docet, & ſic nos eſſe in gratia.

Nec dicas: actus pœnitentiæ eſt actus virtutis moralis, ergo ſemper fit ex adjutorio gratiæ. Conſeq. prob. actus bonus moraliter eſt ſemper ex auxilio gratiæ, ſed actus virtutis pœnitentiæ, eo, qoòd ſit virtutis moralia, eſt bonus moraliter: argo. maj. patet, quia aliàs fruſtra à SS. PP. impugnaretur Pelagiue, cum facilè quilibet dicere poſſet actus bonos morales omnium virtutum fieri poſſe ex puris naturalibus.

Reſpoodeo neg. conſeq. ad probam diſting. maj. actus booue moraliter, ſi ſit purè moralis, eſt ex gratia, neg. ſi ſit diſpoſitio aut meritum de congruo gratiæ, cooc. maj. & ſic diſtincta min. neg. cooſeq. SS. ergo PP. juſtiſſimè impugnant Pelagium, utpotè qui docebat homines per vires oaturales arbitrii poſſe omoia vitare peccata, implere præcepta, ac benè operari, ut oportet, & taodem ſalvari, ſicque oon eſſe naceſſaria divina auxilia ad facieodum benè, ut oportet, qoòd reprehendunt PP. per quoa tamen conceditur, quòd quis poſſet purè naturaliter bena operari abſque ordine, & reſpectu meriti ad gloriam, & ſi hoc ultimum ſolùm docuiſſet Pelagiue, non fuiſſet damnatus in ſua doctrina.

Propoſitio 3. *Non implicat in aliâ DEI providentiâ, ut actus pœnitentia purè naturales, boni tamen moraliter, ſint diſpoſitio ad gratiam & ſalutem.* Ratio eſt, quia poſſet 6
DEUS opera merè naturalia, bona tamen moraliter, abſque ullo concurſu gratiæ acceptare ad merita ſalutis; nam cùm ſint media moralia, ſunt in poteſtate Legiſlatorie, ac Domini Sopremi, cujue eſt determinare hæc vel illa media, ſicut in poteſtate priocipis ſæcularis eſt decernere quædam media, quibus ad ſuam amicitiam poſſet perveniri: ergo.

Nec dicas: implicat media non eſſe proportionata & ſufficientia ad finem, & acquirere per ea finem, ſod illi actus pœnitentiæ naturales utique non eſſent proportionata ad finem ſupernaturalem: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. ſi proportio mediorum ſit de neceſſitata & exigentia phyſica finis acquirendi, trans. ſi illa proportio ſit tantùm de congruo, & ad meliùs eſſa, ad quod

DEUS

DEUS non tenetur de potentiâ ſuâ abſolutâ; neg. maj. & ſic diſtinct. min. conſeq.

7 Propoſitio 4. *In moderna providentia actus pœnitentia merè naturales non ſunt meritum de congruo, aut diſpoſitio ad juſtificationem.* Ratio eſt; Tum quia Jerem. 31. ille dicit ad DEUM: *poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam,* item 2. ad Tim. 2. *ne quando DEUS det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis;* in quem locum ait Chryſoſt. *& quis hoc dat, niſi qui reſpexit Petrum negantem, & fecit flentem,* ergo actus meritorius pœnitentiæ ſemper debet eſſe à DEO ſpecialiter aſſiſtente. Tum quia Trident. Seſſ. 6. can. 3. dicit: *ſi quis dixerit ſine Spiritus S. inſpiratione, & ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit:* ergo actus pœnitentiæ purè naturales non poſſunt eſſe diſpoſitio ad juſtificationem, adeóque actus pœnitentiæ meritorius debet eſſe ſupernaturalis, non ſolùm ex parte dictaminis intellectûs, ſed etiam ex parte principii in voluntate, ut patet per illa verba Trident. *Si quis dixerit ſine Spiritus S. inſpiratione,* quod pertinet ad intellectum, *& ejus adjutorio* quod pertinet ad voluntatem, cùm denotet ſpeciale auxilium & motionem ex parte voluntatis pœnitentis.

Nec dicas cum Cajetano: licèt actus contritionis naturalis non ſemper ſit defactò diſpoſitio ad gratiam, poteſt tamen eſſe in aliquo caſu, quando ſcilicet continuatur, donec DEUS gratuitâ motione ſeu dilectione utatur tali contritione tanquam ultimâ diſpoſitione ad infundendam gratiam: ergo.

Reſpondeo neg. antec. nam cùm ex Trident. cit. repugnet actum naturalem ex ſolis viribus arbitrii elicitum elevari & acceptari ad hunc effectum, ideò dicendum eſt, non niſi actum ex ſpeciali adjutorio divinæ gratiæ elicitum poſſe homini prodeſſe ad ſalutem. Interim tamen ſi ſic intelligeretur, quòd actus pœnitentiæ naturaliter ab initio elicitus, ſed poſteà ex ſpeciali DEI motione continuatus, ſit in illa continuatione ultima diſpoſitio ad gratiam, non poſſet talis doctrina contemni, quia actus ſic continuatus æquivaleret actui ex ſpeciali adjutorio elicito, nec ampliùs in ea continuatione reputaretur ſolis viribus naturæ elicitus, & ſic non naturalis actus, ſed ſupernaturalis continuatus eſſet diſpoſitio, nam licèt ſit idem actus in fieri & continuari quoad ſubſtantiam, attamen in continuari eſſet à ſe ipſo diverſus quoad modum, quòd ſufficit, ut dicatur ſupernaturalis diſpoſitio.

8 Propoſitio 5. *Scotus ad fructuoſum actum pœnitentiæ requirit expreſsè ſpeciale auxilium DEI, ut poſſit talis actus eſſe diſpoſitio & meritum de congruo ad juſtificationem.* Ratio eſt, tum quia Scotus in 4. D. 20. q. un. §. *in iſta quæſtione* ait: *eſſe opus DEI non hominis pœnitentiam fructuoſam inſpirare.* ſed inſpiratio DEI eſt auxilium DEI ſpeciale: ergo. tum quia in 4. D. 22. q. un. §. *de ſecundo articulo,* ad finem ait: *DEUM propter merita mortificata citiùs dare gratiam ad reſurgendum.* ſed illa gratia eſt actualis, & ſpeciale DEI auxilium, cùm ſit ad reſurgendum, ſeu ad accipiendum gratiam habitualem per remiſſionem peccatorum: ergo. Hinc ipſemet Scotus in 1. D. 17. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* expreſsè dicit: *actum ex puris naturalibus eſſe meritorium appropinquat errori Pelagii.*

Nec dicas cum Soto: in doctrina Scoti nulla reperitur mentio auxilii ſpecialis, aut gratiæ prævenientis ad opera ſalutis neceſſaria, unde dum dicit meritorium ex puris naturalibus accedere errori Pelagii, ſolùm loquitur de merito de condigno, quod ſcilicet ſine habitu ſupernaturali gratiæ non poſſit tale meritum eſſe, ſicut docuit Pelagius, nihil autem loquitur expreſsè de merito de congruo: ergo.

Reſpondeo neg. antec. nam licèt Scotus non habeat expreſsè hoc verbum auxilii ſpecialis, tamen in re idem dicit, dum dicit opus DEI eſſe, inſpirare pœnitentiam fructuoſam; nam dicat Soto, quid aliud ſit inſpiratio & illuminatio DEI, quàm auxilium ſupernaturale, & quid aliud ſit dare gratiam ad reſurgendum, quàm gratiam præviam ad gratiam habitualem infuſam acquirendam? imò expreſsè meminit Scotus gratiæ prævenientis, dum in 1. D. 44. q. un. §. *ad propoſitum.* dicit: quòd omnis peccator poſſit ſalvari, *quia poteſt eum DEUS ſuâ gratia prævenire,* gratia autem præveniens, cùm non ſit gratia habitualis, eſt neceſſariò gratia ſpecialis auxilii; hinc quamvis Scotus de errore Pelagii loquatur præcipuè de merito condigno, æquè tamen facile eſt intelligendus de merito congruo, dum enim ſcivit Pelagium in his utriſque eſſe damnatum, non eſt veroſimile Scotum adhuc in uno voluiſſe ſequi Pelagium, nam ſupponit Scotus in aliis materiis diſpoſitionem ultimam ad formam ſupernaturalem neceſſariò debere eſſe ſupernaturalem, ideò in 4. D. 1. q. 5. §. *contra iſtam.* & §. *ad primam ergo.* docet: diſpoſitionem proximam ad formam ſupernaturalem eſſe æquè formam ſupernaturalem, & terminum creationis, ideò non eſſe educibilem ex naturalibus ſubjecti creati; quod idem dicit Hiquæus & Maſtrius docere Scotum in 2. D. 9. q. 2. §. *contra quartum.* ſed hoc falſum eſt, nam locô cit. §. *ad aliam quæſtionem.* admittit Angelum ſuperiorem poſſe ſuis viribus diſpoſitivè agere ad formam ſupernaturalem illuminationis de objecto ſupernaturali viſo in verbo; unde dico eum hic de diſpoſitione remota ſolummodò intelligi debere. His ergo propoſitis:

Aſſero ad quæſt. *Ad hoc ut actus pœniten-* 9

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ria ſint meritorii de congruo veniæ & gratiæ, ſeu ut ſint diſpoſitio ad juſtificationem, debent eſſe tam ex parte dictaminis, quam ex parte principii concurrentis. ſupernaturales. Eſt communis Catholicorum & Scoti in 4. D. 2. q. un. §. *in iſta quæſtione*, & alibi locorum citatorum propoſitione quinta.

Probatur: Initium omnis operis meritorii, ſive de congruo, ſive de condigno, ſeu principium noſtræ juſtificationis de facto non poteſt haberi à ſolis viribus naturæ, ut dicunt Concilia & Patres damnantes Semipelagianos contrarium aſſerentes, ut patet propoſitione quartâ, ſed ſi actus pœnitentiæ non eſſent ſupernaturales, tam ex parte dictaminis, quàm principii productivi; initium noſtræ juſtificationis eſſet ex puris viribus naturæ: ergo. min. prob. ſi actus pœnitentiæ prout eſt diſpoſitio ad juſtificationem, non eſſet ſupernaturalis, eſſet naturalis, ergo initium noſtræ juſtificationis haberetur per pœnitentiam naturalem.

10 Objicies 1. Scotus in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali.* expreſſè docet: *poſſe peccatum ex naturalibus cum communi influentia à peccatore conſiderari ut offenſivum DEI* &c. & ſub his rationibus conſideratum deteſtari, *ac hujuſmodi motum eſſe diſpoſitionem de congruo ad juſtificationem*: ergo expreſſè docuit aliquid Semipelagianum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ibi per ly *ex naturalibus, & communi influentia* tantùm excludere intendit gratiam habitualem, quia ibi ſolùm diſputat; an diſpoſitio prævia informis ſufficiat? quod concedit, per quod non excludit gratiam ſupernaturalem requiſitam ad actum fidei ex parte intellectûs, & ad actum pœnitentiæ ex parte voluntatis, ſed ſolùm excludit formam charitatis inhærentis, ut legenti textum patebit, à qua habent actus tam fidei quàm aliarum virtutum eſſe formati; unde illud ly *ex naturalibus* ibi ſignificat non tantùm vires naturæ, ſed etiam dona ſupernaturalia, ſcilicet habitum fidei & ſpei cum intellectu & voluntate peccatoris fidelis, quòd cum illis ſine gratia habituali poſſit peccator pœnitere, quatenus illa dona dicta naturalia opponuntur ſpeciali acceptationi charitatis, qua mediante deletur peccatum, non verò quatenus illa dona fidei & ſpei dicta naturalia opponerentur ſupernaturali ſimpliciter, ut diſcurrit Hiquæus. Vel juxta Maſtrium per ly ex naturalibus intelliguntur ſeverà vires naturales præſertim alicujus peccatoris infidelis ſe convertentis innatæ ejus intellectui & voluntati; aſt com communi influentia non intelligit concurſum generalem ad omnia opera naturæ requiſitum debitum & ſufficientem, ſed intelligit concurſum DEI cum creaturis rationalibus ad opera ſalutis, quæ influentia eſt quidem ſupernaturalis, quia non debita naturæ, eſt tamen communis, quia pro omnibus hominibus eſt parata à DEO, tanquam Authore gratiæ, eâ ratione, quâ vult omnes homines ſalvos fieri, in quo ſenſu etiam Scotus in 1. D. 46. q. un. §. *ad primum argumentum*, Auxilia & adjutoria ſufficientia ad ſalutem vocat communia, quia omnibus dantur ad diſtinctionem auxiliorum & gratiarum efficacium, quæ ſpecialia dicuntur, nam licèt gratia ſufficiens dicatur ſpeciale auxilium in ordine ad opera ſalutis diſtinctum à concurſu generali DEI omnibus cauſis ſecundis debito ad opera naturæ, attamen reſpectu DEI tanquam Authoris gratiæ, qui omnibus eſt paratus eam tribuere, communis influentia dici poteſt, unde Scotus concedit actum pœnitentiæ meritorium elici poſſe cum communi influentia non naturali, ſed ſupernaturali, quâ ſcilicet DEUS ut Author gratiæ influit in omnem hominem diſponentem ſe ad ſalutem, quæ influentia reſpectu concurſûs naturalis, & communis omnibus creaturis dici poteſt ſpecialis, reſpectu verò operum ſalutis dici poteſt communis.

Objicies 2. Cum Pelagianis: quidquid eſt in actu pœnitentiæ, poteſt poni à viribus liberi arbitrii, & ei imputari; ergo eſt totaliter naturalis. Antec. prob. in actu pœnitendi eſt præſuppoſitivè ratio vindicandi peccati, & velle pœnitere, ſed iſta omnia ſunt naturalis: ergo. 11

Reſpondeo diſting. antec. quidquid eſt in actu pœnitentiæ ſimpliciter tali & infructuoſo, conc. quidquid eſt in actu pœnitentiæ, ut oportet, neg. antec. totus ergo actus categorematicè ſumptus, ſi eſt, ut oportet, fit ex adjutorio auxilii ſpecialis, quia eſt unum ex iis, quæ decrevit DEUS ad media & diſpoſitiones ad gratiam & gloriam, adeoque entitas illa actus pœnitendi ex fine ſupernaturali exigit principium ſupernaturale, non quaſi entitas illa quoad ſubſtantiam eſſet ſupernaturalis, ſed quia eſt quodammodo ſupernaturalis, ideò neque verum eſt omnia in tali actu eſſe naturalia, nam non eſt naturale, eſſe ordinatum ad finem ſupernaturalem, neque eſt naturale, eſſe medium & diſpoſitionem proportionatam fini ſupernaturali; hinc meritò eſt neceſſitas ponendi in actu pœnitentiæ auxilium ſupernaturale.

Dices: ſi actus pœnitendi non eſſet ordinatus ad finem ſupernaturalem, neque à DEO requireretur proportio inter illum actum tanquam medium ad finem, poſſet fieri viribus naturæ, ſed eſſe ordinatum, eſſe volitum tanquàm medium proportionatum ſunt denominationes extrinſecæ in actu ordinato & proportionato; ergo propter hoc non eſt neceſſaria major & efficacior cauſalitas per principium ſupernaturale reſpectu actuum, nam quòd ſint diſpoſitiones ad juſtificationem, habebunt ex voluntate DEI extrinſecè.

Contra diſting. min. ſunt denominationes

nea extrinſecæ ſupponentes tamen denominationem intrinſecam, conc. ſunt puræ denominationes extrinſecæ, neg. min. nam providentiâ modernâ illo modo in actibue bonie, ut oportet, requiritur denominatio meriti: primò: DEUS volens juſtificare & ſalvare hominem, vult illum per merita reddere ſalvum. Secundò: decernit iſta merita, ſcilicet actue quoedam moraliter bonoa faciendoe ex fine tamen ſupernaturali, & cum auxilio gratiæ, ad quoa decernit ſpecialiter concurrere, aicque actua illi, qui aliàs eſſent merè naturales, & ex fine naturali ſunt deputati ad meritum, ſi fiant ex fine ſupernaturali cum auxilio gratiæ, & accipiunt proportionem mediorum ad finem ſupernaturalem, ex quo patet non eſſe poram denominationem extrinſecam, ſeu hoe actus naturalee non ideò præcieè dici ſupernaturales, ſeu ſicut oportet, quaſi à DEO merè acceptarentur.

Dicee: Si actus pœnitentiæ eſſet ex dictamine & motivo ſupernaturali, poſſet quie evidenter ſcire ſe eſſe in gratiâ, & hebere auxilium ſupernaturale, ſed hoc eſt contra communem Catholicorum ;. ergo. Sequela patet, quia cùm quie moveretur ad pœnitendum, concluderet ſe habere illud ſupernaturale, à quo moveretur.

Contra ooe hoc argumentum non urger, qui etiam admittimua pœnitentiam poſſe dari neturalem, nam ſicut quia credit ea, quæ refert Scriptura eſſe dicta à DEO, non ſeit evidenter illa eſſe à DEO dicta, ſed credit tantùm illa, eò quòd habeat in mente aliquod dictamen, ex illis cognoſcit quidem evidenter unum eſſe ex illie, ſed non cognnſcit evidenter eſſe motivum tevelatum à DEO, & ideò non ſequitur, quòd cognoſcat evidenter ſe habere fidem infuſam, aut quòd aſſenſue, quem præſtat talibus credibilibus, ſit actue fidei infuſæ, quia poteſt eſſe acquiſitæ, ſed credit eſſe illum, ſi habet omnes conditiones fidei ectualie divinæ, quod ipſum eſt dicendum de actibus pœnitentiæ.

QUÆSTIO II.

An actus pœnitentiæ fructuoſæ ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vel quoad modum?

1 ADvertendum eſt 1. Hanc quæſtionem potiſſimùm pendere ex illa quæſtione in Tract. de fide, ſpe, & charitate, an actus fidei &c. ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam vel quoad modum, & quamvis communiter tribuatur Scoto, quòd ſolùm ſint ſupernaturales quoad modum, & per conſequene multò magis actus pœnitentiæ ſolùm ſupernaturales qooad modum agnoſcantur, ego tamen in meo Tractatu de fide, ſpe, & charitate, harum actus admiſi eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam contra Maſtrium & plurimoa Scotiſtas, quid autem de actibue pœnitentiæ ſentiam, patefaciet aſſertio; interim eſt certum, hanc difficultatem de ectibus fidei, ſpei, & charitatie eſſe arduam & intricatem apud Scotum; videndum ergo nobis ſuccinctè erit ex textibua Scoti, quoe priùs non ita habui ad manus, ſicut modò, quid ſentiat de actibus fidei, ſpei, & charitatis, & poſteà de actibus pœnitentiæ dicendum erit: propterea

Advertendum eſt 2. Supernaturale communiter à Scoto explicari ad agena excedens vires naturæ, nam quæſt. 1. prol. §. *ad quaſtionem igitur.* ſic loquitur: *Supernaturalitas eſt, quando ſubjectum recipiens formam comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſivum talis forma in illud paſſum*; nihilominùe tamen præter hoc etiam requiritur, ut forma ſit in debito ſubjecto, aliàa anima rationalie poſſet dici forma ſupernaturalia, quia à nullo agente creato poteſt produci, attamen quia eſt debita corpori organiſato, cujua ultimam diſpnſitionem producit agena erearum, adhuc ſupernaturalie dici non poteſt; eſt ergo actus ſupernaturalia ille quoad ſubſtantiam, qui non ſolùm in modo, quo producitur, excedit vires oaturæ, ſed etiam in propria entitate eſt ſupra omnem exigentiam ſubjecti, & à ſola natura ſecundùm talem entitatem nullatenue poteſt prnduci, ut eſt gratia & habitue infuſi; item viſio & fruitio beatifica. Actus verò ſupernaturalis quoad modum ille eſt, qui licèt qunad ſuam entitatem præciſè ſpectatus naturæ facultatem non traneeendat, modus tamen, quo producitur, facultatem naturæ prorſue excedit, ſic viſus cœco nato reſtitutus, aut revocatio defuncti ad vitam, dicuntur effectus ſupernaturales, licèt enim viſus cœco reſtitutue ſecundùm ſuam entitatem ſit naturalis, cùm ſolie naturæ viribue à potentia viſiva eliciatur, & vita ſit homini connaturalie, quatenus tamen dantur poſt privationem, à qua naturaliter non datur regreſſus ad formam, dicuntur ſupernaturales ſecundùm modum, qui eſt ſupra & præter exigentiam naturæ, quæ in his circumſtantiis & diſpoſitionibue viſûs aut vitæ productionem non poſtulat. His ergo notatia:

Propoſitio 1. *Scotus non expreſsè ſtatuit actus fidei infuſa, ſpei &c. eſſe ſupernaturales ſolùm quoad modum.* Ratio eſt, quia hoc Scotua potiſſimùm doceret quodl. 17. §. *de tertio* & §. *contra concluſionem*, nam Scotue cit. ab adverſariis in 1. D. 17. q. 2. §. *ad ſolutionem*, & in 3. D. 23. q. un. §. *aliter poteſt poni.* Potiùs ſtat in contrarium, ut videbimue propoſitione ſequenti, ſed nec in illa quodl. id expreſsè docet: ergo. Min. prob. quia ideò Scotus id doceret, quia ibi tenet actum dilectionis naturalia, & actum dilectionie ſupernaturalis, ſeu meritoriæ, eſſe ejuadem ſpeciei, & per conſequens eandem dilectionem numero,

ro, ut naturalem conſideratam præſupponi rationi meritorii, ita, ut ratio meritorii ſit tantùm ratio completiva bonitatia præcedentis, non verò ratio ſpecifica diſparata, cùm juxta Scotum proprium potentiale ad formam ſpecificam non diſtinguatur ſpecie ab illa, ſicut animal non diſtinguitur ſpecie à rationalitate, nam quod ſpecie ab alio diſtinguitur, eſt per ſe completè in aliquo genere, ergo cùm actus naturalis per Scotum ſit proprium potentiale reſpectu illius, quod dicit ſupernaturalis vel meritorius, eadem erit ſubſtantia actûs naturalis & ſupernaturalia, ſed ex hoc diſcurſu Scotus nil aliud concludit, quàm quòd actus dilectionis naturalis, & ſupernaturalis ſint ſolùm ejusdem ſpeciei phyſicæ, & in eſſe naturæ, non verò ejusdem ſpeciei moralis, ſeu in genere moris & meritorii, nam hoc ipſo, quòd in dilectione ſupernaturali adſit habitus charitatis ſecundùm ſuam inclinationem tangena objectum quoad motiva ſupernaturalia, & tendena in actum ſummum & perfactiſſimum, dat aliam ſpecificam bonitatem ad meritum requiſitam & non præciſè ſupponit bonitatem illam actûs moralem, quòd ipſemet Scotus cit. q. 17. quodl. §. *de tertio*. Dicit eſſe probabile, quia aliàa poſſet actus eſſe meritoriua, qui tamen nullam haberet bonitatem ultra moralem, per conſequens ſolam acceptationem DEI, quod defactò falſum eſt. Hinc non idem actus dilectionia numero naturalia præſupponitur rationi meritorii, ſed ſunt duo actus ſpecie morali diſparatâ diſtincti, & ideò Scotus quodl. 14. §. *de primo*. Videtur duos actus fidei admittere, unum fidei acquiſitæ, & alterum fidei infuſæ, nam dicit: *Eſt tamen differentia una quantùm ad hoc, quod eſt actum elicere, iſta ſcilicet, quod ex fide acquiſita, etiamſi ſola inſit, poteſt elici actus credendi, ſicut ſit in hæretico credente aliquot articulos, ad quem tamen non inclinat fides infuſa, ſed ex fide infuſa ſolùm non poteſt quis elicere actum credendi, & hoc de lege communi, ut patet de puero baptiſato in ſylvis ſine prædicatore nutrito;* ſed actus, qui exigit neceſſariò elici à fide infuſa, & actus, qui non exigit ſic elici, debent eſſe duo numero & ſpecie diſtincti actus: ergo. Quòd autem Scotus in 17. quodl. dicat: eandem dilectionem numero præſupponi rationi meritorii, intelligit ſolùm in ſententiâ probabili, & explicari poteſt de individuo generico dilectionis, ſeu quod hoc eſſe, quod eſt diligere DEUM, etiam naturaliter elici poſſibile præſupponatur, & ingrediatur actum ſupernaturalem charitatia; hinc actua naturalia eſt etiam ſpeciea completa in ordine naturæ, & non incompletum potentiale proprium reſpectu ſupernaturalis, aliàs nunquam actus dilectionia vel fidei naturalis eſſet quid completum; vult ergo ſolùm Scotus actum naturalem eſſe potentiale reſpectu ſupernaturalis, quantùm ad id, quod ſupernaturalis inadæquatè importat in eſſe naturæ & phyſico, quamvis ob ſimilitudinem, quam habent actus naturalis & ſupernaturalia, dici poſſet ſpecies ſubordinata & potentiale pro ordine altiori ſcilicet meritorii, ſicut etiam eſſe cognitionis naturalis potentiæ intellectivæ eſt potentiale tale ad actum viſionis beatæ, quem tamen Scotus admittit ſpecie diſtinctum & ſupernaturalem quoad ſubſtantiam; unde Scotus in 3. D. 23. q. 1. §. *ſecundo*. conſultò dicit: *Poteſt dici, quod fides infuſa ſimilis eſt in aliquo fidei acquiſitæ*, & non dicit, quòd ſit ſpecificè complena fidem acquiſitam, per conſequens eorum actus procedentes tantùm erunt ſimiles, non verò perfectè ejusdem ſpeciei moralis.

Propoſitio 2. *Scotus valde probabiliter ſentit actus fidei, ſpei, &c. eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam.* Ratio eſt, quia Scotua in 1. D. 17. q. 2. §. *ad ſolutionem*. Et præſertim in 3. D. 23. q. un. §. *ad quæſtionem*. docet: *Habitum infuſum fidei non ſolùm eſſe ponendum propter gradum in actu, ſed etiam* proter determinatos actus, ſeu *propter ipſum aſſenſum infallibilem* in ſubſtantia, quia hic non eſt totaliter ab intellectu ſolo, ſed ab intellectu fide infuſa habituato & elevato, nam dicit: *Non poteſt eſſe à fide acquiſita talis infallibilis aſſenſus, quia fide acquiſitâ nullus credit alicui, niſi quem ſcit poſſe falli & fallere, licèt credat ipſum non velle fallere; ſed nemo poteſt perfectè aſſentire dictis ejus, quem novit poſſe falli & fallere, ut eſt homo, cui aſſentitur per fidem acquiſitam, ex quo igitur oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, ut reſpiciat DEUM pro objecto primo.* Seu quod idem eſt, nequit intellectus ex natura ſua aſſenſum naturaliter præſtare propter ea, quæ ſibi ſunt obſcurè applicata, ſed potiùs propter ea, quæ ſunt manifeſta, igitur nequit myſteriia fidei naturaliter præbere aſſenſum propter authoritatem DEI ut obſcurè ſibi applicatam, ſed potiùa propter teſtimonia, & rationes humanas eandem authoritatem manifeſtè applicantes, cùm intellectûa connaturalia modus cognoſcendi ſit èx notis præbere aſſenſum ignotis & obſcuris, adeóque ut intellectus contra ſuum naturalem modum operandi myſteriis fidei aſſentiri poſſit propter ſolam DEI authoritatem obſcuram, eget ſpeciali DEI auxilio ipſum elevante ad aſſentiendum ſuprà naturalem ejus operandi modum, & quidem ita infallibiliter, ut nequeat ſubeſſe falſum propter immediatum DEI teſtimonium, qui modus infallibilitatis & certitudinis eſt perfectio ſupernaturalis actui eſſentialis & ſubſtantialis, ex quibus ſic argui poteſt: ille actus eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, cujus entitatis productio exigit principium ſupernaturale habitûa directè ad eam infuſi, excedentis vires totius naturæ; ſed actus fidei, ſpei, & charitatis hoc exigunt: ergo, 4

ergo. Maj. patet, quia aliàs nulla daretur formalitas correſpondens in effectu virtuti Theologicæ & infuſæ, imò per hoc diſtinguitur ſupernaturale quoad ſubſtantiam à ſupernaturali quoad modum. Hoc argumentum quidem etiam urgeret de omnibus actibus virtutum moralium ſupernaturalibus propter principium ſupernaturalis auxilii gratiæ effectivè concurrens ad talem actum, & ideò in hoc caſu vix dari poterit diſparitas, ſed ſequitur vel omnes actus virtutum, ſi ſunt, ut oportet, debere admitti ſupernaturales quoad ſubſtantiam, aut nullos actus viæ ſupernaturales debere eſſe tales quoad ſubſtantiam, aſt nihilominus tentabimus dare diſparitatem. Hinc ſit

5 Propoſitio 3. *Ex eo, quòd actus fidei, ſpei, & charitatis ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam, non ſequitur omnes alios actus virtutum elicitos, ut oportet, eſſe ſupernaturales quoad ſubſtantiam.* Ratio eſt, quia ex eo quod ſoli actus virtutum Theologicarum attingunt per ſe, ab intrinſeco, & directè aliquod objectum, tanquam objectum & finem *qui* aliquod ſupernaturale & divinum, ideò directè ad ſuam ſubſtantialem & intrinſecam entitatem requirunt habitum infuſum tanquam principium ſupernaturale phyſicè comproducens actum hoc ex intrinſeca ratione ſcilicet objecti exigentem, aſt actus aliarum virtutum moralium non attingunt per ſe ab intrinſeco & directè aliquod objectum & finem *qui* ſupernaturalem & divinum, ſed ſemper aliquod objectum creatum, ideò ad horum ſubſtantialem & intrinſecam entitatem non requirunt principium ſupernaturale ex naturâ actûs ratione objecti id exigentis, ſed tantùm ob extrinſecum aliquem modum etiam phyſicè producendum ratione extrinſeci finis *cui*, in quem etiam omnes actus virtutum moralium, ſi ſunt, ut oportet, debent dirigi; quod ergo pro ſupernaturalitate ſubſtantiali actuum fidei etiam hic recurramus ad objectum; ratio eſt, quia ſupernaturalitas actûs ſubſtantialis non eſt petenda ſolùm à principiis productivis, ſi priùs ſit actum eſſe ſupernaturalem, quàm neceſſariò produci à principio ſupernaturali, ſed priùs eſt actum fidei &c. eſſe ſupernaturalem, quàm exigit produci à principio ſupernaturali; ſicut priùs eſt actum eſſe ſpiritualem, quàm non poſſe produci, niſi à principio ſpirituali, quia nullus dicit intellectionem eſſe ſpiritualem, quia intellectus eſt ſpiritualis, ſed ideò intellectum eſſe ſpiritualem, quia intellectio circà objectum ſpiritualiter cognoſcibile eſt ſpiritualis: ergo. Nec per hoc ſequitur, nos docere aliquid contra Scotum, ſcilicet virtutes infuſas & morales v. g. fidem infuſam & fidem moralem diſtingui per objecta, ubi tamen Scotus admittit actum fidei naturalis poſſe habere idem objectum formale, quod attingitur etiam ab actibus ſupernaturalibus, ut patet in hæretico attingente aliquos articulos fidei fide naturali & acquiſitâ, cui ex parte ſubjecti ſaltem, in quantùm eſt habitus naturalis, poſſet ſubeſſe falſum, licèt non ex parte objecti; nam etiam nos admittimus hos actus poſſe habere idem objectum formale in ratione rei materialiter, quæ attingitur cognoſcendo, ſed non idem in ratione, ſub qua res formaliter attingitur, nam admittimus, quòd ambo actus attingant eaſdem formalitates materialiter & entitativè, ſed non ſub eadem formalitate, quia revelatio entitativè ſumpta eſt indifferens, ut ſit objectum fidei naturalis vel ſupernaturalis, ſed revelatio, prout habet virtutem movendi potentiam modo naturæ indebito, eſt objectum formale fidei infuſæ, prout autem habet proportionem & vim movendi potentiam modo naturæ debito, eſt objectum formale fidei acquiſitæ. Pro videndis his accuratè diſcuſſis lectorem remitto ad noſtrum Tom. II. Tract. de fide, ſpe, & charitate.

Aſſero ad quæſtionem. *Actus pœnitentiæ* 6
fructuoſi ſunt ſolùm ſupernaturales quoad modum. Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 3. §. *hic dicitur.* contra Thomiſtas & Recentiores.

Probatur 1. Ex Scoto cit. pœnitentia eſt virtus moralis & acquiſita, ex qua poſſunt dari actus pœnitentiæ naturales, ut diximus quæſt. priori propoſit. 1. & 2. ergo ſi eliciuntur actus pœnitentiæ, ut oportet, ſunt ſolùm ſupernaturales quoad modum. Conſeq. prob. illi actus ſunt ſolùm ſupernaturales quoad modum, qui ſecundùm ſuam entitatem præciſè ſpectati naturæ facultatem non tranſcendunt, ſed ſolùm modus, quô producuntur, eſt indebitus & excedens naturam; ſed actus pœnitentiæ ſunt tales: ergo. Maj. per ſe patet ex explicatione ſupernaturalitatis quoad modum, & quoad ſubſtantiam min. etiam patet ex eo, quòd circà objectum creatum pœnitentiæ poſſint dari actus pœnitentiæ naturales quoad entitatem, ſic tales actus quoad ſuam entitatem & ſubſtantiam naturæ facultatem non excedunt.

Probatur 2. Actus virtutis pœnitentiæ eſt proprium potentiale reſpectu illius, quod dicit actus ſupernaturalis & meritorius pœnitentiæ. ergo actus pœnitentiæ quoad ſubſtantiam & entitatem ac ſpeciem intrinſecam non diſtinguitur ab actu naturali, ſed hoc ipſo eſt ſolùm ſupernaturalis quoad modum: ergo. Conſeq. prima patet, quia potentiale ad formam non diſtinguitur ſpecie ab illa, ut animal non diſtinguitur ſpecie à rationali. Antec. verò primum prob. actus pœnitentiæ ſub illa ratione conſideratus, ſub qua eſt in voluntatis noſtræ poteſtate, eſt capax ordinis illius, quem importat ſupernaturale, bonitas enim ſupernaturalis fundatur, & neceſſariò præſupponit in actu bonitatem moralem naturalem, rationabile enim eſt, inquit Scotus quodl. 17. ut actus merè naturalis per priùs reſpiciat perfectionem illam, quæ non tranſcendit totam

naturæ facultatem, & ulteriùs illâ habitâ perfectione naturali reſpiciat perfectionem ſupernaturalem, ex quo ergo congruit, ut eadem ſit ſubſtantia actûs naturalis & ſupernaturalis, & ſic non differunt ſpecie disparatâ, ſed potiùs ſubalternâ & ſubordinatâ, quatenus actus ſecundùm bonitatem naturalem & moralem, ut proprium potentiale, ſubordinatur ad recipiendam ulteriorem perfectionem ordinis Superioris, qualis eſt perfectio ſupernaturalis & meritoria. Cæterùm quod talis diſcurſus Scoticus meliùs urgeat de pœnitentia ut virtute morali, quàm de fide, ſpe, & charitate ut virtutibus Theologicis, patet ex propoſit. 3.

7 Objicies 1. cum Thomiſtis: PP. & Concilia exigunt ad actus pœnitentiæ, ut oportet, Spiritûs S. adjutorium, & gratiæ auxilium, quod ſe tenet ex parte principii phyſicè concurrentis ſcilicet voluntatis, ut clarè loquitur Concilium Millevitanum, ſed implicat actum phyſicum fieri concurſu phyſico gratiæ, & non eſſe in entitate & ſubſtantia ſupernaturalem, cùm phyſicus concurſus tendat in entitatem actûs utpote eſſentialis via & tendentia ad illum.

Reſpondeo neg. min. Nam phyſicus concurſus gratiæ non ſemper efficit, quod actus ab ipſo procedens ſit in entitate & ſubſtantia ſupernaturalis, ſed fieri poteſt, quod ſit talis ſolùm quoad modum; qui vires naturales ſuperat, non verò quoad ſubſtantiam, quatenus ſcilicet talis actus ratione ſui objecti ſummè excellentis intrinſecè exigeret ex naturâ ſuâ neceſſariò produci à principio ſupernaturali ad hoc directè infuſo. Adeóque requirunt quidem PP. & Concilia auxilium DEI ad actum pœnitentiæ fructuoſæ, ſed non propter ſupernaturalitatem ſubſtantialem actûs, ſed propter accidentalem ſeu quoad modum. Ad rationem ergo min. dico cum diſtinctione: concurſus phyſicus gratiæ tendit in entitatem actûs pœnitentiæ materialiter & ſpecificativè ſumpti, neg. in entitatem actûs formaliter & reduplicativè ſumpti, conc. nam concurſus gratiæ ſolùm tendit in entitatem actûs formaliter quà ſic modificati, ſeu ut oportet, & ſic ſolùm arguit ſupernaturalitatem quoad modum; nam ſatis eſt ad influxum cauſæ ſupernaturalis ſequi effectum ſecundùm modum ſupernaturalem, ut patet hâc bonâ inſtantiâ: tota Sanctiſſima Trinitas concurrebat influxu ſupernaturali ad organiſationem & humanitatem Chriſti, & tamen corpus organiſatum non erat ſupernaturale quoad ſubſtantiam, aut ſpecie diſtinctum ab alia humanitate, ſed ſolùm quoad modum, eò quod ſimile quoad ſubſtantiam ab aliis cauſis naturalibus potuiſſet produci; hinc licèt juxta me habitus ſupernaturales infuſi dentur propter actus ſupernaturales quoad ſubſtantiam, nam habitus ſupernaturales dantur ad operari ſimpliciter entitatem actûs, auxilium tamen gratiæ ad actus virtutum moralium non datur ad entitatem actûs ſimpliciter, ſed ſolùm ad operandum ſimpliciter ſupernaturaliter quia ad productionem talium actuum ſupernaturalium quoad modum ſufficiunt habitus acquiſiti morales cum potentiâ naturali adjutâ aliquo concurſu indebito ordini naturæ.

Dices: Illud auxilium gratiæ ad actum ſupernaturalem requiſitum eſt aliquid in ſubſtantia ſupernaturale: ergo etiam illius actus erit talis. Conſeq. prob. tale principium non datur, ut poſſimus certo modo operari, ſed ut ſimpliciter & quoad ſubſtantiam operemur: ergo.

Contra neg. conſeq. Ad ejus probam etiam neg. conſeq. nam datur quidem ad ſimpliciter, hoc eſt, ad ſupernaturaliter operari, cùm potentias noſtras conſtituat in actu primo ſupernaturali ad actiones ſupernaturales exercendas ex quo tamen non ſequitur, quòd actus ab ipſo procedentes ſecundùm ſubſtantiam & entitatem ſemper ſuperent vires naturæ, ſed ſufficit, quòd eas ſuperent ſecundùm modum, qui modus eos actus in ſuperiori ordine conſtituit, quod non facit modus agendi faciliùs aut intenſiùs, ideò tale principium adhuc dicitur dari ad ſimpliciter operandum, quatenus ſcilicet eô non datô non poſſet operari ſupernaturaliter. Tum quia, diſparitas eſt, quia virtutes & principia infuſa quoad ſubſtantiam ſupernaturales ſunt illæ, quæ à ſolo DEO poſſunt & patunt produci ſine ulla diſpoſitione phyſicâ ex parte creaturæ, quæ naturaliter exigeret, ut producatur à DEO, non verò id dici poteſt de actibus virtutis moralis pœnitentiæ, quia poteſt à potentiâ noſtrâ elici circa ſuum objectum, qui ſit ordinis naturalis cum ſolo concurſu DEI generali, ideò eſt notiùs dari habitus & principia in ſubſtantia ſupernaturales, quàm actus ſupernaturales tales.

Dices: Si principia ſunt ſpecie diſtincta, etiam producunt ſpecie diſtinctos actus; ſed illud principium in ſubſtantia ſupernaturale & virtus moralis ſolius pœnitentiæ ſunt principia ſpecie diſtincta: ergo effectus ab illo principio ſupernaturali erit in ſpecie & ſubſtantia diſtinctus ab effectu, qui à ſola pœnitentia morali produceretur.

Contra diſting. maj. Si ſunt principia diſparata & ab intrinſeco ad naturam actûs exigita, ut eſt in habitibus fidei, ſpei, &c. conc. ſi ſunt ſubordinata & tantùm ab extrinſeco ad actus ordinata, ut eſt gratia & auxilia ſupernaturalia ad omnes virtutum actus meritorios, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. licèt ergo auxilium ſupernaturale & virtus pœnitentiæ ſpecie differant, inclinant tamen ad actus ejusdem ſpeciei, nam eſt idem actus in re & ſubſtantiâ circa idem objectum, in quem inclinat illud auxilium ſupernaturale, & ipſa virtus pœnitentiæ, cujus actus, ut eſt naturalis,

eſt

eſt proprium potentiale ad perfectionem ſupernaturalem, quam recipit à principio ſupernaturali; hinc non eſt mirum, quòd ſecundùm ſuam ſubſtantiam & entitatem non diſtinguatur actus illius principii ſupernaturalis ab actibus virtutis moralis pœnitentiæ.

Dices: In viâ Scoti ſpecificatio actuum magis eſt deſumends à principiis quàm objectis: ergo ſi actus naturalis pœnitentiæ elicitur à virtute morali, & ſupernaturalis à principio ſupernaturali, adhuc erunt ſpecie diſtincti.

Contra diſting. antec. ſi principia ſunt totalia vel ſaltem partialia diſparata per ſe requiſita in quantùm diſparata, conc. ſi ſunt partialia ſubordinata, neg. antec. & conſeq. nam ſi ſunt principia totalia vel diſparata, tunc actus ab illis habet totaliter ſuam entitatem, per conſequens & unitatem & diſtinctionem, ſi verò ſunt ſubordinata & partialia, poteſt actus deſumera ſpecificationem ab illo, ad quod eſt ſubordinatio, nempe ab objecto taliter modificato.

8 Objicies 2. cum Recentioribus: non implicat actus pœnitentiæ ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo defacto eſt talis. Antec. patet de actibus fidei, ſpei & charitatis ac viſionis & fruitionis beatæ, conſeq. verò prob. connaturaliùs homo diſponitur ad gratiam per actum pœnitentiæ ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum.

, Reſpondeo conc. antec. neg. conſeq. & ejus probam, nam ſufficienter connaturaliter, & proportionaliter diſponitur homo ad gratiam per actus ſupernaturales quoad modum tales.

Dices: omnis connaturalis diſpoſitio debet eſſa ejusdem ordinis cum forma, ad quam diſponit: ergo etiam actus pœnitentiæ tanquam diſpoſitiones ad gratiam & juſtificationem; ſed gratia & juſtificatio eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo.

Contrà neg. antec. nam videmus claré oppoſitum in omnibus diſpoſitionibus naturalibus; hæ enim communiter ſunt accidentalea ad formas ſubſtantiales, & ſunt inferioris ordinis, ac imperfectiores formis ſubſtantialibus, & ſic nec eſt opus, ut diſpoſitiones ſint ejusdem ordinis cum forma ad quam diſponunt, imò actus pœnitentiæ tanquam diſpoſitio ad gratiam ſufficienter eſt ejusdem ordinis cum forma, quia ſaltem eſt ſupernaturalis quoad modum.

Dices: media debent eſſe proportionata ſuo fini; ſed finis noſter eſt viſio beata ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo & actus pœnitentiæ & alia noſtra opera, quibus mediantibus illam acquirimus, ſunt etiam in ſubſtantia ſupernaturales.

Contra neg. conſeq. quia proportio non dicit tantam ſimilitudinem inter proportionata, quin etiam aliquam involvat diſſimilitudinem & ideò opus non eſt, quòd ſi viſio beata eſt forma ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ut etiam ſit talis omnis noſtra diſpoſitio ad illam, ſed ad proportionem ſufficit, quod ſaltem ſit ejusdem ordinis cum illa quoad modum.

DISTINCTIO III.

De actibus pœnitentiæ in particulari, præſertim de actu attritionis, contritionis, & propoſiti.

QUÆSTIO I.

Quid ſit attritio ſeu pœnitentia imperfecta, & quæ ejus motiva?

ADvertendum eſt 1. Ut exactè attritionem intelligere valeamus, etiam contritionis rationem declarare oportet; eſt ergo etymologia contritionis verbum *contero*, quod triturare, ſcindere, & comminuere rem aliquam duram in minutiſſimas partes ſignificat, & ideò metaphorica translatione hæc vox *contritio* eſt translata ad aliquem actum pœnitentiæ ſignificandum, quo peccator dolens & deteſtans peccatum frangit duritiem cordis; contritio autem quoad quid rei ſignificat perfectam averſionem peccati commiſſi & converſionem ſive formalem ſive virtualem ad DEUM, & definitur: quòd ſit deteſtatio de peccato commiſſo ex motivo charitatis non peccandi de cætero, vel ut communiter docetur ex Catechiſmo: eſt deteſtatio peccati propter DEUM ſummè dilectum; contritio autem generatim ſumpta etiam comprehendit attritionem, ideò pœnitentia dividitur in imperfectam & perfectam, perfecta dicitur contritio ſtrictè ſumpta, prout eſt quidam actus habens vim juſtificandi, per ſe ſufficiens ad remiſſionem culpæ absque reali ſuſceptione Sacramenti; imperfecta verò dicitur attritio, quæ etſi non ſit tam perfectus actus pœnitentiæ, & per ſe proxima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, ſed fiat proxima diſpoſitio ex virtute Sacramenti in re ſuſcepti, eſt tamen deteſtatio, & dolor de peccatis conducens ad delendum peccatum, & definitur: quod ſit dolor, odium aut deteſtatio peccati ob turpitudinem ejus, vel ob timorem gehennæ aut pœnarum, adeóque quamvis uterque actus debeat eſſe ſupernaturalis & efficax, ut formaliter vel virtualiter includat propoſitum de cætero non peccandi, & ſimpliciter avertat voluntatem à peccato, attamen attritio, cùm deteſtetur peccatum ex motivo aliquo infra DEUM, & remotè tantùm diſponat ad juſtificationem, nec de ſe ad juſtificandum ſufficiat, non immeritò pœnitentia ſolùm imperfecta nuncupatur. 1

2 Advertendum eſt 2. ex mox dictis colligendum eſſe motivum attritionis eſſe duplex, ſcilicet turpitudinem ſeu fœditatem peccati, & timorem pœnarum, nam præter & infra dolorem peccati propter DEUM, vel dolet quis, quia peccatum in ſe malum aſt & difforme, vel quia eſt ſibi cauſa mali ſeu pœnæ, nam aliud motivum diſtinctum, & ad hæc duo, nempe ad malum culpæ & malum pœnæ non reducibila non eſt aſſignabile, nam peccatum maculare animam, eam difformare, reddere inhabilem ad opera vitæ, pœnas inferre, hæreditate æterna privara, meritis deſtituera &c. Hæc omnia ad præfata duo motiva reducuntur, nomine autem pœnarum non ſolùm intelligi debet pœna inferni ſive damni, ſive ſenaûs, ſed etiam pœnæ temporalea purgatorii vel etjam hujus vitæ, ut peſtis, fames, bellum, & graves infirmitates, quatenus à DEO infliguntur, cùm ipſemet DEUS ſæpè minitetur non tam per pœnas æternas quàm temporales ad deterrendoa homines, ut fugiant culpaa, nam per talium pœnarum timorem ad juſtificationem præparamur, dum per patientem tolerantiam DEO ſatisfacimua. Dixi tamen, quatenus à DEO infliguntur, nam metua pœnarum absque ulla relatione ad DEUM, aut quatenus ſolùm ab homine inferuntur ſive per vindictam ſive per judicialem ſententiam, non ſufficit ad attritionem Chriſtianam, utpotè quæ debet eſſe aliqualis converſio ad DEUM, ſed qui præcisè atteritur ob motivum humanum, non convertitur ad DEUM, ideò non poteſt eſſe motivum attritionia ſufficientia ad juſtificationem, eſt ergo difficultaa, an dolor ex turpitudine peccati, vel præſertim ex timore pœnæ conceptua de peccatia ſit honeſtus, & laudabilia, cùm Lutherani damnent talem dolorem ex metu pœnarum, dicántque: noa facere homines hypocritaa & magia peccatores per talem actum: hia ergo notatis:

3 Propoſitio 1. *Non quacunque attritio, ſeu deteſtatio ex quovis motivo infra motivum charitatis concepta eſt ſufficiens cum Sacramento pœnitentia ad juſtificationem.* Ratio eſt, quia quilibet dolor diſponens ad juſtificationem etiam cum Sacramento debet animum peccatoris aliquomodo convertere ad DEUM; ſed non omnia deteſtatio animum convertit ad DEUM v. g. dolor ob infamiam apud homines contractam, vel propter pœnas ab humano judice impoſitas, non convertit ad DEUM eò, quòd cum tali dolore poſſit ſtare internua affectua peccari, & ipſum odium DEI, ut conſideranti patere poteſt: ergo.

4 Propoſitio 2. *Non ſolùm timor filialis & reverentialis, ſed etiam ſervilis, ſi eſt ſine ſervilitate, quo timetur pœna à DEO infligenda pro peccato, eſt honeſtus.* Ratio eſt, quia timor filialia eſt, quo abominamur pœnam pro peccato ut malo DEI ſummè boni & amabilis correſpondentam, & timor reverentialia, quo timemus ex Divinæ Majeſtatis & noſtræ vilitatis reputatione nimia liberè & familiariter agere cum DEO, & pœnam pro hia peccatis correſpondantem, ac tandem timor ſervilis ſine ſervilitate eſt, quo abominamur peccatum, quia per illud redditur homo juſtè dignus pœnâ æternâ, & privatur jure ad æternam beatitudinem, ita tamen, ut nullo modo dicat neque expreſsè, neque implicitè: peccarem, ſi pœna poſita non eſſet; adeóque timor ſervilis cum ſervilitate eſt, quo quis abominatur peccatum, quia reddit homines dignos pœnâ æternâ ita ut internè dicat, vel ſaltem ita ſit diſpoſitus dicere: quòd ſi pœna non eſſet, omninò peccaret, qui timor omninò eſt inhoneſtus & peccaminoſus; ſed triplex ille alius timor, ſeu potiùs actus deteſtationis peccati ex illo triplici timore procedens eſt laudabilia & præmiabilis: ergo. quare meritò à Clemente XI. damnata eſt in Queſnello prop. 60. ita univerſaliter prolata: *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hac eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.* Cujus perverſi ſenſus adhuc plures ſubmiſit Queſnellus propoſitiones, quas in noſtria Nubilis Janſeniſmi refutavimus.

Propoſitio 3. *Attritio non poteſt ex motivo charitatis erga DEUM proximè & immediatè ac formaliter elici.* Ratio eſt, quia ſi ſic elici poſſet, & deberet, eſſet potiùs contritio, nam Trid. inter attritionem & contritionem hanc aſſignat differentiam, quòd attritio ſit ex motivo turpitudinis peccati, vel ex timore pœnarum, contritio verò ex nobiliori motivo ſcilicet charitatia & dilectionis DEI: ergo. Hinc licèt attritio ex motivo turpitudinis vel pœnarum poſſit imperativè aliquando eſſe ex charitatis motivo, quatenua ipſe actus attritionis poſſit referri ad finem contritionis, non tamen propterea eſſet ex motivo charitatis proximè & elicitivè, ſed tantùm extrinſecè & remotè; ſimiliter licèt aliquis poſſit diſplicentiam & dolorem inefficacem de peccato elicere, quatenua eſt contra divinam bonitatem, adhuc tamen talia actus non eſt attritio, quia non eſſet diſpoſitio ſufficiens cum Sacramento ad juſtificationem, nam cùm non ſit actua efficax, nec formaliter nec virtualiter includit propoſitum de cætero non peccandi, per conſequens malè diſcernit Pontius, & Hiquæus attritionem ex motivo charitatis ergà DEUM proximè & immediatè poſſe, & debere elici, vel imperari. Cæterum motivum formale diſtinctivum contritionis eſt peccatum deteſtabile ut offenſivum DEI ſuper omnia diligibilia, formale verò attritionis eſt peccatum deteſtabile propter aliquod motivum infra DEUM ſuper omnia diligibilem, ita tamen ut finis *cui* ſit etiam DEUS, quia ſi quis peccatum deteſtaretur præcisè propter timorem gehennæ ita, ut in illo timore ultimo ſiſteret, & non ordinaret actum illum 5

ad

ad timorem filialem, licèt actus non eſſet de ſe malus, non tamen eſſet attritio & diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem, quia excluderet debitum ultimum finem.

Nec dicas: peccatum eſt averſio à DEO & offenſa ejus: ergo ut verè retractetur, debet eſſe retractatio ex charitate. Conſeq. prob. quia ſola charitas eſt, quæ refert ad finem ultimum affectu juſtitiæ, imò aliàs attritio non eſſet dolor de peccato ſub ratione offenſæ, & tandem ſic poſſet pœnitentiæ virtus operari ad ſalutem independenter à charitate, quod eſt contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 13. *ſi charitatem non habeam, nihil mihi prodeſt.*

Reſpondeo neg. conſeq. cum ejus probationibus, quia omnis attritio concepta ex aliquo motivo ſupernaturali cum ordine ad DEUM *cui*, ſi animum peccandi excludit, efficaciter convertit hominem ad DEUM, & removet offenſam ſaltem indirectè; & præterea licèt in tali caſu independenter à charitate operetur, non tamen independenter à Sacramento, quod in his actibus æquivalet charitati, & ejus defectum ſupplet, cùm DEUS Sacramenta tanquam media ad noſtram ſalutem contulerit, & ſic adhuc dependenter operaretur à charitate ſaltem æquivalenter licèt non formaliter; adeóque ſolùm omnis actus debet eſſe ex charitate, qui ſe ſolo eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, non autem omnis, qui eſt diſpoſitio virtute Sacramenti in re ſuſcepti, quia in his actibus Sacramentum æquivalet charitati; locus ergo Scripturæ ſolùm loquitur charitatem eſſe neceſſariam ad opera meritoria de condigno, & alibi explicatur.

6 Propoſitio 4. *Attritio propriè ſumpta non poteſt ſecundùm rem, & eſſentiam ſuam fieri contritio, benè vero ſecundùm modum loquendi antiquorum Scholaſticorum.* Ratio primi eſt, quia nullus actus indiviſibilis, qui ex prima ſui origine eſt unius ſpeciei, poteſt fieri alterius ſpeciei maximè ſecundùm eſſe phyſicum, ſed attritio primâ ſui origine eſt unius determinatæ ſpeciei: ergo non poteſt fieri alterius ſpeciei ſcilicet contritio. Maj. patet, quia actus, qui eſt ex origine unius ſpeciei, ideò e ſt talis, quia habet principia conſtitutiva ſui in tali ſpecie, ſed non poteſt perdere talia principia conſtitutiva, niſi ipſemet actus deſtruatur, nam implicat, ut idem actus entitativè manens idem incipiat verſari circa motivum novum, & deſinat verſari circa motivum præcedens, cùm actus habeat ſuum eſſe ab objecto formali: ergo. Min. prima etiam patet, quia attritio & contritio ſunt actus eſſentialiter diverſi juxta diverſitatem objectorum formalium, à quibus primò ſpecificantur actus. Ratio ſecundi eſt, quia ſecundum antiquos attritio ideò dicebatur talis, quia non erat actus cum gratia conjunctus vel informatus, ſed in eodem inſtanti informatur gratia ita, ut pro aliquo inſtanti priori ſaltem naturæ non intelligebatur informata gratia, licèt benè in ſequenti, & dicatur contritio: ergo hoc modo attritio poteſt fieri contritio, uti etiam diſcurrit Scotus in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali.* & ſecundùm hoc verificatur illud commune Theologorum, quod peccator ex virtute Sacramenti fiat ex attrito contritus, ſcilicet per denominationem ab effectu, & per quandam æquivalentiam, in quantùm ſcilicet recipit effectum virtute Sacramenti, quem alioquin habuiſſet ex virtute contritionis, cujus defectum ſupplet Sacramentum; nihilominùs tamen etiam primo modo & propriè ſumit attritionem & contritionem, ſcilicet ex motivis diſtinctam, & antè informationem à gratia Scotus in 4. D. 17. q. 1. & D. 20. q. 1. §. *in iſta quæſtione.*

Nec dicas: poteſt idem actus de bono vel ſaltem indifferenti fieri malus: ergo etiam attritio poteſt intrinſecè fieri contritio. Conſeq. patet, quia magis ſunt oppoſita, bonum & malum, quàm attritio & contritio. Antec. verò prob. ſi quis ex inadvertentia legis tranſgreditur præceptum: ut ſi comedat carnes, ubi lex prohibet, & durante tranſgreſſione accedat advertentia legis, comeſtio talis in finem bonum facta tranſit in malum: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia bonitas & malitia ſunt accidentia actuum & relationes ad conformitatem vel difformitatem legis, aſt ordo actuum attritionis & contritionis ad objectum, à quo primò ſpecificantur & producuntur, eſt eſſentialis & inſeparabilis; præterea etiam veritas & falſitas propoſitionis eſt accidentalis, ut docetur in Philoſophicis, & ideò eadem propoſitio videtur poſſe tranſire de vera in falſam. Cæterùm de bonitate & malitia plura vide ex Tract. de actibus humanis Diſt. 1. & 2. &c. his autem propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Quæcunque turpitudo moralis peccatorum contra virtutem & honeſtatem naturalem, ſive oppoſitionem dicat alicui perfectioni divinæ, ſive non, dummodo ſit ſupernaturaliter, ſeu per fidem nota, ſufficit, ut ſit motivum attritionis Chriſtianæ.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali.* eſtque communior cum Suarez, & Maſtrio contra Amicum & Caſpenſem. 7

Probatur 1. Trid. univerſaliter ſinè limitatione loquitur de turpitudine peccati, nec reſtringit ad turpitudines ſolùm, quæ alicui divinæ perfectioni ſupernaturaliter notæ opponuntur: ergo nec nos illas coarctare debemus, cùm, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ſed ſic non tantùm turpitudo peccati, quatenus eſt contra DEI cultum, obedientiam & gratitudinem deteſtanda, eſt honeſta, ſed etiam turpitudo peccati v. g. furti, quatenùs eſt contra juſtitiam, turpitudo fornicationis, quatenus eſt contra caſtita-

ſtitatem deteſtanda, eſt motivum honeſtum: ergo quævis turpitudo, quatenus eſt contra hanc vel illam virtutem ſupernaturaliter per fidem revelatam & cognitam, & ſufficiens motivum bonum honeſtum & ſupernaturale ſpecificans actum attritionis Chriſtianæ.

Probatur 2. Tum quia ideò non omnis turpitudo eſſet ſufficiens motivum attritionis, quia non omnis dicit oppoſitionem cum DEO, vel ejus perfectione, ſeu quia non omnis turpitudo habet rationem injuriæ, irreverentiæ, vel ingratitudinis erga DEUM, ſed etiam aliæ turpitudines, quatenus ſunt contra virtutes in particulari, dicunt oppoſitionem contra DEUM ſupremum Legislatorem: ergo. Min. prob. rectitudines oppoſitæ ſunt à DEO præceptæ, & per fidem revelatæ tanquàm media idonea ad ſalutem: ergo actus earum oppoſiti hoc ipſo important turpitudines contra DEUM ut finem ſupernaturalem & Legislatorem ſaltem mediatè & remotè. Tum quia alia motiva creata virtutum moralium per fidem cognita ſpecificant actus bonos, & ſi ex auxilio gratiæ fiunt, ſunt ſupernaturales: ergo etiam quævis turpitudo cognita per fidem, & ſi deteſtetur cum auxilio gratiæ, erit talis. Antec. patet, quia caſtitas, ſi amatur propter bonitatem, quam habet, & ſi hæc cognoſcatur per fidem, ſpecificat actum bonum & meritorium, & econtra luxuria difformitas oppoſita, ſi fugiatur non ideò tantùm, quia lumine naturali noſcitur mala, ſed quia per revelationem ſcitur eſſe peccatum, ſpecificabit fugam bonam & ſupernaturalem. Hinc

8 Addo regulam attritionis faciendæ cum fructu ex motivo turpitudinis Theologicæ & ſupernaturalis, & non naturalis & Philoſophicæ; nam turpitudo Theologica eſt quædam difformitas nota per fidem, v. g. quatenùs turpitudo peccati eſt contra legem DEI ſupernaturaliter notam, quatenus eſt irreverentia & ingratitudo DEI, quatenus reatum pœnæ & malorum poſt ſe trahit, quatenus privat gratia & beatitudine, quatenus maculat animam, facit mancipium diaboli, quatenus eſt contra rationem rectam, cujus DEUS eſt Author, nam hæc & ſimilia ſunt nota Catholicis ex revelatione, & dicuntur turpitudines, quia rationes oppoſitæ ſunt pulchritudines & conformitates ad ſua principia; turpitudo verò Philoſophica eſt difformitas, quæ ex hominum placito & naturali ratione cognoſcitur eſſe in actu, v. g. quatenus ab homine eſt pœna taxata peccato, quatenus eſt indignitas aut infamia apud alios v. g. ob furtum vel luxuriam, nam hoc gentiles agnoſcunt, & propterea multos actus ut malos exiſtimant, & prohibent.

9 Objicies: turpitudo peccati utpotè averſivi à DEO, ſi non reſpicit DEUM, non eſt contraria bono ſupernaturali, & converſiva ad DEUM: ergo non poteſt eſſe ſufficiens motivum attritionis ſupernaturalis.

Reſpondeo diſting. antec. ſi non reſpicit DEUM neque mediatè, neque immediatè, non eſt contraria bono ſupernaturali & converſiva ad DEUM, conc. ſi non reſpicit DEUM immediatè, benè tamen mediatè, neg. antec. quælibet ergò turpitudo peccati eſt contra DEUM Legislatorem quodammodò, cùm rectitudines oppoſitæ ſint à DEO præceptæ & revelatæ ut media idonea ad ſalutem, ideò etiam turpitudines oppoſitæ ſunt contra DEUM ut finem ſupernaturalem ſaltem mediatè.

Dices: turpitudo revelata nihil addit ſupra turpitudinem non revelatam: ergo vel neutra vel utraque ſufficit ad motivum attritionis.

Contra neg. antec. nam addit revelationem ſeu notitiam per fidem, per quam conſtituitur in ordine motivi ſupernaturalis, DEUS autem acceptat illud motivum & non aliud, uti nobis ſignificant Concilia Eccleſiæ.

Dices: nullum videtur eſſe fundamentum, cur DEUS potiùs acceptet turpitudinem revelatam, quàm non revelatam, ergo fruſtrà id aſſignatur.

Contra neg. antec. nam licèt totum fundamentum debeat refundi in ipſam DEI voluntatem, quæ potuiſſet etiam aliam acceptare, ſi voluiſſet, attamen ratio congruentiæ non deeſt, nam cùm initium noſtræ ſalutis ſit à DEO ſupernaturaliter cooperante, non ſolùm cum voluntate, ſed etiam cum intellectu, condecens fuit, objecta & media, quæ debent concurrere ad ſalutem, eſſe ſupernaturaliter cognita, ac proindè, cùm turpitudo illa revelata habeat quandam ſupernaturalitatem, quam non habet turpitudo non revelata, ideo congruenter illa acceptatur & non hæc; ex quibus patet etiam infamiam humanam, prout peccatum eſt contra rectam rationem, eſſe poſſe motivum ſupernaturale attritionis, cùm & hæc ſint revelata, imo turpitudo contra rectam rationem eſt immediatè contra DEUM, quia omne peccatum videtur committi cum cognitione DEI, quia peccans advertit ſe facere contra rectam rationem & conſequenter contra DEUM, cùm recta ratio includat legem factam à DEO, & homo ſcit DEUM eſſe caput naturæ rationalis: ergo eodem modo ſe habet, dum deteſtatur ſe peccâſſe, eo quòd offenderit eam naturam, cujus caput agnoſcit eſſe DEUM ſaltem implicitè, ſicut adverſarii dicunt de turpitudine irreverentiæ, ingratitudinis &c.

Aſſero 2. *Motivum metûs gehennæ & ſuppliciorum eſt bonum & honeſtum, ac ſupernaturale ſpecificans actum attritionis eſſe bonum & ſupernaturalem ac ideò ſufficientem pro diſpoſitione ad juſtificationem cum Sacramento pœnitentiæ vel baptiſmi.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali.* eſtque de fide ex Trid. 10

Seſſ.

Seſſ. 6. can. 8. & Seſſ. 14. c. 4. contra hæreticos, & quoad 1. partem contra Queſnellum prop. 2. elt.

Probatur 1. Ipſemet Chriſtus Matth. 10. hunc pœnerum metum inoulcet dicens: *timere illum, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam.* Er David petit Pſal. 18. *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Sed in his & elia textibua tam Scripturæ quàm Perrum epertè egitur de timore pœnæ, quæ incurritur ob peccatum: ergo non peccare obinde vel dolere peccâſſe eſt actua leudabilis & honeſtus.

Probatur 2. Tum quia timor alicujus mali ſumit ſuam honeſtarem ex illo bono, cui opponitur, nam malum ratione boni odio habetur; ſed bonum illud, cui malum gehennæ opponitur, eſt per ſe laudabile, quia eſt ipſa vita æterna; ergo timor pœnæ tanquam ejus oppoſiti mali eſt actus honeſtus, & laudabilis. Tum quie ille actus non poteſt eſſe nòn bonus, qui verè pertinet ed virtutem ſpei Theologicam; ſed metus gehennæ reducitur ed talem virtutem: ergo. Min. prob. eedem eſt virtus, quæ deſiderat beatitudinem, & fugit ſeu rimet miſeriam illi oppoſitam: ergo. Tum quia in attritione ex metu gehennæ plerumque tria intercurrunt, nempe intentio finis, ſeu voluntas fugiendi pœnam, ſecundò, medium ſeu deteſtatio peccati, & tertiò ordinatio talis medii ad illum finem; ſed quodlibet ex his eſt bonum & honeſtum: ergo min. patet quoad primum, quia illa pœna eſt ex ſe mala & odio digne; patet etiam quoad ſecundum, quia odium & deteſtatio pecceti de ſe eſt bonum; patet tendem quoad tertium, quia nullum eſt aptius medium ad vitandam pœnam quàm vitare peccatum, & licèt culpa ſit malum ordinis alterius, quàm pœna, dummodò tamen deteſtatio peccati ordinetur ad fugam pœnæ tanquam ad finem ita proximum, ut non excludatur ulterior relatio ad DEUM, erit bone talis ordinatio, cùm etiam DEUS aliquando bonum excellentioris ordinis orninet ed bonum inferioris, ſi utrumque cedat in gloriam ſuam, ſic enim incarnationem ſuam ordinavit ad noſtram ſalutem inferioris ordinis quàm tantum myſterium. Tum quia tenemur vitere pœnas æternas & alias temporales: ergo illas odiſſe eſt honeſtum, per conſequens relinquere peccatum ob metum gehennæ eſt honeſtum & laudabile.

11 Objicies cum hæreticis contra primam partem: qui ex ſolo metu gehennæ dolet, peccat: ergo attritio ex metu gehennæ non eſt honeſta, & ſic minùs diſpoſitio ad juſtificationem. Antec. prob. ille peccet, qui non vult peccatum vitare in omni circumſtantia, ſed præciſè, quando eſt illi annexa pœna; ſed qui ex ſolo metu gehennæ dolet, non vult vitare peccatum in omni circumſtentia, ſed ſolùm, quando illi annexa eſt pœna: ergo peccat. min. patet, quia vi illius doloris ex metu pœnæ homo eſt ita conſtitutus, ut peccatum admitteret, ſi peccatum non puniretur; ideò dicit S. Auguſt. ſi fur præciſè deſinit furari, quia puniretur, furti crimen admittit: ergo ſimiliter qui dolet de peccato ex eo, quòd gehennam timeat, peccatum admittit; & pariter Ariſtoteles dicit: quòd non ſtudioſè agat ille, qui propter increpationem principis dimicat, & per conſequens nec virtuosè agit, qui propter increpationem dolet de ſuis peccatis.

Reſpondeo neg. antec. ad probam neg. min. & ejus probam, non enim ſic eſt conſtitutus homo: ſed dolens ex metu gehennæ habet efficacem abſolutam voluntatem non peccandi, quia vult illud vitare, quoties propter ipſum juſtam dolet pœnam ſubire; adeóque homo non cenſetur deteſtari peccatum ſub conditione ſed abſolutè, nam timor pœnæ non eſt conditio, ſub qua deteſtatur quis peccatum, ſed eſt motivum, ex quo ad deteſtationem peccati abſolutè inducitur; tripliciter ergo poteſt ſe habere pœnitens ex metu gehennæ: primò faciendo expreſsè hanc comparationem, ſi non immineret pœna, non deteſtarer culpam, ſed potiùs illam committerem. Secundò ſumendo occaſionem ad deteſtationem ex timore pœnæ, non faciendo illam dictam comparationem. Tertiò deteſtando quidem peccatum propter metum gehennæ tanquam propter finem immediatum, non excludendo alium finem perfectiorem ſcilicet DEUM, nec faciendo primitùs dictam comparationem. Ex his autem patet, quamvis primus actus ſit peccaminoſus, ſecundus tamen & tertius nullam includit inhoneſtatem, ſed potiùs honeſtatem, & laudabilitatem; hinc D. Auguſt. cit. loquitur de fure, qui adhuc habet intentionem furandi, & ſolùm retrahitur ab executione ob timorem pœnæ; eſt deteſtans peccatum fructiferè ob timorem gehennæ, non habet ampliùs intentionem peccandi internam, cùm enim illud motivum ſe ad omnia peccata extendat, ſimul virtualiter omnia peccata averſatur. Ariſtoteles autem ibi ſolùm loquitur de milite, qui facit illam comparationem expreſsè, non dimicarem fortiter, niſi me impelleret princeps; econtra verò pœnitens non deteſtatur peccatum ob pœnam tanquam ultimum finem, ſed tanquam ob proximum, & pro fine ultimo habet DEUM.

Dices: licèt in deteſtante peccatum ob metum gehennæ non includatur illa comparatio formaliter ſemper, tamen virtualiter includitur talis affectus, non deteſtarer peccatum, niſi conſtituta eſſet talis pœna; ſed hoc adhuc eſt peccare: ergo ſemper adeſt conditionatum malum.

Contra neg. maj. nam eſt efficax & abſolutiſſima deteſtatio, ut dictum eſt; nam ſicut

ſicut nemo dicit actum contritionis, quo propter DEUM ſummè dilectum deteſtatur peccatum continere virtualiter hanc conditionalem: Si non eſſet DEUS ſuper omnia amabilis, non deteſtarer peccatum, ita etiam non eſt dicendum in actu attritionis; imò hoc, quod objicitur ab hæreticis, videtur ineſſe fermè omnibus actibus bonis, nam voluntas jejunandi, orandi, exercendi actus religionis &c. non eſt voluntas nunquam peccandi, quia per illas voluntates nihil omnino proponitur de fuga peccati, quis autem dicet illas voluntates eſſe malas, eò quod ad illos omnes caſus poſſibiles ſe non extendat? imò nemo dicit hunc actum eſſe malum, quo quis ſtatuit hodie non peccare, eò quòd ſe non extendat ad omnes dies; ſic ergo etiam in propoſito actus attritionis, quo deteſtor peccatum ob malum pœnæ, eſt actus bonus, nec exinde poterit dici malus, & aliquem non velle vitare peccatum in omni circumſtantia, nam de hoc aliquis non cogitat vi illius actûs; unde ſicut falſum eſt, qui hodie dicit ſe non peccaturum hodie, tacitè ſtatuere ſe cras peccaturum, ita etiam falſum eſt, qui dicit ſe non peccaturum propter metum gehennæ, tacite & virtualiter ſtatuere ſe peccaturum in abſentia pœnæ.

Dices: aliter ſe res habet, ubi immiſcetur metus; quia qui ex metu fugit peccatum, animo invito fugit: ergo non fugit peccatum ſed pœnam. Antec. prob. ex communi Philoſophorum, quæ purè aguntur ex metu, ſunt involuntaria ſecundùm quid, licèt mixta ex voluntario & involuntario: ergo ſemper habet hunc actum implicitè: nollem hoc facere, niſi metu mali imminentis hoc facerem, ut patet in mercatore projiciente merces in mare ex metu naufragii ad alleviandam navim.

Contra neg. antec. non enim ex metu agens ſemper invito animo aut mixto involuntario agit, ſed ſolùm tunc, quando voluntas in contrarium aliquo modo fertur, vel per actum nolitionis inefficacis illius, quod facit ex metu, vel per actum inefficacem amoris illius, quod rejicit ex metu; cùm ergo pœnitentes Chriſtiani attriti regulariter doleant de peccatis ex metu gehennæ abſque actu complacentiæ & amoris ad peccatum, & abſque nolitionis actu etiam inefficacis talis deteſtationis, non videtur actus attritionis ullo modo eſſe involuntarius. Vide quæ diximus in Tract. de actibus humanis, de voluntario ex metu.

Dices: Saltem actus, quo quis magis dolet de pœnâ, quàm de culpâ, eſt actus inordinatus & vituperabilis, utpote contra rationem dictantem plùs dolendum eſſe de malo majori, quàm minori; ſed qui ex ſolo metu gehennæ dolet, magìs dolet de pœnâ quàm culpâ, cùm doleat de culpâ propter pœnam & *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo.

Contra diſting. maj. Eſt actus inordinatus, ſi facit expreſſam comparationem inter culpam, & pœnam, *ut quòd* dicendo: volo dolere magìs de pœnâ quàm culpâ, conc. ſi facit comparationem inter culpam *ut quod*, & pœnam *ut quo*, neg. maj. & diſting. min. qui dolet propter pœnam faciendo illam comparationem *ut quod*, magis dolet de pœnâ quàm culpâ, conc. qui dolet propter pœnam non faciendo illam comparationem, neg. min. in attritione ergo pœna à DEO conſtituta eſt motivum *quo* ad deteſtandum peccatum *ut quod*, in quo nihil inordinati includitur, cùm ſic nec formaliter nec virtualiter præeligatur condonatio pœnæ commiſſioni culpæ, imò manente tali deteſtatione poteſt homo per alium actum expreſsè potiùs velle pœnam quàm culpam; hinc non amatur plùs objectum *quo* quàm *quòd*, nam ſi quis amat amicum eò, quòd ab illo dona accepit, non ſequitur, quòd plùs amet appretiativè dona quàm amicum; & ſic poteſt explicari illud: *propter quod unumquodque tale*; quia certum eſt, quando etiam cogito de peccato, & fugio pœnas, hic actus, quo fugio pœnas, eſt bonus, licèt non actualiter odio habeam peccatum, ita & alter actus bonus erit, qui pœnas & peccatum odio habet; quia homo non ſemper tenetur ad optimum, & per omnem actum facere comparationem magis deteſtando culpam quàm pœnam, maximè, cùm finis pœnarum non ſit finis ultimus, in quo ſiſteret affectus ſuper omne amabile; quandoquidem DEUS ſit ipſe finis ultimus illius actûs, ad cujus gloriam illa deteſtatio eſt referibilis.

Dices: Ordinare majus bonum ad minus eſt vituperabile, cùm in hoc fiat injuria bono majori; ſed qui dolet de peccatis propter metum gehennæ, ordinat minus bonum ſcilicet vitationem pœnæ ad majus bonum nempe ad vitationem culpæ: ergo.

Contra neg. maj. quando utrumque eſt referibile ad alium perfectiorem finem; unde majoris claritatis gratiâ diſting. maj. ordinare majus bonum ad minus tanquam ultimum finem, eſt vituperabile, conc. tanquam ad proximum finem, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. nam DEUS ipſe ut ſummè ſanctus & bonus ordinat quandoque bonum ordinis excellentioris ad bonum inferioris, ut patet de incarnatione; & nos ſine peccato ordinamus Sacrificium Miſſæ ad ſalutem & ſanitatem corporalem comparandam, dummodò in hoc non ſiſtatur, & finis ultimus excludatur.

Dices: Attritio propter metum gehennæ non tendit in DEUM ut ultimum finem: ergo illa ordinatio eſt vituperabilis. Antec. prob. attritio non convertit animum peccatoris ad DEUM tanquam objectum ſupernaturale aut ultimum finem, ſed ſolùm avertit illum à malo culpæ propter malum pœnæ: ergo. Antec. patet, quia ſi converteret ad

DEUM

DEUM ob timorem pœnæ, eſſet etiam diſpoſitio ſufficiens extra Sacramentum, cùm ſic non differret à contritione, quæ talis eſt propter ordinem ad DEUM; ſed non eſt diſpoſitio ſufficiens extra Sacramentum: ergo.

Contra diſting. antec. Non tendit in DEUM ut ultimum finem explicitè & immediatè, trans. implicitè & mediatè, neg. antec. & ſic pariter diſting. ejus probam, hoc ipſo enim, quòd animum peccatoris avertat à peccato propter pœnas à DEO infligendas, implicitè & indirectè ſe convertit ad DEUM tanquam ſupremum Judicem pœnarum; hinc ad probam probæ neg. ſequelam, & ejus rationem, quia attritio dicit implicitè ordinem ad DEUM tanquam juſtum peccati vindicem, & non tanquam ad objectum ex cujus amore & bonitate moveretur ad odiendum peccatum, hunc enim ordinem dicit contritio ex ſolo timore filiali, qui eſt amor ſaltem virtualis, attritio verò ex motivo pœnæ procedit ex timore ſervili, & ſine ſervilitate, & per hoc differt attritio à contritione, ut magis patebit in quæſtionibus ſequentibus.

Dices: Ille timor pœnæ procedit ex amore proprio concupiſcentiæ: ergo habet ſemper annexam ſervilitatis turpitudinem: ergo non poteſt eſſe bonus aut benè ordinatus.

Contra diſting. antec. ille timor pœnæ procedit ex amore proprio vel merè naturali vel ſupernaturali, conc. ſemper ex merè naturali, neg. antec. & diſting. conſeq. ergo habet annexam ſervilitatem, ſi procedit ex amore proprio naturali, conc. ſi ex amore proprio ſupernaturali, neg. conſeq. nam timor pœnæ ex amore concupiſcentiæ proprio ſupernaturali eſt bonus non ſolùm quoad effectum avertendi a peccato, ſed etiam ſecundùm ſe, & intrinſecè, cùm ſit actus virtutis, nempe ſpei Theologicæ ſeu charitatis erga ſe ipſum; nam ad eandem virtutem pertinent hi duo actus, nempe amor vitæ æternæ, & timor pœnæ æternæ, vel etiam attritio eſt actus virtutis pœnitentiæ, quatenus eſt retractatio prioris vitæ & vindicatio peccati.

QUÆSTIO II.

An attritio debeat eſſe formalis, & expreſſa deteſtatio: & an cognita ut contritio requiratur: & ſit ſufficiens diſpoſitio cum Sacramento ad juſtificationem.

1 ADvertendum eſt 1. quamvis communis ſit ſententia, dolorem ſeu attritionem debere eſſe formalem & expreſſam de peccatis; adeóque ut non ſufficiat dolor virtualis, ſeu quo quis dolet ſe non dolere, vel non poſſe dolere de peccatis; nihilominùs Navarrus & Sà affirmant, etiam ſufficere attritionem virtualem, quâ pœnitens dolet, ſe non habere dolorem peccatorum. Cujusnam autem mentis ſit noſter Scotus, patefaciet aſſertio prima. Interim

Advertendum eſt 2. Aliquos docere ſimpliciter eſſe neceſſariam contritionem ad Sacramentum pœnitentiæ, non ſolùm ex obligatione præcepti, ſed etiam de neceſſitate valoris ſubſtantialis Sacramenti, vel ſaltem neceſſitate medii ad ejus effectum, ita, ut etiamſi quis confiteatur bonâ fide cum attritione ſolâ, nihil proficiat. Alii tamen dicunt eſſe quidem ex obligatione præcepti neceſſariam perfectam contritionem, non tamen neceſſitate medii, ita, ut ſi quis bona fide accedat putans ſe eſſe contritum, cùm tamen reverà ſit tantùm attritus, adhuc recipiat gratiam Sacramenti; & ideò videntur requirere ad attritionem Chriſtianam pro Sacramento pœnitentiæ, ut ſit putata & cognita ut contritio; quid autem de hoc ſit ſentiendum, apparebit aſſertione ſecunda: pro interim ponitur: 2

Propoſitio 1. *Attritio in Sacramento pœnitentiæ non debet eſſe univerſalis circa omnia venialia tunc confeſſa, ſed ſufficit, ſi ſolùm ſit circa aliqua.* Ratio eſt, quia quando confeſſio eſt de ſolis venialibus, non eſt de neceſſitate ejus, ut ſit integra, poſſum enim aliqua confiteri, & aliqua non, cùm venialia non ſint materia neceſſaria, & unum veniale poſſit remitti ſine alio: ergo pari ratione, quando confeſſio fit de ſolis venialibus, non erit de neceſſitate circa omnia venialia confeſſa atteri formaliter, ſed ſufficiet de uno formaliter atteri; quia ſi peccatum veniale tacitum non obſtat effectui Sacramenti, ita neque peccatum expreſſum & confeſſum, de quo non eſt quis attritus, obſtabit effectui Sacramenti pœnitentiæ. 3

Nec dicas: qui non dolet de omnibus venialibus a ſe confeſſis, proponit pro materia Sacramenti aliquid, quod non eſt materia ejus: ergo ſicut graviter peccaret ille, qui hoſtiam papyraceam proponeret inter triticeas cum intentione ad conſecrandum, ita ille, qui proponeret in confeſſione peccata, de quibus non dolet.

Reſpondeo neg. antec. nam ſicut venialia non tenemur confiteri, ita etiam poſſumus ſine debito dolore ea manifeſtare Sacerdoti non petendo abſolutionem illius, ſed ad majorem noſtri confuſionem & erubeſcentiam; ſicut manifeſtamus aliquando alios noſtros habitus vitioſos & ſcrupulos, dummodò ad valorem Sacramenti de aliquo veniali afferamus dolorem ſufficientem nec pro tunc erit falſa forma abſolutionis, quia ſenſus hujus eſt: abſolvo te, quantùm eſt ex me ſecundùm Chriſti inſtitutionem à peccatis, quæ ritè es confeſſus cum ſufficiente dolore; hinc diſparitas eſt de conſecratione, quia in illa omnes

particulæ ordinantur ad tranaſubſtantiationem & effectionem Sacramenti, ita ut da ſingulis quaſi dicat: hoc eſt corpus meum. Adeóque magnum eſſet peccatum ſupra aliquam incapacem materiam proferre formam; alì in confeſſione non omnia ſempet referuntur ſolùm ad abſolutionem ſacramentalem, ſed etiam ad alios fines, ideò poſſunt in confeſſione quædam venialia declarari, quæ non proponuntur nt materia Sacramenti pœnitentiæ.

4 Propoſitio 2. *Attritio in Sacramento pœnitentia debet eſſe univerſalis circa omnia mortalia nondum remiſſa, tunc confeſſa.* Ratio eſt, quia defactò nullum mortale remittitur ſine attritione, nec unum mortale poteſt remitti ſina alio: ergo ſi quia ſcienter vel ex ignorantiâ culpabili omittit attritionem alicujus peccati mortalis, licèt reſpectu cæterorum illam habeat, non conſequetur effectum hujus Sacramenti. Antec. patet, quia pœnitentia omnium mortalium eſt per ſe neceſſarium medium ad remiſſionem, cùm unum non retractatum ſit ſufficiens obex ad recipiendam gratiam, & remiſſionem peccatorum. Dixi: circa nondum remiſſa, nam attritio non debet ſe neceſſariò extendere ad mortalia jam ſemel ritè confeſſa, & remiſſa, ſicut enim poſſum licitè confiteri unum peccatum mortale confeſſum, & aliud reticere, quod jam ritè ſum confeſſus, ita etiam poſſum de uno mortali jam confeſſo attritionem elicere non eliciendo de aliis, licèt illa de novo ſubjiciam clavi pœnitentiæ, ſicnt de venialibus in præcedenti propoſitione diximus.

Nec dicas: Poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validum ſeu habena omnes ſuas partes eſſentiales, & informe ſen non informatum gratiâ, hoc eſt, habena effectum Sacramenti: ergo ſaltem ad tale Satramentum pœnitentiæ validum & informe non requiritur, ut attritio ſit univerſalis circa omne mortale nondum remiſſum tunc confeſſum. Conſeq. patet, quia attritio de uno mortali eſt materia pœnltentiæ, & pariter intentio & forma adeſſet.

Reſpondeo in primis neg. antec. in ſchola Scoti, ut videbimus ſuo loco negaturi Sacramentum pœnitentiæ validum & informe. Secundò trans. antec. neg. conſeq. ad probam etiam neg. primam partem, quia attritio de uno mortali, ubi etiam alterum advertitur, non poteſt eſſe dolor efficax, & converſio ſufficiens ad DEUM, ſicut pro mataria pœnitentiæ requiritur, cùm in tali pœnitentiæ actu peccet ſciens eſſe obligationem omnia mortalia retractandi in validâ pœnitentiâ, & ſe convertendi ad DEUM, qnod non facit, ſi de altero mortali non dolet, per quòd adhuc potiùs à DEO avertitur, ut de ſe patet. Sed de his plura ſuo loco.

5 Propoſitio 3. *Non eſt neceſſe, ut attritio præcedat confeſſionem, ſed ſatis eſt, ſi ipſam ſequatur ante abſolutionem.* Ratio eſt, quia ſi quæ eſſet ratio, cur debeat ſemper præcedere, eſſet quia ſine prævio dolore illa confeſſio non eſſet ſacramentalis, neque vera accuſatio, ſicut oportet; ſed hoc non eſt verum, cùm per ſubſequentem dolorem verè ſacramentalis fiat: ergo. Min. prob. ex communi praxi fidelium, ſi enim pœnitens facta priùs omnium peccatorum explicatione, & conceptâ poſteà attritione dicat ſa dolere de peccatis confeſſis, juxta omnes eſt vera accuſatio, & conſummatur in ratione accuſationis ſacramentalis, ſempérque talis abſolvitur, imò ſi pœnitentes quandoque ſine ſufficiente dolore confitentur, & dein primò à Confeſſarii exhortatione excitati dolent, non urgentur repetere peccata, ſed ſtatim abſolvuntur tanquam ſufficienter diſpoſiti: ergo.

Nec dicas cum Conincho: Confeſſio debet reddere dolorem ſenſibilem, & eſſe ſignum doloris interni; ſed non poteſt eſſe ſignum doloris, quem non ſupponit, & niſi ex eo procedat: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. debet eſſe ſignum doloris vel antecedentis vel concomitantis, vel ſtatim ſequentis, conc. ſemper antecedentia, neg. maj. & diſting. min. non poteſt eſſe ſignum doloria, quem non ſupponit neque poſitum, neque ponendum, conc. quem non ſupponit poſitum, ſed benè ponendum, neg. min. cum conſeq. & ſic etiam poteſt diſtingui altera pars, niſi procedat ex eo dolore vel odio peccati vel præcedente vel concomitante, aut ſtatim ſubſequente, nam in hoc caſu confeſſio non reſpicit dolorem ut ſni cauſam, ſed ut coëffectum ab eadem causâ manantem, nempe à voluntate & intentione ſuſcipiendi Sacramentum cum omnibus requiſitis, adeóque illa confeſſio fit ſacramentalis, & redditur quaſi informata per immediatè ſubſequentem dolorem, & ſic confeſſio poteſt ſignificare dolorem non ſolùm ut ſui cauſam, ſed etiam ut coëffectum provenientem à causâ voluntatis ſuſcipiendi Sacramentum ſecundùm requiſita, qualis eſt dolor ſive antecedens, ſive conſequens confeſſionem, & ſic hoc ipſo, quòd pœnitens confitetur, oſtendit ſe vel doluiſſe, vel ſtatim doliturum, ut ſit materia neceſſaria abſolutionis. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Probabile eſt non requiri attritionem ſemper formalem & expreſſam, ſed quandoque ſufficere virtualem ad Sacramentum pœnitentiæ.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 1. §. *de ſecunda concluſione.* Eſtque Navarri & Sà contra communem. 6

Probatur ratione Scoti: potiſſimus actus pœnitentiæ eſt velle vindicare peccatum à ſe commiſſum per tenentiam pœnæ, & hoc poteſt intelligi, dicit Scotus, ſive applicet & infligat pœnam in effectu vel affectu, quia vindicans non minùs vindicat, etſi quandoque pœna non ſequatur propter defectum alicujus cauſæ ſecundæ, dum tamen ipſe æquè & juſtè inten-

intendat pœnam infligere: ergo etiam interdum ſufficiet dolor virtualis de peccatis ſeu in affectu, id eſt, dolor de non habendo dolorem peccatorum. Conſeq. prob. ſi pœnitens per actum voluntatis imperativum cauſas proximas triſtitiæ & doloris applicuit, ut eſt conſideratio turpitudinis peccati, & nolitio ejus, quamvis dolor & pœna non ſequatur interdum ex defectu alicujus cauſæ ſecundæ, ut ſi complexio hominis eſt valde hilaris, non tam facilè ſequetur triſtitia, vel ex aliâ cauſâ non poſſit tam facilè moveri ad triſtitiam, adhuc non minùs eſt cenſendus pœnitere, cur non etiam aliquando cum dolore virtuali ſeu cum dolore de non habendo dolorem, cùm per hunc aliquando in certis circumſtantiis faciat homo, in qoantùm poteſt.

Addo tamen hanc ſententiam in praxi non eſſe facile exercendam, ſed ſemper eſſe requirendum dolorem & attritionem formalem à pœnitentibus, niſi fortè in caſu, ubi pœnitens vix alium dolorem poſſet elicere, uti contigit in illâ adulterâ, quæ ex adulterio tres ſapientiſſimos & Eccleſiæ DEI maximè proficuos filios genuit, ſcilicet Petrum Lombardum Magiſtrum ſententiarum, Gratianum authorem Juris Canonici, & Petrum Comeſtorem authorem Sacræ Hiſtoriæ, quæ ſe apud aliquem Confeſſarium de tali adulterio accuſavit, à quo fuit juſſa multùm dolere juxta exigentiam talis delicti, illa autem reſpondit: Pater ſcio, quòd adulterium peccatum magnum ſit, ſed conſiderans, quantum bonum ſecutum eſt, cùm iſti filii mei ſint lumina magna in Eccleſia, ego non valeo pœnitere; tandem Confeſſor, poſtquam multum perſuaſit, ut verè doleat, addidit: de hoc tamen doleas, quod non poſſis dolere, uti legitur in vita Gratiani ad finem decreti Gratiani appoſita in typo veteri.

7 Objicies ex Trident. Seſſ. 14. c. 4. ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, ſcilicet remiſſionem peccatorum requiritur dolor formalis: ergo non ſufficit aliquando attritio virtualis.

Reſpondeo vel neg. antec. quia in loco citato Trident. ſolùm requiritur dolor, & nihil dicitur, an debeat eſſe formalis vel virtualis, ideò congruenter explicari poteſt de dolore vel formali vel virtuali. Vel neg. conſeq. quia Concilium loquitur de dolore regulariter & ordinario modo eliciendo, qui omnino debet eſſe formalis, non verò loquitur de abſoluta neceſſitate; præſertim in uno vel altero extraordinario caſu; nam ſicut extra Sacramentum aliquando ſufficit virtualis deteſtatio peccati, ſcilicet amor DEI ſuper omnia, uti dicemus ſuo loco, abſque eo, quòd ſit contra Concilium, qood unà cum Sacrâ Scripturâ requirit pœnitentiam & dolorem formalem, ita & nos non loquemur contra Concilium, ſi cum Sacramento admittemus quandoque tantùm virtualem attritionem.

Dices: Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii voluntarii reconciliativi; ſed hoc non poteſt conſiſtere, niſi ille, qui vult reconciliari cum eo, quem offendit, verè & actu doleat de offenſa: ergo.

Contra diſting. min. niſi verè & actu doleat vel affectivè vel effectivè, conc. niſi ſemper verè effectivè doleat, neg. min. nam hoc ipſo ſi quandoque valde difficilis eſt ad verè triſtandum & dolendum, & ideò verè dolet, quòd non poſſit ſufficienter dolere, habet in affectu verè dolere de offenſâ.

Dices: ad ſe reconciliandum amico requiritur dolor de ipſa offenſa & peccato; ſed dolere de carentia doloris, non eſt dolere de peccato, ſicut ſi quis dolet, qoia non amat aliquem, non ideò illum amat: ergo.

Contra diſting. maj. requiritur dolor de ipſa offenſa vel expreſſè vel virtualiter, conc. ſemper expreſſè neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq.

Dices: dolor de carentia doloris non continet virtualiter dolorem de offenſa, cùm non ſit ſufficiens ad excitandum dolorem de offenſa: ergo prorſus nullo modo doleret de offenſa.

Contra diſting. antec. non continet virtualiter effectivè dolorem de offenſa, cùm non ſit effectivè ſufficiens ad excitandum dolorem de offenſa, conc. non continet virtualiter affectivè, cùm non ſit affectivè ſufficiens ad illum excitandum, neg. antec. nam dolens de carentia doloris habet talem affectum, ut etiam libenter vellet ſequi effectum, dummodò hic & nunc non eſſet aliquis defectus alicujus cauſæ ſecundæ, qui illum effectum non ſinit ſequi.

Aſſero 2. *Attritio eſt ſufficiens cum Sacra-* 8
mento ad juſtificationem, & non debet eſſe cognita ut contritio, ſed ſufficit, ſi ſit attritio vera & in re, ac cognita ut attritio, attamen attritio probabiliter tantùm cognita & putata ut attritio non ſufficit. Eſt Scoti in 4. D. 18. q. un. in fine, qui reperitur in D. 19. q. un. in fine, & in 4. D. 14. q. 4. in ſolut. *ad ſecundum principale.* ubi ait: *ad dignam ſuſceptionem pœnitentiæ oportet pœnitentem ſuſcitari vel ſimpliciter vel ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliquam diſplicentiam & attritionem de peccatis.* Eſtque quoad ſecundam partem contra Gabrielem, & quoad tertiam contra Sotum & Canum.

Probatur 1. pars: tum quia, inſtitutio Sacramenti pœnitentiæ eſt Sacramenti mortuorum, & per modum judicii reconciliativi: ergo de ſe non ſopponit vitam & reconciliationem antehabitam per contritionem; nam vana eſt medicina inſtituta ad tollendum morbum, quæ non eſſet apta nata eum auferre, ſed ſupponeret ablatum. Tum quia, eſt inſtitutum tanquam novum remedium ad faciliorem remiſſionem peccatorum, quò carebat lex vetus; ſed ſi non ſufficeret attritio, ſed re-

requireretur contritio, eſſet difficilior remiſſio in lege novâ quàm antiquâ, in qua ſola contritio ſine onere ſuſcipiendi Sacramentum juſtificabat: ergo. Tum quia Trident. tribuit attritioni vim io Sacramento, quam ei negat extra Sacramentum; ergo vi prioris cùm contritio extra Sacramentum ſufficiat ad juſtificationem, ed eandem ſufficiet attritio in Sacramento: ergo vi poſterioris ſuppooit Trid. attritiooem eſſe ſufficientem ad juſtificationem eum Sacramento.

9 Probatur 2. pars: neque neceſſitate medii neque neceſſitate præcepti in Sacramento pœniteotiæ eſt neceſſaria contritio, ſive in re ſiva in cognitione: ergo. Antec. prob. aſſignetur tale præceptum, nam ubicunque in Sacra Scriptura fit mentio clavium, ut io illo: *quorum remiſeritis peccata* &c. talis poteſtas non eſt data ad ſolùm declaranda peccata jam remiſſa per contritionem, ſed ad remittenda per Sacramentum pœnitentiæ eum aliqua minori diſpoſitione, ſcilicet cum attritione ut tali: ergo. Antec. prob. Concilium Trident. Seſſ. 14. c. 4. tribuit attritioni talem vim eum Sacramento, quam habet contritio extra Sacramentum; ſed eam tribuit attritioni etiam cognitæ ut attritioni: ergo. Min. prob. Concilium loquitur de ea attritione, quæ concipitur ex peccati turpitudine vel metu gehennæ; ſed hæc eſt ſemper æſtimata attritio cogoita ut talis: ergo. Min. prob. tum quia, in tali attritione cognoſcit homo, quòd non habeat motivum contritionis. Tum quia, etiam æſtimatio non facit ad veritatem diſpoſitionis præſertim, quando eſt erronea, ſicut illa extra Sacramentum, quæ putat attritionem eſſe contritionem, cùm reverà non ſit talia, non eſt ſufficiens.

10 Probatur 3. pars: tum quia Concilium Florent. & Trident. ſtatuunt attritionem eſſe materiam & partem eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ; ſed hoc neceſſariò debet intelligi de dolore & attritione vera & in re: ergo. Min. prob. dolor exiſtimatus tantùm non eſt ſimpliciter dolor ſeu attritio, ſicut homo exiſtimatus ſolùm ſeu pictus non eſt ſimpliciter homo, nec exiſtimata attritio eſt donum Spiritûs S. uti requirunt Concilia ad diſpoſitionem juſtificationis: ergo debet dolor & attritio eſſe vera in re. Conſeq. ultra patet, ſicut aqua pro materia baptiſmi neceſſariò debet eſſe vera aqua & non ſufficit apparens, ita attritio cùm ſit materia Sacramenti pœnitentiæ, debet eſſe vera & in re. Tum quia, exiſtimatio invincibilis, licèt excuſet à culpa, non tamen in re ipſa adhibet medium neceſſarium; ſed pœnitentia interior eſt medium neceſſarium ad remiſſionem peccati in lega gratiæ: ergo licèt exiſtimatio talis pœnitentiæ excuſet à novo peccato, non tamen ponit remedium neceſſarium ad remiſſionem peccati Maj. patet, exiſtimatio fidei non ſufficit, nec ponit medium neceſſarium ad finem ſcilicet ad ſalutem; adeóque gentilis, qui habet infidelitatem negativam, quamvis exiſtimet ſe bene credere, & excuſetur à ſpeciali culpa infidelitatis, non ſalvabitur: ergo.

11 Objicies contra primam partem: ad remiſſionem peccatorum mortalium utpote everſivorum à DEO requiritur perfecta converſio ad DEUM, non enim poteſt peccator juſtificari, niſi toto corde convertatur ad DEUM; ſed perfecta converſio eſt ſola contritio: ergo. Maj. patet, quia ubi Scriptura exigit ad juſtificationem peccatoris pœnitentiam, utique de pœnitentia perfecta intelligi debet, id eſt, de contritione, cùm nullibi appareat, ubi neceſſitas talis perfectæ pœnitentiæ ſit relaxata.

Reſpondeo inprimis hoc argumentum æquè probare, nunquàm eſſe ſufficientem attritionem etiam cognitam ut contritionem, cùm in re non ſit perfecta converſio; ſed diſting. maj. requiritur perfecta converſio ſeclusâ inſtitutione & uſu Sacramenti, conc. applicato Sacramento in re ſuſcepto, neg. maj. in lega nova eſt disjunctim neceſſaria vel contritio, vel attritio cum Sacramento, quod eſt beneficium Evangelii duram illam veterem neceſſitatem lenientis; unda hoc ipſo, quòd DEUS juſtificet interiùs hominem per Sacramentum, habitualiter convertit eum ad ſe; licet ergo olim Scriptura exigeret pœnitentiam pro remiſſione peccatorum perfectam, attamen per ipſam inſtitutionem hujus Sacramenti illa neceſſitas eſt relaxata, dum conceditur nobis illud disjunctim ad obtinendam peccatorum veniam.

Dices: vera pœnitentia debet deteſtari peccatum ſuper omnia mala ſaltem appreciativè ex parte objecti & motivi; ſed talis pœnitentia non eſt, niſi contritio, quæ ex motivo diligendi DEUM ſuper omnia procedit: ergo.

Contra neg. min. nam vera pœnitentia, ut eſt communis ad contritionem & attritionem, debet deteſtari peccata ſuper omnia mala & incommoda, In quibus vitandis peccatum committeretur, ita ut pœnitens ſit paratus abſtinere potiùs à quocunque commodo, in quo peccatum invenitur, quàm in ipſum peccatum conſentire; ſed hanc promptitudinem poteſt habere non ſolùm ex ſupremo motivo propter DEUM, ſed etiam ex alio infrà DEUM ut ob turpitudinem peccati, vel metum inferni.

Dices: communiter dicitur, quòd peccator per Sacramentum pœnitentiæ ex attrito fiat contritus: ergo ad juſtificationem requiſitur contritio.

Contra neg. conſeq. quomodo enim illud commune ſit intelligendum, patet ex quæſt. priori propoſit. 4. quòd ſcilicet non ſit contritio formalis, ſed tantùm æquivalens propter effectum Sacramenti. Obſervandum

tamen

tamen eſt, poſſe quidem peccatorem ex attrito fieri contritum formaliter, & in hoc ſenſu; quòd poſt attritionem eliciat veram contritionem cum Sacramento, non tamen id neceſſariò debet evenire, nam poteſt pœnitens adhue dolere præcisè ob metum pœnæ abſque actuali dilectione, non tamen poteſt idem actus attritionis evadere formalis contritio, ut nuper diximus.

12 Objicies contra 2. partem: qui ſcit ſe eſſe attritum & non contritum, accedit ad Sacramentum cum ſcientia peccati mortalis: ergo ponit obicem gratiæ, per conſequens debet ſe ſaltem exiſtimare contritum.

Contra neg. conſeq. quia ille ſolùm cenſetur ponere obicem, qui accedit cum diſpoſitione repugnante effectui, ad quem primò & per ſe Sacramentum ordinatur, ſed conſcientia peccati mortalis non repugnat remiſſioni ipſius peccati, ad quam tanquàm proprium effectum primò & per ſe Sacramentum ordinatur. Hinc quod remiſſioni peccatorum repugnat, eſt ſola complacentia in ipſo peccato, aut propoſitum peccandi impoſterum, vel etiam defectus propoſiti non peccandi de cætero, & non ſufficiens retractatio peccati, quorum nihil facit pœnitens habens veram attritionem.

Dices: ſola attritio non eſt deteſtatio vera peccati & offenſæ divinæ: ergo non eſt ſufficiens, ſi taliter cognita ſit.

Contra diſting. antec. non eſt deteſtatio peccati ſeu offenſæ divinæ qua talis & directè, conc. non eſt deteſtatio offenſæ divinæ ſub aliqua ratione honeſta & ſupernaturali, neg. antec. & conſeq.

13 Objicies contra 3. partem: ille, qui habet attritionem naturalem putans tamen eam eſſe ſupernaturalem, habet motum contrarium peccato, ſcilicet ejus deteſtationem, ergo eſt ſufficienter diſpoſitus, præſertim cùm illa attritio poſſet habere extrinſecam ſupernaturalitatem per actum fidei, ſpei, vel per imperium, quo ordinat ad affectum ſupernaturalem Sacramenti conſequendum.

Reſpondeo neg. antec. cùm enim peccatum verè avertat à DEO ut fine ſupernaturali, & attritio naturalis, quæ ſolùm putatur ſupernaturalis, non convertat peccatorem ad DEUM ut finem ſupernaturalem, ideò non dicitur benè diſpoſitus, nec habere motum contrarium peccato ad remiſſionem peccatorum ſufficientem, nec ſufficit illa ſupernaturalitas extrinſeca fidei concomitans, quia Concil. non minùs requirunt ſpeciale auxilium ad actum formalem pœnitentiæ, quàm fidei & ſpei; nec etiam illud imperium ſufficit, nam alias etiam dolor ex humano fine conceptus poſſet ordinari per imperium ſupernaturale ſpei ad effectum Sacramenti, quod omnes negant.

Dices: pœnitens non ponens obicem effectui Sacramenti, recipit effectum Sacramenti; ſed qui habet attritionem putatam, non ponit obicem: ergo.

Contra neg. min. nam licèt in eo caſu recipiens Sacramentum non ponat obicem actualis peccati ſeu per actuale peccatum, eùm ignorantia invincibilis eum excuſet, nihilominus ipſummet peccatum priùs commiſſum & non ſatis ſupernaturaliter retractatum eſt ſufficiens obex gratiæ, cùm non poſſit taliter remitti ſecundùm ordinariam legem & modernam providentiam; nam obex ad Sacramentum eſt affectus ad peccatum; ſed affectus ad peccatum non tollitur, niſi tollatur averſio peccatoris à DEO, à quo per peccatum fuit averſus, quamdiu enim manet talis averſio, manet affectus habitualis ad peccatum: ergo ſi non tollitur averſio, nec tollitur affectus ad peccatum; ſed illa averſio cùm ſit à DEO objecto & fine ſupernaturali, non tollitur niſi per converſionem ad DEUM ut finem ſupernaturalem ſaltem *cui*, quæ converſio ſolius naturæ viribus non poteſt fieri: ergo ſemper manet affectus habitualis tanquàm obex.

QUÆSTIO III.

Quid ſit contritio, & ex quo motivo procedat, aut ſaltem procedere poſſit?

ADvertendum eſt: conſtare ex quæſt. 1. hujus diſtinctionis, contritionem eſſe definitam: quòd ſit dolor ſeu deteſtatio peccati propter DEUM ſummè dilectum; ex quo communiter deducitur, quòd, ut contritio ſit proxima diſpoſitio ad gratiam, debeat procedere ex ſupernaturali DEI dilectione ut colligitur ex Trident. Seſſ. 6. c. 6. quod deſcribens pœnitentiam adultorum ad juſtificationem neceſſariam docet, eam ex dilectione DEI procedere, conformiter verbis Chriſti Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ubi peccatorum remiſſio dilectioni DEI attribuitur, quod & ratio evincit, quia ut contritio ſit per ſe ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum mortalium, debet omninò includere averſionem à peccato, quæ per ejus odium habetur, & converſionem ad DEUM, quæ ſit per actum amoris DEI ſuper omnia. An verò contritio ſemper debeat neceſſariò ſupponere formalem DEI amorem, vel ad eam ſufficere poſſit virtualis DEI amor, & an neceſſariò debeat procedere ex motivo charitatis, ita ut non poſſit procedere ex alio motivo præſertim juſtitiæ? decidetur in aſſertionibus, interim 1

Propoſitio 1. *Contritio licèt præſuppoſitivè dicat actum intellectûs, formaliter tamen eſt actus voluntatis.* Ratio primi eſt, quia contritio ſupponit cognitionem peccati per modum judicii ſive formalis, ſive æquivalentis, & quidem 2

quidem ſub ratione mali, cùm nullum poſſit dari odium, niſi objectum cognoſcatur malum: ergo cùm contritio ſit odium, dicit præſuppoſitivè actum intellectûs, cùm nihil ſit volitum vel nolitum, niſi præcognitum. 2 Ratio ſecundi eſt, quia contritio eſt actus odii ſeu deteſtationis, quo cauſatur dolor ſeu triſtitia; ſed talis actus nequit eſſe alterius potentiæ, quàm voluntatis: ergo. Minor patet ex animaſtica, & præterea ex D. Auguſt. L. 14. de Trinit. c. 15. dicente: *Triſtitia oritur ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Tandem contritio non eſt actus tendens in verum vel falſum, ſed in malum ut bonum ſub ratione boni: ergo eſt actus voluntatis, cùm habeat objectum ejus.

Nec dicas: contritio eſt remorſus & ſtimulus conſcientiæ, quo quis urgetur & pulſatur, quòd malè egerit, Deúmque offenderit; ſed talis remorſus conſcientiæ eſt actus intellectûs: ergo.

Reſpondeo neg. maj. nam remorſus & ſtimulus eſt potiùs veluti accuſator de malo perpetrato, & contritio eſt actus, quô voluntas reprobat, damnat, & odit illud, quæ ſunt utique diverſiſſima, aliàs magni peccatores exiſtentes continuò in peccatis, ſemper eſſent contriti, quia fermè ſemper patiuntur remorſum conſcientiæ, qui neque in damnatis extinguitur.

3 Propoſitio 2. *Licèt contritio ſemper ſit actus pœnitentiæ, ſcilicet, vel elicitus, vel imperatus, eſt tamen aliquando actus pœnitentiæ imperatus à charitate.* Ratio primi eſt, quia contritio eſt actus, quo tenetur pœna pro peccato; ſed talis actus eſt actus pœnitentiæ, ideò Trident. expreſsè numerat contritionem inter actus pœnitendi. Ratio ſecundi eſt, quia, ut docet Scotus in 4. D. 14. q. 2. poteſt aliquando quis illuminari ad diligendum DEUM ſuper omnia, & ex illo motivo imperare ſibi, ſicut alios actus virtutum, ita & actum vindicandi peccatum ex fine ſupernaturali, quatenus ſcilicet eſt offenſa juris divini, & ſub hac ratione illud odio proſequendi; ſed in hoc caſu contritio imperatur à charitate: ergo.

Nec dicas: contritio eſt actus charitatis: ergo. Antec. prob. actus contritionis debet eſſe converſivus per amicitiam ad DEUM, & de peccato ob motivum DEI ſummè diligibilis, aliàs non eſſet contritio, ſed attritio; ſed tale motivum eſt ſpecificativum charitatis: ergo.

Reſpondeo diſting. antec. contritio eſt actus charitatis elicitus vel imperatus, conc. ſemper elicitus, neg. antec. ad probæ primam partem dico: contritionem quidem convertere ad DEUM per amicitiam habitualem, quam cauſat, ſcilicet per gratiam, non tamen ſemper per formalem actum amicitiæ, quæ eſſet ipſa dilectio formalis & actualis, ideò etiam diſting. ſecundam partem: contritio perfectiſſima & aliquando eſt ob motivum DEI ſummè diligibilis, conc. contritio minùs perfecta & ſemper, neg. neque propterea eſſet attritio, nam uti dicemus in Aſſert. 2. etiam contritio poterit elici ex motivo juſtitiæ divinæ, ſeu quatenus peccatum eſt averſivum ut injuria DEI, qui ſuper omnia debet honorari, & ejus mandatis obediri, quod adhuc non eſt motivum infra DEUM, ſicut requirit attritio.

Propoſitio 3. *Contritio eſt quandoque actus charitatis imperatus à pœnitentia.* Ratio eſt, quia docet Scotus: voluntatem circulariter uti habitibus, ideóque poteſt peccator primò illuminari & excitari ad vindicationem peccati, ac deinde cogitatis mediis, quæ illam poſſunt cauſare, imperare ſibi actum charitatis DEI ſuper omnia, ac ex hoc ſibi cauſare odium ac deteſtationem peccatorum ſuper omnia, ſed in hoc caſu contritio erit actus charitatis imperatus à pœnitentia: ergo. Maj. per ſe patet, quia voluntas poteſt uti quolibet habitu ex fine alterius, ſicque poteſt uti fide, ſpe, ob finem charitatis, & viciſſim elicere charitatem ex fine, ſpei & fidei &c. 4

Nec dicas: ſi contritio eſt imperata à pœnitentia, ſic fit ob motivum pœnitentiæ; ſed hoc ſpecificat actum eſſe pœnitentiæ & non charitatis: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. ſic fit ob motivum pœnitentiæ tanquam extrinſecum, & mediatum, conc. tanquam intrinſecum & immediatum, neg. maj. diſting. min. ſed hoc, ſi eſt intrinſecum, ſpecificat actum pœnitentiæ, conc. ſi eſt extrinſecum, neg. min. hinc contritio ad ſui eſſe non requirit aliud, quàm ſua prædicata quidditativa ſcilicet, quod ſit odium & deteſtatio peccati, quatenus eſt contra DEUM ſummè diligibilem: ergo ſive hæc deteſtatio ſit ab una virtute immediatè, ſive ab alia imperativè vel econtra, hoc parum refert, nam ad eſſentiam intrinſecam rei parùm refert, & ſolùm per accidens ſe habet cauſa efficiens ſive phyſica ſive moralis, ut patet à pari de homine, ſive producatur immediatè à ſolo DEO, ſive ab alio homine cum concurſu generali DEI, ſemper eſt ejuſdem eſſentiæ & quidditatis.

Propoſitio 4. *Sæpiſſimè actus contritionis eſt conjunctus cum actu formali Dilectionis DEI ſuper omnia.* Ratio eſt, quia poteſt pœnitens habere priùs actum charitatis & dilectionis DEI ſuper omnia, & moveri dein primò ad vindicandum & odiendum peccatum, quod eſt malum diſplicens DEO ſummè diligibili; & ſimiliter poteſt priùs velle efficaciter vindicare & deteſtari peccatum per tenentiam pœnæ, & aſſumere actum formalem amoris DEI, ut ex illo oriatur perfectiùs odium peccatorum, & ex odio triſtitia: ergo ſæpiſſimè contritio eſt conjuncta cum formali amore DEI ſuper omnia. 5

Nec

Nec dicas: Actua formalis amoris DEI ſuper omoia, & deteſtatio peccati, ut offenſæ DEI, ſunt duo actua diverſi & contrarii; ſed hi actus ob limitationem potentiæ volitivæ non poſſunt ſimul elici: ergo actua cootritionis non poteſt eſſe eonjunctus cum formali amore DEI.

Reſpondeo diſting. min. noo poſſunt ſimul elici ſimultate potentiæ, neg. potentia ſimultatis, conc. min. hæc diſtinctio patet ex animaſtica; adeóque licèt illi actus nequeant ſimul in eodem inſtanti ex limitatione voluntatis elici, non tamen tapugnat tales actus ſe invicem ſequi aut concomitari, ita ut unua ſit cauſa alterius, vel imperana ſeu moralis, vel phyſica per neceſſariam ſequelam; poteſt ergo contritio, quæ potiſſimum eſt deteſtatio ac odium peccati ex morivo charitatis ſtare cum actu formalis amoria DEI. Hia propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Licèt regulariter contritio ſupponat dilectionem DEI formalem, à qua imperetur, vel eam alio modo habeat annexam, abſolutè tamen contritio ut proxima diſpoſitio ad juſtificationem poteſt dari abſque formali amore cum ſolo amore virtuali incluſo in deteſtatione perfecta peccati.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *in iſta quæſtione;* eſtque Suarez, Amici, contra Canum, Coninchum, & alios Recentiorea.

Probatur 1. Scotus cit. docet: Licèt regulariter charitati conveniat uti actu pœnitentiæ, interdum tamen ipſe actua charitatis ab actu pœnitentiæ poteſt imperari, & charitas tunc dicitur uti virtute deteſtativâ, quando amore DEI imperativè movet voluntatem ad deteſtarionem peccati, & econverſò, quòd actua charitatis poſſit elici ex imperio pœnitentiæ, & tunc pœnitentia dicitur uti virtute proſecutivâ; ſed actus imperatus dicitur virtualiter contineri in actu imperante: ergo ſicut actua pœnitentiæ poteſt implicitè contineri in amore DEI, ſic ecooversò dilectio DEI poteſt virtualiter contineri in deteſtatione peccati; ſed ſicut amor præviua DEI elicitua formaliter movet & excitat deteſtationem, ſic econveraò deteſtatio præhabita formaliter poterit excitare amorem DEI formalem: ergo amor DEI ante talem excitationem ſolùm virtualiter dicetur contineri in deteſtatione ſeu contritione peccati.

Probatur 2. Præter formalem DEI amorem nemo juſtificatur extra Sacramentum pœnitentiæ, niſi per veram contritionem; ſed ſi homo habeat perfectam deteſtationem peccati ante formalem DEI amorem, ille juſtificabitur: ergo illa erit vera contritio abſque formali amore DEI. Min. prob. juſtificatio & remiſſio peccati in Scriptura promittitur perfectæ deteſtationi peccati, ut Ezech. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die averſus fuerit ab impietate ſua.* Sic 2. Reg. 11. legimoa Davidem ſolùm dixiſſe: *Peccavi Domino.* Quæ verba ſolùm ſignant recognitiooem & odium culpæ contra DEUM, & tamen remiſſionem culpæ ſtatim obtinuit; imò Trident. exactè definiena contritionem juſtificantem Seſſ. 14. c. 4. dicit: *Quòd ſit animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero;* ubi nullam amoris DEI facit meotionem: ergo ſola perfecta peccati deteſtatio abſque formali dilectiooe DEI juſtificat homioem; unde ſi peccator deteſtato peccato propter DEUM ſtatim moreretur abſque eo, quòd formalem amorem DEI elicuiſſet, ſalvaretur, & non deberet perire juxta ſententiam adverſariorum; cùm hoc eſſet contra Scripturam Ezech. 18. *quandocunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

Probator 3. Poteſt quis uno actu remiſſivo peccati ferri in peccatum deteſtandum propter DEUM ſummè diligibilem; ſed in tali actu ooo includitur DEI amor formalis, ſed ſolùm virtualia: ergo. Maj. patet, quia poteſt peccator conſiderare peccatum ut divinæ booitati ſummè repugnaoa, quamvis noo apprehendat DEUM adhuc explicitè ſuper omnia amatum, & ita poterit voluntas habere unum actum ſcilicet deteſtationis perfectæ propter DEUM ſummè diligibilem. Min. verò prob. ex ſolo motivo DEI ſummè diligibilis deteſtari peccatum non eſt DEUM amare formaliter, cùm DEUS reſpectu talis actûs non ſit objectum *quod*, ſed tantùm objectum *cui*: ergo ille actus odii peccati propter DEUM non includit formalem DEI amorem, cùm non ſit neceſſe eliciendo illum actum, ut eliciat etiam actum charitatis, quia talea actus differunt ex objectis; unde falſum eſt principium adverſariorum, ooo poſſe eſſe odium ex fine formali charitatis abſque amore formali.

Probatur 4. Specialiter quod talia contritio ſit ſufficiena diſpoſitio ad juſtificationem: Tum quia, illa deteſtatio peccati propter DEUM ſummè diligibilem eſt etiam amor DEI, licèt ooo explicitus, ſaltem implicitus & virtualis; ſed talis amor ſufficit ad juſtificationem: ergo. Maj. patet, idem enim eſt deteſtari peccatum, quia malum DEI eſt, ac velle DEO carentiam peccati & amicitiam, licèt quoad modum tendendi differant hi duo actus, ſicut hi actus, quo volo Petro lætitiam, & quo nolo ei triſtitiam nam licèt unus ſic per modum proſecutionis, & alter per modum fugæ, re tamen verâ habeot idem objectum ſaltem virtualiter, cùm omoe nolle ſit propter velle ſaltem virtuale, dum enim odio habetur malum, aliquis ſupponitur amor virtualis circa ipſum, & ideò ipſummet odium eſt virtualis amor: ergo actua contritionia, qui ex motivo charitatis fit, ſemper eſt actus dilectionis, licèt oon ita explicitua, ac ſi tendetet

ret per modum proſecurionis. Min. verò principalis prob. per Scotum in 4. D. 14. q. 1. §. *ex his.* poteſt homo juſtificari per ſolam DEI dilectionem absque formali odio peccati, quando ſcilicet ſubitò raperetur ad martyrium vel maximâ intenſione amoris ſuccumberet oblivioni peccati commiſſi, ibi ſufficeret ad juſtificationem amor DEI virtualiter & in voto continens deteſtarionem peccatorum, aliàs daretur caſus, in quo peccator deſtitueretur ordinario medio ad ſalutem, quod eſt contra Scripturam DEI miſericordiam exaltantem: ergo eriam congruit à ſimili, ut poſſit homo juſtificari & ſalvari per ſolam deteſtatiooem perfectam peccati, quæ virtualiter & in voto DEI amorem contineat, quod valde congruit ſuavi DEI providentiæ & humanæ conditioni, quia nequit homo absque magna difficultate plura ſimul advertere & circa illa operari.

7 Objicies: nequit homo converti ad DEUM ſine formali DEI amore: ergo cùm per contritionem homo accipiat gratiam, & perfectè convertatur ad DEUM, contritio ſemper formalem DEI amorem includere debet. Antec. prob. tum ex Scriptura. 1. Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte.* & 1. ad Corinth. 13. *ſine charitate nihil ſum.* Tum ex Conciliis & SS. Patribus, nam Trident. Seſſ. 6. c. 6. dicit: *perfectam pœnitentiam ex dilectione DEI procedere.*

Reſpondeo neg. antec. probæ autem Scripturæ & Conciliorum nimiùm probant, quia probarent etiam univerſaliter, quòd nullus poſſet converti ad DEUM ſine formali DEI dilectione, quod falſum eſt io attritiooe cum Sacramento pœnitentiæ, ubi homo convertitur ad DEUM, licèt non formaliter diligat eom; hinc primus textus debet intelligi de dilectione tempore opportuno, & caſu præcepti obligantis, quod eſt poſitivum, & non ſemper in omni exercitio alterius actûs obligat, aliàs in omni actu bono morali deberet coojungi formalis DEI amor, ſecùs enim tales actus manerent in morte: ſic pariter eſt explicandus ſecundus textus, ſcilicet ſine charitate vel habituali vel actuali, ſi præceptum urget, nihil ſum apud DEUM, aliàs etiam ſperans, credens, temperans &c. nihil eſſet, ſi non haberet formalem actum amoris DEI, quod nemo dicit; adeóque paucis dicendo; Scriptura, Concilia, & Patres ſunt explicandi de virtuali vel formali amore, ita ut contririo, quæ eſt virtualis amor, vel ſupponat diſpoſitionem & & præparatiooem animi ad amandum, ut cauſet amorem, vel cauſetur ab eo.

Dices: Peccator dum delinquit, avertit ſe à DEO ut ultimo fine: ergo, ut tollatur hæc averſio, neceſſariò eſt converſio formalis in ultimum finem; ſed hæc converſio formalis fit per amorem DEI formalem: ergo.

Contra vel neg. 1. conſeq. quia poſſet ſufficere converſio virtualis, ſicut ſufficit ad peccatum virtualis averſio ab ultimo fine; vel potiùs neg. min. ſubſumptam; nam formalis converſio ad ultimom finem poteſt fieri per ſolum amorem virtualem, imò per perfectam averſionem à peccaro ex quocunque motivo divino, nam hoc ipſo, quòd divinum habeat motivum, eſt ad DEUM perfectè reverſus.

Dices: contritio diſponens ad juſtificationem reſtituit hominem in DEI amicitiam: ergo hoc ipſo non eſt ſine formali amore. Conſeq. prob. quia amicitia petit mutuum amorem.

Contra neg. conſeq. ejus probam diſting. amicitia petit mutuum amorem ſemper formalem actualem ex utraque parte, neg. ex unâ parte formalem, ex alterâ habitualem vel virtualem, conc. unde probandum eſſet adverſariis, an DEUS, dum vult renovare amicitiam cum peccatore præter actum deteſtandi, requirat ſemper in homine formalem amorem in primo illo inſtanti, quô amicitiam renovae, quod nos rationabiliter negamus, nam poſſet aliquis ſubitò rapi ad martyrium cum ſola deteſtatione ſui peccati absque actuali amore DEI elicito, & certò talis eſſet amicus DEI absque formali, licèt non ſine virtuali amore DEI.

Dices: Electio medii ſemper eſt poſterior electione finis juxta illud commune: ordinatè volens priùs vult finem & deio media ad illum; ſed contritio deteſtativa peccati eſt medium ad DEI dilectionem formalem: ergo eſt ſemper priùs volita formalis DEI dilectio.

Contra diſting. maj. eſt regulariter ſemper poſterior, conc. eſt abſolutè ſemper poſterior, neg. nam, ut docui in Tract. de actibus humanis; poteſt idem actus eſſe finis & medii; adeóque licèt contritio ſit ſæpè medium ad dilectionem DEI, poteſt tamen etiam eſſe medium ad hunc finem absque formali DEI dilectione, ut cooſtat ex probâ tertiâ; ut enim actus dicatur formalis DEI amor, noo ſatis eſt, quòd ſit ex morivo charitatis elicitus, ſed debet etiam immediatè terminari ad ipſum DEUM & ejus bonitatem tanquam objectum primarium, nam licèt charitas etiam amet proximum propter DEUM, oon tamen amor proximi eſt formalis amor DEI, ideò nec etiam odium peccati propter DEUM eſt ſtatim formalis amor DEI, cùm non ſit actus proſecurivus, ſed fugæ, ſed ſolùm eſt virtualis amor.

Dices: Odium mali oritur ex amore ſubjecti, in quo odio habetur malum; ſed contritio eſt odium peccati tanquam mali DEI: ergo oritur ex amore DEI. Maj. per ſe patet; quia ſi non amaretur ſubjectum, ſed odio haberetur, tunc non diſplicerent, ſed placerent mala ejus.

Contra diſting. maj. ex amore ſubjecti vel

vel formali vel virtuali, conc. ſemper formali, neg. maj. & per hoc patet ad probam.

Dices: Odium mali oppoſiti alicui virtuti oritur ex ipſa virtute dilecta formaliter; ſed contritio eſt odium peccati, quatenus mali oppoſiti amori DEI ſuper omnia dilecti: ergo oritur formaliter ex charitate in DEUM, cui illa mala opponuntur.

Contra vel diſting. maj. odium ſimplicis fugæ, conc. odium vindictæ, neg. maj. omnino odium ſimplicis fugæ competit cuique virtuti, quæ fugit ſibi oppoſitum vitium, aſt non quælibet vindicat contrarium ſicut pœnitentia, quæ pro vindictâ peccati præcipit cauſas pœnæ, ſcilicet, conſiderationem & odium peccati, cauſantes triſtitiam & dolorem. Sic diſting. min. contritio eſt odium peccati ſimplicis fugæ, neg. odium vindictæ, conc. min. & neg. conſeq. vel tranſmitto maj. diſting. min. contritio eſt odium peccati quà mali oppoſiti amori DEI ſuper omnia dilecti ſemper formaliter ut objecti *quod*, neg. dilecti virtualiter ut objecti *quo*, conc. min. quando ergo quis conteritur, non ſemper dicit: Doleo de peccatis propter DEUM, quem ſummè diligo, ſed propter DEUM ſummè diligibilem, in quo non includitur formalis amor; unde non competit dicere, contritionem ſemper odio habere peccatum quà malum DEI ſummè dilecti, ſed aliquando ſolùm quà ſummè diligibilis.

Dicas: Finis intrinſecus ſeu objectum *quod* contritionis eſt finis intrinſecus & objectum *quod* charitatis: ergo contritio non ſolùm concomitanter ſed formaliter eſt actus charitatis. Conſeq. patet, quia identitas finis intrinſeci concludit identitatem actuum. Antec. verò prob. finis intrinſecus contritionis eſt DEUS; cui placendum eſt per vindicationem peccati; ſed finis intrinſecus charitatis eſt DEUS, cui placendum eſt per ſui & ſuorum bonorum conſervationem: ergo.

Contra neg. antec. ad probam etiam neg. maj. quia DEUS à nullo actu pœnitentiæ reſpicitur ut finis *qui*, ut Diſtinct. prima diximus; quia finis *qui* pœnitentiæ eſt vindicabilitas peccati cauſanda per deteſtationem ex quodam motivo divino, aſt omnis actus charitatis proſecutivus reſpicit DEUM & bonum ejus, ut finem *qui*, & ideò dicitur virtus Theologica, per conſequens non eſt idem finis intrinſecus *qui*; ut patet inſtantiâ aliarum virtutum, quæ utique poſſunt & debent exerceri propter DEUM, & tamen DEUS non eſt finis *qui* ſeu objectum *quod*.

8 Aſſero 2. ad quæſt. *Contritio non ita neceſſariò procedit ex motivo formali charitatis, ut non poſſit etiam ex motivo juſtitiæ, quatenus peccata ſunt contra debitum & jus DEI, vel ex alio motivo ſpectante ad DEUM perfecta haberi contritio ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo.* Eſtque contra Thomiſtas plurimos Recentiores & noſtrum Pontium.

Probatur 1. Scotus citatus docet: quòd poſſit præcedere actus intentionis ſeu voluntatis vindicandi peccatum, qui non eſt actus charitatis, ſeu ex ejus motivo elicitus, ſed potiùs proprius actus virtutis pœnitentiæ, & ex motivo juſtitiæ elicitus, ex quo poteſt immediatè oriri deteſtatio peccati, & ideò dicit pœnitere ſecundùm quamcunque quatuor ſignificationem prædictarum ſufficit ad deletionem peccati, ut probat authoritas Ezech. 18. & 33. *quacunque die ingemuerit peccator &c.* ergo ut contritio ſit proxima diſpoſitio ad juſtificationem, ſufficit, quòd eliciatur ex motivo ſatisfaciendi DEO, vel conſequendi remiſſionem à DEO, vel reconciliationem cum DEO, & præſertim ex motivo proſequendi jus divinum in vindicandis transgreſſionibus legum DEI.

Probatur 2. Veræ contritioni promiſſa aſt ex Scriptura, ut ſit proxima diſpoſitio ad juſtificationem; ſed deteſtatio ex motivo propriæ pœnitentiæ, quatenus eſt virtus ſpecialis, vel ex motivo univerſaliori ſpectante ad DEUM eſt vera contritio: ergo talis eſt ſufficiens proxima diſpoſitio ad juſtificationem & perfecta contritio. Maj. patet ex Scripturâ Ezech. 18. & 33. min. prob. vera contritio eſt, per quam dicitur peccator ſufficienter agere pœnitentiam, & ſe à peccatis avertere; ſed per actus pœnitentiæ ex motivo juſtitiæ, vel alio motivo DEI dicitur peccator ſufficienter pœnitentiam agere, ut iterum patet per Scripturam Ezech. 18. & 33. ubi non dicitur, quod ſufficiens pœnitentia debeat eſſe ex formali motivo charitatis, & valde durum eſſet illum actum, qui maximè propriè conſtituit virtutem pœnitentiæ, non eſſe idoneum ad remiſſionem peccatorum & juſtificationem, & ideò non benè eſſet appropriatum nomen pœnitentiæ tali actui, ſed potiùs debuiſſet appropriari charitati: ergo.

Probatur 3. Illa eſt vera contritio, quæ deteſtatur peccatum ſuper omnia alia mala appretiative propter DEUM, aut ejus attributum; ſed actus pœnitentiæ ex motivo juſtitiæ, aut ſpecialis pœnitentiæ, ita deteſtatur peccatum: ergo. Min. prob. ex motivo pœnitentiæ, aut juſtitiæ, propter DEUM, peccatum eſt deteſtabile ſuper omne malum, etiam DEO indebitum, & ſit formalis converſio ad DEUM, quatenus peccator ſe avertit à peccato, quà eſt contra excellentiſſimum jus DEI. Imò etiam talis averſio eſt propter bonum DEI, & de peccatis; quatenus ſunt malum DEI: propter bonum DEI, non quidem, quà ſimpliciter DEO conveniens, ſed quà DEO debitum, & de peccato, quà malo, DEO indebito: ergo.

Probatur 4. Ideò per adverſarios contritio diſpoſitio proxima ad gratiam neceſſa-

riò debet procadera ex motivo charitatis, quia pœnitentiæ ex tali motivo elicitæ gratia, juſtificatio, & remiſſio peccatorum, eſt promiſſa in Scriptura ut Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm;* ſed non minùe frequenter in ſacra Scriptura promittitur juſtificatio perfectæ deteſtationi peccatorum ex ſolo pœnitentiæ motivo, quatenua eſt ſpecies juſtitiæ vindicativæ, ut patet ex cit. Ezechiele c. 18. & 33. ergo hæc libereliora DEI promiſſa nimia rigoroſè reſtringerentur ad contritionem ſolùm ex motivo dilectionie eliciendam.

9 Objicies 1. communis modus loquendi Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum eſt charitatis motivum eſſe neceſſarium, ut peccata extra Sacramentum remittantur per contritionem, & ideò communiter definitur contritio: quòd ſit deteſtatio ex motivo charitatia ſeu propter DEUM ſummè dilectum.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam licèt illud communitèr dicant de contritione ex motivo charitatis, de illa autem ex motivo juſtitiæ nihil expreſsè dicunt; ideo manet authoritae negativa, quæ nihil probet cum ille definitione; nam dico per illam eſſe definitam contritionem perfectiſſimem & excellentiſſimem, ut communiter fieri ſolet, utpote dt que maximè & univerſaliter epud omnes etiam fide certum eſt, quòd ſit diſpoſitio proxima ad juſtificationem, quâ certitudine non ita certum eſt, ſed ſolùm probebile de contritione ex motivo juſtitiæ vel alio; hinc contritio ſufficiens univerſalius poſſet definiri: quòd ſit dolor & deteſtatio peccati, quatenua offenſæ & injuriæ DEI cum propoſito non peccandi, quæ definitio videtur tradite à Trident. Seſſ. 14. c. 4. ubi nullius motivi formalie charitetia fit mentio, licet in alio loco etiam per motivum charitatis definiat contritionem ſcilicet excellentiſſimam.

Dices: Concilie & Patrea docent peccatores toto corde ad DEUM debere converti; ſed hoc fieri non poteſt, niſi actua contritionie procedat ex motivo charitatia DEI ſuper omnia: ergo.

Contra neg. min. nem homo etiem toto corde converti poteſt ad DEUM ex alio motivo v.g. juſtitiæ, quatenùa ſe avertit à peccatia, in quantùm ſunt contra bonum DEO debitum, & in quantùm offenſam & injuriam DEO irrogent, licèt ſe non evertat è peccatis præcieè ex eo, in quantùm peccata ſunt contra bonum DEI, & DEO diſplicent, nam non videtur poſſe negari taltm eſſe contritum, qui dolet de peccatis, quetenus ſune contra DEUM ſummè appretiatum præferendo eum cum ſuo jura omnibue aliierebue abſtrahendo de reliquo ab una vel alia formalitate, in quantùm ſcilicet peccata ſunt contra bonum DEI.

Dices: ergo etiam attritio extra Sacramentum ſatis convertet hominem ad DEUM, & avertet à peccato, cùm ſufficiae ad juſtificationem dolor da peccatis ex motivo inferiore motivo charitatis.

Contra neg. illatum, nam per attritionem non ſemper ſe convertit homo ad DEUM, neque perfectè, quantum ſufficit, ſed imperfecto valde modo, quia non deteſtatur peccatum ullo modo propter DEUM immediatè aut ex motivo divino, ſed ex aliquo motivo infra DEUM v. g. ex turpitudine peccati vel metu gehennæ, ideò mirum non eſt, quòd Sacramentum ſupervenire debeat, ut peccator dicatur ſe ſatis convertere ad DEUM, aut avertere à peccatis, econtra autem per quamcunque pœnitentiam perfectam peccator dicitur ſufficienter converti ad DEUM, quia adhuc eſt immediatè, & perfectè ad DEUM, licèt non perfectiſſimè, quod non habet attritio.

Dices: Actus ſpei Theologicæ, quo quis ex motivo ſpei deſiderat DEUM poſſidendum, ſi quia ex tali deſiderio dolet de peccatis, eſt dolor perfectior, quàm dolor elicitus ex motivo juſtitiæ vel pœnitentiæ; ſed dolor de peccatis ex motivo ſpei non ſufficit, ut ſit ultima diſpoſitio ad juſtificationem extra Sacramentum: ergo non dolor ex motivo juſtitiæ. Min. patet, quia ille dolor eſt ſolùm attritio propter amiſſionem gloriæ.

Contra diſting. maj. actus ſpei Theologicæ ſecundùm ſe ſpectatue, quatenus ſcilicet directè DEUM attingit, eſt perfectior, conc. ſecundùm rationem, quâ diſponeret ad juſtificationem, neg. maj. conc. min. neg. conſeq. nam licèt actus ſpei ſit perfectior, in quantùm virtus Theologica, nihilominus actue pœnitentiæ quo volo bonum, & ſugio malum, præcedit, cùm habeat pro objecto *cui* DEUM; dolor eutem ex deſiderio beatitudinis eſt ex amore concupiſcentiæ, quô principaliùe amo me ipſum quam DEUM, volo enim DEUM mihi per talem actum, ideò eſt minoris excellentiæ, quia non convertor præferendo DEUM mihi, ut requiritur ad perfectam converſionem & contritionem, quæ debet ex toto corde præferre DEUM, ſicue per peccatum ſe prætulit homo DEO.

Objiciee 2. Specialiter cum Pontio: Nemo adultue rationia compoe acquirit regnum cœlorum ſine merito de condigno; ſed hoc eſſet falſum, ſi contritio non eſſet ex motivo charitatia: ergo. Maj. petet, min. prob. quia qui eliceret contritionem ex alio motivo, juſtificaretur; ſed ex alio motivo non eſt meritum de condigno, & conſequenter, ſi talis moreretur, antequam eliceret actum charitatis, conſequeretur regnum cœlorum abſque meritò de condigno: ergo. 10

Reſpondeo ex Scoto in 4. D. 14. q. 2. *ſ. de ſecundo ad finem.* Neg. min. ad probam diſting. min. non eſt meritum de condigno in eodem inſtanti temporis, quô elicitur, neg. non

non eſt de condigno in eodem inſtaoti naturæ, conc. min. nam de actu contritionia ex motivo juſtitiæ eodem modo eſt diſcurrendum, ſicut Scotus diſcurrit de actu contritionis ex motivo charitatia, quem etiam ipſiſſimum actum, dicit Scotua, non delere per modum meriti de condigno peccatum ut priorem naturâ infuſione gratiæ, ſed ſolùm per modum meriti de congruo, & per modum diſpoſitionis.

Dices: quomodo ergo verum eſt, quod Theologi conſtituant actum contritionia eſſe meritorium de condigno gloriæ?

Contra eſt ex Scoto cit. talem dici ob ſupervenientem gratiam informantem in eodem inſtanti temporia, in quo duo ſunt aſſignanda inſtanria oaturæ, in ono antecedit illa ultima diſpoſitio ſeu contritio ipſam gratiam, & ut eſt prior illâ, in altero ipſam concomitatur, & jam intelligitur contritio formata gratiâ; io primo illo inſtanti naturæ, in quo diſponit ad gratiam, & in quo adhuc intelligitur informis, non eſt meritoria de condigno; in ſecundo verò ſigoo, in quo contritio dicitur per gratiam informata, eſt meritoria de condigoo gloriæ & præmii; ex quo pater ad cootritionem, proùt eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem, non requiri, ut ſit conjuncta cum habitu charitatis, & gratiâ aut ab hac informata, cùm ſic ſupponeret joſtificationem, & non diſponeret ad illam, aliàs diſponeret gratia ad ſe ipſam, nec diſpoſitio præcederet formam, ubi tamen juxtà omnes diſpoſitio debet vel tempore vel naturâ præcedere formam; unde ſufficit, ut ad illum actum concurrat auxilium DEI actuale, quamvis pro eodem inſtanti temporis habear charitatem & gratiam infuſam conjunctam pro merito gloriæ condigno; adeóque quod Scotus illam contritionem, quæ eſt in primo & ſecundo ſigno naturæ informata gratiâ, vocet contritionem ut contritionem, loqoitur antonomaſticè, ſeu quòd ſit excellentiſſima contritio, quatenus ſcilicet non tantùm diſpoſitivè, ſed etiam formaliter ratione annexæ gratiæ habeat vim expellendi peccatum.

QUÆSTIO IV.

An contritio deteſtetur peccatum ſuper omnia mala, & an ad eam requiratur diſtincta recogitatio omnium peccatorum in particulari?

1 ADvertendum eſt 1. Poſtquàm de quidditate ex objecto contritionis actum eſt, nunc agendum venire de quibuſdam modis, præſertim exteoſionis ad alia objecta & peccata, pro quo certum eſt illam contritionem & deteſtationem peccati ſuper omnia dici, quæ ſuperat odium omnium cæterorum malorum, nam deteſtari ſuper omnia eſt deteſtari plus quàm alia omnis mala, ſicut amare aliquid ſuper omoia dicimur, quando illud plua amamua, quàm omnia alia; dupliciter autem poteſt unus dolor excedere omnem alium dolorem, ſcilicet inrenſivè, quandò nimirùm illa deteſtatio plnres habet gradus inrenſioois, quàm omnia alius dolor de aliia malia, eo quòd voluntas maximo conatu feratur in illum actum. Secundò appretiarivè, quando nempe unum objectum præ omnibua aliis deteſtamur, ita, ut ſi neceſſe ſit deſiſtere, quòd volunras potiùa ab odio quovis alrerius mali dimoveatur, quàm ab odio illius, quod ſuper omnia odit: v. g. ſi nullum malum ita odio habeam, qoàm peccâſſe, ſicut amare appretiativè dicor, ſi ita amo, ut paratua eſſem, ſi neceſſe foret, quodlibet præ illo negligere, qui actus poteſt eſſe remiſſus & ſtare cum intenſiſſimo amore alterius boni: v. g. ſæpè quia intenſioa diligit bonum amicum quàm patrem, nihilominùs vi paterni amoris magia appretiarivè ſolet amare patrem, ita ut pararua ſit, ſi neceſſe foret amorem illum intenſum negligere, potiùa vellet ſobvenire patri quàm amico; ſic etiam ſæpè cum lachrymis odio habent parenres mortem filiorum intenſiſſimè, quem tamen dolorem de peccatis rariſſimè habent, & tamen ita amant DEUM, & deteſtantur peccatum, ut mortem omnium liberorum ſint parati eligere, quàm peccare; hinc eſt difficultaa, quooam modo debeat contritio deteſtari peccatum ſoper omnia, ſcilicet, an intenſivè, an appretiativè?

Adverteodum eſt 2. adhuc duaa aliaa exſurgere difficultatea; prima eſt, ao ad contritiooem requiratur, ut ſit diſtincta deteſtatio pro quolibet peccato in particulari, hoc eſt, an cuivis peccato mortali debeat correſpoodere ſua propria dereſtatio, ſi plura ſcit, & advertit ſe habere mortalia, vel an ſufficiat onica contritio univerſalia de pluribus ſuia peccatis, vel an ſufficiat de uno peccato, licèt cætera nullatenus deteſtetur, ſi ſcit ſe plnra habere, nam ſi invincibiliter crederet ſe non habere niſi unum, licèt à parte rei plura commiſerit, non eſſet dobium, quin per dereſtationem de illo uno peccato fructuosè pœniteat, quia talis contritio formalia de uno peccato eſſet virtualis contritio de reliquis ignoratis. Altera autem difficultas eſt, an habens plura peccata, ſive ejusdem, ſive diverſæ ſpeciei, ut veram habeat contritiooem, debeat ſiogula peccata diſtinctè cogitare, ita ut nullatenus ſufficiat de peccatis ſuis ſolùm in confuſo cogitare, & quidem ſolùm extra Sacramentum, nam in ordioe ad Sacramentum pœnitentiæ omnes concedunt ſimile exameo & cognitionem peccatorum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti confeſſionis, pro quibus difficultatibus tanquam certum ſupponitur ad contritiooem requiri ex parte intellectûs conſideratiooem & 2

memoriam aliquam de peccatis commiſſja sb illo, qui pœnitentiam agit, non enim ſatis eſt conſiderare peccatum aut malitiam, & ejusdem ſimplicem diſplicentiam elicere, cùm & hoc beati ſaciant, ſed oportet peccatum recognoſcere ut à ſe commiſſum, ac de eo vindictam ſumere. His notatis.

3 Propoſitio 1. *Secundùm rectam rationem poteſt eligi & præferri malum gehennæ malo culpæ.* Ratio eſt contra Veranum Tom. 8. Diſp. 21. Sect. 4. n. 12. Ratio eſt ex Scriptura 2. Machab. 6. ubi Eleazarus amicis ſuadentibus, ut leges patrias violaret, aut ſaltem violare ſe fingeret ad evirandam mortem, promptè reſpondit: potiùs permitri ſe velle in infernum mittere &c. ſed ſi hoc eſſet contra rectam rationem, non tam Scriptura, quàm SS. Patres ſummoperè laudarent hoc factum & dictum, uti laudat & dixit etiam S. Anſelmus L. 2. de ſimilitudinibus c. 190. ſe malle à peccato purum infernum intrare, quàm peccati ſorde pollutum cœlorum regna tenere. Tum quia meliùs videtur eſſe mala omnia pati, quàm malo culpæ aſſentiri, quia cùm culpa ſit malnm DEI, & geheona malum hominis, utique Chriſtianus poteſt deteſtari malum culpæ ſuper omne malum pœnæ etiam æternæ: ergo.

Nec dicas cum Verano: eatenus appetitus licitè movetur, quatenus conſormat ſuoa actus rectæ rationi, dictanti eum eſſe movendum in ſuum quietativum, vel in ea, quæ conducunt ad ſuum quietativum; ſed gehenna non eſt quietativum appetitûs, nec ad hoc conducit, ſed potiùs eſſentialiter hoc excludit: ergo ſaltem pœna gehennæ non eligitur ſecundùm rectam rationem.

Reſpondeo diſting. min. gehenna non eſt quietativum appetitûs ſimpliciter & ordinariè, conc. non eſt quietativum in eo ſtatu, in quo nullum aliud melius bonum adeſſe concipitur, neg. min. nam ſi poneretur aliqua hypotheſis licèt à parte rei & effectivè impoſſibilis, affectivè tamen ex parte virtutis poſſibilis, quod unum eſſet neceſſariò eligendum, vel torqueri pœnâ æternâ vel malum culpæ incurrere, certè in hoc caſu prudenter dictaret ratio, melius eſſe bonum, pati pœnam quàm malum culpæ ut bonum delectabile appetere, cùm recta ratio dictet DEUM eſſe amandum ſuper omnia, conſequenter etiam ſupra calamitoſiſſimum ſtatum inferni, & licèt talis ſtatus à parte rei ſit plenus culpis & perpetua carentia DEI ſummè boni & quietativi, poteſt tamen præſcindi & removeri à pœnâ æternâ illa malitia culpæ & perpetua carentia DEI.

4 Propoſitio 2. *Ad odium contritionis non requiritur, ut ſit intenſior, quàm quodvis aliud odium de alio malo.* Ratio eſt, quia nullum eſt præceptum Divinum vel Eccleſiaſticum, ut odium & dolor contritionis debeat habere plures gradus vel partes, quàm odium de aliis malis: ergo non requiritur. Conſeq. tenet, quia ſine illis præceptis non eſt tam gravis obligatio imponenda in iis, quæ ad ſalutem pertinent, ubi millenis ſcrupulis & difficultatibus eſt locus. Imò praxis pœnitentum etiam perſectiſſimorum docet, hos ſe credere cum actu contritionis tam intra, quàm extra Sacramentum eſſe diſpoſitos & cum DEO reconciliatos, licèt non experiantur, aut à Confeſſariis impellantur ad majorem intenſionem odii peccati, quàm alterius mali.

Nec dicas: odium contritionis ſpectat ad amorem DEI ſuper omnia; ſed de hoc eſt præceptum, ut diligamus DEUM ex toto corde & ex totis viribus, hoc eſt, intentiſſimè per ſummum conatum: ergo debet eſſe contritio intenſior de peccato, quàm de aliis malis, aliàs non adhiberet ſuas totas vires, cùm plures adhiberet in aliis malis odiendis, quàm malis DEI.

Reſpondeo neg. explicationem min. quia ex illo præcepto non plùs colligitur, quàm obligatio diligendi DEUM ſuper omnia æſtimativè ſeu appretiativè, ita ut pro nulla creatura velimus offendere DEUM, & in hoc conſiſtit totalitas cordis & virium, non verò in totalitate intenſionis, quæ in hac vita impleri non poteſt, nec in tali majoritate, quâ major ab homine non poteſt elici, cùm non in tanto rigore videatur nos DEUS obligâſſe dando occaſionem perplexitatum & ſcrupulorum in obſervantia hujus præcepti, adeóque illud præceptum ſolùm obligat ad ita amare DEUM, quatenus ſufficit ad excludendum affectum ad peccaminoſam creaturam, ad quod ſufficit totalitas appretiationis, cùm poſſit quis de DEO talem habere æſtimationem, ut propter ſuam bonitatem illum velit præferre omnibus bonis creatis, & tamen non niſi remiſsè tendere in hunc actum. Vide plura ex Tract. de charitate.

Propoſitio 3. *Poſſet per accidens contingere per exceſſum magnitudinis contritionem reddi vitioſam.* Ratio eſt, quia poteſt prævideri, quòd ex intenſiſſima contritione oriatur morbus gravis & mors, ſed in tali caſu contritio eſſet vitioſa: ergo. Maj. ſupponitur poſſibilis, quòd ſcilicet tanta ad intenſiſſimam & vehementiſſimam contritionem poſſit ſequi triſtitia in voluntate, ut adeò acerrimum dolorem refundat ad phantaſiam, ut gravis morbus ſequatur. Min. verò prob. nulli licitum eſt inferre ſibi gravem morbum vel mortem etiam per quæcunque opera, cùm potiùs homo naturali præcepto teneatur non operari illa, quæ graviter nocent ſaluti & corpori. 5

Nec dicas: tenetur quis cum jactura vitæ fidem externam profiteri coram tyranno: ergo etiam poterit cum mali corporalis periculo contritionem quantumvis intenſiſſimam exercere. Conſeq. patet, quia non magis eſt neceſſaria extrema fidei confeſſio, quando ur- I

get

-get caſua legis, quàm contritio, dum oon adeſt Confeſſarius, & urget præceptum; hinc dilaudatur quam optimè D. Anſelmus, qui cupiebat ſuas medullaa exſiccari ex intenſiooe Divini amoria.

Reſpondeo neg. conſeq. ad ejua probam diſting. antec. non magis neceſſaria eſt extrema Fidei Confeſſio, quàm contririo quæcunque, conc. quàm intenſiſſima, neg. entec. adeóque omnino debita contririo tam bene eſt neceſſarie quàm Fidei Confeſſio ad ſalutem, ſed non contririo intenſiſſima taota inferens mala, ſicut Fidei Confeſſio illa inferena, nam fides in præſentia tyranni nequit minui, aut palliari, ſed quaſi in indiviſibili conſiſtit, & DEUS cum periculo vitæ illam præcipit; aſt contritio poteſt mioui, neque cum illa intenſione eſt præcepta, ideò poteſt eſſe vitioſa non ſolùm, quando tele malum per ſe intenditur, ſed etiam ſi rationabiliter prævideatur. Ad D. Anſelmum dico: ſolùm fuiſſe locutum per exceſſum & exaggerationem, nunquàm tamen ecto amoria ſibi exſiccavit medullas, nec exſiccare potuit, cùm nullus ſit Dominus ſuæ vitæ vel membrorum, & licèt poſſet quis ob ferventem amorem ſibi optare malum phyſicum, non tamen poteſt illud ſibi procutare; neque per ſe, neque per alium ſibi infligere: v. g. poſſum mihi optare mortem ſubire propter DEUM, non tamen poſſum mihi eam procurare.

6 Propoſitio 4. *Peccatum veniale proprium eſt magis deteſtabile quàm mortale alienum, & ita ſaltem virtualiter debet eſſe diſpoſitus pœnitens.* Ratio eſt, quia inclinatio charitatia magis inclinat ad proprium ſobjectum, in quo eſt, ad diligendum DEUM, quàm alienum ſubjectum: ergo ratio motiva charitatia inclinat magis ad diſplicentiam peccati proprii venialia, quàm alieni mortelia. Antec. patet, quia proprium amici eſt nunquam velle malè amico facere, ſed ſi propriom vellet etiam leve peccatum committere quàm permittere alienum grave, vellet amico diſplicere: ergo. imò peccatum leve committere ſemper eſt melum, & fugiendum, ſed ſi ex motivo contritioois mallem leviter peccare, ne quis alius peccet graviter, elicerem actum malum, ut ſupponitur, nam ſi talia actus non eſſet melus, eſſet cootra ſuppoſitum quæſtionia, quod repugnat motivo charitatia: ergo.

Nec dicas: charitas noo attendit bonum proprium, ſed ſolùm bonum DEI: ergò magia deteſtatur majus malom DEI, quàm minus, ſed proprium peccatum leve eſt minus malum DEO, quàm mortale alieoum: ergo hoc magia deteſtatur. Cooſeq. prima petet, quie charitas admittit aliquem ſe exponere periculo peccandi venialiter ad impediendum mortale proximi: ergo magia deteſtarur majus malum.

Reſpondeo diſting. primum conſeq. magis deteſtatur, ſi malum majus ſit reſpectu proprii ſubjecti, conc. ſi ſit reſpectu ſubjecti alieni, neg. conſeq. nam prima inclinatio formæ ſemper eſt reſpectu proprii ſubjecti; hinc licèt charitas non attendat proprium bonum, ſed DEI, hoc tamen non atteodit utconque, ſed prout ad ſe faciendum. Hioc ad probam conſeq. oeg. conſeq. oam aliud eſt ſe exponere periculo peccandi venialiter, & aliud eſt peccare venialiter, hoc ſecundum nunquem eſt elegibile ſecundùm rectam rationem, bene tamen aliquando primum, quia poſſum mihi cum ſpeciali divino auxilio promittere me non peccaturum venialiter ad evitandum peccatum alienum mortale.

Propoſitio 5. *Peccatum tam veniale quàm mortale perſonale eſt magis deteſtabile quàm originale.* Ratio eſt, quia peccatum, quo magis eſt malum voluotarium, eo eſt deteſtabilius, ſed peccatum perſonale eſt magia voluntarium malum, ut de ſe patet: ergo. Maj. etiam patet, quia potiſſima malitia peccati conſiſtit io voluotario: ergo quo magia eſt voluntarium, eo majus eſt malum, & ſic eo magia deteſtabile. De veniali verò reſpectu originalis ratio eſt aſſumenda ex propoſitione priori, nam illud originale adhuc manet phyſi. è & formaliter alienum, quamvis fiat moraliter virtualiter, & ex neceſſitate quadam conſequente cuilibet proprium. 7

Nec dicas: illud eſt magia deteſtabile, quod DEUS megia odit, & punit, ſed magis odit, & punit originale: ergo hoc eſt magis deteſtabile.

Reſpondeo diſting. maj. ſi embo æquè procedant a voluntate propria, conc. ſi oon æque, ocg. maj. ſic igitur admitto mortale alienum, ut eſt originale, eſſe ſimpliciter & ſecundùm ſe deteſtabilius, non tamen reſpectu propriæ voluntatia committentia aliquod mortale; ex hia petere poteſt, Beatam Virginem ex inclinetiooe charitatia erga DEUM maluiſſe potiùs præſervari à venieli quàm originali, & pluria æſtimâſſe privilegium de carentia omnia peccati venialia quàm originelia; hinc licèt Doctores reputant originale eſſe majua malum in ſe & ſimpliciter quàm veniale, cùm deducant ex careotia peccati venialia in Beata Virgine etiam carentiam originalis, quod eſt majua malum, & ſi DEUS minimum malum ooluit eſſe in ſua B. Matre, multò magis noluit eſſe, quod majus malum & diſplicens DEO eſt, noo tamen ex hoc ſequitur, quòd privilegium de immunitate originali juxta regulas charitatia debuit magis eligi è Beata Virgine, quia vera charitas minùs quærit commoda ſua, quàm etiam minimam everſionem ſuæ propriæ voluntatia à dilecto, hoc eſt, regulata charitaa magis inclinat, ne quis avertat ſe à DEO, quam ut DEUS non evertatur ab illa, ſeu optabilius eſt voluntati amare DEUM, quam amari à DEO.

8 Propoſitio 6. *Saltem virtualiter per contritionem magis debet deteſtari peccatum gravius, quàm minus grave, licèt non formaliter.* Ratio primi eſt, tum quia peccatum eſt ideò deteſtabile, quia eſt offenſa DEI & contra DEUM; ſed peccatum gravius eſt major offenſa & magis contra DEUM, quia contra majorem prohibitionem: ergo magis debet deteſtari peccatum gravius quàm minus grave. Tum quia voluntas per actum averſivum magis deteſtatur illud, in quod magis cadit ratio motiva illius actûs, ſed hæc ratio motiva, cùm ſit malum DEI, magis cadit in majora mala DEI: ergo magis deteſtatur majora peccata. Ratio ſecundi eſt, quia illa major deteſtatio non debet eſſe formalis: ergo ſufficit virtualis. Antec. prob. quia aliàs ſequeretur, quòd ſi pœnitens haberet plura peccata inæqualia, neceſſariò deberet de majori peccato intenſiùs odium elicere quàm de minori, de quo tamen nullus etiam plurimis peccatis onuſtus pœnitens admonetur à praxi Eccleſiæ; imò millenis ſcrupulis exponeretur pœnitens, cùm non poſſit ſcire, an magis de uno quàm altero peccato doluerit: ergo non requiritur formaliter & expreſsè major deteſtatio, ſed solùm virtualiter per implicitam & virtualem comparationem unius peccati cum alio.

Nec dicas: odium majoris peccati non poteſt eſſe majus, quàm odium alicujus minoris peccati gravis: ergo non poteſt ita magis deteſtari. Antec. prob. odium peccati eſt ſuper omnia, ſed odium ſuper omnia non admittit majorem exceſſum: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad probam diſting. maj. odium eſt ſuper omnia mala, conc. eſt ſuper omnia odia, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. nam ſicut peccatum quodlibet non eſt ſuper omnia peccata, licèt ſit ſuper omnia mala pœnæ, ita nec odium cujuslibet peccati eſt ſuper omnia odia, licèt ſit ſuper omnia odia malorum pœnæ etiam æternæ, cùm non quodlibet peccatum ſit ejuſdem ſpeciei malitiæ, neque omne æquè diſplicet DEO, ſed aliquod magis, aliquod minùs, ideò non omnia æqualiter appretiativè ſunt deteſtabilia.

9 Propoſitio 7. *Habens plura peccata ſive ejuſdem, ſive diverſæ ſpeciei poteſt per unum omnino actum contritionis verè conteri.* Ratio eſt, tum quia ad contritionem non plùs requiritur, quàm ut ſit deteſtatio peccati, ut eſt offenſa DEI, ſed poteſt quis plura peccata ſub eodem motivo offenſæ DEI deteſtari: ergo talis deteſtatio æquè erit contritio, ac ſi de quolibet in particulari foret. Min. prob. dum plura credibilia ſimul proponuntur, non eſt neceſſe, ut quodlibet actu diſtincto credatur, ſed ſufficit, ſi uno aſſenſu ſub motivo divinæ veracitatis credantur: ergo. Conſeq. patet, quia deteſtans ſimul omnia peccata ſub motivo offenſæ DEI avertitur ſimul ab omnibus, ſicut deteſtans ſucceſſivè avertitur ſucceſſivè. Tum quia nullum eſt præceptum, nec naturale, nec divinum, nec Eccleſiaſticum de pluralitate contritionum: ergo ſine fundamento tam gravem obligationem inducere minimè oportet. Antec. patet, quia natura hoc non dictat, nec Scriptura mandatum divinum perhibet, ſed potiùs oppoſitum per Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita vivet.* Ubi de omnibus pœnitentia in ſingulari exigitur, nec in plurali, cujus congruentia eſt, quia aliàs in infinitis caſibus periculi, mortis, præſertim in his, qui habent plurima peccata, eſſet ſalus moraliter impoſſibilis, non enim poſſent tot diſtinctas contritiones elicere. Tandem nullum Concilium hoc ſancivit; nec lex humana tam gravem obligationem poteſt introducere, adeóque Catechiſmus Romanus pluralitatem contritionum ſolùm ſuadet ut quid perfectius, non verò ut quid neceſſarium exigit; imò praxis fidelium non exigit talem pluralitatem contritionum, unde ſi neceſſaria eſſet, careret Eccleſia praxi neceſſariâ ad ſalutem, quod dicendum non eſt.

Nec dicas: eo modo peccata ſunt deteſtanda, quo fuerunt commiſſa, ſed ſingulis actibus ſunt commiſſa peccata: ergo. Maj. prob. averſio à creatura per pœnitentiam debet opponi converſioni ad creaturam per peccatum: ergo ſi ſunt plures converſiones ad creaturam, debent etiam eſſe plures averſiones à creatura per pœnitentiam, quia ſinguli graves morbi requirunt ſpeciales medicinas.

Reſpondeo diſting. maj. eo modo ſunt deteſtanda quoad affectum, & retractationem affectûs, conc. eo modo quoad multiplicitatem actûs, neg. maj. conc. min. neg. conſeq. ad probam conc. antec. diſting. conſeq. debent eſſe plures averſiones formaliter, neg. æquivalenter, conc. conſeq. nam averſio à creaturis per unicam deteſtationem ſufficienter opponitur multiplici converſioni ad eas, nam cum ſit propter DEUM ſummè dilectum, excludit omnem converſionem ad creaturas diligibiles prohibitas, & ideò æquivalet pluribus particularibus averſionibus à creaturis; adeóque ad illos morbos ſpirituales, cùm in hoc uno quod ſint contra DEUM, ſit potiſſima malitia, etiam una ſufficiet medicina efficax, ſcilicet deteſtatio propter DEUM ſummè dilectum; nec paritas de confeſſione vocali, quòd in illa omnia peccata ſint ſpecialiter dicenda, eſt ad rem, quia Sacramentum Confeſſionis eſt inſtitutum per modum judicii, adeóque diſtinctè debet pœnitens ea in memoriam revocare & confiteri, ut Confeſſarius poſſit juſtè ferre ſententiam, ſed vi hujus inſtitutionis non tenetur peccator ſingillatim diſtinctos actus elicere doloris, ſed unicus dolor erit ſufficiens ad omnia peccata in communi determinatus, & confeſſioni conjunctus.

Pro-

10 Propoſitio 8. *Contritio fructuoſa debet eſſe adæquata de omnibus mortalibus, ita ut non poſſit unum mortale deteſtari, qui ſimul omnia commiſſa deteſtentur ſaltem virtualiter.* Ratio eſt, tum quia Scriptura requirit pœnitentiam de omnibus peccatis ut Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis ſuis &c.* Tum quia perfecta contritio deteſtatur peccatum ſub adæquata latitudine, quatenus eſt contra DEUM, aut offenſa ejus: ergo repugnat unum mortale efficaciter deteſtari, quin ſimul omnia deteſtetur memoriæ præſentia ſaltem virtualiter. Conſeq. patet, quia ſi homo per contritionem deteſtetur ſuper omnia peccatum, jam eo ipſo repugnat eum retinere affectum & complacentiam ad peccatum, aliàs eo ipſo non deteſtaretur peccatum efficaciter, neque propter DEUM ſuper omnia, utpote non ſupra creaturam, cujus complacentiam præferret in alio peccato dilectioni DEI, ſicut implicat actus fidei, quò creditur DEUS ſuper omnia in omnibus ſuis revelatis verus, & aliqua revelata non credere. Tum quia nullum peccatum tum intra tum extra Sacramentum remittitur, niſi aliquando retractetur, ſed ſi contritio ſe non extenderet virtualiter ſaltem ad omnia peccata commiſſa, ſic aliquando peccatum commiſſum non eſſet retractatum: ergo per talem contritionem non condonabitur. Dixi ſaltem virtualiter, quia ſi memoriæ occurrunt etiam alia peccata, formaliter eſt pœnitendum de omnibus ſaltem in confuſo, ita ut nullum poſitivè excludat.

Nec dicas: Poteſt dari aliquis actus pœnitentiæ bonus de uno peccato, qui per ſe nec formaliter nec virtualiter eſt de aliis peccatis commiſſis: ergo. Antec. prob. non repugnat peccatorem moveri ad deteſtandum unum peccatum per peculiarem oppoſitionem cum aliqua perfectione divinâ non deteſtando cætera, v. g. ex affectu peculiari ad ſanctitatem divinam poteſt quis deteſtari blaſphemiam illi oppoſitam, non deteſtando peccatum injuſtitiæ contra proximum, quæ talem oppoſitionem non habet cum ſanctitate divinâ; ſed talis actus eſt laudabilis & ſupernaturalis, ſicut alii actus virtutum: ergo.

Reſpondeo diſting. antec. poteſt dari actus ille bonus ſimpliciter moraliter, conc. bonus ut oportet, & ut diſpoſitio ſufficiens, neg. antec. & conſeq. quia hoc ipſo, quòd peccator per talem actum deteſtetur unum peccatum ut ſpecialiter alicui divino attributo oppoſitum, in eo non eſt dolor ſe extendens ſaltem virtualiter ad alia commiſſa, & ideò nec eſt diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem, ne quidem cum Sacramento, cùm ex vi talis actûs non excludatur complacentia de alio peccato; ex eo ergo, quòd aliquis actus pœnitentiæ ſit laudabilis, imò & ſupernaturalis, non ſequitur, quòd ſit ſtatim diſpoſitio proxima ad juſtificationem, ut patet de attritione, quæ eſt actus bonus & ſupernaturalis, attamen ſine Sacramento inſufficiens ad juſtificandum peccatorem. His ergo propoſitis:

11 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Contritio Chriſtiana debet eſſe dolor deteſtans peccatum ſuper omnia mala etiam pœnæ æternæ. Aſt ſolùm appretiativè, non per comparationem formalem, ſed virtualem.* Eſt Scoti in 3. D. 27. q. un. §. *iſtis igitur*, & §. *de primo dico*. Eſtque communis Theologorum.

Probatur 1. pars: Ex pœnitentia Chriſtiana ſeu à fide dictata, imò, ut Scotus admittit, ex inclinatione naturali cognoſcit homo majorem honorem & amorem DEO deberi, quàm ſibi, ſeque amandum poſt DEUM: ergo ratio dictat intellectui fideli amandam eſſe potiùs conſervationem DEI, quàm creaturæ ipſius, & magis eſſe ſatiafaciendum DEO, quàm curandum de propriis commodis, ſed hoc ipſo debet odio habere peccatum ſuper omnia mala pœnæ etiam æternæ: ergo. Conſeq. prima, & ſubſumpta min. ſimul prob. ſi non magis deteſtaretur peccatum, quàm mala pœnæ etiam æternæ, convinceretur magis amare ſe, cujus deſtructionem non vult per malum pœnæ æternæ, quàm DEUM, cujus deſtructionem committeret non odiendo magis peccatum quàm pœnam æternam: ergo ne contritio ſit talis, debet deteſtari peccatum ſuper omnia mala etiam pœnæ æternæ. Antec. prob. tunc magis convinceretur ſe amare, quandò eſſet caſus, in quo DEUS eſſet poſtponendus, vel quando contritio eſſet talis, ut ſi iterùm peccandum eſſet, aut pœnæ infernales ſubeundæ, potiùs quis vellet peccare, quàm illas pœnas ſubire, ſed hoc utrumque ſequitur, ſi contritio non deteſtaretur peccatum ſuper malum pœnæ æternæ; quia in tali caſu pœnæ æternæ ſubeundæ DEUM poſtponeret, & potiùs vellet peccare, quòd non ſolùm eſt contra omnes Chriſtianos, ſed etiam contra Ethnicum dicentem: præſtat millies mori &c. ergo.

12 Probatur 2. pars: hoc ipſo quod contritio deteſtetur malum peccati ſuper omnia mala, etiam appretiat & æſtimat malum peccati eſſe ſuper omnia mala, & potiùs quodcunque eſſe admittendum, antequam malum peccati perpetrandum, ſi neceſſe foret unum ſubeundum: ergo deteſtatur contritio peccatum ſuper omnia mala appretiativè, ſed hoc ſolùm ſufficit, ut non requiratur etiam intenſior dolor de peccato ſuper omnes dolores aliorum malorum, ut diximus propoſitione ſecunda: ergo ſolùm appretiativè ſuper omnia mala deteſtatur contritio peccatum.

13 Probatur 3. pars: Nullum principium naturale vel fidei hoc dictat ita voluntas quaſi dicat expreſsè ſe velle quodvis aliud malum hoc vel illud pati, quàm peccare: ergo nec nos ſimilem arduam neceſſitatem debemus aſſignare. Antec. patet, nullus habet

hoc

hoc dictamen ſive à principiis fidei, ſive à doctrinis acquiſitis, ut recogitet omnia mala pœnæ, ut peſtis, famis, belli, incendii &c. & facta comparatione cum peccato dicat: deteſtor peccatum ſuper omnes has pœnas, & ſi unum horum eſſet eligendum, potiùs eligerem omnes iſtas pœnas, quàm peccatum: ergo non eſt neceſſe per comparationem formalem & expreſſam, ſed ſolum per virtualem deteſtari peccatum ſuper omnia. Antec. & conſeq. ſimul prob. à pari: Dum urget præceptum amandi DEUM ſuper omnia appretiativè, non eſt neceſsè, ut recogitemus omnia objecta amabilia, & dein factâ comparatione quaſi dicamus: plus nos amare DEUM, quàm iſta omnia amabilia, ſed ſufficit, ut ſit æſtimabilis ſuper omnia: ergo.

14 Objicies contra 1. partem: nec præceptum naturale, nec poſitivum poteſt aſſignari, quod contritio debeat eſſe ſuper omnia mala præſertim pœnæ æternæ: ergo.

Reſpondeo neg. antec. Hoc lumen naturale & præceptum divinum oſtendit: lumen naturale, nam hoc dictat, objectum quò eſt perfectius, eò eſſe diligibilius, & malum, quò deterius, eò deteſtabilius, ſed nullum objectum eſt DEO perfectius, & nullum malum offensâ DEI deterius: ergo hoc ipſo deteſtatur peccatum plùs quàm omnia cætera mala. Præceptum divinum etiam id oſtendit; nam præcepto amoris jubemur DEUM noſtrum ex toto corde, ex totis viribus diligere, ita, ut minùs appretiativè debeamus amare patrem & matrem &c. juxta illud. *Qui amat patrem vel matrem plùs quàm me, non eſt me dignus:* ergo etiam econtra, qui non odit malum meum, quod eſt peccatum, plùs quàm mala ſua vel parentum, non erit DEO dignus.

Dices: Ex his præceptis ſolum colligitur exceſſus amoris, non deteſtationis peccati ſuper omnia mala, quia diſpar eſt ratio, in amore enim amamus quid increatum, quod ſuper omnia eſt amabile, aſt in odio deteſtamur quid creatum, in quo non poteſt talis exceſſus inferri: ergo.

Contra neg. aſſumptum, quò enim creſcit amabilitas objecti, eò creſcit deteſtabilitas eorum, quæ deſtruunt ſimile objectum, quæ ſunt peccata, nec illa diſpar ratio ſufficit, nam licèt deteſtatio reſpiciat offenſam creatam, adhuc tamen debet habere illum exceſſum ſuper omnia mala, quia peccatum eſt malum contra DEUM, ſeu terminatum ad objectum increatum: & alia mala non ideò; cùm ex tali terminatione creſcat in exiſtimatione offenſæ malum peccati, quia eſt ſuper omnia mala, igitur etiam ſuper omnia mala debet odio haberi.

Dices: Pœnitentes defactò experiuntur ſe magis odio habere morbum, mortem, aut infamiam, quàm peccatum: ergo non deteſtantur peccatum ſuper omnia. Antec. patet ab effectibus, quia citiùs moventur ad obviandum his malis, quàm ad peccata deteſtanda.

Contra diſting. antec. experiuntur ſe magis intenſivè odio habere, conc. magis appretiativè, neg. antec. vel aliter: magis ſequendo affectionem commodi, trans. antec. ſequendo affectionem juſtitiæ, neg. antec.

Dices: Illa deteſtatio de majoritate appretiationis & intenſionis non eſt explicabilis, in quo conſiſtat; ergo ſi magis odio habentur intenſivè alia mala, etiam magis appretiativè. Antec. prob. non poteſt conſiſtere ex parte peccatoris magis appretiantis deteſtationem peccati quàm alterius mali, cùm nullum habeat tale judicium; nec ex parte DEI appretiantis peccati odium in pœnitente magis, quàm odium alterius mali, cùm DEUS nullum videat fundamentum ad hoc, cùm potiùs econversò videat voluntatem pœnitentis magis affectam circa odium alterius mali.

Contra neg. ant. Ad probam dico eam conſiſtere ex utraque parte. Primò ex voluntate pœnitentis, ſi enim ille in hoc peccat, quia magis appretiat creaturas, quàm DEUM, ſic etiam verè pœnitebit, ſi magis appretiat DEUM ipſum amando, vel odiendo peccatum, quàm omnia cætera, & ideò ſemper adeſt virtuale tale judicium: Secundò ex parte DEI, ita appretiantis, cujus fundamentum eſt, quia odium illud ex divino gratiæ auxilio cauſatum eſt tale, ut videat DEUS, quòd ſi alia mala ponerentur in optione cum malo peccati, odiens ex vi illius auxilii magis odio haberet peccatum, quàm alia mala; adeóque non ſolùm odium, ut tendit in objectum, nec unà voluntate præcisè eſt, ſed ex his & auxilio adjuvante quaſi oritur illa major appretiabilitas ſeu potiùs appretiatio.

Dices: Si per contritionem ita deteſtari debet peccatum, & quidem etiam veniale, ſuper omnia mala pœnæ etiam æternæ, vix unquam aliquis eſſet verè contritus, quia deberet dicere: mallem damnari quàm dicere verbum otioſum, quod difficile quivis dicet ergo.

Contra neg. aſſumptum, ejus rationem diſting. deberet illud dicere formaliter & expreſsè neg. implicitè & virtualiter conc. contritus enim verè ita virtualiter debet eſſe conſtitutus, ut mallet mori vel infernum ingredi, quàm etiam leviſſimè DEUM offendere, ſi alterutrum eſſet eligendum.

Dices: ergo etiam deberemus magis deteſtari & impedire peccatum alienum, quàm propriam pœnam etiam æternam, ſed hoc non: ergo. Illatum patet, quia ideo debemus deteſtari magis peccatum proprium quàm pœnam inferni, quia pœna eſt malum noſtrum, & peccatum eſt malum DEI, ſed etiam peccatum alienum eſt malum DEI: ergo. Min. verò prima prob. ſi mihi moriendum foret, vel infernus ingrediendus, ne alter peccaret,

non

non prudenter eligerem mori, vel infernum ingredi: ergo.

Contra conſ. primam partem illati, neg. ſecundam; nam aliud eſt me teneri magis deteſtari peccatum alienum, quàm pœnas inferni, & aliud eſt me teneri id potiùs impedire, quàm meam damnationem; primum enim verum eſt, eò quòd peccatum de ſe ſit deteſtabilius per voluntatem, quàm quodlibet malum pœnæ propriæ, non autem ita ſecundum, quia peccatum alienum, prout eſt à me permittendum, quamvis ſanctiſſimum ſit maximas velle ſufferre pœnas, ut peccatum etiam alienum evitetur, charitas tamen ad hoc non obligat, quia hoc peccatum non mihi ſed alteri eſt voluntarium, ac facilè ab eo poſſet vitari, dummodò vellet.

15 *Aſſero 2. Ad contritionem perfectam non requiritur per ſe recogitatio ſingulorum peccatorum in particulari, ſed ſufficit generalis deteſtatio peccatorum in confuſo cognitorum.* Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 1. §. *ex hoc patet.* Et §. *de quinto articulo.* Eſtque contra Sylveſtrum, Angelum, & Brancatum noſtrum.

Probatur 1. diſtincta recogitatio ſingulorum peccatorum non eſt neceſſaria neceſſitate medii, neque præcepti; ergo. Antec. prob. non neceſſitate medii, quia aliàs ſine tali medio abſolutè nullus actus poſſet conducere ad ſalutem, & tamen contritionem ſine diſtincta recogitatione peccatorum in articulo mortis concedunt prodeſſe adverſarii; aliàs peccator ad mortem illicò raptus, qui tempus non habet peccata ſua diſtinctè recogitandi, dolens tamen generaliter de peccatis commiſſis confuſè cognitis, non juſtificaretur, quod dici non poteſt. Nec neceſſitate præcepti, non naturalis, cùm lumine naturali non ſit notum contritionem exigi ad delendum peccatum; non divini aut eccleſiaſtici, cùm nullibi tale præceptum appareat, & textus quidam, qui hoc videntur præcipere, tantùm præcipiunt, ut utile, non ut neceſſarium, vel ut contritio immediatè eſt ordinata ad Sacramentum Confeſſionis, non verò ut contritio eſt ſimpliciter juſtificans.

Probatur 2. qui dicit: pœnitet me ex toto corde offendiſſe DEUM ſuper omnia diligibilem meis peccatis, propono firmiter non peccare, & confiteri proximè, habet veriſſimum actum contritionis, etſi nullum prævium examen peccatorum habuerit, imò nullius peccati in ſpecie recordatus fuerit: ergo. Antec. patet, tum quia talis actus non poteſt excludi à ratione contritionis, cùm feratur in peccata ſub contritionis motivo. Tum quia talis actus in articulo mortis ſortitur veram rationem contritionis, ut concedunt adverſarii: ergo etiam ſemper, nam dent adverſarii diſparitatem, articulus enim mortis actum pœnitentiæ, qui ex naturâ ſuâ non eſt contritio, non poteſt facere contritionem. Tum quia homo, dum tenetur DEUM ſuper omnia diligere, & vult omnia præcepta divina ſervare, non tenetur diſtinctè ſingula percurrere vel cogitare, ſed ſufficit unus actus generalis omnia præcepta complectens, ut ſit verus actus amoris: ergo etiam, ut ille actus ſit vera contritio, hoc ſufficiet, cùm obligatio circa peccata commiſſa non ſit major, quàm obligatio dilectionis DEI ſuper omnia, & propoſiti omnia ſervandi præcepta.

Probatur 3. ex communi Theologorum: non eſt neceſſe dolere de quolibet peccato quoad malitiam in ſpecie, quam includit peccatum ut diſtinctam à cæteris, & ut opponitur tali in ſpecie virtuti: ergo etiam non eſt opus recogitare ea peccata quoad ſpeciem, ſed ſufficit ea recogitare, quatenus contra DEUM ſunt conſeq. patet, quia ſimilis recogitatio foret neceſſaria, ut homo de peccatis diſtinctè quoad ſpeciem & numerum cognitis poſſet dolere: ergo ſi non eſt neceſſaria talis ſpecifica deteſtatio peccatorum, nec neceſſaria erit prævia diſtincta recogitatio eorum, quod præſertim poteſt verum eſſe in peccatis contra ſextum præceptum, ubi non multùm eſt immorandum, cùm facilè fieri poſſit, ut in ſimilibus denuò moroſam delectationem quis habeat.

Objicies: Scriptura requirit diſtinctam 16
recogitationem peccatorum ad fructuoſam pœnitentiam, ſic Iſa. 38. *recogitabo tibi omnes annos meos.* Et ideò clariſſimè D. Chryſoſt. hom. 9. ad Hebræos loquitur: *Si quis recognoſcat ſe peccaſſe, & non ad ſingulas ſpecies deſcendat, nunquam ceſſabit.* Similiter Scotus in 4. D. 17. q. un. dicit: *Facienda eſt inquiſitio poſſibilis fragilitati humanæ ad recogitandum peccata:* ergo illa diſtincta recogitatio peccatorum eſt neceſſaria.

Reſpondeo neg. conſeq. Tum quia illa Scriptura nihil dicit, an recogitatio debeat eſſe diſtincta, vel univerſalis, & confuſa. Tum quia ſolùm narrat, quid viri ſancti & perfecti fecerunt ad pleniorem & uberiorem pœnitentiam, non autem jubet ita ab omnibus neceſſariò debere fieri; hinc potiùs refert conſilium quàm præceptum, hinc eodem modo SS. Patres ſolùm recommendârunt talem diſtinctum modum recogitandi peccata, vel ad pleniorem pœnitentiam, vel præceperunt reſpiciendo ad obligationem confeſſionis in lege Evangelicâ; adeóque S. Chryſoſt. non negat abſolutè peccatorem poſſe juſtificari ſine diſtincto examine, ſed ſolùm negat illum perſeveraturum in gratiâ, quia regulariter oportet propoſitum deſcendere ad particularia, ut occurrente poſteà occaſione ſervetur & perſeveret gratia, unde non negamus in praxi utiliſſimum fore peccata ſingula in memoriam revocare ad perfectiorem contritionem habendam. Tandem Scotus intelligendus eſt de diſtincta recogitatione ad Sacramentum

Confeſſionis, nam ibi dicit, quòd peccata ſic ad memoriam reducta debeat poſteà confiteri, nam in 4. D. 15. q. 1. §. *de quinto articulo.* expreſsè dicit, *quòd non eſt neceſſe intellectum ſimul conſiderare hoc peccatum & illud, ſed ſufficit, quòd, dum cogitat de uno, & pœnitet de illo, promptus quoque ſit cogitare & pœnitere de alio, ſi ſibi occurreret.*

Dices cum Brancato: ſufficit quidem unica deteſtatio, ſed hæc debet terminari ad omnia peccata in particulari & diſtinctè, quæ non poteſt haberi ſine diſtincta recogitatione peccatorum: ergo hæc adhuc eſt neceſſaria.

Contra neg. antec. quia adhuc talis deteſtatio unica terminata ad diſtincta recogitata eſſet intolerabile onus humanis viribus, cùm talis terminatio ſine notabili morâ non poſſit haberi, ac proindè, qui incepiſſet cogitare, & deteſtari peccata, ſi repentè moreretur, non ſalvaretur, quod repugnat Scripturis juſtificationem peccatori contrito etiam in momento promittentibus; nam David, Magdalena, latro in cruce proponuntur juſtificati in momento.

Dices: contritio facit idem abſque Sacramento, dum recipitur: ergo requirit eas diſpoſitiones imò majores, quas requirit Sacramentum pœnitentiæ, ſed hoc requirit diſtinctam recogitationem peccatorum: ergo & contritio, cùm ſemper etiam habeat annexum votum Confeſſionis.

Contra neg. conſeq. nam licèt extra Sacramentum remiſſio peccatorum requirat majorem diſpoſitionem, quàm intrà Sacramentum, cùm in hoc ſufficiat ſola attritio, non tamen exindè ſequitur requiri majorem diſtinctam recogitationem peccatorum, utpotè ad quam nec in lege veteri ſunt obligati homines, & nunc non ſolùm in ordine ad Confeſſionem obligamur ad exactum examen; nec ex voto Confeſſionis hoc ſequitur, ſed ſolùm teneri pœnitentem ad diſtinctum peccatorum examen, quando aderit opportunitas confitendi.

Dices: ergo ſaltem plùs obligaremur in nova lege, quàm veteri, ſi non ſemper fuiſſet neceſſaria diſtincta recogitatio peccatorum, ſed hoc eſt falſum, cùm lex nova ſit mitior: ergo.

Contra neg. illatum, nam licèt contritio relata ad Sacramentum Confeſſionis requirat diſtinctum examen, quod non requirebatur in lege veteri, adhuc tamen quoad punctum mitior eſt lex Evangelica, quia modò attritio ſufficit cum Sacramento, quæ tunc non erat ſufficiens, & nunc ex opere operato & morte Chriſti pendet remiſſio peccatorum, quæ tunc pendebat ſolùm ex opere operantis.

Dices: non ſolùm ratio generica peccati eſt mala ſed etiam ſpecifica: ergo utraque eſt deteſtabilis, ſed niſi diſtinctè ſingula cognoſcantur ſub propriis rationibus ſpecificis, non poterit malitia ſpecifica deteſtari: ergo.

Contra neg. min. ſubſumptam, nam quando dicimus ſufficere dolere de peccatis in genere recogitatis, non volumus ſufficere dolere & cogitare de peccatis præciſè ut offenſa DEI ſumptis, ſed requirimus etiam ex parte intellectûs aliquam memoriam de peccatis, quatenus à nobis commiſſis, eò quod actiones ſint ſingularium, non verò univerſalium, ideò jam virtualiter etiam deteſtatur quis maliciam ſpecificam & individuam, unde ſolùm volumus non eſſe opus ea ſemper cogitare ſub ſpecificis ſingulorum rationibus, quas habent, ut huic vel illi vitio opponuntur, aliàs non ſolùm in intellectu, ſed etiam in voluntate tot forent multiplicandæ contritiones, quot fuerunt ſpecies diſtinctè recogitatæ peccatorum, quod tamen de voluntate plurimi etiam ex adverſariis negant, ut conſtat propoſitione 7.

Dices: dum homo agit pœnitentiam, debet eſſe Medicus & Judex ſui ipſius, ſed neutrum poteſt bene exercere, niſi recognoſcat diſtinctè ſua peccata: ergo. Min. patet, quia nec proportionatam medicinam, nec pœnam poteſt quis applicare, niſi perfectè cognoſcat delicta, & ideò in Confeſſione debent diſtinctè recenſeri, quia Confeſſarius debet exercere officium Judicis & Medici.

Contra neg. min. & ejus probam, nam ex officio judicis poteſt peccator in ſe punire ſua peccata, in quantùm voluerit, licèt de eis internè non cogitet, nam multùm differt hoc judicium à judicio ſacramentali, cùm cuique formaliter ſuus ſtatus pateat, non tamen ita alteri, ſeu Confeſſario, adeóque ut hic ferat congruum judicium, requiritur diſtincta peccatorum Confeſſio, & ſic eodem modo diſcurrendum eſt de officio Medici.

Dices: ſi non adeſt perfectus amor DEI, ſemper eſt neceſſaria ad ſalutem formalis pœnitentia de omnibus peccatis, ſed ſi non recogitatur, niſi unum peccatum ab eo, qui habet viginti, contritio non eſt formalis pœnitentia de omnibus peccatis: ergo ad hanc requiritur recogitatio omnium peccatorum.

Contra diſting. min. ſi non recogitatur niſi unum expreſsè, & alia nec expreſsè, nec in confuſo, conc. niſi unum expreſsè & alia ſaltem in confuſo, neg. min. & ſic diſting. conſeq. ergo ad illam requiritur recogitatio omnium ſaltem in confuſo, conc. omnium ſemper in expreſſo, neg. conſeq. adeóque contritio de omnibus peccatis confusè ſolùm cognitis eſt formalis pœnitentia de omnibus peccatis, ſi quis verò de uno ſolùm doluiſſet, & non de aliis, neque confusè, talis poſteà omninò teneretur elicere formalem pœnitentiam de aliis.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An contritio ad ſui conſtitutionem requirat certam intenſionem actûs & durationem temporis?

1 ADvertendum eſt hic agendum venire de modo intenſionis & extenſionis ad tempus ipſius actûs contritionis, nam licèt in quæſt. priori dictum ſit, non eſſe neceſsè, ut contritio ſit ſuper omnia intenſivè, ſeu ut ſit intenſiſſima, difficultas tamen remanſit, an non tamen requirat aliquos gradus intenſionis, ita ut, ſi ad eos non perveniat, non ſit vera contritio; prætereà alia adhuc accedit difficultas; an ſcilicet ad contritionem requiratur aliqua certa temporis mora ſeu duratio, ita ut contritio ſeu odium peccati debeat aliquo tempore durare, poſtquàm per productionem ſuum eſſe acquiſivit, vel an ſufficiat, etiamſi contritio per unicum tantùm inſtans duraret; nolumus tamen hic illam quæſtionem decidere, quæ traditur de gratia & juſtificatione, an peccator poſſit ſine mora in momento efficere, quidquid neceſſarium tam ex parte intellectûs quàm voluntatis ad veram contritionem; nec illam quæſtionem Philoſophicam: an actus immanentes fiant in inſtanti per primum ſui eſſe, ſed ſolummodò volumus inquirere, an ille actus ſimul, ac incipiat eſſe, ſit contritio & diſpoſitio ad juſtificationem, ſeu an poſitis in intellectu omnibus neceſſariis, ut conſideratione & judicio peccati voluntas ſtatim poſſit elicere contritionem, quæ in primo ſui eſſe ſit talis ſeu diſpoſitio ad juſtificationem, vel an aliquantulum durare debeat. In utraque præfata difficultate plerumque à Theologis citatur Scotus pro parte affirmativa, ſed quàm falsò, parebit ex aſſertionibus & objectionibus. Interim his notatis.

2 Propoſitio 1. *Nullus gradus parvitatis licèt remiſſiſſimus impedit contritionem.* Ratio eſt: tum quia actus charitatis fidei & ſpei in quolibet gradu remiſſiſſimo eſt charitas, fides & ſpes: ergo etiam quilibet actus contritionis cum quolibet gradu eſt contritio. Antec. patet, quia intenſio talium actuum eſt accidentalis, & abeſſe vel adeſſe poteſt ſine ſubjecti corruptione, nam conſtat eundem reſpectu ejuſdem objecti poſſe aliquando intendi & remitti ſolùm ratione diverſæ diſpoſitionis ſubjecti: ergo. Tum quia peccatum mortale quamvis remiſſum tollit gratiam: ergo econverſò contritio, licèt remiſſa, dummodò vera, tollet peccatum. Conſeq. patet, quia contritio etiam minùs intenſa eſt dolor peccati ſuper omnia, non quidem intenſivè, ſed appretiativè ſummus, ita, ut ſi appretiativè non eſſet ſummus, licèt foret ſummus intenſivè, non ſufficeret, ut quæſt. priori dictum eſt: ergo.

Nec dicas: ſi quælibet minima intenſio ſufficeret ad contritionem, quilibet ſciret ſe eſſe in gratia, ſed hoc dici nequit: ergo. Sequela prob. fide divinâ certum eſt poſt contritionem acquiri gratiam, ſed ſi minima intenſio ſufficeret, notum eſſet illi habenti ſe habere contritionem: ergo.

Reſpondeo diſting. ſequelam. Sciret notitiâ fidei divinæ aut evidenter, neg. opinativè & conjecturaliter, conc. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. ad prob. neg. min. juxta priorem diſtinctionem, nam ut quis verè conteratur, ut oportet, nullum debet ponere obicem in ordine ad ſupernaturalitatem actûs conſtituendam, quod nullus certò ſcit, ſicut ſi dico: omnia baptiſatus in forma Eccleſiæ, ſi non contrahat peccatum poſt baptiſmum, eſt in gratia, ſed aliquis adultus cognoſcit ſe poſt baptiſmum non peccâſſe: ergo cognoſceret ſe certò eſſe in gratia, non benè concludo, nam licèt major ſit de fide, & minor naturalis, neſcit tamen ex his, an fuerit ritè baptiſatus, cùm intentionem miniſtri non poſſit ſcire evidenter, ideò ſolùm manet certus moraliter.

Propoſitio 2. *Nullus gradus intenſiſſimus etiam per impoſſibile infinitus impedit veram contritionem.* Ratio eſt, tum quia actus amandi DEUM intenſiſſimus, ſive in via, ſive in patria, vel actus credendi DEO, non ceſſant eſſe actus virtutis charitatis & fidei, licèt ſint ſummè intenſi: ergo nec actus deteſtandi peccatum, quatenus DEI offenſa. Conſeq. patet, ideò actus amandi & credendi per ſummum tamen non fiunt vitioſi, quia non datur modus in magnitudine fidei & amoris, cùm meritum eorum objectorum non prohibeant exceſſum utpote perfectionis infinitæ, ſed nec datur modus de magnitudine contritionis, & objectum exigit omni poſſibili modo deteſtari: ergo. Tum quia contritio oritur immediatè vel ex charitate vel ex virtute pœnitentiæ, ſed charitas non præſcribit terminum ſuis actibus, ſed potiùs ob perfectionem objecti, quò intenſiores elicit, eò laudabiliores efficit; nec etiam pœnitentia præſcribit terminum, cùm ſit circa peccatum tanquam objectum, quod habet meritum deteſtandi ſine termino, nam eſt malum ſaltem terminativè infinitum: ergo. 3

Nec dicas: aliæ virtutes potiſſimum conſiſtunt in medio: ergo etiam contritio; ſed aliæ virtutes excedendo medium deſinunt eſſe virtutes; ergo etiam contritio excedendo ad infinitam intenſionem.

Reſpondeo diſting. antec. aliæ virtutes, quæ habent ex natura objecti medium, conc. quæ non habent tale medium, neg. contritio autem ex illis eſt virtutibus, quæ medium non habent, ſicut nec amor, nec juſtitia, nullus enim amando DEUM vel pœnitendo de peccatis per ſe excedere poteſt, cùm exceſſus in objecto non admittatur, licèt aliquandò per accidens ratione indebiti actûs ob quaſdam cir-

circumſtantias poſſit eſſe exceſſus ex parte actûs. Vide, quæ dicta ſunt in Tract. de fide, ſpe, & charitate, de virtutibus Theologicis, & moralibus.

4 Propoſitio 3. *Contritio ſuam efficacitatem, firmitatem, & appretiationem non tantùm habet ex ratione individuali, quæ ſit tanta vel tantæ intenſionis, ſed etiam ex ratione ſpecifica bonitatis talis actûs.* Ratio eſt, quia actus ſuam perfectionem ſumit ex objecto, ſed objectum formale contritionis eſt DEUS ut bonum ſummum appretiabile efficaciter communicans talem firmitatem & efficacitatem actui: ergo. Min. quoad primam partem patet; quoad ſecundam prob. eò actus præ cæteris eſt firmior, quò ipſius objectum præ cæteris eſt dignius, ut patet ex virtutibus Theologicis, nam fides, quia eſt adhæſio intellectûs cum prima veritate, eſt certior aliâ notitiâ; ſpes, quia eſt adhæſio voluntatis cum ſummo bono conſequibili ex divino auxilio, eſt firmior ſpe humanâ &c. ergo etiam contritio, quia eſt averſio à peccato ut ſummo malo DEI ſuper omnia diligibilis, erit firmior & excedens omnem aliam mali deteſtationem, & vix videtur poſſibile, quòd excellentia talis objecti, ſi verè & integrè ab intellectu proponitur, & à voluntate appetitur, non faciat, ut efficaciter appetatur.

Nec dicas: amor DEI, & diſplicentia peccati ex ratione ſpecifica tam objecti quàm ſupernaturalitatis non poſſunt præcisè ex his perfectionibus dare ſtabilitatem operandi, quæ in conſtanti & efficaci adhæſione objecti conſiſtit: ergo requiritur aliqua intenſio individualis ipſius actûs. Conſeq. prob. quia etiam circa idem objectum poteſt eſſe actus inefficax; cùm actus præcisè circa objectum non poſſit ſtatim vincere cupiditatem, & tollere omnia impedimenta repugnantia operi ob tepiditatem & infirmitatem voluntatis.

Reſpondeo neg. antec. ad probam diſting. aſſumptum. Poteſt eſſe inefficax, ſi attingitur objectum abſolutè, & quidem appretiativè, neg. ſi conditionatè & per ſimplicem complacentiam, conc. nos autem loquimur de actu abſoluto & appretiativo, in quo affectus peccandi, & DEUM offendendi graviter per majorem dilectionem DEI appretiativam ſatis excluditur, licèt non ſit magis intenſa, cujus ratio eſt, quia ſi talis actus non eſſet appretiativè ſummus ſeu ex motivo DEI ſuper omnia objecta diligibilis, quantumcunque eſſet ex ratione individuali ſummè intenſus, non ſufficeret ad juſtificationem extra Sacramentum, unde ſummitas & firmitas deteſtationis appretiativæ non oritur ex majore intenſione actûs, ſed ex eo, ut talem de objecto habeamus æſtimationem, ut propter ejus bonitatem ſit omnibus præferendus.

5 Propoſitio 4. *Non repugnat actum contritionis virtuoſum in inſtanti elici.* Ratio eſt, quia actus contritionis eſt ſpiritualis, habètque ſuum eſſe ſimul, ſicut alia quævis entitas ſimplex, Phyſica & ſpiritualis: ergo non repugnat poni in inſtanti, ſed ſi in illo inſtanti eſt circa determinatum objectum determinatæ virtutis, habebit eſſe virtutis completæ: ergo ut virtuoſus poterit elici in inſtanti.

Nec dicas: non poteſt peccator in inſtanti efficere, quidquid ad veram contritionem neceſſarium eſt viâ ordinariâ: ergo. Antec. prob. ad illam requiritur primò gratia excitans. Secundò conſideratio & deliberatio. Tertiò judicium practicum. Quartò conſenſus voluntatis, ſed hæc omnia non poſſunt fieri in inſtanti, cùm habeant ordinem prioris & poſterioris: ergo.

Reſpondeo neg. antec. nam licèt contritionem plures alii actus præcedant ex parte intellectûs, hoc non eſt contra nos, uti in advertentia monuimus, nam hîc ſolùm proponimus, quòd poſitis omnibus requiſitis in intellectu voluntas poſſit elicere contritionem, quæ ſit ſufficiens actus virtutis; unde argumentum ſolùm probat aliquam temporis ſucceſſionem requiri ſpectatis iis, quæ ſunt neceſſaria ex parte intellectûs ad eliciendum actum contritionis, non verò probat, quòd poſitis omnibus requiſitis ex parte intellectûs ad eliciendum actum contritionis voluntas in inſtanti talem actum non poſſet elicere, cùm enim ille actus ſecundùm ſe non ſit ſucceſſivus, ſed ſpiritualis, non videtur repugnantia, cur non poſſit in inſtanti elici. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Ad contritionem veram & virtuoſam nulla definita intenſio requiritur.* Eſt Scoti in 3. D. 27. q. un. §. *de primo dico.* ubi docet DEUM ſuper omnia eſſe diligendum appretiativè tantùm ſeu prælativè, non verò intenſivè. & in 4. D. 20. q. un. §. *ad aliud ſcilicet 4. argumentum.* eſtque contra noſtrum Fabrum, & Hiquæum, D. Bonaventuram & Adrianum. 6

Probatur 1. Nullibi conſtat DEUM ſpecialiter requirere certum modum intenſionis ad veram contritionem: ergo. Antec. prob. ex Scriptura omni converſioni in DEUM promittitur remiſſio peccati, neque hoc unquam limitatur ad intenſam converſionem, quinimò SS. Patres, & Scotus in 4. D. 20. judicant contrarium dicendo cum S. Leone Epiſtola 91. *nec miſericordiæ menſuras poſſumus ponere, nec tempus definire, apud quem nullas patitur moras vera converſio.* & clariùs S. Chryſoſt. Epiſtola 5. ad Theodorum *quantulumcunque & quamlibet brevi tempore DEUS non deſpicit pœnitentiam.* & paulò infra: *non patitur exigua etiam pœnitentia amitti mercedem.*

Probatur 2. Non requiritur alius gradus ad actum contritionis neceſſariò quam ille, cum quo ſtare poteſt actus contritæ voluntatis

tis

tis circa objectum, ſed hic ſalvatur ſine determinata intenſione: ergo. Maj. patet, quia actus contritionis eſt actus voluntatis: ergo quomodocunque ſalvatur actus voluntatis circa tale objectum, ita etiam actus contritionis. Min. verò prob. actus voluntatis circa objectum naturale ſine determinato gradu intenſionis, dummodò unum gradum habeat ex conato potentiæ, dum elicitur, adhuc eſt actus liber: ergo etiamſi ſit circa objectum morale vel ſupernaturale, etiam cum unico gradu erit voluntarius & liber, ac meritorius & virtuoſus, cùm objectum quà tale non exigat plures gradus in actu.

Probatur 3. Actus contritionis ſine determinata intenſione cum gratia elicitus eſt proportionata diſpoſitio ad gratiam remiſſivam peccati: ergo non requiritur determinata intenſio. Antec. prob. proportio diſpoſitionis conſiſtit in hoc, quòd ſit ejuſdem ordinis, id eſt, ſupernaturalis, & quòd removeat peccatum, ſed hoc quilibet actus contritionis habet, licèt ſit remiſſus, nam quilibet ſeparat efficaciter voluntatem à peccato & convertit in DEUM: ergo.

Probatur 4. Adverſarii non conveniunt, quanta ſimilis intenſio eſſe debeat, quidam enim requirunt ſummam intenſionem actûs, quam homo præſtare poteſt per totum conatum ſibi poſſibilem; alii requirunt intenſionem ſummam, non quidem abſolutè ſed comparativè, ita, ut homo actu intenſiorem dolorem habeat de peccato, quàm de quolibet alio malo. Alii alios gradus, quos DEUS ſolus noverit, ſed hæc omnia non niſi viam aperiunt ſcrupulis & anxietatibus, & ſine fundamento aſſeruntur; cùm ceverà hominibus debuiſſet formalis ſimilis intenſionis neceſſitas promulgari ad hoc, ut ſcirent legitimum ſalutis remedium: ergo.

7 Objicies: Scotus in 4. D. 20. q. un. §. *in iſta* dicit: *requireretur igitur ſecundùm ſtrictam juſtitiam intenſior motus diſplicentiæ ad juſtificationem ejus; intellige moribundi, quàm ad juſtificationem ſani, cùm vix poſſit habere æquè intenſum*, ergo requiritur certa intenſio.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ibi ſolùm loquitur de aliquo pœnitentiam uſquè ad articulum mortis differente, quia ibi omninò major debet eſſe conatus pœnitendi, & quidem ſolùm per accidens, cùm ibi non ipſe ſatis liberè deſerat peccata, ſed potiùs peccata ipſum deſerant, cùm videat ſe non ampliùs habere vires & occaſionem peccandi (ideò pœnitentia ſera, rarò eſt vera) ſed potiùs ex timore & impotentia concepta eſt valdè debilis pœnitentia, quod dici non poteſt de pœnitente ſano.

Dices: Scotus dicit: illum in extremis vix poſſe habere æquè intenſum motum ſicut ſanum: ergo ſupponit in ſano etiam intenſionem.

Contra diſting. conſeq. ſupponit intenſum in certo gradu, neg. intenſum aliqua etiam minimâ intenſione, conc. conſeq. vide Scotum explicatum de amore intenſivo in Tract. de fide, ſpe & charitate.

Dices: contritio eſt actus imperatus à charitate; ſed hæc debet includere certam intenſionem, cùm amet DEUM ſuper omnia, & obliget præceptum, ut ametur DEUS ex toto corde & totis viribus, quod utique conatum magnum & intenſionem præcipit: ergo.

Contra transmitto maj. quia contritio etiam ex proprio motivo pœnitentiæ vel juſtitiæ poteſt elici, ut ſuo loco dictum eſt. Nego ergo min. nam ex illis Teſtimoniis non plùs colligitur, quàm quòd quilibet actus charitatis ſive proſecutionis circa bonitatem divinam, ſive fugæ circa malum contra DEUM ſit ſuper omnia amabilia vel odibilia appretiativè ſolùm, non verò intenſivè, aliàs ſi DEUS diligeretur ut duo, & filius ut quatuor, talis non diceretur DEUM diligere ex toto corde, quod non eſt verum; nam, ut dicit S. Hieron. S. Paula de morte filiorum magis intensè doluit, quàm de peccatis ſuis, & tamen non malè fecit; unde illud præceptum & majoritas intelligenda ſunt de totalitate appretiativa, quæ illam conditionalem electionem includit, ut ſi optio daretur, potiùs unum, quàm aliud eligeretur, ut eveniſſe conſtat; licèt enim matres intenſius arceant mortem filiorum, quàm ſua peccata, non tamen appreciativè, nam matres conſtitutæ ante tyrannum libentius paſſæ ſunt trucidari ſuos filios, quàm peccare fidem negando.

Dices: talis appretiatio ſinè intenſione non poteſt ſalvari: ergo. Antec. prob. actus pœnitentiæ ad juſtificationem diſponens extra Sacramentum dicitur eſſe efficax; ergo non ſufficit ſimplex diſplicentia; ſed hæc habet bonitatem eandem in ſpecie ex objecto, quam habet actus efficax: ergo ad actum efficacem pœnitentiæ non ſufficit ſola bonitas objecti & ſubſtantia actûs, ſed requiritur certa intenſio, ut efficax eſſe dicatur.

Contra dico hoc argumentum ſolùm probare, non poſſe dari actum deteſtandi neceſſarium ad juſtificationem ſine aliqua intenſione, præſertim cùm debeat eſſe efficax, quod nullus negat, ſed quod teneâmur ad certam intenſionem, ſcilicet ad actum intenſiorem, quem pro hoc ſtatu poſſemus elicere; hoc negamus, quia tunc homo ſæpè neſciret, an ſatisfaceret obligationi, nec ne, unde pluribus ſcrupulis & deſperationi daretur occaſio; hinc abſolutè neg. antec. & diſting. min. ſubſumptam: habent eandem bonitatem & eodem modo tactam, neg. diverſo modo, conc. & neg. conſeq. nam deteſtatio efficax peccati, ut offenſa DEI, habet ſuam appretiationem & firmitatem etiam ex bonitate ſpecifica actûs,

ut diximus propoſitione tertiâ; imò differentia volitionis efficacis & inefficacis non ſumitur ex ratione intenſionis, cùm etiam ſimplex complacentiæ poſſit eſſe intenſiſſima, ſed ſolùm, quòd inefficacitas oriatur ex parte alicujus obſtaculi vel conditionis in objecto cognitæ, efficacitas verò præciſis iſtis obſtaculis ex ſola ratione bonitatis appetitæ.

Dices: Talis appetitus & præceptum charitatis præter ſubſtantiam actûs extenditur ad intenſionem, quia ſpecies illius actûs habetur ex illis verbis: *Diliges Dominum DEUM tuum*, unde reliqua ſuperfluerent, niſi determinarent aliquam circumſtantiam & modum diligendi: ergo illa verba ex toto corde &c. denotent materiam præcepti habere certum modum ſcilicet intenſionem.

Contra neg. aſſumptum, ad ejus rationem conc. reliqua verba determinare aliquam circumſtantiam modi dilectionis, ſed neg. illum modum eſſe intenſionis, ſed ſolùm appretiationis, ut ſupra dictum eſt.

Dices: formæ accidentales, quæ intenduntur, & remittuntur, non aliâ ratione dicuntur perfectiores aliis, niſi quia ſunt intenſiores, ſed actus contritionis debet eſſe cæteris perfectior: ergo & intenſior.

Contra neg. maj. ſed ex objecto ex motivo formali, nam actus fortitudinis intenſus ut ſex, eſt tamen imperfectior actu charitatis in DEUM intenſo ut duo vel ut unum. Cæterùm ſi Patres citarentur, poſſunt explicari de exceſſu appretiativo, vel ſolùm de pœnitentia in ordine, non tantùm ad remiſſionem culpæ, ſed etiam pœnæ, ad quam minuendam vel planè delendam omnino requiritur intentio & duratio actûs.

8 Aſſero 2. *Contritio ſimul, ac ſuum eſſe primum acquirit, eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem, ita ut non ſit neceſſe ejus duratio per aliquod determinatum tempus.* Eſt Scoti in 4. D. 20. q. un. §. *ad argumenta.* & præſertim ad quartum, ubi dicit: *Nunc autem ad legem ordinatam pro iſto ſtatu naturæ lapſæ requiritur, quòd pœnitentia poſſit eſſe fructuoſa, & quâ ratione in quocunque inſtanti ſanitatis, pari ratione in extremis, imò magis neceſſarium eſt pro multis imperfectis quod tunc poſſit valere. --- Quia DEUS tantæ miſericordiæ eſt erga miſeros, ut nunquam eis claudat ſinum miſericordiæ ſuæ;* quod argumentum, licèt ſit de articulo mortis, ex eadem tamen ratione pro inſtantanea duratione applicari poteſt in ſanis & imperfectis, cùm DEUS ſit pronior ad miſerendum, quàm condemnandum. Eſtque contra citatos aſſertione priori.

Probatur 1. Authoritatibus aſſertionis primæ ex proba prima: quibus addo Iſaiam 30. *ad vocem clamoris tui ſtatim, ut audierit, reſpondebit tibi.* Et Ezech. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Ubi ly in *quacunque die* juxta communem SS. Patrum idem ac in quocunque momento vel inſtanti ſignificet.

Probatur 2. Actus virtutis eſt talis potiſſimum ideò, quia ex motivo virtutis ponitur in eſſe, ſed quacunque duratione duret contritio, licèt ſolùm per unicum inſtans, poteſt poni ex fine & motivo virtutis circa ſuum objectum: ergo non exigit determinatam durationem. Maj. patet, tum quia albedo decem annorum & albedo unius diei non differunt eſſentialiter, quia ſemper habent eadem prædicata quidditativa: ergo nec aſſenſus vel actus charitatis vel deteſtationis, ſi tantùm per inſtans duret, differet eſſentialiter à durantibus per horam, quia ſunt circa idem objectum ex eodem motivo. Tum quia per hoc, quòd aliqua qualitas cauſetur in uno inſtanti, & deinde duret aut intendatur, non exinde pro illo primo inſtanti non habet eſſe talis qualitatis, cùm potiùs duratio ſupponat eſſe, & illud conſervet, & non det primo: ergo in omni durationis menſurâ etiam inſtantanei contritio eſt vera contritio & actus pœnitentiæ, minor primo eſt evidens: ergo.

Probatur 3. Juſtus in eodem inſtanti, in quo peccat, amittit gratiam, quia actus peccaminoſus etſi inſtantaneus eſt peccatum: ergo etiam in eodem inſtanti, quo conteritur, acquirit gratiam. Conſeq. patet, quia converſioni ad DEUM, & veræ pœnitentiæ promittitur remiſſio peccatorum, quæ non fit, niſi per collationem gratiæ, ſed contritio in eo inſtanti, quando eſt, eſt vera pœnitentia: ergo remittit peccata.

Addo tamen conſulendum eſſe peccatoribus, ut quò magis poſſunt, protrahant contritionem tam in intenſione quàm duratione, uti conſuluit D. Auguſt. de vera & falſa pœnitentia c. 13. *Omnes fructus pœnitentiæ parvos habeat, nunquam credat ſufficere: ſemper doleat, ſemper coram Domino, ante quem peccavit, erubeſcat, & dolorem cum vita finiat.* Accedit etiam ratio, quia actus inſtantaneus dolendi proportionem non habet cum actu peccandi, qui nunquam, vel rarò per unicum tantùm inſtans durat.

Objicies: Scotus in 4. D. 14. q. 2. §. 9
de ſecundo principali. dicit: *Tunc in ultimo inſtanti vel aliquo, usque ad quod DEUS determinavit attritionem debere durare ad hoc, ut ſit meritum de congruo ad juſtificationem, infunditur gratia, & tunc ſimpliciter deletur peccatum.* Ergo ſupponit Scotus neceſſariam eſſe aliquam durationem contritionis, ut ſit vera diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus cit. §. *ad finem.* expreſſe concedit, poſſe hanc diſpoſitionem eſſe in eodem inſtanti temporis cum infuſione gratiæ, & cùm ibi tria ſigna naturæ diſtinguat in eodem temporis inſtanti, planè ſupponit perfectum actum contritionis in eſſe moris eſſe ſimul cum gratia, & non inter-

tervenire aliquam duratinnem inter actum ſic perfectum & gratiæ infuſionem, ut Thomiſtæ ei impingunt, nam expreſsè dicie conveniena eſſe diſpoſitionem proximam ſimul eſſe eum forma, ad quam diſponit; adeóque Seotus loco citato nihil aliud voluit, quàm quòd poſſit peccator actum attritionis habere pet ſpatium temporis durantem, & quòd ſi duret talis attritin usque ad tempus vel inſtans, quo DEUS cauſat gratiam, tunc in illo ultimo inſtanti actus attritionis fit contritin, quod non eſt contra nos, nam non dicit, quòd non poſſit dari attritin, niſi duret per tempus; vel ſolùm loquitur, & petit ducatinnem, quando incipit dolor, quoad nmnia requiſita tam ex parte intellectûs quàm vnluntatis.

Dicea: contritin non tantùm dicit odium peccati, ſed etiam propoſitum: ergo nnnquam ſalvari poteſt contritin in unico inſtanti: Conſeq. prob. odium peccati, & propoſitum non peccandi, ſunt actus ſucceſſivi, cùm voluntas nequeat habere ſimul dnos actus diſparatos.

Contra diſting. antec. dicit propoſitum pro formali & eſſentiali, neg. pro concomitanti, conc. contritin ergo pro formali dicit deteſtationem peccati per fieri in inſtanti: propoſitum verò formale (idem dic de confeſſione & ſatisfactione) utpote actus diſtinctus & diſparatus vel concomitatur vel conſequitur, quod parùm hic refert; nos enim non defendimus contritionem qnoad omnia fieri in inſtanti, ſed in primo ſui eſſe, quando nempe verum eſt dicere: nunc primò eſſe contritionem ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem ſine duratione.

Dicee: Si non requiritur certa duratio ad actum contritionis, ſed primn inſtanti, in quo eſt, confertur gratia, ſequitur, quòd contritio durans uno quadrante conferat gratiam infinitam, ſed hoc videtur inconveniens: ergo. Sequela autem patet, quia quolibet inſtanti debetur quædam determinata pars gratiæ, qualis data eſt in primo inſtanti: ergo cùm quaſi ſint infinita inſtantia ant partes ptoportionales, etiam dabuntur partes infinitæ gratiæ.

Contra eſt, hnc argumentum ſolutum eſſe de actibua humanis, & urgere in omnium ſententia, ſive cauſet in primo inſtanti gratiam, ſive poſteà & ultrà duret per tempus; dico ergo, qnòd ſemper major gratia correſpondeat actui meritorio diu continuato, non tamen gratia infinita, cùm non detur ſecundùm partes ptoportionales, ſed ſecundùm determinatas; & quidem in primo inſtanti datur gratia propter ſubſtantiam actûs, in ſequentibus verò non propter nudam ſubſtantiam actûs, ſed propter ejua continuationem, ſicque non tanta, qnanta primæ productioni.

QUÆSTIO VI.

An propoſitum non peccandi de cætero, & votum aſſumendi Sacramentum Pœnitentiæ debeant eſſe formalia pro vera pœnitentia & contritione juſtificante?

ADvertendum eſt 1. Certum eſſe de ratione pœnitentiæ fructuoſæ eſſe propoſitum de cætern non peccandi abſtrahendo à formali vel virtuali, ideò etiam indefinitè exigitur in definitione contritionia à Trid. Seſſ. 14. c. 4. dum inquit: *Contritio eſt dolor ſeu deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*, & hoc omnes SS. Patres inculcant, & penè univerſus fidelium ſenſue agnoſcit, ſcilicet non legitimè pœnitere poſſe, aut de præteritis veniam ſperare, qui non deponit animum peccandi de cætero; nam vera pœnitentia utique animum avertit perfectè à peccatis, ideò non ſolùm avertit aliquem à præteritis per deteſtationem, ſed etiam à futuris per propoſitum melioris vitæ; ſolùm ergo reſtat difficultas, qnale propoſitum de cætero non peccandi requiratur, an ſcilicet ſufficiat virtuale, aut neceſſariò requiratur formale; occaſione hujus difficultatis etiam oritur alia ſimilis, an ſcilicet votum ſeu propoſitum aſſumendi Sactamentum pœnitentiæ requiratur neceſſariò pro hoc ſtatu ad contritinnem, ut juſtificet. Dixi: *Pro hoc ſtatu legis Evangelicæ*, nam in veteri certum eſt contritionem non exegiſſe ſimile votum, cùm non fuerit ibi Sacramentum, pro qua difficultate pariter eertum eſt contritionem perfectam exigere votum Sacramenti pœnitentiæ, & expreſſe docet Trid. cit. maner tamen dubium, an debeat eſſe explicitum ſeu formale, vel implicitum aut virtuale. 1

Advertendum eſt 2. Peccatorem contritionem elicientem poſſe ſe habere in duplici ſtatu: Primò pront ipſi venit in mentem cogitare de tali propoſito & tempore fnturo; ubi omnino ei videtur eſſe neceſſarium tale propoſitum expreſſè faciendum, cùm aliàs eſſet ſignum; valde eſſe imperfectam deteſtationem præteritorum; nam videtur adeſſe quaſi tacita peccatnrum approbatio & virtualis complacentia. Secundò prout eſt in caſu & defectu conſiderationis, & inſufficientia temporis, pro qua non videtur in tantùm à tali exigi poſſe, ſicut à priori; proinde tres ortæ ſunt ſententiæ: prima requirit univerſaliter formale & actuale propoſitum, & aliqui non tantùm de neceſſitate præcepti, ſed etiam medii. Secunda docet univerſaliter ſufficere virtuale inclnſum in ipſa deteſtatione peccatorum aut nbedientiali dilectione DEI. Tertia verò illud requirit formale in ſtatu, quando pœnitens advertit, & cogitat de tempore futuro, in ſtatu autem inconſiderationis docet ſuffi- 2

Digitized by Google

ſo fficera virtuale & implicitum tala propoſitum.

3 Advertendum eſt 3. Hæc duo valdè eſſe diverſa, ſcilicet proponere oon peccare in futurum, & judicare ſe perſeveraturum in hqc propoſito, ſeu ſe non ampliùs peccaturum; nam pr.mum eſt actus voluntatia pendens tantùm ex præſenti propoſito, & ideò hoc ſolùm erit neceſſarium, poſterius verò eſt actus intellectûs pendens ex futuro, quod non videtur eſſe oeceſſarium, & conſulendum eſt fragilioribus, ut nihil de hoc curent, aut cogitent, nam poteſt quis verè conteri, & proponere non ampliùs peccare, licèt probabiliter ſa credat peccaturum, dummodo hic & nunc fixam habest voluntatem oon peccandi, & licèt frequena lapſus ſignum ſit, quòd contritiooi aliquid defuerit, non tamen eſt infallibile ſignum; cùm enim voluntas continuò mutari poſſit, & ſoleat, poteſt oune quia peccata vera deteſtari, & nolle in ea reincidere, quæ tamen poſtea mutata in pejus voluntate iterum amplectitur; eſt autem regula diſcernendi, an in contritione ioeludatur propoſitum efficax, ſi ſcilicet illa actualia deteſtatio peccati ſit talis, ut ſit impoſſibilia cum actuali affectu ad peccatum, ita, ut talem habeat vim, quòd ſi à pœnitente quæratur, an vellet iterum peccare, non poſſet ſimul habere animum peccandi, ſed ſi aliquem actum circa hoc eliciat, non niſi propoſitum abſtioendi à peccatis habebit; ſecua ergo, ſi illa deteſtatio peccati poſſibilis eſt cum affectu ad peccatum, ſignum eſt fallacis & inefficacis contritionis & propoſiti. His itaque notatis:

4 Propoſitio 1. *Propoſitum non peccandi de cætero etiam de venialibus non eſt impoſſibile, aut de objecto impoſſibili.* Ratio eſt, quia tala propoſitum debet fundari in gratia divina, in cujus ſpe & fiduciâ talia actua elicitur, ſed cum gratia divina noo eſt impoſſibile vitare etiam venialia: ergo. Uode tals propoſitum de venialibus ooo ſolùm eſt utiliſſimum, ſed etiam in ordine ad coofeſſionem ſuô modô neceſſariom, qui enim modica ſpernit, paulatim in magna incidet.

Nec dicas: Venialia illa minima & quotidiana moraliter loquendo vitari oon poſſunt etiam à ſanctis viris, ſed quod à ſanctis & piis vitari non poteſt, eſt impoſſibile: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia duplicia videntur eſſe peccata venialis, quædam enim ſunt, quæ plenâ libertate committuntur, & de hia poteſt utique homo habere abſolutum propoſitum ea non perpetrandi, quis eſt abſolutè poſſibile cum gratia DEI, quæ ſecundùm legem DEI ordinariam datur dignè ſe præparantibus ad illam, illa vitare. Quædam verò ſunt venialia, quæ dicuntur ex ſobreptione ſeu imperfectè deliberata, quæ quoad talem collectionem longo tempore vitare non poteſt homo ſine ſpeciali DEI privilegio circa tale objectum, licèt homo non poſſit habere propoſitum omnino abſolutum, poteſt tamen habere modificatum, in quantùm ſcilicèt humano modo poterit, adeóque etiam tenetur propooere omnem diligentiam etiam ad illa vitanda & minuenda in quantùm humano modo poterit.

5 Propoſitio 2. *In lege veteri, ſive naturali, ſive Moyſaica non fuit neceſſarium ad perfectam contritionem votum ſive explicitum ſive implicitum Sacramenti pœnitentiæ.* Ratio eſt, quia in illa lege nondum fuit Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum, ex cujue efficaciâ pœnitens ſibi deberet acquirere juſtificationem, ſed ſufficiebat perfecta contritio cum debito propoſito, econtra verò in lega novâ neceſſarium eſt tale votum ſive explicitum, ſive implicitum eò, quòd ſit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, utpote neceſſarium ad ſalutem hominis peccatoris, cùm in lege Evangelica ſint ordinata medis ſenſibilia & certa, ad quæ homo ex curâ ſuæ ſalutis neceſſariò tenetur, & quibus modo ſubordinatur contritio.

Nec dicas: Si cootritio etiam in lege veteri non requirebat votum Sacramenti pœnitentiæ, tunc contritio in lege novâ eſſet deterioris conditionis & majoris oneris, quàm in lege veteri, cùm haberet nunc aliquod onus annexum, quod ante non habebat, ſed hoc dici non debet de lege gratiæ: ergo.

Reſpondeo neg. ſequelam maj. nam contritio in lege novâ eſt longè majoris valoris & efficaciæ, quatenus ſcilicet contritio per ordinem ad Sacramentum majorem ſumit certitudinem & valorem, nam difficile eſt veram & perfectam contritionem elicere, per conſequena hoc eſt incertum, at Sacramentum efficacia eſt divinâ fide certa, quia cum illo ſufficit ſola attritio ſupernaturalis, quàm faciliùs elicere conſuevimus, ideò videmus actus pœnitentiæ nunc eſſe melioris & facilioris conditionis, quàm ante, ubi ſemper erat neceſſaria vera & perfecta contritio; nec Sacramentum pœnitentiæ eſt aliquod onus, eò, quòd hoc ipſo, quòd perfectum actum pœnitentiæ eliciam, intendam ſaltem implicitè omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, adeóque quaſi ex naturâ rei pro hic & nunc votum implicitum Sacramenti pœnitentiæ in ipſa contritione involvitur. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *regulariter & per ſe loquendo ad veram pœnitentiam eſt neceſſarium formale & explicitum propoſitum non peccandi de cætero, per accidens tamen in caſu inconſiderationis & inſufficientis temporis ſufficit virtuale & implicitum.* Eſt quoad primam partem Scoti in 4. D. 14. q. 4. *§. ad primum* in reſponſione ad ſecundum. Et quoad ſecundam partem D. 22. q. 1. §. *de tertio.* Eſtque contra quoſdam Thomiſtas & noſtrum Hiquæum.

Probatur 1. pars: Tum quia Iſaiæ 1. *Auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite*

eſcite agere perversè. ad Epheſ. 4. *induite novum hominem, --- deponentes mendacium!* in his & ſimilibus Scripturæ locis præter deteſtationem vitæ præteritæ ſemper propoſitum additur novæ vitæ: ergo. Tum quia, ſic loquuntur Patres & Concilia, nam Ambroſ. L. 2. de Pœnitentia c. 5. *pœnitentia eſt antea-cta flere, & flenda non committere*. Et Trid. Seſſ. 14. c. 4. contritionem definit per propoſitum: ergo. Tum quia perfecta pœnitentia eſt motus, quo anima per gratiam movetur à ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ, juxta illud: declina à malo & fac bonum, ſed talis motus includit receſſum à malo per deteſtationem prioris vitæ & acceſſum ad bonum per propoſitum melioris vitæ: ergo regulariter, ſi tempus admittit, & ſubit memoriæ vita futura eum præterita, nec impedit ignorantia invincibilis aut oblivio naturalis talis propoſiti, neceſſarium eſt formale & explicitum propoſitum.

7 Probatur 2. pars primò: Tum quia conſtat ex Scriptura de Davide, qui propoſitis à Nathan graviſſimis duobus peccatis adulterio & homicidio ſolùm dixit: *peccavi Domino*. Et tamen ſtatim juſtificatus eſt; ſiquidem ſubjungitur à Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. Ubi inquit S. Auguſt. hom. 41. de tempore: *Intribus ſyllabis, peccavi, flamma ſacrificii coram Domino aſcendit in cælum*. Sed in illo actu pœnitentiæ expreſſum non reperitur propoſitum: ergo aliquando ſufficit virtuale. Tum quia dolor de peccatis commiſſis propter motivum generale, ſcilicet propter offenſam DEI, virtualiter includit propoſitum cavendi de cætero: ergo ſufficiens erit. Antec. prob. ſola deteſtatio peccati commiſſi, quatenus offenſa DEI, avertit cor ab omni affectu peccati abſolutè ſumpti, prout indifferens eſt ad præteritum, præſens & futurum: ergo implicitè includit propoſitum vitandi peccata etiam impoſterum. Tum quia quando aliquis habet plura mortalia, & non meminit, niſi unius, illúdque deteſtetur, non aliis, quia eorum non meminit, talia ſe ſufficienter diſponit ad gratiam, ſed non aliâ ratione, niſi quia illa deteſtatio formalis virtualiter eſt deteſtatio omnium etiam non cognitorum: ergo etiam quando intellectus non proponeret voluntati vitam futuram, ſola deteſtatio peccati, aut contritio de peccatis commiſſis erit ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem, quia implicitè continet propoſitum non peccandi ampliùs.

Probatur 2. Tum quia poteſt futura vita eſſe moraliter deſperata, ut patet de homine ad mortem damnato, vel agonizante: ergo non requiritur formale propoſitum cavendi in futurum, nec quidem conditionatum: Si vixero; quia actus conditionales circa futura per ſe loquendo non ſunt neceſſarii ad ſalutem; hinc agonizantes adhortamur ad pœnitentiam non multùm de futuris curantes, ſed ſolùm de præteritis, cùm per deteſtationem vitæ præteritæ ſatis proponatur obſervatio præceptorum. Tum quia veriſimile non eſt in illis caſibus peccatorem non juſtificari, ſi aliàs fecerit, in quantùm in ſe eſt, ſcilicet efficaciter ex motivo charitatis deteſtando peccata commiſſa, quia in his caſibus defectus propoſiti formalis non imputatur ad culpam, tùm aliàs, ſi pœnitens ex vehementi amore DEI ſtatim moreretur, antequam de futura vita cogitare poſſet, damnaretur, quod eſt alienum à DEI miſericordiâ, qui diligentes ſe diligit; daro ergo caſu; qui impoſſibilis non eſt, quòd pœnitens præ nimio dolore peccatorum non recordetur futuræ vitæ, ita tamen paratus; ſi incideret futura vita, proponeret efficaciſſimè cavere, pœnitens in tali caſu excuſaretur a propoſito formali, & juſtificaretur, ut patet de inſtantiâ Davidis prius adductâ.

8 Objicies: Trid. Seſſ. 6. c. 6. numerat inter diſpoſitiones ad juſtificationem propoſitum; ſed hoc non poteſt intelligi de virtuali incluſo in ipſa deteſtatione: ergo. Min. prob. propoſitum virtuale nihil aliud eſt, quàm ipſum odium peccati; ſed præter odium requirit concilium propoſitum tanquam diverſum, ut patet ex particulis copulativis: ergo.

Reſpondeo neg. min. ad probam diſting. min. requirit propoſitum ut quid diverſum & omnino neceſſarium, neg. ut aliquid connaturale & regulariter fieri ſolitum, conc. min. Concilia ergo & Patres explicanda ſunt de propoſito, quod neceſſariò includitur in quovis actu contritionis, quamvis propoſitum formale omnibus ſit conſulendum, ut patet à pari, nam idem Concilium dicit in Martyre ad juſtificationem requiri baptiſmum, vel ejus votum, & tamen ſententia communior docet, hoc non intelligi debere de voto explicito: ergo etiam ſic in præſenti.

Dices: principalis finis pœnitentiæ eſt emendatio vitæ: ergo debet includi formaliter propoſitum in actu pœnitentiæ, ſicut ipſa deteſtatio prioris malæ vitæ.

Contra eſt, vel neg. antec. nam principalis finis pœnitentiæ eſt potiùs vindicare peccatum, obtinere remiſſionem, DEOque ſatisfacere, adeóque poteſt etiam dari perfectiſſima pœnitentia, ubi nec de futura vita cogitatur, ut patet in damnatis ad mortem. Vel tranſmitto antec. neg. conſeq. quia non æquè proximè reſpicit emendationem futuræ vitæ, ſicut reſpicit retractationem pœnitentia, adeóque pœnitentia reſpicit retractationem vitæ præteritæ proximè, & emendationem futuræ remotè; hinc fit, quòd illa ſolùm explicitè requiratur, alia verò ſolùm virtualiter, quia remotum poteſt virtualiter intendi in proximo, ſicut per electionem medii, quo intenditur expreſſiùs medium, quàm finis licèt per eam principaliùs intendatur finis, quàm medium.

Dices: perfecta pœnitentia non ſolùm includit receſſum à malo per deteſtationem vitæ prioris, ſed etiam acceſſum ad bonum per deſiderium & propoſitum vitæ melioris, ſed ad hoc requiritur formale decretum, quo dicat voluntas: nolo in futurum peccare: ergo.

Contra neg. min. nam ſufficit acceſſus ad bonum per virtuale propoſitum, & per illud decretum, quod virtualiter proximè in illa deteſtatione continetur.

Dices: in actu deteſtandi peccatum etiam ex amore DEI non continetur virtualiter decretum, quo dicat voluntas: nolo in futurum iterum peccare; neque volitio peccandi in futurum repugnat cum deteſtatione peccati præteriti: ergo. Antec. prob. in deteſtatione ludi aut nimiæ potationis præteritæ non continetur virtualiter decretum non ludendi non potandi in futurum, neque cum odio ludi præteriti repugnat volitio futuri: ergo.

Contra neg. antec. ad probam neg. paritatem, nam dolor de peccatis commiſſis propter offenſam DEI eſt odium quoddam & abominatio in genere omnium peccatorum, cum qua non ſtat voluntas aut complacentia de aliquo peccato, aliàs odium perfectum non foret, utpote quod ſeparare debet cor ab affectu peccati non ſolùm præteriti, ſed etiam futuri, & abſolutè ſumpti, prout indifferens eſt ad præſens, præteritum, & futurum, ſicque ſaltem implicitè imbibit propoſitum, quod tamen dici non poteſt de odio ludi vel potationis qua talia, nam poſſum deteſtari præteritum, quia non ſucceſſit ad vota, aut quia malum mihi quoddam cauſaverat ſinè eo, quòd deteſter futurum, imò in futuro complacere poſſum.

9 Aſſero 2. *Regulariter & per ſe loquendo ad veram pœnitentiam modernam eſt neceſſarium formale & explicitum votum Sacramenti pœnitentiæ, per accidens tamen in caſu inconſiderationis naturalis aut inſufficientis temporis, præſertim inſufficientis inſtructionis, ſufficit virtuale & implicitum.* Eſt quoad primam partem Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *ad argumenta* in ſolut. authoritatis Auguſt. & Caſſiodori. Et quoad ſecundam partem deducitur ex eodem loco, ubi ſe Scotus refert ad D. 4. q. 6. de baptiſmo flaminis ad baptiſmum ſanguinis quem ibi admittit ſufficientem pro juſtificatione ſine explicito voto baptiſmi fluminis non obſtante hujus præcepto generali, aliàs ſi ſemper explicitum votum & deſiderium requireretur, nunquam baptiſmus ſanguinis ſine baptiſmo flaminis juſtificaret. Eſtque contra noſtrum Brancatum.

Probatur 1. pars: tum quia Trid. Seſſ. 6. c. 14. dicit pœnitentiam continere non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem aut cor humiliatum & contritum, verùm etiam eorundem Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam, ſed his verbis contritio & votum tanquam actus diverſi numerantur: ergo votum debet regulariter eſſe explicitum. Tum quia ſi de peccatis poſt baptiſmum commiſſis haberi poſſet juſtificatio per ſolum contritionis actum abſque Sacramento in re vel voto explicito, fruſtrà eſſet inſtitutum pœnitentiæ Sacramentum, quia ſufficeret hominem conari cum DEI auxilio conteri, neque verificaretur, quomodò eſſet ſecunda tabula poſt naufragium, ſi ſine ea poſſit obtineri portus: ergo ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ ad finem remittendi peccata poſt baptiſmum commiſſa oritur regulariter obligatio voti expreſſi Sacramenti pœnitentiæ.

Probatur 2. pars primò: Trid. Seſſ. 14. 10
c. 7. dicit: reconciliationem non eſſe adſcribendam ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur: ergo ſentit Concilium in vera contritione, ut eſt illa ex motivo charitatis, includi hoc votum pœnitentiæ ut virtualiter contentum, & aliquando non ut diverſum. Tum quia congruum videtur divinæ miſericordiæ & infirmitati noſtræ, ut cum tali propoſito virtuali verè peccatum remitti dicatur in ordine ad claves: ergo non ſemper formale. Conſeq. prob. aliàs facienti, quod eſt in ſe, ex fide & gratia DEUS deeſſet, talis autem homo in ſimili caſu nequit aliud præſtare ex impedimento inſufficientis inſtructionis, quàm ut habeat bonam voluntatem & perfectum dolorem de peccatis commiſſis: ergo.

Probatur 2. hoc votum explicitum vel requireretur, quia ſine illo non poſſit haberi vera contritio, vel licèt vera, non tamen ſufficiens ad juſtificationem, vel ut suppleret vicem Sacramenti dando gratiam ex opere operato; ſed non ob primum: quia licèt quis defactò Sacramenti pœnitentiæ non recordaretur, adhuc tamen poſſet perfectè deteſtari ſuper omnia peccata, ſicut & diligere DEUM perfectiſſimè, ſed talis haberet perfectam contritionem in eſſe contritionis, ſicut in lege veteri talis actus fuiſſet vera contritio: ergo. Non ob ſecundum: quia veræ contritioni juxta omnes ſemper eſt conjuncta gratia, cùm in illa ſemper includatur ſaltem implicitè hoc votum, aliàs æquè poſſemus dicere, neque ſufficere contritionem ad juſtificationem ſine reali ſuſceptione Sacramenti: ergo ſicut hoc non bene diceretur, ita nec illud. Nec ob tertium: quia juſtificatio, quæ ſolùm fit per Sacramenta in voto, fit tantùm ex diſpoſitione operantis, ut docetur de Sacramentis in genere; neque tunc confertur ulla gratia Sacramentalis: ergo tale votum explicitum non eſt neceſſarium ad ſupplendam vicem Sacramenti, aliàs non foret ratio, cur non etiam diceremus hominem juſtificari ex opere operato cum ſola attritione ſupernaturali cum deſiderio formali Sacramenti pœnitentiæ: ergo.

Obji-

11 Objicies 1. votum virtuale Sacramenti pœnitentiæ aliud importare non poteſt, quàm propoſitum in generali ſervandi præcepta, ſub quibus etiam comprehenditur obligatio Confeſſionis faciendæ, ſed hoc modo dicendo votum implicitum pœnitentiæ non magis eſſet neceſſarium ad juſtificandum homioem, quàm voluntas ſeu votum Euchariſtiæ, aut extremæ unctionis, imò quàm votum abſtinendi à furto & fornicatione, neque ſic eſſet ſpeciale privilegium Sacramenti pœnitentiæ pro remiſſione peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum: ergo cùm Trid. dicat: contritionem DEO reconciliare peccatorem, ſi annexum habeat votum Confeſſionis, illud debebit eſſe explicitum.

Reſpondeo oeg. maj. quia illud votum virtuale debet potiùs explicari per hoc, quòd pœnitens habeat voluntatem adhibendi media neceſſaria ad ſalutem in remedium peccati, quia ergo pœnitentiæ Sacramentum non ſolum inſtitutum eſt ut neceſſarium neceſſitate præcepti; ſed etiam neceſſitate medii, hoc eſt, tanquam medium per ſe ordinatum ad ſalutem, & voluntas feratur in quodcunque objectum, ſicut eſt, ſive ſit formaliter ſive virtualiter volitum; ideò Sacramentum pœnitentiæ non ſolùm deſideratur tanquam aliquod, quod ſtatutum eſt ſolùm ſub obligatione præcepti, ſed tanquam medium ſpecialiter inſtitutum pro peccatorum remiſſione omnino neceſſarium, ex quo etiam fit, quòd homo dicatur magis ſpecialiter juſtificari per contritionem cum voto Sacramenti pœnitentiæ, quàm cum voto Euchariſtiæ aut reſtitutionis &c.

Dices: contritioni promittitur remiſſio peccati intuitu & vi Sacramenti pœnitentiæ, ſed Sacramentum, niſi ſit explicitè volitum, nihil operatur: ergo tale votum debet eſſe explicitum, ut ſit diſpoſitio proxima ad juſtificationem.

Contra vel neg. maj. effectus enim gratiæ ſeu remiſſio peccati non tribuitur ſpecialiter voto Sacramenti pœnitentiæ, ſed ipſi contritioni, quatenus circumſtantia voti Sacramentalis eſt affecta ita, ut ipſa remiſſio peccati correſpondeat contritioni, licèt non ſine Sacramenti voto aut implicito aut explicito, quod ſolùm per modum circumſtantiæ, & non per modum cauſæ requiritur. Vel neg. etiam min. quia Sacramenta in voto tantùm ſuſcepta non conferunt gratiam ex ſe & opere operato, ut in proba ultima dictum eſt.

12 Objicies 2. contritio moderna & antiquæ legis eſt ejuſdem ſpeciei ſicut virtutes fidei, ſpei, & charitatis nunc & tunc: ergo ſicut in lege antiqua nullum requirebatur votum pœnitentiæ, ne quidem virtuale, ità neque nunc.

Reſpondeo neg. conſeq. ſicut enim fides quoad rationem formalem credendi erat eadem tunc & nunc, quantùm tamen ad objecta credibilia non eſt eadem, nam plura ſunt nunc credenda, quàm tunc, ita etiam contritioni formali, quæ in ſua ratione formali ſemper eſt eadem, adjecit DEUS hunc ordinem ad Confeſſionem Sacramentalem tanquàm circumſtantiam & obligationem, quam nolebat tunc contritioni eſſe appoſitam, cujus ratio alia aſſignari non poteſt, niſi DEI voluntas, ſicut nec alia ratio aſſignari poteſt, cur in lege naturæ præceptorum naturalium obſervatione fuerit contentus, in lege verò ſcripta plurima poſitiva impoſuerit, ac iterum veteribus abrogatis alia mandaverit.

DISTINCTIO IV.

De Neceſſitate virtutis pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quanta ſit pænitentiæ neceſſitas, & an ſemper pænitentia formalis neceſſaria?

Advertendum eſt 1. certum eſſe neceſſitatem pœnitentiæ immediatè referri ad juſtificationem, & remiſſionem peccatorum, & quidem mortalium, mediatè verò ad glorificationem ſeu ſalutem æternam; unde oritur quæſtio, an homini adulto poſt mortale neceſſaria ſit pœnitentia, & quidem qua neceſſitate, an neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti, & iterum qualis præcepti, an divini poſitivi, vel naturalis? pro quibus ſupponendum eſt, neceſſarium neceſſitate medii eſſe, ſine quo, vel ex natura rei, vel inſtitutione divinâ non poteſt abſolutè haberi ſalus, ita ut ejus omiſſio ſive culpabilis ſive inculpabilis impediat conſecutionem ſalutis; neceſſarium verò neceſſitate præcepti eſſe, cujus omiſſio ſolùm culpabilis, non verò inculpabilis impedit conſecutionem ſalutis; quamvis ergo potiſſimum Authores hîc loquantur de contritione, nos tamen etiam comprehendere volumus pœnitentiam ut ſic, prout complectitur contritionem & attritionem, quæ cum Sacramento pœnitentiæ eſt ſufficiens ad juſtificationem; conſequenter quæ de ipſius contritionis neceſſitate proferemus, etiam de attritionis cum Sacramento neceſſitate dici poterunt ſecundùm debitam proportionem. 1

Advertendum eſt 2. quæſtionem de neceſſitate pœnitentiæ non eſſe de potentia DEI abſoluta, & extraordinaria, ſed de ordinaria; nam quòd DEUS de potentia abſoluta ſine ullo actu peccatoris per extrinſecam condonationem, vel per alium actum v. g. temperantiæ aut miſericordiæ vel alterius virtutis culpam & pœnam poſſit remittere, docetur à Scotiſtis in Tract. de juſtificatione; adeóque pœnitentia, antequàm DEUS decerneret illam 2

eſſe unum ex mediis neceſſariis ad ſalutem, non ex ſe infert taoram neceſſitatem, ſed ideò neceſſaria evaſit, quia à DEO ordinata eſt in medium ad ſalurem, ut ſine ea defactò ſtante tali deerero nequeat haberi ſalus, quamvis etiam actus pœnitentiæ ex ſe & narurâ ſuâ valdè ſit proportionatna ad DEO ſatisfaciendum, vel ad vindicandum peccatum, ut in diſtinctione prima diximus; ex quo oritur difficultas, quomodo Theologi communiter docere poſſint, pœnirentiam eſſe neceſſariam, non ſolùm neceſſirate præcepti poſitivi divini, ſed etiam naturalis; nam quamvia certum ſit obligationem ſatisfaciendi DEO pro injuria illata per peccatum oriri ex jure narurali, ut infert Suarez: aſt non ita tamen certum eſt etiam modum ſatisfactionis per pœnitentiam & contritionem eſſe ex jùre naturali, niſi ſupposits ordinatione DEI, ut docet Scotus in 4. D. 14. q. 1. §. *de ſecundo articulo*. & §. *ex his*. hinc oporter diſtinguere ipſum præceptum ab ordinatione, & dicere præceptum pœnitentiæ eſſe naturale ſuppoſitâ ordinatione divinâ, quâ declaravit ſe velle talem modum ſatisfactionis & viodicatioois peccati; nam aliud eſt deſignare hunc unicum modum eſſe ſibi placitum, & aliud eſt obligare ad illum modum adhibendum, primum ergo procedit ex libera DEI ordinatione, ſecuodum verò ex natura rei ex ipſa lege juſtitiæ vel pœnitentiæ aut aliorum motivorum ſuppoſitâ ordinatione DEI.

3 Advertendum eſt 3. pœnirenriam pro præſenri eſſe duplicem, ſcilicet formalem ſeu explicitam, quæ eſt dereſlatio & dolor de peccatis cum propoſiro emendationis; & virtualem ſeu implicitam, quæ conſiſtit in dilectione DEI ſuper omnia, quæ virtute continet pœnitentiam formalem; dilectio autem DEI iterum duplex eſt, ſcilicet imperfecta, & perfecta: prima compatitur ſecum peccatum mortale, vel ejus complacentiam, aut neque ejus virtualem retractationem v. g. dicendo: propono impoſterum non peccare, ſed adimplere præcepta divina, vel excipiendo alterum, quem audit blaſphemare; talis dicitur habere actus dilectionis DEI imperfectos; & reverà cum his poreſt ſtare complacentia, vel non retractatio peccati præteriti. Secunda verò non compatitur ſecum mortale, & reſpicit præteritum & futurum abominandum, ut ſi quis magno fervore dicat: vellem hactenus ſervâſſe mandata & placuiſſe DEO, & deinceps firmiſſimè propono placere DEO; talis actus dicitur perfectus DEI amor ſuper omnia, & de hac dilectione eſt quæſtio, an poſſit æquivalere pœnitentiæ formali, alii enim docent, ſemper in omni caſu pœnitentiam formalem eſſe neceſſariam peccatori etiam in caſu ignoranriæ invincibilis, imò etiam io caſu Martyrii, alii verò econtra docent, aliquando ſufficere pœnitentiam virtualem ſeu actum amoris DEI ſuper omnia, uti & nos aſſert. 2. dicemus, interim his notatis:

4 Propoſitio 1. *In omni lege pœnitentia fuit neceſſaria*. Ratio eſt, quia in nullo ſtatu reliquit DEUS hominem ſine medio ſalutis poſt peccatum, ſed tale medium neceſſarium fuit pœnitentia: ergo. Maj. de ſe patet. min. prob. licèt DEUS potuiſſet extrinſecè condonare peccata, veroſimile tamen non eſt, quòd ita fecerit in lege naturæ vel ſcriptâ, cùm aliàs plùs exigeret in lege gratiæ quàm lege naturæ aut ſcriptâ; & ſic lex Evangelica non eſſet jugum ſuave & onus leve, ſed quid gravius & durius; imò in lege ſcripta habentur ſufficientes textus requirentes pœnitentiam neceſſariam ut patet in aſſert. & object.

Nec dicas: ſi in ſtatu naturæ fuiſſet pœnitentia neceſſaria, debuiſſet fuiſſe inſpirata à DEO; ſed hoc repugnat ſtatui naturæ, cùm ſic potiùs eſſet ſtatus legis datæ; nam ſtatus naturæ ſolùm requirebat dictamina naturalia: ergo.

Reſpondeo neg. min. nam licèt in lege naturæ non fuerint præcepta ſcripta, aut per externam locutionem facta, multa tamen erant inſpirata, cùm enim multi homines in illo ſtatu fuerint ordinati ad ſalutem ſupernaturalem; neceſsè fuit illis inſpirare media ſupernaturalia, quæ etiam dictamina obligantia ex jure naturæ dicebantur; hinc ſtatus naturæ ſolùm importabat negationem legis ſcriptæ, aut externè factæ; & pariter ſtatus naturæ, qui fuit, differt à ſtatu puræ naturæ, qui fieri poſſet, id eſt ſine illuminationibus ſupernaturalibus & ſine ordine ad finem ſupernaturalem; qui ſtatus omnino omnem doctrinam ſupernaturalem excluderet, non tamen ille, qui fuit; nam ſicut non excludebat fidem, ſpem, & charitatem, ita neque pœnitentiam; qualis licèt de illo ſtatu nemo poſſit teſtificari, attamen Concilia, quæ ſunt Scripturarum interpretes, id poſſunt teſtificari ut facit Trid. Seſſ. 14. c. 1. dicens: *omni tempore fuiſſe neceſſariam pœnitentiam poſt peccatum*.

Propoſitio 2. *Pœnitentia, quæ erat in lege natura & Moyſis neceſſaria, conſiſtebat in actu perfectæ pœnitentiæ ſeu contritionis*. Ratio eſt ex Scriptura Ezech. 18. *anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Et - - - *ſi autem impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis, quæ operatus eſt, vitâ vivet & non morietur*. Sed hoc non poreſt de alia pœnitentia inrelligi quàm de perfecta ſeu contritione, ut dicit Trid. & SS. Patres; non enim de imperfecta, aliàs DEUS fuiſſet magis beneficus in antiqua quàm nova lege, in qua non datur juſtificatio extra Sacramentum abſque contritione: ergo. 5

Nec dicas: nullibi in Scriptura habetur mentio de contritione aut neceſſitate ejus, imò ſi illud verbum reperitur, ſignificat aliquid aliud: ergo non contritio requirebatur.

Re-

Reſpondeo neg. antec. nam licèt etiam contritio videatur ſignificare alia, attamen ſecundùm tranſlationem, quâ utimur in lege nova, adhuc invenitur uſurpata in antiqua lege: ut pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum DEUS non deſpicies.* & Jerem. 23. *contritum eſt cor meum.* quæ loca apertè ſignificant diſplicentiam peccati: ergo reperitur uſurpatio contritionis, quæ ſit perfecta pœnitentia. Tandem licèt ſub hoc nomine contritionis non reperiretur pœnitentia, nihil officeret, quia inquirimus rem, & dicimus actum illum pœnitentiæ, qui dicitur apud nos contritio, fuiſſe neceſſarium ad ſalutem in veteri lege, de cujus neceſſitate citabuntur textus Scripturæ in aſſert. 1.

6 Propoſitio 3. *In lege gratiæ extra Sacramentum pariter eſt neceſſaria ad ſalutem contritio cum voto, ſaltem implicito Sacramenti.* Ratio primi eſt ex Trid. Seſſ. 14. c. 4. quod maximè duabus cauſis tribuit juſtificationem, & deletionem peccati, ſcilicet, Sacramento pœnitentiæ, & perfectæ contritioni cum voto Sacramenti, ut docuimus Diſt. 3. q. 3. aſſert. 1. & 2. ergo extra Sacramentum pœnitentiæ neceſſaria eſt contritio perfecta; ex quibus patet alios actus pœnitentiæ à Scoto aſſignatos extra Sacramentum pœnitentiæ vel baptiſmi non ſufficere ad ſalutem nec collectivè nec diſtributivè ſumptos, niſi contritioni conjungantur, quia alii actus v. g. velle vindicare, pœnam acceptare, & patienter ſufferre, vel ſunt abſque odio peccati vel cum illo. ſi ſunt ſine illo, ergo non ſufficient ad juſtificationem, ſi verò cum illo, vel tale odium eſt perfectum & contritio, ergo idem faciet, quod contritio, ſi verò imperfectum, ergo ſicut attritio extra Sacramentum non ſufficit ad juſtificationem, ita nec illi actus. Ratio ſecundi eſt ex D. 3. q. 6. aſſert. 2.

Nec dicas: charitas perfecta poteſt in multis caſibus cauſare remiſſionem peccati, uti diximus aſſert. 2. ergo in lege gratiæ non eſt neceſſaria ad ſalutem contritio etiam extra Sacramentum.

Reſpondeo diſting. conſeq. ergo non ſemper contritio formalis eſt neceſſaria, conc. non contritio formalis vel virtualis, aut per æquivalentiam, neg. conſeq. hic ergo loquimur de actibus pœnitentiæ, & dicimus ſolam contritionem inter actus pœnitentiæ hoc habere, ut conferat ſe ſolâ ad ſalutem, quòd autem etiam charitas perfecta aliquandò ſufficiat, nihil eſt contra nos, quia & ipſa eſt pœnitentia virtualis & æquivalens.

7 Propoſitio 4. *In ſtatu gratiæ etiam attritio cum Sacramento eſt ſufficiens ad ſalutem.* Ratio eſt ex Diſt. 3. q. 2. aſſert. 2. his propoſitis.

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Pœnitentia non ſolùm eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed etiam neceſſitate præcepti divini poſitivi, imò etiam præcepti naturalis homini adulto in mortale lapſo.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 1. §. *de ſecundo articulo*, & D. 17. q. 1. §. *in iſta.*

Probatur 1. pars: Scriptura pro omni ſtatu peccatoribus præſcribit pœnitentiam, ut Eccleſ. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* & Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* quare Trid. Seſſ. 14. c. 1. dicit: *quocunque tempore fuiſſe neceſſariam pœnitentiam ad ſalutem.* & unanimiter SS. Patres pœnitentiam dicunt eſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, utpotè per quam veluti unicum remedium poſt fractam innocentiæ navim à naufragio eripimur, & ad portum ſalutis ingredimur: ergò ex inſtitutione & ordinatione DEI pœnitentia eſt homini adulto lapſo in mortale neceſſaria neceſſitate medii, adeò, ut ſi peccator etiam abſque nova culpa impœnitentiæ, ſed ex inculpabili oblivione, vel ex ſubitanea morte deficiat in adhibenda debita pœnitentia, non ſalvabitur, conſeq. à priori quidem probari non poteſt, niſi per voluntatem divinam in Scripturis manifeſtatam, à poſteriori verò maximam congruentiam adducit Scotus in 4. D. 14. q. 1. §. *ex his.* dicens, *quod ſicut per peccatum homo avertitur à DEO & convertitur ad creaturam, ita neceſſarius eſt motus oppoſitus, ut convertatur ad DEUM*, qui motus eſt odium & deteſtatio peccati, alias homo non cenſetur velle habere pacem & amicitiam cum DEO, ſed potiùs manere ab illo averſus, & negligere amicitiam, niſi peccatum deteſtetur, quo illum offendit, & à DEO receſſit.

Probatur 2. pars ex veteri & novo teſtamento: Ezech. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam.* Joel. 2. *convertimini ad me, ſcindite corda veſtra.* Matth. 3. *agite pœnitentiam.* Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis* &c. ſed hæc verba ſignificant præceptum divinum poſitivum: ergo pœnitentia eſt neceſſaria etiam neceſſitate præcepti poſitivi, adeò ut peccator non pœnitens & præceptum cognoſcens non ſolùm ob peccatum, de quo non pœnitet, ſed etiam ob aliud novum ſcilicet impœnitentiæ damnetur. Min. præterquàm, quod ex verbis imperativis in re gravi pateat, probatur ratione: hoc ipſo, quòd pœnitentia eſt neceſſaria neceſſitate medii, non poteſt non eſſe neceſſaria ex præcepto, nam ſicut homo tenetur ad finem ultimum beatitudinis ſibi procurandum, ita etiam ad media neceſſaria pro illo fine, qui enim non vult medium neceſſarium & unicum, nec vult efficaciter finem: ergo ſaltem ex obligatione propriam ſalutem procurandi eſt obligatio pœnitentiæ, quam DEUS ſuo præcepto confirmavit, & non ſuperfluè aut fruſtra, ut patet de toto decalogo, quia, ut dicit Scotus, minùs obediunt homines legi 9

 naturæ,

naturæ, quàm DEO præcipieoti, minúsque timent & reverentur conſcientiaa proprias quàm divinam authoritatem.

10 Probatur 3. Pars rationibus Scotl ex D. 17. q. 1. illa cadunt ſub lege naturali, quibus intellectis ſtatim cognoſcitur obligatio exequendi; ſed primum principium naturale eſt: odiendum eſſe malum, quod ſibi vel alienæ perſonæ nocet; unde qui alterum offendit, ex naturâ rei manet obligatus ei ſatisfacere: ergo peccator eo ipſo, quòd cognoſcat peccatum eſſe malum & offenſam DEI, & nocivum ſibi, ac DEO ſaltem ſecundùm exiſtimationem & bona extrinſeca, tenetur præcepto naturali illud odio habere, DEO ſatisfacere, & ſibi propriam indemnitatem procurare. Tum quia homo ex dictamine rationis naturalis tenetur ſe ordinare ad DEUM, quem ſuper omnia debet diligere: ergo ſicut abſolutè DEUM diligere cadit ſub præcepto naturali, ita ſuppoſitâ culpâ pœnitere cadit ſub præcepto naturali, quia DEO tanquam ultimo fini non ſolùm debet homo ſuam dilectiooem, ſed etiam ſuam converſionem per pœnitentiam, ſi ab eo receſſit. Tum quia jus naturæ obligat, ut homo applicet ea, quæ ſibi ſunt neceſſaria ad finem, quem ſibi procurare tenetur, ſed pœnitentia eſt neceſſaria de lege ordinaria ad juſtificationem acquirendam pro beatitudine obtinenda, quàm ſibi quivis procurare tenetur: ergo. Tum quia eſt præceptum naturale charitatis erga DEUM, ut eum amemus ſuper omnia, & deteſtemur omnia, quæ ipſi diſplicent: eſt præceptum naturale erga ſe ipſum, ut à nobis ipſis removeamus peccatum tanquam mali præſertim æterni inductivum; eſt præceptum naturale juſtitiæ, ut ſatisfaciamus, quantùm poſſumus pro illata injuria DEO, & ex commiſſione DEI vindicemus mala; ſed hæc omnia ſolùm pœnitentia præſuppoſitâ voluntate divinâ præſtat: ergo ex naturali motivo charitatis erga DEUM, erga ſe ipſum & ex motivo & debito juſtitiæ commutativæ & vindicativæ obligatur homo pœnitere.

Addo tamen, licèt præceptum ſatisfaciendi DEO, quantùm poſſumus, diligendi DEUM, odiendi peccatum, ſit de jure naturali: aſt quòd DEO ſatisfiat, aut quod reconcilietur rectè per vindicationem, & odium peccati, non eſt de jure naturali; ſicut enim pœniteotia non ponit ex natura rei formam gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm ut diſpoſitio moralis, ita etiam poſita eſt à DEO ad remiſſionem peccati, & ejus reconciliationem; potuiſſet enim hanc diſpoſitionem non exigere aut acceptare, ſed alium actum ut diſpoſitionem decernere, & per eum ſe eſſe reconciliatum; ideò pœnitentia ſub hac ratione non eſt neceſſaria ex natura rei ad remiſſionem peccatorum obtinendam.

11 Objicies contra 1. partem: Scriptura etiam aliis piis operibus diſtinctis à pœnitentia remiſſionem peccatorum promittit: ergo ex ſacra Scriptura præcisè non colligitur pœnitentia neceſſaria neceſſitate medii. Antec. patet ex Luc. 11. *date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata* ſeu injurias eorum, *etiam vobis dimittentur peccata veſtra &c.* ſic etiam orationi, correctioni fraternæ & aliis virtutum actibus promittitur remiſſio peccatorum: ergo.

Reſpondeo neg. antec. Vel quia illis actibus ſolùm tribuit Scriptura veniam, quoad pœnam poſt culpam remiſſam, nam ſolet remanere aliquis pœnæ temporalis reatus, quem diluere poſſumus aliis virtutum actibus præter pœnitentiam, vel tribuit eis etiam veniam, quoad culpam, ſed ſolùm per modum impetrationis aut diſpoſitionis non proximæ, ſed remotæ, quatenus de congruo merentur auxilia, quibus ad pœnitentiam excitamur.

12 Objicies contra 2. partem: non poteſt aſſignari finis congruus præcepti pœnitentiæ: ergo non eſt de neceſſitate præcepti. Antec. prob. finis ejus eſſet ſatisfactio pro injuria DEO illata, vel juſtificatio obtinenda; ſed nihil horum: ergo. Min. prob. non primum, quia pro gravi culpa nequit homo ſatisfacere, imò Chriſtus ſatisfecit. Non ſecundum; quia forma juſtificans eſt gratia, diſpoſitio verò fides & actus charitatis.

Reſpondeo neg. antec. ad probam neg. min. finis enim intrinſecus pœnitentiæ quà juſtitiæ vindicativæ eſt peccatum punibile ſeu vindicabile, & præter hunc finem eſt etiam congruus uterque finis in objectione aſſignatus; ideò namque primus; quia licèt DEO non poſſit adæquatè ſatisfieri, poteſt tamen proportionatè ad ſtatum humanum cum divinis auxiliis ſatisfieri, in quantùm DEUS acceptat, & contentus eſt, ad quod etiam homo tenetur; præterea præter ſatisfactionem Chriſti adhuc DEUS exigit ab homine quamdam ſatisfactionem voluntariam, ſicut ab eo voluntariè receſſit. Ideo verò ſecundus; quia etiam pœnitentia eſt inter diſpoſitiones ad juſtificandum, ut patet ex Trid. & SS. Patres eam non excludunt.

Dices: Non ſunt ſine neceſſitate multiplicandæ fidelibus obligationes; ſed nulla eſt neceſſitas inducendi obligationem ad eliciendam pœnitentiam; ſatis enim eſt, ſi DEUS amore perfecto ametur poſt peccatum: ergo.

Contra neg. min. cùm enim planè ratio naturalis dictet eſſe dolendum de peccatis, DEO eſſe ſatisfaciendum, & ad remiſſionem peccati obtinendam ſit congruentiſſimum remedium, convenientiſſimè neceſſitate morali ſtatuitur præceptum pœnitentiæ, & non ſufficit ſola charitas, quia peccatom non ſolùm opponitur bono divino, qood pertinet ad chari-

rita-

ritatem, ſed etiam juri divino, quod læditur, & ſpectat ad juſtitiam.

Dicea: Si daretur ſpeciale præteptum pœnitentiæ, impœnitentia eſſet etiam ſpeciale peccatum; ſed impœnitentia, prout eſt ſolùm permanentis in peccato uſque ad mottem, non eſt ſpeciale peccatum, ſed ſolùm circumſtanria peccati, niſi ſit ſpeciala propoſitum non pœnitendi: ergo.

Contra neg. min. quia tunc ſolùm finalis impœnitentia non eſt ſpeciale peccatum, quando quis non advertendo obligationem pœnitendi moritur in peccatis, ut fieri poteſt in repentina morte, cùm ratione inadvertentiæ non ſit voluntaria aut culpabilis, ſecus autem eſt, quando quis advertit ſe impœnitentem mori, in quo præſertim puncto tale præceptum urget, & tunc ſaltem interpretativè vult non pœnitere, ſeu habet propoſitum non pœnitendi.

Dices: Si impœnitentia eſt ſpeciale peccatum, tunc nullus poſſet damnari ob unum ſolum mortale, quod eſt falſum; ſiquidem ſufficiat unum mortale ad damnationem: ergo. Sequela antec. patec, quia omne aliud mortale, in quoquis decederet, haberet aliud impœnitentiæ adjunctum.

Contra neg. ſequelam, ut patet in morte repentina, ubi quis poteſt abſque nova culpa deficere in exercenda pœnitentia, vel ſi quis in articulo mortis conatur pœnitentiam ſupernaturalem elicere, & ſolùm eliceret naturalem inſufficientem, ubi ſufficeret unicum mortale ad damnationem, ſecus verò eſt, quando quis advertit ſe impœnitentem mori, quia in tali caſu nunquam aliquis moritur cum uno ſolùm mortali, quod non eſt inconveniens.

Dices: Si impœnitentia eſt ſpeciale peccatum, ſic eſſet contra ſpecialem virtutem, quæ præcipitur, ſed non eſt contra ſpecialem virtutem, cùm ſit ſolùm contra illam virtutem, aontra quam eſt peccatum, de quo quis non pœnitet v. g. impœnitentia furti contra virtutem juſtitiæ &c. ergo.

Contra neg. min. quia non omnis negatio pœnitentiæ facit peccatum impœnitentiæ, ſed negatio moralis & debita, ſicut non omnis phyſica negatio alicujus rectitudinis facit peccatum, aliàs cùm in peccato furti adſint negationes omnium rectitudinum & virtutum, deberet habere malitias omnium, adeóque ſolùm, quando urget tempus pœnitendi, & homo non pœnitet, eſt novum peccatum impœnitentiæ contra præceptum, quod eſt affirmativum non obligans pro ſemper, & pro tunc eſt contra varia motiva virtutum, ſcilicet contra dilectionem DEI, ſui ipſius, & contra juſtitiam, ut dictum eſt proba 3.

Dices: Hæc motiva reperiuntur in omni peccato; ergo non ſpecificabant ſpeciale peccatum. Antec. de ſe patet.

Contra diſting. antec. hæc reperiuntur in omni peccato generaliter, conc. ſpecialiter, neg. antec. nam ſpecialiter reperiuntur in peccato impœnitentiæ, quia primò ipſa ratio dictat, ut, poſtquam DEUM offendimus, teneamur in ejus amicitiam redire, ita ut non pœnitendo committatur ſpeciale peccatum contra debitum charitatis in DEUM; ſecundò alia peccata tollunt quidem bonum gratiæ, & meritum gloriæ contra dilectionem ſui ipſius, quod tamen iterum poteſt recuperari, aſt peccatum impœnitentiæ finalis tollit bonum gratiæ & gloriæ irrecuperabiliter, quod eſt ſpecialiter contra dilectionem ſui; tertiò tandem ſpecialiter eſt contra juſtitiam, quatenus ſcilicet peccator dici ſolet obligari ad pœnitentiam ex motivo & debito juſtitiæ læſæ, ubi alia peccata potius ſunt contra juſtitiam non lædendam; imò ſatis eſt, ut impœnitentia ſit ſpeciale peccatum, quia eſt contra præceptum DEI, & contra virtutem obedientiæ.

Dices: ergo peccatum impœnitentiæ ſemper habebit tres ſpecie diſtinctas malitias, nam ſi eſt contra tria motiva illarum trium virtutum, habet tres privationes trium ſpecie diſtinctarum rectitudinum, quod eſt valde durum: ergo.

Contra conc. illatum, quando dictæ tres obligationes peccatori pro tempore obligante ad pœnitendum repræſentantur, & pœnitere omnino recuſat, ut multoties poteſt contingere in impœnitente finali, quia tamen non ſemper, imò rarò in plebæis hominibus illi tres tituli advertuntur, imò illos tres aliquando nec ſciet peccator, ideò ſæpiſſimè habet ſolùm formaliter impœnitentia ſuam deformitatem ex uno ſolùm motivo, non autem ex aliis.

Dicea: Saltem tot eſſent peccata impœnitentiæ, quod eſſent peccata, de quibus homo non pœniteret, quod adhuc eſt durum: ergo. Sequela prob. de quolibet peccato eſſet illud præceptum pœnitendi: ergo de decem v. g. peccatis eſſent decem obligationes pœnitendi, ſicut v. g. lex moderna jejunii regularis obligat pro quolibet die, ita tot erunt peccata, quot diebus frangitur jejunium.

Contra neg. ſequel. ad probam diſting. antec. de quolibet peccato eſſet præceptum pœnitendi diſtinctè, neg. uno eodémque actu, conc. antec. & neg. conſeq. ut enim priori diſtinctione diximus, non requiritur, ut cuivis peccato ſpecialis correſpondeat pœnitentia, ſed una de omnibus ſufficit, dummodò ſe ad omnia virtualiter extendat, & ideò de pluribus peccatis non pœnitendo unum ſolum peccatum impœnitentiæ committitur; diſparitas ergo eſt de lege jejunii, quia quilibet dies inducit obligationem diſtinctam jejunandi, & ſi uno ſolùm die jejuno, non ſatiafacio præcepto univerſali, aſt licèt quando peccatum eſt unum, requirat ſuam propriam pœnitentiam,

quan-

quando tamen eſt unitum cum aliis, ſufficit una p-o omnibus, ut diſtinctione priori deciſum eſt.

13 Objicies contre 3. partem: Si præceptum pœnitentiæ eſſet naturale, tunc eſſet notum cuilibet ex principiis naturæ; ſed non eſt ita notum: ergo. Maj. patet, quis lex naturæ omnes obligat, & omnibua eſt uniforme. Min. etiam patet, quia non eſt notum lumine natutali peccatum eſſe contrs DEUM, imò nec ipſe DEUS, ut ſentire videtur Scotus in 3. D. 37. q. un. ad ſecundum principsle dicens: *Quòd etſi DEUM eſſe poſſet concludi ratione naturali ex principiis per ſe notis: tamen illi populo rudi, & non exercitato in intelligibilibus* (puta populo Judaico) *non erat hoc notum, niſi ex lege; unde ad Hebr.* 11. *oportet accedentem ad DEUM credere, quia eſt. Intellige, ſi non habeat, nec habere poſſit aliam notitiam de DEO.* Ergo cùm Scotua ſupponat in illo populo rudi fuiſſe ignotantism DEI, nimirùm uſque dum de lege acceperat notitiam ſopernaturalem, ſequitur, quòd, ſi populus ille ſolùm per fidem ſupernaturalem cognovit DEUM, etiam ſolum ſupernaturaliter cognoverit peccatum eſſe contrs DEUM: ergo.

Reſpondeo neg. min. Ad ejus probam pariter neg. antec. quia ut docuimua diſtinctione 2. poteſt dari sctua pœnitentiæ naturalis ex parte dictaminis, quamvis eliqua ſint in peccato, quæ ſine revelatione non cognoſcuntur; ſive ergo naturaliter, ſive ex revelatione cognoſcator peccatum eſſe malum, & contrarium rectæ tationi, & DEO, ſtatim tamen ſequitur, quòd illud malum ſit deteſtandum; conſequenter eſt lex natutalis de pœnitendo, etiam de peccatis ideò malis, quia prohibitis, ſi de eis ſive externè ſive internè ſit illuminatua homo; nam ſicut de lege naturæ omnia illa peccata debet vitare, ita etiam, ſi ea perpetravit, tenetur ea deteſtari; interim tamen, ſi conſtitueretur homo in puris naturalibus, iſte non omnia peccata deberet deteſtari, quia talis ſolùm aliqua peccata cognoſceret, quæ ſcilicet ſunt contre tationem neturalem, & de his eſſe dolendum, ejus dictamen diceret; de aliis autem nihil diceret, quia nec ea cognoſceret; ex quo patet quod licèt lex puræ naturæ non admittat revelationem, admittat tamen revelationem lex naturæ ſimpliciter, & quatenus differt à lege merè libers, & poſitiva, ſeu quatenus vim legis accipit à voluntats ſic diſponente, & ſequitur actum voluntatis. Hinc ad anthoritatem Scoti dico, eam nimiùm probare, probsret enim etiam in illo populo per longiſſimum tempus fuiſſe ignorantiam DEI, nimirùm quosd uſque accepit legem Moyſis, quod Scotus minimè ſentit; nam in 1. D. 2. q. 2. §. *ad argumenta.* ubi explicans authoritatem D. Damaſceni lib. 1. c. 1. & 2. dicentis: *Quòd DEUM eſſe ſit cognitio omnibus naturaliter inſerta*, expreſsè dicit: *poteſt hoc exponi de potentia cognitiva naturaliter nobis data, per quam ſtatim* NB. ſtatim, *ex creaturis poſſumus cognoſcere DEUM eſſe.* Quare etiam nos in Tom. 1. Tract. 1. D. 1. q. 2. prop. 1. 2. & aſſert. 1. negavimua dari, etiam ad breve tempos, ignorantiam invincibilem DEI. Pro præſenti igitur ad authoritatem Scoti objectam dico, eum nihil aliud voluiſſe inſinuare, quàm quòd habenti ſcientiam unius DEI non ſit neceſſaris fidea de eodem, benè tamen ei, qui de exiſtensia DEI non habet evidentiam, licèt habeat notitiam aliquam confuſam, minua clatam, & imperfectam, quam fortè aliquando culpabilitet negligit per debitam inquiſitionem veritatia perducere ad notitiam meliorem & evidentem, qualis erat ille populus rudis Hebtæorum; unde dum Scotua dicit: *Non erat hoc notum illi populo rudi niſi ex lege.* Intelligendua eſt, non erat hoc notum illi populo perfectè & evidenter: non verò quaſi nullatenua, id eſt, nec confuſe, ſeu imperfectè: vel non erat hoc notum illi, in quantum DEUS eſt author gratiæ, & gloriæ, prout intelligendus eſt Apoſtolua à Scoto adductus, non verò in quantum eſt author naturæ. Vide plura, quæ diximus in Tom. 1. loco mox citato. & in Tom. 2. Tract. 6. D. 7. q. 2. in additionibus ad aſſert. 1. de peccato Philoſophico.

Dices: Sive homo ſit illuminatus naturaliter, ſive ſupernaturalitet, habebit quidem dictamen, quòd peccatum ſit fugiendum eò, quòd malum, non tamen habet dictamen, quòd ſit fugiendum & deteſtandum malum præteritum, cùm non poſſit cadere ſub fuga utpote jam factum: ergo.

Contra neg. 2. partem antec. Nam ſicut lex naturæ dictat bonum eſſe amandum præſcindendo ab omni tempore, ita & eſſe odiendum malum pro quocunque tempore, nam bonum ratione ſui & non ratione temporis eſt amandum, & malum ſic pariter odiendum, imò etiam adeſt in homine hoc dictamen, peccatum eſt vindicandum.

Dices: Si hoc eſt de lege naturæ, tunc DEUS non poſſet diſpenſare in pœnitentia, ſed hoc non: ergo. Maj. patet, quia illa lex naturæ eſſet primæ tabulæ, ut patet ex motivis in proba 3. aſſert. min. verò prob. ex ſententia Scoti, pœnitentia non eſt tali neceſſitate neceſſaria, ut ejus oppoſitum implicatet contradictionem, quandoquidem admittat Scotua per meram condonationem extrinſecam poſſe hominem liberari à peccato: ergo.

Contra conc. ſequel. neg. min. non enim DEUS diceretur diſpenſare quoad pœnitentiam, ſi per condonationem extrinſecam tolleret peccatum, nam pœnitentia ſemper eſt adhuc neceſſaria ad ſalutem, quatenus homo obligaretur ad ſemel pœnitendum de peccato, de quo nunquam doluit, licèt ei fuerit remiſſum

miſſum

miſſum ſine dolore, non tamen eſt neceſſaria quoad obtinendam veniam & remiſſionem peccati, utpote cùm DEUS ſine pœnitentia poſſit hanc veniam daré; nam in ſigno antecedente ad decretum ſuæ voluntatis non relucet hoc principium: DEUS non poteſt remittere ſine actu pœnitentiæ formalis vel virtualis.

Dices: Si DEUS non diſpenſaret, & adhuc homo talis obligaretur ad pœnitendum, non apparet, ad quid ſit condonatum peccatum: ergo totaliter diſpenſaret.

Contra neg. antec. eſt enim condonatum in ordine ad veniam obtinendam, non verò in ordine ad obligationem deteſtandi malum DEI, ſicut de fide & charitate poſſet dici, quòd ſi DEUS diſpenſaret quoad hos actus, ita, ut non ſint media ad juſtificationem, non propterea diceretur diſpenſare in lege naturæ non amando DEUM cognitum, vel non credendo ei, dum loquitur.

Dices: nequit aſſignari motivum, cur adhuc talis homo deberet pœnitere, ſi peccatum ei ſit ſine pœnitentia dimiſſum, eique revelatum, antequam pœniteat: ergo.

Contra neg. antec. Nam adhuc malitia peccati eſt motivum immediatum & finis intrinſecus odii & deteſtationis, quod exigeret pœnitentiam, ſicut ſi alicui revelaretur, quòd foret ſalvandus ſine actu amoris DEI etiam clarè viſi in viâ, non propterea ſequeretur talem non obligari ad amandum DEUM, ſi eum clare videret, licèt poſſet fortè ſalvari per alios actus, quos DEUS poſſet ordinare ad obtinendam veniam & beatitudinem.

14 Quæres: *Poſſétne talis non pœnitens, & tamen exercens alios actus ut media ſalutis frui beatifica gloria?* Videtur, quod non, quia hæc conſiſteret in dilectione DEI, & talis non diligeret DEUM, ſed potiùs impœnitentiam, & odio haberet præceptum DEI naturale de pœnitendo, & ſic etiam DEUM Legiſlatorem odio haberet.

Reſpondeo tamen & dico: *Saltem poſſet obtinere veniam, & non puniri, & poni in ſtatu puræ naturæ;* vel dici poteſt, *quòd ſaltem in gloria deinde adimplebit illud naturale præceptum, & ſic non eſt neceſſarium ad gloriam acquirendam, ſed ſolùm ad eam continuandam;* in ſententia enim Scoti viſio beata non eſt formaliter ſanctitas, ideò de potentia abſoluta DEI poſſet cum peccato componi in ſenſu diviſionis, ut deinde ceſſet eſſe beatus; ideò impeccabilitas beatorum defactò oritur etiam ab extrinſeco ex divina aſſiſtentia & providentia denegante concurſum ad actum peccati, vel determinante voluntatem beati ad actum oppoſitum peccato omiſſionis ut habet Scotus in 4. D. 49. q. 6. §. *dico ergo.*

Dices: Lex pœnitendi in lege Evangelica eſt determinata ad attritionem cum Sacramento: ergo hoc ipſo non eſt naturalis, ſed purè poſitiva, cùm lex naturæ non admittat mutationem, quia non eſt libera, niſi oſtenſivè.

Contra diſting. antec. determinata eſt in ratione medii ad ſalutem aut remiſſionem peccati, conc. in ratione actûs debiti, ob malitiam peccati, neg. antec. præceptum ergo naturale pœnitentiæ præſcindit à contritione & attritione; nam in intellectu divino ſolùm apparet peccatum eſſe aliquod odibile, ſive dein ex hoc motivo, ſive ex alio & manet voluntati divinæ liberum, ut unum determinet. Adtóque aliud eſt loqui de pœnitentia ut neceſſaria ad juſtificationem, & aliud ut neceſſaria ex objectorum exigentia, adeóque antequam DEUS decerneret requirere pœnitentiam ad juſtificandos homines, & inſtitueret Sacramenta pro aliquo ſtatu, quæ ſupplerant contritionem, adhuc in divino intellectu apparet mala eſſe odienda ex objectorum exigentia; ideò tali obligationi poſſet ſatisfieri vel per contritionem vel attritionem cum Sacramento in quocunque ſtatu; aſt facta tali determinatione in ſtatu veteris & novi Teſtamenti quòd ad juſtificationem ſint neceſſaria talia media ſcilicet contritio extra Sacramentum, vel attritio cum Sacramento nequit his obligationibus ſatisfieri, niſi per poſitionem talium mediorum pro quolibet ſtatu determinatorum pendentium à voluntate DEI.

3 Dices: Saltem omnia præcepta naturalia debent ad Decalogum reduci, ut ſentit Scotus in 3. D. ult. ſed non apparet, ad quod præceptum Decalogi ſpectet hæc obligatio pœnitentiæ: ergo.

Contra ſalvâ reverentiâ Scoti vel neg. maj. non enim eſt neceſſitas omnia præcepta naturalia reperiri in Decalogo, nam quædam ſunt præter Decalogum, ut actus virtutum Theologicarum, & opera miſericordiæ erga proximum, imò præceptum diligendi DEUM, quod eſt primum, non eſt expreſsè in Decalogo, nam primum Decalogi magis videtur eſſe de cultu, quàm dilectione DEI. Vel ob reverentiam Scoti neg. min. Nam poteſt reduci vel ad primum ſcilicet *unum DEUM cole*, nam impœnitentia opponitur & amori & reverentiæ DEO debitiæ vel, ut dicit Vega ad quintum: *non occides.* hoc extendendo ad vitam ſpiritualem tam in ſe quàm proximo conſervandam vel recuperandam, contra quod peccat homo remedium pœnitentiæ non adhibendo, quod eſt unicum medium ad vitam æternam.

Aſſero 2. *Licèt regulariter pœnitentia formalis poſt mortale ſit neceſſaria ad ſalutem, in aliquo tamen caſu, præſertim, quando homo non haberet ſpatium vitam ſuam examinandi v. g. in fervore martyrii, & ſic peccata non occurrerent memoriæ, poteſt non eſſe neceſſaria, ſed ſuppleri poteſt per pœnitentiam virtualem, qualis eſt dilectio DEI ſuper omnia etiam abſque formali deteſtatione in genere de peccatis.* Eſt 15

Scoti in 4. D. 14. q. 1. §. *ex his ad ſolutionem.* quoad primam partem contra Arriagam, & quoad ſecundam contra Canum & aliquos Thomiſtas.

Probatur 1. pars: tum quia in prinri aſſertione ſatis patet ex Scripturia neceſſitas pœnitentiæ formalis, ſi quis de peccatis cogitat & urget tempus pœnitendi. Tum quia modus pœnitentiæ formalis eſt convenientiſſimua ad veniam obtinendam, cùm ſit juſtum & debitum, peccatorem expreſsè à peccatis, ſi eorum recordatur, revocare voluntatem, & DEO ſatiafacere; cùm hoc inter homines offenſos exigi ſoleat, ita ut in tali caſu non ſufficiat actus dilectionis DEI ſuper omnia ſine formali actu pœnitentiæ: ergo. Antec. quoad ultimam partem prob. in tali caſu ſine formali actu pœnitentiæ, nec eſt actus formalis dilectionis DEI perfectus: ergo. Antec. prob. perfecta dilectio DEI in tantùm dicitur virtualis deteſtatio peccatorum, quatenus de ſe efficax eſt excitare, & prorumpere in formalem deteſtationem, quoties peccata menti occurrunt: ergo hoc ipſo, ſi non prorumpit, non eſt perfecta charitas. Conſeq. prob. ratione Scoti in 4. D. 45. q. 3. in reſponſ. ad tertium principale: quando Petrus ſui peccati recordatur, aut ſequitur velle & complacere in illo, aut nolle ſeu diſplicere, aut nec placere nec diſplicere? ſi primum: Petrus eſt malus, quia complacet malo. Si ſecundum, habet intentum formalis pœnitentiæ. Si tertium, adhuc eſt malus, quia ſi quis prudens & ſciens cogitat de aliquo, quod eſt contra DEUM & ejus præceptum, & illud ei non diſplicet, nec implet præceptum, non habet veram DEI dilectionem, quia illa eſt voluntas obſervandi præcepta, & non patitur ſecum aliquid, quod eſt contra DEUM; ergo. Ex quo patet, quòd dilectio in eo, qui recordatur peccati, habeat connexionem moraliter neceſſariam cum pœnitentia formali, unde ſicut quis perfectè diligens Petrum ex toto corde, cogitans de aliqua injuria ei illata eſt ei moraliter impoſſibile, ſeu non poteſt non triſtari de illa injuria, ita ſi quis DEUM perfectè diligit, & actu cogitat de ejus offenſâ, non poterit non triſtari de hujusmodi injuriâ DEO contrariâ.

Addo hanc aſſert. partem adeò eſſe veram, quòd etiam Martyr debeat elicere formalem pœnitentiam, ſi peccata ſua ei in mentem veniunt, ita, ut ſolum Martyrium cum dilectione formali non ſufficiat, nihilominùs dici poſſet, quòd in Martyre de peccatis menti occurrentibus non ſit neceſſaria perfecta contritio, ſed poſſit ſufficere ſola attritio, cùm martyrium habeat tale privilegium, ut etiam ex opere operato cauſet gratiam; imò ſi dubia eſt peccatorum memoria, debet etiam habere deteſtationem formalem ſaltem in genere de peccatis.

16 Probatur 2. pars primò ex Scoto cit. poteſt quis habens mortale rapi ad Martyrium, & habere ferventem actum amoris ergà DEUM, ita ut intendat dare vitam ſuam abaque advertentia peccati ſui, ſed niſi in tali ſufficeret amor DEI ſuper omnia, talis adhuc damnaretur, quod eſt contra miſericordiam DEI; ergo. Maj. patet, quia talis homo neceſſitatur ex toto corde ad inſiſtendum circa actua diſtrahentes à cogitatione peccati commiſſi, quatenus ſcilicet totus eſt occupatus ad profitendam fidem contra tyrannum, ac ad patienter ſuſtinendos dolores graviſſimos, qui impediunt cogitationes peccatorum, conſequenter formalem eorum deteſtationem. Min. etiam patet quoad primam partem ex conceſſ. adverſ. quoad ſecundam verò ex Scriptura DEI miſericordiam ſemper exaggerante, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut vivat, promittitque ſe toties converſurum ad peccatorem, quoties converſus fuerit peccator ad DEUM, quod utique per actum dilectionis perfectæ fit. Tum quia ſi homo invincibiliter non recordetur peccatorum, aut ſi quis occupatur in amore, etiam cogitet peccata, & ſtatim, dum vult deteſtari, incidit in phreneſim & mortem, excuſatur ab obligatione pœnitendi formaliter: ergo poteſt abſolutè alio actu conſequi veniam. Antec. patet; quia certum eſt pœnitentiam non obligare, niſi poſitâ conſcientiâ mortalis, cùm ſolùm propter illud delendum ſit neceſſaria, imò ſi invincibiliter putet nullo modo ſe commiſiſſe peccatum, nec poteſt abſolutam deteſtationem proprii peccati elicere: ergo excuſatur. Conſeq. 1. pariter patet, quia videtur moraliter impoſſibile hominem implentem omnia præcepta, quæ illi poſſunt occurrere habendo fidem, ſpem & charitatem, manere extra ſtatum ſalutis, eo, quòd DEUS reverà reliquiſſet talem hominem ſine remedio ſalutis: ergo.

Probatur 2. Dilectio ſupernaturalis efficax eſt perfecta converſio creaturæ ad DEUM: ergo etiam illi correſpondet converſio DEI ad creaturam juxta illud Zach. 1. *Convertimini ad me & convertar ad vos.* Sed hoc ipſo dilectio eſt ſufficiens diſpoſitio: ergo. Min. prob. dilectio, quæ non excitat ad obſervantiam alicujus præcepti non defectu ſui, ſed vel defectu alicujus occaſionis nondum occurrentis, vel defectu ſufficientis ſcientiæ de tali præcepto, non eſt imperfectior ea, quæ occurrente occaſione & ſcientia excitat ad obſervantiam præcepti, ſed dilectio DEI, quæ excitat ad formalem deteſtationem peccatorum, eſt ſufficiens diſpoſitio, ut fatentur omnes: ergo etiam illa dilectio, quæ non excitat, ſed non defectu ſui, ſed ſolùm defectu inculpabilis ignorantiæ peccatorum. Min. per ſe patet, quia charitas operit multitudinem peccatorum, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. Min. verò prob. quando omiſſio præcepti non eſt voluntaria,

non

non minuit perfectionem dilectinnis, quæ ſolùm ſe extendit ad ea, quæ humano modo fieri poſſunt, ſed omiſſio formalis dereſtationia peccatorum in caſu naturalis oblivionis non eſt volunraria, cùm non ſit cognita: ergo non minuet perfectionem dilectionis.

17 Addo tamen contra Vaſquez: illum, qui ſine formali contritione extra Sacramentum per formalem dilectionem juſtificatus eſt, teneri poſteà, cùm peccatorum recordatur, elicere formalem contritionem, aut confiteri, ſi deinde poteſt, & nullam deteſtationem ſaltem in genere habuit. Ratio eſt ex Scoto in 4. D. 45. q. 3. ad tertium principale. Ubi docet, viatorem obligari ad contritionem peccatorum remiſſorum, quotiescunque recordatur completâ deliberatione, & adhùc fore obligatos beatos, ſi in illis datur memoria peccatorum. Tum quia præceptum pœnitendi eſt naturale, fundatum in natura reconciliationis: ergo poſito, quod defectu inculpabilis oblivionis non fuerit adimpletum, eſt adimplendum quàm primò poteſt.

Nec obſtat fundamentum Vaſquez, quòd præceptum Confeſſionis aut contritionis ſit impoſitum, ut homo à peccatis juſtificetur, ſi ergo hic finis per formalem amorem obtinetur, ceſſabit contritionis obligatio. Nam

Contra eſt, neg. conſeq. quia per formalem dilectionem remiſſum eſt peccatum cum obligatione & onere ad contritionem, nam deteſtatio formalis eſt effectus naturaliter conſequens formalem dilectionem, & requiritur pœnitentia formalis ut præceptum naturaliter ſervandum, quam primùm ſervari poteſt; aſt poteſt ſervari, quam primùm peccata oblita veniunt in mentem.

18 Objicies contra 1. partem: pœnitentia eſt præceptum affirmativum non obligans ſemper, ſed ſuo tempore: ergo poterit peccator tempore, quò pœnitentia formalis non obligat, habere dilectionem DEI ſuper omnia abſque pœnitentia formali de peccatis, quæ tunc menti occurrunt, & ſolùm habere propoſitum pœnitendi tempore ſuo; ſed talis ſtatim juſtificatur ſine formali pœnitentia peccatorum etiam menti præſentium: ergo nec regulariter requiritur pœnitentia formalis. Min. ſubſumpta prob. dilectio DEI perfectè convertit animum peccatoris ad DEUM, & aliunde non ſtatim tenetur ad obſervantiam præcepti de formali pœnitentia: ergo nihil obeſt, quòd interim non poſſit juſtificari per ſolum actum dilectionis.

Reſpondeo neg. ſuppoſitum conſeq. quia objectio ſupponit hominem non obligari ad deteſtationem peccati, quotiescunque memoriæ occurrit, quod eſt contra Scotum probâ primâ citatum, & magis patebit quæſt. ſequenti.

Dices: non tenetur quis præter dilectionem virtualem incluſam in formali deteſtatione peccatorum elicere formalem dilectionem erga DEUM pro remiſſione peccati: ergo nec tenebitur præter deteſtationem virtualem incluſam in formali dilectione elicere deteſtationem formalem, etiamſi menti occurrant peccata.

Contra neg. conſeq. diſparitas prima eſt, quia in ordine ad remiſſionem peccati eſt per ſe medium pœnitentia formalis ita, ut non opus ſit, ut procedat ex motivò charitatis, & ideò non eſt mirum, quòd abſque dilectione DEI formali remiſſionem peccati inferat; aſt dilectio formalis non eſt inſtituta ut remedium per ſe ad juſtificationem, ſi non adſit deteſtatio formalis, nam hoc ipſo, ſi actui charitatis deſit deteſtatio formalis peccatorum cognitorum, arguitur, quòd non ſit perfecta dilectio. Secunda diſparitas eſt, quia ad plus tenetur peccator ad removendum malum, quod per peccatum intulit DEO, quàm ad volendum bonum DEO, quia ad removendum malum tenetur triplici titulo, ſcilicet charitatis ſeu amicitiæ erga DEUM, charitatis erga ſe ipſum, & juſtitiæ; aſt ad volendum bonum eidem DEO ſolùm tenetur titulo charitatis & amicitiæ erga DEUM, per conſequens ad deteſtandum, non ſolùm virtualiter, ſed etiam formaliter tenetur, & quidem tam jure naturali quàm poſitivo, nam verò ita ad diligendum.

Objicies contra 2. partem: pœnitentia formalis eſt neceſſaria neceſſitate medii; ſed ſine iis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, licèt admittant excuſationem, ne peccemus, ſi illa ex ignorantia invincibili omittimus, attamen ſalvari modernâ providentiâ non poſſumus: ergo nunquam ſufficit pœnitentia virtualis. 19

Reſpondeo neg. maj. nam pœnitentia disjunctim, ſive formalis ſive virtualis, eſt neceſſaria, unde poteſt formalis aliquando ſuppleri per actum perfectiorem, quando defectu memoriæ, aut opportunitatis temporis non poteſt formalis pœnitentia exerceri; nec hoc mirum eſt, quia etiam Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, & tamen per alios actus poſſunt ſuppleri, ſi in re haberi nequeunt.

Dices: ergo etiam fides poſſet ſuppleri.

Contra neg. illatum, quia ſola fides eſt initium & fundamentum noſtræ ſalutis, ideò nequit ſuppleri per alios actus, quia omnes, ut diſponunt ad ſalutem, præſupponunt fidem, adeóque in nullo poteſt virtualiter contineri.

Dices: illa pœnitentia eſt neceſſaria, quæ explicitè præcipitur in Scriptura, ſed præcipitur ſola formalis: ergo. Min. prob. dum pœnitere præcipitur, ſemper præcipitur illa virtus, quæ vindicat & deteſtatur peccatum, ſed talis eſt formalis pœnitentia: ergo.

Contra neg. min. ad probam diſting. maj. præcipitur virtus, quæ vindicat peccatum vel for-

formaliter vel virtualiter, conc. quæ ſemper formaliter vindicat, neg. maj. pœnitentia ergo virtualis etiam vindicat peccata ſed virtualiter, quatenus in ſerventi charitate circa DEUM includitur odium cujuscunque objecti, quod DEO diſplicet.

Dicea: ſi charitati adſcribitur vis remiſſiva peccati absque formali pœnitentia, ſemper hanc vim habebit, ſive recordemur peccati ſive non, cùm charitas ſemper ſit ejusdem ſpeciei & rationis; ſed hoc non admittimus in prima parte aſſert. ergo.

Contra neg. ſequel. nam licèt charitas ſit ejusdem rationis, quia tamen etiam extat præceptum de pœnitentia formali, hoc obſervari debet, dum poteſt, adeóque charitas ex ordinatione divina adhuc aliam requirit diſpoſitionem, aliquando nullam, ut patet ex probis, & ideò etiam aliquando charitas habet ſpeciale privilegium delendi peccata, aliquando non.

Dices: in aliis præceptis ſive poſitivis ſive naturalibus non poteſt unum ſuppleri per aliud: ergo neque præceptum pœnitendi per præceptum diligendi, maximè cùm nullibi conſtet DEUM loco pœnitentiæ inſtituiſſe dilectionem.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia aliæ obſervantiæ præceptorum, ideò nequeunt ſuppleri ad invicem, quia una non includit aliam, neque ullus actus cujuscunque virtutis poteſt excellentiæ charitatis æquiparari, quia major omnium charitas eſt, econtrà charitas continet virtute odium eorum, quæ DEO diſplicent; præterea licèt explicitè nullibi conſtet DEUM inſtituiſſe charitatem ſupplere pœnitentiam, implicitè tamen ſufficienter conſtat, quatenus charitas in Scriptura ſuper omnia extollitur, & ei etiam ſæpè remiſſio peccatorum adſcribitur, juxta illud Chriſti de Magdalena: *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.*

QUÆSTIO II.

Quo tempore neceſſitas præcepti pœnitentiæ cuilibet ſemper poſſibilis urgeat, & an in articulo mortis urgeat ad contritionem inſufficiente attritione cum Sacramento?

1 ADvertendum eſt 1. præſentem difficultatem non eſſe levem, cùm ſit de graviſſima obligatione pœnitendi ad ſalutem homini peccatori obtinendam; tota autem difficultas eſt de pœnitentia ut virtute, non verò ut Sacramento, nam cuilibet fideli ſatis notum eſt, quòd ſaltem ſemel in anno ſit confitendum, quod præceptum quoad determinationem temporis eſt Eccleſiaſticum, quamvis aliàs ſit divinum; pariter quæſtio ſolùm eſt de obligatione per ſe & ab intrinſeco ratione ipſius virtutis pœnitentiæ, nam per accidens & ratione alterius virtutis certum eſt ſæpius illud præceptum obligare, ſic certum eſt virtutem religionis obligare ad pœnitentiam, ſi quis conſcius alicujus peccati mortalis debeat aliquod Sacramentum ſuſcipere, vel ex officio adminiſtrare; ſic pariter certum eſt illam virtutem obligare ad pœnitentiam, contra quam ſunt graves peccati occaſiones, in quibus aliquis gravibus pulſatur tentationibus, quibus periculum ineſt ſuccumbendi, niſi per pœnitentiam præteritorum à DEO vires obtineat &c. vide plura quæ diximus de neceſſitate præcepti fidei & charitatis in Tract. de fide, ſpe, & charitate.

2 Advertendum eſt 2. præter minores difficultates, quas in propoſitionibus tanquàm unanimiter ab Authoribus admiſſas proferemus, potiſſima una difficultas ex præcepto pœnitentiæ oritur, an ſcilicet peccator poſt commiſſum peccatum ſtatim absque dilatione ſurgere teneatur; ubi notandum eſt ly *ſtatim* non ſumi mathematicè, quaſi in ſequenti ſtatim inſtanti teneretur homo pœnitere, ſed moraliter, hoc eſt, tempore proximè opportuno. Alia adhuc non minoris momenti exſurgit difficultas, an ſcilicet præceptum pœnitentiæ obliget toties, quoties peccata commiſſa menti occurrunt, & recogitantur completâ & practicâ cognitione, hoc eſt, quando quis cogitat ex electione & indagatione de peccatis commiſſis, nam quando quis ſolùm incompletè indeliberatè & ſpeculativè, non ex electione ſed ſubreptione in primis motibus advertit ſuos actus peccaminoſos, certum eſt talem non teneri pœnitentiam elicere; hæc autem ſecunda difficultas moveri poteſt tam de peccatis nondum remiſſis, quàm de ritè dimiſſis, ſi menti deliberatè proponuntur. Tertia tandem occurrit difficultas, anne in articulo mortis ſemper teneamur ad eliciendam contritionem, etiamſi etiam Sacramentum in re ſuſciperemus. His itaque notatis:

3 Propoſitio 1. *præceptum pœnitentiæ per ſe obligat omnes peccatores in articulo mortis, & in probabili periculo vitæ, ad pœnitendum de peccatis jam dimiſſis, quàm nondum dimiſſis.* Ratio eſt, quia ſi tunc non fiat pœnitentia, aliud tempus non ſupereſt, quô fiat, nam in alia vita non datur locus pœnitentiæ: ergo cùm ſit præceptum pœnitentiæ, ibi debebit impleri, ne ſit fruſtrà: Tum quia in articulo mortis, & in probabili periculo vitæ, ut in bello, periculoſa navigatione, in neceſſitate publica, quando probabiliter timetur DEUM punire populum ob delicta, ut tempore peſtis, frequentium terræ motuum &c. ratione charitatis erga DEUM & erga ſe ipſum tenemur adhibere media certiſſima ad ſalutem, nam charitas obligat ad adhibendam omnem moralem diligentiam, ut noſtræ ſaluti, imò & proximi ſuccurramus; ſed de peccatis aliàs etiam deteſtatis & dimiſſis non ſumus omnino

certi,

certi, quòd ſint remiſſa defectu veræ contritionis vel coofeſſionis: ergo de illis tenemur in his caſibus perfectè pœnitere, ut certiores efficiamur de noſtra ſalute.

4 Propoſitio 2. *Præceptum pœnitentiæ de peccatis nondum remiſſis aliquoties in vita ante articulum mortis obligat, ita, ut peccatori non liceat ſine peccato illam differre uſque ad articulum mortis.* Ratio eſt: tum quia ad Rom. 2. *ignoras, quia benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit, tu autem ſecundùm duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram DEI in die iræ.* Sed hoc textu iodicat D. Paulus ante mortem ſeu diem iræ dare impœnitentiam, quæ cauſat iram, quod non fit ſine gravi peccato; hinc S. Auguſt. Sermon. 71. ad Fratres in eremo dicit: *ſatis alienus eſt à fide, qui ad pœnitentiam agendam tempus ſenectutis expectat.* & Sermon. 57. de tempore dicit: *pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt, quæ à moriente, timeo, ne & ipſa moriatur*, ſed hoc ipſo, quòd S. Auguſt. tam difficilem in extremis judicet pœnitentiam, tacitè inſinuat, hominem eſſe obligatum extra articulum mortis ad pœnitentiam. Tum quia præcepta aliorum actuum neceſſariorum ad ſalutem. v. g. fidei, ſpei, & charitatis ſæpiùs obligant extra articulum mortis; ſed non minùs eſt neceſſaria pœoitentia ad ordinatam vitam & finem ultimum conſequendum: ergo etiam ſæpiùs præceptum pœnitentiæ obligat, nam eſt contra rationem, ut toto tempore vitæ homo perſeveret extra gratiam DEI, cùm rem maximam ſcilicet ſalutem animæ evidentiſſimè periculo exponat, & ſit difficillimum pœnitere in articulo mortis; cùm ob morbi moleſtiam acies mentis hebeſcat, deficiant vires corporis, & dolores opprimentes animam, eam quaſi extra ſe rapiant, ubi tamen ad pœnitendum opus eſt maximâ attentione mentis & voluntatis applicatione: ergo cùm hoc præceptum ſit de actu præſtantiſſimæ virtutis, maximè conducentis ad ſalutem, nec ſit difficile obſervatu, eſt veroſimile ſæpiùs & frequentiùs in vita obligare ad ejus obſervantiam.

5 Propoſitio 3. *Difficile eſt aſſignare tempus determinatum, in quo ad pœnitentiam extra articulum mortis obliget præceptum pœnitentiæ.* Ratio eſt: quia graviſſimi Theologi inter ſe non conveniunt de hoc tempore, aliqui enim nimis laxi ſunt, & aliqui nimis rigidi, uti quid ſimile propoſuimus de præcepto fidei & charitatis in Tract. de fide, ſpe, & charitate D. 8. q. 5. propoſ. 2. & D. 17. q. 2. propoſ. 3. ergo difficile eſt. Tum quia nullum hujusmodi præceptum poſitivum temporis divinum, aut Eccleſiaſticum, excepto illo annuæ Confeſſionis habetur: ergò mirum non eſt, quòd difficile aſſignetur hujusmodi tempus; nihilominus tamen ex diverſo ſtatu perſonarum, & circumſtantiarum erit tale tempus plùs vel minùs determinandum; ſicut enim in aliis materiis ut in fide & dilectione, in jejunio, & votorum dilatione juxta diverſitatem ſtatûs perſonarum, aut circumſtantiarum diſcurrunt Authores, ita etiam de tempore hujus præcepti pœnitentiæ erit diſcurrendum. His itaque propoſitis:

Aſſero 1. *Omni etiam obſtinatiſſimo pecca-* 6
tori poſt quemcunque numerum peccatorum, ſicut & peccatori, qui in actuali peccato in pœnam peccati occideretur, vel in phrenesim incideret, præceptum pœnitentiæ eſt poſſibile adimplendum, licèt aliquando valde difficile. Eſt Scoti in 4. D. 20. q. un. *ad argumenta.* ubi ad 4tum dicit: *DEUM tantæ miſericordiæ eſſe erga miſeros, ut nunquam eis claudat ſinum miſericordiæ ſuæ.* Contra Abulenſem & Medinam minùs rectè & tutè ſentientes.

Probatur 1. pars. Tum quia DEUS etiam obſtinatiſſimis peccatoribus in vita dat gratiam ſufficientem ad ſalutem: ergo etiam ad præviam pœnitentiam, ſine qua defactò ſalus obtineri non poteſt; ſed cum auxilio divino ſufficiente poſſibilis eſt ſalutaris pœnitentia ad adimplendum præceptum pœnitentiæ: ergo. Antec. patet, tum ex Trid. Seſſ. 6. can. 29. *Si quis dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per DEI gratiam reſurgere, anathema ſit!* tum ex Scriptura Jerem. 3. *frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, ergo ſaltem amodò voca me - - & non avertam faciem meam à vobis.* Ezech. 33. *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit.* Matth. 18. *non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, in quantocunque numero. Alibi verò teſtatur DEUS ſe exſpectare peccatorem ad pœnitentiam, volens omnes homines ſalvos fieri, nolens mortem peccatoris, ſtans ſemper ad oſtium, & pulſans, ſcilicet per media ordinaria, quæ videntur in Eccleſia, & in prædicationibus Evangelii, & extraordinaria, ut per inſpirationes internas, per invocationes Sanctorum & piorum; ſed in his textibus univerſalibus utique etiam de induratis peccatoribus loquitur: ergo. Tum quia talis peccator non ampliùs teneretur ſperare beatitudinem, quia ipſi impoſſibilis eſſet, nec ampliùs poſſet peccare, cùm ei ampliùs non ſit ſufficiens moralis libertas, nam ibi non eſt potentia ad utrumlibet, ubi non eſt auxilium neceſſarium ad ſuperandas difficultates occurrentes in peccatis. Nec ſatisfacit dicere, talia peccata dici libera cauſaliter, eò, quòd peccator liberè dederit cauſam, ut illa ſequerentur. Nam mala, quæ non poſſunt prævideri, neque cauſaliter poſſunt dici libera; ſed non poteſt prævideri, quodnam ſit peccatum, aut numerus peccatorum, ad quem conſequitur ſubtractio auxilii ſufficientis: ergo. Tum quia repugnat cum moderno ſtatu viæ & viatoris, quamdio eſt ſanæ mentis, decretum, quò dicat DEUS: *nunquam dabo illi homini,*

qui adhuc aliquo tempore eſt victurus, gratiam, ut poſſit converti; nam hoc ipſo non eſſet amplius viator, quia ad beatitudinem accedere non poſſet, quæ eſt terminus viæ.

7 Probatur 2. pars: Valde conſonum eſt miſericordiæ divinæ, ut hujusmodi peccatores non ita puniat pœnâ corporali, ut eorum animos ſalutari gratiâ immiſſâ non aliquando inviret internè, ſaltem in extremis ad pœnitentiam, quam agere poſſent, ſi vellent, cùm DEUS neminem velit perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti; hinc quamvis gratiæ divinæ paratæ ſint finitæ & numeratæ, juxta illud Sap. 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Nego tamen DEUM pervenire ad ultimam determinatam, quamdiu homo vivit, ita, ut eo vivente non ſuperſit aliqua gratia, cum qua poſſet agere pœnitentiam, ſi velit, omnibus enim inſtantibus vitæ homini eſt paratum auxilium ſufficiens, quô, ſi mentis compos ſit, pœnitentiam agere poteſt, ſi velit; hinc non una gratia determinatè, ſed una ex omnibus indeterminatè eſt neceſſaria ad pœnitentiam, & ſi nec ei homo cooperatur, ſibi adſcribere debet. Unde quamvis non repugnet in via in ſanctis confirmatis in gratia impoſſibilitas peccandi, bene tamen pro hac vita repugnat impoſſibilitas pœnitendi; quia per confirmationem in gratia non tollitur potentia ad malum, quæ ſalvatur in ſola natura liberi arbitrii, quæ per gratiam confirmantem non tollitur, ſed adjuvatur; aſt per ſubtractionem auxilii ſufficientis tollitur potentia ad bonum, quæ ſine auxilio gratiæ non eſt ſufficiens, & ſic tolleretur potentia ſufficiens ad conſequendum terminum, quæ eſt de eſſentia viatoris. Cæterùm tamen contrarium aſſerendo, licèt non præjudicet divinæ juſtitiæ abſolutæ, & miſericordiæ; nam homo ſibi imputare debet, quòd in talem articulum incapacitatis inciderit, ratione cujus jam eſt quaſi in termino, ante quem tamen ipſi DEUS ſufficientiſſima auxilia dedit ad pœnitendum, ſi tantùm voluiſſet cooperari; attamen ſi reſpicimus ad divinam juſtitiam, & ſimul ad merita Chriſti, qui pro omnibus mortuus eſt, minimè juſtum videretur alicui peccatori propter ullum peccatum negare auxilium ad ſalutem neceſſarium; cùm Chriſtus quaſi de juſtitia videatur promeruiſſe ſalutem omnium, quos ipſe vocat.

8 Probatur 3. pars: propter inveteratas peccandi conſuetudines & habitus vitioſos intenſiſſimos ac continuas reſiſtentias divinis adhortationibus adeò difficile eſt aliquibus cum mediis ordinariis ſupernaturalibus ex toto corde retractare peccata, ut hoc ſit eis quaſi moraliter impoſſibile v. g. ſi ſit facienda ingens bonorum reſtitutio, ejicienda è domo concubina, revocandus hæreticus ad Eccleſiam, qui apud ſuos magna authoritate pollet; hæc tamen poſſibilitas ſe ſolùm tenet ex parte peccatoris, qui continuis auxiliis divinis paratis & ſufficientibus non cooperatur, ideò ei ſubtrahitur auxilium efficax, cujus negatio in homine diu in vitiis radicato reddit voluntatem difficillimam & quaſi impotentem ad converſionem, & hoc modo unum peccatum poteſt dici pœna alterius peccati; ideò quando Scriptura dicit: *DEUM homines derelinquere. Jerem. 51.* vel *ſententiam Domini eſſe ut indurarentur* Joſ. 11. *aut excœcare oculos eorum* Iſa 5. intelligi debet DEUM excœcare, & indurare ſolùm permiſſivè, quia ſinit peccatorem ſe ipſum indurare effectivè, cùm bona ampliùs non curet; præterea quando Scriptura dicit *in pœnam peccatorum DEUM aliquando ſubtrahere auxilium divinum*, intelligi debet de auxilio efficaci; nam quantis ſufficientibus mediis DEUS uſus fuit ad convertendum induratum Pharaonem? ut dicat S. Chryſoſt. hom. 16. in Epiſt. ad Rom. *tulit DEUS Pharaonem multâ patientiâ ad pœnitentiam inducere volens, niſi enim hoc voluiſſet, tamdiu eum non tuliſſet.* Quando verò Patres aliquando adſtruunt *impotentiam, vel neceſſitatem in peccatoribus induratis*, intelligendi ſunt de impotentia & neceſſitate in ſenſu compoſito ipſius obſtinationis pendentis ex propria libertate gratias divinas paratas repellentis. Tandem quando aliquando dicunt, *obduratis illa poſteriora peccata non imputari*, intelligendi ſunt, quòd non in tantùm imputentur, ſicut extra ſtatum obdurationis, non verò, quòd abſolutè non imputentur, cùm adhuc ſint vera peccata, licèt prioribus quaſi inſeparabiliter adjacentia. Plura de his in Tract. de gratia & juſtificatione.

Objicies contra omnes 3. partes: Peccator ob inveteratam conſuetudinem, & magnum numerum peccatorum non ampliùs habet auxilium ſufficiens ad pœnitendum: ergo pœnitentia non eſt ei poſſibilis. Ant. prob. talis peccator non poteſt conjungere conſenſum cum auxilio in tali ſtatu ei collato: ergo. Ant. prob. tali peccatori eſt moraliter impoſſibile abſtinere à peccato, ut concedimus in tertia parte aſſertionis: ergo non eſt ei moraliter poſſibile conjungere conſenſum cum illo auxilio; aliàs eſſet ei hoc moraliter poſſibile, & moraliter impoſſibile, quod eſt contradictio. 9

Reſpondeo neg. ant. ad probam diſt. ant. talis peccator non poteſt conjungere conſenſum cum illo auxilio potentiâ morali tranſmitto ant. non poteſt conjungere potentia phyſica neg. ant. nam peccator inveteratus, vel graviter tentatus, licèt ſit moraliter præventus ad lapſum, habet tamen cum auxilio ſufficienti, quod ei pro tunc confertur, potentiam, & indifferentiam phyſicam ad abſtinendum à peccato etiam in ſenſu compoſito tentationis, ut docuimus in Tom. 1. de gratia ſufficiente in induratis peccatoribus; ſicut habens auxilium efficax,

efficax, licèt ſit etiam moraliter præventus ad conſenſum, poteſt tamen potentiâ phyſicâ diſſentire, licèt nunquam diſſentiet. Transmiſi ant. nam non videtur mihi improbabile, quod docet P. Gibbon Tract. de gratia DEI Diſp. 21. dub. ult. num. 17. nimirùm auxilium proximè ſufficiens non ſolùm ſuppeditare potentiam phyſicam, ſed etiam moralem; cum hoc conſentaneum ſit ſuavitati divinæ providentiæ, & ſinceritati voluntatis divinæ, quæ, quantùm eſt ex ſe, vult omnes homines ſalvos fieri, nullùmque adultum unquam ab ipſo damnari, qui non habuerit ſæpiùs præſertim ad finem vitæ auxilium moraliter ſufficiens, tum ad vincendas tentationes, tum ad procurandam ſalutem, quo ſi rectè uteretur faciendo, quod moraliter poteſt, DEUS ipſi daret auxilia uberiora moraliter ſufficientia ad alias occaſiones. Hæc enim doctrina fundatur in illo Iſa. 5. *quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Si enim non daret ſæpiùs auxilia moraliter ſufficientia, rectè peccator reſponderet: Domine conſtituiſti mihi viam ſalutis moraliter impoſſibilem, ſiquidem dediſti mihi ſolùm auxilia phyſicè ſufficientia, quibus adhæret moralis impotentia bene operandi, in qua mihi tam difficilè eſt operari, ſicut me ipſum projicere in ignem, quod etiam viro fortiſſimo cenſetur moraliter impoſſibile, licèt phyſicè non repugnet. Hinc ad ult. prob. conceſſo ant. diſting. conſeq. ergo non eſt ei moraliter ſimpliciter poſſibile conjungere conſenſum cum illo auxilio conc. non eſt ei moraliter ſecundum quid poſſibile neg. conſeq. quando ergo concurrunt gravis tentatio, & auxilium moraliter ſufficiens, tunc peccator ratione gravis tentationis habet impotentiam moralem ſimpliciter ad abſtinendum à peccato: & ſimul ratione auxilii moraliter ſufficientis potentiam moralem ſecundum quid ad abſtinendum à peccato, quod non eſt contradictio; uti à pari diſcurrimus de voluntario ex metu, quod ſimpliciter eſt voluntarium, & ſecundum quid involuntarium; quapropter illa impotentia ſimpliciter non ſemper inducit ingentem, & ſenſibilem difficultatem ad non peccandum, præſertim in concurſu cum auxilio moraliter ſufficiente, quod difficultatem diminuit, quamvis communiter maximæ difficultati comparetur, eò quòd infallibiliter ſequatur effectus.

Dices: Ad vincenda peccata conſuetudinaria non ſolùm ſimpliciter eſt neceſſarium auxilium qua moraliter ſufficiens, ſed qua efficax ad vincendum re ipſa: ergo cui hoc non datur non habet auxilium verè ſufficiens, ſiquidem ſine illo minimè habet, quod neceſſarium eſt ad vincendum. Ant. patet ex Tom. 1. de gratia efficaci prop. 2.

Contra diſting. ant. eſt neceſſarium qua efficax neceſſitate antecedenti neg. neceſſitate conſequentiæ ſeu illationis conc. ant. nam poteſt voluntas abſolutè conſentire cum ſolo auxilio qua ſufficienti, licèt actualis conſenſus fiat mediante illo auxilio qua efficaci, ut docuimus Tom. 1. de gratia efficaci. Eſt igitur auxilium efficax neceſſarium ad infallibilem futuritionem conſenſus, non verò ad poſſibilitatem conſenſûs, quia hic cum ſolo auxilio qua ſufficienti eſt poſſibilis.

Objectiones alias deſume ex Tom. 1. Tract. 3. D. 6. q. 2. §. 3. de induratis peccatoribus.

Aſſero 2. *Præceptum pœnitentiæ non obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum.* Eſt communis contra Argentinum & Magronium. 10

Probatur: præceptum de pœnitentia eſt affirmativum; ſed ea eſt conditio talium præceptorum, ut non obligent ſemper & pro ſemper, ſed tantùm aliquo determinato tempore, & in quibusdam circumſtantiis: ergo peccator non tenetur ſtatim pœnitere poſt peccatum commiſſum. Min. patet, maj. prob. licèt obligatio non peccandi ſit per modum præcepti negativi, obligatio tamen reſurgendi poſt peccatum eſt tantùm per modum præcepti affirmativi: ergo. Prob. antec. ſi non eſſet per modum affirmativi, ſequitur, quòd continuo actu peccator peccaret, quamdiu non pœnitet; ſed hoc eſt duriſſimum, & contra communem ſenſum fidelium, cùm neque pœnitentes ſe de tali peccato contra hujusmodi præceptum accuſent, nec Confeſſarii de eo quærant: ergo. Sequel. verò patet, quia qui tenetur præcepto negativo, & illud eo tempore, quo poteſt, non implet, peccat peccato actuali: ergo. Hinc ſicut præceptum affirmativum v. g. eleemoſynæ non ſemper oblatâ occaſione obligat, ſed tempore neceſſitatis, alioquin quoties quis petenti eleemoſynam non daret, peccaret; ſic etiam præceptum pœnitentiæ non ſemper obligat, niſi in certis neceſſitatibus, & quidem nec etiam in Religioſis contra D. Bonav. quia religioſi non plus tenentur quàm cæteri, niſi ad ea, ad quæ ſe voto adſtrinxerunt; aſt non ſe adſtrinxerunt ad ſtatim reſurgendum poſt peccatum, ſi quandoque ex fragilitate cadunt, licèt ob ſtatum perfectionis citiùs obligentur reſurgere, quàm alii; unde illud, quòd religioſi ſemper teneantur tendere in perfectionem, intelligendum eſt, quòd nunquam velint regredi aut non progredi directâ & expreſsâ voluntate, non verò indirectâ & implicitâ, ut in caſu aſſertionis.

Objicies: Eccleſiaſt. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem.* Et SS. Patres maximè D. Gregorius L. 1. in Ezech. c. 11. *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud.* Ergo qui non ſtatim pœnitet, eſt in probabili periculo committendi aliud peccatum; ſed non eſt licitum ſe periculo peccandi de novo 11

expo-

exponere: ergo ſtatim tenetur peccator reſurgere.

Reſpondeo neg. 1. & 2. Conſeq. quia ſimilis textus Scripturæ & Patrum ſolùm indicant coaſilium, aut ſi præceptum, tunc debent intelligi eo tempote, quo obligat pœnitentia, cujus præceptum, cùm ſit affirmativum, non obligat pro ſemper adeóque S. Gregorius eſt intelligendus, qoòd aliquis ſe ſolùm periculo remoto committendi aliud peccatum, & negativè exponat, oon verò proximo & poſitiva actione, cùm pondua peccati non infallibiliter trahat in aliud peccatum, ſed totum refundi debet in voluntatem liberè conſentientem, ſic etiam licèt conſuetudo peccandi majori pondere trahat ad peccandum, illa tamen peccatum non eſt, utpote cùm illa poſſit manere, & tamen homo poſſit juſtificari, ita etiam per ſe non erit peccatum aliquando manere ſub tali pondere peccati.

Dices: quæ ſunt de jure naturæ, ſtatim obligant; ſed reconciliari & ſatiafacere offenſo eſt de jure naturæ: ergo. Min. patet, maj. prob. ideò dilectio DEI ſtatim obligat ad formalem pœnitentiam, quia eſt de jure naturæ.

Contra neg. maj. ſi ſit de jure naturæ affirmativo, ut diligere DEUM, honorare parentes, non ſtatim obligant, ſed ſuo tempore, ad probam dico: non ideò ſtatim obligare dilectionem ad pœnitentiam, quia eſt præcisè de jure naturæ, ſed quia pœnitentia eſt paſſio oeceſſariò conſequena ad dilectionem DEI efficacem.

Dices: nunquam licèt committere peccatum: ergo nec unquam licèt in eo permanere.

Contra diſting. conſeq. oec licèt in eo actuali continuando manere, conc. nec licèt in eo habituali permanere per dilationem pœnitentiæ, oeg. conſeq. adeóque non eſt ſtatim obligatio reſurgendi ab habituali peccato, cùm homo non maneat in eo per aliquam actualem transgreſſionem, ſed ſolùm per dilationem pœnitentiæ, quæ non eſt ſemper peccaminoſa, cùm præceptum ejus non ſemper obliget, & in habitu non ita contemnet Legiſlatorem ſicut in actuali transgreſſione.

Dicea: Statim tenetur aliqnis proximo ſuo læſo ex juſtitia ſatisfacere, & reſtituere honorem, pecuniam &c. ergo & ſtatim offenſo DEO quis ſatisfacere debet; ſed hoc fit per pœnitentiam: ergo.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia dum homo injuriatur, vel ei aliquid auffertur, non ſolùm tunc læditur actualiter, quando auffertur, ſed etiam quamdiu non redditur, vel compenſatur, cùm homo in ſuis bonia poſſit deficere, & pati proprium & formale damnum; adeóque non tantùm ablatio, ſed etiam oon ſatisfactio eſt contra juſtitiam & peccatum actuale; dum verò DEUS offenditur, in peccato habituali, præſertim, quod directè non eſt contra ejus honorem & juſtitiam, ſed ſolùm generaliter, non de novo & cootinuò offenditur, cùm in ſuis bonia externia non patiatur proprium & formale damnum, ideò non ſtatim tenebitur reſtituere & ſatisfacere.

Dices: Semper tenetut homo non eſſe offenſus & inimicus DEO: ergo ſi peccatum incurrit, ſtatim tenetur reſurgere, cùm per peccatum homo ſit inimicua DEI.

Contra diſting. antec. ſemper tenetur homo non eſſe offenſus DEO actu, conc. ſemper noo offenſus habitu, oeg. antec. niſi quando aliunde currit præceptum de reconciliando noa cum DEO.

Dices: Si peccatot non ſtatim tenetur reſurgere, ſic poſſet dicere: nolo pro hic & nunc reſurgere aut converti; ſed hoc eſt intrinſecè malum, ideò illicitum: ergo tenetur reſurgere ſtatim.

Contre neg. min. non enim eſt intrinſecè malum non velle cooverti pro hic & nunc, quando præceptum converſionia non urget, ſed ſolùm tunc eſt intrinſecè malum, quando præceptum converſionis obligat; interim tamen talis actus eſſet valdè periculoſus, cùm videatur contemptivus gratiæ, quam DEUS dein meritò poſſet ſubtrahere, ut nec alio tempore poſſit efficaciter pœnitere; imò, ut dicemus aſſert. ſequenti. Homo tenetur converti, quoties deliberatè de ſuis peccatis cogitat; aſt prædictus actus: *nolo converti;* vix poterit elici ſine cogitatione peccatorum; hinc ergo ſequitur, quod in ſimili circumſtantia obliget præceptum, & ſic poſſet oeg. maj.

Dicee: Homo ex charitate proximi ſtatim tenetur quærete ejua ſalutem ſive corporis per media, ſive animæ per correctionem fraternam: ergo & ſuam propriam per pœnitentiam.

Contra neg. antec. Non enim tenemur ſtatim ſobvenire, ſed in oeceſſitate, ideò per fraternam correctionem oon ſtatim tenemur peccatorem monere, ut reſurgat, ſed ſolùm quando illi incumbit obligatio pœnitentiæ, cùm teneamur impedire, ne incidat in peccatum novum impœnitentiæ, ſi verò aliquando homines ſtatim fraternè corrigunt, hoc ideò eſſe poteſt, quia poſteà non erit opportunitas, propriæ autem pœnitentiæ ſemper eſt opportunitaa quæ diſparitas eſt bene notanda.

Dices: Ex dejectione propriâ corporis ægri hic ſtatim tenetur quærere medicinam: ergo etiam ex dejectione animæ languentis.

Contra diſparitas eſt, quia ſemper in poteſtate hominis peccatoris eſt ſe liberare mediante gratia DEI à morbo animæ, non autem ſemper eſt in poteſtate ejus ſe liberare à morbo corporis ingraveſcente; unde, ſi illud tunc negligat, quando poteſt, aot probabile periculum adeſt, non ampliùa mederi poteſt; imò hoc argumentum eſt potiùs contra adverſarios;

rios; non enim ſtatim tenemur medium corporale quærere in omni infirmitate, ſed ſolùm in imminenti gravi periculo proximo, quod idem eſt dicendum de medio ſpirituali.

Dices: Tenetur quis ex charitate propria quodlibet damnum imminens à ſe auferre: ergo magis damnum adhærens; cum majus damnum patiatur ex ejus perſeverantia, quàm nova acceſſione, cùm ſit privatus gratiâ & aliis auxiliis, ac adjudicatus pœnæ æternæ, quod, ſi oon plus eſt, ſaltem oec minus eſt, quàm actualiter peccare.

Contra neg. conſeq. nam quamvis maneant illa damna, non tamen tenetur ad illa avertenda ſtatim, niſi quando incurreretur oovum damnum, quod tamen non incurritur in perſeverantiâ merè habituali & negativâ ſeu ex negatione pœnitentiæ, ſed ſolùm in perſeverantiâ poſitivâ, ſeu quando perſeverat homo in peccato habituali, quando præceptum pœnitentiæ urget.

12 Aſſero 3. *Probabile & pium eſt, hominem ſingulis dominicis, quamvis per accidens, teneri ad pœnitendum de peccatis nondum remiſſis, imò probabile eſt, hominem teneri per ſe ad pœnitendum de peccatis tam dimiſſis, quàm non dimiſſis, quoties deliberatè de eis cogitat.* Eſt quoad 1. partem Scoti in 3. D. 27. q. 1. art. 3. §. *quantùm ad ſecundum.* de præcepto charitatis. Et quoad 2. partem in 4. D. 45. q. 3. ad tertium principale. Ubi hoc planè de beatis admittit, ſi in eis datur recordatio ſuorum peccatorum. Eſtque contra plurimos Recentiores.

Probatur 1. pars: Præceptum pœnitentiæ toties obligat peccatorem, quoties præceptum dilectionis urget ad actum amoris DEI, ſed præceptum dilectionis DEI probabiliter urget ſingulis diebus dominicis: ergo. Maj. patet ex quæſt. priori aſſert. 2. in proba 1. partis, cùm amor DEI ſuper omnia includat vel formaliter, vel virtualiter deteſtationem peccatorum, & eorum, quæ DEO diſplicent, præſertim ſi menti occurrunt, tunc enim neceſſariò debet excitari formalis deteſtatio. Min. verò prob. tum quia ex Scoto cit. certum eſt non teneri aliquoties in vita ad præceptum amandi DEUM, cùm actus amoris ſit nobiliſſimus, & maxime ſanctificativus DEUM: ergo conveniens eſt, ut ejus obſervatio determinetur ad tales dies, in quibus præcipimur ab operibus ſervilibus vacare, cùm ideò ab his vacemus, ut liberius cultui DEI, & ejus ſanctificationi inſiſtamus; ſed non poſſumus vacare DEO, niſi priùs de peccatis conteramur, vel ſaltem atteramur: ergo cùm ad hoc teneamur ſingulis Dominicis juxta illud Exod. 16. & 20. *Sanctifica Sabbathum, & maneat unusquisque apud ſe*, id eſt, recolligendo ſe & aſcendendo ad DEUM ſuum, ideò etiam ad pœnitentiam tenebimur, quod clarius in Levit. 23. de pœnitentia præcipitur; ſcilicet *Sabbathum requietionis eſt, affligetiſque animas veſtras.* Et paulo pòſt: *Anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.* Tum quia aliorum Authorum ſententiæ partim ſunt nimis laxæ: ſcilicet ſemel ſolum requirentes in vitâ dilectionem DEI; partim verò ſunt nimis rigidæ: ſcilicet ſingulis diebus id requirentes, ſed ſententia Scoti incedit mediâ: ergo.

Probatur 2. pars: tum quia peccator cogitans deliberatè & diſcuſſivè de ſuis peccatis ſive dimiſſis ſive non dimiſſis, vel complacet, vel diſplicet, vel nec complacet, nec diſplicet &c. vide probam primam in quæſt. præced. aſſert. 2. Tum quia ſi non foret obligatio deteſtandi, quando deliberatè conſideratur natura peccati, tunc nunquam ex lege naturæ daretur obligatio odiendi peccatum; ſed hoc eſt falſum: ergo. Sequel. prob. nullum tempus eſt à lege naturæ determinatum: ergo cùm non ſit major ratio de uno tempore, quàm de alio, nec uno tempore ex dictamine naturali appareat peccatum eſſe majus malum, quàm alio tempore, ſic reverà omni tempore, quo completè cognoſcitur practicè malitia peccati, erit odio habendum, vel planè nunquam; hinc non ſolùm malum imminens aut præſens eſt odiendum, ſed etiam malum præteritum; aliàs ſi præteritum non eſſet odiendum, poſſet amari, quod eſt falſum imò malum præteritum, quamvis in ſe ſit præteritum, eſt tamen præſens in mente, ſi actu deliberatè de illo cogitatur, & aliquando in efficacia damni cum teneat de præſenti hominem privatum gratiâ &c. ideò pro quolibet tempore eſt odiendum: nec ſufficit dicere: hominem ſolùm teneri ad divertendas ſuas cogitationes ad alia objecta, ne ſe exponat periculo peccandi, non verò teneri ad alterutrum vel deteſtandum vel amandum, quia falſum eſt hominem à DEO illuminatum teneri divertere ab his illuminationibus, ſed qui completè practicè ex bono fine cogitat de ſuis peccatis, videtur illuminatus à DEO, ideò non poteſt dici talem teneri ſe divertere ab his cogitationibus; imò ſic nullus teneretur ſequi recta dictamina & divinas vocationes, quod certò falſum eſt; aliàs fruſtrà DEUS increparet damnatos: *vocavi, & renuiſtis.*

Addo tamen peccatorem, quoties de peccatis cogitat, non ſemper teneri ad pœnitentiam juſtificantem, ut eſt contritio, ſed ad alium actum pœnitentiæ indiſcriminatim ſive contritionis ſive attritionis ſive formalis ſive virtualis, quia certe non eo ipſo, quòd homo recordetur peccati commiſſi, ſtatim tenetur ſe ad juſtificationem diſponere per actum contritionis perfectæ, aliàs fruſtrà eſſet inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, cùm ſic quivis juſtificatus teneretur accedere ad confeſſionem, ſed ſufficit, ſi ſe ſaltem diſponeret per attritionem, quia conſentaneum eſt rationi, 13

quòd ſicut alia præcepta ſive naturæ ſive poſitiva licèt pro certis caſibus obligent, non tamen obligant ad actus perfectiſſimos, ita etiam de præcepto pœnitentiæ dicendum eſt, quòd non ſemper obliget ad perfectiſſimum actum.

14 Objicies coorra 1. partem: Scotus in 4. D. 17. q. un. §. *de ſecundo articulo.* docet; præciſo præcepto annuæ Confeſſionis præceptum perfectæ pœnitentiæ ſemel tantùm ante mortem obligare dicens: *illud præceptum continet quarto quando; quia quandocunque eſt in periculo mortis.* Sed hoc morali æſtimatione per ſe ſemel eſt ante mortem: ergo non vult omnibus diebus Dominicis obligare.

Reſpondeo: Seotum ibi loqui de illo, quod eſt per ſe, & quod eſt certiſſimum apud omnes, ut in articulo mortis, non excludendo alia tempora, in quibus etiam eſt probabile id, quod eſt per ſe, quod primò diſcutiet in 4. D. 45. q. 3. ad tertium principale. Imò in illo priori loco citato de illo, quantùm eſt per accidens, etiam expreſsè loquitur pro nobis; nam dicit paulò poſt: *& etiam quando vult exercere aliquos actus, quibus debetur reverentia ſpecialis:* inter quos certò etiam eſt ſanctificatio Sabbathi, ſicut actus ſumendi Euchariſtiam.

Dices: poteſt obſervari præceptum de Sabbatho ſanctificando ſine pœnitentia: ergo non obligat illis diebus. Antec. prob. illud ſolùm obligat ad cultum DEO per opera religionis præſtandum, quæ, cùm conſiſtant in quibusdam cæremoniis exhibendis DEO in recognitionem ſupremi dominii, poſſunt à peccatore obſervari.

Contra diſting. antec. poteſt obſervari incompletè & minùs ſtrictè, conc. completè & ſtrictè, neg. antec. DEUS ergo, cùm etiam actus internos & connexionem eorum poſſit præcipere, vult ita cultum ipſi exhiberi, ut ex amore ipſius ſupremi dominii procedat, cùm in hoc conſiſtat genuinus, verus, & præcipuus cultus; imò prima tabula decalogi radicatur in hoc maximo mandato: *diliges Dominum DEUM tuum;* ideò nec explicitè hoc præcipitur, ſed quaſi cum cultu divino connectitur.

Dices: fideles ſe non ſpecialiter accuſant, nec Confeſſarii interrogant, quòd diebus Dominicis non fecerint pœnitentiam, aut DEUM dilexerint: ergo ſignum eſt, quòd non obligentur.

Contra neg. conſeq. quia ſolùm ob probabilitatem cootrariæ ſententiæ putant ſibi licere omittere, imò ſatis frequenter ſe accuſant, quòd dies feſtos non cum debita devotione peregerint, & DEUM non ſatis dilexerint, aut non citiùs pœnituerint.

Dices: præceptum contritionie eſt nunc in lege Evangelica mutatum in præceptum Confeſſionis: ergo ſi peccatores ſingulis Dominicis tenerentur perfectè pœnitere, tenerentur ſingulis Dominicis confiteri, quod eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ ſolùm ſemel in anno præcipit confiteri.

Contra, conc. poſſet conſeq. ex natura rei, ſi ita ſingulis Dominicis eſſet tam facilis occaſio confitendi, ſicut facilis eſt occaſio peccata per actus internos deteſtandi. quoniam verò non tam facilis eſt occaſio accedendi confeſſionalia, ideò Eccleſia benignè interpretatur, non eſſe ſingulis Dominicis, ſed ſolùm ſemel in anno confitendum, cum quo tamen manere poteſt, quòd præceptum pœnitentiæ poſſit obligare ad alios actus pœnitentiæ, quos homo peccator facilè poteſt elicere, & cum voto proxima occaſione opportunâ confitendi; ideò neg. debet conſeq. nam Eccleſia in tantùm præcipit ſemel confiteri in anno, ne ad longius tempus differatur pœnitentia, non exindè tamen ſequitur, quin intrà illud tempus incurſa fuerit obligatio legis divinæ de contritione.

15 Objicies contra 2. partem: nequit aſſignari, unde hoc præceptum pœnitendi, quoties quis deliberatè de peccatis cogitat, deſumatur: ergo fruſtrà aſſeritur. Antec. prob. Id potiſſimum deſumeretur ex dictamine legis naturæ; ſed hæc lex, cùm ſit affirmativa, non obligat ſemper, ac menti occurrit, cùm hoc potiùs pertineat ad præceptum negativum: ergo.

Reſpondeo neg. antec. ad probam neg. min. nam lex naturæ dictat peccatum & malum ſemper debere diſplicere, & bonum amari, & certò non pro tempore ignorantiæ boni vel mali, ergo pro tempore cognitionis, non quidem indeliberatæ, ſed deliberatæ; nec per hoc eſſet præceptum negativum, quia tale pro nullo inſtanti poteſt admittere contrarium, bene tamen præceptum pœnitendi, quia non omni momento, aut horâ tenetur quis eſſe in actu pœnitendi, ſed ſolùm dum practicè cogitat de qualitatibus peccati; nam præceptum affirmativum habet conditionem & circumſtantiam, quæ, quando advenit, obligat, & extrà illam non obligat, ut DEUM colere diebus feſtivis, honorare parentes in neceſſitatibus &c. ita etiam de præcepto pœnitentiæ eſt dicendum pro deliberata cogitatione peccatorum.

Dices: ergo omiſſio pœnitentiæ in deliberata cogitatione peccatorum eſt peccatum mortale; ſed hoc non confitentur fideles: ergo ſignum eſt nullius obligationis, aliàs Eccleſia erraret permittendo non confiteri talem omiſſionem.

Contra neg. poteſt min. nam videmus multos, qui de peccatis commiſſis attentè cogitant, & illa non odiunt, vel in illis ſibi complacent, quod de tali complacentiâ ſe accuſent, ac de ea à Confeſſariis interrogentur; dum autem ſe accuſant de tali complacentia, pariter ſe ſufficienter accuſant de omiſſione pœnitentiæ, quæ cum tali complacentia eſt neceſſariò

neceſſariò

Digitized by Google

ceſſariò connexa, & ideò unum per aliud intelligitur; interim autem ex hoc argumento ſolùm ſequitur contrariam ſententiam in praxi eſſe probabiliorem, cum quo tamen ſtat, quòd noſtra ſit ſpeculativè probabilis & tutior, non verò improbabilis, ut Scoto impingitur.

Dices: ergo qui complacet peccato præterito, duo ſemper committit peccata, ſcilicet commiſſionis complacentiæ, & omiſſionis pœnitentiæ, quòd eſt durum.

Contra conc. illatum neg. eſſe durum, nam ſatis probabile & congruum eſt, ut dicitur in probẽ aſſertionis.

Dices ex aſſert. 2. homo non tenetur ſtatim pœnitere poſt peccatum commiſſum; ſed poſt commiſſum ei maximè eſt in memoria: ergo homo non tenetur pœnitere pro quocunque tempore, quo ei venit in memoriam.

Contra diſting. min. eſt ei maximè in memoriâ novâ, & deliberatâ electione cogitando de eo, neg. min. eſt in memoriâ & electione priori & indeliberatâ pro novâ electione cogitationis de eo, conc. min. nos autem ſolùm volumus præceptum urgere in caſu novæ electionis liberæ de cogitando peccato.

Dices: poteſt homo ſe divertere aliò de tali completa cogitatione abſque omni actu complacentiæ vel diſplicentiæ, & conſiderare aliud objectum. quis enim hoc negabit? ergo non tenebitur ſemper in tali deliberata cogitatione peccatorum pœnitere.

Contra diſting. antec. poteſt illud phyſicè, conc. moraliter, neg. nam non quidem phyſicè neceſſitatur ad alterutrum, ſcilicet ad complacendum vel deteſtandum, bene tamen moraliter, niſi velit peccare, ideò per talem diverſionem non ſatisfaceret præcepto naturæ, ſicut à pari: qui videt proximi neceſſitatem in via & ab ea divertit, vel à cogitatione, ne videat, utique legi naturæ non ſatisfacit de proximo ſubveniendo.

Dices: non eſt gravius præceptum pœnitentiæ, quàm amandi DEUM ſummum bonum; ſed hoc non obligat ſemper, dum practicè & completè cogitatur ſummum bonum: ergo nec tunc ad odiendum peccatum.

Contra vel neg. poteſt min. nam etiam quoties deliberatè cogitat homo de DEO ſummo bono, tenebitur illud amare, imò vix poterit cohibere amorem; per conſequens etiam ſic odio habere tenebitur peccatum ſummum malum. Vel negari poteſt maj. & conſeq. diſparitates quære ex quæſt. priori in object. 1. ad aſſert. 2.

Dices: ſaltem de peccatis jam dimiſſis id non debet aſſeri: ergo. Antec. prob. quia non poteſt aſſignari motivum odiendi & dolendi: ergo.

Contra neg. antec. ſicut enim ſummum bonum exigit amari, etiam poſtquam millies eſt amatum, ſic etiam peccatum exigit odio haberi, poſtquam millies eſt odio habitum, ſi attentè & ex electione illud conſideratur; adeſt ergo motivum illius odii, & quidem intrinſecum eſt juſtitiæ vindicativæ, extrinſecum verò eſt motivum charitatis DEI vel propriæ dilectionis.

Dices: Innocens non tenetur pœnitere, dum cogitat de aliquo peccato vel malo: ergo nec juſtus, dum de peccatis dimiſſis cogitat.

Contra neg. conſeq. nam præceptum pœnitentiæ obligat propriè de peccato commiſſo, innocens autem non ſupponitur commiſiſſe peccatum, ideò non ex præcepto pœnitentiæ illud tenetur odio habere, bene tamen neceſſitabitur illud odio habere ex parte objecti aut ob periculum conſensûs, ſicut Scotus id de Beatis concedit ratione objecti mali; unde præceptum pœnitentiæ quidem ſolùm ſemel obligat pro venia obtinenda, adhuc tamen obligat etiam pro repetenda venia incidente cogitatione practica, ne novum peccatum incurratur, cùm peccatum ſemper ſit deteſtabile.

Aſſero 4. *Etiam in articulo mortis præce-* 16
ptum pœnitentiæ non obligat neceſſariò ad contritionem cum Sacramento pœnitentiæ, ſed ſufficit attritio, ſive tunc Sacramentum recipit, ſive poſtquam per Sacramentum jam eſt juſtificatus. Eſt Scoti in 4. D. 20. q. un. §. *in iſta quæſtione.* ubi docet: pœnitentiam vel ſolam interiorem vel exteriorem cum Sacramento ſufficere ad ſalutem alicujus in extremis, ſicut in alio pœnitente ſano. Eſtque contra Suarez, Valentiam & alios recentiores.

Probatur: tum quia Trid. Seſſ. 14. c. 4. univerſaliter docet: attritionem cum Sacramento ſufficere ad ſalutem, nullum excipiendo caſum: ergo etiam in articulo mortis ſufficiet, cùm, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus. Tum quia: ſi in articulo mortis non ſufficeret attritio cum Sacramento, nec ſufficeret aliis temporibus; ſed hoc ſecundum eſt contra Trid. ergo nec primum eſt dicendum. Maj. patet: quia non eſt major ratio aſſignabilis, aut aſſignetur de articulo mortis, quàm aliis temporibus; nec attritio aliis temporibus facta, aliud haberet, quàm in caſu mortis. Tum quia: fruſtrà eſſet conſultum fidelibus in lege nova cum Sacramento & attritione, ſi hæc in majori neceſſitate illis non proficerent, ſed potiùs requireretur contritio, ſicut in lege veteri; ubi tamen in articulo mortis major eſt neceſſitas, & ob infirmitatem & anguſtias minores ibi adſunt vires ad eliciendam contritionem. Tum quia eſt communis praxis, quòd tam pœnitentes quàm Confeſſarii non adeò ſint ſolliciti ad procurandam contritionem in articulo mortis præter diligens ſtudium, ut ritè & devotè confiteantur, quod illis ſufficit ad habendam moralem certitudinem de peccatorum remiſſione: ergo ſignum eſt contritionem non requiri

in articulo mortis, niſi in caſu, quò copia Confeſſarii non haberetur.

17 Objicies: non eſt ita certum hominem juſtificari per attritionem cum Sacramento, ſicuti certum eſt juſtificari per contritionem cum eodem Sacramento: ergo ne homo ſe exponat periculo damnationis, tenebitur in articulo mortis ad contritionem, & hoc ſpeciale præceptum amoris ſui eſt major ratio aſſignabilis pro articulo mortis, quàm pro aliis temporibus.

Reſpondeo neg. antec. nam hoc eſſet contra Trid. quod expreſsè ſtatuit attritionem cum Sacramento pœnitentiæ diſponere ad gratiam impetrandam. Unde falſum eſt eſſe ſpeciale præceptum de articulo mortis.

Dices: homo non poteſt eſſe certus, quòd in Sacramento non interveniat aliquis defectus eſſentialis, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Sacerdotis, vi cujus defectus invalidum redderetur Sacramentum: ergo, ut tutiùs poſſit ex hac vita decedere, debet homo pluribus mediis ſuam procurare juſtificationem.

Contra neg. conſeq. nam hoc argumentum probaret etiam extra articulum mortis eſſe obligationem ad contritionem, cùm talis defectus ex parte pœnitentis & Confeſſarii æquè extra articulum mortis poſſit contingere, & ſic nunquam ſufficeret attritio, quod eſt contra Trid. imò etiam in ipſa contritione poteſt defectus contingere, vi cujus non eſſet ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem: ergo vel homo ſemper eſſet obligatus ad tale onus, vel neque in articulo mortis, ubi ſatisfaciet, dum morali & humano modo poſſibili certitudine ritè conatur confiteri.

Dices: quamvis in rebus moralibus ſufficiat operari juxta opinionem probabilem, tamen in re graviſſima, & in extremis debet homo adhibere tutiſſima remedia, & quidem ex charitate erga ſe ipſum: ergo.

Contra neg. antec. hominem ſub præcepto teneri in extremis ad tutiorem viam quàm in ſanitate, ſed ſufficit, ſi eligit tutam & moraliter certam, quæ omne practicum dubium tollat oppoſitæ partis, quod præſertim verum eſt, quando neque pars tutior omne dubium metaphyſicè tollit; ut eſt de contritione, de qua nunquam poteſt quis eſſe metaphyſicè certus, ſed ſolùm à tuta differt ſecundùm magis & minùs intra eundem moralis certitudinis gradum. Imò multoties tale præceptum obligaret ad impoſſibilis, ſi etiam in ſanitate quis eſt ſecutus opiniones probabiles, quòd non ſint reſtitutiones faciendæ, & in articulo mortis deberet ſequi opiniones tutiores, quòd reſtitutiones ſint faciendæ, quæ ipſi homini ſæpè in articulo mortis ſunt moraliter impoſſibiles, obligaret ad impoſſibilia, & maximas anguſtias.

Dices: ſi homo in extremis tenueret conari contritionem elicere, ſe ſuſpectum redderet, quòd nec ſufficientem attritionem haberet, ſed potiùs aliquem occultum affectum ad peccatum: ergo.

Contra neg. ſuppoſitum antec. nam ſupponimus hominem in articulo mortis facere, quod in ſe eſt, & moralem adhibere diligentiam ritè confitendi cum illa diſpoſitione ex voluntate Chriſti, per Eccleſiam nobis manifeſtatâ, requiſitâ, & ſic non redditur ſuſpectus de nullitate attritionis, quamvis non conetur elicere contritionem.

Dices: ſaltem homo tenetur in extremis actum dilectionis DEI elicere, ut communiter docetur; ſed hic actus neceſſariò involvit contritionem: ergo.

Contra trans. maj. conc. min. diſting. conſeq. ergo tenetur in extremis ad contritionem ex præcepto charitatis, conc. ex novo præcepto pœnitentiæ in extremis, neg. conſeq. nam illa obligatio dilectionis etiam ſtringeret eum, qui nunquàm peccâſſet, & pœnitentiâ non egeret. Imò quando peccator in extremis aliundè haberet moralem certitudinem, quòd peccata ſint ei condonata per Confeſſionem Sacramentalem, certè minimè opus eſſet, quod cum actu dilectionis, ad quem ſupponitur in extremis teneri, annexam haberet peccatorum ſuorum deteſtationem: ergo ex præcepto dilectionis non oritur hæc obligatio.

DISTINCTIO V.
De Cauſalitate pœnitentiæ.
QUÆSTIO UNICA.
An contritio vel attritio in genere cauſa formalis cauſet, vel cauſare poſſit remiſſionem peccati & gratiam, ac an ut meritum de condigno, vel congruo?

Advertendum eſt: Poſtquàm notum eſt ex diſtinct. priori pœnitentiam eſſe neceſſariam ad delenda peccata homini adulto in mortalia lapſo, nunc inveſtigandum erit de cauſalitate pœnitentiæ, & quidem ſub duplici difficultate, primò: an in genere cauſæ formalis cauſet remiſſionem peccati & gratiam? ſecundò: an veluti meritum de condigno vel de congruo deleat peccatum? pro prima difficultate obſervandum eſt: unam formam à ſubjecto dupliciter poſſe expelli, primò activè: ſcilicet in genere cauſæ efficientis, vel per productionem alterius formæ, quæ alteram expellit: ut ignis activè expellit formam frigoris ab aqua, quia producit formam caloris, qui formaliter expellit frigus, vel per ſubtractionem concurſûs: ut ſi DEUS nollet ampliùs conſervare frigus in aqua. Secundò for- 1

formaliter: quando ſcilicet unum expellit alterum eò, quòd cum alio ſit incompoſſibile in eodem ſubjecto, ſive dein naturaliter, ſive ſupernaturaliter: ut frigus formaliter expellitur per calorem. Uterque autem modus expellendi fieri poteſt: vel phyſicè ſeu ex natura formarum, vel moraliter ſolùm & ex diſpoſitione DEI. Pro ſecunda difficultate notandum eſt: illum actum dici meritorium de condigno, qui ſupponit in operante ſtatum gratiæ, ita, ut actus ab ipſo habitu gratiæ procedat, & conſequenter tali merito de condigno debet correſpondere merces & præmium ex motivo juſtitiæ, non verò ut merum donum gratuitum; ille autem actus dicitur meritorius de congruo, qui quidem eſt honeſtus habens quendam valorem, cui correſpondet aliquid ex congruentia per modum doni gratuiti, non autem ex debito. His itaque notatis:

2 Propoſitio 1. *Homo defactò juſtus dicitur habitualiter DEO acceptus, hoc eſt, quando actualiter non operatur, ſeu per aliquem habitum aut formam inhærentem, non verò per actum tranſeuntem.* Ratio eſt ex variis Conciliis & præſertim Trid. in variis locis docente: Hominem juſtificari, reddi ſanctum aut fieri hæredem regni cœleſtis per formam inhærentem & permanentem. Tum quia: ut loquitur ſacra Scriptura: homo manet ex voluntate divina ordinatus ad vitam æternam, & dicitur filius adoptivus DEI, quamvis actu non operetur meritoriè, ut patet de pueris baptizatis & juſtis dormientibus: ergo debet talis eſſe defactò ab habitu permanente, ſcilicet à gratia, quæ eſt fundamentum filiationis adoptivæ & amicitiæ. Conſeq. prob. quia ratio ſic acceptandi naturam hominis & ejus actus, ut amicam DEI, eſt ex SS. Patribus decor & pulchritudo animæ ſpiritualis, qui ſimul inclinat ad varios actus virtutum, ita ut hominem reddat promptum & expeditum ad eos actus eliciendos, ſed hoc vix intelligi poteſt fieri ex vi unius actûs, qui tranſivit: ergo.

Nec dicas: Peccatum actuale conſtituit hominem habitualiter peccatorem & injuſtum, quamvis actus prætereat: ergo etiam hoc de actu ſancto v. g. contritionis, aut dilectionis dici poteſt, ita, ut etiam relinquat hominem in ſtatu habitualis ſanctitatis.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd defactò habeatur ex Scripturis peccatum conſtituere hominem habitualiter peccatorem per imputationem, & quandam moralem perſeverantiam ex permanente reatu ad pœnam æternam; non autem habetur ex Scripturis, quòd actus contritionis ſanctificet per imputationem & ſolam permanentiam moralem, utpote, cùm ejus effectus ſaltem defactò (quidquid ſit de poſſibili, de quo patebit ex aſſert. 1.) ſit juſtificatio & remiſſio per formam planè phyſicè inhærentem, & conſequenter, dum talis forma non realiter exiſtit in anima, vel voluntate, non poteſt contritio dici hominem juſtum conſtituere formaliter.

Propoſitio 2. *Actus pœnitentiæ non tollit phyſicè peccatum in genere cauſæ efficientis.* 3
Ratio eſt: quia nihil expellit aliud phyſicè, & efficienter, niſi producendo in ſubjecto formam aliam phyſicè cum ipſo incompoſſibilem, ut patet de igne per phyſicam efficientiam caloris expellentis frigus ab aqua; ſed contritio aut alius actus creaturæ non producit phyſicè, ne quidem inſtrumentaliter, formam ſupernaturalem, ſcilicet gratiam cum peccato incompoſſibilem: ergo. Min. patet ex Tract. de Sacramentis in genere: ubi Scotus nec ulli Sacramento admittit phyſicam cauſalitatem gratiæ in genere efficientis: ergo multò minùs hoc erit concedendum actibus; cùm gratia à ſolo DEO creetur phyſicè juxta Scotum. Quidquid dicat Maſtrius, qui gratiam cum reliquis habitibus ſupernaturalibus de potentia animæ rationalis educi docet in in phyſica diſp. 3. q. 5. art. 2. nec non ob reprehenſionem ab aliis Scotiſtis, præſertim à Pontio, ſibi factam, eò quòd contra Scotum, & communem Scotiſtarum, id docuerit, eandem ſententiam bicoxit in Metaphyſica diſp. 12. q. 9. & inſuper fuſiſſimè repetiit in 2. ſent. diſp. 1. q. 2. omni vi, & potentiâ, eam probando, non adeò ſollicitus de mente Scoti, quem tamen in oppoſitum citatum in ſui favorem, ſed valde tortè, explicare nititur, dicendo Scotum vel loqui conditionatè, ſi nempe creetur gratia, non generatur ſeu educitur de ſubjecto, ut videtur velle ob,ectus in 1. D. 17. q. 6. *§. ad primam rationem.* ad tertium argumentum. Vel loqui ſolùm ad hominem, nimirùm: juxta aliquos creatur gratia: ergo juxta hos Sacramenta non cauſant phyſicè gratiam; quia creatura in terminum creationis influere non poteſt; ut loquitur Scotus in 4. D. 1. q. 5. §. *ad primam ergo quaſtionem dico.* Aſt Scotus in 1. cit. nimis patenter abſolutè loquitur, prout eum adduximus Tom. 1. Tract. 3. diſt. 4. q. 5. in reſponſ. ad object. contra Aſſert. 2. ubi ipſiſſima verba Scoti pro reſponſo dedimus. Sive dicat Maſtrius illum locum eſſe ſolùm additionem & non textum Scoti, ſive non dicat, ſufficit illum locum Scotiſtas communiter habere pro ſenſu Scoti ex alibi etiam dictis. Similiter citatus in 4. cujus verba produximus Tom. 3. Tract. 9. diſt. 5. q. 1. in Aſſert. & proba 3. non loquitur ſolum ad hominem, ſed verè ex propria ſua ſententia; nam cùm creationem gratiæ adducat in lib. 4. ſent. quem librum ſcripſit poſt lib. 1. ſent. in quo jam abſolutè ſuam ſententiam de creatione gratiæ ſtatuit, eam etiam in lib. 4. non ſolùm ex ſenſu aliorum, ſed etiam ex proprio ſupponere debuit. Imò ſi ibi ſolùm

tùm ad hominem argueret, ubi tamen tam plauſibiliter probat Sacramenta non phyſicè, ſed moraliter cauſare gratiam ex hoc maximè fundamento, quòd gratia creetur, & nulla creatura creare poſſit, ſequeretur, quòd nec in ſua ſententia Sacramenta moraliter cauſent gratiam, ſed tantum in ſententia aliorum, qui tenent gratiam creari, & in ſua ſententia potiùs phyſicè poſſent cauſare gratiam, nempe per eductionem, ſi eſſet ſua ſententia gratiam educi, quod nemo Scotiſtarum hucusque dicere potuit. In hoc igitur puncto de eductione gratiæ, & habituum ſupernaturalium, paucis dicendo, deſerendus eſt Maſtrius, tenendúmque cum communi Scotiſtarum, ac ipſo Scoto, ſatis apertè ſe hoc in puncto manifeſtante. De his in prioribus meis Tomis in locis & materiis competentibus plura contra Maſtrium adducere ſuperſedi, tanquam à rebus minus utilibus, & à communi Scotiſtarum alienis abſtinendo; quia verò interea aliquos in ſchola noſtra fuſioribus Maſtrii hac in materia diſcuſſionibus in doctrina Scoti redditos perplexos inveni, hæc pauca eis pro genuina Scoti mente aſſequenda hîc loci annectere volui.

Nec dicas: Si DEUS dimitteret peccatum per condonationem extrinſecam absque confuſione gratiæ, adhuc dicitur phyſicè & efficaciter delere peccatum: ergo & peccator, ſi per contritionem deſtruit peccatum, non conſervando ampliùs illud.

Reſpondeo vel neg. antec. quia valde impropriè exercetur cauſalitas phyſica efficiens, ubi præcisè ſolùm aliquid deſtruitur; nam actio neceſſariò petit terminari ad exiſtentiam rei; & ſic DEUS per condonationem extrinſecam non diceretur propriè in genere cauſæ efficientis delere peccatum, ſed potiùs dicitur deſtruere, non cauſare. Vel neg. conſeq. quia nihil poteſt phyſicè efficere remiſſionem peccati, niſi quod poteſt phyſicè efficere gratiam, vel ſubtractionem concurſûs imputationis ad pœnam æternam; ſed nihil horum poteſt actus pœnitentiæ, ut diximus in propoſitione: ergo.

4 Propoſitio 3. *Actus pœnitentiæ convenienter poſſunt dici aliquod meritum ad juſtificationem.* Ratio eſt: quia actus pœnitentiæ, ut oportet, ſunt ſupernaturales, ſiúntque, aut fieri debent ex auxilio quodam ſupernaturali cum dictamine ſupernaturali, ut ſuo loco diximus; ſed hæc omnia convenientiſſimè habent, ut fundent aliquem valorem, & ideò rationem meriti, cui de congruentia reſpondeat aliquod donum: ergo.

Nec dicas: Nullum meritum poteſt præcedere ipſam juſtificationem; ſed actus pœnitentiæ præcedunt juſtificationem: ergo non poſſunt eſſe meritum. Min. prob. Scriptura & Concilia docent nos gratis juſtificari; ſed hoc ipſo, ſi meritum præcederet juſtificationem, non gratis juſtificaremus, & ideò Scriptura & Concilia actus pœnitentiæ nunquam vocant meritum.

Reſpondeo neg. maj. ad ejus probam dico: vel authoritates Scripturæ ſalvari hoc modo. Quia etiam ad illud meritum prævium concurrit gratia actualis, & gratia datur, ac ſine ea non ſequeretur juſtificatio, & ideò adhuc legitimè dicitur, quòd nos gratis juſtificemur. Vel illæ authoritates ſunt explicandæ de excluſione meriti condigni, quod pro ſuo termino habet præmium & mercedem rigoroſè ſumptam, ſeu ex juſtitia, non verò de excluſione meriti congrui, quod pro ſuo termino habet beneficium & donum, cum hac tamen differentia: quòd diſponat ad illud obtinendum, quod non conſiſtit in puro dono collato absque ulla præviſione operis illius, cui confertur. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Actus pœnitentiæ, ut ſunt contritio & attritio, de facto ſolùm in genere cauſæ moralis diſpoſitivè cauſant deletionem peccati, ideò non delent illud formaliter in genere cauſæ formalis; de potentia tamen abſoluta non repugnaret, ut contritio vel dilectio DEI formaliter & deleat peccata.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *de ſecundo articulo.* Eſtque quoad 1. & 2. partem contra Vaſquez, & quoad 3. contra Suarez, & Amicum. 5

Probatur 1. pars: Contritio in tantùm delet peccatum aut pœnam æternam, in quantùm DEUS ſtatuit condonare culpam & pœnam ad poſitionem contritionis; ſed hoc eſt cauſare moraliter diſpoſitivè: ergo. Min. prob. taliter contritio non eſt quid phyſicè oppoſitum peccato habituali, cùm nec gratia & peccatum ita opponantur in ſententia Scoti, nec eſt forma moraliter permanens per imputationem ad ſanctificandum, cùm DEUS de facto infundat pro hoc munere ipſam gratiam habitualem: ergo.

Probatur 2. pars. Tum quia in Scriptura promittitur homini pœnitenti remiſſio peccatorum: ergo remiſſio eſt quoddam diſtinctum beneficium divinæ miſericordiæ præter hominis pœnitentiam, quæ ſolùm erit diſpoſitio & conditio; ſed non promittitur aliquid à DEO ſub conditione ſui ipſius, ſicut promittitur remiſſio ſub conditione contritionis: ergo contritio non eſt formaliter remiſſio, ſeu non formaliter expellit peccatum. Tum quia: quod diſponit, & præparat hominem ad remiſſionem peccatorum, eámque ſolùm impetrat, non poteſt eſſe cauſa formaliter juſtificans, quæ ſuâ poſitione in ſubjecto formaliter expelleret peccatum, ſed contritio ex Trid. Seſſ. 6. c. 7. eſt diſpoſitio & præparatio, quam juſtificatio ipſa conſequitur. Et item ibi dicit: quod unica formalis cauſa juſtificationis ſit juſtitia DEI, ſcilicet per infuſionem gratiæ & juſtitiæ inhærentis & permanentis per modum habitûs: ergo non 6

ipſa

ipſa contritio eſt forma formaliter juſtificans, cùm potiùs ad eam diſponat & præparet, ac ſolùm ſit actus tranſiens non verò quid infuſum & permanens.

7 Probatur 3. pars: Tum quia DEUS in ſententia Scoti poteſt peccatum remittere abſque infuſione gratiæ & actu peccatoris per ſolam condonationem extrinſecam, & eum recipere in ſuam amicitiam: ergo etiam hoc poteſt fieri mediante actu contritionis vel charitatis. Conſeq. patet: quia cùm nulla forma in principiis Scoti ex natura rei juſtificet hominem, ſed ſolùm ex ordinatione & favore DEI extrinſeco, ſic optimè poſſet DEUS aſſumere contritionem vel alium actum, per quem formaliter licèt moraliter tollatur peccatum, ſicut defactò per gratiam tollitur moraliter. Tum quia non repugnat talis ſtatus juſtitiæ, qualis modò eſt ſtatus habitualis peccati, ſed actus peccaminoſus phyſicè præteritus conſtituit defactò hominem habitualiter & formaliter peccatorem per perſeverantiam moralem; ergo etiam per actum contritionis vel dilectionis phyſicè præteritum poſſet habitualiter & formaliter conſtitui juſtus per imputationem & perſeverantiam moralem.

8 Objicies contra 1. partem: Scriptura & Concilia adſcribunt contritioni & dilectioni DEI formalem ſanctificationem animæ. Sic dicitur: *Charitas operit*, id eſt, expellit *multitudinem peccatorum*: ergo non diſpoſitivè, ſed formaliter cauſat remiſſionem peccati.

Reſpondeo, tales authoritates vel eſſe intelligendas de dilectione habituali, ut eſt gratia indiſtincta ab habitu charitatis. Vel eſſe intelligendas de cauſalitate morali diſpoſitiva: nam etiam eleemoſynæ adſcribitur extinctio peccatorum, & fidei vita æterna, & tamen hi effectus non præſtantur formaliter ab actu eleemoſynæ & fidei.

Dices: contritio tollit peccatum per modum formæ: ergo in genere cauſæ formalis. Antec. prob. contritio tollit illud per modum alicujus incompoſſibilis, ſaltem defactò cum peccato; ſed hæc oppoſitio fit per modum formæ oppoſitæ: ergo.

Contra neg. antec. ad probam neg. min. quia etiam ultimæ diſpoſitiones phyſicæ ſunt incompoſſibiles cum forma ſubſtantiali, non tamen dicuntur in genere cauſæ formalis expellere formam, ſed ſolùm in genere cauſæ inſtrumentalis aut diſpoſitivæ, ſic etiam indulgentiæ remittunt pœnam, & non poſſunt ſtare cum ea, & tamen non formaliter hoc præſtant, ſed tantùm meritoriè diſpoſitivè, & ſolus DEUS id præſtat per condonationem: ergo.

Dices: Qui juſtificatur ſimul per habitum & actum, aliter juſtificatur, quàm qui per ſolum habitum: ergo licèt defactò homo juſtificetur formaliter per habitum gratiæ, tamen etiam dici debet juſtificari formaliter per actum. Antec. patet: quia qui ſolo habitu, ut parvulus in baptiſmo ſanctificatur, eſt ita ſanctus, ut ſi DEUS ab ipſo auferat habitum gratiæ, nihil in eo maneret juſtitiæ; ſed qui per actum contritionis juſtificatur ſimul & per gratiam, ſi ab ipſo auffertur gratia, adhuc talis maneret juſtus ex vi præcedentis actûs: ergo. Subſumo: ſed ſic adhuc eſt per aliquam formam ſanctus: ergo non per illum actum diſpoſitivè:

Contra neg. antec. nam ſublatô habitu uterque deſineret eſſe juſtus; nam cùm ex Trid. ſola gratia ſit forma juſtificationis, eâ ſublatâ tollitur effectus formalis alicujus juſti & ſancti; hinc ad probam neg. min. cum min. ſubſumpta.

Dices: juſtificatus per habitum ſimul cum actu meretur gloriam: ergo ſi non peccaret, & DEUS aufferret gratiam, maneret dignus gloriâ: ergo ſic juſtus & ſanctus.

Contra diſting. antec. maneret dignus extrinſecè & meritoriè, conc. intrinſecè & formaliter, neg. nam ſolùm ſequitur, quòd ablato habitu talis ſolùm maneat cum jure ad gloriam ex meritis præcedentibus, quæ nondum fuerunt mortificata, & per conſequens cum in tali caſu habitus gratiæ non deſinat culpabiliter & demeritoriè, ſed ſolùm phyſicè ex beneplacito DEI, ideò adhuc ex ea voluntate DEI diceretur habere jus ad gloriam & juſtus extrinſecè.

9 Objicies contra 2. partem: Totum, quod eſt in peccato, auffertur per contritionem: ergo contritio formaliter juſtificat. Conſeq. patet, antec. prob. peccato patrato manet averſio creaturæ ad DEUM, & DEI averſio ad creaturam; ſed hæc averſio tollitur per contritionem, utpote converſionem ad DEUM: ergo.

Reſpondeo diſting. antec. totum auffertur per contritionem diſpoſitivè, conc. formaliter, neg. ad probam diſting. manet averſio ſola, neg. averſio cum reatu ad pœnam, conc. adeóque cùm peccatum habituale non ſolùm dicat averſionem à DEO, ſed etiam indignitatem moralem & offenſam DEI permanentem ex obligatione paſſiva ad pœnam æternam, quæ omnia defactò non aufferuntur formaliter per contritionem, cùm hæc ſit ab homine peccatore & indigno, & hinc non æquivaleat indignitati peccati; unde & DEUS ordinat formam inhærentem ſcilicet gratiam, quæ eſt fundamentum, quod DEUS defacto requirit, ut tanquam amicum illum redamet hominem, & per illam aufferat peccatum, ideò contritio non ſufficit, ut formaliter expellat peccatum, nam licèt contritio phyſicè convertat hominem ad DEUM, adhuc tamen non tollit formaliter moraliter illam maculam peccati, ſeu illud fundamentum ad rationabile odium DEI contra peccatorum.

Dices:

Dices: Peccatum formaliter deturpat animam: Ergo contritio formaliter ſanctificat.

Contra neg. conſeq. plùs enim requiritur ad conſtruendum, quàm ad deſtruendum, plùs ad reſurgendum, quàm cadendum; unde non erit mirum, quod per peccatum tanta mala incurrantur, & non omnia ſtatim per unum actum removeantur formaliter. Imò per contritionem nec neceſsè eſſet diſpoſitivè delere peccatum præteritum, cùm omnia hæc pendeant ab acceptatione divina; unde multò minùs deberet formaliter delere.

Dices: Contritio per actum dilectionis annexum diligit DEUM ut amicum: ergo etiam ipſa diligitur à DEO ut amica, cùm amor ſuapte naturâ ſit reciprocus, & DEUS ſic promittat juxta illud: *Qui diligit me, diligetur & à Patre meo.*

Contra neg. conſeq. quia quamvis aliquis amaret DEUM, non tamen ſtatim daretur completa amicitia inter nos & DEUM ſine gratia, nam ſine hac non daretur amicitia ex parte DEI erga hominem, licèt daretur amor hominis erga DEUM, amicitia autem utrumque dicit; hinc nego amorem eſſentialiter eſſe reciprocum, niſi ſit amicitiæ completæ; & multoties fit, quòd aliqui ament, & non amentur. Ad illud ergo de diligentibus DEUM dico: quòd illud ſolùm moderna ordinatione ſit verum, quatenus intuitu illius amoris veluti præviæ diſpoſitionis DEUS juſtificet per formam gratiæ diligentes ſe & condonet offenſas non ob neceſſariam connexionem amoris.

Dices: Homo vi talis contritionis diligentis nequit comparari ad DEUM, ut objectum odii & diſplicentiæ: ergo ut objectum amoris ſpecialis complacentiæ, per conſequens licèt nullum habitum infunderet, non poſſumus ei non placere per contritionem.

Contra conc. antec. diſting. conſeq. ut objectum ſpecialis complacentiæ ſimplicis, conc. ut objectum amoris amicitiæ, neg. in amico ergo præter amorem, quô diligit amicum, requiritur etiam fundamentum dignitatis, quòd redametur ab amico; aſt tale fundamentum deſacto non habetur per ſolam dilectionem, ſed per ipſam gratiam.

Dices: contritio vel dilectio eſt actus perfectiſſimus: ergo ſe ſola eſt ſufficiens fundamentum juſtificationis. Conſeq. patet: quia non ſolùm perfectiſſimus habitus, ſed etiam perfectiſſimus actus eſt perfectiſſima ſanctitas animæ.

Contra neg. conſeq. & probam: nam licèt dilectio ſit actus perfectiſſimus in genere actûs, nunquàm tamen deſactò attingit perfectionem gratiæ habitualis in genere moris, quia hæc ſolùm præſtat dignitatem amicitiæ DEI.

Dices: Si peccator immediatè aſſumeretur à DEO ad beatitudinem, hoc ipſo juſtificaretur formaliter per viſionem beatam & dilectionem annexam: ergo etiam in via actus contritionis & dilectionis habet hanc vim juſtificandi formaliter, cùm actus dilectionis videantur eſſe ejusdem rationis.

Contra vel neg. antec. Nam in tantùm viſio beatifica juſtificaret, in quantùm illi debetur juſtitia inhærens, & charitas conſummata, quæ vel præcedat, vel concomitetur, & ideò ſolùm diſpoſitivè juſtificaret. Vel neg. conſeq. diſparitas eſt; quia dilectio DEI in patria eſt perfectiſſima familiaritas creaturæ cum DEO, cum qua familiaritate peccatum pugnat & inimicitia, quæ ſummam infert infelicitatem; dilectio verò in via non eſt talis familiaritas, niſi adſit gratia tanquam fundamentum dilectionis mutuæ, & ideò poteſt compati peccatum. Imo nec verum eſt in ſententia Scoti amorem patriæ & viæ eſſe ejusdem rationis, ut patet in Tract. de fide, ſpe, & charitate.

Objicies contra 3. partem: Contritio eſt deſactò diſpoſitio ad juſtificationem: ergo nec de potentia DEI abſoluta poteſt eſſe forma 10
juſtificationis. Conſeq. prob. repugnat diſpoſitionem eſſe formam reſpectu ejusdem effectûs, cujus eſt diſpoſitio, ſic calor nunquam poteſt eſſe forma ignis, ad quem diſponat lignum.

Reſpondeo diſting. antec. deſactò eſt diſpoſitio ex natura rei phyſica, neg. moralis ex ordinatione divina, conc. antec. & neg. conſeq. nam contritio vel dilectio DEI ſolùm eſt ultima diſpoſitio ad gratiam per modum impetrationis, & ideò cum effectus gratiæ non ſit ex natura rei neceſſariò ei conjunctus, nec ille effectus juſtificationis in ſententia Scoti ſit ex natura rei cum gratia conjunctus, facilè capitur, quomodò DEUS ex ordinatione ſua poſſit efficere, ut contritio juſtificet formaliter. Per hoc etiam diſtinguitur proba conſeq. repugnat diſpoſitionem phyſicam fieri formam, conc. diſpoſitionem moralem, neg.

Dices: effectum formalem una ſolùm forma præſtare poteſt; ſed juſtificatio eſt effectus formalis gratiæ habitualis: ergo hæc ſola & non contritio poteſt illum præſtare.

Contra diſting. maj. effectum formalem phyſicum, conc. effectum formalem moralem, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq.

Dices: ad juſtificationem requiritur, ut auferatur macula per peccatum relicta, quæ vel formaliter vel concomitanter habet annexam privationem gratiæ; ſed hæc non poteſt tolli niſi per formam & habitum oppoſitum gratiæ: ergo non per actum contritionis.

Contra diſting. maj. quæ annexam habet privationem gratiæ ſemper tam in eſſe gratiæ quàm qualitatis, neg. ſemper in eſſe gratiæ & aliquando de potentia DEI non in eſſe qualitatis, conc. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq.

ſeq. adeóque in noſtra hypotheſi macula illa habitualis includeret ſolùm privationem gratiæ in eſſe gratiæ ſeu amicitiæ, & ideò ſolùm recuperaretur ex eo, quòd homo acceptetur à DEO ad ſui amorem per ſolam contritionem. Imò neg. poſſet min. nam licèt etiam peccatum includeret privationem qualitatis gratiæ, poſſet tamen talis privatio tolli per commutationem debiti habendi eam in debitum habendi actum contritionis.

Dices: in juſtificatione requiritur talis forma, quæ debet permanere ab inſtanti juſtificationis uſque ad novum peccatum, quo ſolo perit juſtitia; ſed actus contritionis, cùm ſit tranſiens, non poteſt juſtificare niſi pro inſtanti, in quo durat: ergo non ſufficit, quòd homo dicatur filius DEI adoptivus & hæres regni cœleſtis.

Contra diſting. maj. requiritur talis forma, quæ phyſicè ex natura ſua debet permanere, neg. quæ moraliter ſecundùm acceptationem divinam, conc. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. nam ex acceptatione DEI transactâ contritione poteſt homo adhuc manere juſtus ex ſola denominatione extrinſeca, eo modo, quo nunc peccator ratione actûs præteriti denominatur filius perditionis, & exhæreditatus à regno cœlorum.

11 Aſſero 2. *Contritio eſt ſolùm meritum de congruo, non de condigno juſtificationis & remiſſionis peccatorum.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 2. §. *de ſecundo principali*, contra quosdam Thomiſtas.

Probatur 1. pars: pœnitentiæ voluntariè à DEO promittitur remiſſio peccatorum: ergo hoc ipſo eſt meritum remiſſionis; ſed non promittitur ei ut merito de condigno: ergo ut merito de congruo. Antec. patet ex Scriptura. Conſeq. patet: quia non offertur remiſſio ut purum donum ſine omni titulo, ſed ex titulo pœnitentiæ. Min. ſubſumpta prob. meritum de condigno eſt ab habente gratiam habitualem; ſed contritio ut diſpoſitio ad juſtificationem eſt à peccatore nondum habente gratiam, aliàs idem diſponeret ad ſe ipſum: ergo ſolùm meritum de congruo eſt.

12 Probatur 2. pars: tum quia in Sacra Scriptura ſæpiùs ſignificatur gratia juſtificari peccatorem juxta illud ad Rom. 3. *juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Sed ſi contritio eſſet meritum deletionis peccatorum vel gratiæ de condigno, hæc deletio culpæ non eſſet gratiæ & liberale donum DEI, ſed merces & præmium: ergo. Min patet: nam quod debetur merito de condigno, aſt merces & præmium. Tum quia meritum de condigno ſupponit in operante ſtatum gratiæ, & quòd ab habitu gratiæ procedat, ut docetur in Tract. de merito; ſed contritio non ita ſe habet, cùm fiat ab exiſtente in peccato, & ſupponitur velùt prævia diſpoſitio ad gratiam impetrandam, nam peccator cum auxilio ſupernaturali incipit conteri, & poſteà DEUS producit gratiam: ergo. Ex quo colligendum eſt remiſſionem peccatorum tamen venialium hominem per actus pœnitentiæ & virtutum mereri de condigno, cùm tales actus eliciantur in ſtatu gratiæ, & magis poſſint placere DEO, quàm veniale diſplicere.

Objicies contra 1. partem: contritio ex omni parte conſiderata eſt donum DEI: ergo non eſt meritum de congruo. Antec. patet: nam ex parte principii prævenientis eſt auxilium gratuitum præveniens, & ex parte principii adjuvantis eſt auxilium gratuitum adjuvans. 13

Reſpondeo diſting. antec. contritio eſt donum abſque cooperatione hominis, neg. cum cooperatione ejus. Conc. antec. & neg. conſeq. ad meritum autem de congruo ſufficit motus liberi arbitrii divinæ vocationi & gratiæ adjuvanti correſpondentis, quam quidem poſſet rejicere, ſi vellet; & hinc Trid. Seſſ. 6. c. 5. docet: hominem ſe activè diſponere ad juſtificationem & gratiam, cui diſpoſitioni utique non officit, quòd dicatur meritum, non quidem cui debetur ex juſtitia juſtificatio, ſed ſolùm quòd propter ſuam bonitatem ſit acceptatum ad movendum agens ſeu DEUM ad tale beneficium juſtificationis, quam ſemper præcedit.

Dices: ex hoc ſequitur, quòd contritio nullatenus ſit meritum; nam ideò eſſet meritum de congruo, quia defactò prærequiritur ad juſtificationem; ſed etiam Sacramenta prærequiruntur, & tamen non ſunt merita: ergo.

Contra neg. ſequel. & ejus rationem: nam non dicimus ideò eſſe meritum, quia prærequiritur ad juſtificationem; ſed ideò, quia eſt actus virtuoſus ab auxilio ſupernaturali elicitus, & propterea meritorius de congruo, ut diximus propoſitione 3. cæterùm in ordine ad Sacramenta dico: quòd omnes illi actus, qui prærequiruntur ad Sacramentorum ſusceptionem, ſint etiam meritorii, ipſa autem Sacramenta influunt in ſuos effectus cauſaliter moraliter tanquàm ſigna practica, & non ut merita, niſi fortè ut merita Chriſti.

Dices: ergo etiam pœnitentia imperfecta, ſeu attritio ex amore gehennæ elicita poſſet dici meritum de congruo, quia etiam eſt actus honeſtus & virtuoſus; ſed hoc non: ergo.

Contra diſting. illatum: etiam poſſet dici meritum de congruo remotum & diverſæ rationis à contritione, conc. proximum & ejusdem rationis, neg. illatum, & ſic diſtinctâ min. conſeq. contritio ergo eſt diſpoſitio efficax ponens ſe ſolâ infallibiliter effectum, non ſic autem attritio, quæ eſt diſpoſitio valde remota, niſi jungatur cum Sacramento in ordine ad remiſſionem mortalium.

Objicies contra 2. partem: ille actus virtutis, cui DEUS dat juſtificationem ut præ- 14

mium, eſt meritorius de condigno; ſed contritioni DEUS dat juſtificationem ut præmium, cùm DEUS in remunerationem ejus promittat gratiam: ergo.

Reſpondeo neg. min. nam non omne meritum dicit relationem ad præmium rigoroſè ſumptum, ſeu ex juſtitia debitum, quamvis omne meritum dicat relationem ad præmium ſtrictè vel latè ſumptum, ſcilicet ex mera liberalitate remunerandum.

Dices: vel DEUS intuitu contritionis debet de potentia ordinaria dare gratiam vel non? ſi debet; ergo eſt meritum de condigno, quod implicat, cùm gratia, utpotè principium meriti, non poſſit cadere ſub merito ut fert axioma Theologorum. Si verò non debet: ergo contritio non eſt medium infallibile aut efficax diſpoſitio reſpectu gratiæ habitualis, ſeu meritum de congruo.

Contra eſt, & dico: DEUM quidem teneri dare gratiam intuitu contritionis, non tamen ſequitur hanc eſſe meritum de condigno gratiæ; quia non tenetur DEUS ex debito juſtitiæ eam dare, ſed ex debito fidelitatis & promiſſione facta pœnitentibus, in quacumque hora ingemuerint &c. augmentum verò gratiæ & gloriæ homini exiſtenti in gratia debet dare ex juſtitia ut præmium ob pactum ſuum factum cum homine in gratia operante.

Dices: in utroque merito debet intercedere pactum; quia ex natura rei tale debitum non poteſt induci in DEO, cùm creatura nequeat obligare DEUM: ergo contritio ſemper eſt meritum de condigno reſpectu gratiæ.

Contra conc. antec. neg. conſeq. nam longè aliud eſt pactum, quod requirit meritum de condigno, quàm quod meritum de congruo; hoc enim requirit ſolùm pactum de dando aliquid per modum doni homini petenti: meritum verò de condigno non ſolùm requirit pactum de dando, ſed etiam retribuendo per modum mercedis & præmii; ideò ex juſtitia oritur tale debitum reſpectu meriti de condigno, & non ſolùm ex fidelitate; nam meritum de condigno reperitur ſolùm in juſto, cùm autem juſtus ratione gratiæ habitualis ſit filius DEI adoptivus, habeátque participationem naturæ divinæ, ideò etiam habet aliquam cum DEO æqualitatem, ita ut DEUS ex juſtitia, licèt cum pacto, ei retribuat præmium pro operibus in gratia habituali factis, quod non eſt in contritione reſpectu peccatoris, utpote cui DEUS non retribuit, ſed donat gratiam, & ideò talis contritio ſolùm manet meritum de congruo.

15 Addo ex Scoto in 4. D. 16. q. 2. ad finem: viâ generationis, quæ procedit ab imperfectiori, remiſſionem culpæ eſſe priorem infuſione gratiæ: quia remiſſio culpæ eſt quid imperfectius, quam infuſio gratiæ; ideò viâ perfectionis infuſio gratiæ erit prior; & pariter etiam in ordine intentionis infuſio gratiæ eſt prior remiſſioni culpæ, quamvis in ordine executionis prior ſit remiſſio culpæ, quàm infuſio gratiæ, cùm ordinatè volens ſemper priùs velit finem, & ea, quæ propinquiora ſunt fini, quàm media, propinquius autem fini gloriæ eſt gratia, quàm remiſſio culpæ: ergo. Nec movere debet, quod dicunt adverſarii, quòd ergo in illo ſigno intentionis, ſi gratia eſt prior, quàm remiſſio peccati, quòd in uno inſtanti ſint ſimul gratia & peccatum; nam per inſtans naturæ non explicatur, nec menſuratur exiſtentia formæ aut ejus deſitio, ſed ſolùm explicatur dependentia poſterioris à priori, vel præſuppoſitio unius ad aliud, ut illud poſſit concipi illo non concepto, ut patet in rationalitate & riſibilitate; imò & ipſi adverſarii non habent diſſimilem difficultatem ſolvendam, nam per illos remiſſio peccati & expulſio ejus præcederet: ergo in illo priori homo eſſet ſine culpa & ſine gratia, ſicque in ſtatu puræ naturæ, quod æquè abſurdum videtur.

DISTINCTIO VI.

De efficacia pœnitentiæ perfectæ quoad remiſſionem mortalium. 11

QUÆSTIO UNICA.

An pœnitentia perfecta deleat omnia mortalia, tam quoad pœnam æternam ipſi debitam, quam commutatam in temporalem, & an de potentia DEI abſoluta poſſit remitti culpa non remiſſo debito pœnæ æternæ?

ADvertendum eſt 1. Aliquos Sectarios docere pœnitentiam non poſſe omnia peccata delere, ſed aliqua eſſe peccata, quæ remitti non poſſunt, quod plerumque docent de peccato in Spiritum Sanctum; vel ut etiam aliqui Catholici de illis peccatis, quæ præfixum à DEO numerum peccatorum excedunt, quod jam rejecimus Diſt. priori q. 2. propoſ. 1. præterea docent alii Sectarii, quibus pœna purgatorii non placet, pœnitentiam non ſolùm delere omnem culpam, ſed etiam omnem pœnam tam æternam quàm temporalem, ita, ut homini remiſſâ culpâ nihil maneat ſuſtinendum, ſed hoc fides rejicit, ut patebit aſſert. 1. tandem exſurgit alia difficultas Catholica & ſpeculativa, an de potentia ſua abſoluta poſſit DEUS remittere culpam non remiſſo debito pœnæ æternæ pro qua difficultate 1

Advertendum eſt 2. nos in Tract. de actibus humanis Diſt. 7. q. 10 docuiſſe cum Scoto in 4. D. 14. q. 1. §. *dico ergo.* formale conſtitutivum peccati habitualis conſiſtere in tea- 2

cu

tu paſſivo ſeu obligatione ad pœnam contracto ex actu peccaminoſo; quia ſtatim, ac aliquis peccar, realiter obligatur ad pœnam, & dignus eſt eâ peccato correſpondente pœnâ, quouſque illa ſolvatur vel dimittatur; unde eſt relatio ſumpta ab intrinſeco de actu peccaminoſo quatenus ex natura ſua digno pœnæ; qui reatus paſſivus pœnæ etiam dicitur reatus culpæ, & ſequitur veluti connaturalis paſſio illud peccatum actuale, & manet moraliter in peccatore actu peccaminoſo phyſicè præterito ad differentiam reatûs activi ad pœnam, & dicitur deputatio & ordinatio ad pœnam, éſtque ſolùm denominatio extrinſeca, ſeu relatio ſumpta ex actu divinæ voluntatis, quò peccator ob actum peccaminoſum præteritum deputatur ad pœnam illi debitam, & talis reatus propriè & ſtrictè dicitur ſolùm reatus pœnæ: ex priori ergo reatu debebit decîdi noſtra difficultas, annè poſſit remitti culpa non remiſſo debito pœnæ æternæ, uti patefaciet aſſert. 2. interim his notatis:

3 Propoſitio 1. *DEUS de potentia ſua abſoluta poteſt peccata remittere absque infuſione gratiæ ſine actu peccatoris.* Ratio eſt ex Scoto in 1. D. 17. q. 2. quia prorſus nulla eſt in hoc repugnantia; ſed quidquid non repugnat, poteſt fieri à DEO: ergo. Tum quia homines poſſunt condonare injurias ſibi factas absque collatione alicujus formæ intrinſecæ: ergo & DEUS.

Nec dicas: DEUS non poteſt condonare peccatum absque aliqua mutatione intrinſeca phyſica peccatoris; ſed ſine actu peccatoris & ſine infuſione gratiæ non poteſt mutari peccator ad non peccatorem: ergo. Min. prob. non poteſt eſſe volitio libera in DEO, quæ non habeat aliquem terminum realem productum vel producendum per ejus volitionem, cùm ipſe in ſe ſit immutabilis: ergo.

Reſpondeo neg. maj. ad probam neg. antec. poteſt enim DEUS velle aliquem facere regem absque ulla mutatione aut ullo termino reali producto vel producendo per illam volitionem ſecundùm diverſa tempora vel conditionatè volentem, ſi bene rexerit &c. ſed per ſolam denominationem moralem, quæ eſt ſola mutatio rationis in objecto. Quomodò autem hoc fieri poſſit absque mutatione ipſius DEI, patet ex Tract. de DEO, de libera volitione, & ex Tract. de juſtificatione.

4 Propoſitio 2. *DEUS de potentia ſua abſoluta poteſt remittere peccatum mortale etiam per infuſionem gratiæ absque ullo actu peccatoris.* Ratio eſt ex Scoto propoſ. priori cit. quia id, quod eſt opus ſolius DEI, poteſt à ſolo DEO fieri; ſed remiſſio peccati eſt opus ſolius DEI, ſicut commiſſio peccati ſolius hominis, ſicut remiſſio debiti vel injuriæ illatæ eſt ſolius creditoris, & commiſſio ſolius debitoris: ergo. Tum quia DEUS poteſt homini dormienti infundere gratiam, & tollere peccatum, quæ enim eſſet implicantia? cùm etiam ſic parvulis tollatur peccatum originale; ſed dormiens nullum habet actum retractativum ipſius peccati: ergo. Tum quia ſic homo offenſus poteſt remittere offenſam absque eo, quod offendentem pœniteat facti, ut quotidie videmus in Confeſſionali: ergo & DEUS, qui magis eſt miſericors. Tum quia actus peccatoris non eſt forma formaliter ſanctificans ut quæſt. ſequenti patebit; ſed ſolùm diſpoſitio ad juſtificationem; ſed diſpoſitiones poſſent à DEO ſuppleri: ergo.

Nec dicas: non poteſt tolli peccatum, quamdiu manet; ſed licèt infundatur gratia, ſi non per actum peccatoris retractetur peccatum, manet, quia peccatum habituale eſt actus præteritus non retractatus; ſed non poteſt abeſſe actus non retractatus, niſi retractetur: ergo non poteſt tolli ſine actu peccatoris.

Reſpondeo neg. min. ad ejus rationem neg. peccatum habituale conſiſtere in actu non retractato, ſed in reatu paſſivo ſeu condignitate ad pœnam, quæ utique remitti poteſt absque actu peccatoris, quare autem non conſiſtat in actu præterito non retractato aut non condonato, aut privatione gratiæ: vide Tract. de actibus humanis D. 7. q. 10. Aſſert. 2.

Propoſitio 3. *DEUS poteſt de potentia ſua abſoluta unum mortale remittere ſine alio ſine infuſione gratiæ.* Ratio eſt ex propoſ. 1. DEUS poteſt absque infuſione gratiæ remittere peccata per extrinſecam condonationem: ergo etiam unum mortale ſine alio. Conſeq. prob. tunc unum poteſt remittere ſine alio, quandò unum remittendo nihil ponit incompoſſibile cum alio peccato ut de ſe patet: ergo. Tum quia DEUS poteſt remittere ita peccata, ut nullatenus recipiat hominem in gratiam ſuam & ut amicum, ſed præcisè, ut fiat non inimicus: ergo etiam poteſt unum ita dimittere, ut non dimittat alterum. Tum quia ſic homo pluribus injuriis offenſus poteſt unam remittere & non aliam, ut experientia conſtat: ergo & DEUS. 5

Nec dicas: DEUS nemini poteſt remittere peccatum, niſi eum diligendo; ſed non poteſt aliquem diligere, niſi ſit bonus, aut faciat illum bonum, cùm non poſſit aliquem diligere, niſi in amicitiam ſuam illum aſſumat, aut bonum poſitivum conferat: ergo nunquam poteſt unum peccatum dimittere, quin peccatori omnia dimittat.

Reſpondeo, diſting. maj. niſi diligendo eâ ratione, quâ diligit amicos, neg. eâ ratione, quâ generaliter dicimur diligere omnes, quibus aliquod bonum volumus, conc. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. & probam: DEUS enim poteſt diligere dilectione generatim ſumptâ hominem, quamvis eum non aſſumat in amicitiam, ille enim adhuc amare dicitur alterum ſecundùm aliquid, qui vult ei aliquod bonum, vel removet aliquod malum, ſicut

ſicut defacto DEUS dicitur adhuc diligere peccatorem, dum ei quædam bona confert v. g. auxilia ſufficientia, quamvis adhuc non aſſumat eum in amicitiam ſuam.

6 Propoſitio 4. *DEUS de potentia ſua abſoluta poteſt unum mortale remittere ſine alio etiam per infuſionem gratiæ.* Ratio eſt ex Scoto in 4. D. 16. q. 2. quia gratia & peccatum non ex natura rei in eſſe phyſico, ſed ſolùm ex ordinatione DEI in eſſe morali ad invicem ſunt incompatibilia: ergo de poſſibili poteſt remitti peccatum per infuſionem gratiæ, ita, ut hæc poſſit eſſe ſimul cum aliis peccatis. Antec. patet ex illa fundatiſſima & à nullis expugnabili diſtinctione gratiæ in eſſe qualitatis phyſicæ & materialiter, & in eſſe gratiæ ſeu amicitiæ ita à DEO ordinatæ, ſeu formaliter à Scoto aſſignata. Conſeq. verò prob. gratia ſolùm materialiter ſumpta ſeu in eſſe qualitatis non delet ex ſe peccatum, nec ei opponitur, niſi accedente ordinatione & favore DEI: ergo poteſt eſſe qualitatis à DEO ordinari ad delendum unum peccatum ſine alio, vel ad conferendum unum effectum ſine alio, vel ad manendum ſimul cum aliis peccatis. Antec. prob. gratia ex natura ſua phyſica non habet aliam rationem, quàm quòd ſit principium diligendi DEUM ſupernaturaliter per modum ponderis vel qualitatis, inclinando hominem activè ad DEUM amandum; ſed ex hoc gratia nullam habet exigentiam naturalem & neceſſariam primam, ut DEUS dare debeat ut connaturaliter agenti vitam æternam, aut habere ut amicum & filium adoptivum; ſicut ex eo, quòd Petrus habeat potentiam amandi Paulum, non ob id naturaliter exigitur, ut Paulus redamet Petrum, aut eum recipiat in filium adoptivum, cùm talis effectus longè excedant naturam illius potentiæ aut habitûs: ergo.

Nec dicas: gratia ex SS. Patribus eſt ſingularis participatio naturæ divinæ: ergo ex intrinſecâ ſuâ reddit hominem ſanctum, juſtum & dignum amicitiâ; ſed hoc ipſo non poteſt unum peccatum remitti ſine alio, ſi gratia infunditur: ergo. Maj. patet: tum quia, ſi gratia hoc non ex natura ſua intrinſeca haberet, ſic non per modum cauſæ formalis & perfectæ juſtificaret, ſed ſolùm per modum ſigni amicitiæ, quod eſt contra Trid. tum quia, ſi hoc non ex natura ſua intrinſeca haberet, gratia non eſſet ratio, cur DEUS hanc qualitatem potiùs pro ſimilibus effectibus deputaverit, & non aliam: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. gratia eſt participatio naturæ divinæ phyſica & ex natura rei ſecluſa acceptatione divina, neg. eſt participatio moralis ex ordinatione & acceptatione divina, conc. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. adeóque gratia ſecluſâ acceptatione & favore DEI eſt ſolùm quædam imperfecta participatio; ſicut cætera entia dici poſſunt entia participata naturæ divinæ, & ſic gratia poteſt dici deterior omnibus ſubſtantiis, quia eſt accidens. Hinc ad probam primam neg. ſequel. cùm enim DEUS per ſuam communem ordinationem non inſtituerit gratiam tanquàm purum juſtificationis ſignum, ſed ut cauſam formalem, licèt moralem noſtræ juſtificationis, ſic non ſolùm eſt ſignum dignitatis in homine, ſed eſt ipſa dignitas, ob quam DEUS acceptat hominem eâ decoratum, non ex natura rei, ſed moraliter ex ordinatione DEI. Sicut Rex non habet regiam dignitatem ex natura rei, ſed ex ſuppoſitione, quòd ſit electus; ideò illa dignitas in illo non eſt phyſica, ſed moralis. Ad ſecundam probam dico: DEUM quidem potuiſſe aliam qualitatem deputaſſe, quæ hominem juſtificaret meritoriè, & faceret hæredem cœli, attamen potiùs per illam qualitatem id voluit præſtare, quia gratia in natura ſua eſt quædam ſpiritualis qualitas, & pulchritudo, & decor animæ, ac quidem ſupernaturalis effectivè à ſolo DEO producibilis, præterea etiam principium diligendi DEUM ſupernaturaliter; ideò DEUS illam aſſumpſit, non quaſi ex natura ſua exigentiam moralem & proximam haberet, ut illa decoratus placeat DEO, ſed quatenus ſolùm habet exigentiam remotam ac veluti inchoatam & aptitudinalem, ut talis fiat acceptus DEO; ideò DEUS potiùs hanc formam qualitatis, quàm aliam deputavit.

7 Propoſitio 5. *DEUS de potentia ſua abſoluta poteſt unum mortale remittere ſine alio etiam in vera pœnitentia & contritione peccatoris.* Ratio eſt: tum quia poteſt DEUS non eſſe contentus quacunque contritione ad dimittenda omnia peccata, ſed vel exigere de quolibet peccato particularem contritionem, vel certam intenſionem aut durationem; quæ enim in his implicantia? cùm defactò ita aliqui ſentiant: ergo etiam poſſet DEUS non per quamcunque contritionem quamvis veram remittere omnia peccata, ſed ſolùm aliqua, illud ſcilicet ſtatim condonando, de quo habet particularem contritionem formalem non condonatis aliis; imò poſſet pro graviori peccato acerbiorem exigere contritionem, & conſequenter ob tantam contritionem remittere peccatum tantæ gravitatis, non verò alia graviora. Tum quia ideò per veram contritionem non poſſet unum remittere ſine alio, quia vera contritio etiam non poteſt de poſſibili eſſe de uno peccato & non de alio; ſed hoc non probat implicantiam: ergo. Min. prob. eo, quòd vera contritio debeat eſſe eſſentialiter de omnibus peccatis, non ſequitur per conſequentiam formalem & infallibilem: ergo etiam per talem contritionem debent omnia deleri; nam aliud eſt contritionem veram debere eſſe de omnibus peccatis, & aliud eſt contritionem cauſare remiſſionem omnium peccatorum; nam contritionem eſſe de omnibus peccatis, pertinet ad eſſentiam ejus, conſe-

quen-

Digitized by Google

quenter ſi non eſſet de omnibus ſaltem virtualiter, nec eſſet vera contritio. Econtra contritionem remittere peccata pertinet ad ajus cauſalitatem diſpoſitivam, habens quidem fundamentum in eſſentiali perfectione phyſica contritionis, pendens tamen quoad actualem cauſalitatem ex acceptatione & ordinatione divina: ergo talis cauſalitas non eſt immutabilis, ſicut eſſentia contritionis, ut licèt eſſentialiter debeat eſſe de omnibus, non tamen eſſentialiter poſſit ei competere cauſare remiſſionem omnium peccatorum; cùm etiam DEUS in alia providentia potuiſſet decernere: ſi quis me mortaliter offenderit, non remittam ei unquam peccatum, licèt etiam doleat, quæ enim neceſſitas DEUM coget ad remiſſionem?

Nec dicas: talis dimidiata remiſſio mortalium eſt contra perfectionem miſericordiæ divinæ, cujus perfecta ſunt opera: ergo cujus miſeretur, totaliter miſeretur, præſertim ſi homo totaliter conteritur, & pœnitet.

Reſpondeo neg. antec. ſicut enim non eſt contra miſericordiam, ut remittat mortale, & non remittat defactò omnem pœnam temporalem, vel de potentia abſoluta remittat culpam ſeu offenſam ex miſericordia, & ex juſtitia non remittat pœnam æternam, ita non eſt remittere unum mortale ſine alio contra miſe-
7 ricordiam; aliàs etiam poſſet quis dicere: eſſe contra miſericordiam, quòd unum peccatorem puniat poſt unicum peccatum morte æterna, & alterum poſt mille peccata recipiat in gratiam, & ei pœnitentiæ locum concedat. His propoſitis.

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Modernâ providentiâ perfecta pœnitentia delet omnia peccata cujuscunque generis & numeri, & quidem omnia ſimul; ita, ut unum mortale non remittatur ſine alio, ac pariter cum culpa delet reatum pœnæ æternæ, non tamen ſemper totam pœnam temporalem, ſive in hac vita, ſive in purgatorio luendam.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 1. *§. in iſta.* eſtque de fide ex Trid. Seſſ. 6. c. 14. contra hæreticos.

Probatur 1. pars: tum quia DEUS in Scriptura frequenter promittit pœnitentiæ remiſſionem omnium peccatorum, ut patet ex multis textibus hucusque adductis præſertim hac Diſt. 4. q. 2. Aſſert. 1. ergo defactò vi pœnitentiæ cujuscunque generis peccata poſſunt deleri. Conſeq. patet: tum quia: pœnitentia in tantùm delet, in quantùm ſit ad peccata delenda eſt inſtituta: ergo ſi non apparet DEUM decreviſſe, ut aliqua tantùm deleret, & non omnia, pro moderna providentia id aſſeri non poteſt. Tum quia, ſi aliqua per pœnitentiam non eſſent delebilia, relinqueretur homo in via ſine remedio ſalutis, quod eſt contra divinam miſericordiam ut hac Diſt. 4. q. 2. Aſſert. 1. diximus.

9 Probatur 2. pars: defacto nunquam remittitur peccatum, niſi per gratiam ſeu juſtitiam inhærentem. Ut patet ex Trid. cit. ſed modernâ providentiâ gratia non ſtat ſimul cum peccato mortali; imò juxta multos extra ſcholam Scoti de potentia DEI repugnat gratiam ſtare cum peccato mortali: ergo defactò pœnitentia omnia ſimul delet peccata, ſi unum mortale delet.

Probatur 3. pars: tum quia quoties in 10
Scriptura promittitur venia peccatorum, ſimul etiam remiſſio reatûs æternæ damnationis, & reintegratio ad gloriam annectitur: ergo cum culpa etiam delet pœnitentia reatum pœnæ æternæ. Antec. patet ad Rom. 8. *nihil damnationis eſt in his, qui ſunt in Chriſto JESU.* & c. 6. *nunc liberati à peccato, ſervi facti DEO habentes fructum veſtrum in ſanctificatione, finem autem vitam æternam.* Tum quia defacto nunquam deletur peccatum, quin donetur gratia ſanctificans, quæ hominem conſtituit filium adoptivum & hæredem vitæ æternæ, ſed cum illo jure ad hæreditatem non poteſt ſtare illa obligatio ad pœnam æternam: ergo non tollitur peccatum, quin collatur etiam reatus ad pœnam æternam.

Probatur 4. pars: tum quia 2. Reg. 12. 11
ita DEUS remiſit culpam David, ut tamen temporalem quandam pœnam noluerit remittere, ſeu quin pœnam æternam commutaverit in temporalem; nam poſt remiſſam culpam adhuc illum punivit auferendo parvulum ejus: ergo cùm eadem ratio ſit in omnibus, ſic erit dicendum. Tum quia DEUS ſicut eſt miſericors, ita & juſtus eſt: ergo ſicut gratis remittit culpam & pœnam æternam, cùm pro his nihil poſſit condignum agere homo, ita poſtulat juſtitia, ut non relinquat regulariter culpam ſine omni pœna aut ſatisfactione, ut videmus in humanis: ubi aliquis offenſus ſolet remiſſa culpa adhuc aliquam ſatisfactionem exigere ad reſarciendum læſum jus publicæ juſtitiæ. Tum quia ſi per pœnitentiam omnis remitteretur pœna, ſic cum injuſtitia imponeretur contritis pœnitentia, cùm nullius pœnæ eſſent debitores, quod eſt contra praxim Eccleſiæ.

Addo tamen pœnam temporalem reli- 12
ctam poſt mortale remiſſum non eſſe æqualem etiam pro iiſdem peccatis; nam ob valde intenſum actum contritionis poteſt omnis pœna temporalis tolli, igitur etiam per intenſiorem contritionem aliquando tollitur major pœna temporalis, & per minorem aliquando minor pœna, & hujus ratio eſt: quia Chriſtus dixit de Magdalena: *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum:* quod, cùm de remiſſione culpæ non poſſit bene intelligi, quia unum mortale non remittitur ſine alio, ideò de remiſſione pœnæ debet intelligi, ita, ut remiſſio pœnæ refundatur in majorem contritionem vel dilectionem, cùm utique major & intenſa contritio plùs valeat, & mereatur, quàm contritio remiſſa. Imò poteſt contritio adeò eſſe

vehemens & intenſa, ut æquivaleat pluribus actibus ſucceſſivè elicitis; ſed plures actus pœnitentiæ tollunt aliquam pœnam: ergo talis intenſa contritio poteſt aliquando totam pœnam tollere vel majorem partem, quàm plures remiſſi actus; hinc in Sacramento pœnitentiæ à prudentibus Confeſſariis eò minor imponitur ſatisfactio, quo major agnoſcitur dolor in pœnitente, per conſequens intenſio doloris facit ad diminuendam pœnam temporalem. Ex his tamen non ſequitur debere pœnæ temporalis remiſſionem primariò refundi in perfectionem contritionis, ſed potiùs in voluntatem divinam decernentis ad perfectam contritionem ſe velle remittere totam pœnam temporalem; nam ſicut ipſe decrevit ſe remiſſurum pœnam æternam, ita etiam decrevit æternam commutare in temporalem quandam, aliquando verò in nullam, ſed omnem remittere; unde Trid. ſolùm damnat eos, qui dicunt ſemper cum culpa remitti omnem pœnam, non verò eos, qui dicunt aliquando totam remitti pœnam cum culpâ per contritionem perfectiſſimam & intenſiſſimam.

13 Objicies contra primam partem: defactò habetur ex Scriptura, quòd peccatum in Spiritum S. ſit indelebile: ut Matth. 12. *qui peccaverit in Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Ergo pœnitentia non delet defactò omnis generis peccata.

Reſpondeo neg. antec. illud autem Matth. *non remittetur*, debet intelligi difficulter in hoc ſæculo; nam dicunt Patres peccatum in Spiritum S. eſſe deſperationem de ſalute, ſeu obſtinatam voluntatem non pœnitendi, vel eſſe tale peccatum, quo quis cognoſcit miracula, & alia opera evidenter à Spiritu S. fieri in confirmationem fidei, illa tamen attribuit diabolo, ut fecerunt Judæi de operibus Chriſti, & ſic veritatem cognitam oppugnârunt, quæ peccata utique difficillimè & rariſſimè remittuntur, cùm hominem deducant in talem ſtatum, in quo vix ei eſt poſſibilis pœnitentia, non tamen ſunt abſolutè irremiſſibilia, ſi enim homo de illis pœniteret ultimatè, verè remitterentur.

Dices: Multi peccatores pœnitentes non obtinuerunt veniam ut Ahab, Eſau, Antiochus &c.

Contra diſting. antec. pœnitentes verâ & perfectâ pœnitentiâ non obtinuerunt veniam, neg. pœnitentes pœnitentiâ imperfectâ, ſeu non, ſicut oportet, conc. antec. nam aliqui eorum etiam cum lachrymis ſolùm dolebant ob quaſdam pœnas temporales immiſſas, & licèt aliquando etiam dixerint: Se peccâſſe Domino; tamen in corde aliquando habuerunt annexum aliud peccatum, ut patet de Eſau: qui habuit deſiderium occidendi Jacob; Judas voluntatem ſe ipſum occidendi.

Dices: Saltem per DEI potentiam & decretum de non remittendo aliquo peccato poſſet fieri tale peccatum ab intrinſeco irremiſſibile per pœnitentiam.

Contra de hoc vide Tract. meum de actibus humanis diſt. 7. q. 9.

Objicies contra 2. partem: DEUS defactò remittit unum veniale ſine altero: ergo & unum mortale ſine alio. 14

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: quia peccatum veniale non eſt incompoſſibile cum gratia, per conſequens fieri poteſt, ut per gratiam tollatur unum veniale & non aliud.

Dices: Defactò remittit DEUS pœnam, ſed non totalem: ergo etiam poteſt remittere culpam mortalem, ſed non omnem.

Contra neg. conſeq. eadem eſt diſparitas: quia reatus pœnæ temporalis non eſt incompatibilis cum gratia; ideò fieri poteſt, ut reatus pœnæ æternæ tollatur, & in reatum pœnæ temporalis commutetur; vel ut aliqua pœna temporalis remittatur, & aliqua maneat, ut fit in indulgentiis non plenariis.

Dices: Reſervantur aliquando quædam peccata, vel oblivioni dantur; ſed tunc illa non remittuntur, quando remittuntur cætera peccata confeſſa: ergo.

Contra: De his vide moraliſtas, qui negant min.

Objicies contra 3. partem: DEUS defactò remittit culpam, id eſt, jus, quod habet ad rationabile odium peccatoris, & nihilominùs retinet jus ad pœnam temporalem, quâ eum punit: ergo etiam DEUS aliquando remittit culpam aliquibus peccatoribus retinendo tamen jus ad pœnam æternam, quâ eos ad oſtendendam ſuam juſtitiam puniet. Conſeq. patet: quia licèt utrumque jus ad odio habendum & ad pœnâ æternâ puniendum DEO competat ex natura peccati, poteſt tamen uni cedere & non alteri, & ſic poteſt remittere culpam, & non manere in odio peccati, & non remittere pœnam, ſed manere in rigore juſtitiæ dando pœnam ſemel juſtè promeritam. 15

Reſpondeo neg. conſeq. quia antecedens ita revelatur in Scripturis & Conciliis, non verò conſequens, ſed potiùs contrarium ejus, ut patet ex proba 3. partis ad probam verò conſeq. dico: illam ſolùm probare, quòd de potentia DEI abſoluta id DEUS poſſet facere ad oſtendendam ſuam juſtitiam, uti dicemus aſſert. ſequenti, non verò quod providentiâ modernâ id faciat, cùm Scripturæ ſint in contrarium, & ſatis oſtendit juſtitiam ſuam, licèt valde emollitam per miſericordiam remittendo peccatori culpam, eum obligando tamen ad pœnam temporalem.

Dices: in multorum ſententia DEUS de poſſibili planè innocentem poteſt adjudicare igni æterno, & eum reprobare ex ſolo titulo ſuæ potentiæ aut ſupremi dominii: ergo talem, qui juſtè per peccatum præteritum promeri-

meritus eſt pœnam æternam, etiam defactò ex juſtitia punitiva exercenda aliquando adjudicat gehennæ remittendo culpam ad exercendam miſericordiam.

Contra neg. conſeq. nam hoc iterum ſolùm probat id eſſe poſſibile de potentia DEI abſoluta, & ſi primum poteſt, multò magis ſecundum poſſet potentiâ ſuâ abſolutâ, non autem quòd defactò ita puniat, cùm Scriptura probat contrarium,

16 Objicies contra 4. partem: Scriptura Ezech. 18. dicit: DEUM nec peccatorum pœnitentis ampliùs recordaturum; ſed ſi pœna temporalis remaneret luenda, DEUS recordaretur eorum, & impietas impii converſi ei noceret: ergo remiſsâ culpâ nihil remanet reatùs pœnæ temporalis. Item Chriſtus pleniſſimè, condignè, æqualiter, & abundanter pro noſtris culpis & pœnis ſatisfecit, ut Magdalenæ & latroni feciſſe videtur: ergo obligatio ad pœnam temporalem derogaret ſatisfactioni Chriſti.

Reſpondeo ad primum: Prophetam ibi pœnitentem ſolùm comparâſſe ad vitam æternam, ita, ut ſenſus talium textuum ſit: ſicut ſi juſtus peccaverit, juſtitia ejus non ei proderit ad vitam æternam, & DEUS quaſi obliviſcitur illius juſtitiæ antecedentis, ita, ſi peccator egerit pœnitentiam, DEUS non recordabitur iniquitatum ejus, nec hæ ei nocebunt in ordine ad vitam æternam, cum quo tamen ſtat, quòd DEUS recordetur eorum ad pœnam temporalem. Ad ſecundum neg. conſeq. nam omnino ſatisfactio Chriſti eſt pleniſſima & abundans quoad culpam & pœnam, ſi etiam plenè applicetur, ut eſt in baptiſmo & martyrio: quibus DEUS ſpecialiter ſuâ voluntate annexuit hoc privilegium, cùm baptiſmus ſit regeneratio, & martyrium valde arduus actus amoris, aut etiam in intenſiſſimo actu contritionis, nam Chriſtus ita ſatisfecit pro nobis, ut cauſa ſatisfactoria applicanda ſit ſingulis per propriam cooperationem naturæ liberæ, quæ ſicut liberè deliquit, ita & liberè ſibi applicet cauſam ſatisfactionis, quæ, cùm aliquando plenè, aliquando minùs plenè eam ſibi applicet, ideò aliquando non tollitur totus reatus pœnæ temporalis; in Magdalena autem & latrone illa applicatio omnino tollebat etiam pœnam temporalem, quia talem actum contritionis habuerunt, qui ſufficiebat ad remiſſionem omnis pœnæ.

Dices: perfecta pœnitentia habet vim remittendi pœnam æternam: ergo à fortiori pœnam temporalem.

Contra neg. conſeq. neque enim contritio, neque Sacramentum pœnitentiæ formaliter & ex natura rei habent vim remittendi peccatum, aut pœnam æternam, ſed ſolùm ſunt diſpoſitiones ad tales effectus dependenter à divina inſtitutione Chriſti; hinc non ſequitur, ſi DEUS intuitu eorum remittit pœnam æternam, quòd etiam remittere debeat pœnam temporalem, ſed potiùs congruum eſt, ut homo ſatisfaciat, aut ſatispatiatur pro peccato quantumvis remiſſo.

Dices: non videtur poſſe explicari, quo actu & pacto DEUS remittendo culpam, & pœnam æternam, injungat pœnam temporalem.

Contra neg. aſſumptum: totum enim hoc voluntati divinæ eſt tribuendum, cui hac conditione culpam & pœnam æternam remittere placuit, ut teneatur ſolvere aliquam pœnam temporalem, ut in proba 4. dictum eſt.

17 Aſſero 2. *Non poteſt DEUS potentiâ ſuâ abſolutâ remittere culpam, non remiſſo reatu paſſivo, ſeu obligatione paſſiva ad pœnam æternam, bene tamen poſſet remittere culpam, non remiſſo reatu activo ſeu deputatione voluntatis divinæ ad pœnam æternam.* Eſt quoad 1. partem Scoti in 4. D. 14. q. 1. §. *de ſecundo. & dico ergo.* & D. 21. q. 1. §. *in iſta quaſt.* contra Recentiores. Et quoad 2. partem deduci poteſt ex 4. D. 16. q. 2. paulò ante ſolut. argument. ubi admittit DEUM poſſe remittere culpam Petro, & eum tamen non gratificare aut glorificare poſſe, per conſequens cur non, & permittere eum deputatum ad pœnam ex juſtitia promeritam,

Probatur 1. pars: Reatus paſſivus ſeu debitum ad pœnam æternam eſt ipſa macula peccati habitualis manens moraliter in peccatore poſt actum: ergo ſi DEUS aufert maculam culpæ ſeu peccati per locum intrinſecum, etiam aufertur reatus paſſivus ſeu debitum pœnæ æternæ. Conſeq. patet: tum quia implicat unum identificatum cum alio deſinere, & manere aliud, cum quo eſt identificatum; imò implicat eſſentiam, ſeu prædicata conſtitutiva deſinere, & manere eſſentiatum vel conſtitutum, ſed prædicatum eſſentiale & conſtitutivum, aut ſaltem propria paſſio peccati habitualis eſt ipſe reatus paſſivus ſeu obligatio ad pœnam: ergo ſi unum remittitur, neceſſariò & alterum remittitur. Tum quia ſublatâ ratione, propter quam homo eſt dignus, & obligatus paſſivè ad pœnam, implicat, ut ſit dignus, & obligatus paſſivè ad eam; ſed ablatâ culpâ tollitur tota ratio, ob quam homo eſt dignus pœnâ æternâ: ergo ſi DEUS unum aufert, neceſſariò aufert & alterum, aliàs idem eſſet ablatum & non ablatum, quod repugnat.

18 Probatur 2. pars primò: Scotus loc. cit. §. *reſpondeo.* admittit: DEUM abſolutè poſſe hominem peccatorem ponere ad ſtatum puræ naturæ, & dimittere peccatum abſque infuſione gratiæ, imò etiam cum infuſione gratiæ; ſed in tali caſu remitteret culpam, & non condonaret pœnam æternam damni, de qua potiſſimùm eſt quæſtio: ergo poteſt remiſsâ culpâ adhuc inferre pœnam ſenſûs ex juſtitia promeritam. Maj. quoad utramque partem pa-

tet

tet ex littera Scoti & ex propoſitionibus. Min. in caſu ſine infuſiooe gratiæ per ſe patet: in eaſu verò cum infuſione gratiæ prob. non eſt repugnantie, quòd DEUS peceatori conferat gratiam & eum ut juſtum diliget, ſtatuendo tamen legem illi nunquam dandi gloriam ratione injuriæ ſibi factæ: ergo. Antec. prob. aeceptario ad gloriam, licèt defectò & ſuo modo ſit debita gratiæ, attemen ex ſententia Scoti hoc ſolùm eſt ex libera ordinatione divina: ergo de poſſibili ſeperabilis eſt eccepţatio ad gloriam ab interna juſticie & gretia: ergo tune poſt eulpem temiſſam poſſet remanere pœoa damni.

Probetur ſecundò: Tum quia malum eulpæ & malum pœnæ ſunt diverſæ rationis, licèt uoum in alio fundetur: ergo poteſt culpa ſemel exiſtens relinquere ſuffieientem rationem pœnæ proportionatæ, quæ exiſtentiam culpæ non requirit. Conſeq. patet à pari: tum quia defactò poteſt Princeps remittere offenſam & culpem ſibi illatam, & planè amare perſooam offendentem, & tamen affectu juſtitiæ exigere pœnam texatam ob bonom commune. Tum quis defactò fuit Chriſtue obligatue ed acerbiſſimem pœnam mortia, licèt fuerit ſine culpa, & ſummoe amicus DEO, & ſicut potuit obligeri ed tempus, ita potuit obligari ſemper, & ſic oon dicit implicantiam eſſe obligatum ad pœnam inferni eum gretia. Tum quia jus ed odio habendum peccatorem, & jus ed puniendum pœnâ æternâ ſunt ſeparabilie & diſtincta: ergo non eſt implicantia, ut DEUS remittat eulpam, ſeu jus ed odium & diſplicentiam infinitem peccatoris, & noo remittat pœnam, ſeu jus ad puniendum pœnâ æternâ ecceptum ex peccato.

39 Objicies contre 1. pertem: obligatio ille paſſiva ad pœnam æternam oon repugnat cum gratia & amicitia DEI: ergo remiſſio culpæ per ſe non repugnat eum debito paſſivo ed pœnam æternam. Antec. patet: quia obligatio paſſiva ad pœnam temporalem non repugnat eum gratia: ergo nec obligatio paſſive ad pœnam æternam.

Reſpondeo neg. antec. Quia cum macula habitnalis peeceti ſit illa obligatio paſſive ed pœnam æternam, ſic manet inimicitia cum DEO, quamdiu manet illa obligario paſſiva, adeóque ſi hæe obligatio poſſet ſtare cum gratia, dicit Scotus: quòd idem eſſet amicue & inimicus; ideò oeceſſariò, ſi remittitur peccatum, debet etiam tele debitnm pœoæ æternæ remitti. Ad probam magna eſt diſparitas: quia pœoe æteroe & temporalis ſunt diverſæ rationis, nem temporalie pœnæ reatue paſſivue nunquam eſt eum inimicitie identificatus, ſicut reatus pœnæ æternæ paſſivus. Item reetus pœnæ temporalie, in quem commutate eſt pœne æterne, non eſt propriè reetus eulpæ, quia non proprie & immediatè cootrahitur ex propria culpa, ſed remotè ex culpa, proximè autem ex voluntate divina, cui remittere peccatum placuit hâc conditione, nt temen teneatur aliquam pœnam temporalem ſolvere, reatus eutem peſſivus pœnæ æternæ eſt propriè rearus eulpæ, cùm contrahatur proximè & immediatè ex culpe proprie, remotè verò ex voluntate DEI antecedeote, quâ vult punire illâ pœnâ transgreſſoree ſuæ legie.

Dices: Reatue activus ex parte voluntatis DEI deſumptus pœnæ æternæ non repugnat cum gratia & amicitia, ut tenemus in ſecunda parte aſſertionie: ergo nec reatue paſſivus ed pœoem æternam, nam ſi æternitas pœnæ in uno non obſtat amicitiæ, nec etiam in altero obſtabit.

Contra neg. conſeq. & conc. æternitatem pœnæ oon obſtare gretiæ, ideò repugnantie non debet ſumi ex perte æternitatis pœnæ, quæ ſe habet tanquam terminus, ad quem uterque reatue & paſſivue & activus terminatur, ſed debet deſumi repugnantia ex parte rationie fundandi illam pœnam, quæ retio poteſt eſſe vel reatus paſſivus, ſeu dignitas actûs ed pœnam promeritam ex inimicitia proeedere, vel ſolus reatue activue ſolius voluntatis DEI deputaotis ad pœnam non ampliùs meritem ex inimicitis proeedere, ſed ex ſola poteſtate & juſtitie DEI; primus eutem reatus pœoæ ex inimicitia procedentis utique repugnat eſſe cum gretia & amieitie, non verò ſecundue.

Dicee: ergo oee DEUS poſſet homini dimittere reatum peſſivum pœnæ æternæ, quin remittat ipſam eulpam; ſed hoc dici non poteſt: ergo. Sequel. petet, quia reatus paſſivus eſſet ipſa culpe. Min. verò prob. quia aliud eſt DEUM velle punire peccatum, & aliud eſt hominem eſſe dignum & reum punitione: ergo licèt DEUS ſtante lege non poſſit facere, quin homo legem transgrediene non ſit dignoe & reus pœnæ, cùm hoe proveniet ex ipſa eulpe, poterit tamen traneeunte actu peceati DEUS nolle punitionem peceatoris, cedendo juri ſuo de punienda offenſa, quamvis non dimittat eam, ſeu ut adhuc maneat de ſe digne pœnâ.

Contra vel poteſt conc. ſequel. & neg. min. ac ejus probæ antec. nam illud prorſue eſſet idem, uti eoncedit Meſtrius, & nos conceſſimue de actibus humanis D. 7. q. 10. propoe. 3. in ſolut. obj. nam ſi DEUS vellet peccatum eſſe puniendum, & tamen nollet punire, ſeu eſſe puniendum remittendo ipſum reatum pœnæ, hic actus nolitionis deſtrueret primum, quo univerſaliter voluit quemcunque legie transgreſſorem eſſe puoiendum, & ſe velle illum ex ſuppoſitione ſui peccati punire, adeóque ſolùm DEUS poſſet illum reatum pœnæ auferre, quatenus poſſet illam legem ſtatuentem peccatores punire, deſtruere eut diſpenſare, & tune talie tranegreſſor non eſt ampliùs dignus pœnâ, nec debetet cenſeri tranagreſſor culpabilis, & ſic nec ampliùs

cul-

culpa maneret, nam aliàs ſine lege ſtatuente pœnam illam æternam non videtur, quomodo mortale & veniale invicem diſtinguentur. Val neg. poteſt ſequel. ad ejus probam diſting. antec. reatus paſſivus radicalis & aptitudinalis ad pœnam eſt culpa, conc. reatus paſſivus actualis, neg. nam hæc duo omnino poſſunt eſſe ſeparabilia: aliquem eſſe dignum radicaliter ad pœnam, & eum tamen actu non eſſe exercitè puniendum; nam ſic videmus, quòd Principes poſſint remittere actu pœnas, non tamen culpam, ſeu radicalem exigentiam & dignitatem pœnæ.

Dices: ſi DEUS non remittit culpam, vult illam eſſe puniendam, & ſi remittere poſſet reatum ad pœnam non dimiſsâ culpâ, etiam illam non vult eſſe puniendam, ſed velle eſſe puniendam, & non velle eſſe puniendam eſt contradictio: ergo nec poſſet remittere reatum pœnæ ſine culpa.

Contra diſting. maj. vult illam eſſe puniendam aptitudinaliter, & non puniendam aptitudinaliter, neg. vult puniendam aptitudinaliter, & non puniendam actualiter, conc. maj. diſting. min. ſed velle eſſe puniendam & non velle eſſe puniendam aptitudinaliter eſt contradictio, conc. velle eſſe puniendam aptitudinaliter & non velle puniendam actualiter eſt contradictio, neg. min. adeóque dum DEUS actualiter non vult punire culpam, poteſt tamen adhuc velle illam eſſe aptam ad puniendam.

20 Objicies 1. contra 2. partem: implicat auferri peccatum manente condigno reatu ad pœnam æternam: ergo non poteſt DEUS remittere culpam & non reatum activum ad pœnam. Antec. prob. condignus reatus ad pœnam æternam vel eſt ipſum peccatum, vel ejus paſſio inſeparabilis.

Reſpondeo diſting. antec. implicat auferri peccatum manente condigno reatu paſſivo ad pœnam æternam, conc. manente condigno reatu activo, neg. unde ſolus reatus paſſivus condignus proximè proveniens ex actu peccaminoſo eſt paſſio inſeparabilis, non verò reatus activus proximè proveniens ex voluntate divina ita deputante, quamvis remotè ex peccato, ut patet de condignitate pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam mortalem, & ſic illa condignitas activa ad pœnam eſt ſola ordinatio & denominatio extrinſeca ex actu divinæ voluntatis derivata, quâ peccator ob peccatum præcedens, quamvis quoad culpam dimiſſum, manet deputatus ad pœnam æternam ex juſtitia vindicativa promeritam.

Dices: ſublatâ ratione, propter quam homo eſt dignus pœnâ æternâ implicat, ut ſit dignus pœnâ æternâ, ſed remiſsâ culpâ tollitur ratio, propter quam homo eſt dignus pœnâ æternâ: ergo nequit auferri culpa, & non reatus pœnæ.

Contra eſt: vel retorquendo argumentum de veniali, quod defacto remitti poteſt quoad culpam remanente totâ obligatione ad pœnam temporalem contra adverſarios, & quidquid illi dixerint ad non implicare, etiam nos dicemus. Vel potiùs diſting. maj. ſublatâ ratione propter quam homo eſt paſſivè & activè dignus pœnâ æternâ implicat, ut ſit dignus eâ, conc. ſublatâ ratione, propter quam eſt ſolùm dignus paſſivè, implicat eſſe dignum eâ, neg. maj. diſting. min. ſed remiſſâ culpâ tollitur ratio, ob quam paſſivè eſt dignus pœnâ, conc. tollitur ratio, ob quam eſt activè dignus pœnâ, neg. min. unde cùm DEUS dimiſſâ culpâ & reatu paſſivo exigente pœnam adhuc poſſit ex juſtitia vindicativa velle pœnam promeritam inferre, negari non poteſt, quin adhuc habeat rationem dignitatis, ſcilicet ex ſua voluntate ob juſtitiam vindicativam, & ſic adhuc homo eſt dignus pœnâ proximè ex juſtitia vindicativa & remotè ex culpa ſemel perpetratâ quamvis dimiſſâ.

Dices: hoc ipſo, quòd DEUS conſervet reatum activum ſuæ voluntatis ad puniendum, etiam conſervat peccatum, ſeu reatum paſſivum: ergo non poteſt remittere culpam & non reatum etiam activum. Antec. prob. ideò actus peccaminoſus perſeverans moraliter exigit, & paſſivè dignus eſt puniri; quia DEUS vult punire omnes tranſgreſſores ſuæ legis; ſed DEUS conſervando reatum activum, vult punire tranſgreſſorem legis propter peccatum: ergo hoc ipſo, quòd conſervet DEUS reatum activum pœnæ, conſervat etiam peccatum exigens illam ſeu reatum paſſivum.

Contra neg. antec. ad probam diſting. maj. ideò actus exigit puniri, quia DEUS vult voluntate antecedente illam exigentiam, conc. ideò exigit, quia DEUS vult voluntate ſubſequente exigentiam illam, quæ ſubſequens voluntas eſſet alicujus novi Decreti, neg. maj. hinc quamvis unica ſit voluntas DEI volens punire reatum peccati, duplicem tamen dicere poteſt reſpectum: unum antecedentem culpam & conditionatè punitivum, ſi committitur tranſgrediendo legem & perſeverat. Alium verò ſubſequentem culpam, & abſolutè punitivum illam culpam ſemel commiſſam etiam præteritam & non manentem. Imò alio modo eſt diverſus reſpectus voluntatis divinæ punitivæ: nam ante remiſſam offenſam eſt in DEO voluntas puniendi propter offenſam moraliter exiſtentem, & hæc condonato peccato non perſeverat eadem voluntas, ſed fit alia ſcilicet voluntas puniendi propter offenſam jam præteritam & remiſſam, nam prior voluntas terminabatur ad offenſam exiſtentem ut motivum formale punitionis, & ideò eſt idem ac odium inimicitiæ; poſterior verò voluntas terminatur ad debitum ex præteritâ offenſâ jam condonatâ relictum ut ad motivum punitionis ex virtute juſtitiæ, ac propterea non amplius odium inimicitiæ dici po-

eſt. Ultra adhuc eſt obſervandum, quòd DEUS conſervans reatum pœnæ dimiſſâ culpâ, ſeu conſervans velle peccatum punire, non conſervet hoc ex exigentia peccati, ſed ex ſua propria deputatione juſta, quam deputationem quidem priùs exegit peccatum, non verò ampliùs exigit, ſed potiùs pro nunc pro caſu miſericordiæ, in quantùm eſt ex culpa remiſſa, non exigerat reatum pœnæ eſſe, niſi DEUS ſpecialiter vellet in caſu juſtitiæ illum conſervare. Tandem obſervandum eſt vi præſentis decreti omnino pœnam æternam deberi ſolùm peccato præterito non remiſſo, vi autem alterius decreti etiam deberi potuiſſet peccato jam remiſſo: quia ob ſui malitiam ſemper eſt dignum puniri tam deletum quàm non deletum.

Dices: ergo hoc dicendo non remittitur culpa, ut remaneat prior & idem reatus activus ad pœnam, ut loquitur aſſertio, ſed faciendo novum reatum activum.

Contra diſting. illatum: non remittitur, ut remaneat idem reatus activus connotativè, conc. non remittitur, ut maneat idem reatus activus ſimpliciter & eſſentialiter, neg. illatum. Poteſt ergo idem manere activum, licèt connotet, & agat in diverſa paſſa, ſic etiam reatus activus pœnæ poteſt idem manere volens punire peccatum quà exiſtens & actu exigens puniri, & deinde etiam peccatum præteritum, & quà ſemel jam puniri exegit: & quoad illa prædicata manet, quod eſt velle punire culpam ut ſic, licèt mutetur de culpa, prout eſt jam remiſſa, quam tamen adhuc punire vult.

21 Objicies 2. contra 2. partem cum Amico ſpecialiter ob pœnam damni: voluntas excludendi unum à gloria eſt voluntas eum excludendi à gratia & amicitia, cùm gloria ſit ſumma amicitia: ergo DEUS non poteſt habere voluntatem ad conſervandum reatum pœnæ damni, & voluntatem remittendi peccatum per gratiam acceptando ad amicitiam: quia per priorem voluntatem non acceptaret, ſed excluderet ab amicitia.

Reſpondeo diſting. antec. voluntas excludendi unum à gloria eſt voluntas excludendi ab amicitia ſimpliciter, neg. ab amicitia perfectiſſima, conc. antec. & ſub hac diſtinctione neg. conſeq. poteſt enim aliquis eſſe ſimpliciter amicus, etſi non ſit perfectiſſimè amicus familiaris; imò nos Scotiſtæ adhuc faciliùs reſpondere poſſemus, quòd in tali caſu ſolùm infunderetur gratia in eſſe qualitatis phyſicæ, non verò in eſſe gratiæ quà talis.

Dices: hoc ipſo, quòd DEUS vult ipſum excludere à gloria, vult ipſum excludere ob peccatum permanens: ergo non remittit culpam, quandò ſervat reatum ad pœnam æternam damni. Antec. prob. quia non cenſetur aliquid eſſe condonatum, ſi punitur tali excluſione gloriæ: ergo.

Contra diſting. antec. ob peccatum permanens in ordine ad odium divinum, neg. permanens in ordine ad pœnam, trans. antec. nam poteſt aliquid manere in ordine ad unum effectum, & non in ordine ad alterum: ſic promittens matrimonium ad illicitam copulam extorquendam & obtentam, hæc promiſſio eſt mala, & ſi hoc peccatum confiteatur, non ampliùs manet mala & quoad culpam, bene tamen moraliter manet ad obligationem promiſſi matrimonii. Hinc ad probam diſting. antec. non cenſetur condonatum, quod punitur ex odio & diſplicentia perſonæ, conc. quod punitur ex affectu juſtitiæ ſolius, neg. antec. unde ſolùm tunc homo eſt infenſus DEO, aut DEUS odit hominem, quando vult illi malum ex diſplicentia & averſione perſonæ, non verò, quandò ei vult malum ex affectu juſtitiæ, ut patet: dum DEUS purgat animas in purgatorio, quas tamen non odit.

Dices: implicat talem affectum juſtitiæ cum pœna æterna non eſſe conjunctum cum odio illius innocentis à culpa dimiſſa: ergo. Antec. prob. pœna æterna includit odium DEI, deſperationem & vermem conſcientiæ, ſed repugnat propter hæc non odio haberi talem hominem, imò repugnat his pœnis affici, cui dimiſſa eſt culpa.

Contra neg. antec. ad probam diſting. maj. pœna æterna ſimpliciter & præcisè ſumpta, prout dicit perpeſſionem cruciatûs & damni æterni in pœnam præteritæ culpæ, illa includit, neg. pœna æterna pro moderno ſtatu peccatorum damnatorum cum ſuis peccatis permanentibus, conc. maj. adeóque illa pœna æterna pro culpa aliàs condonata non diceret inimicitiam inter eum, qui illam patitur, & authorem ejus, nec diceret perverſam voluntatem & obſtinationem in peccato.

Dices: ſi remitti poſſet culpa non remiſſâ pœnâ, poſſet etiam remitti pœna non remiſſâ culpâ; ſed hoc non: ergo. Min. prob. quamdiu homo odio habetur à DEO, vult illi malum; ſed hoc eſt illum punire: ergo non poſſet remitti pœna non remiſſâ culpâ.

Contra conc. maj. neg. min. ad probam diſting. maj. quamdiu odio habetur, vult illi malum pœnæ, neg. vult malum diſplicentiæ perſonæ, vel vult non placere dare bona ſpecialia & poſitiva, conc. maj. & diſting. min. volendo malum pœnæ eſt illum punire, conc. volendo diſplicentiam ejus, neg. min. & conſeq.

Dices: dum homo juſtus bonum opus elicit, implicat, ut non maneat præmio dignus: ergo etiam implicat habens peccatum, ut non ſit pœnâ dignus.

Contra conc. poſſet totum: nam ſemper etiam eſſet pœnâ dignus, licèt actu non puniatur. Sed etiam neg. antec. quia de potentia DEI abſoluta poteſt DEUS facere, quòd juſtus per opera bona nullum mereatur præmium, ſi v. g. illa opera nollat acceptare,

licèt

licèt haberent aliquod fundamentum remotum.

Dices: ſaltem ſublatis meritis ab homine implicat in eo manere jus ad gloriam: ergo etiam ſublata culpa implicat manere jus ad pœnam æternam.

Cootra neg. antec. & paritas eſt pro nobis: nam ſicut merita noſtra ex ordinatione divinâ potiùs, quàm naturâ rei tribuunt jus ad gloriam, ita poſſet DEUS ex libera ſua promiſſione mihi facere jus ad gloriam abſque gratia & merito, & ſic ſublatis meritis poſſet in me manere jus ad gloriam, per conſequens etiam inferri poteſt: ergo etiam DEUS ſublatâ culpâ poſſet adhuc ſibi reſervare jus ad puniendum peccatum condonatum: quia præcisè ſemel commiſſum eſt. Pro meliori intelligentia totius hujus quæſtionis debent benè omnia iterum revideri, quæ diximus de actibus humanis D. 7. q. 7. & præſertim 10.

DISTINCTIO VII.

De Efficacia pœnitentiæ quoad remiſſionem venialium.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodo remittantur venialia tam intrà, quàm extra Sacramentum: & an etiam per Sacramentalia: ac tam in hac vita, quàm poſt hanc vitam?

1 ADvertendum eſt 1. Communiter ab authoribus concedi mortalia remitti poſſe abſque remiſſione venialium in hac vita: nam actus, quô quia deteſtatur peccata, quatenus ſunt gravia offenſa DEI, eſt ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum mortalium, non tamen ſemper ad remiſſionem venialium, cùm neque explicitè neque implicitè hujusmodi actus deteſtationis ad venialia extendi poſſet; quinimò deteſtans peccata mortalia ſibi complacere poſſit in venialibus: igitur fieri poſſet, ut peccata mortalia vi talis actûs remittantur, & non remittantur venialia, cùm tales actus deteſtationis ſæpe non habeant ſufficientem incompoſſibilitatem cum venialibus. Ab oppoſito ergo major eſt difficultas, an poſſint etiam remitti venialia ſine mortalibus per ſufficientem diſpoſitionem ad illorum remiſſionem, non verò ipſorum mortalium. Et prætereà quæri poteſt de homine juſto, quomodo in ipſo habeatur remiſſio venialium, vel ex opere operantis, ſeu extrà Sacramentum, vel ex opere operato, ſeu intrà Sacramentum, id eſt, virtute Sacramenti? ac etiam per Sacramentalia: ut eſt Oratio Dominica, tunſio pectoria, aſperſio aquæ benedictæ, manducatio panis benedicti, largitio eleemoſynæ, benedictio Epiſcopi vel Abbatis &c. & hoc quidem etiam, an per modum excitationis ad fervorem charitatis, aut motum pœnitentiæ, vel ex opere operato ab Eccleſia ita ordinato per benedictiones & orationes ab Eccleſia adhibitas.

2 Advertendum eſt 2. communiter convenire authores etiam per Sacramenta remitti venialia; quia illa ſunt inſtituta ut inſtrumenta paſſionis Chriſti ad ſanctificandas animas, & perfectè diſponendas ad conſecutionem gloriæ, per conſequens ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo poſſunt à conſecutione gloriæ impedire; adeóque cùm venialia à conſecutione gloriæ retardent, debent per Sacramenta remitti, & quidem non ſolùm excitando fervorem charitatis, quô illa formaliter & ex opere operantis remitterentur, ſed ex ſe & ex opere operato, cùm aliàs non vi Sacramenti remitterentur, ſed vi meriti operantis; manet ergo ſolùm difficultas, qualemnam diſpoſitionem requirant Sacramenta in re ſuſcepta ad tollendum obicem, ut poſſint remitti venialia, utrum ſemper neceſſaria ſit attritio de venialibus, vel an aliquando minor diſplicentia pro venialibus poſſit ſufficere, quæ ſcilicet eſt ſolùm actualis non complacentia de illis venialibus, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod aſſumit, quæ cenſetur virtualis quædam deteſtatio peccati, dum homo vult ejus medicinam aſſumere, ut concedit Maſtrius.

3 Advertendum eſt 3. quamvis communiter doceatur poſſe fieri defactò remiſſionem mortalium ſine remiſſione venialium in hac vita, magna tamen eſt difficultas apud authores, an poſſint remitti venialia conjuncta cum mortalibus ſine remiſſione mortalium, ut inſinuavimus advert. 1. gravior tamen eſt difficultas de modo dimittendi ea, præſertim quomodo ſola venialia hominis juſti uſque ad inſtans mortis durantia remittantur in alia vita, & quidem quoad culpam, quia quoad pœnam certum eſt in purgatorio dimitti, & ideò cùm in altera vita non ſit amplius ſtatus merendi, negant aliqui venialia poſt hanc vitam remitti, ſed ſemper in hac vita ſaltem in termino continuativo vitæ & mortis; potiſſimum ergo ſolùm controvertitur de modo, & quando poſt mortem remittantur, de quo varii ſunt modi dicendi, quorum principaliores aliquos afferemus, & aliquos ex Scoto ſtatuemus. His ergo notatis:

4 Propoſitio 1. *Peccatum veniale deletur extra Sacramentum in homine juſto tam per contritionem ſive generalem reſpicientem omnia peccata in genere, ſive ſpecialem diſtinctè tendentem in veniale, quàm per actum dilectionis DEI & aliarum virtutum, ſi ab ipſo operante referuntur ad deletionem venialis, vel à DEO ad talem finem acceptantur.* Ratio primi eſt:

quia contritio extra Sacramentum eſt ſufficiens ad delendum mortale: ergo multò magis ad veniale, cùm ad hoc minùs requiratur. Ratio ſecundi eſt: tum quia Trid. Seſſ. 14. c. 5. dicit: *multis remediis ultra pœnitentiam formalem deleri poſſe venialia*. Ergo actus dilectionis & aliarum virtutum intelligit; cùm æquivaleant venialibus offenſis, nulla enim eſt ratio, cur magis diſplicere debeat offenſa levis, quàm placere actus fidei, ſpei, & charitatis, miſericordiæ, temperantiæ ab homine juſto in hujusmodi finem deletionis factus. Tum quia, licèt illi actus non ſint expreſſa deteſtatio peccati, plùs tamen, aut in tantùm placent DEO, quàm diſplicuit veniale: ergo ſicut propter difformitatem in veniale deſtinavit hominem ad pœnam temporalem, ita propter rectitudinem repertam in actu dilectionis, vel temperantiæ ad deletionem ordinato remittet illam temporalem pœnam correſpondentem, hoc eſt, illam maculam habitualem venialem, ſic enim dicitur ſæpe in Scriptura: *dimittite & dimittetur vobis*. Et ideò rationabiliter concluditur, DEUM multa bona opera acceptare in illum finem. Tum quia exemplum eſt in humanis; ſi enim Princeps eſt leviter offenſus à ſubdito, & hic facit opus heroicum ad placandum Regem, & illam offenſam tollendam, certò Princeps tali opere placatur, & offenſam dimittit, & ſi non dimitteret, irrationabiliter faceret: ergo etiam DEUS &c.

Nec dicas: actus dilectionis vel alterius virtutis etiam fervidus non opponitur veniali, quia poteſt ſtare cum illo; ſed non remittitur peccatum niſi per motum contrarium: ergo. Imò non eſſet ratio, cur non etiam per actum valde intenſum fidei, ſpei &c. planè mortale poſſet remitti, quod à nullo admittitur.

Reſpondeo diſting. maj. non opponitur talis actus ex ſe cum veniali, conc. non opponitur ex intentione operantis, vel DEI acceptantis in hunc finem, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. & licèt talis intentio operantis non tribuat valorem operi, cùm illum ex ſe, vel acceptatione divina habere debeat, tribuit tamen ei applicationem, ſicut Eccleſia quandoque ſuas ordinationes ad hunc vel illum finem applicat; unde pariter ultra dici debet, hoc ipſo, quòd offeratur ut ſatisfactio ad finem delendi peccata, vult peccatum non eſſe; ideò illud conſequenter cenſetur retractare, ſaltem virtualiter & implicitè. Ad illud ultimum verò dico: nobis ex Scriptura conſtare, quòd, niſi pœnitentiam egerimus de mortali, perire debeamus; adeóque cùm non quilibet actus virtutis, nec virtualis ſit pœnitentia, mirum non eſt, quòd actus aliarum virtutum non deleant mortale, non autem quid ſimile colligitur ex Scriptura reſpectu venialis.

5 Propoſitio 2. *Venialia extra Sacramentum in homine juſto poſſunt deleri per attritionem.* Ratio eſt: tum quia attritio eſt verus actus pœnitentiæ, & habet oppoſitionem cum peccato veniali, quia eſt odium, nolitio & deſtructio ipſius: ergo poteſt illud delere. Conſeq. patet: quia meliùs deſtrui non poteſt actus volitionis præteritus, quàm per retractationem ejusdem, ut eſt attritio circa illud. Tum quia non poteſt tam rigoroſa ſatisfactio requiri ad delenda venialia, quàm mortalia, cùm hoc non congruat juſtitiæ, ſed ad delenda mortalia extra Sacramentum requiritur contritio formalis vel virtualis: ergo ad delenda venialia ſufficiet ſola attritio.

Nec dicas: ſi ſola attritio ſufficeret ſine Sacramento, ſequitur nunquam venialia verè remitti in Sacramento; quia jam invenirentur remiſſa per attritionem, & ſic fruſtraneum eſſet Sacramentum pœnitentiæ pro venialibus, quod eſt contra Trid. Seſſ. 14. dicens: *peccata venialia eſſe ſufficientem materiam Sacramenti*.

Reſpondeo primò: hoc argumentum etiam debere ſolvere adverſarios de peccatis mortalibus ſemper requirentes formalem contritionem, vel ſi juſtus haberet contritionem de ſuis venialibus. Secundò dicimus: licèt in tali caſu venialia non remittantur per Sacramentum, poſſunt tamen in alio caſu remitti, ſi juſtus ad Sacramentum accedit habens venialia conjuncta mortalibus, de quibus ſola attritio præceſſit. Tertiò tandem optimè reſpondetur per Maſtrium, neg. aſſumptum: nam quando venialia ſunt ſeparata à mortalibus, ut eſt in juſtis, tunc ad tollendum obicem, ut Sacramentum influere poſſit remiſſionem venialium, non eſt neceſſaria attritio cum Sacramento, ſed poſſet dari aliqua minor diſpoſitio in aliquo gradu, in quo ſimul cum Sacramento ſatis ſit ad influendam venialium remiſſionem ex opere operato, & abſque Sacramento non ſatis ſit ad talem effectum ex opere operantis, ut patebit magis ex aſſert. 2. quartò tandem dici poteſt Sacramentum pœnitentiæ etiam tunc operari cauſando majorem gratiam & familiaritatem cum DEO in homine juſto, maximè cùm ipſa remiſſio venialium cum homine juſto ſit reintegratio ad familiaritatem DEI, quæ eſt etiam reſtitutio ſpecialium auxiliorum, quibus homo ſe voluntariè per peccatum veniale privavit.

6 Propoſitio 3. *Ad remiſſionem venialium in homine peccatore non neceſſariò requiritur gratia habitualis.* Ratio eſt: quia veniale non eſt niſi quædam levis deordinatio actûs circa aliquod bonum & compoſſibilis cum gratia: ergo poteſt tolli per quemcunque actum ordinativum voluntatis cum debita diſplicentia; ſed ad talem actum non neceſſariò requiritur, aut infunditur gratia habitualis aut augmentum ejus. Min. prob. ad opera facta extra gratiam prout meritoria alicujus boni temporalis ſaltem de congruo non infunditur gratia,

gratia, ſed pœna debita peccato veniali eſt temporalis, & ejus remiſſio etiam eſt bonum temporale: ergo ad talem actum non requiritur neceſſariò infuſio gratiæ. Tum quia exiſtens in peccato per actus intenſiores fidei probabiliter (nam negant aliqui) meretur ſibi augmentum fidei, & per unum actum ſupernaturalem meretur ad alios actus ſupernaturales auxilium, ut plerumque docent adverſarii: ergo etiam poterit homo per actus ſopernaturales elicitos cum auxilio ſupernaturali tranſeunte mereri ſibi remiſſionem venialis abſque infuſione gratiæ.

Nec dicas: Eccli 34. dicitur: *Dona iniquorum non probat altiſſimus, neque in multitudine ſacrificiorum propitiabitur:* ergo ſine gratia habituali non remittitur veniale.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Eccleſiaſticus ſolùm loquitur de probatione ſimpliciter tali, quæ eſt juſtificatio & acceptatio ad vitam æternam, cum quo tamen ſtat, quòd ea approbare poſſit approbatione ſecundùm quid tanquam meritum de congruo ad remiſſionem peccati venialis.

7 Propoſitio 4. *Veniale poſt hanc vitam decedenti in charitate non remittitur per aliquem actum bonum converſionis animæ in DEUM & deteſtationis venialium, quem anima in primo inſtanti ſeparationis à corpore eliceret, cùm in eo inſtanti optimè cognoſceret ſuum ſtatum.* Ratio eſt ex Scoto in aſſert. 3. cit. contra plurimos alios: quia ponere in anima ſeparata aliquem bonum motum, vel diſpoſitionem etiam de congruo ad merendum deletionem venialis non eſt conſonum doctrinæ Theologicæ, quæ ponit illum ſtatum immunem ab iſtis, & in re obſcura magis recurrendum eſt ad regulas generales, & modum remittendi ſecundùm legem ordinariam, quæ reſpicit opera viatoris, quàm aliquid ſtatuendum contra legem, quæ non admittit ſtatum merendi in alia vita, ſed ſolùm ſatis patiendi juxta illud Joan. 9. *oportet operari, donec dies eſt, veniet nox, quando nemo poterit operari.* Tum quia ſi homo per talem actum poſſit delere venialia quoad culpam, poſſet etiam ea delere quoad pœnam, & ſic breviſſimè abſolvere purgatorium: quia in via per ferventem contritionem & charitatem poteſt nedum culpa deleri, ſed etiam pœna illi debita, aliquando pars, aliquando tota: ergo etiam, ſic poſt ſeparationem animæ; cùm tamen tam bene remiſſio culpæ, quàm pœnæ, & omne meritum ſive præmii eſſentialis, ſive accidentalis repugnet ſtatui terminato, & tam bene ſit meritum mereri remiſſionem culpæ quàm pœnæ. Hinc Scotus aſſignat alios modos remittendi veniale poſt mortem, uti videbitur aſſert. 3.

Nec dicas: Nullus poteſt maculam peccati contrahere ſub ratione culpæ, niſi per actum liberum: ergo econtra non poterit liberari à tali macula, niſi per actum propriæ voluntatis in DEUM convertatur: ergo dum aliquis perſiſtens in veniali cum ejus complacentia moritur & non poteſt in vita illum bonum actum elicere, poſt vitam illum eliciet, & tollet veniale quoad culpam.

Reſpondeo diſting. conſeq. ergo econtra non niſi per actum propriæ voluntatis, ſi eſt in ſtatu viæ, conc. ſi eſt in termino per ſeparationem animæ, neg. conſeq. nam non eſt eodem modo diſcurrendum de remiſſione venialis in via & termino: nam in via omnino habenda eſt aliqua deteſtatio ſaltem virtualis per actum voluntatis, quia ſumus in ſtatu merendi, aſt in termino ſufficit libens & voluntaria tolerantia pœnæ abſque remurmuratione, quæ etiam eſt aliqua ſpecies deteſtationis pro illo ſtatu ſufficiens, ut dicetur aſſert. 3. interim

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Extra Sacramentum poſſunt venialia conjuncta cum mortalibus in hac vita per attritionem ſupernaturalem remitti non dimiſſis mortalibus.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 1. §. in *iſta quæſtione.* contra plurimos Recentiores & Brancatum noſtrum.

Probatur: Tum quia ad remiſſionem venialis non requiritur infuſio gratiæ aut augmenti ejus, ut dictum eſt propos. 3. ergo nihil impedit, quin peccator per attritionem ſupernaturalem dolens de venialibus eorum remiſſionem obtineat à DEO. Conſeq. patet: quia ſi quid impediret, eſſet fortè hoc, quòd talis actus non procedat ex gratia; ſed hoc non requiritur, cùm & ipſa contritio, ut eſt diſpoſitio, non ſupponat gratiam habitualem, ut procederet ex ea. Imò illa gratia actualis ad merendum de congruo eſt communis tam amico quàm inimico DEI, cur ergo non poſſet cum illa gratia actuali per actum attritionis de venialibus aliquid mereri? Tum quia remiſſio venialis non eſt majus bonum aut efficaciùs contrarium reſpectu mortalis & inimicitiæ, quàm veniale ſit malum & contrarium gratiæ & amicitiæ, ſed hoc eſt compoſſibile cum amicitia: ergo etiam econtra remiſſio venialis erit tale bonum exiguum, ut ſit compatibile cum inimicitia. Maj. patet: quia tantæ beneficentiæ eſt remiſſio venialis, quantæ offenſæ ſit ipſum veniale; ſimiliter tantum eſt bonum gratia & amicitia, quantum malum & inimicitia eſt mortale: ergo ſicut de facto offenſa venialis ſtat cum amicitia, ita poterit beneficium remiſſionis venialis ſtare cum inimicitia, cùm remiſſio venialis non ſit majus bonum, quàm veniale ſit malum.

Objicies: Si ſufficeret ſola attritio in peccatore mortali ad deletionem venialis, vel illa 9 ſufficeret ex juſtitia vel gratia DEI; ſed ex nullo capite: ergo. Min. prob. non ex juſtitia: quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad ullam ſatisfactionem pro culpa. Non ex gratia: quia nulla talis promiſſio conſtat ex Scriptura.

Reſpondeo neg. min. ad probam dico ſuf-

ficere ex gratia & liberalitate DEI tanquam meritum de congruo: quia veroſimile eſt DEI miſericordiam eſſe tantam, quòd etiam ex ſupernaturali auxilio eliciente peccatori actum attritionis vel alium virtuoſum remuneretur per remiſſionem venialium.

Dices: Vera pœnitentia debet eſſe de omnibus peccatis: impium enim eſt ſperare dimidiam veniam à DEO. Juxta illud Prophetæ Nahum c. 1. *mundans non faciet innocentem*. id eſt non tractabit ut innocentem, qui nocens eſt ſed puniet: ergo non ſufficit pœnitentia ſolùm de venialibus, ſi ſunt conjuncta mortalia.

Contra neg. conſeq. Propheta enim ſolùm loquitur de dimidia venia mortalium, non verò venialium, cùm venialia nullam habeant connexionem cum mortalibus quoad remiſſionem; ſicut enim concedunt adverſarii poſſe deleri mortalia ſine venialibus non obſtante Propheta Nahum, ita nos dicimus venialia poſſe deleri ſine mortalibus.

Dices: Contritio de aliquibus mortalibus & non de omnibus, non ſufficit; nec eſt vera contritio: ergo nec attritio de ſolis venialibus & non mortalibus erit vera attritio.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia contritio ex natura ſua ſe extendit ſaltem virtualiter ad omnia mortalia, & ſi talis extenſio deficit, non erit vera contritio, ac ſic nec ſufficiens diſpoſitio, ſicut tamen contritio vera eſſe poteſt, etſi homo ſua peccata mortalia deteſtetur non deteſtando venialia, ita dicere poſſumus attritionem veram eſſe poſſe de venialibus tantùm, licèt non de mortalibus habeat deteſtationem, cùm ſint peccata diverſi ordinis.

Dices: Dimiſſio venialis eſt actus amoris & amicitiæ, ſed qui habet conjuncta mortalia, non eſt capax amicitiæ: ergo.

Contra diſting. maj. dimiſſio cujusvis peccati eſt actus amoris & amicitiæ completæ, neg. dimiſſio peccati mortalis, conc. maj. unde illa remiſſio venialis eſt ſolùm actus amicitiæ incompletæ, vel potiùs actus beneficii temporalis, quo homo mereri poteſt, præſertim dum atteritur de venialibus, non tamen actualiter complacendo mortalibus, ſed negativè circa illa ſe habendo.

Dices: Remiſſio culpæ eſt connexa cum vita & perfecta ſanitate animæ, quem enim DEUS ſanat, perfectè ſanat, ut dicit Scriptura, & Concilia dicendo: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Ergo venialia non poſſunt deleri ſine mortalibus defactò.

Contra neg. conſeq. Nam Scriptura & Concilia ſolùm loquuntur de remiſſione adæquata mortalium, déque completa & perfecta juſtificatione, qualis in noſtro caſu non deſideratur, ſed ſolum juſtificatio ſecundùm quid & negativa, ſcilicet à culpa veniali, alias nec per adverſarios mortalia poſſent deleri ſine venialibus, quòd tamen concedunt.

Dices: Remiſſio venialium eſt reintegratio ad familiaritatem DEI, & auget fervorem charitatis; ſed hæc eſſentialiter ſupponit amicitiam DEI, cùm familiaritas ſit amicitia perfecta: ergo cùm remanentibus mortalibus homo non habeat amicitiam cum DEO, nequeunt ſola venialia remitti.

Contra diſting. maj. eſt reintegratio in homine juſto, conc. in peccatore, neg. maj. nam ob ſtatum peccati mortalis homo eſt incapax, ut effectus familiaritatis producatur, cùm talis ſemper ſit connexus ſolùm cum amicitia perfecta, & ſeparabilis ab amicitia ſolùm imperfecta, ſeu beneficentia; ſicut ſol in diversè diſpoſito ſubjecto diverſos producit effectus ſcilicet liquefactionem & indurationem &c.

Dices: Ergo ſaltem in homine juſto remiſſio venialium fit per infuſionem gratiæ, aut majoris ejus augmenti, quòd eſt contra propos. 3.

Contra neg. illatum: quia valde dubium eſt per actum remiſſum ſtatim infundi gratiam, aut ejus augmentum; cùm multi doceant gratiam correſpondentem operibus remiſſis reſervari ad ultimum inſtans vitæ; ideò ſufficit dicere: ſolam fieri remiſſionem peccatorum, & reſtitutionem aliorum auxiliorum actualium.

10 Aſſero 2. *Quævis Sacramenta, & ſacramentalia ſunt remiſſiva venialium, Sacramenta ita, ut pro venialibus ſeparatis à mortalibus, ut eſt in juſtis, ſufficiat minor diſpoſitio, quàm attritio, ſcilicet actualis non complacentia, & voluntas efficax recipiendi remedium. Sacramentalia verò aliqua non remittunt ex natura ſua, ſeu ex opere operato, ſed quatenus excitant motum pœnitentiæ venialium ſuppoſitâ tamen Eccleſiæ impetratione.* Prima & ſecunda pars eſt communis Catholicorum. Tertia pars eſt Maſtrii, & Ledeſmæ contra plurimos alios. Quarta pars deducitur ex Scoto in 4. D. 21. q. 1. in ſolut. tertii argumenti. Eſtque contra Valentiam. Sed de hac quarta parte vide plura & exactiora in Tomo 3. Tract. 9. D. 8. q. un. ubi aliqua ſacramentalia ex opere operato cauſare concedimus.

Probatur 1. pars ex dictis propos. 1. quodcunque opus virtuoſum hominis juſti poteſt remittere veniale, ſi ad hoc ordinetur: ergo à fortiori receptio cujusque Sacramenti, cùm ſit opus ex ſe cauſativum gratiæ & ſanctificationem animæ, ut diximus advert. 2. ſi ordinetur ad remiſſionem venialium, quòd præſertim patet de Sacramento Euchariſtiæ, ut tradetur ſuo loco, & de Sacramento extremæ unctionis, utpote cujus forma expreſsè ſic ſonat: *per ſanctam unctionem indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum, audi-*

tum

tum &c. quod intelligi non poteſt de mortalibus: ergo venialibus.

11 Probatur 2. pars: Sacramentalia ſunt ceremoniæ quædam eb Eccleſia inſtitutæ ad ornatum, ſolemnémque ritum Sacramentorum, quibus divinis myſteriis exhibetur reverentia, & eorum celebratur memoria; ſed hoc modo ſunt actus virtuoſi, qui poſſunt remittere venielia: ergo cùm in hunc finem ordinentur ab Eccleſia, influent in remiſſionem peccatorum venialium.

12 Probatur 3. pars: Sacramenta ex opere operato non delent venialia, niſi à quibus removetur obex; ſed ab illis non removetur obex, niſi per attritionem vel formalem vel minorem, vel virtualem: ergo una ex his requiritur; ſed non ſemper formalis: ergo ſufficit alique minor. Subſumpta prob. tum quia juxte communiorem: attritio formalic abſque Sacramanto ſufficit in homine juſto ad deletionem venialis: ergo ad tollendum illum obicem in Sacremenco poteſt ſufficere minor attritio. Tum quia ad tollendum obicem reſpectu peccati mortalis eſt ſufficiens diſpoſitio atritio formelis cum Sacramento: ergo ad ſollendum obicem reſpectu venialis poteſt ſufficere minor diſpoſitio, cùm æquitas naturalis poſtulet; quòd non æquè rigoroſa diſpoſitio requiratur ed remiſſionem culpæ exiguæ & levic, ſicut ed remiſſionem eulpæ gravis.

13 Probatur 4. pars: Sacramentalia quædam non delent præcisè venialia ex opere operato, nec præcicè ex impetratione Eccleſiæ: ergo ſolùm excitendo motum pœnitentiæ ſuppoſita impetratione Eceleſiæ. Antec. prob. quoad 1. partem: quia illud haberene vel ex inſtitutione Chriſti vel Eccleſiæ, ſed non primum: quia nullibi de illa inſtitutione circa aliqua conſtat. Nec ſecundum, quia Eccleſia non habet authoritatem, inſtituendi certa & infellibilia remedia pro venialibus: ergo. Antec. prob. quoad 2. partem: quia effectus remittendi venialia non eſt fundatus in aliqua ſpeciali promiſſiona Eccleſiæ facta, ſed fundetur in communi lega & efficacia orationis, quæ non ſemper habet effectum, præſertim ſi pro aliia fundatur, aliàs poſſent omnia ſacramentelia etiam dormienti & fatuo applicari, quòd temen non dicitur. Conſeq. 1. prob. ut obea peccati venialis tollatur, debet adeſſe motus ſeltem virtualis pœnitentiæ contratinspeccati venialis, non tamen, ut immediatè tollat venialis, aliàs nihil ſacramentalibus concederetur; nam etiam lectio librorum, verba concionetotis excitant aliquem motum pœnitentiæ, & tamen lectio librorum, vel concio non dicitur delere venialia: ergo ut quædem ſacrementalia ſortiantur ſuum effectum, utrumque requiritur, & unum ſine alio non ſufficit, ſcilicet & motue internus pœnitentis ſacramentalia ſuſcipientis ſuppoſitâ Eccleſiæ impetratione, quæ impetrat nobis motum pœnitentiæ, aliàs fruſtrà Eceleſia illas orationes adhiberet ut orationem Dominicam vel confiteor &c,

14 Objicies contra 1. partem; Sacramenta non remittunt alio modo peccata, quam cauſando gratiam in ſuſcipiente; ſed gratia ſecundùm ſe ſumpta habitualis non opponitur venialibus: ergo Sacramenta ex opere operato non delent venialia.

Reſpondeo diſting. maj. quàm cauſando gratiam in ſuſcipiente peccatore, conc. in ſuſcipiente juſto, neg. maj. in hoc enim remiſſio venialium eſt reintegratio ad familiaritatem DEI, quæ eſſentialiter ſupponit amicitiam ejus, & fit per teſtitutionem auxiliorum ſpecialium, quibus homo ſe voluntariè privavit per venialia, quæ auxilia hominem familiariſſimè conjungunt DEO, & DEUS ſingulari modo per interiores illuſtretiones & affectus ſe homini juſto communieat, Sacramanta eutem non remittunt venialia præcicè per collaſionem augmenti gretiæ homini juſto, ſed per reſtitutionem ſpecialium auxiliorum familiaritatem eum DEO inducentium.

15 Objicies contra 2. partem: Sacramentalia ſemper tequirunt aliquem actum virtutic vel ad minimùm motum pœnitentiæ ennexum: ergo non ſacramentalia, ſed ille actus virtuoſus delet venialia.

Reſpondeo neg. conſeq. quia non ſemper per illum actum tantùm ſacramentalibus anneaum obtinetur remiſſio venialium, ſed per cum & uſum ſacramentalium ſimul, quia cum pœnitente concurrit etiam impetrativè meritum & ſanctitas Eccleſiæ, & unum ſine alio non ſufficeret.

16 Objicies contra 3. partem: ex Conciliis præſertim Trid. & Patribus attritio formalis eſt neceſſarie ed velorem Secramenti pœnitentiæ, utpote in multorum ſententia pers eſſentialis: ergo etiam pro ſeparatis venialibus ſemper tequiritur attritio formalis eum Sacramento.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Concilia & Patres debent intelligi de confeſſione mortalium vel venialium cum mortali, ſicut enim, ſi quis confiteretur peceata mortalia, & nullum formalem dolorem haberet ex inadvertentia neturali, ſed tentùm amorem DEI ſuper omnia, diceretur acquirere fructum Sacramenti, quamvis dolor formalis exigatur à Conciliis, ſic pariter poſſumus reſpondere de venialibus, ſi deſit attritio formalis, ſolùmque adſit attritio virtualis.

Dices: repugnat etiam veniale peccatum remitti etiam cum Sacramento ſine ejus retractatione; ſed ſola non complacentia aut voluntec ſuſcipiendi medium emundationis non eſt retractatio peccati: ergo.

Contra diſting. maj. ſine retractationa vel formali vel virtuali, conc. ſina retractatione ſemper formali, neg, maj. illud autem deſide-

tium,

rium, quo juſtus cupit à veniali emundari per ſuſceptionem Sacramenti, eſt ſaltem virtualis deteſtatio & rettactatio peccati, dum homo vult ejus medicinam aſſumere.

17 Objicies contra 4. partem: Si aliqua ſacramentalia non delent ex opere operato, ſed operantis, nullum haberent privilegium, & fruſtrà ab Eccleſia fuiſſent inſtituta, cùm etiam ſine tali inſtitutione valerent ad hoc, ut cæteri actus virtuoſi, & ſic non plus faceret, oratio Eccleſiæ, quàm ſimplicis fidelis: ergo.

Reſpondeo neg. antec. & ejus probationes: quia quamvis remiſſio venialium non cauſetur immediatè ab ipſis, ſed mediante actu pœnitentiæ, quem excitant in nobis, adhuc tamen plus valent, quàm alii actus virtutum per ſe ſuſcepti: quia ſacramentalia operantur per modum impetrationis propter fidem & orationes Eccleſiæ, quæ valde juvant ad hunc effectum obtinendum à pœnitentibus; quod eſt ſpeciale in ſacramentalibus ſupra alios actus bonos per ſe ſumptos.

Dices: ideò Sacramenta cauſant ſuos effectus ex opere operato, quia intuitu illius rei ſenſibilis, cui applicata ſunt merita Chriſti, cauſant, ſed etiam ſacramentalia ita cauſant intuitu rei ſenſibilis, cui applicata ſunt merita Eccleſiæ: ergo etiam ex opere operato.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia Sacramenta ſunt ſigna efficacia à Chriſto inſtituta, ad quorum poſitionem immediatè confertur gratia non ponenti obicem, & hoc ex ſpeciali promiſſione DEI; ſacramentalia verò non ſunt talia efficacia ſigna immediatè cauſativa remiſſionis, cùm Eccleſia non habeat authoritatem talia inſtituendi, & ideò præter impetrationem Eccleſiæ requiritur actus pœnitentiæ, ex vi quorum ſimul unitorum ſequitur remiſſio venialium.

18 Aſſero 3. *Remittuntur etiam peccata venialia poſt mortem quoad culpas, & quidem vel per actum aliquem meritorium, quem habuit juſtus in vita acceptatum à DEO ad remiſſionem venialium talis hominis ſtatim poſt mortem, vel per ſatispaſſionem aut ſolutionem totalis pœnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 1. §. *in iſta.* circa finem. quoad 2. & 3. partem contra Recentiores.

Probatur 1. pars: Matth. 12. dicitur: *Qui peccavit in Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Sed in hoc textu datur intelligi quaſdam culpas in futuro ſæculo poſſe relaxari ſcilicet veniales, ut loquuntur SS. Patres, præſertim D. Greg. lib. 4. Dial. ergo. Tum quia poteſt aliquis decedere ſine quacunque conſideratione ſuorum venialium, & per conſequens ſine ulla deteſtatione eorum, ut poteſt contingere in repentè occiſo, vel apoplexiâ tacto, ſed talis perpetuò non ſtabit in purgatorio, cùm ſit in gratia, & ideò ſalvandus, nec cum culpa veniali beatificabitur; quia nihil inquinatum intrabit regnum cœlorum: ergo poſt hanc vitam obtinebit remiſſionem venialium quoad culpas.

Probatur 2. pars: ad veniale delendum non requiritur neceſſariò diſplicentia formalis, ſed poteſt deleri per aliquem actum DEO magis gratum, quàm fuerit actus peccati diſplicens; ſed ita eſt, quòd DEUS aliquando per illa bona opera priùs non deleat venialia niſi poſt mortem: ergo in primo inſtanti poſt mortem delebitur veniale per acceptationem illorum operum à DEO ad hunc finem reſervatorum. Min. prob. cauſæ impedibilis, dum eſt impedita, non ponit effectum, dum verò non eſt impedita, ponit, ſed illa bona opera aliquando ſunt impedita in vita, ut ponerent effectum remiſſionis venialium ob obicem, ſcilicet continuatam uſque ad inſtans mortis complacentiam in veniali: ergo cum poſt mortem non poſſit ampliùs ponere obicem continuando peccatum, nam non ampliùs eſt in ſtatu merendi vel demerendi, tunc ſtatim remittentur venialia à DEO ob actus bonos, qui in vita præceſſerunt, & magis DEO placuerunt, quàm veniale diſplicuerit. 19

Probatur 3. pars: Culpa venialis habitualis conſiſtit in dignitate ad pœnam temporalem illi debitam; ſed poſt hanc vitam poteſt illa pœna totaliter, cùm ſit temporalis & finita, pati & ſuſtineri, ut non ampliùs ſit eâ digna: ergo per ſatispaſſionem remittentur venialia poſt mortem, ita ut non tantùm pœna ſit actualiter ſolùm inflicta & ſoluta ſine retractatione culpæ, uti de venialibus poſſe contingere in inferno cum impatientia & remurmuratione docuimus in Tract. de actibus humanis D. 7. q. 7. ſed etiam ut non ampliùs maneat dignitas ulla ad pœnam. Min. prob. tota remiſſio peccatorum pendet ex ordinatione DEI; ergo de facto facta ſolutione voluntaria & patienti pœnæ, ut fit in purgatorio, DEUS remittet culpam, non quaſi à ſemetipſa ceſſet culpa, ſed ita ut DEUS remittat eam licèt intuitu pœnæ juxta illud Scripturæ: *Quis eſt, qui peccata deleat, niſi ſolus DEUS?* 20

Objicies contra 1. partem: Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt, veniet nox, quando nemo poterit operari;* ſed per diem Patres intelligunt tempus vitæ præſentis, per noctem verò futuræ: ergo in futura vita non obtinebitur venia venialium, ſed ſemper in termino hujus vitæ. 21

Reſpondeo neg. conſeq. Quia ex textu ſolùm colligitur, quòd nemo poſſit operari meritoriè poſt hanc vitam pro ſuis venialibus dimittendis, non verò ſequitur, quòd abſolutè non remittantur in altera vita.

Dices: Sufficienter poſſunt venialia dici dimitti in termino continuativo vitæ & mortis: ergo non eſt neceſſe illa remitti poſt mortem.

Contra

Contra neg. antec. nam vel illud inſtans eſt intrinſecum vitæ aut intrinſecum morti, implicat enim eſſe intrinſecum utrique ſimul, cùm nequeat vita & mors, quæ ſunt contradictoria, ſimul eſſe in eodem inſtanti, ſed non poteſt eſſe intrinſecum vitæ, cùm enim anima adhuc pro illo inſtanti ſit in via, poſſet venialiter peccara & complacere: ergo cùm in eodem inſtanti non poſſit quis peccare, & ſimul peccatum retractare, aſſignandum erit ſequens tempus vel inſtans, quod eſt intrinſecum morti, & ideo extrinſecum vitæ, per conſequens jam alterius vitæ.

22 Objicies contra 2. partem: vel ille actus bonus, cujus præmium reſervatur, fuit elicitus ante paccatum veniale, vel poſt illud? ſi ante; ergo pro illo tunc præmiatus fuit præmio correſpondente, ſcilicet augmento gratiæ, cùm non videatur rationabile DEUM differre præmium de condigno promeritum ad inſtans mortis. Si poſt: ergo ſtatim intuitu talis actûs remitti debet peccatum commiſſum, cùm tunc jam intelligatur impedimentum ceſsâſſe, ſcilicet voluntas ampliùs peccandi.

Reſpondeo: utrumqua dici poteſt: vel ante v. g. ſi Martyr jam eſſet paratus ad mortem pro fide ſubeundam, & ante tempus Martyrii incidat in veniale, ac poſteà ex improviſo vel dormiens occidatur, tunc abſque ulla venialis illius retractatione ante mortem vel poſt mortem liberatur à culpa, quia ſtatim evolaret ad cœlum; ideò poteſt illa retractatio per aliud ſuppleri, ſcilicet per meritum præcedens, vel ab ipſo Martyre applicatum pro neceſſitatibus occurrentibus, præſertim mortis; ideò ſæpiſſimè homines pro felici hora mortis operantur meritoriè, vel à DEO ſic acceptatum abſque applicatione morientis, quod non eſt irrationabile. Vel etiam dici poteſt: illum actum bonum aliquandò elici poſt veniale, qui cum veniali permanente elicitur in termino vitæ, & ei præmium datur in inſtanti mortis, & ita non differtur præmium, nam non eſt verum: actum meritorium non poſſe elici cum voluntate peccandi venialiter, quia ſicut veniale ſtat cum gratia, ita etiam poteſt ſtara cum quocunque actu bono, qui ſit meritorius augmenti gratiæ, licèt non remiſſionis venialis, quod adhuc in actu complacentiæ perſeverare ſupponitur uſque ad inſtans mortis.

Objicies contra 3. partem: reatus culpæ non eſt reatus pœnæ: ergo nec ſolutio pœnæ aſt ſolutio culpæ: ergo culpa venialis non poteſt tolli poſt mortem per ſolutionem & ſatiſpaſſionem pœnæ, cùm ſic ſolùm deſtruatur reatus pœnæ, & non culpæ. 23

Reſpondeo transmittendo antec. diſting. conſeq. nec ſolutio pœnæ totalis debitæ eſt ſolutio culpæ, neg. ſolutio pœnæ ſolùm partialis, vel in minorem commutatæ, conc. conſeq. nam in noſtra ſententia culpa formaliter conſiſtit in obligatione ad totam pœnam temporalem culpæ commiſſæ condignam & æqualem, quæ remitti poteſt, vel per condonationem & commutationem illius totalis in minorem, ut fit in via, vel per ſolutionem illius totalis pœnæ & integræ, ut fit in purgatorio.

Dices: in via ſolutio pœnæ non eſt deletio culpæ: ergo neque in purgatorio. Antec. prob. quia dimiſſio culpæ eſt actus miſericordiæ, & voluntatis divinæ, ſolutio autem pœnæ eſt actus hominis, & juſtitiæ.

Contra poſſet neg. antec. ſi ſit ſolutio pœnæ totalis. Sed neg. etiam conſeq. quia diverſimodè deletur veniale in via & purgatorio; nam in via deletur per ſatisfactionem propriè dictam, quia ſumus in ſtatu merendi, ibi verò per ſolam ſatiſpaſſionem, & licèt ſolutio pœnæ ſit actus hominis, non tamen fit ſine beneficio & adjutorio DEI, & ideò dimiſſio culpæ non debet præcisè homini adſcribi pœnas illas ſufferenti, ſed principaliter DEO ita acceptanti.

DISTINCTIO VIII.

De reviviſcentia meritorum per pœnitentiam & peccatorum per novum peccatum.

QUÆSTIO UNICA.

An merita mortificata reviviſcant per pœnitentiam, & an etiam peccata per novum peccatum?

HÆc ſunt diſcuſſa Tom. 1. Tract. 3. D. 18. q. 1. & 2.

DE POENITENTIA UT SACRAMENTO.

DISTINCTIO IX.

De exiſtentia & eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, ejúſque partibus conſtitutivis, materiâ & formâ.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint partes eſſentiales conſtitutivæ eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ, & quid hoc Sacramentum importet in recto?

1 ADvertendum eſt 1. Diacuſsâ pœnitentiâ ut virtute, nunc ad pœnitentiam ut Sacramentum accedimus, per quod intelligimus aliquod ſignum ſenſibile per ſe inſtitutum à Chriſto ad abſolvendos baptizatoa à peccatia poſt baptiſmum commiſſis, de cujus exiſtentia conſtat ex fide & Conciliia, quod ſcilicet exiſtat Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum per illa verba Joan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. ut docet Scotus in 4. D. 2. q. 1. de eſſentia autem ejus magna eſt inter authores controverſia, quæ ſcilicet partes eſſentisliter componant Sacramentum pœnitentiæ; quæ tamen cootroverſia non eſt niſi de nomine & modo loquendi; nam omnes quoad rem requirunt ad faciendum Sacramentum pœnitentiæ confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem ex parte pœnitentis, & abſolutionem ex parte Sacerdotis, & ſine his perfici non poſſe, & ſolùm differunt in hoc, an omnes illæ partes debeant dici eſſentiales & intrinſecæ, vel aliquæ integrales ejus? Thomiſtæ aliqui voluerunt eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ formaliter conſiſtere in confeſſione, & abſolutionem eſſe complementum ejus. Scotus verò econtra vult eam formaliter conſiſtere in abſolotione, actus tamen pœnitentis neceſſariò requiri tanquam diſpoſitiones neceſſarias, ut docet in 4. D. 16. q. 1. & quidem ad eum modum, uti defactò loquitur Trid. Seſſ. 14. c. 3. tribuens præcipuam vim verbia: *ego te abſolvo* &c. & actus pœnitentis vocans quaſi materiam hujua Sacrsmenti; adeóque ut immeritò Scotus carpatur ab aliquibus adverſariia, quaſi minùa Catholicè ſed temerariè de Sacramento pœnitentiæ loquatur, cùm & ipſum Trid. ſic loquatur. Recentiores autem modò mediâ viâ incedunt requirentes pro eſſentiali hujus Sacramenti tam abſolutionem, quàm actus pœnitentis.

Advertendum eſt 2. in Sacramento pœnitentiæ, ſicut in quolibet alio Sacramento du- 2
plicem poſſe conſiderari compoſitionem, unam ex ſigno & ſignificatione, & dicitur Sacramentalis, fitque ex rebua & verbia tanquam ſubjecto & ſignificatione Sacramentalis gratiæ tanquam forma. Secunda verò habetur ex ipſa materis ſignificante cum ſua forma, & dicitur materialis, & fit ex rebus & verbis tanquam materia & forma, ac præſupponitur ad compoſitionem Sacramentalem; ex quibus oritur difficultas, cùm Sacramentum importet plurea partea, ſive omnes, ſive aliquas tantùm eſſentiales, quænam pars importetor in recto, vel in obliquo, vel an omnes æqualiter in recto? hoc eſt, an abſolutionem in recto, & actus pœnitentis in obliquo? qui actus pœnitentis communiter tres ſupponuntur: ſcilicet dolor ſupernaturalis, confeſſio, & ſatisfactio; cùm non videatur repugnare eſſe aliquam partem iotrinſecam & eſſentialem alicujus concreti, quæ tamen per illud non importetur in recto; nam ſatis notum eſt quodlibet concretum dicere formam cum ſubjecto, ita ut utrumque ſit pars intrinſeca concreti, licèt unum importetur in recto, alterum in obliquo, ſive illud ſit forma ſive ſubjectum juxta diverſas ſententisa suthorum: vel econtra. Hia itaque notatis:

Propoſitio 1. *datur exiſtentia pœnitentiæ ut Sacramenti.* Ratio eſt fides ex Scriptura 3
& Coocilíis advert. 1. cit. contra hæreticos. Tum quia ad rationem Sacramenti propriè dicti, duo potiſſimum requiruntur: ſcilicet ritus extrinſecus, ſeu Symbolum divinitus inſtitutum, & promiſſio gratiæ joſtificantis illi Symbolo annexa; ſed utrumque reperitur in pœnitentia: ergo. Mio. patet: promiſſio gratiæ eſt apertiſſima in illis verbis Chriſti: *quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis;* nam remittuntur peccata, cùm qoia joſtificatur. Signum etiam ſenſibile ex inſtitutione Chriſti efficaciter ſignificana abſolutionem hominis eſt clariſſimum ex iiſdem verbia Chriſti, qui Sacerdotibus conceſſit poteſtatem remittendi, quæ poteſtas utique per ſignum ſenſibile exercenda eſt, cùm homines corpore conſtent; & prætereà cùm nequeat abſolvi, qui ligatua non eſt, vel ſolvi non vult, dum ſcilicet paratum aoimum non habet, nec teſtatur ſe peccaſſe, aut peccatum ei diſplicere, ideò etiam ex parte pœnitentis ritus externus & ſignum ſenſibile intervenire debet, quô hanc animi diſpoſitionem judici Sacerdotali oſtendat.

Propoſitio 2. *Sacramentum pœnitentiæ* 4
bene definitur: quòd ſit abſolutio hominis pœnitentis

tentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote juriſdictionem habente ex inſtitutione divina efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccato. Ratio eſt ex Scoto in 4. D. 14. q. 4. quia hæc definitio explicat quidditatem ejus per omnes cauſas: nam particula abſolutio denotat formam ejus, quæ ſunt verba non ſimpliciter talia, ſed ut abſolutoria. Ly hominis pœnitentis indicat materiam, ſcilicet actus pœnitentis. Ly à Sacerdote juriſdictionem habente indigitat cauſam efficientem miniſterialem. Et ly ex divina inſtitutione cauſam efficientem principalem ſcilicet DEUM. Ly efficaciter ſignificantibus perhibet etiam formalem, & per ſe conceptum hujus Sacramenti, ſcilicet relationem ſigni ad ſignatum. Tandem ly abſolutionem animæ à peccato monſtrat cauſam finalem & proximam hujus Sacramenti: ergo. Imò etiam præfata definitio eſt per genus & differentiam: nam abſolutio eſt quid commune pertinens ad quemcunque judicem in ſuo foro, & ideò eſt genus; reliquæ verò particulæ ſunt differentiæ: nam hominis pœnitentis ratio illam contrahit ad forum internum ad differentiam abſolutionis factæ in judicio humano, in quo attenditur non pœnitentia ſed innocentia, & per reliquas particulas conditiones judicis manifeſtantur.

5 Propoſitio 3. *Sacramentum pœnitentiæ pro formali & metaphyſicè ſeu in ratione ſigni acceptum eſt unum per ſe, pro materiali verò & formali ac pro fundamento ſigni ſumptum eſt unum per accidens.* Ratio primi eſt: illud eſt per ſe unum, quod conſtat ex per ſe actu, & per ſe potentia, ut patet ex philoſophia; ſed Sacramentum pœnitentiæ pro formali acceptum conſtat ex per ſe actu & potentia, ſcilicet ex relatione ſigni ut ſic, & ratione talis ſigni ſpecifici, ſcilicet gratiæ remittentis peccata poſt baptiſmum commiſſa: ergo eſt ens per ſe unum. Ratio ſecundi eſt: quia nulla relatio cum fundamento ſive ſubſtantiali ſive accidentali facit unum per ſe, ſed ſolùm per accidens; ſed tale eſt Sacramentum pœnitentiæ pro materiali & formali acceptum: ergo. Maj. patet; quia ens unum per accidens eſt id, quod ex diverſorum generum rebus componitur; ſed Sacramentum pœnitentiæ ut relatio pro formali, & ut res & verba pro materiali ſunt res diverſorum generum: ergo. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Non ſolùm abſolutio à legitimo miniſtro facta, ſed etiam actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſſio in re, & ſatisfactio in voto ſunt partes eſſentiales hujus Sacramenti pœnitentiæ pro aggregato ſumpti, ità ut abſolutio ſit forma, actus verò pœnitentis ſint quaſi materia.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 4. §. *ſed hic tria.* eſtque contra multos Scotiſtas & aliquos Thomiſtas.

Probatur 1. pars: tum quia Trid. Seſſ. 14. c. 3. dicit: vim hujus Sacramenti præcipuè in illis verbis formæ ſitam eſſe: *ego te abſolvo* &c. cùm abſolutio ſit id, quod potiſſimè operatur remiſſionem peccatorum: ergo eſt pars eſſentialis & potiſſima hujus Sacramenti. Tum quia poſitis omnibus deficiente ſola abſolutione non datur Sacramentum pœnitentiæ: ergo eſt pars ejus intrinſeca. Tum quia forma eſt pars præcipua compoſiti; ſed abſolutio eſt forma hujus Sacramenti ex Trid. cit. ergo.

Probatur 2. pars: tum quia Scotus cit. definit Sacramentum pœnitentiæ: quòd ſit abſolutio non ſimpliciter, ſed hominis pœnitentis: ergo hoc Sacramentum etiam eſſentialiter includit actus pœnitentis. Conſeq. patet; quia Sacramentum hoc ex præfata definitione non conſiſtit in ſola ſententia aut abſolutione judicis, cùm non quæcunque abſolutio ſufficiat ad remittenda peccata, ſed abſolutio peccati per Confeſſionem doloroſam explicati; ſed in hac includitur Confeſſio, & dolor tanquam partes intrinſecæ Sacramenti: ergo. Min. prob. abſolutio peccati doloroſè explicati quà talis formaliter conſtituitur ab ipſa confeſſione & dolore præcedente, cùm ab his habeat, quòd formaliter talis denominetur: ergo. Tum quia Trid. cit. vocat actus pœnitentis partes & quaſi materiam, & non diſpoſitiones aut circumſtantias pœnitentiæ: ergo potiori jure debent dici partes eſſentiales, & intrinſecæ, quàm integrales & extrinſecæ. Tum quia illa pars eſt eſſentialis, qua deficiente, licèt cætera ponantur, non ponitur Sacramentum pœnitentiæ, ſed poſitis omnibus aliis, & deficientibus ſolis actibus pœnitentis non ponitur Sacramentum pœnitentiæ: ergo. Tum quia abſolutionis forma eſt vera forma & ratio determinans ac informans in genere moris: ergo debet ei correſpondere aliquod determinabile & informabile, cùm ſint correlativa; ſed nil aliud tale eſt aſſignabile, quàm actus pœnitentis: ergo ſi non ſolùm forma, ſed etiam materia ſit de eſſentia compoſiti, etiam actus pœnitentis ſunt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, & ideò non tam abſolutio quàm Confeſſio doloroſa ſignificat peccata eſſe remittenda, ita ut utrumque ſit à Chriſto Domino ad hoc inſtitutum.

Probatur 3. pars: Confeſſio ſenſibilis ab omnibus dicitur materia hujus Sacramenti; ſed per confeſſionem intelligitur confeſſio doloroſa, quæ fit per peccatorum deteſtationem, ſeu dolorem ſenſibilem: ergo confeſſio & contritio in re, cùm aliàs non ſit ſenſibilis, ſunt partes pœnitentiæ. Min. patet: quia confeſſio ſine dolore non habet veram rationem accuſationis ſui, ſed eſſet ſolùm quædam hiſtoriæ narratio, & licèt contritio non ſit in ſe ſenſibilis, utpotè actus ſpiritualis, fit tamen ſenſibilis per confeſſionem externam, ſicut anima ſecundùm ſe non apparet, ſed per externam

corporis motionem. Vel ſicut Scotus admittit: corpus Chriſti eſſe partem eſſentialem Sacramenti Euchariſtiæ, non obſtante, quòd in ſe non ſit ſenſibile, ſed ſolùm per ſpecies conſecratas, quod ſufficiet ad Sacramenti eſſentiam conſtituendam.

9 Probatur 4. pars: abſolutio judicialis dicit eſſentialiter accuſationem delicti cum propoſito exequendi pœnam à judice infligendam, ac ipſam judicis ſententiam: ergo ſatisfactio per pœnam in voto eſt eſſentialiter neceſſaria, ita, ut ſi peccator tale propoſitum non haberet ſaltem implicitè, ſed haberet voluntatem contrariam vel negativam, nullatenus ſcilicèt ſatisfaciendi, Sacramentum pœnitentiæ non conficeretur, cùm aliàs nec poſſet eſſe bene contritus vel attritus, & videatur quaſi tacitè permanere in complacentia culpæ, ſi nihil vellet ſatisfacere: ergo.

10 Probatur 5. pars ex ratione ultima in proba 2. poſita, & ex Trid. proba 1. cit.

Addo tamen: ſatisfactionem in re non eſſe partem eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ, ſed ſolùm integralem. Ratio primi eſt: quia eſſentia Sacramenti perfecta habetur cum ſuo effectu ante executionem ſatisfactionis injunctæ: ergo non poteſt eſſe ejus pars eſſentialis, cùm adhuc permaneat Sacramentum, licèt aliquandò ex negligentia, vel alia impotentia non adimpleatur. Hinc Scotus in 4. D. 16. q. 1. §. *hic intelligendum*. inquit: *hæc tria* contritio, confeſſio, & ſatiſfactio *ad Sacramentum pœnitentiæ, ad hoc ut dignè recipiatur, requiruntur vel prævia vel ſequentia - - - ſatisfactio enim debet ſequi Sacramentum pœnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam; & hoc in re, vel in voto*. intellige explicito. Ratio ſecundi eſt: quia licèt ſatisfactio in re ad primarium effectum ſcilicet remiſſionem peccatorum non ſit neceſſaria, conducit tamen ad effectum ſecundarium, ſcilicet remiſſionem pœnæ temporalis: ergo ſatisfactio in re ſaltem debet dici pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. Conſeq. patet: quia licèt ſine ea eſſentialiter ſubſiſtat Sacramentum, eſt tamen veluti mutilum, cùm Sacramentum pœnitentiæ non ſolùm ſit ſignum, & cauſa remiſſionis peccati, ſed etiam pœnæ relictæ ex peccato cum hoc diſcrimine, quòd primariò conſtituatur per relationem ſi-
8 gni practicè ſignificantis remiſſionem peccati, & ſecundariò remiſſionem pœnæ temporalis, & ſic ſine ſatisfactione veluti mutilum maneret Sacramentum pœnitentiæ, & non omnino integrum, ſicut homo non eſſet integer abſciſſâ manu, licèt ſit eſſentialiter talis.

Ex ratione 1. hujus additionis conjice, quàm juſtè fuerit Conſtitutione *unigenitus*, Clementis XI. percuſſa prop. illa Queſnelli communiſſimam & antiquiſſimam Eccleſiæ in ſacro pœnitentiæ Tribunali hucusque exercitam praxim invadens, ordine 87. *modus plenus ſapientiâ, lumine, & charitate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ DEI, antequam reconcilientur*. Hujus impoſturæ etiam alia eſt ejus immediatè ſequens prop. 88. vide earum refutationem ampliorem in noſtris Nubilis Janſeniſmi contra illas ſpecialiter typo datis.

Objicies contra 1. partem: Sacramentum pœnitentiæ eſt formaliter pœnitentia; ſed pœnitentia formaliter in actibus pœnitentiæ conſiſtit: ergo non in abſolutione, quæ ſolùm à Sacerdotibus impenditur, & complet pœnitentiam. 11

Reſpondeo diſting. maj. eſt pœnitentia ſimpliciter in ſe ſiſtens ſumpta, neg. eſt pœnitentia ſubordinata ad abſolutionem judicis Sacerdotalis, conc. maj. diſting. min. & neg. conſeq. nam conſtat etiam interdum Sacramenti nomen ab aliqua ejus parte deſumi: ſic baptiſmus à ſola ablutione, quæ eſt materia, ſic etiam extrema unctio à ſola materia nominatur: imò ſæpè etiam dicitur Sacramentum abſolutionis à forma, vel Confeſſionis à notiori parte materiæ, & reconciliationis à ſuo effectu.

Objicies contra 2. partem: Scotus in 4. D. 16. q. 1. §. *hic intelligendum*, circa medium expreſsè negat actus pœnitentis eſſe ullo modo hujus Sacramenti partes. Et inquirens ejus eſſentiam dicit: *eam eſſe abſolutionem*; cæterùm verò actus pœnitentis dicit *eſſe prævia vel ſequentia*: ergo in via Scoti actus pœnitentis nequeunt pertinere ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. 12

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus ibi ſolùm loquitur de Sacramento ſecundùm id, quod importat in recto, uti diximus aſſert. ſequenti, quò pactò utique in ſola abſolutione conſiſtit, ita ut actus pœnitentis non ſint partes hujus Sacramenti ſecundùm id, quod importat in recto, bene tamen ſecundùm id, quod ſimul importat in obliquo, cùm etiam loco cit. dicat: contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe ſimpliciter neceſſarias ad Sacramentum pœnitentiæ perficiendum; unde ibi ſolùm inquiſivit ejus eſſentiam, vel definitionem ſecundùm id, quod importat in recto: nam ſecundùm id, quod importat adæquatè & totaliter ſumptum, ſatis indigitat loco cit. in aſſert. etiam actus pœnitentis eſſentialiter importare, dum illud definit dicens: *eſſe abſolutionem hominis pœnitentis*: cum quo tamen ſtare poteſt, quòd aliqua ad illud, quod importatur in recto, poſſint eſſe prævia, vel ſequentia, quia quodlibet Sacramentum in fieri conſiſtens habet quædam antecedentia & ſequentia, ut patet de baptiſmo, Euchariſtia &c. dummodò aliquam conjunctionem moralem dicant, ut videmus in matrimonio, ubi conſenſus unius ſponſi multo tempore poteſt præcedere conſenſum alterius, cùm Sacramenta

menta ſint ſolùm compoſita moralis artificialia, non verò naturalia permanentia & per ſe.

Dices: repugnat duas eſſe partes alicujus compoſiti eſſentialis, quarum una ſit in recto, altera in obliquo: nam quod eſt in obliquo, non pertinet ad eſſentiam rei, ſed ſolùm eſt additamentum: ergo ſi actus pœnitentis Scotus non agnoſcat eſſe in recto de pœnitentia, nec etiam poteſt agnoſcere ut eſſentiales; quia quidquid eſt eſſentiale, debet importari in recto, ſicut animale & rationale, utrumque importat homo in recto ut partes ſuas eſſentiales.

Contra diſting. antec. repugnat alicujus compoſiti ut entis per ſe unius & metaphyſicè ſumpti habere duas partes, unam in recto, alteram in obliquo, conc. repugnat alicujus compoſiti per accidens & moralis ita habere partes eſſentiales, neg. antec. diſparitas verò eſt: quia ens per ſe metaphyſicè unum componitur ex rebus ad idem genus pertinentibus, ideò veram & propriam unam habet eſſentiam, & non plures, atque ideò partes ejus eſſentiales poſſunt importari in recto; aſt compoſitum per accidens non habet tam rigoroſam eſſentiæ unitatem, cùm componatur ex rebus diverſorum generum, ita poteſt habere partes ejus eſſentiam conſtituentes, ut una in recto, altera in obliquo importetur, ut patet in concretis accidentalibus v. g. albo; ubi albedo importatur in recto, & paries in obliquo, & tamen tam albedo quàm ſubjectum eſt pars intrinſeca conſtituens album.

Dices: Trid. Seſſ. 14. c. 3. vult efficaciam Sacramenti pœnitentiæ potiſſimum conſiſtere in abſolutione; ideò actus pœnitentis vocat ſolùm quaſi materiam, quæ eſt particula diſtrahens illos à materia propria tanquàm parte eſſentiali: ergo.

Contra neg. conſeq. quia per hoc, quod Concilium dicat in abſolutione præcipuè vim Sacramenti conſiſtere, non negat, ſed potiùs indicat etiam in aliis licèt minùs præcipuè illam conſiſtere. Vocat autem actus pœnitentis quaſi materiam, ideò, quia in aliis Sacramentis materia eſt aliquod ſenſibile & tangibile corpus, ut de ſe patet, in Sacramento verò pœnitentiæ non eſt talis materia corporea, ſed ſolùm humana locutio; vel ideò cum tali limitatione loquitur, quia ibi cum confeſſione etiam contritionem & ſatisfactionem conjungit, ſatisfactio autem in re non eſt propria materia, & contritio ſolùm mediante confeſſione ſenſibili.

Dices: Sacramentum pœnitentiæ eſſentialiter conſiſtit in ſententia & abſolutione judicia; ſed actus pœnitentis non poſſunt eſſe partes abſolutionis: ergo.

Contra neg. maj. quia non quælibet abſolutio ſufficit ad remittenda peccata, ſed debet eſſe abſolutio doloroſè confitentis, quæ formaliter habetur & denominetur per actus pœnitentis, uti diximus in proba 2. aſſert. præſentis; unde licèt actus pœnitentis non ſint partes abſolutionis, ſunt tamen partes ipſius aggregati ex abſolutione & actibus pœnitentis, quod eſt proximum & adæquatum ſignum ſignificationis ſacramentalis ſcilicet gratiæ peccati remiſſivæ.

Dices: Hoc Sacramentum eſt judiciale: ergo in ſolo judicio conſiſtit. Conſeq. prob. quia ſolum judicium liberat reum, non autem accuſatio, quæ potiùs damnat.

Contra neg. conſeq. quia licèt principaliter conſiſtat in judicio, adhuc tamen etiam conſiſtit in accuſatione, cùm etiam ſola forma ſcilicet abſolutio ſine actu & confeſſione rei nihil faciat, nec poſſit eſſe abſolutio ſine eo, à quo abſolvitur, & ſic pœnitens in hoc judicio reconciliativo etiam ſe diſpoſitivè & meritoriè liberat, & non ſolùm damnat; quia Chriſtus non ſolùm abſolutionem, ſed etiam actus pœnitentis inſtituit, ut abſolutio ſacramentaliter operetur, licèt magis principaliter illum liberet ſacerdos.

Dices: Si etiam pœnitentis actus operarentur ſacramentaliter cauſando gratiam partialiter, tunc eam efficerent ex opere operato, cùm talis ſit modus cauſandi ſacramentorum; ſed hoc nequit dici, cùm actus pœnitentis ſolùm concurrant per modum diſpoſitionis & meriti de congruo, ut dicitur in materia de juſtificatione, quod eſt ex opere operantis: ergo.

Contra diſting. maj. Si actus pœnitentis cauſarent, prout ſunt præcisè ab ipſo pœnitente procedentes, cauſarent ex opere operato, neg. ſi cauſant prout ulterius ſubjiciuntur poteſtati clavium, conc. maj. diſting. min. ſed hoc nequit dici de actibus pœnitentis primo modo ſumptis, conc. ſecundo modo ſumptis, neg. min. & conſeq. nam primo modo omnino ſolùm operantur ex opere operantis, ſecundo verò modo etiam ex opere operato, quatenus ſimul cum abſolutione Sacerdotis ſunt à DEO aſſumpti & inſtituti in partem cauſæ moralis ipſius gratiæ. Hoc eſt idem dicere cum Suarez: actus pœnitentis non ſecundùm ſe conſideratos cauſare ex opere operato, ſed prout elevantur à ſacerdote per poteſtatem clavium, ad hoc, ut ſint partes Sacramenti.

Dices: ergo etiam pœnitens ſibi conferret Sacramentum, ubi tamen ſolus Sacerdos dicitur conferre Sacramentum, cùm ipſe ſolus ſit miniſter, & non niſi per abſolutionem.

Contra neg. illatum: Nam omnino ſolus Sacerdos dicitur propriè conferre Sacramentum, non quòd quoad omnes partes illud conferat, ſed quoad principalem, ut eſt abſolutio, cum morali unione quoad alias partes, qui autem confert præcipuam partem cum illa unione ad alias, totum dicitur formaliter attingere, & producere, ut patet in naturalibus, quæ dicuntur totum compoſitum pro-

ducere, licèt materiam non attingant, dummodò attingant formam materiæ unitam; imò ideò ſolus Sacerdos dicitur hujus Sacramenti miniſter, quia confeſſio, quatenus ſe tenet ex parte pœnitentis, ſolùm præſtat efficaciam Sacramenti, prout ſubeſt abſolutioni, & clavibus Sacerdotis, quæ poteſtas eſt data à Chriſto Sacerdotibus, non ipſis confitentibus.

Dices: Ex eo, quòd objectum ſcientiæ dicatur materia ejus, non ſtatim eſt materia *ex qua* & intrinſeca pars, ſed tantùm *circa quam*: ergo etiam licèt actus pœnitentis dicantur materia Sacramenti pœnitentiæ, non ſequitur eſſe materiam *ex qua*, & partem intrinſecam, ſed ſolùm *circa quam* tanquàm objectum abſolutionis.

Contra neg. conſeq. quia etiam ipſi adverſarii, dum de materiis aliorum Sacramentorum diſcurrunt, non intelligunt de materia *circa quam*, ſed de materia *ex qua* & parte intrinſeca compoſitionis, ita etiam bene poſſunt hoc ita intelligere in præſenti Sacramento pœnitentiæ, nam materia *circa quam* hujus Sacramenti commodiùs aſſignantur ipſa peccata, quia hæc materia ſemper dicit ordinem ad aliquam actionem vel motum, ut patet de omni actu vitali, nam objectum vel ſubjectum, de quo eſt operatio, dicitur materia *circa quam* talis actûs ſeu operationis, & circa peccata tam actus pœnitentis quàm Sacerdotis operantur, ideò illa melius ſunt materia *circa quam*, actus verò pœnitentis non ſunt propriè objectum Sacerdotis, ſed ſola materia, ex qua componitur legitima Sacerdotis abſolutio.

Dices: In aliis Sacramentis actus recipientis non ſunt pars Sacramenti v. g. in ordinatione acceptio libri, ſed ſolùm traditio, quatenus ſe tenet ex parte Epiſcopi: ergo nec in Sacramento pœnitentiæ.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt ex DEO inſtituente, qui voluit in Sacramento pœnitentiæ concurrere actus pœnitentis ut partem Sacramenti, & non in aliis Sacramentis, ut in baptiſmo, ubi diſpoſitiones hominis baptizandi non dicuntur conſtitutiva baptiſmi; hinc aliter Chriſtus requirit contritionem ad baptiſmum adulti, quàm ad pœnitentiam, cùm judicium verè non poſſit in ſua natura conſiſtere ſine confeſſione ipſius rei, vel delatione alicujus delicti.

13 Objicies contra 4. partem: Satisfactio ſequitur Sacramentum jam in ſuo eſſe eſſentialiter conſtitutum: ergo non poteſt etiam eſſe pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ.

Reſpondeo diſting. antec. Satisfactio reipſa exhibita, ſeu ejus executio ſequitur Sacramentum in ſuo eſſe eſſe conſtitutum, conc. ſatisfactio in voto ſeu propoſitum ſaltem implicitum ſatisfaciendi, neg. antec. imò nec verum eſt ſemper materiam debere præſupponi formæ præſertim morali, ut patet in baptiſmo, qui validè poteſt adminiſtrari, dum forma baptiſmi profertur, & dein ſtatim ablutio fit.

Dices: Fructus non poteſt eſſe pars ejus, cujus eſt fructus; ſic pomum non poteſt eſſe pars arboris, cùm fructus ſit ultimum, quod exſpectatur ab arbore, quale ultimum non poteſt eſſe aliqua pars; ſed ſatisfactio eſt fructus pœnitentiæ juxta illud Matth. *facite dignos fructus pœnitentiæ*: ergo.

Contra diſting. min. Satisfactio in re per opus externum & laborioſum & fructus juxta illud Matth. 1. conc. ſatisfactio in voto, neg. min. unde concedo illud opus externum, laborioſum & ſatisfactorium non eſſe partem pœnitentiæ, bene tamen ejus votum, quod antecedit.

Dices: Etiam Scotus in aſſert. cit. dicit, *ſatisfactionem in voto debere ſequi Sacramentum pœnitentiæ*: ergo non poteſt eſſe ejus pars eſſentialis.

Contra neg. conſeq. quia Scotus ibi loquitur de voto talis ſatisfactionis, quæ injuncta à ſacerdote aliquando ex diverſis impedimentis adimpleri non poteſt; in quo caſu debet habere voluntatem, & votum implendi illam ceſſante impedimento, & hanc voluntatem intendit ibi Scotus per votum ſubſequens, non verò illam voluntatem & propoſitum ſe ſubjiciendi judici cum propoſito ipſius pœnam injungendam exequendi.

Aſſero 2. *Sacramentum pœnitentiæ pro aggregato ſumptum importat in recto abſolutionem, in obliquo verò actus pœnitentis.* Eſt Scoti cit. aſſert. priori, & in 4. D. 16. q. 9. §. *hic intelligendum* circa finem. Eſtque contra Vaſquez, Sotum, & alios. 14

Probatur 1. pars: illud ſignificatur in recto ab aliquo concreto, quod eſt ejus pars principalis; ſed in Sacramento pœnitentiæ hoc eſt abſolutio: ergo. Maj. patet: quia quò magis aliquid eſt explicativum eſſentiæ, eò magis pertinet ad eam; ſed principalia magis ſunt explicativa. Min. prima patet, tum ex Trid. docente: vim hujus Sacramenti præcipuè conſiſtere in forma: tum quia Sacramentum pœnitentiæ poteſt ſine formali actu pœnitentis v. g. ſine formali confeſſione, & cum ſolo voto, & ſignis externis, & etiam ſine formali deteſtatione, ſed ſolùm cum virtuali, ut dilectione DEI, conſiſtere, non verò unquam ſine formali abſolutione: ergo hæc eſt pars principaliſſima.

Probatur 2. pars: Tum quia importari in obliquo eſt, aggregatum non poſſe intelligi, niſi ad ejus intellectionem tanquam connotati; ſed ita ſe habent actus pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ: ergo. Maj. patet ex dialecticâ. Min. ex dictis: quia nequit haberi conceptus quidditativus judicii, niſi ſupponatur accuſatio rei: ergo cum Sacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum judicii, con- 15

connotat obliquà actus pœnitentis ex inſtitutiona Chriſti requiſitos. Tum quia abſolutio & actue pœnitentie non poſſuot æquè primò in recto importari: ergo actus pœnitentie ſolùm in obliquo importantur. Antec. prob. nullum compoſitum accidentale poteſt æquè primò importare utramqua partem, ſcilicet ſubjectum & formem, cùm non ſint unum per ſe logicè & metaphyſicè: ergo unam priocipaliter lo recto, & alteram minùa principaliter & in obliquo; ſed pœnitentia eſt compoſitum accidentale, & unum per accidene ex rebus & verbie: ergo.

16 Objiciee: Illud importatur in recto ab aliquo concreto, quod vi nominie datur intelligi; ſed vi nominis pœnitentiæ non datur intelligi abſolutio; quia abſolutio non eſt pœnitentia, ſed ſolùm actue pœnitentis, cùm ſolus pœnitene dicatur ponere pœnitentiam: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. Quando illud nomen eſt derivetum à tota rei eſſentia, vel principaliori ejus perte, conc. quando ſolùm eſt derivetum à parte magis nota, ſed minùa priocipali, neg. maj. nam nomina Sacramentorum à variis rationibus interdum deſumuntur: ſic baptiſmus à ſola eblutione ut materia, ſed perte magie notâ. Sic ordo à ſuo effectu qui dicitur ordo, & non ab actione ordinandi. Vide, quæ diximus ad object. 1. in aſſert. priori.

Dices: Sicut Scotus definit Sacramentum pœnitentiæ per abſolutionem ita alii per confeſſionem legitimam abſolutione judicis firmatam: ergo etiam tam benè actue pœnitentie importantur in recto quàm abſolutio.

Contra diſting. antec. ita alii definiuot per confeſſionem æquè benè & exactè ſicut Scotus, neg. definiunt minùs benè, trens. antec. nam certè ſi non per omnia ex æquo importata poteſt res definiri, eò, quia eſt aliquod totum per accidene, debet definiri per illud prædicatum, quod eſt principaliùs, & ſine quo ſemper formaliter ſumpto eſſentia talia definiti nullo modo poteſt conſiſtere, talis autem eſt ſola abſolutio in propoſito, ut patet ex proba 1. hujus aſſert.

Dices: Hoc Sacramentum eſt à Chriſto inſtitutum per modum judicii; ſed judicium humanum utrumque in recto importat, ſcilicet ſententiam & accuſationem, confeſſionem, & examen: ergo.

Contra neg. min. nam licèt judicium humanum ex utriſque iotrinſecè & eſſentialiter conſtet, non tamen utrumque æquè primò importat, nam principaliùs importat ſententiam judicis, actue verò judiciales ſolùm in obliquo & minùs principaliter.

QUÆSTIO II.

De materia Sacramenti pœnitentiæ, præſertim, an, & quomodo peccata jam dimiſſa poſſint eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ fructuoſi tam ad effectum gratiæ, quàm remiſſionis pœnæ?

ADvertendum eſt 1. ſupponendum eſſe de Sacramentis in genere, duplicem eſſe materiam Sacramentorum, ſcilicet remotam & proximam: remota eſt illa, circa quam verſatur ipſa materia proxima; ſic in baptiemo aque dicitur materia remóta, quia circe illam verſatur materia proxima; quæ eſt ablutio. Sic in extrema unctione eſt oleum benedictum, quia circa illud verſatur unctio. Præterea alia dicitur materia ex qua, & alia circà quam: prima eſt quæcunque res concurrens ad cooſtitutionem alterius rei per modum ſubjecti, ut lignum reſpectu ſtatuæ, quia ex eo & forma res conſtat, & componitur. Materia circà quam verò dicitur propriè in ordine ad aliquam potentiam vel actum, eſtque omnis res, quæ poteſt eſſe objectum alicujus potentiæ vel actûs; unde exſurgunt quædam difficultates, quomodonam peccata ſint materia pœnitentiæ, & an etiam, & quomodo peccata ſemal dimiſſa poſſint eſſe ejus materia, pro quibus: 1

Advertendum eſt 2. ex Scoto in 4. D. 19. q. 1. §. *ad quæſt. motam.* cartum eſſe Sacerdotem vi clavium in Sacramento pœnitentiæ poſſe remittere pœnam temporalem, in quam à DEO fuit commutata æterna per ſatisfactiones impoſitas; an autem talis ſatisfactio à Confeſſario impoſita ſit ſufficiens ad remittendam totam pœnam temporalem, ita, ut nihil ampliùs remaneat pœnitenti luendum in purgetorio, id hoc modo probabiliter decidit Scotus, ſcilicet: quòd juſtitia punitiva, quæ eſt commutative pœnæ pro culpe, non reſpiciat neceſſariò gradum indiviſibilem pœnæ à DEO ordinatum, & correſpondentem huic culpæ, ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam minor non ſufficit, & ultra quam major non eſt imponenda, & extra illam totam latitudinem clavis ultra vel citra ligans errat; intrà talem verò latitudinem non errat, & ideò Confeſſarii arbitrium attentâ gravitate peccati prudenter arbitrane hanc pœnam eſſe juſtam & proportionatam in tantùm ratificatur, quòd, quidquid imponitur intrà talem latitudinem, hic oporteat impleri, & ſi non adimpletur, reſiduum in purgatorio debeat impleri; ex quo ſequitur; ſi ergo Confeſſariue juxta dictamen rationie & legem DEI noſcat, & tangat medium intra illam latitudinem, & talem pœnam æqualem culpæ imponat, quòd tunc valeat ad ſolvendam totam pœnam temporalem, 2

ſecus

ſecus autem eſſet, ſi aliquam minorem pœnam intrà illam latitudinem imponat.

3 Advertendum eſt 3. ex prædictis nunc moveri quæſtionem à Scoto cit. §. *ad argumenta.* quæ argumenta ſpectant ad Diſt. 18. an iterata confeſſio eorundem peccatorum vi clavium plus & plus de pœna ſcilicet temporali remittat, cujus quæſtionis ſenſus non poteſt eſſe de pœnâ ejusdem peccati per æqualem ſatisfactionem impoſitam totaliter deletâ, ut vult Hiquæus: nam quamvis hoc nuda litera Scoti videatur quoque inſinuare, præſertim per illa verba: *non dico, quòd ſit illicitum aut impoſſibile* &c. ubi mihi potiùs videtur loqui de culpa ſemel remiſſa, aut omnino de pœna totaliter remiſſa, ſenſus tamen Scoti in prioribus lineis etiam debet eſſe de aliqua pœna ex priori abſolutione relicta, ut propriè ſua ſententia, quam judicat probabiliorem, contradicat priori aliorum, quam etiam judicat probabilem, & eſt de aliqua pœna remanente; aliàs enim de tali remiſſione totali in ſecunda confeſſione eodem modo omnino diſcurrendum eſt, ſicut de remiſſione culpæ per ſecundam abſolutionem, de qua in aſſert. 2. parte prima & additamento 1. diſſeremus, & nec bene quæreretur, an vi clavium ſpecialiter, ut loquitur Scotus, poſſit per ſecundam abſolutionem remitti? Nam ſi totaliter eſt deleta, ut nihil remaneat, nec etiam poſſet per actus ex parte pœnitentis ſatisfactorios remitti, quòd tamen ſupponit Scotus, ut dicit Maſtrius in locum Scoti hic citatum; adeóque ſenſus eſſe debet de aliqua pœna remanente. v. g. habet peccator peccatum, cui debet correſpondere pœna temporalis per duodecim vel decem annos, & Confeſſarius injungit rectè decem Pater noſter, ut pro quolibet anno per unum Pater noſter ſatisfiat, & eveniat, quòd pœnitens non omnia Pater noſter, vel non plenè & perfectè cum requiſita devotione perfecerit, ita ut remaneant adhuc tres vel quatuor anni, qui juxta arbitrium deciſivum primæ confeſſionis neceſſariò debent adimpleri, quæri poteſt: an ſi in ſecunda confeſſione eadem peccata confiteantur? An vi clavis ſecundæ confeſſionis illi anni poſſint deleri, ita ut nihil ampliùs habeat adimplere ex priori confeſſione? Et in hoc ſenſu videbitur, quomodo ſententia Scoti ſit media inter illam, quæ negat peccata ſemel confeſſa eſſe materiam validam & licitam Sacramenti, & inter illam, quæ concedit eſſe validam & licitam materiam, & inſuper hoc Sacramentum conferre novos effectus gratiæ & remiſſionis pœnarum, ſicut primum, ubi tamen Scotus hoc ſecundum Sacramentum circa eadem peccata ſolùm concedit eſſe fructuoſum, quantùm ad effectum gratiæ, non verò quoad remiſſionem pœnæ temporalis, quæ ſolvenda remanſerat poſt primam confeſſionem. His notatis:

4 Propoſitio 1. *Materia remota Sacramenti pœnitentiæ ſunt peccata actualia, ſed ſolùm poſt baptiſmum commiſſa.* Ratio primi eſt: tum quia illa eſt materia remota, circà quam verſatur proxima; ſed materia proxima Sacramenti pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, qui verſantur circa ſua peccata deſtruenda: ergo. Min. patebit ex aſſert. 1. tum quia materia remota alicujus judicii ſunt crimina delinquentis emendanda; ſed Sacramentum pœnitentiæ eſt per modum judicii emendativi inſtitutum: ergo. Ratio ſecundi eſt: quia judicis ſententia non poteſt validè ferri, niſi circà ea, in quæ juriſdictionem habet; ſed Sacerdos ſolùm habet juriſdictionem in eos, qui ad Eccleſiam per januam baptiſmi ſunt ingreſſi: ergo pœnitentiæ Sacramentum ſolùm poteſt verſari circa peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa; unde originale & actualia ante baptiſmum commiſſa tolluntur per Sacramentum baptiſmi. Min. verò patet ex Apoſt. 1. ad Corinth. 5. *quid mihi de iis, qui foris ſunt.*

Nec dicas: Materia remota eſt etiam pars conſtitutiva illius, cujus eſt materia, ſic in compoſito naturali animato non ſolùm corpus, ſed etiam materia prima dicitur illud conſtituere; ſic in compoſito artificiali v. g. oratione non ſolùm dictiones, ſed etiam ſyllabæ dicuntur illud conſtituere, quæ ſunt materia remota, ſic etiam eſt in aliis Sacramentis; ſed ipſa peccata non conſtituunt Sacramentum pœnitentiæ: ergo non poſſunt eſſe materia ejus remota.

Reſpondeo diſting. maj. materia remota *ex qua* eſt etiam conſtitutiva compoſiti, conc. materia remota *circa quam*, neg. conc. min. neg. conſeq. & diſparitas eſt: quia hoc Sacramentum pœnitentiæ quoad omnes ejus partes conſtat actibus humanis tam ex parte pœnitentis quàm miniſtri, ideò opus eſt, ut illis detur objectum, circà quod verſentur actus, & ſic meliùs dicitur pœnitentiam habere materiam remotam, quæ eſt *circa quam*, ſicut medicina circa vulnera; alia autem Sacramenta potiùs conſiſtunt in applicatione certæ materiæ non in actu, ſed entitate rei conſiſtentis.

Propoſitio 2. *Peccata actualia poſt baptiſmum commiſſa mortalia ſunt materia neceſſaria, venialia verò materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ.* Ratio primi eſt: quia Sacramentum pœnitentiæ ex SS. Patribus eſt neceſſaria ſecunda tabula poſt naufragium; ſed ſola peccata mortalia inducunt naufragium: ergo hæc ſola ſunt materia neceſſaria, & quidem etiam mortalia jam per contritionem remiſſa, cùm in hac lege non niſi in voto Sacramenti dicantur remitti. Ratio ſecundi eſt: quia licèt peccata venialia ſint vera peccata, circà quæ poſſint actus pœnitentis tanquam materia proxima verſari, poſſunt tamen ex Trid. in confeſſione omitti ſine peccato, cùm non inducant naufragium: ergo ſunt ſolùm 5

materia

materia ſufficiens, licèt in ſe vera & propria materia.

Nec dicas: quando Chriſtus dedit Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi: *quorum remiſeritis peccata* &c. vel incluſit venialia, vel non? ſi non: ergo nunquam erunt apta materia, circà quam haberent poteſtatem. Si incluſit: ergo ſicut propterea obligavit fideles ad confitenda mortalia, ita etiam ad venialia, ideò ſemper erunt materia etiam neceſſaria.

Reſpondeo: Chriſtum quidem incluſiſſe etiam venialia, ſed non obindè obligâſſe fideles ad confitenda illa; & ideò verba Chriſti debent ſumi in ſenſu diſtributivo vel accommodo, ſcilicet: *quorum remiſeritis* &c. vel peccata neceſſariò remittenda, vel non neceſſariò remittenda, ſint ſemper remiſſa; ideò prima cadunt ſemper ſub materia neceſſaria & debita, ſecunda verò manent ſub materia libera. Prætereà poteſtas retinendi peccata etiam poteſt cadere ſuper venialia, quatenus Sacerdos poteſt denegare eorum abſolutionem homini non ritè diſpoſito, ſine qua abſolutione tamen adhuc poteſt ſalvari, & aliis modis remiſſionem venialium obtinere, uti ſuo loco diximus.

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Materia proxima Sacramenti pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis: ſcilicet dolor, confeſſio, & ſuo modo ſatisfactio, dolor tamen debet eſſe poſitivus, ita ut non ſufficiat ſe habere negativè, nec complacendo nec diſplicendo peccatis, & poſitivè ſolùm velle ſuſceptionem Sacramenti, & ſublationem impedimenti.* Eſt quoad 1. partem communis, & quoad 2. partem Scoti in 4. D. 14. q. 1. §. *de tertio*, & q. 4. in ſolut. ad ſecundum principale: contra quoſdam antiquos.

Probatur 1. pars: tum quia Trid. Seſſ. 14. c. 3. vocat abſolutionem formam hujus Sacramenti, actus verò pœnitentis, quaſi materiam. Tum quia in omni Sacramento id, quod eſt magis determinativum, eſt forma, & quod eſt magis ultimabile & minus ſignificativum, eſt materia; ſed in Sacramento pœnitentiæ inter concurrentia verba & res actus pœnitentis ſunt res magis determinabiles & minùs ſignificativi liberationis à peccatis: ergo ſunt materia proxima, cùm ex his tanquam materia *ex qua* proximè conſtet Sacramentum pœnitentiæ; nam Patres & Concilia dicunt: hos actus eſſe partes pœnitentiæ, igitur hoc ipſo ſunt materia *ex qua*.

7 Probatur 2. pars: Scotus cit. docet: non dimitti peccatum, niſi per pœnitentiam ſeu voluntariam pœnam; ſed hæc eſt duplex: ſcilicet perfecta ut contritio, & imperfecta ut attritio, quæ utraque eſt poſitivus dolor: ergo per poſitivum dolorem debet remitti in Sacramento. Ideò q. 4. ad ſecundum principale docet: ante dignam ſuſceptionem hujus Sacramenti opus eſſe, ut peccator ſaltem ſecundùm quid ſuſcitetur, per attritionem ſcilicet & diſplicentiam de peccatis; quòd defactò ſtatuit Trid. Seſſ. 14. c. 3. docens: attritionem eſſe animi dolorem, & peccati deteſtationem ad eſſentiam Sacramenti requiſitam; ſed qui peccata ſua confitendo ſe merè negativè habet, non dolet propriè & verè: ergo requiritur dolor poſitivus.

Objicies contra 1. partem: actus pœnitentis non poſſunt eſſe materia *ex qua* & pars intrinſeca Sacramenti: ergo non ſunt materia proxima. Antec. prob. quando Sacramentum fit, non adſunt actus pœnitentis; ſed materia *ex qua* & pars intrinſeca debet tunc eſſe, quando id fit, cujus eſt materia aut pars: ergo. 8

Reſpondeo neg. antec. ad probam diſting. min. materia *ex qua* debet tunc eſſe, quando fit compoſitum, ſi hoc eſt permanens, conc. ſi ſolùm eſt ſucceſſivum, ſicut Sacramentum pœnitentiæ, neg. nam oratio quoque ex multis partibus conſtat, quæ tamen ſimul coëxiſtere nequeunt, & ſufficit illa coëxiſtentia ſucceſſiva, & ordo unius ad reliquas; ſic pariter ordo abſolutionis ad actus pœnitentis præteritos ſufficit ad unitatem & coëxiſtentiam hujus Sacramenti ſucceſſivam.

Objicies contra 2. partem: Scotus in 4. D. 14. q. 4. §. *quantùm ad tertium*, videtur expreſsè ſignificare: non neceſſariò requiri ad hoc Sacramentum aliam diſpoſitionem, niſi voluntatem illud ſuſcipiendi, & ſublationem impedimenti, qualc eſſet actualis complacentia: ergo non requiritur dolor poſitivus, ſed juxta Scotum ſufficiet negativus. 9

Reſpondeo neg. antec. nam Scotus ibi non vult negare, ullum requiri internum verum dolorem, ſed tantùm talem dolorem, qui neceſſariò ſit contritio, de qua ibi loquebatur, ita ut ſenſus ſit: non requiri illam perfectam diſpoſitionem, quæ alioquin eſt neceſſaria extra Sacramentum, ut legenti textum patere poterit; nam Scotus juxta modum antiquorum ſæpè contritionem & attritionem pro eodem ſumit, ideò cum Sacramento admittit minorem dolorem quàm attritionem, per quam intelligit contritionem.

Aſſero 2. *Eadem peccata remiſſa ſunt licita & ſufficiens materia iterata Confeſſionis Sacramentalis, ſed ut validum conſtituant novum Sacramentum, debent cum novo dolore clavibus ſubjici, quo facto etiam fructuoſum effectum Sacramenti conſequentur quoad augmentum gratiæ, non tamen dimiſſionis pœnæ temporalis remanentis poſt primam confeſſionem.* Eſt Scoti in 4. D. 18. q. un. in ſolut. primi principalis. Quæ reperitur D. 19. §. *ad quæſt. motam*. & §. *ad argumenta*. circa finem. Eſtque quoad primam partem contra Gabrielem, & Rubionem. Quoad ſecundam contra Fabrum noſtrum, & quoad ultimam partem de pœna temporali contra Thomiſtas & quoſdam Scotiſtas, 10

Probatur 1. pars primò: tum quia Extrav. 1. de privilegiis dicit Benedictus XI. *licèt*

cèt de neceſſitate non ſit iterum eadem confiterì peccata, tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre. ergo. Tum quia hoc probat praxis fidelium, qui ſæpè confeſſiones generales de peccatis jam confeſſis facere ſolent, etiamſi nullum dubium habeant, quòd priores confeſſiones fuerint invalidæ. Tum quia non eſt inconveniens ſuper eandem materiam remotam ſæpiùs cadere formam Sacramentalem, quæ tamen ſupra eandem materiam proximam cadere non poteſt, ſicut ſuprà eandem aquam benè poteſt cadere ſæpiùs forma baptiſmi, quia eſt materia remota, non tamen ſuprà eandem ablutionem, quæ eſt materia proxima.

Probatur ſecundò: ideò potiſſimùm peccata ſemel dimiſſa non eſſent materia Confeſſionis Sacramentalis: quia in eo forma abſolutionis non inveniret materiam abſolvendam, & ideò forma non verificaretur; ſed ſemper invenit, & verificatur forma, ſi cum novo dolore ſubjiciuntur peccata: ergo. Min. prob. tum quia peccata per contritionem dimiſſa verè adhuc per Sacramentalem confeſſionem dimittuntur. Tum quia ſicut qui ſemel ſe obligavit alicui ad aliquid præſtandum, poteſt iterum ſe obligare ad idem, & idem ſæpiùs vovere, ut fit in renovationibus votorum; ita econtra qui ſemel remiſit delictum, poteſt iterum remittere, ut fit in hominibus offenſis, qui ſæpiùs eandem injuriam remittunt, & nunquàm putant ſe mentiri; cùm remittere ſit obligare ſe per ceſſionem juris ad non utendum jure acquiſito ad talem vel talem effectum: ergo ſemper forma abſolutionis invenit materiam & verificatur. Conſeq. patet: quia ad cedendum abſolutè non eſt neceſsè, quòd adhuc ſit noſtrum id, quod cedimus, ſed ſufficit, quòd aliquandò fuerit noſtrum; quia per repetitam ceſſionem ſignificamus voluntatem efficacem noſtram transferendi à nobis illud jus, quam voluntatem utique poſſumus ſæpiùs verè & validè declarare, cùm illam ceſſionem eſſe validam & veram nil aliud ſit, quàm ponere titulum ſufficientem, ratione cujus non poſſumus ampliùs uti jure illo, quod aliquando habuimus; qualis titulus eſt quævis nova remiſſio, ſiquidem ponat novum titulum impedientem, ne illo jure habito utamur. Ex quo patet: quòd licèt, qui nunquam eſt ligatus, non ſit ſolutionis capax, tamen, qui ſemel eſt ligatus, licèt fuerit abſolutus, poſſit iterum aliquo novo titulo abſolvi per ceſſionem juris, quod jam ſemel habuimus; uti etiam loquitur Scotus in aſſert. cit. dicens: *eandem partem pœnæ per ſecundam abſolutionem iterum poſſe tolli*, ut patebit in object. 4. contra 4. partem.

11 Addo 1. valde probabile etiam poſſe dici ex Scoto in 4. D. 14. q. 4. in ſolut. ad ſecundum principale. Illam formam circà peccata ſemel dimiſſa hunc poſſe habere ſenſum verum & effectum infallibilem ſcilicet: abſolvo te à peccatis, id eſt, quantùm eſt ex me, remitto tibi peccata tua, ſeu confero tibi gratiam remiſſivam peccatorum. Qui ſenſus eſt ſemper verus, licèt illa verba non ſemper ſortiantur effectum remiſſionis primarium, & propriam ſolutionem à peccatis, quam ſignificant, ut fit, quando per præviam contritionem obtenta eſt remiſſio peccatorum, tunc enim per Sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, dicit Scotus, ſed gratia, quæ infuit, augetur, quod eſt effectus ſecundarius Sacramenti pœnitentiæ; adeóque illa verba circa peccata remiſſa: ego te abſolvo, ſemper ſignificant actionem ſolutivam, & remiſſivam peccatorum, quod verò non ſemper faciant effectum ſolvendi, eſt per accidens, quia non adeſt peccatum; ex quo ſequitur, licèt illa verba non ſignificent practicè ſolutionem ab illis peccatis, adhuc tamen illam ſpeculativè ſignificant, eo quòd ſint apta delere, & inſtituta ad ſignificandum, quòd Sacerdos poſſit per ea delere peccata, quæ ſignificatio eſt aptitudinalis remiſſionis, & ſufficit ad verificandam formam, quam DEUS de facto ita inſtituit, & connexuit cum infuſione gratiæ remiſſivæ peccatorum. Nec obſtat, quòd remiſſio peccatorum ſit proprius & primarius effectus illius formæ, & infuſio gratiæ ſolummodò effectus ſecundarius, quòd illum debeat actu conferre practicè, aliàs potiùs Sacramentum pœnitentiæ eſſet nullum, ſi illum effectum primarium non conferret, ſed ſupponeret; ſicut baptiſmus & confirmatio eſt nullum, ſi jam ſemel ſupponunt characterem in ſubjecto; nec talia Sacramenta ampliùs dicuntur ſigna ſpeculativa, ſed prorſus invalida, ut inſtat Maſtrius. Nam contra eſt; licèt ob hoc argumentum melius ſit dicere illam formam etiam abſolutè & practicè ſignificare remiſſionem peccatorum eorundem ex novo titulo, uti dicimus in proba 2. attamen poteſt dari diſparitas: quia illa Sacramenta Baptiſmi, Ordinis, vel Confirmationis ex natura ſunt ordinata ad ſemel præſtandum ſuum effectum ob ſubjecti carentiam illius effectûs ſine ſpecialibus aliis actibus, quàm intentione in adultis; adeóque illo præſtito omnino fruſtrantur talia Sacramenta. Aſt Sacramentum pœnitentiæ eſt ordinatum ad conferendum gratiam cum actibus pœnitentis, & ob erubeſcentiam in peccatorum confeſſione; adeóque cùm hi actus circa eadem peccata ſæpiùs poſſint poni, etiam Sacramentum poterit confici ad præſtandam ulteriorem gratiam remiſſivam peccatorum, licèt actu & practicè peccata dimiſſa ampliùs non dimitteret; ex quo patet utrumque modum verificandi formam ſcilicet tam probæ ſecundæ, quàm hujus additionis ex Scoto eſſe ut probabilem præſuppoſitum pro noſtra aſſertione tuenda.

Addo 2. illam formam non poſſe benè 12
veri-

verificari per ſenſum conditionatum: te abſolvo, ſi es indigens, vel ligatus; nam certum eſt non licere formam proferre conditionatè, quando certum eſt conditionem non ſubeſſe, uti in præſenti caſu contingeret; imò abſolutio in tali caſu nec verificaretur, & pœnitens re ipſa non abſolveretur, quia non indiget abſolutione, & ideò in tali caſu non perficeretur Sacramentum. Item nec poſſet bene verificari forma in hoc ſenſu: te abſolvo à reliquiis peccatorum vel malis inclinationibus ex eis relictis; quia tales reliquiæ non ſunt niſi habitus vitioſi, vel diſpoſitiones malæ, quæ tamen non ſtatim tolluntur in abſolutionis momento virtute Sacramenti, neque ad has tollendas eſt inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, ſed potiùs extremæ unctionis. Præterea nec bene verificatur in hoc ſenſu: te abſolvo ab indignitate, per quam poſt peccata minus dignus es aliquo beneficio DEI, quàm ante peccatum, quia illa indignitas non eſt peccatum; imò hâc providentiâ DEUS remittendo peccatum cedit omni morali titulo ad indignandum, cùm enim cedat juri ad odium peccatoris, & juri ad puniendum peccatorem, cur non etiam juri ad indignandum de minùs præſtandis beneficiis. Tandem nec bene verificatur illa forma in hoc ſenſu: te abſolvo, ſeu tibi impendo Sacramentum abſolutionis, licèt effectum non conferat; nam verba Sacramentalia debent ſignificare effectum, quem cauſant, ſed effectus ab abſolutione Sacramentali cauſatus non eſt traditio Sacramenti, ſed liberatio à peccatis, & à reatu pœnæ æternæ; imò eo ipſo, quòd Sacramentum perficitur, ſtatim ejus effectus poni debet, cùm Sacramentum efficiat, quod ſignificat: ergo ſi per illa verba Sacramentum perficitur, jam vi ipſorum proprius effectus ponitur; nam quando dicitur: Sacramentum abſolutionis impendo, utique intelligitur abſolutionis à peccatis; igitur ad hujus dicti veritatem re ipſa abſolutionem à peccatis ponere oportet ſeu remiſſionem peccatorum confeſſorum.

13 Probatur 2. pars: ad novum Sacramentum validè conficiendum requiritur nova ſaltem materia proxima à priori diſtincta; ſed eadem peccata ſolùm novâ confeſſione ſine novo dolore clavibus ſubjecta, non ſunt nova materia proxima à priori diſtincta: ergo non eſt ſufficiens ad novum validum Sacramentum conficiendum. Maj. per ſe patet. Min. prob. quando confeſſio eſt materia proxima, & pars eſſentialis pœnitentiæ, non eſt confeſſio nudè ſumpta, ſed informata dolore, ut quæſtione priori explicatum eſt.

14 Probatur 3. pars: tum quia extravagans Benedicti XI. proba 1. cit. expreſsè dicit: *reputamus ſalubre*. Ergo tale Sacramentum fructuosè effectum augmenti gratiæ præſtat. Tum quia non ſolùm licitè, ſed etiam fructuosè repetimus ſuper eadem peccata ſemel contrita novam & novam contritionem extra Sacramentum: ergo etiam fructuosè poſſumus repetere ſuper eadem peccata ſemel confeſſa novam & novam confeſſionem Sacramentalem. Conſeq. patet: quia Sacramentum confeſſionis in lege nova ſuccedit contritioni, eámque juvat, & facilitat. Tum quia poteſt peccatum per contritionem remiſſum cum Sacramentali abſolutione validè & fructuosè conſtituere Sacramentum pœnitentiæ: ergo etiam peccatum priori confeſſione remiſſum cum iterata doloroſa confeſſione & abſolutione novum validè & fructuosè Sacramentum. Antec. ab omnibus admittitur. Conſeq. verò ſequitur: quia non minùs contritus, quàm ſecundò confitens accedit cum peccatis dimiſſis, & ſine materia ſolvenda, per conſequens ſi hæc in uno non obſtant, nec obſtabunt in altero.

15 Probatur 4. pars primò: judicium rectum & ratum in cœlis non debet alterari & mutari, niſi adveniat nova cauſa, ob quam ratio dictat illam ſententiam eſſe mutandam; ſed impoſita ſemel æquali v. g. decennali judicata pœna, & ad hanc ligatus in prima confeſſione, hoc ratificatur in cœlis, nec in ſecunda confeſſione ejuſdem peccati ponitur nova cauſa excuſans à tali æqualitate, ut ſupponitur: ergo ſecunda abſolutio non delet aliquid pœnæ relictæ, ſed illa tota debet adimpleri. Maj. patet: quia juſtitia conſiſtit in æqualitate, ſi ergo in prima ſententia fuit æqualitas, non poteſt ſine ratione in ſecunda mutari, aliàs fieret inæqualis; nam in ordine ad pœnam ſuſtinendam ſe habet pœnitens ad claves, ſicut reus in foro litigioſo, ubi ei certa taxatur pœna; ſed in hoc foro non replicatur ſententia ſine ratione ad minuendam priorem pœnam taxatam, aut licèt etiam replicaretur ſententia, non tamen minuitur pœna; aliàs ſecunda ſententia retractaret primam, & quodammodò redderet inæqualem ac injuſtam. Hinc videmus; licèt reus de novo roget reviſionem criminis, non ſtatim retractatur aliquid pœnæ prioris juſtæ, ſed eſt integrè ſolvenda, licèt reo dentur aliæ gratiæ & beneficia, & licèt etiam aliquid pœnæ remittatur ratione ſuæ humilis ſubmiſſionis, tunc hæc ſolùm acceptatur pro adimpletione alicujus partis pœnæ prioris taxatæ, quod ſolùm eſt dimittere aliquid pœnæ vi ſatisfactionis, non vi novi judicii, ſi alterum fuit ſine errore ſemel latum.

Probatur 2. vel in ſecunda abſolutione pro ſemel confeſſa & certâ pœnâ ligatis peccatis nulla imponitur ſatiſfactio nova, vel imponitur aliqua, ſed minor, quàm illa, quæ fuit omiſſa, vel æqualis, ſicut in prima abſolutione; ſed vi nullius remittitur in ſecunda abſolutione pœna reſtans ex prima abſolutione: ergo. Min. prob. ſi nulla imponitur, & remitteretur prior pœna, tunc aliqua pœna non eſſet ſolvenda, quæ tamen ex priori abſolutione

fuit ſolvenda, & ſic judicium priùs ratificatum revocaretur, & mutaretur, quod eſt inconveniens. Si aliqua, ſed minor, vel æqualis imponitur, & perficitur, tunc ſolùm aliqua pars, vel illud, adimpletur, quod ex priori confeſſione fuit requiſitum & relictum: ergo non ſecunda abſolutio ex ſe vi clavis remittit pœnam, ſed ſolùm prima abſolutio in ſecunda abſolutione per adimpletionem pœnæ æqualis ſatisfactionis reintegratur.

16 Objicies contra 1. partem: Scotus in 4. D. 14. q. 4. ad ſecundum principale. & D. 19. ad finem docet: obtentâ per prævіam contritionem peccatorum remiſſione, per Sacramentum pœnitentiæ non deleri peccatum, ſed gratiam, quæ inſuit, augeri; ergo peccata ſemel remiſſa non ſunt materia confeſſionis propriè remiſſivæ peccatorum.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus in illis locis non loquitur de quacunque remiſſione, ſed ſolùm de omnino prima remiſſione, quæ propriè dicitur peccati deletio & deſtructio, qualis utique non fit per ſecundam abſolutionem; nam licèt per ſecundam remiſſionem dicatur peccatum etiam dimitti, non tamen propriè dicitur deleri & deſtrui: quia non deletur, aut deſtruitur propriè, niſi quod actu exiſtit. Cæterùm tantùm ſæpè obtrudatur adverſariis paritas de peccatis per contritionem dimiſſis, quæ tamen poſſunt confiteri & remitti.

Dices: ſi ſecunda abſolutio non ſignificat actualem deletionem peccati & ſolutionem ejus, tunc poſſet verificari forma, licèt quis peccatum dubium confiteatur; nam peccatum, quod jam dimiſſum eſt, non magis ligat nunc, quàm quod nunquam fuit, ideò dicit Scotus in aſſert. cit. *qui enim ſolutus eſt, ampliùs non ſolvitur; quia nullus ſolvitur niſi ligatus.*

Contra neg. illatum. Diſparitas eſt: quia in caſu peccati dubii forma eſſet falſa ex defectu objecti, & eſſet propoſitio quaſi de ſubjecto non ſupponente, cùm diceret: remitto tibi peccatum, quod nunquam fuit. Sicut ſi Sacerdos aliquem abſolveret à furto chymeræ, abſolutio eſſet nulla ex defectu objecti & juris, cui renuntiaret nomine DEI ad indignandum, quod DEUS acquiſiviſſet, quod falſum eſt, cùm DEUS nullum jus ad indignandum ex furto chymeræ aut dubio peccato acquiſivetit. Aſt peccatum ſemel commiſſum, & ſemel verè remiſſum fundat adhuc ſecundam veram remiſſionem, cùm verſetur circà verum objectum & verum jus, cui ſecundò Sacerdos locò DEI renuntiat, & ideò patet, quòd non poſſit ſolvi niſi ligatus, hoc eſt, ſolutus non poteſt ſolvi, nempè qui nunquam fuit ligatus; nam talis eſt omnino incapax ſolutionis, & tunc falſificaretur forma; aſt tamen, qui ſemel fuit ligatus & ſolutus eſt, poteſt iterum ſolvi ex novo titulo, ut dicimus in proba 2. Scotus ergo in illo loco intelligendus eſt, quòd ille ſolutus non poſſit ſolvi eo modo, quo primò eſt ſolutus; nam hic ſubintelligit ſuum modum verificandi formam, uti additione prima adduximus, ubi ſcilicet nec eſt remiſſio culpæ nec pœnæ propriè loquendo, ſed ſolùm augmentum gratiæ, ideò conſultò ibi dicit: *non dico, quod illicitum aut impoſſibile ſit iterari confeſſionem, ſed ſolùm non cum fructu iſto, quem nunc habet Sacramentum pœnitentiæ*, ſcilicet non cum propria & primaria remiſſione culpæ & pœnæ jam remiſſæ ſemel, vel non cum fructu remiſſionis pœnæ, uti diximus in 4. parte; nam ille ſemel ſolutus omnino non poſſet ſolvi propriè & rigorosè ſecundò, cùm talis non ſolveretur per ſecundam, ſed potiùs per primam abſolutionem, quod Scotus explicat per judicium litigioſum, ubi, ſi accuſati ſemel abſolvuntur, non replicatur inquiſitio ampliùs, vel ſi replicatur, non per ſecundam ſententiam ſtrictè abſolveretur, ſed per primam, quia qui non ampliùs eſt ligatus, non ſtrictè ſolvitur.

Objicies contra 2. partem: poſſet prior dolor habitus de peccatis confeſſis ſolo novo actu applicari ſuper eadem peccata de novo confeſſa; ſed tunc haberentur omnia requiſita ad novum Sacramentum validum: ergo non requiritur novus dolor de peccatis ſemel confeſſis ad conſtituendum novum Sacramentum. 17

Reſpondeo neg. min. quia non ſufficit applicatio, ſed requiritur novus dolor elicitus & diſtinctus à priori, cùm actus applicativus ſolùm non præbeat materiam proximam novam, quæ neceſſariò requiritur ad novum Sacramentum conſtituendum; unde ille actus applicativus potiùs eſſet conditio applicans priorem, quam nova materia intrinſecè conſtituens novum Sacramentum.

Dices: ſi maneret prior diſpoſitio ſaltem cum nova confeſſione, poſſet conſtituere novum Sacramentum validum, licèt non fructuoſum quoad augmentum gratiæ, vel remiſſionis pœnæ, in quo nullum eſt inconveniens: ergo non neceſſariò requiritur novus dolor.

Contra neg. antec. quia ſi Sacramentum ſemel conceditur validum, & nullus adeſt obex, nulla poteſt eſſe ratio, cur non cauſet augmentum gratiæ; nam Sacramentum validum non inveniens obicem ſemper cauſat gratiam, ut magis patebit Diſt. ſeq. ubi negabimus Sacramentum validum & informe; adeóque cùm adverſarii ſine novo dolore negent ſecundo Sacramento effectum, etiam negare debent illud eſſe validum ex defectu materiæ proximæ novæ.

Objicies contra 3. partem: ſecunda abſolutio ſuper peccata remiſſa non poteſt conferre effectum augmenti gratiæ: ergo non fit fructuosè quoad effectum gratiæ. Antec. prob. infuſio gratiæ in hoc Sacramento fit propter 18

remiſ-

remiſſionem culpæ: ergo ſi hæc eſt remiſſa per priorem gratiam Sacramentalem, fruſtrà infunderetur nova.

Reſpondeo neg. antec. ad probam diſting. antec. ſit propter culpæ remiſſionem vel primam vel repetitam, conc. ſemper propter primam, neg. antec.

Dices: Sacramentum pœnitentiæ vi clavium confert ſuos effectus; ſed ejus clavis non ſemper eſt efficax quoad temporalem pœnam remittendam ex priori confeſſione relictam, ut tenemus in 4. parte: ergo nec etiam erit efficax ad augmentum gratiæ.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia clavis pœnitentiæ reſpectu gratiæ eſt potiùs judicium diſpenſatorium gratiarum, nec DEUM ligat ad certos gradus gratiarum, ut non rectè daret ultra; unde ſi quis plures gratias diſpenſat, quàm alter, non dicitur alterius judicium propriè immutare. Aſt clavis reſpectu remiſſionis pœnæ temporalis, cùm in abſolutione aliquam pœnam temporalem quidem ſemper remittat, non verò totam: quia ſecundùm juſtitiam eſt aliquod medium determinatum ſecundùm rectam rationem, in quo ſtando remittit rectè & non ultra; ideò ad hoc ligat hominem, ſic fit per modum judicii ſententiativi & deciſivi, ex quo eſſet, ut, ſi aliquis poſterior ex vi præciſæ ſuæ poteſtatis ſententiativæ remitteret aliquid pœnæ priùs taxatæ, immutaret propriè judicium alterius prioris, quod eſt inconveniens.

Dices: Quamvis ſecunda abſolutio reſpectu gratiæ ſit diſpenſatrix, attamen eſt vera abſolutrix, & ſententiatrix culpæ, ut tenemus in 1. parte: ergo etiam poterit eſſe ſententiatrix pœnæ.

Contra diſting. conſeq. pœnæ prioris remiſſæ eam novo titulo remittendo, conc. pœnæ relictæ & taxatæ à prima abſolutione, neg. conſeq. nam illa iterata remiſſio pœnæ prioris remiſſæ non immutat, ſed approbat priùs judicium; aſt remiſſio pœnæ relictæ & taxatæ vi præciſi novi judicii revocaret prius factum judicium.

19 Objicies contra 4. partem: Scotus in aſſert. cit. dicit: *Ejusdem rationis eſt abſolutio ſecunda cum prima:* ergo poteſt eandem habere virtutem reſpectu alicujus partis pœnæ remittendæ, ſicut prima, & per conſequens plures abſolutiones poſſent totam pœnam, utpote diviſibilem & finitam tollere & remittere, & ſic ſecunda abſolutio etiam præſtat effectum remiſſionis pœnæ relictæ ex prima abſolutione.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus illud ſolùm dicit in ſententia aliorum, quorum ſententiam etiam judicat probabilem, contrarium tamen juxta ſuum ſenſum judicat probabiliùs; ideò ad illud de partibus diviſibilibus dicit, quòd hoc nihil ſit: quia non eſt ratio, quòd ſecunda abſolutio non poſſit iterum auferre ſolùm priorem partem ejusdem quantitatis, quam prima abſtulit, uti nos de eadem culpa ſemel remiſſa dicimus in proba 2. partis primæ; quod iterum & iterum poſſet novo titulo remitti. Imò dicit: *Nec eſt mirum, ſi ſecunda abſolutio nullam partem ampliùs poſſit auferre,* non partem ex priori abſolutione relictam; *quia illud judicium eſt irrevocabile,* dicit Scotus; nec etiam partem pœnæ jam ſemel remiſſæ juxta ſuum modum addit. 1. aſſignatum, quia, quod ſolutum eſt, non ampliùs ſtrictè ſolvitur, ideò non ampliùs eſt ligatus obligatione pœnæ jam ſemel integrè remiſſæ. Attamen pro majori claritate diſting. antec. eſt ejusdem rationis in actu primo, vel quoad primam remiſſionem pœnæ, conc. in actu ſecundo, vel quoad pœnam jam judicatam & remanentem, neg. nam ſic videretur prius judicium retractare; dum verò novum dat effectum gratiæ, non immutat priùs judicium, ut patet ex diſparitate objectionis tertiæ.

Dices: poteſt pœnitens per alios actus pœnitentiæ pro ſuis peccatis ſatisfacere & pœnam minuere: ergo multò magis per actus frequentatos Sacramentalis abſolutionis, ubi applicatur ſatisfactio & meritum Chriſti alicui ſubjecto pœnitenti vi clavium.

Contra neg. conſeq. quia per alios actus pœnitentis etiam in ſecunda confeſſione incluſos v.g. per erubeſcentiam pœnitens implet, & peragit aliquid, pœnæ remanentis, ſcilicet per æquivalentem pœnam; & ideò per illos actus, imò & per Sacramentum, quatenus eſt opus pœnalitatis, & quatenus homo illud in hunc finem aſſumit, poteſt minuere pœnam; aſt per ſecundam abſolutionem vi clavium præcisè non impleretur aliquid pœnæ, ſed ſolùm priùs judicium ad æqualitatem factum, & jam ratificatum in cœlis mutaretur, quod non convenit; hinc ſecunda applicatio ſatisfactionis & meriti Chriſti ex ſe præcisè vi clavium non debet immutare primam applicationem ſatisfactionis Chriſti jam ratam in cœlis.

Dices: Scotus ſatis benè poſſet explicari, quòd hoc ſolùm vellet intelligere ex ſuppoſitione, quod in ſecunda confeſſione non ſit nova diſpoſitio ſed eadem ex parte pœnitentis, quæ prior: ergo ſi adeſt novus dolor & nova diſpoſitio, poterit & ſecunda abſolutio tollere remanentem pœnam.

Contra concedit totum Maſtrius, & ſic explicat Scotum, quod & ego judico probabile; eſt non ſatis convenienter explicatur Scotus, nam illud dicendo ſequeretur, quòd ſola ſecunda abſolutio, quæ ob defectum novæ diſpoſitionis non eſt validum Sacramentum, non conferat effectum, & remittat pœnam relictam, de quo nemo prudenter dubitat, Scotus verò etiam ſtante hoc, quòd ſecunda abſolutio ſit validum Sacramentum, conſequenter cum nova diſpoſitione adhuc negat

 illam

illam abſolutionem ſecundam remittere pœnam ob irrevocabilitatem prioris juſti judicii ratificati, quam tamen admittit conferre effectum gratiæ; unde talis ratio ſalvari debebit etiam poſitis novis diſpoſitionibus. Hinc dicendum eſt novam diſpoſitionem non ſemper debere per novum judicium immutare primum judicium, ſed ſatis erit, quòd hæc nova diſpoſitio ex ſe aliquid pœnæ adimpleat, & ſit ſatisfactoria pœnæ priori relictæ, ut dicimus in proba 2. partis quartæ; adeóque ſecunda abſolutio ad ſummum ſignificat priorem pœnam remiſſam, eſſe iteratò remiſſam, & relictam eſſe adimplendam adhuc, non verò ex ſe illam remittit contra priorem ſententiam, quæ ſupponitur à priori Confeſſario juſtè & æqualiter lata; ſecus autem eſſet, ſi clave errante fuiſſet pœna injuſtè & exceſſivè data, vel nimis parva, aut planè nulla, ut quando ob juſtam cauſam v. g. infirmitatem vel impotentiam pœnitentis ita minuitur, tunc enim non ratificaretur in cœlis, & ſic poſſet ſecundus Confeſſarius illam mutare, vel vi ſuæ poteſtatis aliquid pœnæ remittere; cùm ſic pœnæ taxatio, vel remiſſio alicujus pœnæ ſuæ ſubjaceat poteſtati, & ideò adhuc ſemper eſſet conſulendum ſæpiùs eadem peccata confiteri. Præterea in ordine ad pœnam exceſſivam, licèt illa lata non ampliùs ſuæ ſubjaceat poteſtati, poſſet tamen dici, quòd vi ſcientiæ & prudentiæ poſſet interpretari, quòd talis pœnitentia hic & nunc ex circumſtantiis operis ſit pernicioſa, & poſſet aliam imponere, quæ clavis ſcientiæ etiam poſſet exerceri extra confeſſionem juxta aliquos.

QUÆSTIO III.

De forma Sacramenti pœnitentiæ, quænam verba ſint eſſentialia formæ, ac an poſſit cadere ſuper abſentem confitentem per literas, vel nuncium?

1 ADvertendum eſt: Certum eſſe ad formam Sacramenti pœnitentiæ neceſſariò aliqua verba requiri, ut docet Scotus in 4. D. 14. q. 4. innuens: pœnitentiæ Sacramentum conſtare ex forma, quæ aliud non eſt, quàm abſolutio facta certis ſeu determinatis verbis ſignificantibus abſolutionem animæ à peccato. Quod clariùs exprimens Concilium Florentinum in Decreto Eugenii generatim ſtatuens Sacramenta novæ legis conſtare verbis tanquàm forma; & poſteà ſpecialiter loquens de hoc Sacramento inquit: ejus formam eſſe verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, dum dicit: *ego te abſolvo &c*, unde exurgit difficultas, an illa tria verba ſufficiant ad formam, vel an etiam debeat addi à peccatis? ut plerumque volunt Recentiores. Præterea an talis forma poſſit cadere ſuper abſentem, vel an poſſit pronunciari deprecatoriè, & quomodo ſit vera circa peccata remiſſa & confeſſa &c.? Quas difficultates partim per propoſitiones, partim per aſſertiones reſolvemus, unde

Propoſitio 1. *Forma Sacramenti pœnitentiæ non poteſt perfici Scriptura aut nutu, ſed certis verbis voce formatis.* Ratio eſt ex inſtitutione Chriſti, quam traditio & conſuetudo Eccleſiæ perpetua manifeſtat ſemper præſcribens, ut Sacerdos voce ſua explicitè proferat verbum proprium hujus ſacramentalis abſolutionis expreſſivum, ſicut & in aliis Sacramentis fieri debet excepto matrimonio ob rationem contractûs humani, quem imitatur, quod ſpecialiter excipit Florentinum in advert. cit. quæ exceptio nobis firmat regulam in contrarium de aliis omnibus Sacramentis, cùm de eis nihil tale dicatur, uti loqui ſolent juriſtæ. 2

Nec dicas: Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii; ſed ſententia judicialis poteſt ferri in Scriptura, pariter reus poteſt confiteri per ſigna, imò abſolutio à cenſuris poteſt fieri in ſcriptis: ergo etiam forma abſolutionis ita poterit perfici.

Reſpondeo diſting. maj. per modum judicii in omnibus ipſi aſſimilabile, neg. in aliquibus, conc. maj. min. & neg. conſeq. hinc in judicio humano non poteſt idem ſimul eſſe teſtis & reus, in hoc judicio verò ſacramentali, ſi idem non eſt teſtis & reus, non poteſt Sacramentum eſſe validum: illud poteſt eſſe coactum, hoc verò non niſi voluntarium: in illo judex damnat, in hoc verò abſolvit. Hinc ultra diſparitas eſt de ſententia judiciali politica in Scriptura lata; quia judicium politicum ad externum Reipublicæ bonum ordinatur, ad quod ſufficit externa delicti emendatio; judicium verò ſacramentale ordinatur ad internam animi ſalutem, quod poſtulat omnino conformari ſpeciali inſtitutioni Chriſti, alias nihil operabitur. Præterea diſparitas eſt ad reum confitentem per ſigna: quia plures cauſæ poſſunt pœnitentem impedire à confeſſione vocali, quàm Sacerdotem à prolatione ſententiæ vocali; imò ſemper forma in Sacramentis debet eſſe expreſſior, quàm materia. Tandem diſparitas ad abſolutionem à cenſuris eſt: quia hæc non eſt actus ſacramentalis, ſed fori contentioſi, cujus formam abſolvendi & ligandi Chriſtus arbitrio Eccleſiæ reliquit. Nec à peccatis: ideò hoc forum imitari poteſt; at in abſolutione ſacramentali ponitur pars Sacramenti, & ſic abſolutio à peccatis, quæ ſolus DEUS principaliter remittit, ideò debet fieri ſecundùm verba à DEO determinata. Demum ſi fingeretur caſus de moribundo, ubi contingeret non adeſſe alium, quàm Sacerdotem mutum, dici poſſet: quòd non ſit tanta neceſſitas abſolutionis Sacerdotis muti, ſicut fortè baptizantis muti, cùm moribundus ſaltem

tem haberet aliud medium per contritionem, ideò idem eſſet in tali caſu, ac ſi nullus adeſſet Sacerdos. Vel dici poſſet ob contrariam ſententiam etiam valde probabilem: in tali caſu poſſe moribundum petere abſolutionem à Sacerdote muto in nutibus vel Scriptura, ob dubium tamen validæ formæ deberet conari moribundus habere contritionem cum propoſito iterum confitendi, dum commodè poterit alii Sacerdoti.

3 Propoſitio 2. *Forma abſolutionis poſſet perfici per verba æquivalentia: ut condono, indulgeo, præſertim remitto tibi peccata, quod etiam Chriſtus adhibuit: quorum remiſeritis peccata &c.* Ratio eſt ex Scoto cit. quia etiam talia verba habent vim ſententiæ judicialis. Unde dat Scotus diſcrimen, quare non ſit neceſſe in hoc Sacramento pœnitentiæ eſſe ipſa præciſa verba: *Ego te abſolvo*, ſicut in baptiſmo: *Ego te baptizo*, vel in Euchariſtia: *Hoc eſt corpus meum &c.* cùm in judicio non oporteat eſſe verba limitata, dummodo ſenſum integrum & determinatum haberent; quod etiam dicendum eſt de pronomine *te*, & dici poſſet: abſolvo Petrum, abſolvo ſuam Excellentiam &c. licèt culpabile eſſet in hac re mutare ritum Eccleſiæ, & fortè ſine gravi culpa fieri non poſſet.

Nec dicas cum Amico: vel Scotus ſentit illa verba formæ pœnitentiæ eſſe neceſſaria quoad ſenſum & ſignificationem formalem, quem verba Synonyma æquè poſſunt exprimere, & non quoad verba materialia. Vel ſentit non eſſe neceſſaria quoad ſignificationem formalem? Non hoc ſecundum: quia ipſa forma & omnium Sacramentorum formæ ſunt neceſſariæ & immutabiles quoad ſuam ſignificationem formalem. Si primum: tunc neque ad Sacramentum baptiſmi &c. certa verba materialia ſunt neceſſaria, ut omnes concedunt: ergo malè aſſignat Scotus diſcrimen inter pœnitentiam & alia Sacramenta.

Reſpondeo: utique Scotum in primo ſenſu id ſentire, & magnum eſſe diſcrimen de aliis Sacramentis; quia in Sacramento baptiſmi Chriſtus expreſsè dixit formam: *ite baptizantes eos &c.* in Euchariſtia pariter dixit: *hoc eſt corpus meum.* Ideò in his præciſè debet conſiſtere forma, licèt aliqua variatio non mutans ſubſtantialem ſignificationem admitti poſſet, ut ſi diceret: iſtud eſt corpus meum. Quia hoc & iſtud haberent idem ſignificatum, non tamen ſi mutaretur verbum corpus. Aſt in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ non præſcripſit certam formam, ſed ſolùm conſtituit Sacerdotes judices in eorum poteſtate relinquens formam, quâ uti debe-rent, dummodò adhibeant verba, quæ ſignificant liberationem & abſolutionem à peccatis.

4 Propoſitio 3. *Forma abſolutionis ſub conditione de præterito vel præſenti neceſſariò connexa cum actu miniſtri vel pœnitentis eſt valida, non tamen ſub conditione de futuro, nec ſub conditione impoſſibili ſive præteriti ſive futuri, nec ſub conditione contingenti non connexa cum actu miniſtri vel pœnitentis, ſed incerta & indeterminata ſive etiam de præterito, præſenti, ſive futuro.* Ratio primi eſt: quia illa conditio de præterito vel præſenti non ſuſpendit actum, & ex multis cauſis poteſt dubitare Sacerdos, an ritè abſolvat pœnitentem, ac proinde benè poteſt dicere: ſi non es abſolutus, te abſolvo. Sic pariter poſſet dicere: ſi ſum Sacerdos. Si tu es attritus, integrè confeſſus, te abſolvo. Cùm tales actus non mutent ſignificatum formæ, & etiamſi non opponerentur, ſubintelligerentur. Ratio ſecundi eſt: quia conditio de futuro ſuſpendit actum, & mutat ſignificatum formæ, nam ſi dico: abſolvo te, ſi cras dederis eleemòſynam. Verba quidem hodie profero, effectum autem nolo conferre usque in craſtinum; ideò immuto ſignificatum verborum Sacramenti, quæ ſignificatio debet eſſe efficax; nec eſt in poteſtate miniſtri, cùm Sacramentum ſit agens neceſſarium producens effectum in eo inſtanti, in quo ſubjectum eſt diſpoſitum. Ratio tertii per ſe patet, nam ſi dico: te abſolvo, ſi ſum omnipotens, ita arctat intentionem proferentis, ut ſi non adſit conditio adimpleta, neque ſit intentio proferendi formam, ſed conditio impoſſibilis nunquam adimpletur: ergo nec forma unquam verificaretur. Ratio quarti eſt: quia forma valida eſt ſignum certum effectûs ſacramentalis; ſed talis non eſt, ſi opponitur conditio etiam de præterito vel præſenti incerto nullam connexionem habente cum actu miniſtri aut pœnitentis v. g. ſi Princeps dormit, vel dormivit: te abſolvo. Cùm neque in miniſtro, neque in pœnitente ſit certa illius conditionis adimpletio; ideò ſignum ſacramentale redderet incertum & indeterminatum. Nec ſatis eſſet dicere, tunc ſaltem eſſe certam, quando ſcietur eventus; quia tunc ampliùs non adſunt verba & reliquæ partes, & ideò neque validitas Sacramenti. Imò poſſet intereà pœnitens mori, aut intentio miniſtri retractari.

Nec dicas: Sacramentum pœnitentiæ eſt per modum judicii, ſed in hoc poteſt ſententia ferri ſub conditione de futuro: ergo. Item matrimonium ſic poteſt celebrari conditionatè de futuro; & ſicut matrimonium elevatum ad ſtatum Sacramenti non alteratur in natura contractûs, ita & judicium pœnitentiale elevatum ad Sacramentum non alterabitur in natura judicii humani.

Reſpondeo diſting. maj. eſt per modum judicii ſimpliciter, neg. per modum judicii ſacramentalis, conc. maj. min. & neg. conſeq. diſparitas poterit deſumi ex propos. 1. nam licèt ſacramentale judicium fundetur in judicio humano & uſuali, non tamen in omnibus

ei aſſi-

ei aſſimilatur, ut ibi diximus, & præſertim in judicio uſuali poteſt ſententia ab alio dici, quàm à judice, non vero in judicio ſacramentali; ideò in tali judicio per elevationem ad Sacramentum plus requiritur ad remiſſionem peccatorum, ſcilicet: ut ſit certa efficax & determinata ſententia, ut non ſolùm proſit pœnitenti, ſed etiam ut relinquat illum certum de ſententia abſolutoria, & non exponat eum periculo non fruendi tali beneficio. Ad ſecundum dico: etiam aliquos negare de contractu matrimonii, ut eſt contractus ſacramentalis, poſſe habere conditiones de futuro, ſed demus hoc cum Sanchez! diſparitas tamen eſt: quia plura pro matrimonio ſufficere poſſunt, quæ in aliis Sacramentis non ſufficiunt; ſiquidem forma matrimonii poteſt ſcripto fieri, & per nuntios, non tamen forma aliorum Sacramentorum, ut dictum eſt propos. 1.

5 Propoſitio 4. *Forma abſolutionis ſolùm deprecativo modo prolata v.g. abſolvat te DEUS! non eſt valida, niſi etiam indicativo modo proferatur.* Ratio eſt: quia non remanet idem ſenſus in verbo deprecativo abſolvat, & in verbo indicativo abſolvo; nam per verbum abſolvo oſtenditur id, quod fit, & per verbum deprecativum oſtenditur, ſolùm affectus & deſiderium illius, quod fieri petitur. Tum quia aliàs quando Sacerdos proferret verba: *abſolvo te.* Pœnitens jam eſſet abſolutus vi verborum præcedentium: miſereatur tui omnipotens DEUS & dimiſſis peccatis tuis &c. hæc enim verba æquivalent formæ deprecativæ. Tum quia in judicio nequit ſententia dari deprecativè, ſed tanquàm à ſuperiore indicativè vel imperativè.

Nec dicas: in Sacramento unctionis profertur forma deprecativè: indulgeat tibi DEUS &c. nam ſub verbo deprecativo optimè denotatur miniſterium cauſæ inſtrumentalis, qualis eſt Sacerdos, & per modum indicativum vel imperativum cauſa principalis, quæ eſt ſolus DEUS: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: quia Sacramentum unctionis eſt inſtitutum per modum orationis & deprecationis, pœnitentiæ vero per modum judicii; nam non dixit Chriſtus: quorum rogaveritis peccata dimitti, ſed quorum remiſeritis. Benè verò dixit Jac. 5. *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini &c.* Prætereà nec modus indicativus vel imperativus denotat authoritatem cauſæ principalis, ſed potiùs indifferentis etiam ad miniſtrum, cùm etiam judex delegatus in ſententiis dicat: ego judico, abſolvo, condemno &c. his itaque propoſitis.

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Eſſentialem formam Sacramenti pœnitentiæ conſtituunt illa duo verba: abſolvo te, ita ut illa verba, à peccatis, non ſint de eſſentia formæ.* Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 4. *§. ex hoc patet.* Eſtque contra Averſam & alios.

Probatur: illa ſolùm verba eſſentialem formam conſtituunt, quæ cum adjunctis circumſtantiis exprimunt principalem effectum hujus Sacramenti; ſed talia ſunt illa duo: *abſolvo te:* ergo. Maj. patet: quia illa tantùm verba ſufficiunt, quæ ſufficienter ex natura ſua ſignificant peccatorem abſolvi à peccatis per Sacerdotem. Min. verò prob. illa verba: *abſolvo te.* Licèt ſint indifferentia ad ſignificandam abſolutionem tam à cenſuris, quàm peccatis, prolata tamen ſuper pœnitentem, qui ſua peccata eſt confeſſus Sacerdoti, determinatur ſatìs ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, qui eſt principalis effectus hujus Sacramenti. Ex qua ratione nec eſt apponendum pronomen *ego*, cum hoc per ſe includatur in verbo *abſolvo*, ut de ſe patet; nec apponenda ſunt verba *à peccatis:* quia nemo, qui audit Sacerdotem illa verba ſuper peccatorem proferentem, non eo ipſo intelligit Sacerdotem ſignificare illis verbis, quod abſolvat à peccatis.

Objicies: Concil. tam Florent. quàm 7
Trid. ſtatuentia formam Sacramenti pœnitentiæ poſt illa verba: *ego te abſolvo.* addunt & cætera: ergo ſignum eſt ad ejus eſſentiam etiam requiri *à peccatis tuis.*

Reſpondeo neg. conſeq. quia ſequeretur, quòd etiam ad eſſentiam ejus ſpectent verba *in nomine Patris &c.* cùm etiam comprehendantur ſub *& cætera*, quod tamen etiam adverſarii negant; adeóque Concilia ſolùm addunt *& cætera*, ut indigitent adhuc alia verba ex conſuetudine, & præcepto Eccleſiæ ut integralia requiri, non verò tanquam eſſentialia.

Dices: illa verba *abſolvo te à peccatis* omnia ſimul ſumpta exprimunt primarium effectum Sacramenti pœnitentiæ: ergo omnia requiruntur ad eſſentiam ejus formæ.

Contra diſting. antec. illa omnia exprimunt abundanter, conc. ſolùm ſufficienter, neg. antec. nam non eſt opus, ut verba effectum principalem ſignificantia independenter ab adjunctis circumſtantiis eum exprimant, ſed ſufficit, ut illum diſtinctè exprimant adjunctis circumſtantiis, ut faciunt illa verba *abſolvo te* in circumſtantia pœnitentis ſua peccata confitentis à Sacerdote prolata, quamvis addendo *à peccatis* ex ipſis terminis ſine circumſtantiis etiam id expreſſiùs exprimatur.

Dices: ergo etiam poſſet omitti *te*, & ſolùm poni *abſolvo*, ut admittit Averſa cùm etiam tacitè per circumſtantiam pœnitentis præſentis & confitentis determinetur ad præſentem perſonam abſolvendam; ſed hoc non admittitur: ergo nec alterum eſt admittendum.

Contra neg. illatum: quia verbum *abſolvo* eſt per ſe indifferens, ut ad quamcunque perſonam etiam abſentem poſſit referri, nec ex

præ-

præſentia pœnitentis ſub geſtu circa illum ſufficienter determinatur, cùm forma verbalis Sacramenti debeat per ſe determinari ex ſenſu integro & perfecto ac determinato, & ideò omiſſo ly *te* eſſet forma ſubſtantialiter mutata, cùm ſit inſtituta per verba demonſtrativa.

8 Aſſero 2. *Forma abſolutionis nec poteſt validè nec licitè dici ſuper abſentem, ſive præſens fuerit confeſſus ſive abſens, bene tamen adhuc validè diceretur ſuper pœnitentem, qui per literas vel nuncium mittit ſua peccata, & deinde in præſentia ejuſdem dicat de omnibus illis, quæ ſcripſit, ſe accuſare, ut ab eodem confeſſario obtineat abſolutionem in præſentia, nec tamen hoc licitè fieret ſinè juſta cauſa urgente.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. in ſolutione principalium circa finem.

Probatur 1. pars: tum quia ut dicit Scotus: *forma iſte ex natura ſua eſt ſecretiſſimus*; ſed modus adminiſtrandi hoc Sacramentum per literas vel internuncium non eſt ſecretus, ut de ſe patet: ergo. Tum quia Sacerdos abſens nequit ſufficienter ſtatum rei cognoſcere per literas, qui variari intereà poteſt, & peccare poſt eas ſcriptas: ergo ſic nec validè nec licitè poteſt ab ipſo abſolvi in tali abſentia. Conſeq. patet: quia quando Sacerdos abſolvit, debet habere moralem cognitionem de diſpoſitione ſufficienti pœnitentis. Tum quia per Bullam Clementis VIII. tanquam falſa temeraria & ſcandaloſa damnatur hæc propoſitio: *licet per litteras ſive per internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere.* Quæ damnatio non ſolùm eſt extendenda ad uſum ordinarium, ſed etiam ad uſum in extrema neceſſitate, & non tantùm ad liceitatem, ſed etiam ad validitatem, quia Pontifex in illa Bulla non prohibuiſſet eam in praxi quocunque modo, ut loquitur Bulla, ſi in aliquo caſu validam talem abſolutionem putâſſet: ergo licèt quondam graves authores contrarium ſenſerint probabile, nunc tamen poſt hanc Bullam damnantem illud eſt omnino improbabile.

9 Probatur 2. pars: pœnitens per literas confitens & in præſentia petens abſolutionem, facit confeſſionem, & accipit abſolutionem in præſentia, & nihil videtur ad valorem omitteſſe: ergo ſuper talem validè proferetur forma abſolutionis. Antec. patet à pari communiter approbato: quòd poſſit dari infirmo abſolutio, qui adſtantium teſtimonio ſigna doloris dedit, & obmutuit ante Sacerdotis adventum, uti approbat Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, affirmans non ſolùm poſſe, ſed etiam debere talem moribundum abſolvi.

10 Probatur 3. pars: Can. *quem pœnitet*. de pœnit. D. 1. prohibetur peccata confiteri per nuncios vel Scripturam, ſed proprio ore corporaliter præſente. Adeóque talis Confeſſio ſine urgente cauſa eſt per ſe illicita & per accidens invalida ratione obicis, ſi hoc præceptum ſciret pœnitens, niſi bona fides aliquando excuſet.

11 Objicies contra 1. partem: Sacramentum pœnitentiæ juxta formam judicii eſt exercendum; ſed natura judicii non poſtulat præſentiam judicandi, cùm poſſit judicari & abſolvi etiam abſens, ut patet de excommunicato: ergo ex juſta cauſa validè & licitè poſſet ejus forma proferri ſuper abſentem.

Reſpondeo diſting. min. natura judicii Sacramentalis, neg. natura judicii ordinarii, conc. min. jam autem ſupra dictum eſt in propoſitionibus: hoc judicium pœnitentiale in multis differre ab aliis judiciis humanis, & ſpecialiter eſſe à DEO limitatum ad certam verborum formam & præſentiam judicis & rei.

12 Dices: una potiſſimùm ratio eſſet; cur non valeret formam de abſenti pronunciare: quia de abſenti non poſſit verificari, cùm pronomen *te* ſignificet perſonam præſentem; ſed hæc ratio non obſtat: ergo. Min. prob. tum quia admittimus in propoſitionibus pœnitentem poſſe abſolvi per verbum æquivalens: ut abſolvo Petrum &c. quod etiam non ſignificat perſonam præſentem. Tum quia etiam per pronomen *te*, ſolemus in Epiſtolis alloqui abſentes: ergo.

Contra conc. maj neg. min. cujus probæ primæ neg. ſecundam partem: quia ideò ſolùm per illud verbum æquivalens verificatur forma, quatenus ex circumſtantiis intelligitur de Petro perſonaliter præſente, aliàs non eſſet æquivalens ſenſus huic: *abſolvo te.* Unde ejus ſenſus eſt: abſolvo hunc præſentem, qui vocatur Petrus; ſicut apud Græcos verificatur forma: *baptizatur ſervus Chriſti*, id eſt, hic ſervus baptizatur æquivalenter ad formam latinam: *baptizo te.* Ad probam ſecundam dico: licèt etiam per pronomen *te* alloquamur abſentes in literis, quia tamen non voce profertur, ut requiritur ad formam validam abſolutionis, ut diximus proba prima; ideò non poteſt pronomen *te* ſcriptum valere.

Dices: ſaltem neceſſitas aut utilitas debet hoc admittere valere, cùm ob ægritudines vel alia impedimenta v. g. inter infideles poſſit contingere, quòd pœnitens & Sacerdos non poſſint præſentialiter convenire: ergo expediens fuit, ut Chriſtus ita hoc Sacramentum inſtitueret, ut etiam poſſit inter abſentes fieri abſolutio, cùm hoc Sacramentum ſit æquè neceſſarium, ſicut baptiſmus, qui ob majorem facilitatem eſt inſtitutus, ut à quocunque homine poſſit adminiſtrari.

Contra neg. antec. quia huic particulari utilitati & rariſſimæ neceſſitati præponderabat firmus modus & univerſalis ſine exceptione adminiſtrandi hoc Sacramentum, ne alias plurimis incommodis aperiatur vis, ideò ſic expediebat à Chriſto inſtitui, ut univerſaliter fiat in præſentia Sacerdotis & pœnitentis. Imò

nec tanta urget neceſſitas in hoc Sacramento, ſicut in baptiſmo, nam cùm parvuli ſint rationis incapaces, nou uiſi per manus alicujus alterius poſſunt expiari à ſuo originali, ideò expediens fuit, ut à quolibet poſſit adminiſtrari baptiſmus; aſt cùm uon niſi adulti ſint capaces pœnitentiæ poſſunt ſibi per actum contritionis & voto pœnitentiæ conſulere.

Dices: legitur Thomas Cantuarienſis abſens petiiſſe abſolutionem à Sede Apoſtolica, quæ & illi fuit impertita: ergo.

Contra neg. conſeq. quia Thomas ille non petiit abſolutionem à peccatis, ſed ſolùm ab aliqua cenſura ob majorem ſecuritatem.

Dices: C. *qualis* 30. q. 5. admittitur pœnitentia per Scripturam: ergo.

Contra: tit. C. loquitur de pœnitentia per Scripturam facta præſente Sacerdote, uti diximus in 2. parte aſſertionis.

12 Objicies contra 2. partem: damnatum eſt à Clemente VIII. tam licere per literas confiteri Sacramentaliter Confeſſario abſenti, quàm ab eo abſente abſolutionem obtinere: ergo nec licebit per literas confiteri, & in præſenti obtinere abſolutionem.

Reſpondeo diſting. antec. damnatum eſt illud copulativè, ita, ut uon liceat per literas ſimul confiteri & abſolvi, conc. damnatum eſt illud disjunctivè, & quoad Confeſſionem ſolam, neg. antec. & conſeq.

Dices: ſi poteſt Sacerdos præſens abſolvere pœnitentem quem abſens audivit: ergo etiam poterit abſolvere abſentem, quem præſens audivit, quod tamen in aſſertiona negamus.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia plures cauſæ poterant pœnitentem à vocali & præſentiali Confeſſione impedire, quàm Sacerdotem à vocali & præſentiali abſolutione; ideò ſupra in propoſ. 1. admiſimus pœnitentem poſſe confiteri nutibus & ſignis, non tamen Confeſſarium nutibus & ſignis abſolvere; adeóque ne paſſim hoc Sacramento privarentur fideles ad ſalutem adeò neceſſario, ita inſtitutum eſt.

DISTINCTIO X.

De Efficacia Sacramenti pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An per Sacramentum pœnitentiæ verè abſolvatur pœnitens à peccatis quoad culpam & pœnam æternam ac temporalem?

1 ADvertendum eſt 1. efficaciam & vim Sacramentorum totam conſiſtere in ſignificando & conferendo ſpirituali effectu ſuo; unde effectus communis omnium Sacramentorum eſt conferre gratiam ſanctificantem, jam ergo effectus ſpecialis hujus Sacramenti pœnitentiæ, per quem diſtinguitur ab aliis Sacramentis, eſt remiſſio peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum, ad hunc enim finem fuit hoc Sacramentum inſtitutum per modum judicii, & coëffectus ejus etiam ſunt remiſſio pœnæ æternæ & temporalis, circà quam etiam potiſſimum verſantur judicia; circà primarium ergo effectum ſcilicet remiſſionem peccatorum movetur inter Theologos controverſia, an ſcilicet hoc Sacramentum habeat vim propriè remittendi culpas, & an Sacerdos per verba: abſolvo te à peccatis, verè à culpis abſolvat; negant hoc multi antiqui cum Magiſtro Sententiarum, & ideò dicunt requiri contritionem ante receptionem Sacramenti pœnitentiæ, ut culpa inveniatur antecedenter remiſſa, ideò variè explicant verificationem formæ, quæ expreſsè dicit: abſolvo te à peccatis. Magiſter enim Sententiarum dicit: quòd abſolvo te à peccatis idem ſit, ac oſtendo, vel declaro te abſolutum per contritionem præcedentem. Richardus verò dicit: quòd idem ſit, ac abſolvo te à pœna æterna peccatorum. Alenſis: quòd idem ſit, ac abſolvo te ſolùm à pœna temporali, quæ aliquandò dicitur peccatum juxta illud 2. Mach. *Salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Scilicet à temporali pœna purgatorii. Ocham tandem dicit: hominem abſolvi à culpa non per abſolutionem Sacerdotis in re ſuſcepta, ſed ſolùm iu voto; unde quando poſtea proferuntur verba, homo ſolùm liberatur ab obligatione confitendi, quam priùs retinuerat. Quid verò Scotus noſter in hoc ſentiat, patefaciet aſſertio 1. interim:

Advertendum eſt 2. cùm Sacerdotes habeant claves regni cœlorum juxta illud Chriſti ad Petrum: *tibi dabo claves regni cœlorum, quidquid ligaveris* &c. ſit per eas poterunt ſolvere & tollere, quidquid impedit ingreſſum regni cœlorum, quod uon tantùm eſt culpa, ſed etiam pœna tam æterna quàm temporalis promerita, ideò in abſolutione pœnitentum exercent tam poteſtatem ſolvendi quàm ligandi circà pœnam temporalem, de qua poteſtate dicit Magiſter Sententiarum: quòd talis ſit, quòd non ratificetur ejus actus, niſi conformis ſit judicio divino, ſcilicet niſi in tantùm pœnæ imponat, quantùm ſecundùm juſtitiam divinam correſpondeat peccatis, non enim poteſt totam pœnam temporalem remittere, ſed ſolùm quantùm ratio recta dictat pro ſervanda adhuc juſtitia v. g. teneretur aliquis ſecundùm ſtrictum rigorem juſtitiæ ad pœnam decem dierum, Sacerdos vi clavium præciſè poſſet remittere tres dies, & etiam fortè ut diſpenſator theſauri Eccleſiæ unum vel alterum diem, & poſt hoc totum remanent ſex vel quinque dies de juſtitia, de quibus ſi Sacer- 2

dos

dos aliquid dimittat, non ratificatur in cœlis iſta obligatio, quia tunc clavis poteſtatis errat in ligando & ſolvendo, facit enim hominem magis ſolutum à pœna, quàm DEUS ipſum judicet ſolutum, & per conſequens niſi hos ſex dies hìc in mundo ſolvat; reſiduum exigetur in purgatorio; hoc ergo dicendi modo ponitur pœna illa temporalis in indiviſibili, ſeu puncto mathematico conſiſtere, & ſi hoc punctum Sacerdos non tangit, nunquam ejus judicium ratificabitur: an ergo talis ſolutio pœnæ ab arbitratione Sacerdotis impoſita, ut ratificetur in cœlis, debeat in indiviſibili conſiſtere, manifeſtabit ſententia Scoti in aſſert. 2. interim his notatis:

3 Propoſitio 1. *Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ non abſolvit declarando peccata eſſe remiſſa à DEO.* Ratio eſt: quia Sacerdos eâ proprietate dicitur abſolvere à peccatis, qua dictum eſt Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Sed ibi propriè intelligitur de poteſtate remiſſiva peccatorum quoad culpam, & non ſolùm de declarativa; imò propriè de peccatis, & non de aliis, ut pœnis, & obligationibus: ergo.

4 Propoſitio 2. *Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ non ſolùm abſolvit de pœna æterna peccato debita.* Ratio eſt: tum quia qui abſolvit à culpa, neceſſariò etiam abſolvit à pœna æterna, cùm pœna æterna unà cum culpa remittatur, ut docet Trid. ergo ſi ante abſolutionem Sacerdotis remiſſa eſt culpa, etiam debuit remitti pœna æterna. Tum quia culpa mortalis defactò remittitur infuſione gratiæ, ſed non poteſt cum gratia remanere reatus pœnæ æternæ, cùm gratia ſit defactò ſemen gloriæ, & filiatio DEI ad hæreditatem gloriæ adferens jus: ergo.

5 Propoſitio 3. *Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ non abſolvit tantùm à pœna temporali.* Ratio eſt: tum quia poteſt aliquando contritio eſſe tanta, ut deleat omnem pœnam temporalem: ergo in tali caſu à nullo vinculo abſolveret Sacerdos, & falsè pronunciaret formam. Tum quia illud dicendo nimis derogaretur efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ, cùm alia faciliora dentur remedia ad pœnam temporalem tollendam, ut patet de Indulgentiis & Sacramentalibus, quæ etiam ſine infuſione gratiæ tollunt pœnam temporalem, & ideò ex tali effectu arguere non poſſemus per hoc Sacramentum conferri gratiam: ergo.

6 Propoſitio 4. *Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ non abſolvit ſolùm hominem ab obligatione confitendi.* Ratio eſt: tum quia hoc non eſſet propriè abſolvere à peccatis, prout dicitur: *quorum remiſeritis* &c. & tolleretur poteſtas clavium Eccleſiæ, cùm non eſſet ad mundandam animam, ſed ſolùm ad cæremoniam quandam extrinſecam exercendam. Tum quia, quando venialia ſolùm confiterentur, falſa eſſet forma, quia Sacerdos non poſſet tunc dicere: abſolvo te ab obligatione confitendi peccata, cùm nulla ſit ibi talis obligatio. Tandem ſi per adverſarios votum abſolutionis poſſet delere culpam, cur non magis abſolutio in re ſuſcepta? cùm Sacramentum in re plus poſſit, quàm in voto, nam ideò operatur in voto, quia in re non poteſt haberi.

Propoſitio 5. *Sacerdos per impoſitam ſa-* 7
tisfactionem Sacramentalem confert remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato. Ratio eſt: tum quia illa ſatisfactio impoſita eſt pars ſaltem integralis Sacramenti pœnitentiæ; ſed pars eſt, quæ integrat naturam totius, & ideò naturam totius aliquo modo participat: ergo ſi totum Sacramentum pœnitentiæ ex opere operato præſtat ſuos effectus, etiam ſatisfactio illa à Sacerdote impoſita hoc modo præſtabit ſuum effectum. Tum quia, dum Sacerdos imponit ſatisfactionem, facit hoc authoritate Chriſti ſignificans ſe illam loco pœnæ imponere ad expiandum ab illa: ergo ex opere operato pœnitentem liberat à pœna, aliàs Sacramentum non efficeret id, quod ſignificat: ergo.

Propoſitio 6. *Poteſt Sacerdos pœnitentem* 8
valde bene diſpoſitum propter ſuos intenſos actus, vel propter alia bona opera, vel propter indulgentias ad minorem pœnam vi ſui judicii ligare. Ratio eſt: quia talis pœnitens vi illorum actuum ex parte ſua poteſt multum pœnæ temporalis ſibi remittere, ut ſatis ſuis locis diximus; imò per valde intenſam contritionem poſſet totam pœnam temporalem delere: ergo his conſideratis poteſt optimè Sacerdos ſuum judicium formare, quòd minor ſatisfactio ſit tali pœnitenti imponenda, quàm alteri in peccatis æquali, ſed in actibus & diſpoſitionibus inæquali.

Propoſitio 7. *Non quæcunque etiam mo-* 9
dica ſatisfactio à Sacerdote taxata remittit totam purgatorii pœnam, quæ peccatis debebatur. Ratio eſt contra noſtrum Fabrum: vel Sacerdos juſtâ cauſâ imponit multò minorem pœnam, quàm debeatur peccatis v.g. propter infirmitatem vel impotentiam pœnitentis; ſed tunc per eam non intendit, aut judicat totum reatum pœnæ tollere, ſi enim pœnitens potens eſſet, majorem daret pœnam: ergo. Vel Sacerdos ex ſolo ſuo arbitrio & poteſtate ſibi conceſſa imponit illam modicam pœnam, ſed tunc non eſt credibile, quòd DEUS decreverit pro quacunque levi ſatisfactione Sacramentali remittere quamcunque gravem pœnam in purgatorio luendam, ſed certa quadam proportione, ſcilicet pro majori ſatisfactione majorem, pro minori minorem: ergo. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *per Sacramentum pœ-* 10
nitentiæ verè abſolvitur pœnitens à peccatis quoad culpam. Eſt Scoti in 4. D. 14. q. 4. §. *quantum ad tertium.* & D. 19. q. un. §. *ad quæſtionem motam.* D. 18. éſtque contra Magiſtrum

giſtrum & alios antiquos, quorum ſententis videtur eſſe damnata in Trid. Seſſ. 14. Can. 9. *ſi quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis eſſe nudum miniſterium pronnnciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata. anathema ſit.*

Probatur primò: tum quia Joan. 20. apertè Chriſtus dixit: *quorum remiſeritis peccata.* & Matth. 16. *quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* ergo cùm in primo textu Chriſtus non dixerit: quorum declaraveritis peccata eſſe remiſſa, vel quorum remiſeritis pœnam, ſic debet juxta verborum proprietatem intelligi de vera & propria remiſſione quoad culpam, quæ eſt propria remiſſio peccatorum. Et cùm in ſecundo textu dicat: erit ſolurum in cœlis, quidquid nempe univerſaliter, & quodcunque vinculum ſolveritis ſuper terram, non debet præceſſiſſe aliqua ſolutio priùs à culpa, aliàs debuiſſet dixiſſe: fuit ſolutum in cœlis, cùm ſolutio facta fuiſſet à DEO intuitu contritionis præcedentis abſolutionem. Tum quia Conc. Florent. in literis unionis. & Trid. Seſſ. 14. c. 1. dicit: *Sacerdotibus datam eſſe poteſtatem reconciliandi fideles poſt baptiſmum lapſos.* & c. 3. *præcipuam vim hujus Sacramenti ſitam eſſe in verbis Sacerdotis: ego te abſolvo.* Sed ſi per hoc Sacramentum non vere etiam remitteretur culpa, non eſſet ſpecialis vis in illis verbis: nec eſſet per illud Sacramentum propria reconciliatio, nec dici poteſt illa verificari ratione contritionis, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, nam tam Scotus cit. quàm Trid. cit. can. 4. docet: ſolam attritionem ſufficere ad conſtituendum hoc Sacramentum, quò remiſſio peccatorum obtinetur.

Probatur ſecundò ratione: tum quia Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtrumentum efficax gratiæ, cùm ex Conciliis cit. Sacramenta novæ legis efficiant, quod ſignificant; nam hoc eſt potiſſimum diſcrimen inter Sacramenta veteris & novæ legis, quòd illa gratiam non cauſabant, ſed ſolùm dandam per Chriſti paſſionem ſignificabant, hæc verò eam conferunt; ſed illud inſtrumentum non eſt ſignum rememorativum rei præteritæ, ſed potiùs futuræ abſolutionis aut præſentis, aliàs ſi non importaret cauſalitatem gratiæ remiſſivæ peccatorum, non eſſet Sacramentum novæ legis, cùm nec haberet cauſalitatem, nec etiam diſpoſitionem cauſalem ad remiſſionem, nunquam enim dignè ſuſciperetur Sacramentum, niſi ab habente primam gratiam, & ſic Sacerdos Evangelicus non differret à Sacerdote legali, qui ſolùm peccatorem à lepra mundatum declarabat: ergo cùm hoc ſit nimis derogare Sacramento pœnitentiæ per illud: verè debent abſolvi pœnitentes à culpa. Tum quia ſicut in aliis Sacramentis illa verba: ego te baptizo, te confirmo, hoc eſt corpus meum &c. non materiam ablutam, confirmatam, & converſam declarant, ſed exercitè abluunt, confirmant, & convertunt, ita etiam illa verba: te abſolvo, non declarant ſolùm ſubjectum à peccatis abſolutum, ſed etiam verè & exercitè abſolvunt, aliàs non efficerent, quod ſignificant, & pariter eſſent falſa: ergo.

Objicies; Lucæ 5. dicitur: quis poteſt 11
peccata dimittere, niſi ſolus DEUS? ergo per Sacramentum pœnitentiæ Sacerdos non remittit propriè peccata quoad culpam.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illud Iſa. intelligitur, quòd DEUS ſolus authoritativè & principaliter dimittat peccata, cum quo poteſt ſtare, quòd adhuc Sacerdos diſpoſitivè & inſtrumentaliter illa propriè remittat tanquam inſtrumentum paſſionis Chriſti, quod non eſt ſolùm declarare peccata eſſe remiſſa, ſed cauſare moraliter ſeu diſpoſitivè illam remiſſionem ex pacto DEI, ſicut alterans & generans utrumque dicitur cauſa generati.

Dices: nemo poteſt confiteri niſi ſuſcitatus; ſed ſuſcitatus eſt per gratiam: ergo priùs debent eſſe dimiſſa peccata, antequam confiteatur, & abſolvatur. Maj. prob. tum per S. Auguſt. primò exemplo Lazari: qui priùs fuit ſuſcitatus, quàm à monumento eductus, & à vinculis liberatus. Secundò juxta illud pſal. *nunquid medici ſuſcitabunt & confitebuntur.* Tertiò juxtà illud Eccl. 17. *à mortuo velut, qui non eſt, perit Confeſſio.* Tum per S. Hieron. *apud Dominum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæritur;* cùm in Levitico leproſi ſe oſtendere Sacerdotibus juberentur, quos illi non faciunt mundos, ſed diſcernunt, qui mundi & qui immundi ſunt: ergo.

Contra: diſting. cum Scoto maj. niſi ſuſcitatus vel ſimpliciter, id eſt, per contritionem, vel ſecundùm quid, id eſt, per attritionem, ſeu ut loquitur Scotus per aliqualem diſplicentiam de peccatis, conc. maj. niſi ſuſcitatus ſemper ſimpliciter, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. adeóque qui accedit cum attritione ad Sacramentum pœnitentiæ, ille tunc primò per Sacramentum ſuſcitatur ſimpliciter dicit Scotus, quamvis illi, qui accedit cum contritione non deleatur per Sacramentum peccatum, ſed ſolùm gratia, quæ infuit, augeatur. Concedit ergo Scotus frequenter dimitti peccatum per motum contritionis ante ſuſceptionem Sacramenti, non tamen ſequitur, quòd per Sacramentum non dimittatur, quia ſi illa alia dimiſſio quandoque non adſit, ipſa dimiſſio Sacramentalis non deficit? Hinc ad rationes S. Auguſt. ad primam de Lazaro dicit: in illo figurari reum, qui obligatur duplici debito ſcilicet pœnæ æternæ, quo vinculo ſoluto adhuc eſt obligandus ad pœnam temporalem; priùs ergo ſuſcitatur per remiſſionem primi debiti, quàm ſolvatur à ſecunda obligatione, quod utrumque poteſt pertinere ad Sacerdotes non quidem, ut ſolvant ſimpliciter

citer

citer utrumqne authoritativè & principaliter, ſed ſolùm pro rata pœnæ temporalis, quàm authoritativè vi clavium poſſunt remittere, & ſic peccator ſolutus à vinculis inferni, relinquitur diſcipulis ſolvendus à vinculis pœnæ temporalis. Vel dici poteſt peccatorem ſicut Lazarum priùs debere ſuſcitari, ſed non ſemper ſimpliciter, ſed aliquando ſolùm ſecundùm quid, quod etiam S. Auguſt. ſentit. in Tract. 29. in Joan. dicens: *Ideò DEUM ſuſcitare Lazarum mortuum, quia ſuo clamore vocans eum facit, ut veniat foras, hoc eſt, ut foras prodat per confeſſionem peccatum, ut poſſit abſolvi per claves.* ut expreſſiùs loquitur l. 2. de adulterinis conjugiis c. 9. ad rationem ſecundi dicit: Medicos illos ſpirituales non ſuſcitare principaliter & authoritativè, benè tamen miniſterialiter. Ad rationem tertii dicit: duplicem eſſe confeſſionem ſcilicet, laudis & fraudis; Confeſſio ergo laudis omnino non dignè confitetur, ſed potiùs parie, niſi priùs peccator ſuſcitetur juxta illud: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Aſt confeſſio fraudis accepta eſt DEO in ore peccatoris, ſeu ejus, qui adhuc eſt peccator habitualiter, dum tamen non eſt peccator in actu voluntatis interiore vel exteriore. Tandem ad illud Hieronymi dicit: quòd hæc propoſitio ſit vera, ſicut Sacerdos legalis declarabat leproſos mundatos, ita & Sacerdos Evangelicus peccatores juſtificatos; aſt hæc propoſitio: non aliter declarat Sacerdos Evangelicus quàm legalis, eſt falſa, cujus ratio eſt: quia non dedit DEUS in veteri lege aliquam cæremoniam, cui miniſtratæ à miniſtro idoneo aſſiſtat regulariter ad mundandam lepram corporalem, in lege verò nova dedit aliquod Sacramentum, cui ex pacto regulariter aſſiſtit ad mundandum ſpiritualiter, niſi impediat obex contrariæ voluntatis

12 Aſſero 2. *Per Sacramentum pœnitentiæ in tantùm de pœna temporali remittitur vi clavium judicio rato in cœlis, in quantùm adhuc ligando ad aliquam pœnam ſervatur medium rationis, ſeu ſecundum aliquam latitudinem, licèt non medium rei, ſeu ſecundùm punctum indiviſibile pœnæ gravitati peccatorum correſpondentis:* Eſt Scoti in 4. D. 19. q. un. §. *ad quæſtionem motam.* D. 18. contra Magiſtrum ſententiarum.

Probatur 1. pars primò: Juſtitia commutativa in aliis commutationibus habet aliquam latitudinem ita, ut reſpiciat medium rationis inter pretium ſummum & infimum: ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ, quæ eſt juſtitiæ punitiva & commutativa pœnæ pro culpa, non reſpiciet gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem culpæ, ſed reſpiciet aliquam latitudinem, infra quam pœna minor non ſufficit, & ultra quam pœna major non eſt imponenda, & extra quam totam latitudinem clavis citra vel ultra ligans errat, & judicium talis Sacerdotis non ratificatur in cœlis, niſi pro rata &c.

Probatur 2. poteſtas judiciaria commiſſa Eccleſiæ regulatur per ſcientiam humanam in fide & prudentia fundatam, aliàs Eccleſia non haberet ſufficientem regulam directivam ſuæ poteſtatis juriſdictionis, ex qua poſſit diſcerni medium debitum juſtitiæ: ergo ea hac regula & ſcientia poteſt determinari medium ſufficiens quoad acceptationem divinam, ultra quam DEUS aliud non exigit. ſubſumo; ſed tale medium ſemper eſt ſecundùm latitudinem prudentis rationis, cùm homo per ſcientiam humanam ſine revelatione non poſſit attingere illud punctum indiviſibile pœnæ purgatorii ex ſe correſpondentis: ergo. Conſeq. prima prob. omne judicium fundatum in plenaria poteſtate & non reſervata in aliquo foro debet poſſe completè in illo foro ſecundùm leges & regulas illius fori, aliàs illa poteſtas eſſet frivola & fruſtranea, ſed Eccleſiæ eſt commiſſa poteſtas plenaria judicandi & vindicandi peccata quoad pœnam temporalem ad ſatisfactionem DEI: ergo ex illa regula & ſcientia humana poteſt determinari medium pœnæ, ultra quod DEUS non requirit plus nec in hac nec in altera vita. Min. prob. ſi Eccleſiæ ſolùm eſſet poteſtas vindicandi peccatum ad ſatisfactionem Eccleſiæ, aut ad correctionem peccatoris per modum medicinæ, non eſſet ratio, cur dicamus per Eccleſiaſticam impoſitam ſatisfactionem tolli aliquid pœnæ debitæ in altera vita, quod nullus dicere poteſt, cùm de fide ſit opera ſatisfactoria ſive per clavem impoſita ſive ſpontaneè aſſumpta remittere pœnam alterius vitæ temporalem: ergo à DEO acceptatur per modum ſatisfactionis condignæ ſecundùm medium poſſibile à judicio humano determinata illa ſatisfactio. Antec. ultra prob. ſi DEUS non vellet ab Eccleſia eſſe exercendam poteſtatem etiam vindicandi ad æqualitatem culpæ per pœnam etiam ad ſatisfactionem DEI in altera vita, ſic DEUS ultra pœnam reſervatam pro altera vita determinâſſet aliam pœnam æqualem etiam in hac vita injungendam pro culpa, cùm obliget Sacerdotes ad imponendas pœnitentias proportionatas, & ſic puniret bis id ipſum peccatum, quod non congruit ejus miſericordiæ.

Probatur 2. pars primò: Nulli commit- 13
titur poteſtas arbitrandi in cauſa aliqua, cujus arbitrium nunquam erit ratum ex quacunque adhibita diligentia, ſed ſolùm caſu vel per miraculum ſpecialis revelationis DEI præter intentionem judicis; atqui ſi judicium Sacerdotis ſolùm eſſet ratum, ſi fit juxta punctum indiviſibile pœnæ alterius vitæ correſpondentis peccato, ſecundùm medium rei nunquam illud attingeret, niſi ex caſu vel miraculo: ergo non poſſet Sacerdos unquam per ſe judicare ſeu arbitrari de pœna temporali, & ſatisfactione ei correſpondente.

Probatur ſecundò: Tum quia pœnitens tenetur adimplere pœoitentiam injunctam, etiamſi parum major ſit, quàm ille gradus, qui peccato debetur: ergo etiam ſatisfaciet, ſi adimpleat pœnam convenientem, licèt in aliquo modico non attiogat rigotem indiviſibilem pœnæ determinatæ à DEO & ſolvendæ inpurgatotio, nam ſi non ſufficeret aliqua citra illam punctualem, quam dictat divina juſtitia, non oporteret explere aliam ultra illam puoctualem. Tum quia arbiter non teoetur arbitrari inter partes ſecundùm voluntatem ignotam alterius partis; ſed in ſoro pœnitentiæ Sacetdos eſt arbitet inter DEUM & peccatotem: ergo non tenetur arbitrari ſecundùm voluntatem DEI ignotam, ſed ſi judicium ratum ſolùm eſſet juxta punctum indiviſibile pœnæ ex ſe correſpoodentis culpæ, Sacerdos deberet arbitrari ſecundùm voluntatem DEI ignotam, cùm voluntas DEI quoad hoc indiviſibile punctum ſit ignota: ergo cùm non cooveniat poteſtatem arbitrandi ſic eſſe ttaditam, ejus judicium ratum non debet attingere illud puoctum indiviſibile pœnæ correſpondentis.

14 Objicies: ut proportio ſatisfactionis pœnitentialis judicetur ſufficiens & condigoa ac rata, debet ſumi in ordine ad pœnam alterius vitæ; ſed hæc eſt determinata per divinam juſtitiam ad certam meoſuram, quam Sacerdos aut Eccleſia nequit cognoſcere: ergo non poteſt tantùm pœnæ remittere per ſatisfactionem impoſitam judicio rato, quin ſervet medium tei & punctum indiviſibile pœnæ à juſtitia divina determinatæ.

Reſpoodeo oeg. maj. vel potiùs ſuppoſitum ejus: quia juſtitia divina non ita determinavit pœnam temporalem debitam peccato, ut determinatè obligaverit ad pœoam alterius vitæ, ſed determinavit pœnam condignam vel in hac vita per condignam ſatisfactionem exhibendam, vel certè in altera vita; imò pœnam condigoam hujus vitæ magis & primariò intendit, ut patet tam per Scripturam, quæ nos jubet ſacere dignos ſructus pœnitentiæ, & redimere peccata noſtra, quàm per inſtitutionem hujus Sacramenti, & poteſtate data Sacerdotibus ut arbitris, & præcepto pariter ex natura ſoti, quo tenentur meoſurare ſatisfactiones imponendas juxta qualitatem delicti, ad quam reſpicere debent præſcribendo opus ſatisfactorium, non verò ad pœnam alterius vitæ, quæ non ſpectat ad ipſorum ſorum, & de qua noo habent jus & poteſtatem cognoſcendi, cùm DEUS pœnam alterius vitæ ſolùm decreverit ex omiſſione pœnæ proportiooatæ in hoc ſtatu viæ; medium ergo pœnæ convenientis & condignæ hujus vitæ poteſt Sacerdos ſine miraculo & ſpeciali tevelatione cognoſcere ſequendo tegulam ſacræ Scripturæ, Canonum, & prudentiæ, ex quibus poteſt percipere qualitatem delicti; adeóque cùm tegula injungeodæ ſatisfactionis ſit qualitas ſeu gravitas & levitas criminum, ſic non eſt tatio, cur Sacerdos non poſſit attingere illam regulam certam judicandi de criminibus, & ea cum certa menſura puniendi ita, ut opera ſatisfactoria in æſtimatione motali adæquent crimina quoad gravitatem per ſuam pœnalitatem injunctam, & diuturnitatem ejus. v. g. violavit aliquis jejunium vigiliæ; ſufficiens erit ſatisfactio, ſi præſcribatur ei jejunium unius, vel duorum dierum cum otatione, aut eleemoſyna, aut aliquo æquivalenti opere atduo. Neque enim ita in hoc puncto Spiritus S. aſſiſtens Eccleſiæ, & ejus Doctoribus iſtos deſeruit, ut regulæ eorum teceptæ ptaxi & rationi innitentes ſint ita ſrivolæ, ut non valeant ad firmum judicium. Si ergo Eccleſia tectè judicet qualitatem peccati ſecundùm gradum oppoſitionis ad virtutem ejus, & legem DEI, cur non etiam poterit diſcernere illa opera, quæ æquivaletent in tatione boni, & pœnæ ipſi peccato, quæ, ſi præſcribuntur, erunt ſufficiens & æqualis ſatisfactio, ut innititur meritis Chriſti, & efficaciæ clavium; aliàs inconvenienter eſſet data poteſtas clavium arbitrandi de puniendis peccatis, ſi tale arbitrium nunquam poſſet eſſe firmum.

Dices: Non eſt inconveniens ut Sacerdos neſciat attingere medium indiviſibile, quin aliquando majorem, vel minotem pœnam injungat, cùm ſufficiat, ut Sacerdos modo humano injungat pœnam conſiderata gravitate peccati, & modo converſioois, & aliis citcumſtantiis peccatoris: ergo nec eſt inconveniens ejus judicium nunquam eſſe ratum, ſi illud punctum indiviſibile non attingit.

Contra neg. ant. Nam poteſtas clavis non poteſt conſiſtere ſine clavi ſcientiæ, ut ſuo loco dicemus; cùm ergo ſit Sacetdoti data poteſtas ſolvendi, vel ligandi non ſolùm culpam & pœnam æternam, ſed aliam temporalem, ut dicit Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 8. ſic etiam hæc dicitur eſſe conſtituta ſub arbitrio & ſcientia Sacerdotis ſecundùm debitum & rectum modum ſervandæ juſtitiæ inter peccatorem & DEUM offenſum; adeóque etiam hoc judicium commiſit DEUS Eccleſiæ, ad quod Sacetdotes ex natura hujus foti, & præcepto divino tenentur, ut pro qualitate criminum ſatisfactiones convenienter imponant, ſi poteſtas & ſacultas pœnitentis id permittat, per quas ſolam pœnam temporalem poſſunt delere, cùm etiam aliquando dolor & contritio poſſit eſſe talis perfectionis, ut ipſa ſola ſufficiat ad delendam totam pœnam in divina acceptatione.

Dices: ergo ſemper, quandò Confeſſarius prudenter judicat ſuam pœnitentiam injunctam eſſe in aliqua latitudine medii juſti, æqualem delictis, remitteret totam pœnam ita, ut ſatisfactione peracta, ſicut oportet, nihil ampliùs remaneat luendum in purgatorio.

Sed

Sed hoc non, cùm vix ullus ex hac vita decedens paulò poſt confeſſionem peractâ pœnitentiâ veniret ad purgatorium: ergo.

Contra diſting. illatum. Si prudenter judicat clave noo errante citra latitudinem juſti medii pœnæ temporalis, conc. ſi prudenter judicat clave tamen errante, neg. illatum. Dum ergo datur juſta ſatisfactio, quæ ut talis videtur prudenti Sacerdoti attenta qualitate & quantitate peccatorum, tollitur omnis pœna etiam in purgatorio luenda; quia tamen ſæpe etiam Sacerdotes illam latitudinem juſti medii noo attingunt, ſæpe etiam aliqua pœna luenda relinquitur ad purgatorium.

QUÆSTIO II.

An Sacramentum pœnitentiæ ſemper conferat ſuum effectum, ſeu an poſſit eſſe validum & informe?

15 ADvertendum eſt: Aliud eſſe Sacramentum validum, & aliud informe; validum eſt, quando conſtat omnibus ſuis partibus eſſentialibus, informe verò, quando actu noo confert gratiam ſanctificantem ob indiſpoſitionem ſuſcipientis; cùm ergo quædam Sacramenta poſſint eſſe vera & valida, & carere effectu gratiæ, ut dicitur de baptiſmo, quando ſuſcipitur cum fictiooe, etiam hic oritur difficultas de Sacramento pœnitentiæ: an in aliquo caſu poſſit eſſe validum, & tamen eſſe informe, ſeu carere effectu gratiæ, quæ eſt forma ſanctificans animam. Affirmativam communiter tenent Thomiſtæ, qui tamen adhuc ioter ſe diſcrepant in aſſignandis caſibus, in quibus poſſit eſſe hoc Sacrameotum validum, & tamen ioforme; omoes enim dicunt hoc poſſe evenire ex defecto doloris, ſi oempe pœnitens accedat ſine dolore, vel ſolùm aliquali & ioſufficiente; alii tamen dicunt ſufficere ad eſſentiam Sacramenti conſtituendam, non verò ad effectum gratiæ conferendum dolorem oaturalem. Alii verò dicunt ſufficere ſupernaturalem, licèt ineſſicacem quoad propoſitum peccandi, vel qooad iſtam deteſtationem peccati. Alii iterum dicunt ſufficere dolorem imperfectum intenſivè. Alii taodem magis communiter dicunt ſufficere dolorem ſupernaturalem imperfectum extenſivè, ſi pœnitens v. g. accedat cum dolore omoium quidem peccatorum, quorum recordatur, ſed non eliciat actum doloris univerſaliter & io genere de omnibus mortalibus, quæ commiſit, immemor invincibiliter alicujus; in quo caſu videtur Sacramentum eſſe quidem validum, ſed non poſſe habere gratiam, cùm unum peccatum mortale non remittatur ſine alio, & illud peccatum ignoratum non remittatur ſine dolore. Quid autem de hoc difficultate ſentiat Scotus, patebit ex aſſertione. Interim his notatis:

Propoſitio 1. *Quandocunque deeſt ſufficiens diſpoſitio pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ ad effectum ejus, etiam deeſt ſufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ ad validitatem ejus.* Ratio eſt: quia ſub eodem gradu latitudinis ſuæ prorſus idem eſt dolor, qui requiritur neceſſariò ut diſpoſitio ad effectum Sacramenti, & qui requiritur ut pars eſſentialis ejuſdem: ergo quandocunque deeſt &c. ant. prob. quia tam Florent. quàm Trid. aſſignant eundem dolorem tanquam de neceſſitate hujus Sacramenti indiſtinctè ad effectum ejus, vel ad cooſtitutionem ejus per modum partis eſſeotialis; nam Trid. Seſſ. 14. eundem dolorem, quem C. 3. definit eſſe materiam hujus Sacramenti, ſtatim C. 4. docet peccatorem diſponere ad impetrandam gratiam in hoc Sacramento: ergo 16

Propoſitio 2. *Neceſſe eſt, ut, qui validè confitetur, habeat intentionem adæquatam reconciliationis cum DEO, ut non ſufficiat ſpecialiter intendere conſequi remiſſionem eorum peccatorum, quorum recordatur, putans non habere alia, & ideò non intendere deteſtationem aliorum oblitorum, putans ſe non indigere deteſtatione aliorum.* Ratio eſt: quia Coocilia & PP. expreſsè requirunt tam benè dolorem debere verſari circa peccata omnia commiſſa, qualia etiam ſunt oblita, verè tamen commiſſa, quàm propoſitum circa omnia, quæ de cætero committi poſſent; quia implicat peccatorem ad hoc Sacramentum accedere cum efficaci voluntate reconciliandi ſe cum DEO, qualis ex Conciliis requiritur, & ooo accedere animo ſaltem virtuali tollendi omne impedimentum, quod poſſet recooiliationem impedire, quale eſſet peccatum commiſſum etiam inculpabiliter oblitom, ſi oon adeſſet animus promptus erumpendi in dolorem formalem, quandocunque menti occurreret illud peccatum oblitum, in qua promptitudine diximus cooſiſtere dolorem virtualem illius peccati obliti Diſt. 3. q. 4. de cootritionis extenſiooe: ergo cùm in ipſa efficaci voluntate reconciliandi ſe DEO ſaltem implicitè debeat includi averſio ab omni peccato mortali, cum quo repugnat reconciliatio, noo poteſt pœnitens ooo intendere deteſtationem aliorum oblitorum, putans ſe oon indigere illorum deteſtatione, quia contradiceret priori dolori, & intentioni efficaci, & illam redderet inefficacem, & inſofficientem ad Sacramentum. 17

Propoſitio 3. *Nunquam poteſt ſufficere ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ dolor naturalis, aut ſupernaturalis inefficax.* Ratio primi eſt: quia dolor ad eſſentiam hujus Sacramenti requiſitus debet eſſe ſupernaturalis. Cùm Trid. Seſſ. 14. c. 4. dicat illum eſt donum DEI, & Spiritûs S. impulſum, quod autem fit ex dono DEI, aut impulſu Spiritûs S. eſt ſu- 18

eſt ſupernaturale: ergo. Ratio ſecundi eſt: quia ex eodem Trid. dolor pro materia Sacramenti pœnitentiæ debet continere deteſtationem peccati commiſſi, & propoſitum de cætero non peccandi, ſeu qui omnem voluntatem peccandi debet excludere. Sed hoc ſolùm poteſt dolor afficax & abſolutus præſtare, ut de ſe patet: ergo. Tum quia ex Trid. propoſitum debet eſſe efficax, aliàs non excluderet omnem voluntatem peccandi: ergo & deteſtatio debet eſſe efficax; cùm propoſitum non peccandi ortum ſuum ducat ex deteſtatione peccati præteriti. Sed repugnat effectum eſſe perfectiorem ſuâ causâ: ergo.

19 Propoſitio 4. *Dolor ſubſtantialis imperfectus tam intenſivè, quàm extenſivè formaliter, dummodo ſit perfectus virtualiter, non ſolùm ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, ſed etiam ad effectum ejus.* Ratio primi eſt: quia etiam ad fructuoſum Sacramentum nulla certa intenſio pro dolore ſacramentali requiritur ita, ut nullus intenſionis defectus poſſit reddere dolorem ad effectum Sacramenti inſufficientem, ut diximus Diſt. 3. q. 5. de contritionis intenſione. Ratio ſecundi eſt: quia ille dolor ſe virtualiter tantùm extendens ad omnia peccata facit hominem eſſe paratum ad deteſtandum omne peccatum, ſi ipſi menti occurreret, uti diximus ſufficere ad obtinendam remiſſionem peccatorum Diſt. 3. q. 4. de contritionis extenſione: ergo repugnabit accedere pœnitentem cum dolore tali ſufficiente ad eſſentiam Sacramenti, & non ad effectum ejus. His ergo propoſitis:

20 Aſſero ad quæſt. *Non poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validum & informe.* Eſt Scoti in 4. D. 1. q. 5. §. *contra iſtam opinionem*, circa finem. Eſtque contra Thomiſtas & aliquos Recentiores.

Probatur primò: Scotus cit. dicit: *In fictè pœnitente nihil eſt*, (intellige, ut ſpiritualis quidam ornatus, vel ut character, ſicut in aliquibus aliis Sacramentis) *quod ſufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ* (ſeu, à quo moveatur DEUS ad cauſandam gratiam correſpondentem ablato obice) *alioquin non oporteret talem fictè pœnitentem de eiſdem peccatis aliàs confiteri.* Quod eſt contra communem: ergo Sacramentum nunquam fuit validum & informe, ut recedente obice fieret formatum.

Probatur ſecundò: ut confeſſio ſit pars Sacramenti, non ſufficit qualiſcunque accuſatio, quaſi narratio hiſtorica, ſed requiritur doloroſa, in quantùm ſufficit ad reconciliationem cum DEO, ſed nunquam eſt talis, niſi per eam ſignificetur reum ita pœnitere ſui peccati commiſſi, ut poſſit hoc peccatum per ſacramentalem confeſſionem remitti: ergo nunquam eſt dolor aliquis ſufficiens ad valorem Sacramenti, quin etiam ſit ſufficiens ad effectum ejus. Per conſequens, ſi Sacramentum eſt informe abſque effectu, erit etiam nullum ob defectum ſufficientis materiæ ad eſſentiam ejus. Maj. prob. nullus eſt dolor ſufficiens ad eſſentiam confeſſionis ſacramentalis, qui non ſit ſufficiens ad reconciliationem cum DEO tanquam effectum ejus: ergo confeſſio ita debet eſſe doloroſa, in quantùm ſufficit ad reconciliationem cum DEO. Ant. patet ex Trid. cit. propoſitione prima. Tum quia eatenus dolor de peccatis eſt materia, & pars hujus Sacramenti, quatenus ad peccati remiſſionem, & reconciliationem requiritur, & ſufficiet, ut peccatum poſſit remitti: ergo ſi ille dolor non eſt ad remiſſionem peccati, ſeu tanquam ad effectum Sacramenti ſufficiens, etiam deeſt materia, ſeu pars eſſentialis Sacramenti. Per conſequens etiam eo ipſo Sacramentum eſt invalidum.

Probatur tertiò: Confeſſio abſque dolore eſt invalida & nulla, etiamſi talis defectus doloris procedat ex ignorantia invincibili, cùm deficiat in parte eſſentiali materiæ, quam nulla ignorantia poſſet ſupplere, ut etiam patet in aliis Sacramentis: ſic baptiſmus ſine aqua naturali collatus eſt nullus, licèt hic defectus ex ignorantia inculpabili irreperet; ſed omnis, qui accedit abſque dolore ſufficiente pro remiſſione peccatorum, ſeu juxta Concilia ad effectum Sacramenti pœnitentiæ requiſito, accedit ſine dolore ſufficiente pro materia Sacramenti, & quaſi ſine omni dolore, ut diximus in propoſit. prima: ergo non poteſt hoc Sacramentum eſſe validum, & informe ex defecto doloris.

Probatur quartò: ad valorem eſſentialem hujus Sacramenti requiritur dolor efficax reconciliationis hominis cum DEO; ſed talis non ſolùm ſufficit ad eſſentiam, ſed etiam ad effectum Sacramenti pœnitentiæ: ergo non poteſt eſſe validum & informe defectu doloris. Maj. patet tum ex Trid. Seſſ. 14. c. 3. & 4. tum quia, niſi offendens efficaciter deteſtetur offenſam amico illatam, firmúmque concipiat propoſitum illum non ampliùs offendendi, non poteſt habere verum animum ſe reconciliandi cum amico, ſed tantùm ſimulatè & fictè procederet. Ergo dolor reconciliativus Sacramenti reconciliativi debet eſſe efficax deteſtatio de commiſſis offenſis ſe extendens virtute ad omnem gravem offenſam DEO factam. Min. prob. talis dolor reconciliativus cum DEO continet implicitè deteſtationem omnium peccatorum mortalium; ſed talis dolor continens eſt fructuoſus gratiæ: ergo. Maj. iterum patet: quia omnis amor efficax alicujus boni continet implicitè deteſtationem mali contrarii, quamvis homo non recordetur ejusdem. Min. etiam patet, quia tali dolori eſt promiſſa ex S. Scriptura remiſſio peccatorum, ut diximus Diſt. 3. q. 4.

Probatur quintò: ſi ex defectu integritatis unum mortale omittitur in confeſſione, non poteſt dari Sacramentum validum & informe;

formæ: ergo etiam in illo, qui eſt immemor alicujus peccati, & accedit ſolùm cum dolore formali aliorum peccatorum, non habebitur Sacramentum validum & informe, ſed formatum, ut ſolùm remaneat obligatio dolendi, & iterum confitendi illud peccatum omiſſum, quando menti occurret. Antec. admittitur ab omnibus, quia vel fuit peccatum omiſſum culpabiliter, & tunc Confeſſio erit nulla, ut omnes fatentur, quia adeſt obex peccati, & deficit propoſitum non peccandi, cùm in ipſa tali Confeſſione ſit peccatum; vel fuit omiſſum inculpabiliter, & tunc Confeſſio erit valida & formata, ac illud peccatum indirectè erit remiſſum, & ſolùm manebit obligatio illud confitendi, ſi menti occurrerit, vel commoda occaſio id admiſerit. Conſeq. manifeſtè ſequitur, quia ideò in primo caſu Confeſſio eſt valida & fructuoſa, quia pœnitens ob ſufficientem adhibitam diligentiam promptus eſt ad illud peccatum manifeſtandum in Confeſſione, ſi menti occurreret, vel occaſio admitteret: ergo etiam hoc in ſecundo caſo eſt admittendum, ſi accedit ſolùm cum dolore formali aliquorum peccatorum, & non aliorum ignotorum ſuppoſito adhibito ſufficienti examine. Conſeq. hæc iterum patet, ſuppoſito diligenti examine vel taliter dolens eſt ita diſpoſitus, ut etiam prorumperet in formalem dolorem peccatorum ignotorum, ſi menti occurrerent, vel non eſt ita diſpoſitus? ſi primum: ergo talis dolor ſe virtualiter extendit ad omnia peccata, & ideò debet eſſe fructuoſus, ſicut in priori caſu de confeſſionis integritate. Si verò ſecundum, tunc nec eſſet dolor reconciliativus, nec efficax, nec ſufficiens etiam ad validitatem Sacramenti, quod requirit dolorem verum, efficacem, & non ſimulatum. Obſervari poterit hoc argumentum potiſſimum urgere contra communiorem modum illum aſſignandi caſum, in quo Sacramentum poſſit eſſe validum & informe, uti prænotavimus in advertentia.

21 Objicies: poteſt dari Sacramentum baptiſmi validum & informe quoad effectum: ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ. Conſeq. prob. tam bene in Sacramento baptiſmi in homine adulto habente conſcientiam peccatorum mortalium requiritur dolor de eiſdem, & verificatio formæ de ablutione peccati, quàm in Sacramento pœnitentiæ; ſed non obſtante carentiâ doloris, aut ſaltem ſufficientis doloris, & rigoroſæ ſignificationis formæ, *ego te abluo*, adhuc Sacramentum baptiſmi eſt validum, licèt ſit informe: ergo.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: quia in Sacramento baptiſmi, & aliis quibusdam diſpoſitio neceſſaria ad effectum diſtinguitur ab omnibus iis, quæ ad eorum eſſentiam requiruntur: in Sacramento verò pœnitentiæ ille idem actus doloris, qui eſt diſpoſitio neceſſaria ad effectum, eſt etiam ipſius pars eſſentialis; hinc ad probam diſtinguo 1. partem maj. tam bene requiritur dolor in baptiſmo ſub formalitate diſpoſitionis neceſſariæ, quàm in pœnitentia, conc. tam bene in baptiſmo ſub formalitate materiæ & partis eſſentialis, neg. adeóque cùm baptiſmus vel confirmatio non includat ut partem eſſentialem iſtam diſpoſitionem ſuſcipientis, ſic poteſt eſſe validus quoad eſſentiam, & informis quoad effectum, quia poteſt omnia eſſentialia includere, licèt debitam diſpoſitionem non includat ad effectum; Sacramentum verò pœnitentiæ includit iſtam pœnitentis diſpoſitionem ut partem eſſentialem, quam ſi ſemel includit, non ſolùm erit validum, ſed etiam efficax; ſi verò ſemel non includit, non ſolùm erit inefficax, ſed etiam invalidum. Ad 2. partem maj. etiam eſt diſparitas: quia forma baptiſmi non expreſsè ſignificat effectum gratiæ, vel ſolùm gratiam, ſicut forma abſolutionis, ſed applicationem materiæ, ut in baptiſmo, *Ego te abluo*, & in confirmatione, *ego te ſigno*, vel ſaltem alium effectum inſeparabilem, ſcilicet characterem, ratione cujus in virtute Sacramenti jam ſuſcepti confertur gratia ſtatim obice ablato: quare per ſolam carentiam gratiæ non ita falſificatur forma in his Sacramentis, ſicut in pœnitentia. Tandem tota ratio, cur baptiſmus poſſit eſſe validus & informis, non tamen pœnitentia, eſt, quia baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſalutem initerabile; adeóque ne præcludatur via ſalutis, dicendum eſt eundem baptiſmum cum obice ſuſceptum habere poſtea vim remittendi peccata obice ſublato, quæ neceſſitas de Sacramento pœnitentiæ non urget, cùm iterari poſſit.

Dices: gratia eſt effectus Sacramenti: ergo non pertinet ad ejus eſſentiam, cùm effectus ſit poſterior cauſâ, eámque ſupponat completam: ergo poteſt Sacramentum eſſe in eſſentia validum, non tamen formatum per gratiam.

Contra neg. 2. conſeq. quia ſaltem Sacramentum debet cauſare ſuum effectum ad inſtar cauſæ naturalis, quæ ſtatim, ac eſt, ſi impedimentum non habet, ſemper cauſat ſuum effectum; adeóque Sacramentum pœnitentiæ, quamprimò eſt validum, non ampliùs habet impedimentum, ideò ſemper debet cauſare gratiam, per quam ſit formatum.

Dices: dolor, qui requiritur, ut ex eo tanquam diſpoſitione cauſetur gratia, non requiritur ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ: ergo non ſtatim Sacramentum, ac eſt tale, cauſat ſuum effectum. Antec. prob. dolor ad eſſentiam Sacramenti ſufficit, ut ſit eorum peccatorum mortalium, quorum fit Confeſſio, & non eorum oblitorum naturaliter, & invincibiliter; non enim peccat in non dolendo de omnibus prudenter credens non habere alia mortalia; ſed ad effectum Sacramenti etiam requiritur dolor omnium peccatorum non-

dum remiſſorum, quia unum peccatum non remittitur ſine alio, nec ſine proprio actu ſaltem virtualiter in omnia commiſſa tendente ob motivum omnia peccata comprehendens: ergo.

Contra neg. antec. quia Concilia eundem dolorem, qui ſufficit ad eſſentiam Sacramenti, etiam dicunt ſufficere ad effectum Sacramenti, ut patet propoſit. 1. & proba 2. & 3. ad prob. diſtinguo maj. ad eſſentiam Sacramenti ſufficit dolor peccatorum, quorum fit Confeſſio, & non aliorum oblitorum invincibiliter, ita, ut nec ad hæc ſe extendat virtualiter, neg. ut ſe ad hæc etiam virtualiter extendat, conc. maj. diſtinguo min. ſed ad effectum Sacramanti requiritur dolor omnium ſemper formaliter, neg. aliquorum formaliter, & aliorum virtualiter, conc. min. hinc ſi pœnitens ſolùm habet dolorem formalem de peccatis confeſſis, & non de oblitis, ſi ille dolor non etiam poſſet prorumpera in dolorem formalem de oblitis, ſi menti occurrerent, talis eſto non peccaret non dolendo de ipſis ob ignorantiam invincibilem, quæ à peccato excuſat, non tamen in eo caſu faceret validum Sacramentum, cùm non adeſſet materia neceſſaria, quæ eſt dolor reconciliativus cum DEO, qui ſemper ſaltem implicitè, & virtualiter continet deteſtationem omnium mortalium etiam inculpabiliter oblitorum.

Dices: ſaltem poſſet Sacramentum pœnitentiæ eſſe validum & informe reſpectu peccatorum venialium. Quod probatur: ſi Confeſſio fit de venialibus annexum habentibus aliquod mortale, ſi hoc eſt invincibiliter oblitum, non remittitur, & tamen Sacramentum eſt validum, ſi ponit dolorem ſufficientem pro venialibus, & non mortalibus; præſertim, ubi in noſtra ſententia pro venialibus ſufficit minor diſpoſitio doloris, quàm pro mortalibus, pro quibus nullatenus eſt ſufficiens. Ergo.

Contra neg. aſſumptum. ad prob. neg. antec. quia ad eſſentiam Sacramenti etiam de venialibus habentibus annexum mortale licèt invincibiliter oblitum requiritur dolor reconciliativus peccatoris cum DEO, qui virtualiter extenditur ad omne mortale etiam oblitum; utpote quod eſſet impedimentum reconciliationis; adeóque tale Sacramentum habens talem dolorem non ſolùm eſt validum, ſed etiam formatum; quando ergo in noſtra ſententia minorem dolorem admittimus pro venialibus, eſt intelligendum de ſolis venialibus nullum mortale annexum habentibus; unde ſi habens mortale licèt invincibiliter ignoratum annexum cum venialibus ſolummodò poneret illum dolorem minorem alias ſufficientem pro ſolis venialibus, non haberet dolorem ſufficientem etiam ad validitatem Sacramenti in homine cum peccato mortali etiam invincibiliter oblito affecto; & certè, ſi talis pœnitens verè doleat de parvis, quibus DEUS offenditur, multò magis prorumperet in dolorem de magnis, quibus DEUS magis offenditur, ſi menti occurrerent, & ille ſincerè DEO placere ſtuderet.

DISTINCTIO XI.

De Præcepto Divino & Eccleſiaſtico confeſſionis Sacramentalis.

QUÆSTIO I.

An ſufficienter ex Evangelio poſſit colligi inſtitutio & præceptum Divinum Confeſſionis?

ADvertendum eſt: certùm eſſe Sacramen- 1
tum pœnitentiæ eſſe peccatori neceſſarium, ubi haberi poterit, & quidem neceſſarium non ſolùm neceſſitate medii, ut diximus Diſt. 3. ſed etiam præcepti ex inſtitutione divina, & ſolùm manet aliqua difficultas de confeſſione externa, ſicut modò fieri ſolet, an à Chriſto Domino ſic fuerit inſtituta ita, ut hoc ſufficienter poſſit colligi ex Evangelio; Confeſſio ergo ut pars materiæ Sacramenti hujus definitur: quòd ſit accuſatio Sacramentalis legitima de peccatis propriis facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clavium. De qua Confeſſione certùm eſt eam non eſſe de jure naturæ; nam quamvis naturale ſit ſuum peccatum agnoſcere, & de eo veniam petere, naturale tamen non eſt illud alteri confiteri ad remiſſionem obtinendam, niſi ſoli DEO, quæ Confeſſio non eſſet Sacramentalis. Neque etiam Confeſſio Sacramentalis, quæ fit homini ut miniſtro DEI, eſt ex jure Eccleſiaſtico, quia eſſet valde ardua obligatio excedens humanam poteſtatem, & non reperitur de ea præceptum Eccleſiaſticum, ſed
ſolùm de tempore confeſſionis ſingulis annis 2
tempore paſchatis exequendæ, quod poſuit Innocentius III. extra. de pœnitentiis, & remiſſionibus c. *omnis utriusque ſexûs*. imò ſi illa Confeſſio eſſet ab Eccleſia inſtituta, poſſet in ea diſpenſare, quia poteſt quis diſpenſare in omnibus, quæ ex ipſius poteſtate pendent. Atqui omnes Catholici communiter tenent Eccleſiam non poſſe diſpenſare in Confeſſione Sacramentali; reſtat igitur præceptum Confeſſionis eſſe de jure Divino poſitivo pro ſtatu legis novæ à Chriſto latum, & ab Apoſtolis in Eccleſia promulgatum, ut fides docet contra hæreticos ex Trid. Seſſ. 14. c. 5. dicens: *ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam exiſtere.* Et paulò infrà dicit: *refellendam eſſe*

inanem

inanem eorum calumniam, qui eam alienam à mandato Divino, & inventum humanum eſſe, atque à PP. in Concilio Lateran. congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Nam in ſanctis Pstribus multo tempore, imò immemorabili tempore antea legitur Confeſſionem fuiſſe obſervatam. Diſſenſio tamen inter Scholaſticos eſt: an hæc veritas ſufficienter ex Evsngelio colligatur? an ſolum ex Traditione habeatur per Apoſtolos oretenus Eccleſiæ facta, ut volunt aliqui Nominales, quod & Scotus judicat probabile. His notatis:

2 Propoſitio 1. *Confeſſio Sacramentalis optimè colligitur ſaltem ut efficax & utilis inſtituta ex Evangelio per illa Joan. 20. accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata* &c. Ratio eſt: quia per illa verba acceperunt Apoſtoli poteſtatem remittendi & retinendi peccata fidelium, & conſtituti ſunt tanquam judices, qui pœnitentibus ritè diſpoſitis ſententiam remiſſionis utiliter & efficaciter proferant; indignis verò & indiſpoſitis ſententiam retentionis; ſed nequit judicium & ſententia exerceri, niſi probe cognitâ, & diſcuſſâ causâ, de qua agitur: ergo jure Divino inſtituta eſt explicita & diſtincta Confeſſio, ſaltem tanquam utilis & efficax. Obſerva igitur ex Scoto in aſſert. citando hunc diſcurſum non ſufficienter probare Confeſſionis Sacramentum cadere neceſſariò ſub præcepto; ideò conſultò dixi: *colligitur ut efficax & utilis*; quia extrema unctio & confirmatio etiam ſunt inſtituta utiliter & efficaciter à Chriſto, non tamen adhuc eſt præceptum de illis neceſſariò recipiendis: ergo etiam potuit Chriſtus Sacerdotes & Apoſtolos inſtituere judices ſolùm ad utilitatem fidelium, ut, ſi velint, poſſint ad eos recurrere, non tamen, ut obligentur, ut fit in peccatis venialibus. Neceſſitas ergo Confeſſionis debebit deſumi tam ex Trid. in advert. citato, quàm ex probis aſſertionis ponendæ.

Nec dicas: Confeſſio eſt à Chriſto Domino inſtituta ut efficax remedium ad remiſſionem peccatorum; ſed omne tale medium eſt inſtitutum ſub præcepto, quia eſt neceſſarium ad ſalutem: ergo non ſolùm ut efficax, ſed etiam ut neceſſarium colligitur ex Evangelio.

Reſpondeo neg. min. quia non omne medium inſtitutum ad remiſſionem peccatorum ſtatim cenſeri debet eſſe ſub præcepto, ſed ſolùm, quando eſt unicum medium, quale non eſt in propoſito Sacramentum Confeſſionis, quia præter illud eſſet etiam contritio.

3 Propoſitio 2. *Confeſſio Sacramentalis ut neceſſaria ex præcepto non ſatis colligitur ex ſolis illis verbis* Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata.* Ratio eſt: quia ideò per Amicum & alios recentiores ut neceſſaria colligeretur Confeſſio, quia Sacerdos ex conceſſione Chriſti habet authoritatem non tantùm remittendi, ſed etiam retinendi peccata ex rationabili cauſa; ſed nequiret Sacerdos unquam retinere peccata pœnitentis ex rationabili aliqua cauſa, niſi pœnitens ex præcepto teneretur ea clavibus ſubjicere: ergo fideles ex præcepto Chriſti tenentur peccata ſua Sacerdoti manifeſtare, & ſic in ipſa poteſtate conceſſa retinendi peccata includitur neceſſitas confitendi fidelibus, cùm illa nequeat ſalvari ſine debito confitendi in fidelibus; ſed ex hoc diſcurſu, niſi alia ſupponatur propoſitio non ſatis patet neceſſitas confeſſionis: ergo. Min. prob. illis verbis affirmativis, *quorum retinueritis*, Chriſtus non addidit negationem, ſi non retinueritis, DEUS non retinebit; cùm plurium hominum DEUS peccata retineat, quæ Sacerdotes non retinent, ut ſunt peccata baptizatorum, qui non confitentur, & damnantur, quod idem dicendum eſſet de verbo, *quorum remiſeritis*: ergo ex illis verbis ampliativè & non reſtrictivè ſumptis, id eſt, quorum peccata, quæ vos audietis, ſi retinebuntur, etiam retenta erunt à DEO, non ſufficienter colligitur neceſſitas confitendi Sacerdoti. Imò etiamſi ſupponantur illa verba reſtrictivè, adhuc non colligitur neceſſitas ex illis verbis; cùm poſſint intelligi ex ſuppoſitione: quæ audietis, ſi ea velit pœnitens clavibus ſubjicere, cùm poſſit aliâ viâ conſequi remiſſionem, ſcilicet per contritionem. Sicut ſalvatur poteſtas remittendi venialia non abſolutè, cùm illa poſſint remitti contritione, vel aliis mediis, ſed ex ſuppoſitione, quòd ea velit pœnitens ſubjicere clavibus. Obſerva iterum ex Scoto citando: illa verba: *quorum remiſeritis*, vel *retinueritis*, multùm tamen juvare ad inferendam neceſſitatem & obligationem confitendi, ut patebit ex rationibus oppoſitis. 4

Nec dicas: per illa verba Apoſtoli abſolutè ſunt inſtituti judices: ergo abſolutè colligitur in fidelibus eſſe debitum ad illos deferendi peccata. Ant. patet, quia aliàs non eſſent judices animarum, cùm non ſit judex ille, cui in arbitrio meo eſt ſubjici, vel non ſubjici; imò nec haberent poteſtatem coërcivam, quæ neceſſaria eſt in ordinario judice.

Reſpondeo diſting. ant. per illa verba præciſè ſunt ita inſtituti judices, neg. per illa verba, & alia ſuppoſita ex Scriptura, ut dicemus in aſſert. conc. adeóque ex illis verbis adhuc eſſent quidem judices, ſed poſſent dici ſolùm in favorem reorum, ut eſt in cauſa venialium, nec puri judices arbitrarii deberent dici, quia talis propriè eſt, qui authoritatem judicandi accipit à partibus. Sacerdotes verò illam habent à DEO, ſi tamen ita ille arbitrarius dicatur, à quo in actu ſecundo judicari, vel non judicari ſitum eſt in arbitrio ſubditi, tunc hoc modo etiam Sacerdotes poſſent dici judices arbitrarii, & hoc modo vocat Scotus illos tales, ſi peccatores nullum haberent debitum ad illos accedendi. Tandem neceſſè non eſt in quo-

quovis judice ordinario debere eſſe poteſtatem coërcivam, quia quando judex conſtituitur in favorem reorum, non communicatur ei poteſtas coërciva, quæ eſt compellendi reos, ut coram ſe cauſam dicant, ut patet de venialibus. Imò poſſet dici adeſſe etiam poteſtatem coërcivam ex ſuppoſitione, quòd ſe reus ei ſubjiciat.

4 Propoſitio 3. *Sacramentum pœnitentiæ non ſolum eſt inſtitutum in favorem pœnitentis, ſed etiam in favorem honoris DEI, cujus cauſam agunt Sacerdotes in hoc foro.* Ratio eſt: ex 2. ad Corin. 5. *pro Chriſto legatione fungimur.* & docet Trid. Seſſ. 14. c. 5. *Chriſtum è terris in cœlos aſcenſurum Sacerdotes ſui Vicarios reliquiſſe tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderunt.* & ſanè decuit, ut in hoc Divino Tribunali primaria ratio haberetur honoris Divini, cùm hic in omni noſtra juſtificatione finaliter intendatur.

Nec dicas: Chriſtus in Sacramento pœnitentiæ præcipuè favet ſaluti animarum: ergo hoc ita inſtituit, ut plura concesſerit remedia conſequendi ſalutem, ſcilicet tam per Sacramentum pœnitentiæ, quàm contritionem independenter ab eo, quia aliàs nullum eſſet factum privilegium Eccleſiæ per hoc Sacramentum, ſed onus; ſed hoc ipſo non inſtituit, ut Sacerdotes agant cauſam honoris DEI tanquam judices, ſed ſufficit, ſi agant tanquam prædicatores: ergo.

Reſpondeo neg. ant. nam utcunque æqualiter Chriſtus intendit & ſalutem animarum, & cauſam divini honoris per condignam injuriæ vindicationem, quæ debet fieri per judices, ſeu per Sacramentalem cognitionem cauſæ, & ideò contritio independenter à tali Confeſſione non eſt ampliùs ſufficiens medium. Nego tamen Eccleſiæ non eſſe factum privilegium, cùm magnum ſit privilegium: poſſe cum ſola attritione in hoc Sacramento juſtificari. His propoſitis:

5 Aſſero ad quæſt. *inſtitutio & neceſſitas confeſſionis Sacramentalis ex præcepto Divino colligitur ſufficienter ex Evangelio per illa verba: quorum remiſeritis peccata &c. & additis illis: diliges Dominum DEUM tuum &c. & te ipſum.* eſt Scoti in 4. D. 17. q. unicâ. *§. in iſta quæſt.* circa finem. Eſtque contra Amicum & alios recentiores, & antiquos.

Probatur: qui amiſit primam gratiam, tenetur ſub præcepto recuperare illam ex illis duobus præceptis Evangelicis: *diliges DEUM tuum*, &, *te ipſum*; ſed ubi ſunt duæ viæ conſequendi illam gratiam & ſalutem, per illa præcepta tenemur ad faciliorem & tutiorem: ergo cùm facilior ſit via & tutior conſequendi remiſſionem per Sacramentum, quod inſtitutum eſt ut efficax remedium pro prima gratia recuperanda juxta illud Joan. 20. *quorum remiſeritis* &c. quàm per contritionem, tenebimur ſub præcepto Sacramentum per Confeſſionem confectum ſuſcipere. Maj. per ſe patet. Min. prob. in rebus ad ſalutem neceſſariis tenemur ſequi viam tutiorem; alioquin videremur ſalutem contemnere eam exponendo periculo. Ratio tandem conſeq. patet, quia poteſt quis certior eſſe, quòd cum Sacramento ponat actum attritionis, & non ponat obicem Sacramenti, ſcilicet non peccando actuali peccato, cùm hæc probabiliter poſſit ſcire, quàm quòd habeat actum contritionis ſufficientem ad juſtificationem. Imò ſi illud non eſſet certius, non videretur, quomodo Eccleſiæ ſit factum privilegium per hoc Sacramentum ſupra legem veterem. Ergo.

6 Objicies 1. cum Amico: licèt attritio cum Sacramento ratione diſpoſitionis ſit modus facilior & tutior acquirendi gratiam, quàm contritio, eſt tamen etiam multis modis via incertior, quàm contritio, cùm pendeat ex multis conditionibus nobis incertis, ut ex charactere baptiſmali tam pœnitentis, quàm Sacerdotis, ſine quo nullus effectus Sacramenti participari poteſt, & pariter pendet ex juriſdictione & intentione abſolventis, quæ nobis ſunt incerta: ergo illa ratio Scoti non concludit.

Reſpondeo diſting. ant. eſt etiam multis modis via incertior per ſe proximè, & ratione Sacramenti, ut actus juſtificationis, neg. per accidens & remotè, tranſeat; nam major certitudo talis effectûs ſcilicet remiſſionis peccatorum mediante attritione omnino habetur ex ſola ſuppoſitione validitatis Sacramenti, & capacitate illius; quamvis iterum validitas & capacitas dependeant ex characteribus illis & conditionibus Miniſtri, quæ ſe ad certitudinem illam ſolùm habent per accidens.

Dices: ſaltem illa ratio de via certiori & tutiori non concludit univerſaliter; cùm & ipſemet Scotus doceat: etiam in rebus ad ſalutem non ſemper hominem teneri ad propoſitionem probabiliorem & tutiorem; ſed poſſet etiam eligere minùs probabilem & tutam: ergo.

Contra neg. conſeq. quia quando Scotus concedit, quòd poſſim etiam uti propoſitione probabili relicta probabiliori, ibi loquitur in caſu, quando ſolùm adeſt utrinque certitudo moralis. Aſt hìc in ordine ad Confeſſionem & Sacramentum pœnitentiæ adeſt de uno certitudo fidei & præcepti, & de alio certitudo moralis, ubi utique viam ſic certam deſerere præ alio minùs certa eſt manifeſtò ſe exponere periculo ſalutis, & hanc parum curare.

7 Objicies 2. cum Alenſi, & aliis antiquis: à Chriſto ſolùm inſtituta eſt ex Evangelio poteſtas abſolvendi, Confeſſio verò tantùm traditione ab Apoſtolis. Imò, ut dicit Gloſſa Diſt. 5. de pœnitentia: nec fuit Traditio Apoſtolica de confeſſione; cùm alias etiam obligâſſet Græcos, qui tamen hoc præcepto non tenen-

tenentur, & ideò non confitentur. Quare ſolùm à traditione quadam Eccleſiæ ortum habuit: ergo non ex Evangelio &c.

Reſpondeo neg. ant. Nam cùm verè habeatur ex Scriptura inſtitutio poteſtatis remittendi & retinendi, etiam debuit fuiſſe à Chriſto inſtituta confeſſio, quæ complet & integrat illam poteſtatem; cùm nequeat exerceri, niſi priùs fiat diſtincta confeſſio; hinc non benè dicitur ab Apoſtolis ſolùm tradita. Nam hoc maximè colligeretur ex epiſtola Jacobi 5. c. ubi videretur prima promulgatio & traditio confeſſionis per illa verba: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Sed talia verba non magis ſignificant confeſſionem eſſe faciendam Sacerdoti, quàm alteri. Subdit enim: *Et orate pro invicem, ut ſalvemini.* Hinc illa verba, *confitemini alterutrum*, ſunt ſolùm perſuaſio ad humilitatem, ut ſcilicet generaliter nos confiteamur peccatores apud proximos; ſicut per illud, *orate pro invicem*, eſt perſuaſio ad charitatem fraternam, ut ſcilicet ſubveniamus nobis invicem. Tandem ad gloſſam dicit Scotus cit. *illam eſſe irrationabilem; cùm irrationabile ſit Canoniſta dicere aliquid ortum habuiſſe ex univerſali Eccleſiæ traditione, & non poſſe oſtendere Canonem ex jure Canonico, per quem inceperit; ſicut turpe eſſet Theologo dicere aliquid eſſe in Biblia, & neſcire, ubi illud inveniretur.* Imò etiam ſequeretur ſaltem Papam non teneri ad confeſſionem juxta illud: *Par in parem non habet imperium.* Hinc etiam falſum eſt Græcos non ſervare præceptum confeſſionis, ut conſtat ex duobus primis Conciliis Laodicenſibus, & ſexta Synodo, quorum Canones fuerunt conſcripti à Græcia. Imò Concilium Florentinum, quod fuit congregatum ad uniendam Eccleſiam Græcam cum latina, nullam facit mentionem de non habita confeſſione, in quo tamen aliàs fit plena mentio de aliis erroribus, vel conſuetudinibus, in quibus Eccleſia Græca diſcrepabat à Latina, ut de fermento Euchariſtiæ; de forma baptismi: *Baptizatur ſervus Chriſti.* Imò ex Græcorum Euchologio aſſignatur forma pœnitentiæ.

Dices: ſatis eſt in aliqua republica conſtituere Medicos cum poteſtate curandi infirmos, & ipſis relinquere modum curandi infirmos: ergo etiam ſatis erit Chriſtum in Eccleſia conſtituere Sacerdotes cum poteſtate abſolvendi à peccatis, & ipſis relinquere modum curandi peccatores, ſcilicet per confeſſionem.

Contra neg. conſeq. Quia, qui conſtituit Medicos in aliqua Republica, ſicut non tribuit illis virtutem, ita nec modum curandi infirmos confert; Chriſtus verò, quia virtutem confert abſolvendi, ideò etiam confert modum curandi peccatores per confeſſionem.

8 Objicies 3. Cum Hæreticis, præſertim Calvino l. 3. inſtit. c. 4. via & medium ordinarium, quo ſemper remittebantur peccata, eſt dolor, ſeu contritio juxta illud Ezech. 18. *Quotieſcunque ingemuerit peccator*: ergo non eſt neceſſaria confeſſio.

Reſpondeo neg. conſeq. Quia contritio ſemper eſt quidem tale medium, ſed cum hoc tamen diſcrimine, quòd in lege veteri ſufficiebat confiteri ſoli DEO juxta illud Davidis: *Tibi ſoli peccavi*; in lege tamen nova Chriſtus inſtituit Sacramentum pœnitentiæ ad majorem facilitatem veniam impetrandi; ideò jam in lege nova debet contritio includere votum confitendi miniſtro à DEO delegato, quia ſi non haberet nunc tale votum ſaltem implicitè, non doleret de peccatis, ut oportet, & ut Chriſtus Dominus ordinavit.

Dices: Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus abrogavit confeſſionem, ut patet ex Sozomeno: ergo non eſt à Chriſto inſtituta, aliàs ab homine non potuiſſet abrogari.

Contra ex S. Auguſtino l. 50. homiliarum. hom. ult. c. 11. Nectarium non abrogâſſe confeſſionem ſecretam, & auricularem, ſed publicam eo tempore coram multis fieri ſolitam; abrogavit autem illam propter quoddam flagitium, quod occaſione publicæ confeſſionis accidit inter quamdam mulierem & Diaconum. Et pariter eam abrogavit Leo Papa epiſt. 80. ad Epiſcopum Campaniæ.

Dices: S. Chryſoſtomus Tom. 1. hom. 2. in pſal. 50. rejicit confeſſionem dicens: *Peccata tua dicito, ut deleas illa; ſi confundaris alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua; non dico, ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret, dicito DEO, qui curat ea.* Sic etiam loquitur S. Ambroſius ſuper c. 22. Lucæ: ergo. Contra neg. antec. nam S. Chryſoſtomus ideò dixit confeſſionem fieri ſoli DEO, non, quia non etiam fieret homini, ſed quia ibi DEUS & homo faciunt unum tribunal, & quia peccata ibi dicuntur non homini, ſed miniſtro gerenti vices DEI, in qua ratione miniſter non eſt conſervus tuus, ſed DEI vicem gerens. S. Ambroſius verò vel etiam intelligendus eſt eodem modo, vel ſolùm de juſtificatione extra Sacramentum, & extra tempus, in quo obligat præceptum confitendi, in quo tempore nullus eſt cogendus ad confeſſionem, quamvis adhuc utile ſit quotidie confiteri DEO, ubi ſine teſte & erubeſcentia facilè poſſunt peccata manifeſtari DEO. Vel tandem uterque S.P. reſpiciunt ſolam confeſſionem publicam, ut patet hom. 8. de pœnitentia, & hom. 4. de Lazaro, ubi Sanctus Chryſoſtomus dicit: *Non in commune Theatrum accuſationem produxit DEUS &c.*

QUÆSTIO II.

Quinam teneantur ad confeſſionem ex jure, & præcepto divino, an infideles, muti, ac ignotæ linguæ?

9 ADvertendum eſt: viſo præcepto divino in præcedenti quæſt. de confeſſione facienda Sacerdoti, etiam ex Diſt. 4. q. 2. facilè conſtare poterit; quandonam hoc divinum præceptum confeſſionis obliget per ſe, ſcilicet ſæpiùs in hac vita, quamvis tempus determinatum difficilè aſſignetur; ideò ſolùm manet decidendum: quinam hoc præcepto divino obligentur? Pro quo certum eſt, quòd eo obligentur omnes illæ perſonæ, quæ poſt baptiſmum mortaliter peccârunt, ſcilicet etiam Hæretici, Apoſtatæ & Degradati, quia cùm hoc Sacramentum ſit à Chriſto Domino inſtitutum ut medium neceſſarium ad remittenda mortalia poſt baptiſmum commiſſa, ſequitur omnes baptizatos habentes aliquod mortale hoc præcepto teneri; & ideò pueri baptizati ad uſum rationis pervenientes, ac peccantes mortaliter, hoc præcepto obligantur. Econtrà verò, ſi quis adultus eſſet innocens, & confirmatus in gratia, uti B. Virgo, non obligaretur hoc præcepto, & in hoc differt Sacramentum pœnitentiæ à Sacramento baptiſmi, quod poteſt conferri innocenti ab omni peccato; nam eſſentia baptiſmi non conſtituitur ex confeſſione proprii peccati, & dolore tanquam materia, ſed ex ablutione perſonæ baptizandæ, quæ etiam ſalvari poteſt in perſona ab omni labe immuni, & quamvis adhuc non ſignificaretur interior ablutio, quæ per externam importatur, adhuc tamen ſalvaretur primarius ejus effectus, qui eſt regeneratio creaturæ per gratiam ſanctificantem, & characterem baptiſmalem, ſive hæc actu abluat, ſive non: quod non eſt in Sacramento pœnitentiæ; ideò infantes ante uſum rationis obligari non poſſunt illo præcepto, non ſolùm, quia non ſunt capaces præcepti, ſed etiam, quia non ſunt peccati actualis capaces, quod eſt materia hujus Sacramenti; his ergo notatis:

10 Propoſitio 1. *Non repugnat præceptum divinum confeſſionis ad infideles non baptizatos extendi.* Ratio eſt: quia potuiſſet Chriſtus per ſe obligare infideles, ut confiteantur, vel ſumant Euchariſtiam, & hoc tanquam motivum addere ad præceptum baptiſmi, ut non tantùm ſuſcipiant baptiſmum propter ſe, ſed etiam ideò, ut adimpleant præceptum confeſſionis & communionis: ergo non repugnat. Ant. per ſe patet cum hoc tamen diſcrimine, quòd ad Euchariſtiam poterint obligari abſolutè, quia ſuſcepto baptiſmo ſtatim ſunt capaces Euchariſtiæ, non autem ſic ad confeſſionem, quia adhuc ſuſcepto baptiſmo non ſunt confeſſionis capaces, niſi intercedant nova peccata poſt baptiſmum, ſicut id pari modo nunc dicendum de adultis fidelibus ex ſuppoſito, quòd habeant peccatum mortale; adeóque ſi ampliùs non peccarent, non tenerentur confiteri; hinc ſolùm obligarentur ſe in tali ſtatu conſtituere, in quo ſint capaces hujus remedii confeſſionis, ſi quæ committerent peccata poſt baptiſmum.

11 Propoſitio 2. *Confeſſio ſacramentalis non eſt arctanda ad ſolam vocem articulatam.* Ratio eſt ex congruentia: quia hoc Sacramentum præcipuè fuit inſtitutum tanquam remedium ad ſalutem peccatorum maximè neceſſarium: ergo ejus eſſentialis pars, ſcilicet confeſſio non debuit limitari ad tale ſignum, quod ſæpiſſimè in articulo neceſſitatis deeſt, cujusmodi eſt vox articulata ſeu humanus ſermo, quo non ſolùm muti, ſed etiam moribundi uti non poſſunt.

12 Propoſitio 3. *Nemo tenetur ex præcepto divino ſacramentaliter confiteri laico in neceſſitate; aliquando tamen utile eſt ſimpliciter confiteri laico, aliquando non.* Ratio 1. eſt, ut dicit Scotus q. priori cit. quia accuſatio ſacramentalis non poteſt fieri, niſi in ordine ad abſolvendum, & eum, qui poteſt abſolvere; ſed laicus non habet poteſtatem abſolvendi: ergo. Ratio 2. eſt: quia in cauſa inſtructionis & conſilii alicui perſonæ diſcretæ, prudenti & ſecretæ aperire ſuam conſcientiam, ut poſſet ſe excitare & dirigare ad veram pœnitentiam, eſt conſultiſſimum, & deberet quis contemnere famam in neceſſitate ſalutis, ubi nihil aliud damni ſequeretur, & certa ſpes emolumenti ſubſiſtat. Imò etiam confeſſio laico facienda in abſentia Sacerdotis ex cauſâ erubeſcentiæ, & manifeſtandi doloris & deſiderii confitendi vero miniſtro, ut docet Magiſter Sententiarum, videtur eſſe approbanda ſecluſo alio ſcandalo, quia, ut docet Scotus cit, licèt illa accuſatio non eſſet ſacramentalis, eſſet tamen aliqua pœna ſatisfactoria, & haberet eandem erubeſcentiam, quæ connexa eſt confeſſioni ſacramentali. Hinc Trid. approbat exempla eorum Sanctorum, qui ad confuſionem ſui ipſius, & ædificationem Eccleſiæ ſua peccata publicè confitebantur, quod Chriſtus non vetuit, quamvis nec etiam præceperit. Ratio 3. eſt: quia cùm utilitas confitendi laico dependeat à circumſtantiis incertis, de prudentia & diſcretione illius laici; ideò judicat Scotus cit. hoc non indifferenter, & in omni caſu conſultum, quia poſſet aliàs quis ſe diffamare ſine ulla commoditate, quod non eſt conveniens; ideò dicit Scotus: quòd etiam quandoque poſſit conſilium inquiri poſito caſu in univerſali de aliquo abſque ſpeciali manifeſtatione ſui peccati.

13 Propoſitio 4. *Per interpretem idoneum & ſecretum confiteri, quando aliter non poſſet, ſi quis vellet, non eſſet illicitum.* Ratio eſt: quia Trid. Seſſ. 14. c. 5. negat quidem Chriſtum

aut

aut Eccleſiam præcepiſſe confeſſionem publicè faciendam, aut conſultè præcipi poſſe peccata ſecreta confiteri publicè, admittit tamen aliquando fieri poſſe, ut ſentit Scotus in 4. Diſt. 17. q. un. circa finem dicens: *Non eſſe confitendum per interpretem, quando timetur non fore idoneum Secretarium*: ergo non eſt illicitum ita confiteri, ſi quis vellet. His propoſitis:

14 Aſſero 1. ad quæſt. *Probabiliter præceptum divinum confeſſionis (idem dic de præcepto Euchariſtiæ) etiam obligat infideles.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *in iſta quæſt.* circa medium. Eſtque Hiquæi noſtri contra Maſtrium noſtrum, & plurimos Recentiores.

Probatur primò: Scotus citatus contra gloſſam juris Canonici, quæ dicit confeſſionem eſſe ſolùm juris Eccleſiaſtici, dicit: *Videtur, quòd infideles non tenerentur ad confeſſionem, cùm de præcepto Eccleſiaſtico Apoſtolus dicat 1. ad Corin. 5. quid mihi eſt de his, qui foris ſunt, judicare;* ſed hic arguit, quaſi hoc falſum eſſet: ergo ſupponit tanquam veram opinionem, quæ dicit etiam infideles illo præcepto obligari, quam opinionem Scotus tanquam vulgarem ſuo tempore ſupponit, & ideò omittit eam ultrò probare.

Probatur ſecundò: Lex Evangelica, & præcepta divina de confitendis peccatis, aut de ſumenda Euchariſtia eſt promulgata tam fidelibus, quàm infidelibus: ergo comprehendit tam fideles, quàm infideles in ſua infidelitate. Antec. patet. Conſeq. prob.: ad obligationem præcepti affirmativi non requiritur, ut pro omni materia & circumſtantia adimpleatur, ſed in certa materia & circumſtantiis, quando occurrunt: ergo licèt nunquam occurrat tempus, in quo præceptum adimpleri debeat, poteſt tamen ſtare obligatio præcepti, quamvis ad exercitium actûs non obliget, niſi ex conditione prærequiſita, quam lex ipſa determinat. Antec. patet, quia ipſa lex involvit talem conditionem determinatam, quæ aliquando poteſt non poni. Conſeq. verò prob. variis inſtantiis: ex lege naturali quilibet ſuccurrere tenetur proximo indigenti extremè, dum poteſt, & licèt non occurrat caſus adimplendi hoc, non inde ſequitur, quin quiſque teneatur illa lege. Pariter lege divina tenetur fidelis ad confeſſionem fidei, & vitam commutandam pro ejus defenſione coram tyranno, ſi occurrat caſus, &c. ergo non tollitur obligatio alicujus præcepti. v. g. confeſſionis, licèt exercitium ejus in circumſtantia infidelitatis occurrere non poſſit, nam etiam in ſtatu infidelitatis retentæ nec præceptum fidei, nec baptiſmi fructuosè poſſunt adimpleri, & tamen infideles his etiam ſecundùm adverſarios obligantur.

Probatur tertiò: Tum quia, qui obligatur ad aliquam totam legem ſervandam, etiam obligatur ad ſingulas partes, & præcepta illius legis; ſed infidelis obligatur ad ſervandam totam legem Chriſti poſt ejus promulgationem: ergo obligatur ad omnia ejus præcepta; ſed inter alia præcepta Chriſti eſt, quod adultus exiſtens in mortalibus pœniteat, & illa confiteatur: ergo. Tum quia ſi infidelitas eximeret infideles ab illorum præceptorum obligatione, eos faceret infidelitas melioris conditionis, quàm ſint fideles, qui tali onere tenerentur, & plura committerent peccata illa non adimplentes quàm infideles, quod eſt inconveniens.

Reſpondet Maſtrius ad primum probæ hujus tertiæ: infideles ſolùm obligari ad illa præcepta, quorum ſunt capaces, non autem, quorum ſunt incapaces; Sacramenta autem ſunt inſtituta pro ſolis baptizatis; ideò ad illa non tenentur infideles. Ad ſecundum verò dicit: quia ſola infidelitas æquivalet & præponderat omnibus peccatis à fidelibus commiſſis, & ideò non ſunt melioris conditionis.

Contra eſt ad primum: Hoc eſſe petere principium. Nam quæritur hoc ipſum, utrum infideles ſint capaces illorum præceptorum, & nos tenemus eos eſſe capaces in circumſtantia baptiſmi. Contra verò ad ſecundum eſt: per illud adverſarium convenire nobiſcum; nam ideò infidelitas eſt gravitatis æquivalentis peccatorum fidelium, quia eſt contra obligationes fidelium, ad quas etiam infidelis obligaretur, & parum refert peccatum infidelitatis eſſe unum peccatum æquivalens pluribus fidelium, quàm in peccato infidelitatis eſſe plura peccata contra præcepta fideles & infideles obligantia.

Objicies: Scotus in 4. D. 4. q. 5. ad 3. docet: *Peccata commiſſa ante baptiſmum non eſſe materiam confeſſionis.* Quod Trid. Seſſ. 6. c. 14. confirmat: *Sacramentum pœnitentiæ eſſe à Chriſto inſtitutum pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur*: ergo infidelis non ſubjicitur præcepto confeſſionis. Item Scotus in 4. d. 13. q. 2. §. *ad argumenta.* dicit: *Chriſtus expreſsè docuit ſe velle ſumi Euchariſtiam à quolibet Chriſtiano Joan. 6. niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* ergo ſupponit non ab alio infideli. 15

Reſpondeo ad 1. de confeſſione neg. conſeq. nam licèt infidelis non teneatur confiteri peccata ante baptiſmum commiſſa, tenetur tamen ad baptiſmum, & ad confitenda ea, quæ poſt baptiſmum commiſit, & ſic intelligendus eſt Scotus, & Trid. cit. ad 2. verò de Euchariſtia dico: Scotum ibi ſolùm loqui de illo, quod eſt certiſſimum de omni Chriſtiano: de infidelibus verò, quod non ita certum eſt, ſe in illo loco habet negativè, quod nihil probat.

Dices: Infantes non habentes uſum rationis non obligantur hoc præcepto durante Infantiæ ſtatu, ſed ſolùm in ſtatu uſus rationis, in quo ſunt doli capaces; ergo etiam infideles,

les, quamdiu in ſtatu infidelitatis permanent, tali præcepto non tenentur, ſed ſolùm, poſtquam baptiſmum ſuſceperunt.

Contra neg. conſeq. Quia infantes ante uſum rationis prorſus ſunt incapaces præcepti, & materiæ confeſſionis, infideles verò adulti ſunt capaces præcepti ita, ut ipſis non ſolùm præcipiatur baptiſmus propter ſe, ſed etiam ob motivum adimplendi alia præcepta, & in ſpecie ob præceptum confeſſionis, licèt infideles ratione peccatorum ante baptiſmum commiſſorum ſint incapaces ratione materiæ illius Sacramenti pœnitentiæ, ob quod tamen non eximuntur à præcepto confeſſionis, ſicut adultus fidelis, licèt non habeat peccatum mortale, longo tempore non eximitur à præcepto confeſſionis in circumſtantia materiæ poſitæ, ubi nempe habet peccatum mortale.

Dices: Baptiſmus eſt janua Sacramentorum: ergo, qui non eſt baptizatus, non eſt capax aliorum Sacramentorum: ergo nec pœnitentiæ ſacramentalis; ſed illius actûs, ad quem non eſt capacitas, non poteſt eſſe obligatio aut præceptum: ergo reſpectu actûs pœnitentiæ hominis infidelis non poteſt eſſe præceptum divinum.

Contra diſting. 1. conſeq. qui non eſt baptizatus, non eſt capax aliorum Sacramentorum proximè & immediatè, conc. non eſt capax mediatè ſaltem & remotè mediante ſcilicet baptiſmi Sacramento, cujus ſunt proximè capaces, neg. conſeq. & ſic diſtinctâ min. ſubſumptâ neg. conſeq. ideò dici debet infidelem etiam antecedenter & ante baptiſmum obligari ad baptiſmum non ſolùm propter baptiſmum, ſed etiam propter confeſſionem, & ſumptionem Euchariſtiæ; quare etiam verum eſt dicere hominem non ſolùm teneri renaſci ſimpliciter, ſed teneri renaſci ſpeciali titulo, ut ſcilicet ſpiritualiter nutriatur per Euchariſtiam. Imò argumentum ſolùm probat infideles non eſſe capaces actûs legis ex defectu materiæ, vel circumſtantiæ præſcriptæ, non verò non eſſe capaces obligationis hujus legis, quæ eſt lex Evangelica.

16 Aſſero 2. ad quæſt. præceptum divinum confeſſionis obligat mutos ad confeſſionem ſacramentalem. Eſt communis cum Scoto in 4. D. 17. q. un. §. *ad argumenta.*

Probatur: Nullum exſtat præceptum divinum vel Eccleſiaſticum, ut confeſſio ſacramentalis fiat humana voce; nam non divinum, cùm id neque ex Scriptura, neque ex traditione conſtet, nec etiam ex inſtitutione hujus Sacramenti, cùm ex ejus verbis ſolùm habeamus neceſſarium eſſe, ut pœnitens judici ſuam cauſam manifeſtet, quæ manifeſtatio etiam haberi poteſt per quamcunque expreſſionem, per alia ſenſibilia ſigna, ut videtur in praxi de moribundis, qui non potentes loqui ſigna contritionis & confeſſionis exhibent. Nec etiam habetur Eccleſiaſticum præceptum, cùm ex conſuetudine Eccleſiæ videamus oppoſitum: ergo cùm muti ſua peccata manifeſtare poſſint nutibus, vel aliis ſignis, & ſic præceptum divinum homini peccatori peccata ſua mortalia manifeſtare ſimpliciter, in quantùm poteſt, Sacerdoti, tenebuntur jure divino muti ad confeſſionem Sacramentalem, ſi de hoc præcepto divino ſunt inſtructi, vel inſtrui poſſint.

Addo ex Scoto cit. illis mutis etiam æquiparari Barbaros, quos in ſua lingua non poteſt Confeſſarius intelligere; ideò etiam tales tenentur ad confeſſionem ſacramentalem, 17
dummodò adſint ſigna communia pœnitenti & Sacerdoti, qualia eſſent lachrymæ, genuflexio, ſuſpiria, tunſio pectoris, & hujuſmodi naturalia & certa; quando igitur Scotus dicit; *modò ſigna aliqua ſint communia*, intelligit ſaltem iis eſſe utendum ad mutos illos abſolvendos, qui nullam ſpecificam & determinatam peccatorum confeſſionem facere poſſunt, quia qui muti ſunt à nativitate, & habent uſum rationis, ſpecialiſſimè habent aſſiſtentiam in hoc quoad ſuos familiares cohabitatores ita, ut per ſigna ſuos conceptus tam eleganter manifeſtent quæcunque, ſicut alii per verba, ut videmus experientiâ: hi ergo tenebuntur etiam ad ſigna particularia, ſi Confeſſarius poteſt ea percipere.

Objicies; in Concil. Florent. in decreto 18
Eugenii materia Sacramenti pœnitentiæ eſt oris confeſſio: ergo de neceſſitate confeſſionis eſt, ut fiat voce, ſicut baptiſmus aquâ: ergò ſi vox confeſſionis non eſt poſſibilis in muto, ut poteſt eſſe obligatio confeſſionis in eo.

Reſpondeo neg. 1. conſeq. Quia Concilium ideò ſolùm appellavit materiam pœnitentiæ oris confeſſionem, quia ordinario modo ſic fieri ſolet, aut etiam debet in eo, qui poteſt, niſi rationabili cauſa excuſetur, non tamen abſolutè pro omnibus, & in quocunque caſu neceſſarium id eſſe aſſeruit; ideò Concil. Trid. ad omnem tollendam ambiguitatem particulam *oris* omiſit; unde diſparitas eſt ad baptiſmum: non enim eſt una ſpecie materia Sacramenti pœnitentiæ, ſicut eſt aqua in baptiſmo, cum qua non convenit ſpecie alius diverſus liquor. Sed eſt una unitate generica ſcilicet manifeſtatio peccatorum ſive per ſigna, ſive per verba.

Dices: de neceſſitate Sacramenti pœnitentiæ eſt, ut abſolutio abſolutè proferatur voce, ut dicit Florent. cit. ergo etiam id eſt dicendum de confeſſione.

Contra: Neg. conſeq. diſparitas eſt: quia materia Sacramenti non ſemper expreſſam continet ſignificationem, ſed hæc completur per formam, & ideò magis eſt neceſſarium ex parte formæ verbum, quàm ex parte materiæ; imò moraliter loquendo vix contingit neceſſitas abſolvendi ſine voce, confitendi autem ſæ-

fre-

frequens eſt neceſſitas. Vide quæ diximus Diſt. 8. q. 3. in propoſitione 1.

19 Aſſero 3. *Confiteri per interpretem fidelem ignota lingua non obligantur præcepto divino, minùs Eccleſiaſtico.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *ad argumenta.* éſtque contra Silveſtrum, & aliquos recentiores, ac Brancatum noſtrum.

Probatur ratione Scoti: forus Sacramenti pœnitentiæ eſt ex natura ſua ſecretiſſimus: ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, ut quodammodò eſt publicus; ſed licèt interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut Sacerdos, tamen ſi velit malignari, Ipſe & Sacerdos poſſunt eſſe teſtes legitimi contra accuſatum, & ita ex natura hujusmodi accuſationis hæc poteſt venire in publicum: ergo talis Confeſſio non eſſet Sacramentalis. Ex quo patet etiam pluribus ſimul præſentibus Sacerdotibus non eſſe confitendum neceſſariò, ut melius judicent; & quod ſi fiat, non videtur eſſe Sacramentalis Confeſſio. Hinc dicit Trid. Seſſ. 14. c. 5. *etſi Chriſtus non vetuerit publicam Confeſſionem in ſui humiliationem, & exemplum aliorum factam; nec tamen hoc eſt præcepto divino mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege id præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publicâ eſſent Confeſſione aperienda.* Nec explicandum eſt: Concilium ſolùm loqui de Confeſſione publica coram multis, non verò de illa coram interprete idoneo & ſecreto, quæ adhuc ſecreta reſpectu illius publicæ dici poteſt; nam talis expoſitio non quadrat verbis Concilii, quæ etiam loquitur de Confeſſione publica, quatenus coram duobus fieret, ut eſt interpres & Sacerdos; nam dicit modum confitendi ſecretò eſſe apud ſolum Sacerdotem. Imò licèt Concilium loqueretur de illa publica Confeſſione coram multis, attamen eadem eſt ratio de illa & de alia ſcilicet publicitas, quæ in utraque Confeſſione ore haberetur, licèt differat ſecundùm majus & minus, quam publicitatem certò Chriſtus non requirit.

20 Addo: tali ergo peregrino confitenda eſſe ſua peccata DEO cum voto Confeſſionis Sacerdoti faciendæ data opportunitate: vel potius, ut etiam tenet Scotus, per ſigna communia nota pœnitenti & Sacerdoti, ſi ita poteſt; nam talis Confeſſio adhuc eſſet integra formaliter in ſimili circumſtantia, quæ ſufficit ad abſolutionem Sacramentalem, uti dicetur ſuo loco de integritate Confeſſionis, licèt non ſit integra materialiter. Tandem addit communis ſententia in articulo mortis, ſi quis haberet conſcientiam peccati mortalis, & dubitaret de perfectione ſuæ contritionis, tunc teneretur ex præcepto naturali charitatis erga ſe ipſum aliquo modo confiteri, & ſuæ ſaluti conſulere abſolutionem procurando etiam per interpretem, & publicam Confeſſionem, ſi aliter fieri nequeat, & ad id etiam obligaretur cum quocunque ſuæ famæ diſpendio, & omnium temporalium rerum, quibus omnino æterna animæ ſalus præferri debet; quod etiam cum communi ſententia ſupponit Scotus intelligens id provenire ex præcepto charitatis erga DEUM & ſeipſum, licèt non ex ipſo præcepto Confeſſionis per ſe.

Objicies: Scotus cit. dicit: *maximè autem videtur non eſſe per interpretem confitendum, quando timetur iſtum non eſſe Secretarium idoneum:* ergo ſi eſſet idoneus, cenſet eſſe confitendum. 21

Reſpondeo neg. conſeq. quia illa particula *maximè*, ut conſtat ex contextu, non eſt reſtrictiva, quaſi ſolùm in tali caſu non teneatur per interpretem confiteri, ſed eſt ampliativa; nam paulò ante dixit: abſolutè non videri neceſſarium ex præcepto Divino ſic confiteri, & poſtea ſubdit: *maximè autem non videtur, quòd ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe idoneum Secretarium;* & ideò ſenſus eſt: nunquam abſolutè loquendo teneri pœnitentem ad interpretem, maximè verò in caſu, quòd timeatur illum non eſſe idoneum.

Dices: Ratio Scoti, quòd Confeſſio ex natura ſua ſit à Chriſto inſtituta ut ſecreta, non convincit. Tum quia plures tenent non eſſe de ratione Sacramentalis Confeſſionis, ut ſit ſecreta. Tum quia ad Sacramentum non requiritur, niſi Confeſſio pœnitentis facta Sacerdoti. Tum quia non eſt intrinſecè malum confiteri publicè. Tum quia quando eſt aliquis ita infirmus, ut non poſſit confiteri, niſi alta voce ita, ut alii eum audiant, tenetur in hac neceſſitate ita confiteri: ergo non debet eſſe omnino ſecreta.

Contra: ad hoc reſpondebitur Diſt. ſequenti, an Confeſſio Sacramentalis debeat eſſe ſecreta. Interim

Dices: licèt præceptum Divinum non obliget ad confitendum cum gravi detrimento extrinſeco, attamen ex Confeſſione per Interpretem fidelem, qui eodem modo obligatur ſigillo, ſicut Confeſſarius, non videtur tale detrimentum ſequi, niſi quòd peccata duobus fierent nota, ſed hoc incommodum non videtur eſſe tanti ponderis, ut pœnitentem excuſet ab obligatione præcepti divini; nam etiam habens peccatum reſervatum ſæpe abſolvitur ab inferiori cum onere tamen comparendi poſtea coram ſuperiore, & ei manifeſtandi caſum, cui caſus reſervatur, & tamen ob id pœnitens à tali obligatione non eximitur: ergo nec ob incommodum ex interprete.

Contra neg. min. & diſparitas eſt ad peccata reſervata: quia in his facilè poteſt impediri manifeſtatio peccati duobus. Tum quia Confeſſarius, qui talem facultatem abſolvendi non habet, poteſt illam petere abſque eo, quòd ſuperior veniat in notitiam perſonæ confitentis. Tum quia poſſet confiteri tale pec-

catum immediatè ipſi Superiori, qui ipſum teneretur audire, ſi alii non vellet confiteri. Tandem poſſet eſſe diſparitas: quia eo ipſo, quòd voluntariè quis incidit in peccatum reſervatum, ipſemet liberè ſe obligat ad confitendum eo modo, quo neceſſarium eſt, ut à tali peccato abſolvatur, ſive id faciat uni, ſive duobus. Aſt non liberè ſe ſubjecit & culpabiliter illi impedimento ignotæ linguæ: ergo licèt concederetur pœnitentem peccatum reſervatum teneri manifeſtare pluribus, non tamen ob id cogeremur etiam concedere pœnitentem teneri confiteri per interpretem, ſi aliter non poteſt.

QUÆSTIO III.

De variis quæſitis circa præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis.

22 ADvertendum eſt: cùm pleræque difficultates de præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis ſolùm ſint morales, ideò eas ſuccinctè tantùm hìc decidemus. Quas etiam Scotus ſolùm paucis verbis in 4. D. 17. q. uo. §. *de tertio articulo* immixtim pertractat, & ſupponit: adeóque

23 Quæres 1. *An præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis ſit diſtinctum à præcepto communionis?*

Reſp. *affirmativè* contra Durandum. Ratio eſt: tum quia hoc deſumitur ex verbis præceptivis in re graviſſima animæ ſalutem concernente Innocentii III. in Concil. Lateran. ut habet de pœnit. c. *omnis utriuſque ſexûs fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti* &c. & - - - de communione ſubdit: *ſuſcipiens reverenter ad minùs in paſcha Euchariſtiæ Sacramentum* Sed hìc Pontifex tam pro uno, quàm altero Sacramento utitur verbis præcipientibus. Nam participium *ſuſcipiens* æquivalet verbo imperativo *ſuſcipiat* ob connexionem ſenaûs ad verbum *confiteatur*: ergo. Min. prob. ſi Pontifex non obligaret ad Confeſſionem, niſi in ordine ad Euchariſtiam ſumendam, vel ad Euchariſtiam obligaret etiam pueros, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, vel certè hos non comprehendiſſet in ſuo decreto, quod utrumque eſt abſurdum, cùm pueri doli capaces, & ideò obligati ad Confeſſionem, non ſtatim obligentur ad Euchariſtiam, niſi de hac ſufficienter inſtructi; adeóque, qui ſumere Euchariſtiam non poſſunt, ut pueri mortalis capaces, nondum tamen ad Euchariſtiam idonei, aut alii legitimè ad eam ſumendam impediti non ſunt liberi à præcepto Confeſſionis. Tum quia patet ex fine, ob quem hæc lex eſt condita, nempe propter maximam neceſſitatem & utilitatem, quam ſecum affert Sacramentum pœnitentiæ independenter à Sacramento Euchariſtiæ, cùm ſit ſalus animarum & juſtificatio peccatoris, qui finis non ſolùm militat in iis, qui ſunt idonei ad Euchariſtiam, ſed in omnibus, qui mortalis capaces ſunt; hinc Scotus in advert. cit. præceptum Confeſſionis vocat primum præceptum Eccleſiæ.

Objicies cum Durando: non poteſt Eccleſia præcipere, quæ ſub ipſius judicium non poſſunt cadere; ſed Confeſſio omnium mortalium nequit ita cadere: ergo. Maj. patet de legibus. Min. etiam patet. Quia actus Confeſſionis eſt occultus & ſecretus; hinc etiam D. Thomas & Antoninus dicunt: præceptum Confeſſionis eſſe per accidens propter præceptum communionis. 24

Reſp. diſting. min. Confeſſio quoad peccata purè interna non poteſt cadere ſub judicium Eccleſiæ, conc. quoad externa & actum externum Confeſſionis, neg. min. nam licèt actus Confeſſionis ſit occultus, tamen etiam Eccleſia in actus occultos habet poteſtatem, ut diximus de legibus; nam ſatis eſt, quòd apti ſint cadere ſub judicium humanum. Interim tamen verum eſt præceptum annuæ Confeſſionis obligare fideles ex præcepto divino modificato per præceptum Eccleſiæ, & ſic pariter licèt præceptum Eccleſiæ non obliget, niſi ad actus externos, quatenus tamen includit præceptum divinum, per ſe etiam obligat ad actus purè internos. Tandem dum D. Thomas & Antoninus dicunt Confeſſionem per accidens præcipi, non intelligunt, quod tantùm ratione Euchariſtiæ præcipiatur, ſed quòd præſupponatur antea præcepta divino præcepto, & quòd ſolùm ab Eccleſia determinetur tempus, quo tale præceptum ſit adimplendum, & quando ultrà docent Confeſſionem præcipi ut præparationem ad Euchariſtiam, intelligendi ſunt non de Confeſſione annua ſimpliciter, ſed de Confeſſione facienda in quadrageſima, quæ immediatè præcedit paſcha, in quo ſumenda eſt Euchariſtia.

Quæres 2. *An ſatisfaciat quis præcepto Eccleſiæ per Confeſſionem invalidam ita, ut non teneatur iterum confiteri, & nec poſſet puniri excommunicatione plerumque ſententia ſolùm ferenda hujusmodi legis transgreſſores feriente?* 25

Reſp. ad 1. *negativè*. Ratio eſt: quia illud præceptum Eccleſiæ eſt modificatio divini, cùm proponat ſingulis annis ſervandum divinum præceptum, quòd aliàs vagè & indeterminatè obligat: ergo qui non ſatisfacit præcepto divino, non poteſt ſatisfacere Eccleſiaſtico ut modificanti divinum, quia quando præceptum Eccleſiaſticum eſt ſolùm modificatio divini; divinum eſt, quod obligat ut modificatum tamen præcepto humano. Ad 2. Reſp. *affirmativè* contra Suarez & Coninch. Ratio eſt: quia Eccleſia nullum actum poteſt punire, qui ſub ipſius judicium non poteſt cadere,

dere, ſed defectus interioris doloris, vel omiſſio internorum peccatorum non poſſunt cadere ſub judicium Eccleſiæ, cùm poſſint omitti abſque ullo ſigno externo, quo eorum omiſſio poſſit deprehendi: ergo. Maj. patet de legibus, & à pari; cùm hæreticus mentalis non puniatur excommunicatione, nec ille, qui ſine interna attentione audit Sacrum in die feſto. Interim tamen concedo contra Canum, illum, qui ob defectum interioris diſpoſitionis à Confeſſario deprehenſum non fuit abſolutus, incurrere pœnas Eccleſiæ. Ratio eſt: quia poteſt talis omiſſio abſolutionis ſaltem innoteſcere per negationem teſtimonii de ipſius Confeſſione; cùm Eccleſia poſſit exigere à fidelibus teſtimonium ſuæ Confeſſionis, ut fert praxis, ac præterea tali fictè pœnitenti non tenetur Confeſſarius dare teſtimonium, niſi periculum foret, ut fictio in Confeſſione manifeſtata revelaretur, quod tamen rariſſimè accidit, & ideò, quando innoteſceret judici Eccleſiaſtico, cui oſtendendum eſſet teſtimonium, quòd talis ſit tali confeſſus, invalida Confeſſio, tunc poſſet tales pœnitentes punire.

16 Objicies contra 1. Eccleſia addit novum in ſubſtantia præceptum ſupra divinum: ergo ſi hoc adimpletur per fictam & externam Confeſſionem, non debebit iterare Confeſſionem ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ. Item contra 2. Eccleſia poteſt omnes actus punire, in quos habet poteſtatem præſertim internos, qui principia ſunt externorum: ergo cum præcipiendo Sacramentum Confeſſionis externæ, ſimul præcipiat actus internos, ut principia externæ. Sic etiam cenſuris poteſt illos punire, qui tales actus internos non adhibent. Item contra 3. teſtimonium Confeſſarii non eſt idoneum ad actum pœnitentis in publico foro manifeſtandum: ergo non poterit cadere ſub judicium Eccleſiæ.

Reſp. ad 1. neg. ant. nam præceptum Eccleſiæ eſt tantum de executione divini præcepti quotannis adimplendi, & ideò includit præceptum divinum, & nec præceptum Eccleſiæ eſt ſeparabile à divino, cùm Eccleſia non poſſet præceptum Confeſſionis condere. Hinc ſequitur, qui validè non confitetur, aut dignè communicat, quòd teneatur iterum intra eundem annum confiteri. Ad 2. neg. 2. partem ant. nam Eccleſia ſolùm eos actus poteſt punire, quorum commiſſionem vel omiſſionem aliquo ſigno externo poteſt deprehendere. Sed neque defectus doloris interni, neque omiſſio peccatorum poſſunt aliquo ſigno externo deprehendi, neque ſunt principia neceſſaria, & phyſica, ſed ſolùm moralia & contingentia Confeſſionis externæ. Ad 3. neg. conſeq. nam licèt abſolutionis omiſſio non poſſit per Confeſſarium innoteſcere propter defectum pœnitentis, cùm omnes actus pœnitentis in Confeſſione Sacra explicati obſignentur ſigillo divini ſecreti, poterit tamen mediatè in-

noteſcere per negationem teſtimonii annuæ Confeſſionis, quod pœnitens tenetur judici oſtendere poſito præcepto; ideóque aliquando præter intentionem Confeſſarii innoteſcere poteſt.

Quæres 3. *An præcepto Confeſſionis annuæ teneantur pueri uſum rationis habentes ante annum duodecimum? an teneatur Pontifex? an etiam ille, qui ſolùm habet peccata venialia?* 27

Reſp. ad 1. *affirmativè.* contra Ss. Nam in C. *omnis utriuſque ſexûs* nullum aſſignatur tempus certum, ſed ſolùm capacitas peccandi: ergo ſtatim, dum pueri incipiunt intellectûs ratiocinio & voluntatis libertate uti ad cognoſcendum juſtum vel injuſtum contra legem DEI ad mortale ſufficiente, ſunt capaces hujus præcepti. Tum quia tales pueri obligantur præcepto divino Confeſſionis: ergo & Eccleſiaſtico, quod ſolùm eſt modificatio divini; hinc dicit Scotus §. *de ſecundo: in multis ante ætatem conſuetam malitia ſupplet ætatem, & etiam prudentia in bonis juxta illud in legenda S. Agnetis: fides non in annis computatur.* Hinc ultrà tradit Scotus regulam diſcernendi, quando adſit ſufficiens uſus rationis ſcilicet: quando aliquis inſtructus, & interrogatus ordinetè percipit diſtinctè, quod juſtum & quod injuſtum in lege divina, quod videri poteſt, ſi ad ordinatas interrogationes ordinatè reſpondet, ſicut alius adultus perfectè reſponderet. Ad 2. Reſp. ſub diſt. *Pontificem ſcilicet teneri illo præcepto directivè, non verò coactivè.* Ratio patet de legibus, & ſic ſaltem Pontifex non ſervans tale præceptum non incurreret pœnas Eccleſiaſticas. Ad 3. tandem Reſp. *negativè.* contra Alenſem & alios. Ratio eſt: quia C. *omnis utriuſque ſexûs* dicit: ut omnia ſua peccata fidelis confiteatur, ſed venialia non tenemur omnia confiteri, ut Concilia declarant: ergo ſolùm omnia mortalia. Tum quia præceptum Eccleſiaſticum eſt modificatio divini; ſed hoc non obligat ad venialia: ergo nec &c. Hinc dicit Scotus §. *de tertio: eſto, quòd aliquis vixerit ſine mortali uſque ad medium quadrageſimæ, ſi tunc velit confiteri, ut adimpleret præceptum Eccleſiæ, per ſe teneretur confiteri venialia, quia illa ſola habet; peccet autem illo die mortaliter & velit poſtea implere præceptum Eccleſiæ, per ſe non teneretur confiteri venialia illa, quæ prius habuit:* ergo per commiſſionem mortalis eſſet abſolutus ab aliqua obligatione, quod videtur irrationabile.

Objicies contra 1. pueri ante duodecimum annum non obligantur aliis Eccleſiæ præceptis: ergo nec præcepto Confeſſionis. Item contra 3. lex ſemper eſt ſervanda, quamdiu abſque abſurdo ſervari poteſt, cùm ſit firma & ſtabilis; ſed lex de ſemel in anno confitendo abſque abſurdo ſervari poteſt in habente ſolùm venialia; nam à pari, qui in utero matris eſſet juſtificatus, adhuc teneretur ſuſci- 28

pere baptiſmum: ergo etiam non habena conſcientiam peecati mortalia, obligaretur ad Sacramentum pœnitentiæ.

Reſp. ad 1. neg. conſeq. qnia alia Eccleſiæ præcepta vel non ſunt adeò ad ſalutem neceſſaria, vel certè majorem requirunt capacitatem & inſtructionem, ut eſt præceptum ſacræ Synaxis ſeu Euchariſtiæ, quàm præceptum exomologeſis ſeu Confeſſionis. Ad 2. diſting. maj. lex eſt ſervanda, quamdiu poteſt, quando aliunde non conſtat de mente Legiſlatoris, conc. quando conſtat de eo, neg. maj. adeóque cùm in hoc præcepto conſtet de mente Legislatoris juxta explicationem Conciliorum, quòd non obliget, niſi ad annuam Confeſſionem mortalium, ideò ad Confeſſionem venialium non obligat; aliud ergo eſt de præcepto baptiſmi, in quo non conſtat de mente Legislatoris, quòd noluerit obligare eos, qui ſunt in utero matris juſtificati, ideò quamdiu non conſtat talis mens, ſtandum eſt pro lege, & obſervantia ejus.

29 Quæres 4. *an præceptum Confeſſionis annua obliget pro determinata parte anni v. g. circà tempus paſcha? quo tempore incipiat annus?*

Reſp. ad 1. *negativè* contra Petrum Soto. Ratio eſt ex ipſis verbis illius C. *omnis utriusque ſexûs:* ubi pro communione aſſignatur tempus paſchale, pro exomologeſi verò *quodlibet anni tempus;* ſed præcepta non obligant, niſi ut verba ſonant: ergo. ad 2. Reſp. *tempus hujus præcepti eſt aſſignandum à Januario uſque ad Decembrem*, adeóque licèt quis ſæpius fuerit confeſſus per aonum de venialibus ſolis, & haberet dein aliquod mortale, teneretur in fine Decembris confiteri illud mortale. *Vel aſſignandum eſſet tempus de quadrageſima in quadrageſimam*, ut facit communis conſuetudo Eccleſiæ.

30 Objicies contra 1. communis conſuetudo habet, ut in paſchata fiat Confeſſio; ſed talis conſuetudo habet vim legis: ergo. Imò hoc jam videtur eſſe definitum à Sixto IV. in extra: *vices illius.* de pace & Treuga his verbis: *quòd etiam mendicantes ipſi deſiſtant prædicare, quòd Parochiani non ſint obligati ſaltem in paſchate proprio confiteri Sacerdoti.* Ergo ſignum eſt, quod illo tempore teneantur confiteri. Item contra 2. ſi annus inciperet in quadrageſima, ſequeretur, quòd aliquis poſſit differre Confeſſionem ad duos annos ſicut ille, qui confeſſus eſt in Januario pro ſuccedente anno, non tenetur ſequenti anno confiteri in Januario anni ſequentis, ſed poteſt Confeſſionem ſuam differre uſque ad feſtum Sylveſtri ante Januarium ſecundo ſequentis anni, quia non tenetur confeſſionem facere initio anni, quo præceptum incipit obligare, ſed poteſt eam differre uſque ad finem totius anni, quo obligatio durat, ſicut non tenetur quis audire Sacrum in aurora, quo Sacra incipiunt, ſed poteſt differre uſque ad meridiem, quouſque durant Sacra & præceptum.

Reſp. ad 1. neg. min. quia hæc conſuetudo eſt ſolùm introducta ratione Euchariſtiæ, quæ debet in paſchate ſumi. Cùm enim fideles teneantur ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem præmittere confeſſionem, illam differunt ad quadrageſimam. Non quòd putent eo tempore determinato ſe ad confeſſionem obligari, ſed ne, ſi alio tempore confiterentur, deberent poſtea ratione Euchariſtiæ iterum confiteri. Hinc ſi quis legitimè impeditus non poſſet in paſchate communicare, & alio tempore intra annum confeſſus eſſet, ſatisfaceret præcepto. Nego itaque illam conſuetudinem eſſe tacito conſenſo Pontificis approbatam quoad præceptum Confeſſionis independenter à præcepto communionis; cùm de hoc ſe nunquam explicaverint Pontifices. Similiter Sixtus IV. ſolùm loquitur de approbanda conſuetudine non inferente obligationem; ſed ſolùm ratione Euchariſtiæ per accidens introducta; & ideo ſolùm prohibet prædicationem illius articuli ob ſcandalum. Aliud tamen eſſet, ſi certi Epiſcopatus vellent talem conſuetudinem eſſe obligantem ſuos ſubditos, quia non repugnaret illis tale ſtatutum condere. Ad 2. Reſp. ad illam difficultatem, quam ſinè difficultate concedit Vaſquez, neg. ſeq. quia licèt homo confeſſus ſit in quacunque parte anni, tenetur tamen in Januario ſtatim ſequenti confiteri, qui eſt terminus totius anni Eccleſiaſtici, ſi conſcientiam habet peccati mortalis, quia præceptum non dicit: tantùm ſemel eſſe confitendum, ſed etiam omnia mortalia illius anni; cùm igitur ille homo in fine anni ſcilicet ſequenti Januario habeat conſcientiam novi mortalis non confeſſi, tenetur illud confiteri, antequam exſpiret annus; adeóque illa verba præcepti *de omnibus mortalibus* non ſolùm intelligi debent de eis, quorum pœnitens memoriam habet, dum confitetur, ſed etiam de omnibus, quæ intrà annum commiſit, cùm hoc ſit conformis menti Legiſlatoris, & fini præcepti, qui eſt, ut nullus fidelis ultra annum differat per peccatorum Confeſſionem reconciliari DEO.

Quæres 5. *An, qui non eſt confeſſus intrà annum, ſive ex infirmitate & defectu Confeſſarii, ſive ex negligentia, teneatur ſtatim confiteri initio ſequentis anni?* 31

Reſp. *affirmativè* cum Conink & Layman contra Antoninum. Ratio eſt: quia Prælati Eccleſiæ ſolent excommunicare eos, qui intrà annum non ſunt confeſſi, nec poſſunt abſolvi, donec confiteantur: ergo ſupponunt manere obligationem anno ſequenti, aliàs ſi ſolùm punirent eos ob violationem præcepti, poſſent eos abſolvere ſine Confeſſione. Tum quia finis hujus præcepti eſt, ne tam neceſſarium ſalutis medium differatur ultra annum: ergo non adimpletum intrà annum ſemper obligat,

donec

donec impleatur; cum ſemper maneat, ne tamdiu confeſſio differatur. Conſeq. patet: quia quando tempus non ponitur ut terminus, in quo finiatur obligatio, ſed ne ultra differatur ejus executio, adhuc elapſo tempore ſemper obligat. Sicut quando præfigitur certum tempus debitori ad ſolvendum, eo tempore transacto adhuc obligatur debitor, quia tempus ei non fuit præfixum, ut in eo debitum exſpiraret, ſed ne ultrà ſolutio differatur, cujus ratio eſt: quia quando præceptum aliquod eſt modificatio divini præcepti, tunc illud ſemper obligat, quando divinum obligat; ſed divinum ſemper obligat, quamdiu non adimpletur? nam ſecluſa determinatione Eccleſiæ præceptum divinum nunquam ceſſaret obligare, donec adimpleatur; igitur etiam poſita determinatione Eccleſiæ non ceſſat obligare, donec impleatur. Hinc videtur præceptum divinum confeſſionis modificatum per Eccleſiæ determinationem eſſe virtualiter negativum, quod colligi poteſt ex illis verbis: *ut ſaltem ſemel in anno confiteantur.* Quod eſt idem, ne diutius, quàm per annum differant; ideò ſemper etiam poſt annum obligat. Hoc idem eſt dicendum de præcepto communionis paſchalis.

32 Objicies: præceptum confeſſionis eſt affirmativum, ſed tale, ſi præſcripto tempore eſt violatum, licèt violatorem reddat obnoxium culpæ, tempore tamen elapſo non ampliùs obligat, ut conſtat de præceptis jejunii, auditionis ſacri in die feſto, recitationis horarum canonicarum, quæ duo poſteriora licèt etiam modificent præceptum divinum de cultu DEI, & tamen, qui illo die omiſit ſacrum vel horas, non obligatur ſequenti die ad illas: ergo.

Reſp. diſting. maj. eſt affirmativum formaliter, & tamen negativum virtualiter, conc. eſt ſolùm formaliter affirmativum, neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. nam illud præceptum includit etiam negationem de non differenda confeſſione ultra annum. Hinc quando Scotus paulò antè cit. dicit: *Pro quocunque tempore indeterminato intrà annum obligare canonem.* Intelligendus eſt ſe non extendere ultra annum, quà ſimpliciter affirmativus eſt. Hinc ad alia præcepta eſt diſparitas: quia illa ſunt purè affirmativa. Quæ ſuam obligationem limitant ad certum diem ob ſpecialem reverentiam myſterii illius diei. Sic licèt præceptum de auditione ſacri modificet præceptum divinum de ſanctificandis ſabbathis, quod ſolùm obligat pro determinato die in cultum illius diei; eâ igitur elapsâ cum ea ſimul ceſſat finis & ratio, ob quam obligabat, ita etiam eſt dicendum de horis Canonicis, quæ ſunt de certis Sanctis, feriis & myſteriis horarum, quæ altero die ceſſant, ubi æquè iterum alia currit obligatio. Et ſic de cæteris præceptis divinis eſt dicendum, ubi certo tempori certus finis eſt annexus. Cæterùm qui confeſſionem anni præcedentis omiſit, non poteſt per confeſſionem anni ſubſequentis utrique præcepto ſatisfacere, ſcilicet anni elapſi & inchoati; cùm conſuetudo Eccleſiæ talem confeſſionem exigat ut ſpectantem ad annum præcedentem, niſi confeſſio differatur propè finem ſequentis. Nam tunc non cenſetur moraliter ampliùs pertinere ad annum præcedentem, ſed ſubſequentem.

Quæres 6. *An teneatur aliquando pœnitens anticipare tempus confeſſionis, ſi prævidet impedimentum tempore ſequenti?* 33

Reſp. cum communi *affirmativè* contra Henriquez. Ratio eſt: quia quando præceptum habet certam temporis latitudinem, intrà quam obligat, tenemur, ſi non poſſumus intrà unam partem temporis, intrà aliam illud implere; ſed ſic eſt de præcepto annuæ confeſſionis: ergo. Maj. patet exemplis: quia divinum officium obligat intrà diem naturalem; unde teneor, quando non poſſum una parte diei, aliâ illud recitare. Sic etiam eſt de ſacro intrà auroram & meridiem, non verò die antecedente deberem anticipare ſacrum feſti, quia ratio cultûs diei illius tanquam ſpecialis finis non adeſt alio die quàm feſtivo; bene tamen, ſi præviderem me in periculo mortis non habere Confeſſarium, vel poſſe acquirere viaticum ſacrum, deberem anticipare; quia præceptum retrotrahitur ad aliud tempus cum iisdem conditionibus, cum quibus ſervari debet in tempore proprio; adeóque cùm illa Sacramenta confeſſionis & communionis viaticalis obligent ideò in periculo mortis, ne ſine his decedant fideles; cùm & hic finis poſſit retrotrahi, cùm etiam in tempore antecedente poſſit hoc implere, ne decedat ſine iis ex hac vita, debebit illud in caſu priùs adimplere. Poſt articulum tamen mortis, ſi illud præceptum non eſt adimpletum, non teneor ceſſante articulo mortis implere, quia ibi non ampliùs adeſt talis ratio, & finis præcepti; extremam tamen unctionem non tenemur anticipare, quia hæc eſt inſtituta pro ſolis infirmis; ideò videmus damnatos ad mortem eam non recipere. Tum quia ideò à Legiſlatore certa latitudo temporis fuit aſſignata, ut toto tempore collectivè ſumpto ſubditus ſit obligatus ad illud implendum: ergo ſi uno tempore prævidet non poſſe implere confeſſionem, debet quia priori tempore ſuæ obligationi ſatisfacere; hinc licèt ſit ſubdito liberum quacunque parte temporis implere præceptum, ſi ſemper habet commoditatem, non tamen eſt liberum ſibi determinare certam partem temporis; quâ ſi non poſſit præceptum ſervare, non teneatur aliâ parte temporis ſervare, in qua habet comoditatem. Nam Legiſlator intendit ſubditos obligare toto tempore collectivè ſumpto, quo poteſt ſervari lex, & hic in ſpecie lex confeſſionis. Idem dic de caſu reſervato, quando pœnitens prævidet fu-

turum ſe non habere idoneum Confeſſarium, tenetur prævenire tempus. Idem pariter eſt, qui prævider ſe fore impotentem ſolvere creditorem qui vovit in menſe jejunium, roſarium, &c. tenetur anticipare. Idem eſt de communione paſchali, quæ non ob ſpecialem reverentiam feſtorum paſchalium & Cœnæ Domini eſt annexa illi tempori, ſed ob Chriſti Domini memoriam ex præcepto divino indererminatè præſcriptam juxta illud: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis:* quod præceptum divinum aliquoties in vita obligat.

34 Objicies: Ille defectua confeſſionia ex impedimento involuntario non eſt voluntarius pœnitenti: ergo ei non poterit imputari ad culpam. Antec. patet: quia non ad pœnitentem, ſed ad Eccleſiam ſpectat providere de ſufficientibus miniſtris, ut ſuo tempore Sacramenta diſpenſent.

Reſp. neg. ant. Quia pœnitena intrà totum tempus anni collectivè ſumpti tenetur ſatisfacere præcepto; unde ſi omittit aliquo tempore potens implere, voluntariè omittit, & ideò imputabitur ei ad culpam, ſicut illi, qui in die feſto prævidet horâ decimâ non eſſe ampliùs ſacrum, ſi illam priùs non audit, ubi poteſt; hinc ad probam ant. dico: Talem non excuſari per defectum miniſtrorum, nam ſufficit, quòd ſit copia miniſtrorum in aliqua parte aemporia, intrà quod præceptum obligat, ſicut dictum eſt priùs da ſacro.

35 Quæres 7. *An, qui preceptum annuæ confeſſionis non poteſt implere, teneatur contritionem elicere?*

Reſp. *negativè* contra Henriquez; quia præceptum divinum ad annuam confeſſionem non obligat determinatè per ſe, ſicuti obligat in articulo mortis, ſed mediante determinatione Eccleſiæ quoad tempus: ergo deficiente Confeſſario intra annum, non tenetur fidelia vi præcepti divini contritionis commutatæ in præceprum confeſſionis; cùm enim Eccleſia non determinet ſuo præcepto niſi tempua, deficiente Confeſſario non obligabit præceptum contritionia: non ratione præcepti Eccleſiaſtici, quia hoc non obligat, niſi ad præceptum confeſſionis; non ratione divini, quia divinum contritionia non obligat, niſi quando divinum confeſſionia per ſe obligat, ut in articulo mortis &c. extra quod tempus ſicut id præceptum manet indeterminatum, & vagè tantùm obligana, ita & præceprum contritionis illi ſuccedens in defectu Confeſſarii. Tum quia ex eo, quod Eccleſia per externam ſacri auditionem modificet præceptum divinum de adorando aliquando DEUM, non ſequitur: quid ſi fidelis non poteſt audire Sacrum, quòd aeneatur eo die interno actu DEUM adorare, quia divinum præceptum de adorando non obligat, niſi conſequenter ad præceptum Eccleſiæ determinando in die feſto audiendum Sacrum: ergo idem etiam dicendum eſt de contritione; licèt etiam Eccleſia illam per externum actum compunctionis exerceri ſtatueret, uti poſſet, ſi talis actua externua certo tempore exerceri non poſſet.

Objicies: Præceptum confeſſionia ſuccedit præcepto contritionia; ſed in caſu noſtro obligaret præceptum contritionia, ſi non eſſet præceptum confeſſionia: ergo qui non poteſt ſervare hoc, ſaltem teneretur ad illud; cùm præceptum confeſſionis ſuccedena non abroget præceptum contritionis, ſed in ſe illud commutando, & ſolùm illud tollendo, quamdiu confeſſionis præceprum ſervari poteſt, quo ceſſante obligat præceptum contritionis. Maj. per ſe patet. Min. prob. ſacramentalis confeſſio ex interpretatione Eccleſiæ divino jure obligat ſingulis annis: ergo ſi confeſſio ſuccedit divino jure contritioni, eo ipſo tempore, quo confeſſio jure divino obligat, obligat contritio deficiente confeſſione. 36

Reſp. neg. min. Nam præceptum divinum per ſe non obligat annuatim determinatè, ſed ex determinatione præcepti Eccleſiaſtici, quo ob inopiam Confeſſarii non obligante non ſequitur: loco ipſiua obligare præceptum contritionis, quia hoc non obligat, niſi quando præceptum confeſſionia divinum obligarct ex tali determinato tempore, ut in articulo mortia. Ad prob. min. neg. ant. nam præceptum divinum confeſſionis non obligat ſingulis annis ex pura interpretatione Eccleſiæ, ſed ex præcepto etiam proprio de modo executionis illius præcepti divini tali tempore, nam ſi eſſet pura interpretatio, non obligarct novo præcepto, & ſub nova obligatione, quod ab omnibua rejicitur.

DISTINCTIO XII.

De variis conditionibus Sacramenti pœnitentiæ præſertim de modo ſecreto, & de integritate quoad ipſa peccata & eorum circumſtantias.

QUÆSTIO I.

An confeſſio, ut ſit ſacramentalis & valida, debeat eſſe ſecreta?

ADvertendum eſt 1. de circumſtantiis & conditionibus confeſſionia ſacramentalis ſequentea communiter recitari quatuor verſus: 1

Sit ſimplex, humilis, confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, quæ ſit parere parata.

Has

Has verò plurimas conditiones vide explicatas apud moraliſtas; nos ſolùm duas majoris difficultatis explicandas aſſumemos, ſcilicet duodecimam de modo ſecreto, & undecimam de integritate, & quidem tam de integritate quoad ſpeciem & numerum peccatorum, quàm de integritate circumſtantiarum peccatorum.

2 Advertendum eſt 2. nos ſumere hic confeſſionem non ſolùm, prout ſecretum opponitur publico, quale dicitur illud, quod omnibus, aut plurimis innoteſcit, & ſecretum, quod paucis notum eſt; ſed rigoroſè loquendo, quatenus ſecretum etiam excludit omnem alium præter Sacerdotem; unde talis confeſſio etiam ſolet dici auricularis confeſſio. Eſt ergo in præſenti difficultas: an publicè confiteri coram pluribus ſit contra inſtitutionem hujus Sacramenti ita, ut non ſit vera & ſacramentalis confeſſio, quod aliqui abſolutè affirmant, & aliqui abſolutè negant, alii tandem in aliquibus caſibus concedunt eſſe ſacramentalem, in aliquibus verò negant. His notatis;

3 Propoſitio 1. *Modus ſecretò & auricolariter confitendi fuit à Chriſto Domino inſtitutus, & regulariter præcipitur ita, ut habeatur hoc ex pura traditione Eccleſiæ.* Ratio eſt ex Trid. Seſſ. 14. c. 5. & can. 6. *Si quis dixerit modum ſecretò confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.* Ergo cùm non ſit inventum humanum, ſignificat initium hujus ordinationis eſſe ex inſtitutione Chriſti, qui non ſolùm confeſſionem præcepit dans poteſtatem abſolvendi, ſed etiam modum ejus ſaltem regularem definivit, licèt fortè per traditionem Apoſtolicam introductum ob cultum Sacramenti & facilitatem, ne fieret odioſum, ac ob ſecuritatem pœnitentis, ut dicit Leo Papa epiſt. 91. ex quo patet damnari Hæreticos noſtri temporis, qui rident noſtrum modum confitendi tanquam à Chriſto non inſtitutum, neque ab Eccleſia prima uſitatum, quod colligunt ex antiqua conſuetudine agendi pœnitentias publicas pro peccatis, ex qua inferunt confeſſionem nunquam fuiſſe ſecretò factam in ordine ad remiſſionem peccatorum, ſed ſolùm publicè ad correptionem, & publicam ædificationem, quem errorem voluit damnare præfatum cit. Trid.

4 Propoſitio 2. *Quamvis modus ſecretus ſit à Chriſto inſtitutus pro confeſſione regulariter facienda, & ut per ſe convenientiſſimus, non tamen eſt de neceſſitate & eſſentia confeſſionis ſacramentalis ſimpliciter.* Ratio eſt ex Trid. Seſſ. 14. c. 5. ubi ſic: *Cæterùm quoad modum confitendi ſecretum apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit publicè confiteri, non eſt hoc tamen divino mandato præceptum;* Ergo ſupponit Concilium confeſſionem ſecretam eſſe inſtitutam à Chriſto ſub obligatione, non verò publicam, licèt hæc non fuerit vetita in aliquo caſu v. g. neceſſitatis, vel alicujus finis particularis, & ſic neque inſtitutus eſt modus ſecretus ut modus ſimpliciter eſſentialis & neceſſarius in omni caſu; nam plura habemus circa Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta, quæ tamen non ſunt de eſſentia ſimpliciter, ſed ſolùm regulariter. Sic Eccleſia accepit modum benedicendi panem ante conſecrationem, quem etiam Eccleſia abrogare non poteſt, aut immutare, ſicut nec modum ſecretò confitendi; ipſe enim gratias agens benedixit, & fregit &c. & tamen ſi abſque his fieret conſecratio, eſſet valida: ergo. His poſitis;

5 Aſſero ad quæſt. *Confeſſio publicè facta Sacerdoti in aliquo caſu neceſſitatis, vel alia rationabili cauſa, ſi cætera adſint, eſt valida & ſacramentalis quoad ſubſtantiam, non verò quoad modum à Chriſto inſtitutum, & præceptum.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. in ſolutione tertii, & quarti. Eſtque quoad 1. partem contra Fabrum noſtrum, & quoad 2. contra quoſdam Recentiores.

Probatur 1. pars: Sunt aliqui caſus, in quibus eſt confeſſio facienda, & tamen ſecretò, & ſoli Sacerdoti fieri non poteſt, éſtque valida & ſacramentalis, ut confeſſio per interpretem, ſive hoc modo teneatur confiteri pœnitens, ſive non, de quo dictum eſt Diſt. priori q. 2. item in articulo, vel periculo mortis, ut in bello, vel naufragio, vel in aliquo loco peſte laborante, ſi plures confiteri velint, & non poſſint, niſi aliis audientibus. Talis confeſſio eſt valida & ſacramentalis: ergo. Antecedentia probantur: quia licèt confeſſio fiat ſine ſecreto, adhuc poteſt eſſe vera accuſatio ex dolore cordis profecta, & per illam dari Sacerdoti ſufficiens informatio, ut poſſit de peccatis judicare: ergo in illis caſibus validitas confeſſionis ſalvari poteſt.

6 Probatur 2. pars: ut aliquid dicatur in communi modo loquendi abſolutè & ſimpliciter tale ſine addito, non ſolùm requiritur, ut ſit tale ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm reliquas conditiones regulariter requiſitas ad illud, ſicut infans, licèt ſit homo ſecundùm ſubſtantiam, quia tamen non eſt compos rationis, non appellatur homo aut vir ſed infans, quia in communi modo loquendi per hominem intelligitur, qui ad uſum rationis pervenit; ſic etiam panis bis coctus, licèt ſit in ſubſtantia panis, non tamen dicitur ſimpliciter panis, ſed panis bis coctus, qui non habet conditiones regulariter ad panem requiſitas, ſcilicet mollitatem, & unicam coctionem: ergo etiam confeſſio publica, licèt ſit in ſubſtantia ſacramentalis includens ſcilicet informationem judicis cum intentione recipiendi abſolutionem à Sacerdote, quia tamen non habet conditionem & modum, ſub quo à Chriſto Domino fuit inſtituta, & præcepta ad ejus regulare exercitium in Eccleſia, ſacramentalis quoad modum, ſeu omnimodè & ſimpli-

ſimpliciter dici non poteſt. Conſeq. patet: ſicut non valet hæc conſequentia: licèt quandoque abſolvere agonizantem ſine confeſſione verbali, aut confitentem per nutus: ergo etiam talis confeſſio eſt regulariter ſacramentalis, & ſemper valida. Ita etiam nec valebit hæc conſeq. licèt quandoque in caſu neceſſitatis, vel aliò ex rationabili fine in Trid. ſpecificato: ad ſui humiliationem, aliorum exemplum, Eccleſiæ ædificationem, qui fines non ſunt ſacramentales, uti confeſſione publica: ergo regulariter fieri poteſt in ordine ad Sacramentum, ſeu ſacramentalem abſolutionem obtinendam talis confeſſio; publica nam hæc ſe habet per accidens ad Sacramentum, quia quà publica eſt impertinens ad Sacramentum, qualiter Chriſtus id inſtituit & præcepit. His

7 Addo: ad publicam confeſſionem non teneri ex præcepto divino pœnitentem; cùm non talem, ſed ſecretam Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti præceperit, licèt, ſi voluerit pœnitens ita confiteri, non ſit illicitum; cùm ſit Dominus ſuæ famæ. Interim tamen in articulo mortis aliquando, ſi dubitaret de perfectione contritionis elicitæ, tenebitur etiam publicè confiteri, ſi aliter non poſſet, non quidem ex præcepto divino confeſſionis, ſed ex naturali charitatis erga ſe ipſum & DEUM. Vide de hoc diſt. priorem. quæſt. 2. additionem poſt aſſertionem 3.

8 Objicies: Scotus in 4. D. 17. q. un. in ſolutione ad 3. & 4. ait: *Confeſſionem publicam v. g. factam per interpretem, ſeu non ſoli Sacerdoti ex natura ſua non eſſe ſacramentalem, aut pœnitentialem*: ergo.

Reſp. neg. conſeq. quia Scotus ſolùm negat talem confeſſionem eſſe ſacramentalem ex natura modi præcepti à Chriſto, ſeu reſpectivè ad ſecretum confitendi, cum quo obligat præceptum affirmativum, & ſine quo non obligat, non verò negat abſolutè & ſimpliciter eſſe ſacramentalem; adeóque Scotus illo loco ſolùm voluit indicare talem confeſſionem quodammodo publicam non eſſe obligatoriam & neceſſariam, ut patet ex ejus verbis, dum dicit: *Non videtur eſſe neceſſarium ſic confiteri.*

Dices: Scotus ex illa eadem ratione publicitatis abſolutè negat confeſſionem per literas eſſe ſimpliciter ſacramentalem etiam quoad ſubſtantiam, uti tenemus Diſt. 8. q. 3. aſſert. 2. quod & confirmat Decretum Clementis VIII. ibi cit. ergo & abſolutè negat omnem aliam confeſſionem in quocunque caſu publicè factam eſſe ſacramentalem.

Contra diſting. ant. ex eadem ratione publicitatis ſub eodem motivo conſideratæ, neg: ſub diverſo motivo conſideratæ, conc. ant. nam Scotus & Clemens octavus non ideò confeſſionem per Scripturam rejiciunt, quia ex natura ſua eſt publica, & ideò illicita; nam ſic confeſſio publica nunquam eſſet licita, quod eſt contra Trid. dicens: eam à Chriſto non eſſe vetitam, ſi eam pœnitens voluerit acceptare ex motivis ibi enumeratis; adeóque rejiciunt ſolùm confeſſionem per litteras ob periculum publicitatis, quæ contingere poſſet contra voluntatem confitentis. Et ſic verùm eſt confeſſionem publicam coactè factam eſſe omnino ſemper, & in omni caſu illicitam, & invalidam, in noſtro autem caſu publica Confeſſio non eſſet contra intentionem & voluntatem pœnitentis, ſicut contingere poteſt ſaltem ex natura confeſſionis literalis; quamvis aliquando per accidens etiam in hanc poſſet conſentire pœnitens; ideò illa in noſtris caſibus adhuc poteſt eſſe ſacramentalis quoad ſubſtantiam. Imò Decretum Clementis non ſolùm datum eſt ob periculum publicitatis, ſed etiam ratione abſolutionis in abſentia datæ, ut ſuo loco diximus, ubi contingere poteſt, quòd pœnitens poſtea abſolutionem per Scripturam accipiat, quando de novo eſt lapſus in mortale, & factus incapax abſolutionis ſacramentalis.

Dices: Præceptum confeſſionis intrinſecè includitur in inſtitutione hujus Sacramenti; 9
ſed ſub præcepto ſolummodò poteſt cadere confeſſio ſecreta; ergo hæc ſola eſt ſacramentalis. Maj. patet: eò, quòd Chriſtus inſtituerit Sacerdotes judices peccatorum, & quòd peccatum ſit occultum, tenentur peccatores aperire illud, ut obtineant abſolutionem. Min. prob. lex naturæ non deſtruitur, ſed potiùs coboratur per legem poſitivam; eſt autem de lege naturæ ſe non publicè diffamare: ergo præceptum confeſſionis non eſt, ut confeſſio ſimpliciter fiat, ſed ut ſecretò fiat.

Contra diſting. maj. præceptum confeſſionis quoad modum conſideratæ intrinſecè includitur in inſtitutione hujus Sacramenti, conc. præceptum confeſſionis quoad ſubſtantiam, neg. maj. ad min. dico: licèt publica confeſſio non cadat ſub præcepto, benè tamen poteſt cadere ſub inſtitutione; nam licèt illa magna difficultas & infamia confitentis publicè fuerit Chriſto cauſa, cur talem non præceperit, non tamen fuit ſufficiens cauſa, quin Chriſtus inſtituerit, ſi quis voluntariè illam velit facere ex bono fine, eſſet valida & ſacramentalis.

Dices: illa ſola Confeſſio pertinet ad hoc Sacramentum, ad quam obligantur homines; ſed non obligantur homines ad publicam: ergo.

Contra neg. maj. Nam falſum eſt illam ſolùm confeſſionem pertinere ad hoc Sacramentum, ad quam homines obligantur ex inſtitutione hujus Sacramenti; nam etiam pertinet ad illud confeſſio noſtræ libertati relicta ex inſtitutione hujus Sacramenti confeſſionis quoad ſubſtantiam conſideratæ, & ideò etiam falſum eſt confeſſionem, quæ includitur in inſtitutione hujus Sacramenti quoad ſubſtan-

tiam

tiam conſiderata, obligare omnes ad illam, ſed ſolùm illa quoad modum obligat, & quæ regulariter fit.

10 Dices: peccata publicè confeſſa non pertinent ad forum internum, ſed externum, in quo etiam Eccleſia habet poteſtatem abſolvendi, ut patet de cenſuris: ergo non pertinent ad hoc Sacramentum, neque ad miniſtros Eccleſiæ, quatenus ſunt miniſtri hujus Sacramenti, ſed ut ſunt Prælati, & ideò illorum abſolutio non eſt Sacramentalis, ſed ſolùm Eccleſiaſtica & Epiſcopalis.

Contra neg. ant. nam licèt in Eccleſia ſit etiam forum publicum: in hoc tamen non eſt authoritas dimittendi peccata quoad culpam, ſed ſolùm puniendi & corrigendi per cenſuras, quando ad forum externum ſunt deducta; adeóque peccata non niſi per Sacramentalem abſolutionem dimittuntur etiam, quando publicè in hunc finem ſunt confeſſa, & pariter dimittuntur à miniſtris Eccleſiæ, ut miniſtris hujus Sacramenti; quod Scotus expreſsè ſignificat in 4. D. 19. q. un. §. *de quinto articulo* dicens: *iſtæ claves Eccleſiæ in foro externo non ſunt eadem cum clavibus fori interni, quia iſtæ ſeparantur ab illis utpote non habentibus jurisdictionem ſecundùm ordinationem Eccleſiæ ſine Sacerdotio ut in Archidiacono & viciſſim.* Ex his patet etiam pœnitentiam publicam, ut fuit olim in uſu Eccleſiæ, & abſolutionem ejus per expleta opera ſatisfactoria poſt tempus præſcriptum fuiſſe reconciliationem per Sacramentum, & poſtea admiſſio ad communionem.

11 Dices: Sacerdos de jure divino tenetur ad ſigillum, & ſecretum Confeſſionis, ne ad forum publicum deveniant peccata: ergo modus ſecretus eſt de eſſentia Confeſſionis. Conſeq. patet: aliàs non eſſet contra naturam Confeſſionis, & ejus inſtitutionis peccata ſibi confeſſa deducere ad forum publicum, ſed ſolùm propter aliam legem naturæ, vel Eccleſiæ, quod nullus dicit.

Contra diſting. ant. tenetur ad ſigillum Confeſſionis Sacramentalis & publicæ per accidens, conc. Confeſſionis Sacramentalis & publicæ per ſe, neg. ant. nam alia eſt Confeſſio publica per ſe, ut illa, qua intenditur ſui humiliatio, & exemplum aliorum. Alia verò eſt publica per accidens, quæ ex neceſſitate Confeſſionis apud Sacerdotem ob defectum linguæ confitetur per interpretem, vel aliorum, qui non procul diſtant, ut in naufragio, peſte, aut incendio, ut fertur de Neapoli, ubi ob flammas montis Veſuvii homines in platea videntes Sacerdotes ſua peccata cumulatim dixerunt pluribus audientibus: in hac ergo publica per accidens, quantùm eſt de ſe, intendit peccator ſua peccata ſolùm manifeſtare Sacerdoti, & ob præſentiam illorum, qui nequeunt recedere, ſe permittit ab aliis audiri; ideò hi omnes audientes tenentur ad ſigillum, ſicut Confeſſarius. In illa verò publica per ſe peccator non dirigit peccata ſua, & locutionem ſuam ſolùm ad Sacerdotem, ſed etiam ad adſtantes per modum humiliationis, & piæ Confeſſionis, & ideò tales non ligantur ſigillo, quia etiam his intendit pœnitens manifeſtare, quæ manifeſtatio terminos Confeſſionis Sacramentalis egreditur, quæ ex natura ſua ad ſolum Confeſſarium dirigitur, & quia in tali caſu Sacerdos peccata ejus non ſolùm audit ut Sacerdos, ſed etiam ut unus ex adſtantibus, hac ratione participat eandem notitiam extra Confeſſionem, quæ non ligatur ſigillo; nec tamen propterea ceſſat eſſe Sacramentalis, licèt ſigillum non habeat annexum ſaltem in ſubſtantia, quia adhuc ſufficit, quòd includat informationem judicis in ſubſtantia cum intentione recipiendi abſolutionem à culpa, ſed ſolùm ceſſat eſſe Sacramentalis quoad modum, ad quem obligat præceptum, & quidem magis ceſſat, quàm illa publica per accidens.

QUÆSTIO II.

An Confeſſio ſemper debeat eſſe integra quoad peccata in ſe, præſertim in caſu moribundi tam cum ſignis, quàm ſine ſignis doloris, & in caſu manifeſtandi complicis?

ADvertendum eſt 1. integritatem Confeſſionis in tribus conſiſtere. Primò, ut pœnitens confiteatur omnia ſua peccata mortalia nondum confeſſa, nam venialia non ſunt materia neceſſaria, ſed ſolùm ſufficiens, ſimiliter peccata jam ſemel confeſſa ritè, non ſunt neceſſaria; adeóque in confeſſionibus generalibus non tenemur omnia confiteri. Imò poſſumus quotidie abſolvi ab illis, quæ confitemur, antequam totam confeſſionem generalem perficiamus, ſi uno die non poſſumus perficere. Secundò, ut confiteatur omnia mortalia tam quoad ſpeciem, quàm quoad numerum, ut Trid. Seſſ. 14. c. 5. & can. 7. ſtatuit, de quibus certum eſt pœnitentem ſolùm teneri confiteri ſpecies morales, non phyſicas v. g. quòd occiſio ſit facta gladio, vel veneno, ſed ſolùm, quòd ſit occiſio perſonæ ſacræ, vel non ſacræ, aut cognatæ &c. cujus ratio eſt: quia non cognita ſpecie peccatorum non poteſt à judice gravitas cauſæ dignoſci nec ei proportionata pœna imponi; rudibus verò ignorantibus diverſitates ſpecierum ſufficiet, ſi factum narrent. Similiter ex illa ratione etiam dicendus eſt numerus mortalium, ſi occurrat. v. g. furatus ſum quinquies, vel decies, ſi verò certus numerus occurrere non poteſt, debet veroſimilem exprimere, v. g. circiter decies, plus minusvè furatus ſum &c. vel ſi hoc non poſſet, debebit ſaltem dicere tempus, per quod in ſimilibus peccatis vixerit, vel etiam toties in die, toties in menſe &c. Tertiò tandem, ut pœni- 12

pœnitens confiteatur etiam circumſtantias omnes ſpeciem peccati mutantes, de quibus circumſtantiis fusè diximus in Tract. de actibus humanis Diſt. 2. q. 3. quarum aliquæ mutant ſpeciem, ut quando peccatum veniale tranſit in mortale, vel quando quis furatur in loco ſacro, locus ſacer reſpectu furti eſt circumſtantia mutans ſpeciem, quia ſupponit furtum jam eſſe conſtitutum in ſpecie injuſtitiæ, & facit novam ſpeciem ſacrilegii, reſpectu cujus ſacrilegii locus ſacer non eſt circumſtantia, ſed objectum, quia illud primò conſtituit; quædam verò non mutant ſpeciem, ſed ſolùm aggravant, aut minuunt peccatum intra eamdem ſpeciem, ut quantitas, intenſio, malitia, paſſio; nam gravius eſt peccatum, quod fit ex malitia, quàm ex naturali paſſione, gravius eſt furtum mille aureorum, quàm decem eorum, & de his circumſtantiis notabiliter aggravantibus intra eandem ſpeciem celebris eſt controverſia inter Authores: an ſint neceſſariò confitendæ? de qua in ſequenti quæſtione. Pro nunc verò de ipſis ſolis peccatis dicemus. Pro quibus

13 Advert. eſt 2. Confeſſionem dici non integram formaliter, & materialiter, formaliter non integra eſt, quando pœnitens in Confeſſione aliquod peccatum mortale culpabiliter omittit, materialiter verò non integra eſt, quando pœnitens non peccat omittendo aliquod peccatum mortale rationabili de cauſa. Certum autem eſt Confeſſionem debere eſſe integram utroque modo per ſe loquendo & regulariter. Per accidens tamen, & in quibusdam caſibus fatentur omnes quandoque etiam non integram ſeu dimidiatam ſufficere, ſi nimirum aliquod mortale rationabili de cauſa omittitur; unde communiter dicunt Sacerdotem poſſe abſolvere infirmum in tribus præſertim caſibus, etiamſi Confeſſio quoad externum Sermonem non ſit integra: primò, quando cœpit confiteri, & non poteſt confeſſionem perficere. Secundò, quando ſignis & nutibus explicat ſua peccata in ſpecie. Tertiò, quando nutibus explicat aliqua peccata in ſpecie, non verò omnia poteſt exprimere. In his enim caſibus licèt Confeſſio non ſit integra materialiter, quia aliquod omittitur peccatum, adhuc tamen eſt integra formaliter, hoc eſt, quantùm ad intentionem, & moralem poſſibilitatem, & obligationem pœnitentis; ideo habebit vim conferendi gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum omnium etiam omiſſorum; cùm unum ſine altero remitti non poſſit, cum hoc tamen diſcrimine, quòd confeſſa directè dimittantur, omiſſa verò indirectè, & per concomitantiam, quæ deinde confiteri iterum debent, ſi poſſunt. Alii verò ſunt caſus, in quibus dubium eſt, an ſufficiat Confeſſio non integra, præſertim de moribundo, qui ſolùm in genere ſe accuſat, & aliud non poteſt dicere, imò prorſus nihil dicere poteſt, ſed ſolùm ſigna doloris oſtendit. Item de reperto in via agonizante, qui prorſus nullum ſignum dat, niſi ſupponendo quòd bonam vitam Chriſtianam duxerit, an poſſit ſaltem ſub conditione abſolvi. Et tandem de pœnitente, qui non poſſet explicare ſuum peccatum, niſi manifeſtando complicem, an poſſit tale peccatum, vel ſaltem talem circumſtantiam omittere ob infamiam, quæ exinde orietur de complice apud Confeſſarium. Unde his notatis:

Propoſitio 1. *Ad integritatem confeſſionis aſſequendam debet præſupponi diligens conſcientiæ examen.* Ratio eſt: quia eo ipſo, quòd Confeſſio integra omnium mortalium ſit ſub præcepto, ſub eodem quoque cadet diſcuſſio, & examen ad Confeſſionem, quæ abaque tali examine moraliter loquendo fieri non poteſt, & ideo Trid. cit. dicit: *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.* 14

Propoſitio 2. *Optimè aſſignat Scotus regulam dignoſcendi; an examen ſit ſufficiens, nempe: ſi tanta diligentia adhibeatur, quanta in rebus gravibus à viris cordatis.* Ratio eſt: quia Scotus in 4. D. 17. q. un. §. *de ſecundo articulo*, dum dicit, neceſſarium eſſe præmittere diligentem inquiſitionem ſecundùm poſſibilitatem fragilitatis humanæ, hoc ita declarat: *quòd homo debeat adhibere tantam diligentiam in ſua conſcientiæ examine, quantam adhiberet circa aliquod arduum negotium, quod ſibi multùm eſſet cordi;* ut ſi vellet uxorem ducere, alloqui Principem in cauſa amiſſionis magnæ partis bonorum; ſed per hanc communi æſtimatione morali & humana cenſetur homo ſatiafacere, quamvis fortè præſumi poſſet, per exquiſitam diligentiam majorem adhuc plura peccata inveniret; unde ſicut non ſufficit nimis levis diligentia, quæ apta non ſit peccata in memoriam revocare, ita non requiritur nimis exquiſita, qualis ſolùm maxima ſollicitudine poſſet adhiberi; adeóque ad tollendos ſcrupulos conveniens, & mediocris diligentia adhiberi debet, quanta prudentia viri arbitrio ſufficiens videatur, & de qua loquitur Scotus cit. quæ tamen adhuc pro vario perſonarum ſtatu, & pro quantitate temporis ab alia Confeſſione inæqualis eſſe debet; non enim ad tam exactum examen obligari debet rudis, quam literatus, morigerus, quàm malitioſus, frequenter confitens, quàm raro confitens. 15

Propoſitio 3. *Rudes non ſunt ad multùm exactum examen obligandi, ſed per induſtriam Confeſſarii debent adjuvari, ita tamen, ut ſaltem aliquam diligentiam juxta ſuam capacitatem præmiſerint.* Ratio eſt: tum quia, rudiores non poſſunt in tantùm obligari, in quantùm homines eruditiores, qui majores habent occaſiones addiſcendi. Tum quia, officium 16

Con-

Confeſſarii eſt docere; ſemper autem magis tenentur adhibere curam in docendis magis derelictis ab inſtructione, ut ſunt rudes, quam in aliis magis capacibus. His propoſitis

17 Aſſero 1. *In caſu, ubi pœnitens nullum explicat peccatum in ſpecie, ſed ſolùm ſe accuſat in genere ſe multa peccata commiſiſſe, & ſenſibus deſtitutus non poteſt aliud addere, eſt ſufficiens Confeſſio integra formaliter pro obtinenda abſolutione.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. in ſolutione argumentorum *de muto & Barbaro.* eſtque contra quoſdam Thomiſtas.

Probatur: tum quia peccatum in genere poteſt eſſe materia neceſſaria confeſſionis, ſi ſpecies & numerus rationabili causâ aſſeri non poteſt. v. g. Si recordaris te quidem peccâſſe mortaliter, oblitus tamen eſſes ſpeciei: ergo tale peccatum poteſt eſſe materia ſufficiens confeſſionis. Tum quia valde durum videtur, quòd, qui in extremo vitæ ſuæ cupit ſuſcipere Sacramentum, propter infirmitatem tamen impedientem loquelam, & alios nutus, privetur beneficio tanti Sacramenti, & ei ſit pericoloſa via ſalutis. Nec ſufficeret dicere talem poſſe per actum contritionis ſalvari; nam talis actus debet eſſe valde perfectus, quem non ita homo facilè poteſt elicere præſertim in articulo mortis, ubi gravitas infirmitatis & tentationum aliquem valde perturbant. Et ſic, ſi ſolam attritionem haberet, non ſalvabitur ſine Sacramento, bene tamen cum Sacramento; ideo Paulus V. in Rituali Romano ſtatuit: *abſolvendum eſſe illum, qui petiit confeſſionem.* Et ideo multo magis illum, qui dixit peccatum in genere; quapropter Sacerdos non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur abſolvere ſaltem ex charitate talem ægrotum, ne fortè, ſi ſolùm haberet attritionem, damnetur, qui cum beneficio abſolutionis factus eſſet ſalvus. Hic

18 Addo 1. etiam abſolvendus eſt moribundus ita debilitatus, ut nullum peccatum nec in genere, ſive ore, ſive nutu confiteatur, ſi tamen exhibet ſigna doloris ſive explicitè in ordine ad Confeſſionem, ut dicens ſe dolere de peccatis, & velle confiteri, vel premat manum, vel inclinet caput, ſi interrogatur de dolore peccatorum. Sive implicitè ſine mentione Confeſſionis, ut ſi tundat pectus, ſi imaginem Sacram cum ſuſpiriis aſpiciat, aut dicat: miſerere mei DEUS. Ratio eſt contra Suarez & Bonacinam: quia non ſolùm prima, ſed etiam poſteriora ſigna ſunt quædam Confeſſio in ordine ad abſolutionem Sacramentalem, non quidem expreſſa, ſed tacita, qualis Confeſſio ſufficit in caſu extremæ neceſſitatis: ergo. Ant. patet: tum quia etiam perditiſſimi homines, quando habent vocem, ſolent eam in extremis promere pro petenda Confeſſione: ergo etiam in eo, qui eſt deſtitutus voce, ſigna illa ſunt tacita Confeſſio, quia ipſi animæ ſuæ remedium, quo poſſunt modo, quærunt. Et dicit S. Auguſt. Sermone 8. de verbis Domini: *tunditur pectus, ut arguatur, quod latet in pectore, ac evidenti pulſu occultum caſtigatur peccatum.* Eſt ergo tunſio pectoris aliqua peccati manifeſtatio & Confeſſio. Tum quia poteſt ex Layman conferri abſolutio ſaltem conditionata illi moribondo, in quo dubium eſt: an illa ſigna procedant ex contritione, aut ex morbi vel mortis anguſtiis, cùm prodeſſe poſſit infirmo, & non obeſſe Sacramento propter appoſitam conditionem: ergo & in caſu noſtro danda eſt abſolutio abſoluta, ſi ſigna ſunt certa, vel probabilia. Tum quia hoc ſtatuit Rituale Romanum per Paulum V. *ut impendatur abſolutio moribundo, ſi ſaltem deſiderium confitendi ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit.* Hinc

Addo 2. abſolvendus quoque eſt moribundus, qui abſente Confeſſario petiit Confeſſionem, aut ſigna pœnitentiæ exhibuit teſtibus, licèt ſuperveniente Confeſſario nullum coram illo ſignum, utpote ſenſibus deſtitutus oſtendat. Ratio eſt contra Canum & Navarrum: quia vel talis Confeſſio eſſet inſufficiens eo, quod non eſſet expreſſiva peccatorum in particulari, vel quia fieret teſtimonio alterius; ſed nihil horum obſtat: ergo eſt ſufficiens. Min. prob. non primum, quia in caſu neceſſitatis ſufficit Confeſſio peccati in genere, ut patet in aſſertione. Non ſecundum, aliàs Confeſſio facta per interpretem eſſet invalida, quod falſum eſſe patet ex Quæſt. præcedenti, & Confeſſio moribundi per teſtem æquivalet Confeſſioni per interpretem; ſicut enim interpres refert peccata Confeſſario, ita etiam teſtis: ergo nihil obſtat; cùm talis pœnitens faciat Confeſſionem integram formaliter, & faciat, quantùm poteſt hic & nunc. Ac tandem Confeſſarius ſufficiens poteſt judicium formare, quantùm fert occaſio & caſus neceſſitatis, de peccatis & diſpoſitione pœnitentis. Hinc Concil. Arauſic. c. 11. & 4. Carthaginenſe c. 63. & rituale Romanum paulò ante citatum decernunt: *talem poſſe pœnitentiam accipere, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat.* 19

Objicies: materia proxima hujus Sacramenti debet eſſe Confeſſio, qua per accuſationem rei nova notitia datur Confeſſario, quam antè non habuit; ſed hoc non contingeret in caſu aſſertionis; nam ſcit etiam antea Confeſſarius pœnitentem commiſiſſe peccata, præſertim ſi legerit 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* ergo. 20

Reſp. neg. maj. nam ſufficit, ſi ſit accuſatio de peccato commiſſo, qualis eſt in propoſito licèt imperfecta, ſed tamen quanta haberi tunc poteſt, & qua defertur notitia delicti, ſive eam jam habuerit judex, ſive non, & petatur remedium implorando ejus officium, ut patet ab experientia fori externi.

Dices: Sacramentalis abſolutio debet terminari ad aliquod directè remittendum; ſed in illa Confeſſione generica non apparet, quid directè dimittatur, non enim peccata in ſpecie, hæc enim iterum debent confireti, & ſubjici clavibus, ſi convaluerit infirmus; peccatum autem in communi non videtur remiſſibile: ergo.

Contra neg. min. abſolutio ergo directè terminatur ad peccatum ſecundùm rationem communem, io qua convenit cum aliis. Indirectè verò ad ſingula peccata ſecundùm proprias ſpecies, quæ deinde ſubjicienda ſunt clavibus, ſicut in caſn oblivionis ſpeciei peccati.

Dices: ſaltem ubi adſunt ſola ſigna implicita Confeſſionis, aut Teſtimonium aliorum adſtantium, non adeſt ſufficiens materia abſolutionis: ergo. Ant. prob. vera materia hujus Sacramenti eſt propriè ipſius pœnitentis accuſatio, non autem ſola devotio aut contritio, vel veniæ petitio, quamvis exteriùs expreſſa, ſive per ſe, ſive per alios: ergo.

Contra neg. ant. ad prob. neg. ſuppoſitum conſequentis, ſcilicet illa ſigna non eſſe veram Confeſſinnem, & accuſationem, ſed ſolam devotionem. Eſt enim vera accuſatio ipſius pœnitentis in caſu neceſſitatis, licèt imperfecta, quæ tamen ſufficit ad judicium Sacramentale, cùm ad hoc ſufficiat qualiscunque peccati notitia, qualis à reo hìc & nunc haberi poteſt. Imo negari poteſt ant. probæ, quia materia eſſentialis hujos Sacramenti non eſt præcisè Confeſſio, quâ ſe accuſat pœnitens coram Sacerdote, cùm etiam Confeſſio per Scripturam in abſentia Sacerdotis ſit valida, dummodo poſtea abſolutionem pœnitens obtineat in præſentia Sacerdotis.

21 Aſſero 2. *Moribundus animam agens ſine ullo alio ſigno, ſive probabili, ſive dubio de ejus diſpoſitione ac voluntate confitendi, adhuc ſub conditione abſolvi poteſt, dummodo Confeſſario vel ex ſe, vel aliunde conſtet talem eſſe Catholicum. Imò ex charitate tenetur Sacerdos talem abſolvere.* Eſt noſtri Herinx, Sporer, & aliorum contra PP. Societatis, qui omnes ſunt prohibiti hanc docere ſententiam, ut teſtatur Gobat caſu 19. n. 62.

Probatur 1. Argumento, quod propoſui in quadam concertatione publica: ipſa anteacta bona vita hominis Catholici Confeſſario ſenſibiliter cognita videtur eſſe ſignum ſenſibile ſufficiens, aut ſaltem dubium præſentis diſpoſitionis, quòd ſcilicet de peccatis doleat, & Sacramentum maximè deſideret, dummodo habere poſſet: ergo ſub conditione poteſt abſolvi. Ant. prob. illa vita Chriſtiana ſufficienter ſenſibiliter ſignat eum ut Chriſtianum præſtitiſſe officium Chriſtiani, & ideo ſignat dolores & deſideria Confeſſionis præterita: ergo etiam præſumendum eſt eum velle in fine vitæ & extrema neceſſitate illud præſtare, & ſic ſignare poteſt dolores & deſideria de præſenti in hac extrema vitæ neceſſitate, in qua præſupponitur eum multo magis velle ſatisfacere præceptis Chriſtianis, quàm priùs. conſeq. prob. concedunt communiter adverſarii, cum quibus & noſter Sporer, hunc caſum: quando de tali moribundo prudenter præſumi poſſet eum reipſa dediſſe, vel dare ſigna & deſideria Confeſſionis, in hac extrema neceſſitate licet adminiſtrare Sacramentum, quia deficientibus aliis probationibus prudenter præſumuntur adeſſe omnia ad valorem eſſentialem ejus requiſita; ſed ſemper poteſt prudenter præſumi de quolibet Chriſtiano, qui prævidet periculum mortis inſtantis, quòd dederit, vel det ſigna doloris in ordine ad abſolutionem: ergo. Min. prob. *illud prudenter ſemper præſumitur factum, quod plerumque fieri ſolet.* ut communiter juriſtæ. l. *in obſcuris.* ff. de regulis juris; ſed Chriſtiani plerumque in fine vitæ deſiderant habere dolorem & Sacramentum abſolutionis: ergo hoc ſemper præſumi poteſt ita, ut vita Chriſtiana ſemper ſit motivum benè præſumendi dolorem eſſe in moribundo ſigno aliquo ſenſibili manifeſtatum, qui dolor eſt materia proxima abſolutionis, & ita vita Chriſtiana ſecundùm ſe formaliter & non ſolùm præſumptivè eſt ſignum ſufficiens doloris ad Sacramentum directi, cùm ſemper fundet ipſam præſumptionem in ſe formaliter; aut aſſignetur caſus, ubi ſola vita Chriſtiana formaliter ſumpta non eſſet ſufficiens, aut ubi de illa non poſſet id præſumi, quod difficilè præſtabunt adverſarii caſum dicto modo limitantes.

Probatur 2. Tum quia juxta communiorem poteſt abſolvi moribundus, licèt det ſolùm ſigna dubia, ut ſuſpiria, gemitus, motum capitis, elevationem oculorum, compreſſionem manuum: ergo etiam ille, qui ſolùm habet ſignum Chriſtianitatis. Conſeq. prob. illa ſigna priora ſunt naturalia & indifferentia tam ad hominem Chriſtianum, quàm Ethnicum, Imò etiam ad animalia, & ſunt indifferentia, an ſignificent dolorem, vel alias anguſtias morbi, vel motum naturalem, & contractionem nervorum, ubi magis connexè vita Chriſtiana videtur ſignare dolorem & deſiderium Chriſtianum; nam licèt in tali peccatore oppreſſo nullum appareat ſignum, quòd materiam confeſſinnis faciat ſenſibiliter præſentem in ordine ad abſolutionem, aut indicet peccatorem cogitare de ſalute, poteſt tamen fieri, ut non ſolùm intus de peccatis doleat, confiterique deſideret, ſed etiam aliqua edat ſigna per ſe ſenſibilia, licèt Sacerdoti incognita, & ea ordinet ad abſolutionem: ergo etiam talis abſolvi poterit. Tum quia ſi talis abſolvitur, magnum ei bonum præſtatur, ſcilicet vita æterna, & eripitur ab æterna damnatione, ſi ſolam attritionem ab intro haberet: nec Sacramento fieret irreverentia, aut defectus, cùm conditio eam tollat, nempe te abſolvo, ſi diſpoſitus es:

ergo

ergo non eſt ratio, cur in tali caſu negaretur abſolutio. Tum quia, fertur Clemens VIII. id practicaſſe, qui cuidam ruenti de fabrica S. Petri abſolutionem dederit dicens: *ſi es capax, abſolvo te à peccatis tuis* &c. quamvis adverſarii hoc negent, & ſolùm dicant Pontificem dediſſe Benedictionem ſua manu; ſed cùm non magis ſit credendum adverſariis, quàm auchoribus noſtræ ſententiæ, qui dicunt veram dediſſe abſolutionem, ideo non erit ratio, cur illud licitum eſſe negemus.

22 Objicies: in nullo caſu validè, aut licitè, poteſt Sacramentum conferri, etiam ſub conditione, ſine aliqua parte eſſentiali; ſed Confeſſio externa formalis, vel virtualis, eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ: ergo ſine ea non poteſt conferri Sacramentum, etiam ſub conditione, ſine Sacrilegio. Subſumitur: ſed in caſu Chriſtiani ſine ullis ſignis agonizantis nec eſt Confeſſio virtualis; cùm nullo omnino ſigno oſtendatur dolor, aut confitendi deſiderium: ergo talis, nec validè, nec licitè, abſolvi poteſt, etiam ſub conditione; cùm ad Sacramentum ſub conditione requiratur, ut ſaltem ſit ſpes valoris; ſic in caſu neceſſitatis poſſem baptizare in cerevifia, minimè verò in vino, quia in illa, minimè verò in hoc, eſt ſpes valoris baptiſmi.

Reſp. conc. totum Syllogiſmum, neg. min. ſubſumptam. Eſt enim Confeſſio, & accuſatio tacita, & virtualis cum ſigno vitæ Chriſtianæ, ſaltem dubio, & præſumpto, doloris, & deſiderii confitendi, ſicut in illo ſuſpirante, & aperiente oculos præſumuntur illa ſigna eſſe ordinata ad Confeſſionem, & dolorem, & ideo etiam videtur eſſe ſpes valoris, & ſalutis in tali moribundo abſolutione prædito.

Dices: ergo etiam poſſet abſolvi homo vulneratus & agonizans repertus in via, de quo neſcitur, an ſit hæreticus vel Catholicus; cùm & huic poſſem multùm prodeſſe, & ſaltem remotè ſperare de ejus ſalute per abſolutionem, cui etiam nulla irreverentia inferretur ob conditionem appoſitam; ſed hoc communiter rejicitur: ergo & id, unde ſequitur.

Contra concedit quidem noſter Marchantius illatum Tract. 6. tit. 7. q. 7. ſed conſultiùs neg. illatum. Diſparitas eſt: quia ubi neſcitur de homine, an ſit hæreticus vel Catholicus, non poteſt prudenter præſumi ejus vitam eſſe ſignum deſiderii Confeſſionis, & ideo prorſus nullum eſt ſignum, nec dubium præſumptum, quo Sacerdos ſperare prudenter poſſet fore profuturam abſolutionem, niſi valde remotè ſine ulla ratione illud imaginando.

Dices: novum Sacramentum utique requirit novam materiam proximam ſenſibilem, aut novum ejus ſignum; ſed anteacta vita Chriſtiana non eſt nova materia, nec novum ſignum alicujus materiæ præſentis, nec particularis, nec genericæ, aut confuſæ: ergo non poteſt eſſe ſufficiens ad novam abſolutionem.

Contra diſting. min. non eſt novum ſignum formale, aut certum, conc. non eſt novum ſignum præſumptum, aut dubium, neg. min. nam ad abſolutionem ſub conditione in maximis anguſtiis, & ultima extremitate, non requiruntur tanta ſigna, ſicut ad abſolutionem abſolutè dandam. Vide plura ex objectione ad aſſertionem primam de notitia Sacerdotis etiam antea habita de peccatis, ubi tamen abſolvere poteſt.

Aſſero 3. *Si nullum aliud damnum ſequatur, quàm infamia complicis apud ſolum Sacerdotem, tenetur pœnitens integrè confiteri ſuum peccatum, etiam cum manifeſtatione complicis.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 2. §. *in iſta quaſt.* verſu *de quid.* èſtque communior contra Navarrum, & Valentiam. 23

Probatur 1. ideo poſſet pœnitens, & teneretur tacere peccatum, quod ſine manifeſtatione complicis explicari non poteſt, quia eſt præceptum naturale de non infamando proximo, quod eſt intrinſecè malum; ſed occultum crimen revelare alteri non eſt ſemper intrinſecè malum, & contra legem naturalem, ſed ſolùm, quando fit ſine rationabili cauſa, & quando fit cum intentione infamandi alterum: ergo quando hæc duo non adſunt, poteſt & tenebitur complicem revelare, ſi peccatum aliàs non poſſet integrè in ſpecie explicari. v. g. peccavit quia cum ſorore, filia, vel matre benè notâ eidem Confeſſario, ſi urget tempus confitendi, & alium Confeſſarium non habet, non poteſt tacere inceſtum in primo gradu ſe commiſiſſe, & ſolùm dicere ſe fornicatum eſſe. Subſumitur; ſed in caſu noſtro nec deeſt rationabilis cauſa manifeſtandi, nec adeſt intentio infamandi proximum, ſed integrè confitendi; cùm DEUS obliget ad peccata in ſpecie confitenda, & rationabilis ſit cauſa integritatem Confeſſionis à Chriſto præceptam ad valorem Sacramenti tanquam majus bonum conſervare ob reverentiam Sacramenti, quàm conſervare famam unius apud ſolum Confeſſarium ſigillo aliunde obſtrictum, ratione cujus ſigilli vix videtur ſequi infamia complicis, ut videtur ſentire Scotus cit. dicens: *quia etiam confitens vult famam perſonæ, cum qua peccavit, ſalvare, ſicut ſui, quia illa perſona fuit ſibi conjuncta in crimine.* Quibus verbis ſupponit tam eſſe licitum revelare perſonam complicis, quàm non fieri infamationem complicis, ſicut nec ſui ipſius confitentis apud Confeſſarium ratione ſigilli: ergo.

Probatur 2. tum quia, ſi pœnitens non teneretur ad manifeſtandam perſonam complicis, quando nullum aliud damnum ſequeretur, quàm infamia ejus apud Confeſſarium, ſic ſequeretur, quòd conjugatus non teneatur confiteri adulterium, quia illud redundat in infamiam alterius conjugis, nec conjugati tenerentur confiteri peccata in abuſu matrimonii commiſſa, quando uterque eſt notus Confeſſario;

tio; ſed hoc eſt contra communem praxim: ergo. Tum quia ratione conſilii apud prudentem virum capiendi poteſt quis manifeſtare complicem, ſi aliter debitum conſilium non poſſet aſſequi: ergo etiam ratione integritatis Confeſſionis. His

24 Addo tria: primum, aliquando non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri pœnitentem tacere peccatum, ſi ſcilicet prudenter timetur Confeſſarium ex ſua malitia vel imprudentia infamare complicem apud alios, vel parare ad occiſionem illius, aut ſi aliud grave damnum ſequeretur. v. g. Si privatio multorum bonorum alicujus, quorum pœnitens non eſt dominus, incurreretur ex Confeſſione ejus, aut aliud etiam damnum ſpirituale, ut in monaſteriis, ubi ſe invicem agnoſcunt, & per Confeſſarium varia poſſunt oriri quandoque ſcandala, diſſidia & contentiones, & confuſiones complicis. Secundum, ſi pœnitens non poteſt peccatum in ſpecie, vel actum externum dicere, tenetur ſaltem in genere, aut affectum internum confiteri eâ ſolùm circumſtantiâ omiſsâ, ex cujus Confeſſione poſſet complex cognoſci. Tertium, ſi poteſt, tenetur pœnitens alium adire Confeſſarium, cui integrè poſſet confiteri, nec priùs deberet confiteri, niſi urgente aliqua neceſſitate mortis, aut præcepto annuæ Confeſſionis, vel ſumendæ Euchariſtiæ, aut magnæ utilitatis, alioquin differenda eſt Confeſſio, præſertim, quando brevi ſperatur copia alterius Confeſſarii.

25 Objicies: quando duo præcepta concurrunt, quæ ſimul ſervari non poſſunt, ſervandum eſt illud, quod majus eſt & fortius; ſed majus eſt præceptum de ſervanda fama proximi, cùm ſit juris divini naturalis, quàm de integritate Confeſſionis, quæ eſt juris divini poſitivi: ergo in caſu omittenda eſt integritas Confeſſionis.

Reſp. neg. conſeq. quia falſum eſt ſuppoſitum, nam indirecta complicis manifeſtatio ad proprium peccatum exprimendum non eſt proximi infamatio; ſicut per adverſarios non eſt talis, quando perſona complicis manifeſtatur ob utilitatem, vel conſilium, nam non fit animo infamandi, aut ſine rationabili cauſa.

Dices: ob illud damnum infamiæ, etiam apud unicam perſonam, non teneremur confiteri per interpretem, quia noſtra vel proximi fama præferenda eſt integritati Confeſſionis: ergo nec tenebimur manifeſtando complicem.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia jure divino tenemur integram facere Confeſſionem, non autem ſic tenemur ad Confeſſionem per interpretem; ex vi enim Confeſſionis non tenemur, niſi ſoli Confeſſario propria manifeſtare peccata.

Dices: illud præceptum divinum integritatis non obligat, quando ex ea grave damnum proximo imminet; nam non poſſet oſtendi, quòd hoc præceptum ſit ordinatum in bonum animarum, ſi deberet adimpleri cum tam magno detrimento proximi; ſed tale damnum ſemper imminet, ſi manifeſtatur complex; cùm magno bono ſcilicet famæ privetur: ergo.

Contra neg. min. nam Confeſſarius tenetur ſigillo occultare peccatum tam complicis, quàm principalis, ideo non eſt per ſe timendum magnum damnum; ſi enim hoc fieri poteſt cum amico ſecreto per viam conſultationis, cur non & per viam Confeſſionis? obſervandum ergo eſt duplex damnum ex Confeſſione poſſe ſequi: unum ex natura Confeſſionis per ſe, ut propriæ famæ diminutio apud Confeſſarium, alterum ex cauſa extrinſeca, & per accidens Confeſſioni juncta, ut ex malicia vel imprudentia Confeſſarii; damnum itaque complicis hoc ſecundum omnino excuſat ab integritate Confeſſionis, non verò primum; quia diminutio famæ complicis apud Confeſſarium eſt per ſe connexa cum manifeſtatione proprii criminis, quæ eſt de intrinſeca natura Confeſſionis Sacramentalis, ideo non excuſat. Tum quia tale damnum eſt ſatis leve ob ſigillum. Tum quia eſt per ſe connexum cum Confeſſione, quod non eſt in damno ſecundo; ideo cum tali non tenemur ad integritatem.

QUÆSTIO III.

An Confeſſio ſemper debeat eſſe integra etiam quoad circumſtantias notabiliter aggravantes: & quoad peccata tam reſervata, quam non reſervata?

26 ADvert. eſt 1. de ſpeciebus ſolùm notabiliter aggravantibus ſatis dictum eſt in Tract. de actibus humanis: ſolùm ergo regula diſcernendi eas à circumſtantiis ſpeciem mutantibus eſt notanda. Et eſt hæc: ſi aliqua circumſtantia faciat, ut actus pertineat ad aliud vitium contra aliam virtutem, tunc mutat ſpeciem, ſi verò non faciat, quòd ſit contra aliam virtutem, ſive ad aliud vitium pertineat, non mutat, ſed ſolùm notabiliter aggravat intra eandem ſpeciem. De his ergo exurgit magna difficultas; an ſemper etiam ſint in Confeſſione per ſe loquendo aperiendæ. Dixi primò: notabiliter aggravantes; nam certùm eſt parum aggravantes non eſſe confitendas. De illis verò notabilioribus Scotus in 4. D. 17. q. un. §. *de ſecundo articulo* dicit: *multa ſunt autem circumſtantiæ, ex quibus peccatum eſt aliquomodo gravius - - - - de quibus non eſt ita certum, quòd eas oporteat confiteri, licet tutiùs & utiliùs ſit eas confiteri.* Videtur igitur Scotus liberum nobis relinquere utramque ſententiam docere, quamvis affirmativa ſit tutior & in praxi communior. Dixi

ſecun-

ſecundò: per ſe loquendo; quia per accidens omnino interdum eſt obligatio eas manifeſtandi, nempe ſi ob talem circumſtantiam peccatum haberet annexam reſtitutionem, vel cenſuram, in quo tamen caſu obligatio aliunde oritur, & non ex hoc capite præciſè, quia eſt circumſtantia notabiliter aggravans.

27 Advert. eſt 2. quoad 2. quæſtionis partem: Præter minores difficultates præſertim eſſe difficultatem: An Confeſſarius inferior ſaltem indirectè poſſit à reſervatis abſolvere, quod aliqui negant. Debet autem hæc difficultas decidi in circumſtantiis alicujus rationabilis neceſſitatis præter articulum mortis, in quo certum eſt poſſe omnes Sacerdotes à peccatis abſolvere. Pariter certum eſt non poſſe Inferiorem validè abſolvere à non reſervatis, & pro reſervatis ipſum mittere ad ſuperiorem, cùm Confeſſarius inferior non poſſit abſolvere ab uno, quin abſolvat ab omnibus, & unum non remittatur ſine alio; adeóque cùm talis non poſſit abſolvere à reſervatis, neque poterit abſolvere à non reſervatis præciſa rationabili neceſſitate; eſt ergo difficultas: an non in caſu tuendi vitam vel famam aut vitandi ſcandalum, vel ſervandi præceptum annuæ confeſſionis, vel in neceſſitate celebrandi Sacrum, ſi non patet aditus ad ſuperiorem; an non, inquam, poſſit abſolvere inferior: & pœnitens teneatur ſic confiteri, cum onere tamen adeundi ſuperiorem pro reſervatis, quamprimùm opportunitas aderit? Quod communior ſententia concedit, quamvis ejus authores varient in modo, quo hoc fieri poſſit; aliqui enim dicunt Confeſſarium inferiorem hoc facere per facultatem abſolvendi directè à non reſervatis, indirectè verò & per accidens à reſervatis, ſicut ab oblitis. Alii autem dicunt, cùm Confeſſarius inferior nullam habeat juriſdictionem nec directè, nec indirectè in reſervata; ideò ejus ſententiam circa illa eſt nulla; remittentur tamen immediatè à DEO intuitu contritionis, vel ratione gratiæ, quæ à DEO infunditur per abſolutionem à non reſervatis; non verò abſolvitur ſacramentaliter, donec hoc fiat à ſuperiore, vel ejus commiſſione. His itaque notatis:

28 Propoſitio 1. *Si pœnitens interrogatur à Confeſſario de circumſtantia peccati notabiliter aggravante, tenetur aliquando eam manifeſtare, aliquando non.* Ratio 1. eſt: quia in caſibus, ubi propterea eſt annexa reſervatio, vel excommunicatio, aut reſtitutio, tenetur pœnitens illam circumſtantiam aperire, etiamſi non interrogetur à Confeſſario: ergo multò magis, ſi interrogetur ab illo. Ratio 2. eſt: quia in aliis caſibus, uti dicemus in aſſertione, non obligatur pœnitens eam manifeſtare, ſed poteſt eam tacere, non tamen mentiendo, ſed candidè dicendo: non teneor ad hoc confitendum, imponatur mihi pœnitentia conformis peccato in tali ſpecie.

Propoſitio 2. *Pluralitas objectorum in unico actu intentata eſt confitenda, non quidem ut circumſtantia aggravans præciſè, ſed ut numerus peccatorum.* Ratio eſt: quia de numero peccatorum explicando extſtat præceptum; ſed plura objecta numero diſtincta faciunt plura peccata formalia numero diſtincta in uno actu materiali: ergo. Adeóque qui uno ictu plures occideret, aut unica intentione cum pluribus fornicari deſideraret, & diceret: commiſi homicidium, deſideravi fornicationem, non explicaret numerum peccatorum; nam ex communi modo loquendi concipimus homicidium unius tantùm, & fornicationem cum unica tantùm. Itaque talis pluralitas non eſt tam circumſtantia peccati, quàm multiplicatio ejus; ideo erit confitenda. 29

30 Propoſitio 3. *Non poteſt ſine urgente ratione Superior à ſolis reſervatis, & quoad reliqua pœnitentem mittere ad Confeſſarium inferiorem.* Ratio eſt: quia integritas confeſſionis eſt de jure divino, quod omnino eſt obſervandum, niſi aliter permittat urgens cauſa, quæ in noſtro caſu difficilis eſt aſſignanda; cùm occupatio prælati non ſit ſufficiens cauſa; nam facilè poſſet ſuas vices alteri Sacerdoti committere ad abſolvendum à reſervatis; cauſæ autem urgentes non videntur aliæ eſſe quàm illæ, de quibus quæſt. priori. aſſert. 3. in additione diximus.

31 Propoſitio 4. *Peccata reſervata à Superiore dimiſſa in caſu urgente non debent ampliùs reconfiteri Confeſſario inferiori, ſi mitteretur ad hunc pro abſolutione aliorum peccatorum.* Ratio eſt: quia vel illa peccata ritè fuerunt confeſſa ſuperiori, vel non? Non ſecundum, aliàs nec abſolutio fuiſſet ritè impenſa; non enim poteſt abſolutio ſacramentalis ſuper materiam illegitimam cadere. Si verò primum; tunc non tenetur iterum confiteri; ſicut, ſi unum peccatum inculpabiliter omiſit, non debet etiam alia jam confeſſa iterum confiteri, nec cadunt ſub voto alterius confeſſionis, ſi ritè ſemel ſunt confeſſa: ergo. Nec obſtat C. *utriuſque ſexûs*, ubi dicitur: *Omnia peccata integrè eſſe confitenda;* nam explicari debet de integritate formali, non verò ſemper materiali, ut patet de peccatis oblitis. Præterea, qui juſta de cauſa fuit abſolutus ab inferiore de non reſervatis, non tenetur rurſus omnia peccata aperire ſuperiori, ſed ſolùm reſervata: ergo nec viciſſim. His propoſitis:

32 Aſſero ad quæſt. *Ad integritatem confeſſionis circumſtantiæ notabiliter aggravantes non ſunt neceſſariò explicandæ.* Eſt Scoti in 4. D. 17. q. un. §. *de ſecundo articulo*. D. Thomæ, & plurimorum contra plurimos.

Probatur 1. Non eſt imponenda tam gravis obligatio, niſi conſtet de præcepto imponente; ſed de hoc in caſu noſtro non conſtat: ergo. Maj. prob. quia lex non promulgata non obligat. Imò in dubio legis latæ ſtat liber-

bertas in poſſeſſione. Min. etiam prob. quia neque Scriptura, neque Eccleſia tale tradit. Imò Trid. Seſſ. 14. c. 5. exactè explicat, quæ debeant confiteri, & limitat ad numerum peccatorum, & circumſtantias ſpeciem mutantes dicendo: Nihil aliud exigi à pœnitentibus, atque adeò tacitè excludit eas circumſtantias, quæ ſolùm ſunt aggravantes; cùm in doctrinalibus limitatio doctrinæ ad unam partem excludat aliam. Sic in Sacramento Euchariſtiæ, cùm ejus materia determinetur panis triticeus, eo ipſo excluditur quicunque alius panis. Tale igitur argumentum exactè deſcribens requiſita non eſt ſolùm ab authoritate negativa, ſed etiam poſitiva, præſertim in his doctrinalibus.

Probatur 2. Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad remiſſionem peccatorum: ergo ex vi illius inſtitutionis omne illud ſolùm eſt confitendum, quod habet rationem peccati; ſed ratio peccati non importat, niſi numerum & ſpeciem: ergo. Maj. eſt certa. Min. prob. quia ratio circumſtantiarum non facit novum peccatum, etiamſi intra eandem ſpeciem notabiliter aggravent; cùm exinde non exurgat nova malitia nec ſpecificè, nec numericè: ergo.

33 Objicies: Trid. cit. talem poſtulat confeſſionis integritatem, quâ Confeſſarius probè noverit cauſam, ut æquas injungat pœnitentias; ſed ſine circumſtantiis aggravantibus talis cauſæ cognitio haberi non poteſt: ergo. Min. prob. diverſum ſit judicium de furto unius, quàm 1000. aureorum, ac de odio inſtantaneo, quàm totius hebdomadæ: ergo ſine explicatione illarum circumſtantiarum aggravantium non poteſt haberi ſufficiens cauſæ cognitio ſecundùm talem diverſitatem. Hinc C. *conſideret*. Diſt. 5. de pœnit. numerantur circumſtantiæ in confeſſione explicandæ ſolùm aggravantes.

Reſp. neg. min. ad prob. diſting. ant. diverſum ſit judicium eſſentiale & ſpecificum ad ſententiam ferendam neceſſariò requiſitum, neg. diverſum accidentale, & non neceſſariò requiſitum, conc. antec. nam licèt tales circumſtantiæ notabiliter immutent judicium Confeſſarii, cùm tamen eſſentiale & ſpecificum non ſit, tale judicium non neceſſariò requiritur, ſed ſufficiet tale judicium Sacerdotis, in quo ſpecies peccatorum, & numerus eorum cognoſcatur: ſic pariter ad condignitatem pœnitentiæ injunctæ pro culpa ſufficit, quòd illa correſpondeat dignitati culpæ ſecundùm ſuam naturam ſpecificam ſpectatæ, neque Eccleſia voluit obligare ad exactius judicium, quo cognoſcantur circumſtantiæ aggravantes, cùm impoſſibile ſit, moraliter loquendo, omnes illas circumſtantias explicare, neque opus eſt pœnam correſpondere perfectiſſimæ condignitati culpæ ſecundùm omnes circumſtantias aggravantes; non enim cum tanto rigore hoc Sacramentum eſt inſtitutum. Ad illud autem C. de pœnit. dico; multa fuiſſe in primitiva Eccleſia obſervata ex fervore & conſilio, ad quæ tamen non tenebantur ex præcepto, ut patet ex pœnitentia, quæ his imponebantur, qui die dominico cognoſcunt uxorem.

Dices: Copulæ cum matre, ſorore, affine, non differunt ſpecie: & tamen tenetur quis in confeſſione illas circumſtantias explicare: ergo.

Contra neg. antec. quoad 1. partem: quia probabilior eſt ſententia diverſitatem graduum illorum cognationis variare ſpecies inceſtûs; diverſis enim præceptis ſubjacet, ut patet ſuis locis.

Dices: qui infamat alterum falſum dicendo: & qui verum & occultum defectum de alio dicit, tenetur hoc explicare; quamvis illa ſint peccata ejuſdem ſpeciei, ſcilicet injuſtitiæ: ergo.

Contra neg. ant. quoad 2. partem: quia illa peccata ſunt ſpecie diverſa; primum enim ſimul eſt mendacium, & injuſtitia, non ſecundum. Sic pariter, qui frangit jejunium cibis carneis, tenetur hoc dicere, quia diſtincta ſunt præcepta jejunandi, & abſtinendi à carnibus; licèt præceptum abſtinentiæ ſit incluſum in præcepto jejunii, non tamen viciſſim; ſic communiter docetur pueros ante 21. annum non teneri ad jejunium, benè tamen ad abſtinentiam carnis.

Dices: poteſt aliquis habere peccatum ita intenſum, ut æquivaleat duobus illis ſpeciei: ergo ſaltem talem circumſtantiam tenetur quis dicere. Conſeq. patet: quia non minùs peccat, qui per horam continuat voluntatem furti, quàm ille, qui ter, vel quater in una hora furatur; ſed hic tenetur id explicare: ergo & alter.

Contradiſting. ant. ut æquivaleat duobus in genere phyſico, conc. in genere moris, neg. ant. nam in foro pœnitentiæ non attenditur intenſio vel duratio actûs, ſed ſpecies & numerus; nam de his extat præceptum, non vero de gravitate accidentali confitenda.

Dices: ex hoc ſequeretur, quòd pœnitens ſine culpa poſſet in confeſſione mentiri, vel 34 occultare majorem gravitatem dicendo furatus ſum quinquaginta, ubi centum fuit furatus, cùm illa quantitas non ſit circumſtantia neceſſariò confitenda; ſed hoc eſt abſurdum: ergo.

Contra neg. ſequelam 1. quia, quia furatus eſt centum, tenetur totum numerum confiteri, non quidem per ſe, ſed per accidens ratione reſtitutionis annexæ, à qua tamen præſcindendo nunquam licet mentiri, aut majorem occultare quantitatem; non tamen ideo, quia teneretur circumſtantias aggravantes manifeſtare: ſed ideò, quia non confiteretur peccatum, quod fecit, ſed aliud, quod non fecit,

vel

vel ſaltem non totum, quod fecit, & ideò aliud numero diverſum; licèt ergo non teneatur determinare quantitatem ſecundùm omnes partes, tenetur tamen ſaltem non ſupponere unum pro alio, & non ſubtrahare unam partem, ſed omnes aliquo modo ſaltem indefinito comprehendere dicens: v. g. furatus ſum in notabili quantitate.

35 Dices: Saltem ſequeretur, quòd neque actus externus peccati neceſſariò ſit explicandus; quia malitia formalis peccati conſiſtit in actu interno voluntatis, & externus actus eſt tantùm circumſtantia aggravans; ſed hoc æquè eſt inconveniens: ergo.

Contra neg. ſequelam; non enim actus externus eſt circumſtantia interni, ſed eſt pars materialis ejusdem peccati, in quo conſummatur voluntas interior, & ideò in ſententia Scoti addit novam malitiam actui interno numero diſtinctam partialem ita, ut ex utroque actu coaleſcat per modum unius paccatum.

36. Dices: Tandem ſequeretur: quòd Eccleſia non poſſit imponere reſervationem & cenſuram aliquibus peccatis ratione circumſtantiæ aggravantis; ſed hoc eſt falſum; cùm Eccleſia aliquando reſervet peccatum ratione circumſtantiæ aggravantis: ergo. Sequela prob. quidquid reſervatione vel cenſurâ eſt affectum, eſt neceſſariò confitendum, ſed circumſtantiæ aggravantes non ſunt confitendæ juxta aſſertionem poſitam: ergo neque eſſent cenſurâ afficiendæ, ſed ſunt ab Eccleſia cenſuris affectæ: ergo etiam ſunt confitendæ.

Contra neg. ſequelam. ad prob. diſting. maj. quidquid eſt cenſurâ affectum, eſt confitendum vel per ſe, vel per accidens, conc. ſemper per ſe, neg. maj nam falſum eſt Eccleſiam non reſervare, niſi ea, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis, nam etiam ſub cenſura poteſt prohibere actus indifferentes ut nutrire comam Clerico, habitare cum muliere in eadem domo, quæ de ſe mala non ſunt, nec neceſſariò confitenda. Adeóque ex cenſura appoſita non benè colligitur neceſſitas confeſſionis circumſtantiarum illarum per ſe, ſed tantùm per accidens ratione reſervationis, vel cenſuræ annexæ, & pro tunc talis circumſtantia cenſurâ affecta non tantùm eſt aggravans, ſed ſpeciem mutans; cùm ſpeciali prohibitione ſit prohibita.

37 Aſſero 2. *Cum integritate confeſſionis in caſibus reſervatis poteſt Confeſſarius inferior in caſibus maximæ neceſſitatis præter articulum mortis indirectè abſolvere pœnitentem, cum onere tamen adeundi ſuperiorem pro reſervatis, quamprimùm opportunitas aderit.* Eſt communis contra Vasquez.

Probatur: Concedendo indirectam poteſtatem Confeſſario inferiori in ipſa reſervata non derogatur reſervationi, ſed ſolùm bono pœnitentis conſulitur, ut in gravi caſu neceſſitatis, in quo ei non patet aditus ad ſuperiorem, non careat remedio abſolutionis; nam recurrere pro eis ad contritionem eſt valde arduum; cùm fragilitati noſtræ actum contritionis elicere ſit valde difficile, indirecta autem poteſtas abſolvendi tutiùs ſuccurrit pœnitenti cum ſolo actu attritionis aliquando diſpoſito, & cùm onus comparendi habita opportunitate apud ſuperiorem ſit annexum, nihil derogat reſervationi: ergo poteſt talis poteſtas indirecta optimè ſalvari & adſtrui in Confeſſario inferiore. Conſeq. prob. jurisdictio directa in peccata confeſſa etiam per adverſarios ſufficit ad indirectè remittenda peccata oblita reſervata, & reſervata putata non reſervata, vel in confeſſione inculpabiliter omiſſa: ergo etiam in prædictis caſibus neceſſitatis jurisdictio directa in non reſervata cenſeri debet ſufficiens ad indirectè remittendum quoque reſervatum, etiamſi cum non reſervatis illud confiteatur. Conſeq. patet: quia Confeſſio reſervati non minuit poteſtatem in abſolvente; adeóque ſi illud eſt ex juſta cauſa omiſſum, indirectè poteſt abſolvi. Conſequenter etiam ut confeſſum poterit indirectè abſolvi, cùm non debeat eſſe deterioris conditionis, qui peccatum reſervatum confitetur, quàm qui illud ex cauſa omittit.

Objicies: Trid. Seſſ. 14. c. 7. dicit: *Cùm extra articulum mortis Sacerdotes nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant:* ergo nunquam poſſunt indirectè abſolvere. 38

Reſp. neg. conſeq. Trid. enim ſolùm negat facultatem directam Sacerdotibus in reſervata, non verò indirectam; quia Concilium eam poteſtatem negat Sacerdotibus inferioribus in reſervata extra articulum mortis, quam ibidem concedit in articulo mortis, ſed in articulo mortis non concedit poteſtatem indirectam ſed directam: ergo hanc ſolùm negat extra articulum mortis.

Dices: Sententia abſolutionis exercetur per modum judicii, ſed nulla ſententia eſt valida, niſi à judice lata; ergo cùm Sacerdos nullam habeat jurisdictionem in reſervata extra articulum mortis, non erit judex, & ideò nec validè abſolvet, nec à reſervatis ob defectum jurisdictionis, nec à non reſervatis, quia unum mortale abſolvi non poteſt ſine alio. 39

Contra neg. ſuppoſitum conſequentis: Nam ut ſententia in hoc foro lata ſit valida coram DEO, ſufficit, ut ſit à judice aliquam jurisdictionem directam habente in perſonam pœnitentis, & aliqua ejus delicta ob eſſentialem connexionem remiſſionis unius delicti cum reliquis; & ideo reliqua ſaltem indirectè quandoque poteſt abſolvere.

Dices: Sola jurisdictio in non reſervata non ſufficit ad remittenda etiam indirectè reſervata, quia judex non poteſt per jurisdictionem, quam habet in uno delicto, reum abſolvere.

vere à cæteris, in quæ juriſdictionem non habet, cùm nulla poteſtas extra ſuam ſphæram ſe poſſit extendere: ergo.

Contra neg. ant. ad ejus rationem neg. conſeq. nam diſparitas eſt inter judicem forenſem, & pœnitentiarium: quia hic ratione modi, quo pœnitentem abſolvit, habet vi gratiæ habitualis cuilibet peccato incompoſſibilis indirectam poteſtatem in reliqua delicta ſibi ſubjecta, & ideo talia delicta non ſunt omnino extra ſphæram talis poteſtatis abſolutè ſumptæ, ſed ſolùm extra ſphæram directam, quod non currit in judice forenſi.

Dices: Si Confeſſarius inferior à peccatis reſervatis poſſit abſolvere in quibusdam caſibus, tunc ab illis utpote confeſſis deberet directè abſolvere; ſed hoc non admittitur: ergo nec indirectè. Sequela prob. Confeſſarius tunc abſolveret ab illis ut in judicium adductis; ſed hoc eſt directè abſolvere: ergo.

Contra neg. ſequelam ad prob. neg. min. quia ad abſolutionem directam non ſatis eſt, ut peccata per confeſſionem pœnitentis ſint ad judicium deducta, ſed ulteriùs requiritur directa poteſtas, & juriadictio in illa. Cæterùm tandem ſi pœnitens opportuno tempore poſtea ſuperiorem adit pro petenda abſolutione directa reſervatorum, tunc novum recipit Sacramentum, ac etiam effectum Sacramenti, ſcilicet augmentum gratiæ.

DISTINCTIO XIII.

De ſigillo Confeſſionis.

QUÆSTIO UNICA.

Quo jure obliget ſigillum: & an illud de licentia pœnitentis poſſit relaxari: ac an Confeſſarius notitia ex confeſſione poſſit uti in aliis negotiis abſque violatione ſigilli?

1 ADvertendum eſt 1. Sigillum ſecreti eſſe illam obligationem, quâ ſecretò teneri debent res ex ſacramentali confeſſione cognitæ, ſicut clauſa eſſe ſolent, quæ ſigillo obſignata ſunt, & quidem cum tanto rigore illud ſigillum obligat, ut non liceat Sacerdoti ex quacunque graviſſima cauſa etiam mortis vel ruinæ totius Reipublicæ Confeſſionem revelare, ut communiter docent Scholaſtici ex ipſa inſtitutione hujus Sacramenti; nam cùm hoc Sacramentum ſit inſtitutum ut medium neceſſarium ad ſalutem pro univerſa Chriſtiana republica, ejus utilitas cuilibet privato bono, ac etiam publico totius regni debet præferri; ſed utilitas hujus Sacramenti pendet ab obſervatione illius ſigilli; nam ſi ſcirent homines poſſe in aliquo caſu ſua peccata confeſſa revelari, ſtatim odioſa redderetur Confeſſio, & ab ea retraherentur; nam probabiliter ſuſpicari poſſent in aliis etiam caſibus ſimilibus id licere, ideo cum tanto rigore debet obligare.

Advert. eſt 2. Illud ſigillum, ut cum tanto rigore obliget, debet oriri ex Confeſſione Sacramentali, quod intelligendum eſt non tantùm de Confeſſione valida & perfecta, factâ tamen cum animo conſequendi abſolutionem, cùm utraque ordinetur ad Sacramentum; unde ſub hoc ſigillo non ſolùm cadunt peccata à ſacerdote audita nullam habente juriſdictionem, ſed etiam à laico ſe Sacerdotem fingente audita, quia etiam talis confeſſio fit à pœnitente animo conſequendi abſolutionem; aliter tamen ſe res haberet, ſi Confeſſio fieret laico cognito ut tali, etiamſi fieret animò conſequendi abſolutionem ex ignorantia confitentis, quia id procederet ex errore privato pœnitentis; ideò non induceret obligationem ſigilli ſacramentalis. Præterea ad fractionem ſigilli duo ſunt neceſſaria: primum, ut peccatum in Confeſſione auditum revelетur; ſecundum, ut etiam perſona pœnitentis nominetur, nec unum ſine alio ſufficit ad fractionem ſigilli, nam poteſt revelari perſona dicendo, quòd benè ſit confeſſa, ſi nullum reveletur peccatum & viciſſim poſſunt revelari peccata, ſi nullum ſit periculum revelandi perſonam. De his duobus ultra ponitur. 2

Propoſitio 1. *Tria potiſſimum ſub hoc ſigillo cadunt: ſcilicet peccatum, circumſtantia peccati, & perſona complicis peccati.* Ratio eſt: quia ex illis tribus ſolummodo propriè oriri poteſt odioſitas hujus Sacramenti. Hinc tam peccatum mortale, quàm veniale cadunt ſub eo, quia licèt veniale parum infamiæ inferat pœnitenti, magnam tamen injuriam faceret Sacramento, cùm etiam talis revelatiò poſſit diſplicere pœnitenti, & eum retrahere à Confeſſione; ideò Authores communiter non admittunt parvitatem materiæ in fractione ſigilli, & docent hoc eſſe de præcepto negativo etiam obligante poſt mortem pœnitentis; addunt tamen diſcrimen inter mortalia & venialia: quod mortalia non ſolùm in ſpecie ſed etiam in genere cadant ſub ſigillo, venialia verò ſolùm in ſpecie, non in genere, quia Confeſſio ſaltem ſine veniali eſſe nequit, ideò aliunde aliis patet; adeóque poſſet quis dicere: pœnitens merè venialia confeſſus eſt. Non verò poſſet dicere: Confeſſus eſt mortale, aut hoc veniale in ſpecie v. g. mendacium. Præterea ex eadem ratione tacendæ ſunt circumſtantiæ, imò etiam aliqui defectus naturales & morales, qui occaſione peccati revelantur, ut aliquem eſſe illegitimam & omnes illi, qui redderent Sacramentum odioſum, & minoris exiſtimationis; alii econtra defectus naturales, vel morales, qui non reddunt pœnitentam minoris exiſtimationis, non cadunt ſub ſigillo, quia tales non præſumuntur dici ut ſecreta naturalia, nec redderent Sacramentum odioſum. Tandem de perſona complicis eadem currit ratio, 3

ratio, nam ſi hæc poſſit manifeſtari, etiam plurimi averterentur à Confeſſione, aut in ea non manifeſtarent omnia, & ſic eſſet occaſio non faciendi integrè & fideliter Confeſſionem.

4 Propoſitio 2. *Non ſolùm Sacerdos, ſed etiam quicunque alius, qui quovis caſu ex Confeſſione, vel ſtudio auſcultando, vel invitè audiendo, vel ex Confeſſario aliquod peccatum cognovit, ſive Confeſſarius alicui juſtè v. g. pro conſilio, ſive injuſtè ex malitia dixerit, tenetur ad ſigillum, licèt non adeò ſtrictè, ſicut Sacerdos.* Ratio 1. eſt, quia obligatio ſigilli tam latè patere debet, quam eſt neceſſe, ut Religio & uſus hujus Sacramenti commodè conſervari poſſit: ergo. Ratio 2. eſt: quia Confeſſio apud alios, quam Sacerdotem non eſt Sacramentalis; ideo ſolùm ſecreto naturali, & non naturali & Sacramentali ſimul obligantur, ſicut Sacerdos. Econtra verò non tenentur ad ſigillum, coram quibus pœnitens ſcienter confitetur ex ſua libera electione ad humiliationis exercitium, quia talis Confeſſio eſt publica per ſe. Vide plura de his Diſt. priori. Q. 1. in objectione ad finem. Cæterùm, ſi Confeſſarius aliâ viâ, quàm per Confeſſionem aliqua peccata cognoſceret, talis cognitio non obligaret ad ſigillum; cavere tamen ſummopere debet, ne dicat ſe audiviſſe etiam per Confeſſionem.

5 Propoſitio 3. *Confeſſarius interrogatus de peccatis in Confeſſione auditis etiam à judice cum juramento, & cum quacunque clauſula & forma verborum, etiam de Confeſſione debet negare ſe ea ſcire.* Ratio eſt: tum quia ſemper præſumitur fieri interrogatio de rebus humano modo notis, & de notitia, quæ deſervire poteſt ad illud dicendum, ut communiter ſolent homines interrogare; ſed tali notitia non ſcit Confeſſarius: ergo taliter benè reſpondet. Tum quia ſemper intelligeret Confeſſarius ſe neſcire juxta reſtrictionem, ut poſſit aliis dicere; quia licèt non ſemper homo poſſit ita judici reſpondere, ſi legitimè interrogat, benè tamen in caſu Confeſſarii, quia illegitimè judex interrogat, & ſic permittit decipi judicem, nec mentiretur Confeſſarius. Tandem alii dicunt Confeſſarium potiùs debere dicere, quòd non teneatur reſpondere de rebus ad forum conſcientiæ deductis, & quòd non reſpondebit, etiamſi mortem ſubire deberet. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſt. *Obligatio ſigilli Confeſſionis oritur ex jure naturali, divino & humano.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 2. §. *in iſta quæſtione.*

Probatur 1. pars: manifeſtando ea, quæ ex Confeſſione ſunt audita, violantur aliqua præcepta naturalia, ut illud charitatis fraternæ: *quod tibi non vis fieri* &c. ſecundò fidelitatis. Tertiò veracitatis. Quartò mutuæ utilitatis; nam quilibet ſecundùm rectam rationem debet diligere famam propriam, & ideo nec alter debet illum dishonorare. Pariter quivis vult alterum ſibi eſſe fidelem, & ſibi veracem cum promiſſione etiam virtuali de celando ſecreto aliquo detecto. Ac tandem ſi ſecretum non eſſet ſervandum, nullus pro Conciliis recurreret ad Superiores, vel doctiores, & ſic utilitas boni publici præſertim Corporis Chriſti myſtici periclitaretur: ergo obligatio ſigilli oritur ex præcepto naturali.

Probatur 2. pars: hoc ipſo, quòd Chriſtus inſtituit, & præcepit Confeſſionem fieri, cenſetur etiam inſtituiſſe & præcepiſſe illam eô modô, quô poſſit commodè ab ipſis hominibus illorum natura & conditione ſpectata uſurpari; ſed ad talem modum maximè illud ſigillum ſecreti pertinet, ut patet ex advertentia 1. ergo. Tum quia, Chriſtus inſtituit arbitrium pœnitentiæ eſſe ultimum in terris, quantùm ad illud crimen confeſſum juxta illud: *quodcunque ſolveris* &c. ergo peccat contra legem Chriſti de inſtitutione hujus Sacramenti, ſi quis aliquid in iſto foro diſcuſſum & terminatum ad aliud forum publicum deducit, aut hujus cauſa de ſe eſſet. Tum tandem quia prædicta præcepta naturalia ſunt etiam ſcripta in ſacris litteris, ut oſtendit Scotus: ergo etiam urgent de præcepto divino poſitivo. 7

Probatur 3. pars ex C. *omnis utriusque ſexûs* de pœnit. & remiſſ. ubi ſtatuitur pœna depoſitionis, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto monaſterio peragendæ, qui hoc ſigillum violaret. Imò C. *Sacerdos*, de pœnit. diſt. 6. ponitur hoc jus tanquam antiquum & ſemper obſervatum. Ex quibus patet fractionem ſigilli eſſe peccatum detractionis, infidelitatis, & ſacrilegii ſub diverſa ratione; nam quatenus eſt contra præceptum divinum & humanum, eſt ſacrilegium, quia hæc præcepta obligant peculiari ratione, quâ tenemur hoc præſtare in rebus ſacris ad religionis virtutem ſpectantibus; quatenus autem eſt contra præceptum naturale, eſt detractio & infidelitas ſub illa generali ratione, quâ tenemur eſſe fideles in ſervando depoſito, et in alterius famam tuendo. 8

Objicies: jus naturale in multis caſibus non obligat cum tanto rigore, quoties ſcilicet vergit in detrimentum proximi temporale vel ſpirituale, aut in damnum publicum: ſic lex naturalis dictat quidem eſſe ſervandum ſecretum, ſed non, ſi ejus revelatio ſit neceſſaria ad evitandum grave damnum proximo, vel communitati injuſtè inferendum: ergo, cùm dicamus ſigillum ſemper & in omni caſu obligare, non poteſt deduci ex jure naturali. 9

Reſp. neg. conſeq. quia argumentum ſolùm probat ſigillum non ex puro jure humano ortum ducere, ſed etiam ex jure naturali divino Religionis, cùm ſuppoſita inſtitutione divina hujus Sacramenti gravis ei irrogaretur injuria, quia ſic redderetur odioſum, & nimis grave

grave hominibus contra communem utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ, ac ſic eſſet malum adeò perniciosſum, ut damno temporali cuicunque ſive privato, ſive publico præponderaret.

Dices: nec benè poteſt oriri hæc obligatio ſigilli ex præcepto divino: ergo. Ant. prob. vel oriretur ex præcepto divino intrinſecè incluſo in ipſa natura & inſtitutione hujus Sacramenti, vel alio ſpeciali diſtincto præcepto à Chriſto determinatè de ſigillo lato; ſed ex nullo: non ex præcepto incluſo in natura Sacramenti; nam hoc ſigillum obligat etiam de venialibus, ubi tamen natura Sacramenti pœnitentiæ non eſt præcepta de venialibus, & ſic ſaltem venialia poſſent revelari, ſicut liberè ſolùm ſubjiciuntur Sacramento: nec ex ſpeciali præcepto, nam de hoc nullibi conſtat ex Scriptura: ergo.

Contra neg. ant. ad prob. dico utrumque dici poſſe. Primum patet ex noſtra proba 2. nam illud præceptum intrinſecè incluſum in natura Sacramenti de peccatis mortalibus eſt abſolutum, de venialibus verò conditionatum, ſi nempe aliquis vult venialia confiteri, & tunc purificata conditione abſolutè obligat, ut de eis ſervetur ſigillum. Secundum aliqui ita explicant, quòd ideo pateat à Chriſto aliud diſtinctum præceptum de ſigillo latum, quia id ſufficienter conſtat ex perpetua traditione & praxi Eccleſiæ de arctiſſimo hujus ſecreti vinculo; ſicut non aliter conſtat de præmittenda Confeſſione ante Euchariſtiæ ſumptionem, quàm ex Eccleſiæ perpetua traditione, quæ in hoc ſenſu ſemper dictum illud Apoſtoli intellexit: *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

10 Aſſero 2. *Non licet pœnitenti in Confeſſione dare licentiam Confeſſario ad ſigillum Confeſſionis aperiendum, ſed ut licitè id poſſit facere Confeſſarius, debet pœnitens illud ei extra Confeſſionem aperire.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 2. in ſolutione ad 1. principale. Contra Thomiſtas & recentiores.

Probatur 1. pars rationibus Scoti: tum quia ſigillum & lex de eo inviolabiliter ſervando non eſt introducta in favorem & gratiam ſolius pœnitentis, ſed jure totius Eccleſiæ & communitatis, & ex reverentia hujus Sacramenti ita, ut quoad hoc non ſubſit pœnitenti: ergo de licentia ſolius pœnitentis nequit Confeſſarius peccata confeſſa revelare, nec pœnitens huic juri poteſt cedere, ſicut à ſimili nequit Clericus renunciare privilegio canonis, fori, quod conceditur ob bonum ſtatûs Eccleſiaſtici. Hinc inconſequenter videntur loqui adverſarii admittentes ſigillum eſſe de jure naturali divino intuitu Sacramenti, & non ſolius pœnitentis, & tamen poſſe per ſolam voluntatem pœnitentis tolli; cùm nullus privatus poſſit cedere juri communi. Tum quia obligatio ſigilli non eſt tantùm in favorem pœnitentis, ſed principaliter intuitu Sacramenti, & communitatis Chriſtianæ, ne reddatur odioſum, & ne tam multi retrahantur à tam neceſſario medio, & ſolùm in tantùm ille favor ad pœnitentem ſpectat, in quantum ſecretum Sacramenti ex lege naturali & divina eſt inviolabile, ſed diſpenſatio harum legum non ſubeſt ſoli pœnitenti: ergo non poteſt ex ſola licentia pœnitentis Confeſſarius ab illis vinculis ſigilli liberari.

11 Reſpondent adverſarii neg. conſeq. & dicunt aliquem adhuc poſſe cedere juri communi, quando actio privata non cedit in detrimentum boni communis, uti eſt in licentia pœnitentis de aperiendo ſigillo Confeſſionis. Et juxta hoc reſpondent ad ſecundum.

Contra eſt: ſed talis licentia cedit in detrimentum & perturbationem Eccleſiæ: ergo nulla ſolutio. Ant. prob. ſi mihi revelaretur à Sacerdote Petrus ejus pœnitens feciſſe peccatum abominabile, opus eſt, ut ſtatim malam opinionem de ipſo concipiam, & ſicut de Petro hodie concipitur mala fama per talem revelationem, ſic de Paulo cras audire poterit, præſertim ſi ille, cui revelaretur, non adſtringeretur ad ſigillum, atque ita progreſſu temporis perturbatio in tota communitate fieret, præſertim, ſi dicitur: hoc in Confeſſione eſſe auditum, licèt cum licentia revelandum, quod non contingeret, ſi dicitur: hoc aliunde, quàm in Confeſſione eſſe auditum, ut volumus in 2. parte aſſertionis.

12 Probatur 2. ex abſurdis: tum quia daretur occaſio mentiendi in Confeſſione, & fallendi Confeſſarium, nam diffamatus de aliquo crimine, quod commiſit, licèt de eo non ſit convictus, poſſet confiteri negans ſe tale crimen commiſiſſe, & poſtea Confeſſario licentiam dare, ut Confeſſionem revelet, & dicat talem non eſſe hujus criminis reum, ut ſic evaderet pœnas. Imò teneretur Confeſſarius per talem notitiam ſuccurrere pœnitenti; nam hoc ipſo, quòd fiat medium licitum per adverſarios, tenetur ſuccurrere innocenti, quia per media licita tenetur aliquis ſubvenire; aut ſi ei non creditur, prorſus inutilis eſſet talis revelatio. Et ſic eſſet maximus abuſus hujus Sacramenti ſine ſufficienti ratione: ergo. Tum quia, ſic poſſent judices variis artibus inducere homines ad dandam hanc licentiam Confeſſariis, & modo ita occulto, ut Sacerdos non animadvertat crimina detegere, & ad forum publicum deducere, quod eſſet maximum hujus Sacramenti ludibrium. Sequela verò patet; quia Confeſſarius habitâ licentiâ poteſt revelare: ergo, ſi ſubeſt damnum communitati ex ſilentio, interrogatus ſuppoſitâ tali licentiâ tenetur revelare.

13 Probatur 2. pars: extra Confeſſionem pœnitens eſt plenè ſui juris, & dominus ſuæ famæ: ergo poteſt hoc jus dare Confeſſario, ut etiam illud alteri revelet; cùm à nullo jure impe-

impediatur; quamvis adhuc conſulat D. Bonaventura; quòd meliùs ſit, quòd ipſe pœnitens, quando ſibi videtur opportunum, manifeſtet aliis peccata ſua, quàm ut Confeſſarius ſe ingerat in periculis & ſuſpicionibus, & maximè in re dubie, in qua magis conſulere debet reverentiæ Sacramenti, & communi utilitati, quàm privatæ voluntati pœnitentis, ſic enim vitatur ſcandalum, & non corrumpitur ſigillum Confeſſionis.

14 Objicies: Scotus concedit poſſe pœnitentem dare licentiam Confeſſario licitè peccata ſua revelandi, ſi iterum extra Confeſſionem narret. Sed hæ duæ propoſitiones ſunt æquivalentes: ſcias me furtum commiſiſſe dicendo extra Coofeſſionem, & concedo tibi facultatem revelando furtum, quod tibi ſum confeſſus: ergo ſi uno modo licita eſt licentia, etiam altero modo erit licita.

Reſp. neg. min. nam longè diverſa eſt materia, revelare peccatum ex ſola Confeſſione auditum, & revelare aliâ viâ notum, quia peccata manifeſta ex ſcientia publica poteſt revelare Confeſſarius, non tamen peccata manifeſta illa tanquam ex Confeſſione audita; adeóque habita narratione peccati extra Confeſſionem jam Confeſſarius ſcit illa duabus viis, ſcilicet viâ Confeſſionis, & viâ extraneæ narrationis, & in hoc ſolùm caſu poteſt revelare & dicere: Petrus mihi dixit, ut tibi hoc revelem.

Dices: majus ſequitur damnum ex licentia per manifeſtationem extra Confeſſionem in Confeſſiona conceſſa: ergo ſi unum licet &c. Ant. prob. ſi pœnitens dat licentiam aperiendi ſigillum in Confeſſiona, illa licentia eſt revocabilis, cùm dependeat à voluntate dantis. Si verò ſemel etiam peccatum extra Confeſſionem dixit, illa licentia eſt irrevocabilis, nec poteſt ſecere pœnitens poſtea, ut Confeſſor tantùm in Confeſſione illud ſciat: ergo.

Contra neg. conſeq. nam licèt ille modus de licentia in Confeſſione eſſet magis utilis pœnitenti ob datam rationem, quia tamen adhuc talis modus nimis derogat dignitati Sacramenti, & Confeſſionis ſigillo, quod non decet ſic eſſe in manu pœnitentis, ut illud claudere, & aperire poſſet, aut extendere ad tot vel tot perſonas ad libitum; cùm hoc ſigillum à lege naturali & divino ortum habeat. Imò illud majus incommodum in noſtro modo ſaltem ſufficienter impediri poteſt, quia etiam illa licentia extra Confeſſionem eſt revocabilis ex ratione ſaltem ſecreti naturalis, quod adhuc dependet à voluntate illud revelantis.

15 Dices: licitum eſt unicuique renunciare juri ſuo: ergo & confitenti licitum eſt dare licentiam Confeſſario de non celando ſuo peccato confeſſo.

Contra: diſting. ant. poteſt renunciare juri ſuo privato ſimpliciter, conc. juri ſuo communi, neg. ant. jus autem ſigilli Confeſſionis eſt jus totius communitatis, ex cujus revelatione poteſt ſequi continua perturbatio Eccleſiæ.

16 Dices: ſecretum eſt de voluntate ſecretum committentis: ergo etiam hoc ſecretum Sacramentale. Conſeq. patet: quia non datur lex ſpecialis prohibens, neque ratio hoc ſatis reprobans.

Contra neg. conſeq. nam cùm hoc ſecretum Sacramentale ex primaria ratione ſit inſtitutum in favorem Sacramenti, & totius Eccleſiæ; ideo non manet in ſola voluntate committentis, ſed Chriſti Domini inſtituentis hoc forum pœnitentiale ſecretiſſimum ob bonum Sacramenti, & totius Eccleſiæ, & ex his patet lex prohibens, & ratio reprobans.

17 Dices: omnes concedunt causâ conſilii poſſe ipſum Confeſſarium de licentia pœnitentis ejus peccata revelare, quando ipſe Confeſſarius eſſet minùs inſtructus: ergo etiam ex aliis rationibus utilibus pœnitenti.

Contra neg. conſeq. quia in primo caſu ille, cui tanquam comminiſtro communicatur peccatum, etiam tenetur ad ſigillum, & fieret manifeſtatio in finem Confeſſionis debitè peragendæ. Nos autem hic loquimur de caſu publicæ ſcientiæ ad alium finem à Confeſſione alienum, ex que non ſequitur obligatio ſigilli in eo, cui revelatur peccatum de licentia pœnitentis; unde hic vileſceret Sacramentum, & non in priori caſu.

18 Dices: C. officii. de pœnit. & remiſſ. datur caſus, ubi Sacerdos conſulit Papam de quodam peccato, quod mulier ſibi confeſſa fuerat; ſed hoc aliter fieri non potuit, niſi de licentia pœnitentis: ergo.

Contra neg. min. quia Sacerdos conſuluit Papam de peccato ab illa muliere Confeſſo, ſed non detexit mulierem in propria perſona, ſed ſolum in generali, quia caſus ille contigit in partibus valde remotis.

19 Dices: in praxi putant pœnitentes ſe poſſe dare licentiam, & ſolent dare, & Confeſſarii putant ſe poſſe accipere, & ſolent exercere: ergo.

Contra: neg. ant. quia ille praxis ſolùm in hoc conſiſtit, quòd revelatio fieri poſſit à Confeſſario de licentia pœnitentis, quotieſcunque eſt neceſſaria, aut opportuna ad eundem Confeſſionis finem, ut ritè & integrè perficiatur, ut priùs dictum eſt: Non verò in aliis caſibus.

20 Aſſero 3. *Poteſt probabiliter Confeſſarius uti ſcientiâ ex Confeſſione habitâ in aliis negotiis, cum ſumma tamen cautela & prudentia, ſi id expedit ob bonum proprium, vel pœnitentis, aut alterius innocentis, aut communitatis; dummodo ſigillum Confeſſionis nec directè, nec indirectè violetur cum ſcandalo.* Eſt Scoti in 4. D. 21. q. 2. *in ſolutione ad tertium principale* Leandri à Sacramento & aliorum apud Fagundez. contra Amicum, Dianam & alios,

præſertim in PP. Societatis, qui prohibiti ſunt à ſuo Generali hanc docere ſententiam poſt Decretum Clementis VIII.

Probatur 1. pars: quando Confeſſarius advertit ſe, vel bonum commune eſſe certo periculo ruinæ expoſitum, ut quando in Confeſſione audit ab aliquo complice ſibi venenum aut mortem parari, poteſt illud curare evitare viis debitis, ſi nulla fit directa, nec indirecta ſeu implicita ſigilli revelatio, aut Sacramenti irreverentia, aut pœnitentis abſtractio à Confeſſione; ſed poteſt talis evitatio fieri cum notitia Confeſſionis ſinè ulla revelatione, aut nocumento Sacramenti, vel pœnitentis: ergo. Maj. patet: quia ſi nullum obſtat impedimentum Confeſſionis, tunc utitur jure ſuo; ideo ſi ſciret ſe, vel Petrum eſſe occidendum tali die, vel loco, v. g. in nemore, ut loquitur Scotus cit. poſſet curare, ut tali die ſe aliquo ſervitio occuperdomi, aut in alium locum ſe conferat; nam tales diverſiones ſunt facta, quæ ex natura ſua non ſignant ſcire Confeſſarium eſſe occidendum; aliàs iis poſitis quilibet eo ipſo hoc ipſum ſciret. Min. prob. per ſigna indifferentia, quæ etiam aliquid aliud ſignificant, nec directè, nec indirecte ſigillum revelatur, aut alicui nocetur; ſed poteſt Confeſſarius ex notitis Confeſſionis ob aliquod bonum talia ſigna ſolùm indifferentia adhibere: ergo. Maj. patet: aliàs quivis alius, qui ſimile ſignum, vel factum exerceret, aliquid revelaret. Min. prob. Scotus cit. inter talia ſigna indifferentia, & determinata ad Confeſſionem hanc ponit regulam: quòd quotiescunque ſignum naturâ ſuâ non eſt expreſſivum peccati confeſſi, ſed indifferens ad peccatum ſive confeſſum, ſive non confeſſum, licèt aliquibus ex quodam ſuppoſito ſit magis determinatum ad peccatum confeſſum, non eſt ſignum per ſe revelativum Confeſſionis, nec directè, nec indirectè quia facta poſſunt eſſe æquivoca, & diverſimode à diverſis poſſunt concipi, ac etiam cum judicio temerario, quod etiam de aliquibus dictis verificatur: econtra verò ſignum determinatum ad Confeſſionem eſt, quando ex natura ſua prodit, aut aptum eſt proximè ad prodendum peccatum: ergo ſupponuntur talia ſigna indifferentia poſſe adhiberi ab ipſo Confeſſario, ut paulò ante exemplificavimus in proba majoris primæ. Ex his

21 Addo aliquos caſus, in quibus id licitè fieri poſſet: primus eſt, ut quando Sacerdos per Confeſſionem novit vinum ad Miſſam paratum, eſſe veneno infectum, poteſt abſtinere à Miſſa, occaſione tamen aliunde deſumpta v. g. prætenſa invalitudine ſtomachi. Secundus: quando Confeſſarius ſcit aliquem eſſe excommunicatum, ſi habet aliam viam eum vitandi, quàm per notitiam ex Confeſſione, debet eum vitare, ſi verò non habet, ſed ex tali vitatione timeretur manifeſtatio Confeſſionis, nec poſſet illum vitare, quia majus eſt præceptum ſigilli, quàm vitationis excommunicati in concurſu talium præceptorum. Tertius: ſi Confeſſarius aliquem novit ex Confeſſione non eſſe Sacerdotem, poteſt abſtinere à Confeſſione illi facienda, cui antea confiteri conſueverat.

22 Probatur 2. pars: ſi etiam ſolùm indirecta revelatio peccati confeſſi committitur, tunc injuria fieret Sacramento, Confeſſio redderetur odioſa, & fideles ab ea retraherentur, paritérque fieret pudor & confuſio pœnitentis: ergo nec ad tuendum bonum temporale, non ſolùm alicujus hominis particularis, ſed nec etiam totius mundi, nec ob bonum ſpirituale totius Eccleſiæ, tali notitiâ ex Confeſſione cum indirecta tantùm revelatione ſigilli eſt licitum uti. Conſeq. prob. nullum eſt tam grave malum, quod fractioni ſigilli Confeſſionis præponderaret, quæ ex præcepto divino naturali ad reconciliationem hominis cum DEO neceſſaria eſt. Ex his

23 Addo aliquos caſus, in quibus nullatenus licet: primus: non poteſt Confeſſarius Euchariſtiam denegare ob peccatum in Confeſſione auditum, neque ob eandem rationem Epiſcopus poteſt repellere Clericum ab ordinibus recipiendis. Secundus: non poteſt Parochus à matrimonio repellere pœnitentem ob ſolum peccatum aut impedimentum in Confeſſione auditum; quamvis in Confeſſione teneatur illum monere, ut deſiſtat à matrimonio. Tertius: ſi Confeſſarius novit ex Confeſſione proditionem civitatis, vel hæreſim latentem ob aliquos occultos hæreticos, non poteſt Confeſſarius ita manifeſtare, quoties eſt periculum, ut author detegatur, ſed ſolùm debet obligare pœnitentem, ut apud judicem competentem denunciet complices hæreticos, aut minitantes Reipublicæ; ideo dicit Scotus cit. in ſolutione ad ſecundum principale: *reprobandus eſt verſus ille juriſtarum: eſt hæreſis crimen, quod nec Confeſſio celat.* Hinc in ſimilibus caſibus deberet ſe Confeſſarius periculo mortis ſubjicere, & mori ut Martyr ob juſtam cauſam, ſcilicet ne revelet Confeſſionem.

24 Objicies: ſi aliquo modo Confeſſarius poſſet uti notitiâ ex Confeſſione acceptâ, tunc hoc Sacramentum in ſalutem animarum ordinatum redderetur hominibus exoſum, & nimis grave; ſed hoc admitti non poteſt: ergo. Sequela prob. ſi pœnitentes exiſtimarent ſe poſſe amoveri ab officiis, & ſibi negari ſuffragia, aut alia incommoda oriri ob notitiam ex Confeſſione, retraherentur à Confeſſione: ergo.

Reſp. neg. ſequelam maj. ſi Confeſſarius per ſola ſigna indifferentia procedit; nam tunc pœnitens nullum habet juſtum motivum judicandi hoc Sacramentum eſſe oneroſum, niſi quando ad aliud ſequuntur quædam onera, quæ non ſunt illi ex natura ſua, & inſtitutione annexa, qualiter eſt annexa, erubeſcentia, dolor, ſatis-

ſatisfactio &c. ſed quæ ex ſolo arbitrio miniſtrorum ſunt annexa; ſed illud onus ex uſu notitiæ confeſſionalis ſine explicita, vel implicita revelatione non eſt arbitrarium ſed ſequens naturam Sacramenti, quod ſicut naturaliter includit diffamationem confitentis apud audientem, & odium peccatorum, ita etiam eſſentialiter includit, ut notitia ex confeſſione habita reddat Confeſſarium cautum & prudentem in ſuis actibus, qui non ſunt ullo modo revelativi Confeſſionis.

Dices: non eſt opus, ut pœnitens ſciat, aut ſuſpicetur ſe revelari ex confeſſione, ſed ſufficit, quod homines antecedenter ſciant Confeſſarios poſſe uti tali notitiâ, tunc jam redderetur hoc Sacramentum exoſum, & homines retraherentur ab eo, quod adhoc eſt contra ſalutem animarum, & reverentiam Sacramenti: ergo.

Contra neg. aſſumptum; nam neque hoc debet hominibus reddere confeſſionem exoſam, cùm hoc illis nullum damnum inferat; nam ſupponitur uſum talis notitiæ ſic exerceri, ut nullum ſit periculum revelationis. Imò non omne illud, quod confeſſionem reddit difficilem, eſt illicitum, aliàs reſervatio caſuum non eſſet licita, & ſic per conſequens nec illa licentia utendi ſcientiâ Confeſſionis erit illicita.

25 Dices: ergo licitè poſſet Sacerdos locum inſidiarum declinare, & alio divertere, cùm ſic ponat factum indifferens, etiamſi ſciat confeſſum aliquem complicem à reliquis latronibus interficiendum eſſe ob revelationem inſidiarum illi factam in confeſſione; ſed hoc videtur abſurdum, ut aliquis ratione illius Sacramenti poſſet tam grave nocumentum pati: ergo.

Contra conc. illatum, neg. min. nam licitè id poſſet facere Sacerdos, quia ſi mors complicis confeſſi ſequatur, non eſſet in cauſa factum Sacerdotis; quia ad illud judicium manifeſtè, aut ſigno univoco non inducit. Adeóque cauſa hujus mortis eſſet temerarium judicium à latronibus ex facto Sacerdotis, quod interpretari poteſt ex alia intentione, quàm ipſe prætendit exteriùs.

Dices: Si in hoc caſu tale factum eſt licitum, tunc nulla poſſet dari indirecta revelatio confeſſionis ex facto: ergo multoties id poſſent facere Confeſſarii, & ſic odioſum redderetur Sacramentum. Sequela prob. quia illud factum non abſolutè & abſtractim ſumptum eſt ſignum revelationis, ſed hic & nunc, quatenus declinatio Sacerdotis eſt conjuncta cum notitia confeſſionali: ergo in ſimilibus circumſtantiis ſemper eſt indirecta revelatio confeſſionis, aut nunquam ex tali facto poſſet dari revelatio indirecta.

Contra neg. ſequelam ad prob. neg. conſeq. quia illi facto declinationis nullæ ſunt adjunctæ circumſtantiæ, quæ declararent ejus intentionem ex ſcientia Confeſſionis eſſe conceptam; dummodo non adhibeat alia ſigna, & circumſtantias, ex quibus proderetur exteriùs intentio fugæ; nam ſi complex criminis inteoti pergat ſimul cum latronibus, quamvis ſciant eum eſſe confeſſum, neque aliud in facto monſtrat, poſſunt prudenter præſumere non fuiſſe illud peccatum confeſſum, ſed potiùs ad decipiendum Confeſſarium ſimulâſſe confeſſionem; non enim magis fundatur ſuſpicio ex facto Sacerdotis concepta, quàm præſumptio fundata in facto latronis, qui in exteriori ſe ſimulat ſocium paratum criminis; unde indirecta revelatio ſemper debet deſumi ab aliis circumſtantiis, in quibus factum committitur, ex quibus prudenter poſſit per ſe veniri in notitiam Confeſſionis; illa autem ſcientia Confeſſarii merè per accidens ſe habet ad judicium, quod formant latrones.

Objicies 2. Bulla Clementis VIII. motu proprio pro Regularibus edita Anno 1594. 26
die 26. Martii præcipit, ne Confeſſarii ad ſuperioritatis gradum evecti ſcientiâ de aliorum peccatis in Confeſſione habita utantur ad externam gubernationem: ergo nec in aliis negotiis.

Reſp. neg. conſeq. Tum quia non obſtat hoc Decretum; cùm Pontifex ſolùm loquatur de regularibus inter regulares; multa autèm illis prohibentur, quæ aliis licent. Tum quia Pontifex eſt intelligendus de uſu ſcientiæ, ex quo directè vel indirectè revelaretur peccatum confeſſum; aliàs etiam inter Regulares admitteretur aliquod abſurdum, quòd ſcilicet ſubditus datâ operâ poſſet ſuperiori ſuas nequitias & inhabilitates confiteri ad illum impediendum, ne illâ ſcientiâ utatur ad obſiſtendum ei in promotione ad officia & dignitates; hinc probabiliter poteſt prælatus ex ſola notitia in confeſſione habita non admittere vel amovere ſubditum ab officio, quod pendet è ſola voluntate ſuperioris; quia tunc nullum eſt periculum revelandi confeſſionem, cùm ſoleant alii ab illo amoveri, vel non admitti, non tamen poſſet amovere, vel non admittere ſubditum ad officium, quod non pendet ex ſola voluntate ſuperioris, quia eſſet periculum revelationis indirectæ. Cæterùm quamvis etiam ex illa ratione aliqui admittant Confeſſarium poſſe negare ſuffragium indigno ex confeſſione cognito, ſi cautè neget, ut pœnitens de hoc facto nullam poſſit habere ſuſpicionem, non tamen hoc facilè concederem; quia licèt ignoretur hic & nunc Confeſſarium uti ſcientiâ confeſſionali, ipſa tamen ſententia, quòd poſſint Confeſſarii ex notitia peccatorum impedire pœnitentes ab honoribus & dignitatibus conſequendis, multùm retraheret à ſacramentali confeſſione animos pœnitentium, præſertim in religioſis, ubi tales occaſiones ſunt frequentiores; ideò in hoc caſu gratis concedo illam rationem, quam Adverſarii

ſarii objiciebant in priori objectione; quemvis P. Viva de iſte reſtrictione ad Reguleres nihil audire, ſed prohibitionem generaliter quoed omnes intelligi velit.

Dices: Ita etiam univerſaliter intelligi debet Decretum illud Clementis VIII. nam Sacra Congregatio die 18. Novembris 1682. univerſaliter prohibuit, tum publicè, tum privatim doceri, aut in prexim deduci, propoſitionem ſequentem: *Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licèt: modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* v. g. ſi ſuperior ſciet ex cooſeſſiooe ſubditum egredi è monaſterio ad peccandum, poſſet illi negare facultatem egrediendi; quamvis enim aliquo inde afficiatur gravamine, attamen multò majus ſubiret gravemen, ſi egrederetur ed peccandum ob periculum grevie damni, non tantùm animæ, ſed etiam temporalis, quod ex illo egreſſo poſſet reportere, ut meritò illud prius gravamen in comparetione hujus poſteriorie debeat contemni: ergo cum hoc fuerit univerſaliter prohibitum, etiam Decretum Clementis VIII. eſt univerſaliter intelligendum.

Contra dico, per talem prohibitionem S. Congregationis oon damnari prop. illam à Pontifice ex cathedra loquente, & quâdam cenſurâ, eut grevi pœnâ affectam, ex qua gravem colligeremus præcepti obligationem, ſed ſolùm prohiberi à Sacra Congregatione ne publicè eut privatim doceatur, vel in praxim deducatur ſine debitis cautelis edditie, prout eam multi graviſſimi Doctores ut D. Thomae & Scotus, aliique circiter triginta relati à Sanchez lib. 3. de matr. Diſp. 16. docuerunt. Adeóque præcitata propoſitio ſolùm prohibetur, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, etiem cum dicte limitatione majorie gravaminis evertendi, cum in tali caſu videatur ſemper adeſſe periculum revelationie indirectæ. Ultimatè igitur dico cautiſſimè de hee meteria, & vix ad praxim procedendum eſſe: etque neminem uti poſſe ſcientiâ ex confeſſione eeceptâ, niſi moraliter certò ſibi conſtet, quòd ex tali uſu oullum gravemen pœnitenti eveniat, nulláque Confeſſionie reveletio; & ite Aſſertionem noſtram intelligi volumus.

DISTINCTIO XIV.

De Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ.

QUÆSTIO UNICA.

An quivis Sacerdos, hoc ipſo, quòd ſit Sacerdos, habeat poteſtatem abſolvendi quemlibet pœnitentem?

1 ADvertendum eſt 1. de fide eſſe, ſolùm Sacerdotem eſſe miniſtrum hujus Sacramenti, ut docet Trid. Seſſ. 14. c. 6. quod & ſecra Scriptura & ratio convincit. Nam Joan. 10. & Metth. 18. ſolie Apoſtolis & eorum Succeſſoribue eſt promiſſa & conceſſa poteſtas clevium, & oon omnibus Chriſtienis, ut ſomniat Lutherus; nam habetur clarè ex Evangelio Chriſtum Dominum illa verba locutum eſſe ſolis Apoſtolis, qui eraot congregeti foribus cleuſis propter metum Judæorum; hoc etiam ratio ſuadet, quia illud Sacramentum eſt inſtitutum per modum judicii, ſed poteſtas judicandi non debet omnibua commitri, ſed tantùm principibus & magiſtratibus Reipublicæ: ergo non omnes Chriſtiani poſſunt eſſe miniſtri Sacramenti pœnitentiæ, ſed ſolùm Sacerdotes; da quibus tamen inter Catholicos movetur difficultas: an quivis Sacerdos ex vi ordinationis ſuæ hoc ipſo, quòd ſit Sacerdos, poſſit validè hoc Sacramentum omnibus adminiſtrare, quod aliqui affirmanc dicendo, ad ejus valorem non requiri aliam juriſdictiooem, ſed tantùm eſſe ex prohibitione Eccleſiæ factum, ut non ſit licitum omni Secerdoti hoc officium exercere, niſi certâ licentiâ à ſuperiore habitâ, quæ dicitur poteſtae juriſdictionis; adeóque cùm hæc tota difficultas ſita ſit in explicatione poteſtatis juriſdictionis. Pro ea

Advert. eſt 2. In quovis Sacerdote eſſe duplicem poteſtatem, Ordinis ſcilicet & juriſdictionis. Poteſtatem Ordinis dicunt aliqui immediatè conferri à Chriſto in actu ordinationie mediante charactere indelebili, quæ edhuc eſt incompleta poteſtes; & juriſdictionis eb Eccleſia in actu deputationis verbalis ad abſolvendos peccatores, per quam fit completa poteſtee Sacerdotis. Alii verò dicunt tam poteſtatem Ordinis, quàm juriſdictionis eſſe unam ſimplicem poteſtatem cum duplici tamen reſpectu, quæ in ordinatione confertur, & ideò etiam tota poteſtas juriſdictionis tribuitur in ordinatione à Chriſto, ſed non edhuc meteria ejus, ſeu ſubditi, & ideò hæc ei poſtea eb Eccleſia applicetur per deputationem Sacerdotie ed confeſſiones excipiendas, & tunc eſt perfecte & integra juriſdictio actualis, quæ dicitur expedita ad operandum, cùm habeat debitam meteriam epplicatam. Poteſtas igitur ex parte ſolius Secerdotie potiùs dicitur habitualie, & in actu primo, quia eſt impedita, ut exeat in ectum ob defectum applicationis materiæ, quæ dupliciter poteſt applicari: primò viâ ordinariâ, ut quando aliquie conſtituitur Epiſcopus alicujus Diœceſie, vel Parochus alicujus parocochiæ: Secundò viâ coeceſſionie, ut quando unus paſtor ſuam ovem alteri committit noo conſtituendo ipſum paſtorem ex officio, ſed ſuas vicee illi committendo. 2

Advert. eſt 3. Quamvis in re ſit idem poſtatem completam accipi in ordinetione cum dependentia tamen ab hoc, quòd Eccleſia determinet ſubditoe, & non accipi poteſtatem 3

com-

completam & proximam in ordinatione, ſed quòd reddatur proxima per authoritatem Ecclesiæ, magis tamen coovenit dicere Sacerdotes in ordinatione accipere completam poteſtatem abſolvendi à peccatis, non tamen per talem ordinationem ipſis dari ullos ſubditos, ſed poſteà per Eccleſiam eos determinari, quatenus illos conſtituit judices vel ordinarios, vel delegatos. Rationem dat Scotus in 4. D. 19. q. un. §. *de quarto articulo:* quia remiſſio peccatorum fit virtute Sacramenti, & directè per abſolutionem, quæ eſt uſus clavis, non autem per aliquam inſtitutionem humanam Eccleſiæ, quæ non poteſt inſtituere Sacramenta, aut eis efficaciam tribuere; ergo debet illam totam poteſtatem à Chriſto in ordinatione accipere; nam ſicut Eccleſia accepit ſolùm jurisdictionem fori externi, mediante qua non poteſt remittere peccata, ita quidquid facit per hanc poteſtatem, directè non dat authoritatem dimittendi peccata; attamen quia authoritas in ordinatione conceſſa Sacerdotibus non tollit authoritatem Eccleſiæ conceſſam jurisdictionis, ſubordinationis & Hierarchiæ, quam io omnes perſonas habet; ideò huic authoritati ſubordinatur indirectè clavium poteſtas, quatenus determinatio perſonæ, in quam exerceri poſſit ſententia, directè ſpectat ad Eccleſiam; ideò ante talem deſignationem perſonæ ſubditæ manet poteſtas clavium ſuſpenſa, oon tantùm, quòd non ritè abſolveret, ſed etiam ut nec ſimpliciter abſolveret; cùm ex regulis juris in 6. *ſententia à non ſuo judice lata ſit nulla.* Vel ut dicit Scotus: *Eſt ſolùm potentia remota, non propinqua;* quia remota eſt, quâ quis de ſe & ſimpliciter agere poteſt, propinqua verò & proxima requirit paſſum approximatum, & non impeditum, ut agat. His notatis:

4 Propoſitio 1. *Poteſtas jurisdictionis eſt diſtincta à poteſtate ordinis tam in eſſentia, quàm in modo & tempore, quo confertur.* Ratio eſt: quia poteſtas ordinis datur per impreſſionem characteris, & neceſſariò acquiritur per ordinationem Sacerdotis immutabiliter; poteſtas verò jurisdictionis ſolùm moraliter datur per extrinſecam conceſſionem aliquorum ſubditorum ab Eccleſia, & extra Sacramentum ordinis: ergo eſt diſtincta; quod & conformiter Concilia ſupponunt; nam dicunt Sacerdotem poſſe carere omni jurisdictione ad abſolvendum, cùm tamen poteſtate carere non poſſit ratione characteris impreſſi. Imò Trid. Seſſ. 14. c. 7. docet: jurisdictionem & ſubjectionem ſubditorum eſſe correlativa, per conſequens, cùm Sacerdotes ex vi ſuæ ordinationis non habeant ſubditos, neque poteſtatem jurisdictionis habebunt; unde illa poteſtas, quam Sacerdos vi ordinationis acquirit, non eſt poteſtas jurisdictionis propriè loquendo, ſed ſolùm veluti quædam poteſtas ſanctificandi fideles peccatores, quando ejus ſubditi ab Eccleſia fuerint declarati, quæ poteſtas cùm tantùm ſit remota, non poteſt exercere ſuum actum per modum judicii, niſi poteſtatem jurisdictionis habeat conjunctam, qua mediante reducitur ad actum; quæ poteſtas jurisdictionis non eſt ſolùm ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed etiam ex inſtitutione Chriſti, nam ex Chriſti inſtitutione eſt neceſſe, ut Sacerdotes impendant abſolutionem tanquam judices: ergo etiam ut habeant poteſtatem jurisdictionis, quæ ad id neceſſariò requiritur.

Propoſitio 2. *Quivis Sacerdos non ſolùm in* 5
articulo mortis, ſed etiam in dubio & probabili periculo mortis, ut in bello, longa navigatione, difficili partu, poteſt abſolvere à peccatis. Ratio eſt communis contra quosdam: quia id videtur ſatis conſonum ob animarum remedium & ſalutem, ne perditionis periculo exponantur: ergo ſicut fideles non tantùm in articulo mortis rigoroſè ſumendo, quando nimirum mors eſt proxima, & certò inevitabilis ſecundùm communem naturæ curſum, tenentur ſibi conſulere, & propria peccata confiteri, ſed etiam in alio quocunque probabili periculo mortis, ita & Eccleſia cuilibet Sacerdoti in ſimilibus caſibus facultatem audiendi & abſolvendi conſerre cenſetur. Sicut confert Trid. Seſſ. 14. c. 7. omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis univerſaliter & abſolutè ita, ut etiam conceſſa maneat in his caſibus Sacerdotibus excommunicatis, aut hæreticis; cùm Concil. Trid. amplè & ſine exceptione loquatur de Sacerdotibus; & hæretici aut excommunicati non ceſſent eſſe Sacerdotes ex hæreſi aut excommunicatione; ideo in illo actu eis non tollitur jurisdictio.

Propoſitio 3. *Simplex Sacerdos non habet* 6
illam jurisdictionem abſolvendi in prædictis caſibus præſente parocho, vel alio Confeſſario delegato. Ratio eſt communis contra aliquos contrarium ſentientes, quia ceſſante fine legis ceſſat ipſa lex; ſed finis legis concedentis Tridentinæ illam facultatem fuit fidelium neceſſitati ſubvenire, ut patet ex ejus verbis: ergo cùm hæc neceſſitas non ſit, quando adeſt proprius Parochus, vel delegatus Sacerdos, non ampliùs poterit ille ſimplex Sacerdos abſolvere; nam non eſt cenſendum Trid. in ſuis aliàs quidem univerſalibus verbis plus concedere voluiſſe ultra antiqua jura; cùm expreſſè declaret ſe confirmare ſolùm id, quod in Eccleſia DEI ſemper cuſtoditum fuerat; fuit autem in antiquis juribus, ut patet C. *Aurelius.* & C. *Presbyteri.* 26. q. 6. expreſſè hæc limitatio ſtatuta, ut quando haberi poterit facultas à legitimo ſuperiore ad abſolvendum infirmum, deberet hæc facultas exquiri. Hoc etiam probabiliter eſt extendendum, ſi adeſſet ſimul unus Sacerdos ſimplex, & alius excommunicatus vitandus, vel hæreticus, quod potius deberet abſolvere ſimplex Sacerdos,

quia etiam tunc ceſſat neceſſitas utendi miniſterio alicujus excommunicati, & ab Eccleſia excluſi. His propoſitis:

7 Aſſero ad quæſt. *Non omnis Sacerdos poteſt validè à peccatis mortalibus antè non abſolutis abſolvere, ſed ultra ordinationem Sacerdotis requiritur alia particularis facultas, quæ dicitur juriſdictio.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 17. q. un. §. *de tertio articulo.* contra antiquiores.

Probatur 1. Tam Concil. Flor. Seſſ. ultima in Decreto Eugenii quàm Trid. Seſſ. 14. c. 7. pro eſſentiali requirunt juriſdictionem Sacerdotis; nam verba Trid. ſic ſonant: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia DEI fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti eam abſolutionem eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem:* ergo.

Probatur 2. Hoc Sacramentum exercetur per modum judicii, ſeu eſt actus judicialis; ſed judex non poteſt judicare, niſi ſubditum: ergo cùm Sacerdos vi ſolius ordinis non habeat ſubditos, non poteſt ex vi illius ſolùm actum abſolutionis validum exercere, ſed ab Eccleſia ulteriùs aliam poteſtatem recipere debet, quæ dicitur juriſdictionis. Min. patet de jure & juſtitia. Conſeq. etiam ſequitur juxta regulam juris in 6. *ſententia à non judice ſuo lata eſt nulla.*

8 Objicies: ex jure divino quivis Sacerdos habet à Chriſto poteſtatem jus dicendi, ſeu poteſtatem ſine ulla conditione abſolvendi peccatores juxta illud Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata* &c. ergo talis poteſtas non poteſt ei ab Eccleſia auferri quoad valorem actûs; ſed ſolùm quoad licitum uſum impediri poterit.

Reſp. neg. conſeq. Nam licèt Eccleſia ei non auferat poteſtatem, dicendum tamen eſt Chriſtum ei nec dediſſe ſtatim illam poteſtatem juriſdictionis, quia verba Chriſti debent intelligi ex ſenſu Eccleſiæ, ut nempe Sacerdos id poſſit erga fideles ſibi ſubditos, ut petit natura judicii, non verò debent intelligi, quaſi in hoc judicio Chriſtus ipſe ſingulos Sacerdotes, fecerit omnium abſolutè ſuperiores, vel fidelibus libertatem reliquerit eligendi ſibi judicem, quem velint ex Sacerdotibus; ſed ſecundùm rectam & neceſſariam gubernationem fidelium Chriſtus reliquit Eccleſiæ determinationem ſubditorum; per conſequens ante hanc nec Chriſtus dedit Sacerdoti poteſtatem juriſdictionis. Hinc Eccleſia, ut dixi, nullam aufert poteſtatem à Chriſto traditam, ſed ſolùm ponit in ſingulis pro opportunitate conditionem ſuperioritatis ad validitatem hujus Sacramenti requiſitam tam ex inſtitutione Chriſti, quàm ex ipſa natura judicii.

9 Dices: Chriſtus vi ordinationis Sacerdoti non ſolùm dedit poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, ſed etiam abſolvendi & judicandi peccatores; ſed hæc poteſtas eſt juriſdictio: ergo validè abſolveret.

Contra diſting. min. eſt juriſdictio habitualis, vel incompleta, conc. actualis & completa, neg. min. nam juriſdictio propria & actualis debet importare ſuperioritatem erga ſubditos, quod Chriſtus reliquit Eccleſiæ; illa autem poteſtas tradita in ordinatione eſt ſolùm poteſtas conferendi Sacramentum ſeu ſanctificandi animas peccatorum, ut prænotavimus Advert. 3. & licèt talis juriſdictio quoque in aliorum Sacramentorum collatione requiratur, hoc tamen intereſt diſcrimen, quòd in illis ſolùm ad licitum uſum requiratur, in Sacramento verò pœnitentiæ etiam ad valorem, quia exercetur per modum judicii.

10 Dices: Licèt hoc Sacramentum exerceatur per modum judicii, Sacerdos tamen eſt ſolus judex arbitrarius de voluntate partium aſſumptus: ergo eſt in voluntate pœnitentis, ut Sacerdos ſit ejus Superior, ſi vult ei confiteri.

Contra diſting. ant. eſt judex arbitrarius cum plena ſubordinatione ad prælatos Eccleſiæ, conc. ſine tali ſubordinatione, & ex ſola voluntate pœnitentium, neg. ant. nam habet poteſtatem judicandi à Chriſto cum ſubordinatione ad prælatos Eccleſiæ, & non accipit eam à partibus. Vide, quæ diximus Diſt. 10. q. 1. prop. 2. in object.

Dices: Si Sacerdos non eſſet judex arbiter ex ſola voluntate pœnitentis aſſumptus, tunc Pontifex à nullo poſſet abſolvi; ſed hoc dici nequit: ergo. Sequela prob. Pontifex non ſubjicitur legibus humanis Eccleſiaſticis, nec ipſemet poteſt alteri poteſtatem dare ad ſe abſolvendum, ſicut neque ad ſe excommunicandum in foro externo.

Contra concedit Panormitanus Pontificem non teneri ad confeſſionem; ſed hoc malè ſonat, cùm Confeſſio ſit de jure divino. Becanus dicit: Pontificem non dare poteſtatem ſupra ſe ſuo Confeſſario, ſed ſolùm ſe conſtituit materiam illius poteſtatis à Chriſto acceptæ, ſicut alios conſtituendo ſubditos facit eos materiam applicatam poteſtati Sacerdotum; ſed hoc videtur idem dicere, ac Pontificem, quando eligit Confeſſarium, conſtituere eum ſui judicem, & tribuere juriſdictionem ſupra ſe ipſum, quod non eſt abſurdum in hoc foro ſacramentali eo ipſo, quòd factus ſit capax hujus Sacramenti. Diſparitas tamen eſt de foro externo ad excommunicandum; quia conditio clavis fori exterioris eſt, ſuum effectum inducere etiam invito reo; ſed Pontifex non poteſt invitus aliquid pati, cùm ſit ſupremus Dominus; aſt clavis ordinis ponit effectum ſolummodo voluntarium, & ſic nullum eſt inconveniens Pontificem aliquid voluntariè pati pro animæ ſalute, & ideò voluntariè poteſt ſe ſubmittere Sacerdoti, ut ab illo judicetur & puniatur; cùm Sacerdos ſaltem

talem

talem poteſtatem habitualem & inchoatam habeat à Chriſto.

11 Dices: ex communiori ſententia contra noſtrum Fabrum & Brancatum, quivis Sacerdos habet poteſtatem in venialia ſola, vel mortalia jam confeſſa, cùm ſint materia libera Confeſſionis; ſed hanc poteſtatem habet ab eo, quòd pœnitens ſe voluntariè ſubjiciat illi Sacerdoti: ergo.

Contra neg. min. nam talis juriſdictio quoque habetur ab Eccleſia immediatè, ſicut illa in articulo mortis, & non ſolùm à jure divino, aut ab ipſo pœnitente, quæ juriſdictio non eſt quidem ordinaria vel delegata per univerſalem conceſſionem quoad hoc factam ab Eccleſia; nam certè hoc miniſterium abſolutionis abſque juriſdictione exerceri non poteſt; cùm etiam ſuper materiam liberam exerceatur per modum judicii; juriſdictio autem non poteſt ab iſtis ſubditis tribui, qui eam non habent; unde ſola electio fit à pœnitente, juriſdictio verò ab Eccleſia datur, quod deducitur ex C. *omnis utriuſque ſexûs*, ubi præcipitur, ut ſinguli confiteantur mortalia proprio Sacerdoti. Per conſequens ſignat peccata venialia poſſe confiteri alieno cuicunque; quidquid dicat Faber & Navarrus in manuali ſe nullibi legiſſe aut vidiſſe eſſe in uſu hanc conſuetudinem, ut Sacerdos non admiſſus ab ordinario abſolvat à venialibus; nam hoc ſolùm eſt per accidens ob periculum annexi peccati mortalis.

Dices: ſi illam poteſtatem in venialia, aut in articulo mortis Sacerdos etiam haberet ab Eccleſia, ſic Eccleſia poſſet illam revocare in articulo mortis; ſed hoc non: ergo habet eam à Chriſto, aliàs Chriſtus non ſufficienter providiſſet per hoc Sacramentale remedium ſaluti animarum.

Contra diſting. maj. poſſet illam revocare abſolutè loquendo, conc. moraliter loquendo, neg. maj. nam licèt talis poteſtas ab ipſo Pontifice abſolutè revocari poſſet, ex peculiari tamen aſſiſtentia Spiritûs S. in Summo Pontifice quoad rectam Eccleſiæ gubernationem & animarum ſalutem procurandam nunquam revocabit, ſicut hucuſque ſemper fuit conſervatum; nam eſſet intolerabilis error, quem DEUS nunquam in ſua Eccleſia permitteret, & ſic Chriſtus optimè ſemper providit animarum ſaluti.

DISTINCTIO XV.

De Satisfactione Sacramentali.

QUÆSTIO I.

An ſatisfactio valeat ad remittendam pœnam temporalem adimpleta in mortali: & an pœnitens teneatur eam acceptare, aut poſſit ad purgatorium differre?

ADvert. eſt 1. Nobis hic non eſſe ſermonem de ſatisfactione generaliter ſumpta, prout eſt voluntaria redditio æquivalentis aliàs debiti, uti diſcurritur de jure & juſtitia, ſed de ſatisfactione ſpecialiter hic ſumpta, prout eſt actio afflictiva corporis vel animæ, per quam DEO voluntariè ſatisfacimus pro pœnis temporalibus ex peccatis relictis, & eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam DEO illatam, ac potiſſimùm conſiſtit in operibus pœnalibus & laborioſis à Confeſſario taxatis. Dico: *à Confeſſario taxatis*, quia nulla actio vel paſſio laborioſa hominis pœnitentis dici poteſt pars hujus Sacramenti, niſi à Sacerdote abſolvente imponatur, & ideo ſatisfactionem talem remittere pœnam temporalem ex opere operato diximus Diſt. 9. q. 1. prop. 5. ubi plura adhuc alia de ſatisfactione jam dicta ſunt, & ideo de aliquibus hic diſcurrere ſuperſedemus. 1

Advert. eſt 2. certum eſſe ex Scoto in 4. D. 15. q. 1. §. *de ſecundo principali* opera ſatisfactoria debere eſſe libera & voluntaria, cùm debeant eſſe opera moralia, quod & convenit ex eo, quia, cùm homo voluntariè peccaverit, etiam voluntariè ſatisfacere debet. Similiter opera ſatisfactoria tria præſertim recenſeri ſcilicet: jejunium, eleemoſynam, & orationem. Ad jejunium reducitur omnis afflictio & caſtigatio carnis voluntariè ſuſcepta. Ad eleemoſynam omnia opera miſericordiæ. Ad orationem omnes actus religionis ſive exteriores, ſive interiores, ut docet Scotus cit. §. *de tertio dico*, ubi admittit actum magnum charitatis (qui eſt internus) eſſe ſatisfactorium, & §. *de ſecundo principali* pauperi ad procurandum victum laboranti imponi poſſe pro ſatisfactione; ut patienter illum laborem toleret, quæ tolerantia utique etiam eſt actus internus, qui actus licèt per ſe non ſint ſenſibiles, poſſunt tamen eſſe ſenſibiles per accidens ſcilicet per externam impoſitionem Sacerdotis, vel per externam acceptationem pœnitentis, & ſic poſſunt cadere ſub poteſtate ligandi, ſicut peccata merè interna ſub poteſtate ſolvendi; nam in hoc foro licèt ob tales tranſgreſſiones Eccleſia non poſſit punire, ſufficit tamen, quòd pœnitens ſe ipſum debeat punire, & ſe iterum accuſare, ſicut de aliis peccatis. Hinc quod 2

Scotus cit. §. *de ſecundo principali* doceat ſatisfactionem eſſe operationem exteriorem laborioſam & pœnalem voluntariè aſſumptam ad puniendum peccatum, ibi loquitur de ſatisfactione regulariter & in communi praxi ſumpta; cùm convenientiùs ſit, ut potiùs opera externa imponantur, quia illa magis ſunt pœnalia, & ſtatui humano ordinario accommodata. Nec omnia opera ſatisfactoria debent eſſe ſtrictè pœnalia, aliàs Chriſtus non per omnes ſuos actus ſatisfeciſſet, ſed ſufficit, quòd DEO multùm placeant. Imò etiam omne opus honeſtum, & agere amore virtutis defæcatò videtur eſſe difficile, & ideò ſufficienter pœnale.

3 Advert. eſt 3. juxta communiorem ſententiam poſſe etiam pro ſatisfactione injungi opera aliàs tam præcepto naturali, quàm poſitivo debita, quia præceptum rationem liberi & voluntarii non tollit, & ideo nec rationem meriti ſatisfactorii. Quinimò talia opera aliàs præcepta ſunt ſatisfactoria, & poſſunt elevari per claves Sacerdotis ad effectum ex opere operato, & aliquando expedit illa imponere, ſive ut illa diligentiùs & cum majori devotione adimpleantur, ſive ut ſpirituali pœnitentium imbecillitati, vel gravibus occupationibus conſulatur, quod approbat Trid. Seſſ. 14. c. 9. quando dicit per patientem flagellorum tolerationem poſſe hominem DEO ſatisfacere; talis autem flagellorum tolerantia eſt aliàs præcepta, ut conſtat ex pluribus Scripturæ locis. Imò Eccleſia in hunc finem nempe pro ſatisfaciendo peccatis præcipit jejunia & alia. Tandem ſi hoc non eſſet verum, ſic per eleemoſynam extremè indigenti datam non poſſet aliquis pro ſuis peccatis ſatisfacere; cùm talis eleemoſyna eſſet naturali lege præcepta, quod videtur abſurdum. Hinc ſi opus aliàs præceptum v. g. jejunium quadrageſimale, & pro pœnitentia impoſitum omittatur, duplex erit peccatum, quia ſub diverſis motivis dupliciter eſt præceptum: Nec contra prædicta ſatis urget ratio Suarez & Amici contrarium tenentis, quòd nemo per unicam ſolutionem poſſit duobus debitis ſatisfacere, cùm debeat ſervari æqualitas juſtitiæ. Nam contra eſt: licèt ex natura rei unicâ ſolutione non ſatisfiat duabus obligationibus, & in rigore juſtitiæ, poteſt tamen id fieri ex gratia & benignitate creditoris ita acceptantis, ut fit in foro pœnitentiæ juxta Trid. cit. quod dicit: *hoc eſſe maximum divini amoris argumentum, ut temporalibus flagellis à DEO inflictis, & patienter toleratis apud DEUM patrem per JESUM Chriſtum ſatisfacere valeamus.* Interim tamen ſine juſta cauſa non debent pro ſatisfactione injungi opera aliàs debita, & ideo conſultum erit ſemper & regulariter imponere aliqua opera aliàs indebita, quia æquitas hujus judicii pœnitentialis etiam id poſtulat ad punienda peccata, & abſtrahendum à peccatis futuris ob novas obligationes aliàs præſtandas. His ergo notatis:

Propoſitio 1. *Pœnitens per ſe loquendo non tenetur pœnitentiam injunctam in ſtatu gratiæ peragere aliàs non ſatisfacturus præcepto Confeſſarii, vel obligandus ad eam repetendam in ſtatu gratiæ.* Ratio eſt ex ipſo uſu & conſenſu Eccleſiæ, nec etiam aliter intendit Confeſſarius obligare pœnitentem, quàm ut ſatisfactionem adimpleat in quocunque tandem ſtatu. Imò in longioribus pœnitentiis hoc nimis eſſet difficile & oneroſum. 4

Propoſitio 2. *Satisfactio vitiata per malum finem primarium, ſeu propter quem ſimpliciter non eſt valida, bene tamen vitiata per finem ſecundum quid ſeu occaſionatum.* Ratio 1. eſt: quia ſatisfactio ex malo fine etiam veniali ſed primario eſt potiùs gravis contemptus & hypocriſis contra reverentiam Sacramenti, & naturam operis, quæ eſt ad puniendum malum & DEUM placandum: ergo ſumere Sacramentum aut partem ejus non ex fine Sacramenti, ſed ſolùm hypocriſis aut vanæ gloriæ eſt gravis contemptus Religionis; cùm non ſumatur Sacramentum cum debita diſpoſitione, quæ nequit conſiſtere cum tali fine. Imò talis ſatisfactio ex tali fine eſt mala, per conſequens potiùs eſt digna pœnæ, quàm ut pro pœna aſſumatur. Ratio 2. eſt: quia finis ſecundùm quid ſeu occaſionalis concomitans culpæ venialis non derogat voluntati per ſe intendentis opus ſatisfactorium ex fine tam intrinſeco quàm extrinſeco requiſito, nam ſi veniale non derogat effectui Sacramenti, cùm ſtet cum gratia, ſic nec etiam derogabit ſatisfactioni, aut divinæ acceptationi. Hoc idem dic de aliis circumſtantiis: & vide Tract. de actibus humanis de eorum fine & circumſtantiis. 5

Propoſitio 3. *Pœnitens tenetur ſub culpa gravi pœnitentiam impoſitam & acceptatam adimplere.* Ratio eſt contra Cajetanum: tum quia in C. *omnis utriuſque ſexûs* præcipitur pœnitentibus, ut adimpleant pœnitentias; ſed hoc præcipitur ſub obligatione gravi, quia aliàs fruſtra imponerentur pœnitentiæ, & nullius eſſet virtutis poteſtas ligandi Sacerdotis, ſiquidem poſſet pœnitens ad libitum impunè ſe ab eo ligamine ſolvere, & ſic gravis injuria poſſet fieri Sacramento illud non complendo per ſubtractionem partis ejus integralis. Tum quia, ut diximus, Sacerdos poteſtatem judicandi non accipit à reo ſe ſubjicienti, ſed à DEO & Eccleſia. Subjiciens enim ſolùm ſe dat pro materia: ergo à ſententia data & acceptata, cui ſemel ſe ſubjecerit, non poteſt licitè reſilire ſine magna irreverentia judicii Sacramentalis. 6

Propoſitio 4. *Poteſt pœnitens ex aliqua rationabili cauſa ſatisfactionem ſibi impoſitam non acceptare petendo, ut alia ſibi imponatur.* Ratio eſt: quia in hoc Sacramento magis inten- 7

tenditur ſalus pœnitentis & ajus emendatio, quàm ſatisfactio pro pœna ex culpa: ergn ne ſalus pœnicantis perieulo exponatur, ſi graviorem pœnitentiam non sccepter ob impocentiam vel fragilitatem pœnitentis, poteris levior pœnitentis imponi; cùm sdhue optimè ſalver, quidquid ad rationem Sacramenti, poteſtatis clavium, & diſpoſitionis pœnitencis requiritur. Hine Scotus cit. §. *de ſecundo principali* docet: ſatisfactiones debere eſſe convenientes ſtatui & conditioni pœnitentium, nt ſcilicet nihil in illis Confeſſarius à pœnitente exigat, niſi juxta prudentiæ regnlas. v. g. ut filiufamilias non injungat eleemoſynas, operariis vel debilibus jejunia, mulieribus peregrinationes, sut valde occupatis multas praces &c. imò Cardinalis de Lugo excuſat Confeſſarios, qui pro graviſſimis peccatis leves imponunt pœnitentiss, quia hæc fit propter infirmitatem ſpiritualem, ne gravioribus pœnitentiis ſcandalizentur, & Confeſſionem fugiant. His itaque propoſitis:

8 Aſſero 1. ad quæſt. *Satiſfactio in ſtatu peccati mortalis peracta ſtatim etiam valet ad remittendam illi temporalem proportionatam pœnam ex culpis relictam.* Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 1. §. *de quarto dicitur.* ſic arguentis: *ſi poſt lapſum & ante pœnitentiam novam non exequatur quis ſatisfactionem priſtinam ſibi impoſitam, peccat mortaliter novo peccato: ergo ſi exequitur, benè facit, quia actum obedientiæ facit - - - ſi arguas: mortua eſt: ergo non eſt ſatisfactio, non ſequitur, niſi quòd non eſt ſatisfactio placans & reconcilians quia ſufficit DEO, quòd quis ſolvat DEO voluntariam pœnam debitam ad punitionem peccati commiſſi.* éſtque contra Thomiſtas.

Probatur 1. tum quia effectus ſatisfactionis Sacramentalis eſt ſola remiſſio pœnæ temporalis cum auxiliis ad præcavenda peccata impoſterum facilitantibus; ſed peccator non eſt hujus effactûs incapax: ergo. Min. prob. peccatum non tollit, quod opus habet ex meritis Chriſti, ut eſt ſatisfactio elevata virtute clavium, nec ſemper facit peccatorem incapacem omnis præmii; nam contritio etiam eſt actus à peccatore elicitus, & tamen ex divina promiſſione reſpondet ei præmium: gratia ſanctificans ſaltem de congruo. Vide plura, quæ diximus Diſt. 7. q. un. de remiſſione venialium non remiſſis mortalibus.

Probatur 2. ſatisfaciens non debet eſſe amicus DEI: ergo. Ant. prob. ſufficit ad ſatisfaciendum, quòd aliquis voluntariè ſolvat pœnam debitam; quia ſufficit interdum ſola ſatispaſſio ab aliis illata, ut docuimus in Tract. de actibus humanis, de remiſſione peccati venialis in inferno: ergo multo magis poſſet ſufficere pro punitione culpæ, ſi aliquis ſibi pœnam debitam infligeret, licèt non eſſet in gratia judicis offenſi, nec per hoc in via Scoti confunditur ſatisfactio cum ſatispaſſione, quia ſi ad ſolvendam pœnam ſufficit ſatispaſſio, licèt ſatispatiens ſit inimicus, etiam ſufficiet ſatisfactio voluntaria per opus pœnale, licèt ſit inimicus illi, cui ſatisfacit, cùm non ſit pejor conditio peccatoris in via, quàm in termino; adeóque cùm ſatisfactio ſita ſit in ſolutione, quantum debet, voluntaria in ſtatu viæ, & ſatispaſſio etiam poſſit eſſe in perpeſſione involuntaria; ideo adhue non confunduntur.

Probatur 3. defactò aliis præceptis divinis ſatisfacimus etiam in ſtatu peccati mortalis, ut audiendo Miſſam, dando eleemoſynam, honorando parentes; imò multorum debitorum ſolutiones admittuntur ab inimicis factæ, ut, ſi quis debeat ex voto ingreſſum Religionis, aut jejunium, licèt hæc etiam in ſtatu peccati mortalis exequatur, plenè ſatisfacit DEO, & DEUS talem ſolutionem admittit: ergo etiam id de ſatisfactione Sacramentali eſt dicendum.

Objicies: Scriptura & Concilia requirunt ſtatum gratiæ pro ſatisfactione pœnæ temporalis; nam Scriptura dicit: *ſi charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* & Trid. Seſſ. 14. c. 8. dicit: *in Chriſto, in quo vivimus, & in quo ſatisfacimus;* Chriſtus autem non influit, niſi in membra ejus viva per gratiam: ergo. 9

Reſp. Scripturam debere intelligi de operibus meritoriis in ordine ad vitam æternam, non verò de purè ſatisfactoriis pro temporali pœna, vel meritoriis ſolius præmii temporalis: aut intelligi de ſatisfactione perfecta reconciliativa ſeu placante DEUM, ut loquitur Scotus; non verò de ſimplici redditione æqualis debito ex titulo juſtitiæ. Concilia verò intelligi debent de neceſſitate gratiæ actualis, quæ etiam nobis à DEO datur ex meritis Chriſti ad eliciendum opera bona, quam Pelagiani negabant, non verò loquuntur de neceſſitate gratiæ habitualis, quæ cum peccato mortali pugnaret; hine illa verba Trid. *in quo vivimus* non ſignificant ſatisfacientem debere vivere in Chriſto per ejus gratiam eo tempore, quô ſatisfacit, ſed ſignificant omnem noſtram actionem bonam, & vitam ſpiritualem non eſſe ex noſtris viribus, ſed ex merito Chriſti per gratiam etiam actualem. Imò licèt ſignificarent principium ſatisfactionis debere eſſe gratiam ſanctificantem cum acceptatione divina, tamen poſſent explicari vel de gratia ſanctificante non quidem præſente, ſed cujus virtute culpa fuit à DEO dimiſſa; ſicut enim ejus virtute DEUS dimiſit culpam, ita etiam pœnam æternam commutârit in temporalem; & eam pro pœna peccati ſufficere voluit.

Dices: remiſſio pœnæ temporalis præparat hominem ad conſecutionem gloriæ removendo impedimenta à peccatis relicta: ergo non poſſunt conferri inimico DEI.

Contra diſting. ant. præparat remotè, conc. proximè, nego ant. remotè etiam præparant auxilia actualia, quæ etiam peccatori-

bus à DEO conceduntur; & ideò ſolùm remotè auſert impedimenta gloriæ; nam proximè ſola remiſſio culpæ & pœnæ æternæ præparant, & ſunt opera, quæ non debentur, niſi amicis.

10 Dices: ex gratia DEI pœna æterna commutatur in temporalem: ergo & temporalis in gratia DEI erit ſolvenda.

Contra diſting. conſeq. etiam temporalis in gratia DEI præſenti erit ſolvenda, neg. in gratia DEI præterita, quâ dimiſſa eſt culpa relinquens talem pœnam, transeat conſeq.

Dices: pœnæ hujus vitæ non ſunt comparabiles cum pœnis purgatorii: ergo niſi adſit gratia, quæ dignificat, non erunt ſatisfactoriæ.

Contra diſting. ant. non ſunt comparabiles in ratione ſatispaſſionis, conc. in ratione ſatisfactionis, neg. ant. nam ratio voluntarii, quæ in purgatorio deficit, eas in via extollit, & elevat, ac dignificat, ut habeant proportionem, & à DEO acceptentur ad ſolutionem omnia debiti.

11 Dices: ergo ſatisfactio non eſt pars hujus Sacramenti, de cujus eſſentia eſt gratiam ſanctificantem conferre ex opere operato.

Contra neg. illatum, nam ſatisfactio reipſa exhibita, ut eſt pars integralis, non cauſat primariò gratiam, ſed ſolùm remiſſionem pœnæ temporalis, quamvis etiam ex opere operato; collationem verò gratiæ ſolùm attingit, ut eſt in voto aſſumpta, & tali modo eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ. Hinc pars integralis non quoad omnia participat naturam totius, nam licèt participet naturam cauſandi ex opere operato, non tamen naturam cauſandi gratiam, vel procedendi à gratia.

12 Dices: ergo etiam indulgentiæ poſſent habere ſuum effectum ex opere operato in ſtatu peccati; cùm non minùs indulgentia, quàm ſatisfactio à Confeſſario virtute clavium ordinetur ad remiſſionem pœnæ temporalis.

Contra: Maironius concedit illatum; ſed conſultiùs negatur. Diſparitas eſt: quia indulgentiæ à Pontifice non conceduntur, niſi pro confeſſis & contritis, ut habet extravag. C. *unigenitus*. de pœnit. & remiſſ. ubi dicitur: *Chriſtum theſaurum ſuorum meritorum commiſiſſe diſpenſandum per ſuum in terris Vicarium verè pœnitentibus & confeſſis.* Quod non habet de ſatisfactione à Confeſſario impoſita.

13 Aſſero 2. *Probabile eſt, quòd licitè & univerſaliter loquendo poſſit pœnitens ſatisfactionem non acceptare, & eam differre uſque ad purgatorium, & ſic per conſequentiam correlationis poteſt & debet Confeſſarius talem abſolvere, ſi omnis abeſt contemptus.* Eſt Scoti in 4. D. 15. q. 1. §. *de ſecundo principali.* & D. 19. §. *ad quæſtionem motam.* eſtque noſtri Fabri & Pontii contra Maſtrium noſtrum, qui putet Scotum hoc ſolùm concedere in caſu aliquo particulari. v. g. ſcrupuloſi putantis ſe non poſſe ullo modo hic ritè aliquam pœnitentiam perſolvere, quæ tamen limitatio ex littera Scoti mihi patere non poteſt. Eſt præterea contra Thomiſtas & recentiores.

Probatur 1. rationibus Scoti. Tum quia ex Scoto cit. 1. loco: poteſt reperiri pœnitens, qui dicet ſe habere diſplicentiam de peccato, & firmum propoſitum non recidivandi, & tamen nolle pœnam recipere à Sacerdote: ergo talis vel eſt abſolvendus, vel non? ſi primum, habetur intentum. Si ſecundum, ergo talis deſperatus recedet, & probabiliter in graviora relabetur peccata, & ſic meliùs eſſet illum in tali caſu abſolvere; cùm finis hujus Sacramenti ſit ſalus pœnitentis. Tum quia ex Scoto cit. 2. loco: talis pœnitens ſupponitur habere ſufficientem dolorem, & firmum propoſitum ac voluntatem faciendi pœnitentiam, licèt non ab hoc judice inflictam: ergo habet omnia requiſita ad abſolutionem. Ant. patet: quia quamvis non haberet veram contritionem, ſi prorſus nullum opus bonum vellet facere, eam tamen haberet, ſi vult abſtinere à peccatis & operari bona, licèt non titulo ſatisfactionis in hac vita, nam ad hanc non tenetur, ut patebit ex ſequentibus probis. Conſeq. prob. ſi non haberet omnia requiſita, ſic maximè, quia non tolleret obicem; cùm eſſet inobediens Eccleſiæ, dum recuſat à miniſtro Eccleſiæ acceptare pœnitentiam; ſed non eſſet inobediens, quia iſte ſe ſubmittit arbitrio Eccleſiæ quoad id, in quo tenetur ſcilicet, quantùm ad judicium de culpis, ad quod neceſſariò tenetur; ad aliud autem judicium de pœna non tenetur ſe ſubmittere; cùm hoc judicium tantùm ſit ſubſequens alterum & non neceſſariò includatur in primo; nam proximus morti, qui non poteſt aliquid pœnale exercere ſecundùm omnes poteſt abſolvi ſine impoſitione pœnitentiæ.

Probatur 2. tum quia, quando ſunt duo modi ſatisfaciendi, ad neutrum tenetur reus determinatè, ſed pro libitu utrumlibet eligere poteſt, ſi è nulla virtute, juſtitia, aut præcepto determinetur ad unum; at qui pœnitens non tantùm in hac vita luere poteſt pœnam temporalem poſt remiſſionem peccatorum remanentem, ſed etiam in purgatorio, & non determinatur ab ulla virtute, aut præcepto, ut non remittat ſe ad alteram vitam: ergo. Min. patebit ex ſolutione objectionum. Tum quia hæc materia ſubordinatur materiæ de judiciis; ſed in his licitè appellatur de inferiori ad ſuperiorem: ergo non denegaret juſtè Sacerdos talem appellationem, ſi pœnitens ſe velit præſentare carceri curiæ divinæ ad purgatorium pro ſua ſatisfactione. Imò multi docent: Confeſſarium poſſe pœnitentiam injungere ſub conſilio, & conditione, ſi placet pœnitenti: ergo debent admittere pœnitentem non teneri acceptare ſemper pœnitentiam.

Pro-

Probatur 3. Tum quia hoc judicium ſacramentale aſt voluntarium & liberum pœnitenti: ergo ſicut ooo poteſt Sacerdos abſolvere à culpa, niſi volentem, ita nec poterit ligare ad pœnam temporalem, niſi volentem, & acceptantem; quòd autem ad ſubjiciendum ſe pro culpis teneatur ex præcepto naturali charitatis in DEUM, & ſe ipſum, ut diximus ſuo loco, non eſt extendendum ad ſubjectionem pro pœna temporali, cùm hæc ſit minoris momenti & hominem non privet ſuâ vitâ ſpirituali, ſed maneat in arbitrio hominis velle plùs pati vel hîc, val ibi. Tum quia poteſt pœnitens recuſare ſatisfactionem condignam, & velle acceptare aliquam ſolùm modicam pœnitentiam, ut tet dicendo: DEUS meus, & reſiduum ſolvere in purgatorio, ut omnes admittunt: ergo etiam non poteſt aſſignari ratio conveniens, cur non poſſit ſimiliter illam modicam reſpuere.

16 Objicies: Scotus in 4. D. 19. q. un. docet: Teneri pœnitentem pœnitentiam acceptatam implere ſub pœna peccati, quia obligatur præcepto Eccleſiæ, cui ſe voluntariè ſubmiſit; ſed hæc obligatio eſſet nulla, niſi poteſtas ligandi in Confeſſario induceret obligationem pœnitentis: ergo cùm hæc obligatio pœnitentis oriatur ex juſſione Sacerdotis, ne dicatur coarctata & ſubjecta ipſi pœnitenti, ut ſolùm poſſit obligari, quando pœnitens vult, ſemper tenebitur pœnitentiam implere, quando Confeſſarius jubat.

Reſp. neg. min. Nam Scotus loquitur ibi ſolùm de ſatisfactione, quam ſemel acceptavit pœnitens, ut diximus in propoſit. 3. nam ad hanc pœnitens ſeipſum obligavit acceptando ſemel, & licèt poteſtas ligandi Sacerdotis non ſit ſubjecta pœnitenti quoad dandam poteſtatem, eſt tamen aliqualiter ſubordinata, ut pœnitens voluntariè præbeat materiam pro tali poteſtate.

Dices: Ex Evangelio datur Sacerdotibus poteſtas ligandi ſcilicet per injungendas ſatisfactiones; ſed ſi pœnitens non obligaretur ad pœnam accipiendam, Sacerdos non ligaret; nam ſunt correlativa, poteſtas in ſuperiore, & obligatio in ſubdito ita, ut una ſine altera nequeat ſubſiſtere: ergo.

Contra vel diſting. maj. datur poteſtas ligandi abſoluta, & per ſatisfactiones hujus vitæ. Neg. maj. datur poteſtas arbitraria, & per ſatisfactiones indeterminatas hîc vel ibi, conc. maj. unde in pœnitente ſolùm correſpondet ſubjectio libera quoad ſatisfactionem præſtandam, non verò coacta. Vel conc. maj. neg. min. nam licèt pœnitens non acceptet pœnam hujus vitæ, adhuc tamen ex parte Sacerdotis daretur actus ligandi, & pœnitens maneret ligatus; nam de ratione ligandi activè ex parte Sacerdotis, ut ad pœnam temporalem obliget remiſsâ æternâ. Aſt in noſtro caſu adhuc Sacerdos deberet pœnitenti pronunciare pœnam in purgatorio luendam, & ad illam obligare, quo ligamine pœnitens debet eſſe contentus; ideo nihil deficeret ex parte Sacerdotis, nec ex parte pœnitentis pro integritate Sacramenti.

Dices: deficeret executio ſatisfactionis tanquam pars integralis Sacramenti, & primò integraretur Sacramentum in purgatorio; ſed Sacramenta debent compleri in via: ergo in hac vita tenetur pœnitens ponere ſatisfactionem.

Contra diſting. min. debent compleri in via quoad partes eſſentiales, conc. quoad integrales ſemper, neg. min. nam licèt non acceptaretur ſatisfactio à pœnitente, adhuc tamen eſſet ſatisfactio in voto, ſeu eſſet votum efficax ſatisfaciendi hîc, vel in purgatorio, quæ ſatisfactio in voto ſufficienter compleret Sacramentum quoad ſuam eſſentiam, nec eſſet aliquod notabile inconveniens integralem partem ponere in altera vita, nam hoc etiam fit in caſu pœnitentis morti proximi, ubi ſatisfactionem nullam poteſt ponere in via. Imò multi homines omittunt ſuas ſatisfactiones, vel negligenter & imperfectè perſolvunt, ut maneat ipſis aliqua pars integralis ſolvenda in purgatorio.

17 Dices ex ipſa inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ præcipitur in via integritas ejus: ergo cùm ſatisfactio ſit pars integralis, homo ad eam tenetur in via.

Contra diſting. ant. integritas ejus quoad dolorem & peccata, conc. quoad pœnam hîc aſſumendam, neg. ant. diſparitas autem eſt quoad pœnam, quia DEUS duos modos ſatisfaciendi determinavit, ſcilicet hîc, vel in purgatorio, non verò tales modos aſſignavit dimittendi culpam.

18 Dices: Sufferentia pœnæ in purgatorio non eſt ſatisfactio, ſed ſatiſpaſſio; ſed ſola ſatisfactio, & non ſatiſpaſſio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ: ergo integritas quoad pœnam ſemper etiam eſt ponenda in via.

Contra diſting. maj. ſufferentia pœnæ in purgatorio à DEO inflicta, & non voluntariè priùs in vita petita non eſt ſatisfactio ſed ſatiſpaſſio, conc. ſufferentia pœnæ in purgatorio priùs in via pro ſatisfactione petita, neg. maj. & conſeq. imò quid dicent adverſarii de pœnitente morti proximo, qui etiam non ponit in via ſatisfactionem, ſed ſolam ſufferentiam pœnæ in purgatorio.

19 Dices: in hoc foro judiciali tenetur reus obedire judici præcipienti: ergo Sacerdos habet vim coactivam, quâ ſaltem per præceptum poteſt obligare pœnitentem ad impoſitam pœnam ſolvendam.

Contra vel diſting. ant. tenetur obedire in iis, quæ judex poteſt præcipere, conc. in aliis, neg. judex autem Confeſſionis non poteſt præcipere, niſi pœnam aliquam ſolvendam ſive hîc, ſive in alia vita, non verò determinatè in

in hac vita. Et ſic diſting. conſeq. habet vim coactivam indeterminatè ad unam pœnam, conc. determinatè ad unam, neg. conſeq. vel aliter diſting. ant. tenetur obedire reus, ſi non eſt locus appellationi; conc. ſi eſt talis locus, ut in noſtro caſu, neg. ant. nam quamvis judicium pœnitentiale ſit ſupremum tribunal, & idem cum divino quoad ſententiam culpæ, non tamen eſt ſupremum quoad pœnam hic infligendam.

20 Dices: Trid. Seſſ. 14. c. 8. præcipit Confeſſariis, ut injuogant condignas ſatisfactiones, quæ ſint in caſtigationem peccatorum præteritorum, & in præſervationem futurorum: ergo etiam ponit in pœnitentibus obligationem ſuſcipiendi pœnitentiam; aliàs, ſi in his non eſſet obligatio ſuſcipiendi, nec in illis poſſet eſſe obligatio imponendi.

Contra dicit Pontius: quòd Concilium ſit iotelligendum de pœna præſervativa, quæ debet imponi à Confeſſariis, non verò de pœna ſatisfactoria pro pœna temporali; ſed hoc non placet; cùm Concilium, ut patet ex ejus claris verbis, utramque pœnam præcipiat imponere; & ideo non eſt major ratio, cur unam Confeſſarii deberent neceſſariò imponere, & reus exequi, cur non & alteram. Imò pœnitentiale judicium plùs judicat peccata commiſſa & eorum ſatisfactiones, quàm præſervationem à futuro lapſu, quod potiùs eſt officium medici, & ſic magis ordinatè deberet præcipere pœnam ſatisfactoriam, quàm præſervativam imponere. Hinc alter dico: vel Concilium loqui in praxi ordinaria, ubi pœnitentes ſe ſubjiciunt quoad omnia ipſis Sacerdotibus, & ibi præcipit, ut impooant pœnitentias, ne alias pœnitentes ſint nimis liberi ad plura peccata, ſi nulla pœnitentia imponeretur, & ſic Confeſſarii fierent participes illorum peccatorum. Vel dico: Concilium loqui io ordine ad Confeſſarios ipſis præcipiendo, ut ex parte ſua imponant pœnitentias relaxando tamen iterum eam, ſi pœnitens oon acceptaret illam, ſed aliam in purgatorio. Vel tandem dico: Concilium manere in ſuo vigore, quia Confeſſarius adhuc debet pœnitenti prononciare, & ei imponere pœnam purgatorii, ſi illam hujus vitæ non velit acceptare; unde conſultò dicit Concilium, quòd Confeſſarii ſecundùm conditiones, ſtatum & diſpoſitionem pœnitentis iojungant ſatisfactiones proportionatas, adeóque cùm talis pœoitens ſit ita diſpoſitus, & talis conditionis, quòd potiùs velit in purgatorio ſatisfacere, ſic Confeſſarius ſuo muneri ſatisfaciet, ſi illi etiam injuogat pœnam purgatorii.

QUÆSTIO II.

An ſatisfactio poſſit imponi ad placitum pœnitentis: & an pœnitens, vel alius Confeſſarius, ac quomodo poſſit illam commutare: & tandem an poſſit per alium impleri?

Advertendum eſt 1. quæſtionis primam partem debere decidi, ſi pœnitens ſe quoad omnia, nihil ſibi reſervando, ſubjicit Sacerdoti; nam ſi ſe non ſubjiceret quoad pœnam, uti quæſt. priori aſſert. 2. diximus, extra dubium eſſet, quòd Confeſſarius poſſit pœnitentiam injungere ſolùm ſub conſilio & placito pœnitentis; quia ſi planè nullam in hac vita poteſt acceptare pœnitens, ſic multò magis poſſet Confeſſarius illam ſaltem conſulere. 21

Advert. eſt 2. alteram quæſtionis partem non eſſe, quando ſatisfactio impoſita excedit facultatem pœnitentis, ſive ſit impoſita clave errante, ſive poſtea nova cauſa impediens ſuperveniat; nam in tali caſu, ubi impotentia eſt evidens, jure naturæ deobligatur pœnitens, ut nec loco illius aliam debeat aſſumere; ſi verò impotentia eſt dubia, à viro prudente poterit conſilium ſumere etiam extra confeſſionem narratis peccatis, & aliam aſſumere ſatisfactionem, non tamen tanquam ſacramentalem; igitur ſolùm manet difficultas: quando pœnitentia impoſita tam peccatis, quàm facultati pœnitentis eſt proportionata, ac proinde ad executionem obligat; ad quam difficultatem cùm plures aliæ difficultates accedant, eam per plures aſſertiones ſuccinctè decidemus. 22

Advert. 3. poſtremam quæſtionis partem non eſſe: an unus pro alio poſſit ſatisfacere, quantùm ad pœnam temporalem, ſimpliciter, & abſolutè loquendo de ſatisfactione; nam hoc fieri poſſe patet in animabus purgantibus, pro quibus ſatisfaciunt viatores per indulgentias & theſaurum ſpiritualem Eccleſiæ; igitur ſola difficultas eſt de ſatisfactione ſacramentali, præſertim in ſententia, ubi ſatisfactio ex opere operato dicitur remittere pœnam; cùm clavis Sacerdotis ſolùm pœnitentem ligare poſſit, ut eſt reus, & ideò non alium, etiamſi talis ſe voluntariè offerat; imò talis modus caſtigandi peccatum nec videretur conveniens huic Sacramento. His ergo notatis 23

Aſſero 1. *Probabiliter poteſt Confeſſarius pœnitentiam imponere omnino liberè faciendam arbitrio pœnitentis, & per modum conſilii.* Eſt Henriquez, Suarez, Bonacinæ & aliorum contra plurimos alios. 24

Probatur: Sacerdos tali pacto imponens pœnitentiam adhuc ligat & ſolvit: ergo ſatisfacit ſuo muneri & obligationi. Ant. prob. ligat, quatenus neceſſitatem hujus pœnitentiæ imponit non ſimpliciter, ſed ad hunc finem conſequendi ex opere operato ſcilicet remiſſio-

ſionem pœnæ, quaſi ſub forma conditionata: ſi tale opus feceris, ſerviat tibi in ſatisfactionem; ſolvit autem, quatenus faciendi talem pœnitentiam commutat pœnam purgatorii in faciliorem pœnam, quam per ſe, & ſine virtute clavium eſſet neceſſaria.

25 Objicies: Cùm judex habeat vim obligandi reum, quando ſe ei ſubmittit quoad omnia, tenetur ſententiam condemnativam & ligativam ex juſtitia ferre; ſed per pœnitentiam per modum conſilii impoſitam non ligat: ergo. Min. prob. non ligatur pœnitens, quando eodem modo manet liber, ſicut ante; ſed ſi ſolùm ad placitum pœnitentis injungitur pœnitentia, poteſt eam liberè non perſolvere, ſicut ante: ergo.

Reſp. neg. min. ad prob. diſting. maj. non ligatur, quando manet liber ſicut antè tam abſolutè, quam conditionatè, conc. quando ſolùm manet liber abſolutè, non tamen conditionatè, ſi ſcilicet velit habere effectum ex opere operato remiſſionis pœnæ correſpondentis ſatisfactioni, neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq.

26 Aſſero 2. *Nec licitè, nec validè poteſt pœnitens propria authoritate pœnitentiam à Confeſſario impoſitam commutare in opus etiam evidenter melius, benè tamen poſſet hoc pœnitens cum facultate Confeſſarii.* Eſt Sanchez, Amici, Brancati noſtri contra Dianam & alios.

Probatur 1. pars: Tum quia non poteſt ſubditus quidquam in præceptis ſuperiorum immutare: ſic non poteſt ſubſtituere loco jejunii à Pontifice præcepti eleemoſynam centum aureorum pro obtinenda indulgentia: ergo neque loco injunctæ & præceptæ pœnitentiæ aliud opus pro remiſſione pœnæ obtinenda ſubſtituere. Tum quia nequit pœnitentia eſſe pars Sacramenti, niſi ex virtute clavium procedat; nam ſic nec contritio, nec confeſſio eſſet pars ſacramentalis, niſi ſacerdotalis abſolutio accederet, & eas elevaret ad rationem Sacramenti; ſed pœnitentia ex ſola pœnitentis authoritate commutata nec mediatè nec immediatè ex virtute clavium procederet: ergo non poteſt commutari ad Sacramentum integrandum propria authoritate pœnitentis.

27 Probatur 2. pars: pœnitentia ab ipſomet pœnitente facultatem petente à Confeſſario, ut ipſe ſibi pœnitentiam eligat peccatis proportionatam, taxata eamdem vim haberet, quàm ſi ab ipſo Confeſſario eſſet impoſita; nam mediatè ſaltem ex virtute clavium procederet, cùm earum virtute in tali caſu eſſet à pœnitente electa: ergo hoc modo poſſet pœnitens eam commutare.

28 Objicies: in præfato caſu partis primæ licitum eſt mentem Confeſſarii interpretari, qui ſi rogatus fuiſſet à pœnitente parato aliud opus evidenter melius in ſatisfactionem aſſumere, utique conceſſiſſet: ergo &c. item qui dat largiorem ſolutionem, quàm debet ex lege, non ſolvit, ſed largiùs implet legem; ergo.

Reſp. ad 1. neg. aſſumptum; nam inepta eſt talis interpretatio, poſtquam Confeſſarius alicui certo operi indidit vim ſacramentalem & vinculum obligationis, ut id poſſit pœnitens immutare; cùm non poſſit ſacramentaliter opera ſua elevare, aut in ſeipſum actum judicialem exercere. Unde ad 2. diſting. ant. ſi dat largiorem ſolutionem ſupra id, quod lege taxatur, conc. ſi id, quod taxatum eſt, permutet, neg. ant. tandem de voto, quod vovens ipſe mutare poteſt in melius, diſparitas eſt; quia votum pendet à ſola voluntate voventis, & ſic vovens ſine læſione juris alterius poteſt immutare: pœnitens verò immutando pœnitentiam læderet jus & præceptum Confeſſarii, cujus ſolius virtute illud opus elevari poteſt ad partem ſacramentalem.

Aſſero 3. *Satisfactio æqualis, & conveniens ab uno Confeſſario impoſita ab alio Confeſſario æqualis vel minoris authoritatis mutari ſine urgente ratione non poteſt, nec in meliorem, nec in mitiorem.* Eſt Vaſquez, & Ledeſmæ contra Navarrum, Amicum & plurimos alios. 29

Probatur: Tum quia par in parem non habet imperium, ſic in foro externo nequit unus judex, niſi ſit Superior, mutare ſententiam alterius, & hoc per modum appellationis, vel recurſûs, quod non eſt in præſenti caſu: ergo. Tum quia ex tali commutatione irrogaretur injuria priori Confeſſario, cujus ſententia à poſteriori revocatur, & irritaretur. Tum quia ſic maneret mutilum & imperfectum prius Sacramentum, quia illi deeſſet pars integralis ſatisfactionis à priori Confeſſario injunctæ, cujus obligationem ſuſtulit ſecundus: ergo.

Objicies: Pœnitens habet jus peccata uni confeſſa alteri iterum confitendi: ergo quivis legitimus Confeſſarius poteſt illa peccata judicare, & condignè punire, per conſequens, cùm pœnitens non teneatur de iiſdem peccatis duplicem ſubire pœnitentiam, benè poterit relictâ prioris judicis pœnitentiâ exequi pœnitentiam poſterioris. 30

Reſp. diſting. ant. habet jus alteri confitendi ſine præjudicio ſententiæ prioris, cui ſe ſemel ſponte ſubjecit, & ſe obligavit, conc. cum præjudicio ſententiæ prioris, quam vellet ut juſtè latam revocatam, & immutatam, neg. ant. & ſic diſtincto conſequenti nego conſeq. hinc licèt pœnitens non teneatur ſubire duplicem pœnitentiam, ſi ſe non vult ſubjicere, vel antequam ſe ſubjiciat etiam ſecundo Confeſſario, tenebitur tamen, poſtquam ſe duobus ſponte ſubjecerit; nam licèt contractus ab initio ſint libertatis, poſtea tamen fiunt neceſſitatis.

Aſſero 4. *Satisfactio dubiè æqualis, quando ſecundus Confeſſarius illam immutat, debet peccata denuo audire & abſolvere.* Eſt Suarez, 31

Digitized by Google

rez, Amici, & plurimorum contra Navarrum, Dianam & alios.

Probatur: Tum quia non poteſt judex juriſdictionem exercere, niſi in ſuo foro & tribunali, & non poteſt ferre ſententiam, niſi cognitâ cauſâ: ergo ſecundus Confeſſarius non poteſt exercere actum immutationis pœnitentiæ, niſi in actuali exercitio Sacramenti, quando reus de novo defert ſua peccata, quæ ſi Confeſſarius ignorat, jam non haberet cauſam perſpectam. Tum quia ejusdem poteſtatis eſt imponere, ac tollere pœnitentiam; ſed non imponitur pœnitentia extra Sacramentum: ergo nec tolli poteſt per commotationem, niſi media confeſſione ſacramentali.

32 Objicies: Secundus Confeſſarius eandem habet authoritatem quàm primus: ergo ſi ſolùm ſe ſubdit illi pœnitens quoad pœnitentiam immutandam, hic poterit ſine nova confeſſione immutare.

Reſp. neg. conſeq. quia licèt ſecundus Confeſſarius habeat eandem authoritatem, quam primus, hoc tamen non ſufficit, ſed etiam debet habere ejusdem cauſæ cognitionem: & pœnitens debet illi ſuum ſtatum aperire, ut poſſit etiam juſtam ſententiam, & debitam pœnitentiam imponere de illis peccatis, de quibus prior Confeſſarius inæqualem cenſetur impoſuiſſe pœnitentiam. Nec etiam refert, quòd ſecundus Confeſſarius ſit Superior v. g. Epiſcopus, Prælatus &c. nam ad hoc nihil refert ejus ſuperioritas, quia etiam in tali dignitate debent ſervari, quæ ad Sacramentum ſpectant; quare ſicut non poteſt abſolvere peccata, niſi audita, ita etiam non poterit ea punire ſacramentali pœnitentiâ. Interim tamen idem Confeſſarius datam pœnitentiam poſſet immutare ſine nova auditione, quæ immutatio tamen non eſſet omnino extra Sacramentum, quia eſſet actus & complementum, vel modificatio prioris judicii ſacramentalis; ſicut enim ab initio poterat imponi pœnitentia poſt abſolutionem, ut ab omnibus conceditur, ita etiam poterit mutari ſeu modificari conſentiente aut inſtante eodem pœnitente; nihilominùs tamen requiritur in ipſo Confeſſario memoria ſaltem confuſa priorum peccatorum, ut tanquam judex procedat cum cognitione cauſæ, licèt etiam multum temporis intercedat, contra Megalam, qui mediam horam, contra Dianam, qui triduum, contra Henriquez, qui ſeptimanam intercedere permittunt. Imò etiamſi interea ſuſpiret facultas Confeſſarii, ut tenet Averſa.

33 Aſſero 5. *Pœnitens tenetur per ſe implere pœnitentiam injunctam, ita, ut neque ſua authoritate ſibi alium ad eam faciendam ſubſtituere poſſit: nec etiam authoritate Sacerdotis.* Eſt Vaſquez, Amici, Bonacinæ contra Suarez, Dianam & plures Recentiores.

Probatur 1. pars: Pœnitens non poteſt propria authoritate mutare pœnitentiam ſibi à Confeſſario injunctam, eámque in partem Sacramenti elevare; cùm hoc ſit proprium clavibus Sacerdotum: ergo non poteſt ſibi alium ſubſtituere ad perficiendam pœnitententiam. Ant. patet ex paulò ante dicta aſſert. 2.

34 Probatur 2. pars ex Trid. ſæpe cit. materia Sacramenti pœnitentiæ ſtatuuntur tres actos ipſius pœnitentis: contritio, confeſſio & ſatisfactio, non autem alterius: ergo neque ex authoritate Sacerdotis poteſt pœnitens alium ſubſtituere. Tum quia hoc Sacramentum eſt per modum judicii vindicativi, & medicinalis, in quo reus debet puniri, & infirmus curari ſuſceptâ à ſe ipſo medicinâ, non autem ab alio, ut etiam patet de præcepto Miſſæ audiendæ, vel jejunii, quæ non poteſt unus pro alio adimplere; cùm requiratur actio perſonalis, quæ eſt præcepta: ergo. Tum quia ille ſolùm poteſt ſacramentaliter exequi pœnitentiam impoſitam, cui poteſt Sacerdos ſacramentaliter præcipere; ſed talis eſt ſolus pœnitens, & non alter; cùm ſuperioritas & clavis Sacerdotis ſe ſolùm ad pœnitentem extendat: ergo licèt pœnitentia ab alio adimpleta prodeſſet pœnitenti per modum operis operantis, non tamen per modum operis operati, uti hic inquirimus.

35 Objicies: Pœnitentia ſacramentalis ad duo ordinatur ſcilicet, ut ſit medicina peccatoris, & ut ſolutio cujusdam debiti: ergo licèt non poſſit ut medicina ab alio impleri, poterit tamen ut ſolutio debiti adimpleri; cùm unus poſſit pro alio ſolvere debitum.

Reſp. diſting. conſeq. poterit tamen ut ſolutio debiti adimpleri ex opere operantis, conc. ex opere operato, neg. conſeq. cùm enim Confeſſarius non poſſit pœnitentiam imponere, niſi ligando, & cùm non poſſit pœnitentem ligare ad opus alterius, ſequitur, quòd licèt unus pro alio poſſit ſatisfacere ex opere operantis, non tamen ex opere operato & ſacramentaliter; ſic poſſumus quidem aliquando pro vivis & defunctis ſatisfacere ex opere operantis, non tamen ſacramentaliter, ſicut nec unus pro alio poteſt ſacramentaliter confiteri, aut conteri; nam licèt poſſit quis ſacramentaliter confiteri per interpretem, talis tamen Confeſſio ſolùm fit principaliter à pœnitente, & inſtrumentaliter ab interprete, quod dici non poteſt de ſatisfactione per alium, cùm potiùs hic alius principaliter ſatisfaceret.

Dices: hoc ipſo, quòd pœnitentia adimpleatur ab alio ex conſenſu pœnitentis, fit actus ipſius pœnitentis: ergo fit apta materia hujus Sacramenti, ſicut eleemoſyna facta per famulum ex conſenſu domini, cenſetur actus ipſius domini.

Contra neg. ant. nam conſenſus eſt quidem actus pœnitentis, non verò pœnitentia ab alio impleta, ut eſt orare, jejunare &c. nec valet paritas de eleemoſyna per famulum facta;

hæc

hæc enim fit principaliter à domino, & inſtrumentaliter à famulo; cùm illam eroget ex bonis domini, non verò ex propriis. Aliud autem eſſet, ſi Sacerdos injungeret pœnitenti, ut procuret v. g. peregrinationem, vel tot Miſſas ab alio; nam tunc talis conſenſus & procuratio eſſet opus injunctum, & valeret ex opere operato Sacramenti pœnitentiæ; peregrinatio autem ſolùm valebit ex opere operantis, Miſſæ tamen etiam valebunt ei ex opere operato, non tamen operato à Sacramento pœnitentiæ, & virtute clavium, ſed operato ab alio Sacramento v. g. ſacrificio Miſſæ.

36 Aſſero 6. *Per indulgentias non compenſatur, & tollitur obligatio adimplendi ſatisfactionem Sacramentalem, ità, ut homo eximatur à debito eam exequendi, etiamſi per indulgentias pœna temporalis in purgatorio luenda totaliter remittatur.* Eſt Averſæ contra Lugonem & alios.

Probatur: tum quia pœnitentia Sacramentalis non ſolùm imponitur ob utilitatem pœnitentis ad remiſſionem pœnæ debitæ pro peccato remiſſo, ſed etiam ob cultum DEI, & ſatiafactionem quandam juſtitiæ divinæ: ergo debebit illam pœnitens adimplere ex juſto præcepto Confeſſarii tanquam legitimi judicia habentis facultatem ſic ligandi; nam condonatâ pœnâ unius generis à Principe non propterea ceſſat obligatio adimplendi aliquam alterius generis impoſitam à legitimo judice. Tum quia etiam ipſi Pontifices in pleniſſimis Jubilæis expreſſè declarant, ut abſolutè omnibus etiam indulgentias lucraturis ſalutares & congruæ imponantur pœnitentiæ in peccatorum punitionem, & non ſub conditione, ut ſi indulgentiam lucrentur faciendo opera à Pontifice requiſita ab obligatione injunctæ pœnitentiæ eximantur: ergo agnoſcunt Pontifices Indulgentias ſolùm valere pro ſatisfactione Sacramentali, quantùm ad effectum condonandi pœnam alterius vitæ in purgatorio, non autem quantùm ad obligationem tollendam implendi pœnitentiam à Confeſſario injunctam, & aliqualem pœnam etiam in hac vita luendi ob cultum DEI, & ſatisfactionem divinæ juſtitiæ.

Addo: neque cum noſtro Pontio, & aliis faciendam eſſe talem limitationem: quòd ſcilicet per Indulgentias non liberetur pœnitens ab obligatione pœnitentiæ impoſitæ, quatenus imponitur pro medicina ad præſervandum à peccato, benè tamen ab obligatione ſolutionis pœnæ debitæ temporalis pro peccato præterito; ut ſi luxurioſo ſit injunctum jejunium pro remedio, & præſervatione peccatorum, pœnitens non ſatisfaceret ſuſcipiendo Indulgentiam plenariam; cùm Indulgentia non ita inſerviat ad præſervandum ab hoc peccato, ſicut jejunium. Non, inquam, talis facienda eſt limitatio; nam hæc valde obſcuram & perplexam reddit obligationem pœnitentiæ injunctæ: tum quia non ſatis conſtare poteſt, quandonam pœnitentia ſit injuncta in medicinam, vel in vindictam; cùm nec opus ſeipſum, nec Confeſſarii id declarare ſoleant. Tum quia non poteſt imponi, aut remanere obligatio adimplendi pœnitentiam præciſè ſub ratione medicinæ abſque ratione punitionis; nam hæc duo ſunt neceſſariò connexa, cùm Confeſſarius præbeat medicinam pœnitenti illum plectendo ob peccata commiſſa, & ſic remota obligatione ſubeundi pœnam nec manebit ex præcepto Confeſſarii obligatio ſumendi talem medicinam. 37

Hæc de Sacramento pœnitentiæ dicta ſufficiant.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

DISTINCTIO XVI.

De Eſſentia, ritu, & effectibus extremæ unctionis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit extrema unctio, ejúſque materia & forma?

1 ADvert. eſt, per extremam unctionem nos intelligere unctionem olei benedicti, quæ infirmo in extremis conſtituto adjunctis quibuſdam precibus à Sacerdote confertur, quæ unctio extrema licèt vi nominis ultimo loco de Sacramentis tradi deſideraret, quia tamen hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad delendas peccatorum reliquias, ut Sacramenti pœnitentiæ complementum vocetur à SS. PP. ideo non immeritò intuitu connexionis hujus Sacramenti cum præcedenti pœnitentiæ immediatè poſt hoc de illo agemus, & quidem tam ſuccinctè, quàm poterimus plura relinquentes Theologiæ morali. Hinc

2 Aſſero 1. *Extrema unctio eſt proprium legis novæ Sacramentum, immediatè à Chriſto inſtitutum, probabiliter poſt reſurrectionem ſuam: & definiri poteſt: quòd ſit unctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis, cum oleo conſecrato ab Epiſcopo miniſtrata à Sacerdote ſimul verba certa*

cum intentione debita proferente, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans curationem finalem venialium. Eſt Scoti in 4. D. 23. q. un. §. *hic ſunt duo.* & §. *de ſecunda concluſione.* quoad 1. partem eſt contra hæreticos: quoad reliqua contra quoſdam antiquos Scholaſticos.

Probatur 1. pars: tum quia fides docet ex Scripturis & Conciliis extremam unctionem eſſe proprium legis novæ Sacramentum: ergo ita eſt. Ant. prob. ex Scriptura Jacobi 5. *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quæ verba etiam affert Trid. Seſſ. 14. c. 1. de extrema unctione. Sed hæc verba continent omnia, quæ ad eſſentiam veri Sacramenti ſunt neceſſaria: ergo. Min. prob. primò continent ritum ſeu cæremoniam externam ſenſibilem, materiâ & formâ conſtantem, ſcilicet unctione olei, & oratione Sacerdotis. Secundò indicant miniſtrum ſcilicet Sacerdotem. Tertiò ſubjectum capax, ſcilicet fidelem infirmum ita, ut unctio homini ſano collata ſit invalida, ſicut ordinatio collata fœminæ, & hoc ex fine inſtitutionis Chriſti. Quartò effectum ſeu gratiam Sacramentalem per alleviationem infirmi & peccatorum remiſſionem ex efficacia unctionis & orationis fidei ex præſcripto Chriſti, qui potiſſimùm per ſua miracula ſalutem animæ intendebat; nullus enim fuit, quem Chriſtus ſanavit in corpore, & non etiam ſanâſſet in anima, ut patet ex illo infirmo in probatica piſcina à Chriſto ſanato Joan. 5. ergo. Tum quia ratio ſuadet: DEUS enim non minùs providet fidelibus ſuis in majori neceſſitate, quàm in minori; ſed maxima neceſſitas eſt in exitu vitæ, qui multis de cauſis eſt hominibus formidabilis, tum ob malæ vitæ conſcientiam, tum ob divini judicii timorem, tum ob dæmonis tentationes, quæ eo tempore acriùs urgent: ergo ſicut DEUS providit de Sacramento auxiliante in principio vitæ ſcilicet baptiſmo, in medio vitæ de pœnitentia, ita multò magis in fine vitæ providit, & providere debuit de Sacramento auxiliante, quò conſolarentur, & in majorem ſpem erigerentur fideles in mortis periculo conſtituti.

3 Probatur 2. pars: tum quia id fides docet ex Trid. Seſſ. 14. c. 1. de extrema unctione dicente: *inſtituta eſt hæc ſacra unctio infirmorum tanquam verum Sacramentum novi teſtamenti à Chriſto Domino apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum fidelibus promulgatum, & commendatum.* Et quamvis Concilium non utatur hâc particulâ *immediatè*, ſatis tamen apertè id colligitur eò, quòd dicat fuiſſe à beato Jacobo ſolùm promulgatum; & ideo non ab illo, ſed à Chriſto inſtitutum. Tum quia inſtituere ſymbolum peccatorum remiſſivum eſt DEI proprium; cùm ipſe ſolus ſit cauſa principalis remittens peccata, & infundens gratiam, ut de Sacramentis in genere traditur: ergo Chriſtus immediatè Sacramentum extremæ unctionis inſtituit. Tum quia nec decuit alicui Apoſtolo concedere facultatem inſtituendi aliquod ſignum, ad quod applicatum vellet DEUS dare gratiam; nam nec hoc factum eſt in aliis Sacramentis. Nec ullus alius, quàm ſolus Chriſtus eſt immediatus fundator Eccleſiæ. Et ita nec alius, quàm Chriſtus deberet eſſe auctor Sacramentorum. Imò nulla eſt congruentia, cur talis facultas potiùs Jacobo demandata fuiſſet, quàm Petro capiti Eccleſiæ: ergo.

Probatur 3. pars: Sacramentum extremæ unctionis ſupponit in miniſtro poteſtatem dimittendi peccata, & in ejus materia benedictionem Epiſcopalem; ſed talem poteſtatem Chriſtus ſuis Apoſtolis contulit ſolùm poſt ſuam reſurrectionem Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata &c.* ut dicit Scotus in 4. D. 24. q. un. §. *circa quæſtionem*: ergo antè hoc tempus non fuit inſtitutum Sacramentum unctionis. Hinc ulterius cùm etiam SS. PP. & Trid. cit. dicant hoc Sacramentum eſſe Sacramenti pœnitentiæ conſummativum, ac veluti ejus complementum, ſatis probabile eſt unà cum illo, & conſequenter ad illud complendum fuiſſe inſtitutum. 4

Probatur 4. pars: illa definitio explicat omnia ad hoc Sacramentum requiſita: ergo. Ant. prob. explicat 1. materiam remotam, quæ eſt oleum olivæ ſimplex ab Epiſcopo benedictum, ut paulò poſt dicemus. 2. Materiam proximam, quæ eſt unctio in determinatis corporis partibus. 3. Formam, quæ ſunt orationes cum debita intentione Sacerdotis. 4. Subjectum capax, ſcilicet hominem pœnitentem infirmum; unde dicit Scotus cit. *ideo non debet conferri ſano, nec qualitercunque expoſito periculo mortis, quia non ei, cui imminet mors ex periculo extrinſeca violentia, ut armorum, vel ſubmerſionis, vel hujuſmodi, neque qualitercunque infirmo, ſed periculosè ita, quòd probabiliter immineat ſibi exitus de ſtatu viæ ad terminum.* 5. Partes corporis, in quibus hoc Sacramentum ſuſcipi debet, quæ ſunt organa potentiarum vitalium. 6. Vim & effectum hujus Sacramenti, qui eſt curatio & remiſſio finalis venialium, de quibus omnibus plura in ſequentibus. 5

Objicies contra 1. partem: effectus Sacramentalis non pendet à fide Miniſtri; nam etſi hic ſit infidelis, Sacramentum tamen ſortietur ſuum effectum, modò intentionem habeat faciendi, quod Chriſtus fecit; ſed hæc unctio ex Epiſtola Jacobi cit. requirit fidem miniſtri, & oratio fidei ſalvabit infirmum: ergo non eſt proprium Sacramentum. 6

Reſp. neg. min. nam illa oratio fidei facit ſen-

ſenſum de fide Eccleſiæ & Chriſti, in cujus fide Sacramenta adminiſtrantur: & ideo per illa verba non debet intelligi fides miniſtri ſubjectiva, ſed objectiva, quia nimirum oratio adhibita à miniſtro ad hoc Sacramentum continet verbum DEI, & myſterium fidei, quod ſaltem objectivè debet miniſter in mente præhabere.

7 Dices: ſi hæc unctio eſſet Sacramentum, infallibiliter haberet ſuum effectum; ſed non habet: ergo. Maj. per ſe patet de Sacramentis in genere. Min. prob. illa unctio ponitur cauſativa ſalutis tam animæ, quàm corporis; ſed non ponit infallibiliter ſalutem corporis; cùm plurimi non convaleſcant ex hoc Sacramento: ergo.

Contra diſting. maj. haberet infallibiliter ſuum effectum primarium & certum, conc. ſecundarium & incertum, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. nam hæc unctio habet duplicem effectum ſcilicet principalem & certum, ut conferre gratiam, & dimittere finaliter venialia, niſi infirmus ponat obicem. Et ſecundarium, ac non ita certum, qui non ſemper confertur, ſed prout expedit infirmo, ut eſt ſalus corporis, quod non officit, quin illa unctio ſit proprium Sacramentum, quod à Conciliis dicitur abſolutè cauſativum ſalutis animæ; corporis verò ſub conditione, ſi nimirum fuerit expediens ſaluti animæ. Ordinat enim DEUS ſalutem corporis ad ſalutem animæ.

Dices: eisdem verbis promittitur ſalus animæ & corporis: ergo ſi una non confertur infallibiliter, nec etiam altera.

Contra diſting. ant. eisdem verbis eodem modo ab Eccleſia de utraque ſalute intellectis, neg. diverſimodè de utraque ab Eccleſia intellectis, conc. ant. nam cùm diverſa ſit ratio de corporis ſalute, quæ non ſemper infirmo expedit, ſicut ſalus animæ; ideo illa verba ſub conditione tacitè ſubintellecta rationabiliter Eccleſia intelligit de ſalute corporis, de ſalute verò animæ ea abſolutè & ſimpliciter intelligit.

8 Objicies contra 2. partem: apud nullum Evangeliſtam legitur hujus Sacramenti inſtitutio; ſed non videtur probabile, nullum Evangeliſtam feciſſe mentionem, ſi à Chriſto fuiſſet inſtitutum; cùm de aliis Sacramentis faciant mentionem: ergo non à Chriſto immediatè, ſed potiùs ab Apoſtolis fuit inſtitutum.

Reſp. neg. min. nam quòd Evangeliſtæ non fecerint diſtinctam & expreſſam mentionem, ideo fuit, quia illi erant ſolliciti in iis Sacramentis recenſendis, quæ ad ſalutis neceſſitatem pertinent, & ad Eccleſiæ diſpoſitionem, ejusque à reliquis ſectis diſtinctionem; hoc autem Sacramentum non eſt neceſſarium ad ſalutem, ſicut neque confirmatio. Imò neque materia & forma Sacramenti ordinis habentur diſtinctè apud Evangeliſtas, & tamen tanquam à Chriſto inſtitutæ acceptantur ab Eccleſia per perpetuam traditionem, ſic etiam eſt de Sacramento unctionis apud Græcos & Latinos ſemper habitæ pro Sacramento; nam Chriſtus poſt reſurrectionem 40. diebus apparuit diſcipulis, & multa eos docuit ad gubernationem Eccleſiæ, quæ tamen non ſunt ſcripta ab Apoſtolis, ut etiam eſt de unctione, quam tamen adhuc ſcripto promulgavit Jacobus.

Objicies contra 3. partem: Scotus in 4. D. 2. q. 1. §. *ſecunda concluſio*: expreſsè docet extremam unctionem ante reſurrectionem Chriſti fuiſſe inſtitutam à Chriſto dicens: *legimus enim Marci 6. quòd Apoſtoli ungebant multos infirmos, & ſanabantur*; ſed Apoſtoli illa faciebant, ut ibi patet, Chriſto adhuc vivente: ergo fuit inſtitutum hoc Sacramentum ante reſurrectionem Chriſti. 9

Reſp. Scotum ibi ſolùm docere hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum; de tempore autem, quando ſit inſtitutum nihil dicit. Imo potiùs in loco allegat. cit. inclinat ad tempus poſt reſurrectionem; cùm nullum alium textum afferat ad probationem inſtitutionis hujus à Chriſto, quàm locum Jacobi; quòd autem in loco objectionis cit. afferat locum Marci, loquitur ſolùm in aliorum probabili ſententia, vel tantùm de inſtitutione inſinuativa ſeu adumbrativa, non verò de formali & Sacramentali, quæ primò facta eſt tunc, quando inſtitutum eſt pœnitentiæ Sacramentum; nam ſic etiam loquitur Trid. cit. *hoc Sacramentum apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum verò promulgatum*; dicitur autem inſinuari, quod non expreſſè proponitur, ſed ſolùm adumbratur, & præfiguratur, ſicut Sacramentum baptiſmi dicitur inſinuatum in baptiſmo Joannis, qui tamen adhuc non fuit Sacramentalis, ſed ſolùm umbra ejus; quòd autem hoc ſit intelligendum de unctione apud Marcum, patet, quia Sacramentum unctionis non niſi à Sacerdotibus conferri poteſt; ſed Apoſtoli, quando apud Marcum ungebant, licèt ex præſcripto Chriſti, nondum erant Sacerdotes, cùm tales primò ſint facti in cœna Domini, ut docet Trid. Seſſ. 22. c. 1. & ungebant non tantùm infirmos in articulo mortis, ſed etiam quoscunque alios cæcos & claudos, quod ſignum eſt illam unctionem non fuiſſe Sacramentalem, ſed diverſam à moderna S. Jacobi, qui expreſsè dicit illam actionem debere eſſe à Presbyteris juxta illud: *inducat Presbyteros Eccleſiæ*, & eſſe expiationem à peccatis, quod alteri unctioni apud Marcum non conveniebat, quæ ſolùm principaliter deſerviebat ad ſanandos infirmos diſponendo eos ad credendam Chriſti doctrinam; cùm in eo loco nulla fiat mentio efficaciæ Sacramentalis, ſed ſolùm curationis corporalis, quæ ordinata erat ad effectum fidei confirmandæ, vel ampleſten-

ctendæ. Nec poteſt dici: Chriſtum tunc diſpenſaſſe cum Apoſtolis, ut etiam oon Sacerdotes potuerint hoc Sacramentum miniſtrare; oam hoc dicere non videtur conveniens, quia tale Sacramentum non eſt neceſſarium ad ſalutem; & ideo non videtur ratio, cur Chriſtus debuiſſet diſpenſare in tali Sacramento.

10 Objicies contra 4. partem: illa definitio non eſt data per genus & differentiam: ergo non eſt bene aſſignata.

Reſp. tranamittendo ant. neg. conſeq. nam licèt rigoroſa definitio, quæ dicitur quidditativa per genus tantùm & differentiam ſit danda: aliæ tamen definitiooes, quæ quietativæ dicuntur, & potiùs ſunt deſcriptiones, dari poſſunt per cauſas & effectus, & alia, quæ magis naturam definiti explicare poſſunt, qualia definitio potiſſimùm datur de relativis, cùm de illis non poſſit dari aliqua una ſpecies, niſi exprimatur fundamentum & terminus.

11 Aſſero 2. *Materia remota hujus Sacramenti eſt oleum oliva, & quidem ab Epiſcopo benedictum, proxima verò eſt ipſa unctio.* Eſt Scoti aſſert. 1. cit.

Probatur 1. pars: ex Trid. Seſſ. 14. c. 1. de Sacramento extremæ unctionis. Et ex Jacobi 5. *ungentes eum oleo* &c. intelligitur oleum commune, & uſuale, quod ſolùm eſt olivarum, ſicut quando dicitur materia baptiſmi eſſe aquam, iotelligitur elementaris, & ſic de cæteris Sacramentorum materiis: ergo. Hinc patet ſimplex oleum ſine admixtione alterius liquoris eſſe idoneam materiam hujus Sacramenti. Quamvis autem aliqui PP. ejus materiam dicant eſſe chriſma, per hoc ſolùm intelligunt ſimplicem unctionem, quæ Græcè Chriſma dicitur; interim tamen, licèt ſine gravi peccato non poſſit ei alius liquor v. g. balſamus admiſceri, ſi admiſceretur tamen, non redderetur Sacramentum irritum, dummodo oleum adhuc in ſubſtantia ſua maneat; ideo quando PP. ſolum oleum requirunt, & dicunt eſſe materiam diverſam à chriſmate, tantummodo loquuntur: per ſe ad hoc Sacramentum ſufficere oleum ſimpliciter, nec eſſe neceſſariam admixtionem balſami, & per hoc differre hoc Sacramentum à confirmatiooe.

12 Probatur 2. pars: materia Sacramenti, præſertim alicujus non neceſſarii, debet eſſe ſacra: ergo debet ab Epiſcopo eſſe benedictum illud oleum. Conſeq. patet ex diſparitate ad baptiſmum; oam communiter in Sacramentis conſiſtentibus in uſu ſolus baptiſmus non requirit materiam conſecratam ſpecialiter, quia Chriſtus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis baptizatæ à Joanne totam aquam conſecravit, hoc eſt, in iſtum uſum dedicavit. Sic etiam in Euchariſtia accipiens panem in manus ſuas dedicavit omnem panem & vinum pro ejus materia, nec alia priùs indiguit benedictione; quæ enim major benedictio, quàm uniri eius corpori. Alia verò Sacramenta, quæ habent pro materia aliquod corporale, ut unctiones, requirunt conſecrationem ab Epiſcopo. Tum quia cùm baptiſmus ſit Sacramentum adeo neceſſarium, expediebat ejus materiam eſſe valde ſimplicem & facilem; cùm verò Sacramentum unctionis, & confirmationis non ſint adeò neceſſaria, ad reverentiam & decorem hujus Sacramenti, & ad majorem aptitudinem in ſignificando expediebat ejus materiam eſſe priùs benedictam.

13 Probatur 3. pars: hoc Sacramentum non eſt eſſentialiter oleum ipſum, ſed unctio per ipſum, ſicut baptiſmus non eſt aqua, ſed ablutio per illam: ergo materia proxima eſt unctio, quia unctio eſt ſignum valde conveniens ſignato ſeu effectui hujus Sacramenti; ſicut enim unctio exterior fit ad morbum aliquem curandum, ita hæc unctio Sacramentalis ſignificat curationem animæ interiorem à culpis venialibus; ſed materia proxima eſt, quæ effectum Sacramentalem cauſat: ergo cum unctio illum cauſet, erit materia proxima Sacramenti hujus. Nec unctio ſolummodo dici poteſt applicatio materiæ, ſicut nec in aliis Sacramentis v. g. ablutio vel traditio in ordinatione pro ſola applicatione habentur. Hia

14 Addo: de jure divino ſolum Epiſcopum poſſe ordinariè oleum benedicere, ut ſit apta materia hujus Sacramenti; ex delegatione tamen Summi Pontificis poſſet etiam ſimplici Sacerdoti hæc poteſtas committi, ut ſit miniſter extraordinarius. Ratio eſt à pari de benedicendo chriſmate, ubi communiter Scotiſtæ hanc poteſtatem ex delegatione Summi Pontificis etiam concedunt ſimplici Sacerdoti ex Scoto in 4. D. 7. q. 1. imò pro extrema unctione in Eccleſia Græca & antiqua conſuetudine Presbyteri conſecrabant hoc oleum, ut habetur ex Clemente VIII. in ſua inſtructiooe ad Epiſcopos Latinos de ritibus Græcorum Anno 1595. data, ut refert Petrus Arcudius in concordia l. 5. c. 2. & ideo ſaltem tacitè videtur defacto eſſe diſpenſatum à Pontifice Clemente cum Presbyteris Græcis.

15 Objicies contra 1. partem: ſi ſemel pro materia remota extremæ unctionis ſtatuitur oleum, non poteſt unquam apta materia eſſe oleum balſamo admixtum ſeu chriſma; alias etiam materia confirmationis poſſet eſſe oleum ſimpliciter benedictum: ergo vel oleum non ſolùm eſt ejus materia remota ſed etiam chriſma, vel nulla admixtio alterius liquoris unquam eſt admittenda.

Reſp. neg. ſequelam ant. & ejus rationem; diſparitatem dat Scotus: quia confirmatio eſt ad Confeſſionem & corroborationem fidei; & ideo in confirmato oon ſolùm requiritur puritas conſcientiæ ſignificata per oleum, ſed etiam odor bonæ famæ ſignificatus per balſamum, quem tenentur dare viventes exemplo bonorum operum. Aſt in eo, qui brevi habet

bet exire de via ad terminum ſufficit conſcientia pura, quam ſignificat oleum, uti declarant Concilia & SS. PP.

16 Objicies contra 2. partem: S. Jacobus ſolùm dicit: *ungentes eum oleô*. Non autem addit: benedictô: ergo hujus Sacramenti materia non eſt oleum benedictum præſertim ab Epiſcopo.

Reſp. diſting. ant. non addit benedictô explicitè, conc. non addit implicitè, neg. ant. nam licèt non habeatur evidenter ex Scriptura: oleum neceſſariò debere eſſe benedictum ad neceſſitatem Sacramenti; ſufficit tamen, quòd hoc habeatur ex Apoſtolica traditione, quam Concilia ſupponunt; ſicut nec omnium ordinum materia habetur ex Scriptura, ſed ex Apoſtolica traditione.

Dices: fons baptiſmalis licèt etiam benedicatur, non tamen dicitur aqua quà benedicta materia Sacramenti baptiſmi: ergo etiam licèt perpetua traditione oleum benedicatur, non tamen tanquam benedictum erit materia Sacramenti.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia illa benedictio, quæ fit in fonte baptiſmali, eſt ſolùm accidentalis, & Sacramentale quoddam ab Eccleſia ordinatum, & ideò poteſt ſeparari à baptiſmo: illa verò benedictio olei & chriſmatis eſt eſſentialis, & ideo ſeparari non poteſt; aliàs unctio non eſſet Sacramentum.

17 Aſſero 3. *Forma hujus Sacramenti ſunt verba: per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum, auditum &c. in rituali Romano expreſſa, ad validitatem tamen eſſentialiter requiſita ſunt ſolùm hæc: per iſtam ſanctam unctionem indulgeat, vel parcat tibi DEUS, quidquid peccaſti.* Eſt Scoti cit.

Probatur 1. pars: quia quamvis hæc forma ſub iſtis verbis præciſè non habeatur in Scriptura, habetur tamen in virtute ſub illis Jacobi verbis: *ſi quis infirmatur in vobis* &c. & ſic hoc de fide docet Trid. Seſſ. 14. c. 1. de extrema unctione: ergo.

18 Probatur 2. pars: illa ſpecificata verba ſufficienter explicant primarium effectum Sacramentalem, ut conſideranti patet: ergo illa ſolùm ſunt verba eſſentialia ad validitatem requiſita. Reliqua tamen verba omnia in hujus Sacramenti forma ex Eccleſiæ præſcripto appoſita, prout in rituali Romano habentur, diſtinctè ſunt proferenda neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici ita, ut aliquod omitti, vel mutari non poſſit ſine peccato.

QUÆSTIO II.

De ritu, unitate, effectibus, & adminiſtratione, ac reliquis ad hoc Sacramentum pertinentibus.

Aſſero 1. *Ritus hujus Sacramenti eſt, ut* 19
unctio fiat per modum crucis in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus & renibus. Quæ ultima in fœminis ob honeſtatem eſt omittenda; in partibus verò illis, quæ naturâ geminæ ſunt, duplex fieri debet v. g. una ſupra oculum dextrum, altera ſupra ſiniſtrum, & unica interim forma proferri ita, ut formæ prolatio incipiat, antequam prior unctio finiatur, nec deſinat, quin poſterior ſaltem inchoetur, ſi quis tamen in aliqua illarum parte mutilatus exiſtat, unctio in proximiori parte fieri debeat. In Sacerdote non debent inungi partes interiores manuum, cùm aliunde fuerit in ordinatione ibidem unctus, ſed partes exteriores ſeu ſuperiores. Ratio eſt ex rituali Romano.

Aſſero 2. *Simpliciter ad validitatem hujus* 20
Sacramenti non eſt neceſſe, ut fiat duplex unctio in geminis partibus, nec ut fiat per modum crucis, nec immediatè manu miniſtri. Ratio 1. eſt: quia in geminis partibus idem habetur ſenſus. Ratio 2. eſt: quia hoc Sacramentum non eſt ſpecialiter proteſtativum fidei, ſicut confirmatio. Unde ſufficit, ſi humano modo dicatur homo inungi. Ratio 3. eſt: quia in peſte poteſt fieri unctio mediante goſſipio, vel virga &c.

Aſſero 3. *In caſu neceſſitatis unica ſufficeret* 21
unctio, in quacunque corporis parte fiat, & ſub una tantùm forma omnes corporis ſenſus exprimente. Ratio eſt: quia non conſtat neceſſarium eſſe ad validitatem hujus Sacramenti, quòd omnes ſenſus in omni caſu inungantur, & illa unctio unica cum tali forma ſignificat ſufficienter effectum Sacramenti: ergo. Ant. patet: quia neque Scriptura, neque Concilia certum numerum unctionum pro materia hujus Sacramenti neceſſaria aſſignant, ſed tantùm ſic fieri præcipiunt regulariter. Imò Græcis permittitur fieri unctio in ſola facie per modum crucis, ut in fronte, genis & mento, prout unctionem omnium organorum ſenſus comprehendit. Imò rituale Paſſavienſe conſulit, ut tempore peſtis fiat dicendo: *per iſtam ſanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum* &c. quod idem dicendum eſſet, quando adverteretur infirmum priùs mori, quàm omnes partes diſtinctè abſolvantur. Tum quia in Sacramento pœnitentiæ non ſemper requiritur integritas materialis: ergo etiam nec in hoc Sacramento unctionis.

Objicies: in ſingulis ſpeciebus Euchari- 22
ſtiæ conſecrandis ad validitatem neceſſariæ ſunt

ſunt ſingulæ formæ ſingillatim prolatæ: ſic etiam in ſingulis ordinibus: ergo etiam in unctiona extrema.

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt: quia per diverſas formas partiales ordinis diverſæ poteſtates ſpirituales ſunt exprimendæ, & per ſpeciales formas Euchariſtiæ diſtincti termini exprimi debent, qui per ſe præſentea fiunt vi verborum; in Sacramento verò unctionis ſolùm exprimenda ſunt peccata, quæ per ſinguloa ſenſus ſunt commiſſa; hæc autem æquè bene poſſunt explicari per plures formas partiales ſingillatim prolatas, ac per unam ſolùm totalam illis pluribus æquivalentem. Cæterùm ſi in tali forma ſolùm fieret mentio unius ſensûs v. g. visûa, tunc forma non ſignificaret ſufficientem affectum, ad quem conferendum hoc Sacramentum eſt inſtitutum, qui eſt gratia remiſſiva peccatorum quinque ſenſuum, vel illis mediantibus patratorum.

23 Aſſero 4. *Hoc Sacramentum eſt unum unitate integritatis, non indiviſibilitatis.* Ratio eſt ex Scoto in 4. D. 23. q. un. *in ſolutione ad ſecundum.* ubi ſupponit ſingulas unctiones ſuoa habere partiales effectua, & remitti venialia, quæ per illum ſenſum commiſſa ſunt, & ſic etiam pœnam temporalem, quæ ratione illius ſensûs eſt debita: & ſicut quinque ſunt unctionea, quæ integrant unum totum Sacramentum, ita dantur quinque portiones gratiæ, quæ conſtituunt effectum adæquatum. Imò ſicut unum veniale poteſt remitti ſine alio, cùm compatiatur ſecum charitatem, ita poterunt per unctionem oculorum remitti venialia per oculos commiſſa, & non illa commiſſa per nares. Et ſic quælibet particularis unctio poterit dici Sacramentum partiale, cùm habeat materiam & formam, intentionem & effectum, ac reliqua requiſita ad Sacramentum.

24 Aſſero 5. *Durante eodem ſtatu morbi non poteſt hoc Sacramentum iterari, benè tamen, quoties ejuſdem morbi ſtatus variatur, ut ſi de periculoſo fiat non periculoſus, & rurſum de non periculoſo periculoſus.* Ratio 1. eſt: quia pro eadem morbi neceſſitate ſufficiens cenſetur adhiberi remedium per unam ſolùm unctionem, ut loquitur Catechiſmus Romanus. Ratio 2. eſt: quia hoc Sacramentum eſt pro infirmis periculoſis inſtitutum; ſed poteſt infirmus diu durante infirmitate gravari & pluries in manifeſto mortis periculo reperiri: ergo ſi infirmus illud ſemel ſuſcepit, & iterum evaſit, ac iterum incidit, ut in Hydropiſi, Phthiſi, ubi ſæpe notabiliter variatur ſtatus morbi, poterit hoc Sacramentum repeti. Nec ſequitur exinde contemptus hujus Sacramenti, quòd ſæpius in uno die poſſit repeti, cùm etiam periculum poſſit variari; nam non poteſt periculum extremum ſæpius in una die accidere, quia natura illud diu ſuſtinere non poteſt, aut enim vincit, aut vincitur. Hinc non poteſt facilè certa diſtantia temporis inter unam & aliam unctionem aſſignari; ſed id prudenti judicio eſt relinquendum.

Aſſero 6. *Tres ſunt potiſſimùm hujus Sacramenti effectus, ad quos reliqui poſſunt reduci.* Primus eſt peccatorum venialium in extremo vitæ remiſſio per gratiam ſanctificantem, & non remiſſio venialium ſimpliciter, ſed in extremo vitæ periculo, ne ſint retardativum gloriæ conſequendæ. Secundus eſt alleviatio mœroris, torporis, ineptitudinis ad benè operandum juxta illud Jacobi: *& alleviabit eum Dominus*, & hic effectus ſequitur ex præcedenti ſcilicet collatione gratiæ, nam illi langnores erant effectus venialium, quibus ablatis animus infirmus vigoratur & hilareſcit, & fiducia divinæ miſericordiæ in eo excitatur, quâ facilius dæmonia tentationibus reſiſtit. Et ad hunc effectum reducitur effectus ſpecialis auxilii ad ſuperandas tentationes, & abſterſio reliquiarum peccati, ille enim torpor & languor dici poſſunt reliquiæ peccatorum; nam reliquiæ peccatorum non rectè dici poſſunt peccata ſive mortalia, ſive venialia omiſſa & oblita; quia ſic non eſſet ſpecialis effectus hujus Sacramenti abſterſio reliquiarum; cùm Trid. pro ejus effectu diſtinctè à peccatis ponat reliquias expiandas. Imò mortale ſemper fuit per priorem Confeſſionem ſaltem indirectè remiſſum; cùm unum non remittatur ſine alio; nec per reliquias poteſt intelligi pœna temporalis remanens, nam talis pœna non tollitur, niſi hic in via per pœnitentiam aut ſatisfactionem, & in altera per ſatispaſſionem. Tertius eſt ſanatio corporis juxta illud: *oratio fidei ſalvabit infirmum.* Illa tamen non ſemper ſequitur, quia DEUS illam ſolummodò confert, quando expedit animæ ſaluti. Si autem etiam aliqui quandoque ſani fiunt, qui dein malè vivunt, dicendum eſt: hoc non eſſe certum, utrum ſanatio fuerit facta vi Sacramenti, vel potiùs vi aliorum medicamentorum; ſupponenda enim eſt naturaliter facta curatio vel ſaltem quòd fuerit ad aliquod tempus expediens. 25

26 Aſſero 7. *Primarius hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio finalis omnium venialium per ſe, mortalium verò non niſi per accidens.* Ratio 1. eſt: quia cujuslibet forma Sacramenti exprimit primarium ſuum effectum; ſed remiſſio peccatorum exprimitur per formam hujus Sacramenti, ut patet, ergo. Quòd autem ſit venialium tantùm, patet ex Catechiſmo Romano, quia mortalia tribuuntur pœnitentiæ, quæ ſola eſt ſecunda poſt naufragium tabula, & non datur tertia, ſed ſecundæ conſummativum eſt extrema unctio. Imò ſi effectus hujus Sacramenti eſſet per ſe delere mortalia, ſic infirmis poſſet miniſtrari Sacramentum unctionis ſine præmiſſa pœnitentia, quod eſt contra determinationem Eccleſiæ, & Trid. Seſſ. 13. c. 7. de Sacramento Euchariſtiæ. Ratio

tio 2. eſt: quia quamvis hoc Sacramentum ex primaria Chriſti inſtitutione ſecundam tantummodò gratiam conferat, & ſupponat hominem à mortali per pœnitentiam, vel contritionem purgatum, nihilominus ſecundariò & per accidens interdum poteſt conferre primam gratiam, & delere mortalia, ſicut & de aliis Sacramentis vivorum communiter docent authores v. g. ſi fortè Confeſſio ſacramentalis nulla & invalida fuit, & aliàs infirmus ſe in ſtatu peccati mortalis eſſe invincibiliter ignoret, & de illis ſaltem in genere attritus ſit. Nam hoc ſatìs colligitur ex Jacobo: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Et ejus forma dicit: *Indulgeat Dominus, quidquid peccaſti.*

27 Objicies: deletio venialium in hoc Sacramento non eſt abſoluta, ſed conditionata juxta verba Jacobi eſt: ſi in peccatis fuerit, remittentur ei: ergo non eſt effectus ejus primarius; nam finis principalis alicujus Sacramenti debet eſſe quid abſolutum.

Reſp. neg. ant. Nam deletio venialium eſt abſoluta, ſi adſunt peccata, ſicut dicimus ignem abſolutè comburere ligna, ſi adſunt: Jacobus ergo locutus eſt ad excludendum caſum, quo infirmus, antequam ungeretur, fuiſſet à venialibus abſolutus per pœnitentiam vel Euchariſtiam, & ſemper adhuc unctio, quantùm eſt ex ſe, remitteret venialia, quia cauſat gratiam eorundem remiſſivam, ſi adeſſent, ſicut dicitur de Sacramento pœnitentiæ, quòd habeat effectum abſolutum, etiamſi peccata priùs per contritionem ſint deleta. Quòd autem remiſſio finalis in articulo mortis alicujus infirmi ſit ille effectus, non verò cujuscunque periculo mortis violentæ expoſiti, licèt etiam in hoc urgeant majores tentationes & debilitates. Ratio à priori eſt ipſa inſtitutio Chriſti: à poſteriori verò, quia hujus libertas non gravatur per morbum, quin alia remedia poſſit adhibere, ſi plenè compos eſt & integer ſenſu. Alter verò infirmitate gravatus habet indiſpoſitionem ſenſuum & virium, quibus ob morbi vehementiam diſtrahitur; ideóque in tali ſtatu & periculo ſpecialem requirit confortationem.

28 Aſſero 8. *Subjectum capax hujus Sacramenti eſt homo infirmus & peccator adultus, hoc eſt, quando ad uſum rationis pervenerit, & peccaverit.* Ratio 1. eſt ex inſtitutione Chriſti, ut ſtatim in ſolutione prioris objectionis diximus, & patet ex Scoto. q. priori. aſſert. 1. proba 4. adducto. Ratio 2. eſt: Tum quia infantes, ſicut non ſunt capaces Sacramenti pœnitentiæ, ita nec unctionis, quod eſt completivum illius. Tum quia præcipui hujus Sacramenti effectus ſunt remiſſio peccatorum actualium venialium, & robur adversùs tentationes in articulo mortis urgentes; ſed pueri ante uſum rationis non ſunt capaces talium effectuum: ergo neque effectûs Sacramenti.

Ratio 3. eſt eadem; hinc probabilius eſt B. V. in obitu ſuo non ſuſcepiſſe Sacramentum unctionis, cùm nullum effectum hujus Sacramenti participare poterat, nec remiſſionem peccatorum, cùm fuerit immunis, nec contra tentationes, nec morbum, contra quæ aliis ſuis perfectionibus fuit ſufficientiſſimè munita.

Objicies: Licèt pueri ante uſum rationis ſint incapaces exercitii confirmationis & ordinis, adhuc tamen validè hæc ſuſcipiunt: ergo licèt etiam non poſſint primarium effectum unctionis recipere, ſuſcipient tamen validè hoc Sacramentum. 29

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt: quia confirmatio & ordo imprimunt characterem; ideo nullum eſt inconveniens, ut pueri illa validè ſuſcipiant, ſicut & gratiam ſacramentalem pro exercitio tempore opportuno; cùm pueri etiam per ſe in ea ætate progrediantur ad illam competentem ætatem pro miniſterio ordinum; aſt Sacramentum unctionis non imprimit characterem, aut confert jus ad quædam auxilia hic & nunc in illa ægritudine ad aliquos effectus, quibus pueri non ſunt capaces.

Aſſero 9. *Licitè poteſt hoc Sacramentum conferri cuique adulto, qui aliquando uſum rationis habuit, etiamſi defactò nullum rationis indicium oſtendat, dummodo certò non conſtet eum in actuali peccato v. g. blaſphemiæ corruptum fuiſſe, & non doluiſſe.* Ratio eſt contra D. Thomam ex rituali Romano, & ex illis, quæ diximus de Sacramento pœnitentiæ: utrum poſſit abſolvi, qui repertus in via nullum ſignum dat deſiderii pœnitentiæ, qui tamen cenſetur habere voluntatem virtualem & interpretativam hujus Sacramenti incluſam in voluntate ſua, quam cenſetur habere de ſua ſalute. 30

Objicies: non debet Sacramentum dari, cui non poteſt ſuum primarium effectum conferre, ut diximus aſſert. priori; ſed primarius effectus ejus eſt animam roborare contra diaboli tentationes in articulo mortis ſuperandas, qui non poteſt participari, niſi ab homine uſum rationis habente: ergo. 31

Reſp. neg. min. Nam licèt illa roboratio animi ſit proprius hujus Sacramenti effectus, non tamen eſt principalis & principaliter intentus, ſed talis eſt finalis remiſſio venialium per ſe, mortalium verò per accidens, ut paulò ante diximus; hunc autem effectum etiam poteſt conferre amenti, qui ſemel uſum rationis habuit; hinc eſt diſcrimen inter perpetuò amentes & alios, qui aliquando uſum rationis habuerunt, quia illi nullius horum effectuum, qui hujus Sacramenti ſunt præcipui, exiſtunt capaces, ſicut hi; non verò convenit illis hoc Sacramentum conferre propter ſolum effectum ſecundarium, qui eſt corporis ſanitas;

cùm propterea non ſemper conferatur etiam, quando adeſt uſus rationis.

32 Aſſero 10. *Suſceptio hujus Sacramenti per ſe non cadit ſub obligatione gravi, ſed ſolùm ſub conſilio.* Ratio eſt contra Magiſtrum Sententiarum, & noſtrum Pontium: quia non apparet, unde talis obligatio colligatur; non enim ex natura rei, nec ex inſtitutione hujus Sacramenti, cùm non ſit Sacramentum neceſſarium ad ſalutem, ſed ſolùm ad melius eſſe, nec ex verbis Jacobi eſt ullum verbum abſolutè præceptivum; non enim eſt locutus præcipiendo, ſed promulgando & docendo &c. quod autem eſt præceptum ex Conciliis, hoc ſolùm obligat paſtores, ut tale Sacramentum conferant illis, qui petunt, non verò obligat infirmos, ut ſuſcipiant. Imò Eccleſia tempore interdicti non prohibet Sacramenta neceſſaria adminiſtrare morituris proximè, ut pœnitentiam & Euchariſtiam, benè tamen adhuc extremam unctionem; ideo nec eſt conſuetudo Eccleſiæ habens vim præcepti obligans infirmos.

33 Objicies cum Pontio: Maxima utilitas ſpiritualis & corporalis hujus Sacramenti ex terminis videtur exigere, quòd, qui ipſum negligeret applicare in caſu, ubi non adſunt alia media, peccaret mortaliter ſeipſum occidendo; ſed in gravi infirmitate non eſt aliud medium per ſe inſtitutum ad dandam ſanitatem, ſi expediat, nec ad alleviandum infirmum & roborandum contra tentationes. Nam niſi DEUS ſuâ gratiâ nobis ſubveniret, ſine dubio nos ſuperarent: ergo.

Reſp. neg. min. Nam vix eſt poſſibilis caſus, quo infirmus defectu aliorum mediorum ad hujus Sacramenti ſuſceptionem obligetur; nam poteſt Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipi, vi cujus directè abſolveretur à peccatis confeſſis, & indirectè ab oblitis, quod ſufficit ad animæ ſalutem, ac etiam ad roborandum contra tentationes, fortior enim eo ipſo evadit, quòd à peccatorum onere alleviaretur; adeóque cùm ſint adhuc alia media pariter ordinaria ad hunc finem inſtituta, ut Confeſſio, contritio, & Euchariſtia cum attritione de peccato invincibiliter ignorato; ideo non videtur de illo Sacramento gravis obligatio. Interim tamen hic ſolus caſus poſſet fingi, quo Sacerdos vel nollet, vel non poſſet infirmi confeſſionem excipere, vellet autem & poſſet extremam unctionem adminiſtrare, in quo caſu probabile eſt infirmum ſub mortali teneri hoc Sacramentum ſuſcipere, quia cùm nequeat eſſe certus de vera contritione, tenebitur hoc certius remedium, ſcilicet Sacramentum ſuſcipere.

34 Aſſero 11. *Quivis Sacerdos etiam non habens juriſdictionem, vel excommunicatus poteſt hoc Sacramentum adminiſtrare validè, non tamen licitè, niſi cum licentia proprii paſtoris, aut à pluribus validè ita, ut unus ungat, & alter proferat verba.* Ratio 1. eſt: quia Jacobus abſolutè dicit: *inducat presbyteros.* Imò omnis Sacerdos habet poteſtatem ordinis, nec requiritur ad hoc Sacramentum poteſtas juriſdictionis, quamvis ſit conſummativum pœnitentiæ; non enim exercetur per modum judicii, ſicut pœnitentia, ſed per modum medicinæ; ideo non requiritur juriſdictio ad validitatem. Ratio 2. eſt: quia hoc ſpectat ad debitum regiminis modum & ordinatum exercitium poteſtatis ordinis, ſicut & ipſe baptiſmus, qui eſt adeo neceſſarius, & à quolibet laico validè miniſtrari poteſt, ſecluſa tamen neceſſitate non niſi à proprio Parocho licitè poteſt conferri; ideo Clement. un. de privil. ipſo facto excommunicantur religioſi, qui præſumunt abſque licentia Parochi extremam unctionem, aut Euchariſtiam adminiſtrare, niſi aliquando poſſit cenſeri conſenſus interpretativus parochi, ut quando non poſſet ſtatim vocari. Imò ſi Parochus injuſtè negaret talem licentiam, poſſet religioſus eas conferre alicui in extremis conſtituto; quoniam in eo caſu Eccleſia non cenſetur cum tanto damno infirmi velle Sacerdotem excommunicationis vinculo innodare, ut tenet Bonacina & alii communiter. Ratio 3. eſt ex verbis Apoſtoli dicentis: *Orent ſuper eum ungentes eum oleo,* quibus ſignificat eundem debere eſſe, qui materiam miniſtret ungendo, & formam proferat orando. Interim tamen in hoc ſenſu poſſet confici, ut unus tres unctiones, & alter duas perficiat &c.

Aſſero 12. *Tempore peſtis, ſi infirmus fuit confeſſus in infirmitate, aut paulò ante, ut probabiliter putetur non eſſe in peccato mortali, Parochus non tenetur cum periculo vitæ hoc Sacramentum adminiſtrare: ſi verò non ſit confeſſus, aut veroſimiliter putetur infirmus eſſe in mortali, tenetur cum periculo vitæ illud adminiſtrare.* 35 Ratio 1. eſt: quia in illo ſtatu probabiliter exiſtimatur infirmus eſſe in ſtatu gratiæ ita, ut hoc Sacramentum ipſi non ſit neceſſarium, ſed ſolùm utile; nam non tenetur quis pro utilitate ſpirituali proximi exponere ſe periculo vitæ, ſi aliàs ſufficienter proviſum eſt ejus neceſſitati ſpirituali. Ratio 2. eſt: quia in illo caſu hoc Sacramentum debet exiſtimari ipſi infirmo neceſſarium, ut dimittatur ſaltem per accidens peccatum mortale; unde quando dubitatur veroſimiliter de ſalute æterna proximi, intervenit obligatio ſub mortali etiam cum periculo vitæ illi ſuccurrere, quia tenemur temporalia contemnere pro ſalute ſpirituali proximi, cùm vita temporalis ſit bonum inferioris ordinis. Ideo dixit Chriſtus: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hæc de Sacramento extremæ unctionis dicta ſint ſatis.

DISTIN-

DISTINCTIO XVII.

De extremo DEI judicio & conflagratione mundi.

QUÆSTIO I.

De variis quæſitis circa extremum DEI judicium.

1 ADverte: non incongruum nos facere progreſſum de extrema hominis infirmi & morti proximi unctione ad extremum DEI judicium; cùm extremo morbo mors ſit in foribus, & poſt mortem ſtrictum DEI judicium juxta illud ad Heb. 9. *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.* Et quidem poſt mortem cujuslibet hominis judicium hoc erit particulare, ſecundùm illud, quod habetur Eccleſ. 11. facilè eſt coram DEO in die obitûs retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas. Finitur enim per mortem terminus merendi, & demerendi; & ideo conveniens eſt, ut unusquisque per judicium particulare reportet juxta merita ſua; ſecus fruſtra pro ounc diceretur janua cœli aperta per clavem paſſionis Chriſti, & malos in puncto deſcendere ad infirnum. Contingit autem particulare hoc judicium in primo animæ egreſſu à corpore: in primo nempe inſtanti extrinſeco vitæ. Ubi verum eſt dicere: jam non eſt homo, qui immediatè antea fuit, ita tamen, ut necdum ſit in cœlo, purgatorio aut inferno; nec notabilis mora temporis ad hoc requiritur; facilè enim Chriſtus hoc judicium in inſtanti expedire poteſt, quamvis poſtea brevis aliqua intercurrat mora in motu locali animæ jam ſententiatæ ad locum præmii vel pœnæ; totus autem proceſſus finietur per locutionem ſpiritualem & intellectualem, quâ animæ manifeſtantur omnia ſua delicta & merita, & ſignificatur locus promeritus. Chriſtus, ut dixi, hoc judicium expediet; nam quamvis ante incarnationem Verbi in hoc tremendo tribunali judex fuerit ſolus DEUS, & in incarnatione Chriſtus ſtatim in primo inſtanti acquiſiverit omnem poteſtatem judiciariam veluti unioni hypoſtaticæ annexam, illam tamen exercere noluit usque poſt glorioſam ſuam reſurrectionem, quia non venerat in carne paſſibili judicare, ſed judicari. A reſurrectione autem Chriſtus, DEUS homo judicat omnes homines; *cùm ipſi ſit data omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Matth. 28. & Joan. 5. non tamen neceſſaria eſt realis præſentia humanitatis Chriſti in loco animæ judicandæ, qui probabiliter erit locus mortis, vel aliquod ſpatium aëris non procul diſtantis. Sed ſufficit animam elevari ad intellectualiter percipiendam ſententiam judicis viâ ſimplicis cognitionis & repræſentationis merè objectivæ, & intellectualis; alias Chriſtus deberet continuò deſerere cœlum. Poſt particulare hoc judicium tandem aliud adhuc eſt expectandum, univerſale nempe & extremum, de quo, ſicut & de priori ita ſentit Scotus in 4. D. 47. q. 1. §. *de ſecundo* dicens: *In ſecretis judiciis, quæ fiunt circà ſingulas perſonas, licèt ſit juſtitia, non tamen omnibus manifeſta: Rationabile eſt ergo, quòd DEUS habeat aliquod judicium generale, in quo manifeſtetur ſententia vel juſtitia, quam exercuit in judiciis particularibus.* Scotum igitur ſequendo aliqua de extremo DEI judicio declarabimus. Hinc

2 Quæres 1. *An ſit futurum univerſale judicium, quod determinabit reddenda præmia benè meritis, & ſupplicia malè meritis cum diſquiſitione prævia, & latione & executione ſententiæ?*

Reſp. cum Scoto in 4. D. 47. q. 1. §. *de ſecundo dico. Affirmativè.* Ratio eſt fides ex Scriptura veteri & nova. Ex veteri: Eccleſiaſtici 3. *juſtum & impium judicabit DEUS, & tempus omnis rei tunc erit.* Iſa 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ, furoriſque, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea.* Joël 2. *Magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum?* Ex nova: Matth. 24. *& tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo - - - - & videbunt filium hominis in nubibus cœli cum virtute multa & majeſtate - - - - mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.* Item Matth. 25. *Cùm autem venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ad eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis - - - - tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti - - - - tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: diſcedite à me maledicti &c.* Joan. 5. *neque enim pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio - - - - & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Act. 10. *& præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à DEO judex vivorum & mortuorum.* 1. ad Cor. 4. *nolite judicare ante tempus, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Judæ 1. *ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes.* Idem clarè perhibent SS. PP. præſertim D. Auguſt. & Greg. Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 21. *profectò poſt reſurrectionem carnis, cujus fides his rerum vocabulis omnino firmatur: illud, quo boni & mali ſuis finibus dirimentur, futurum eſſe judicium declaratur.* Greg. verò hom. 10. in Evang. *neceſſe eſt, ut ſemper pavidi, ſempérque ſuſpecti ponamus ante oculos*

Digitized by Google

cordis, hinc culpas operis, illinc judicium extremæ diſtrictionis.

3 Nec dicas: ex Scriptura veteri & nova apparet contrarium. Ex veteri: pſal. 1. *non reſurgent impii in judicio.* Item Nahum. 1. *non puniet Dominus bis in idipſum.* Sed judicium uniuſcujuſque eſt, quando moritur: ergo nullum aliud exſpectetur. Ex nove: Joan. 12. *nunc judicium eſt mundi:* ergo non tunc.

Reſp. cum Scoto ad textum 1. illum verum eſſe: *non reſurgent impii in judicio.* Nempe ad obtinendam vitam æternam. Prout etiam dictum eſt 2. Machab. 7. ad Antiochum: *Tibi autem reſurrectio ad vitam non erit.* Et hoc apparet, quia ſubditur: *Neque peccatores in conſilio juſtorum.* hoc eſt, ut ſumant conſilium à juſtis, quod eſt in omnibus voluntati divinæ concordare; nam in illam concordiam impii non reſurgent. Ad textum 2. eum pariter verum eſſe: *non puniet Dominus bis.* Nempe ſub eadem ratione, quia unusquiſque, in quantum perſona privata, judicatur quidem finaliter, ſed judicio particulari, quando eſt in termino vitæ; in quantum autem eſt pars familiæ deputatæ pro aula, vel deputatæ ad carcerem, judicabitur cum omnibus aliis in judicio finali extremo, quod erit judicium univerſale. Ad textum 3. eum loqui de quodam diverſo judicio; nam poſt illud: *nunc judicium eſt mundi*, ſtatim ſequitur: *nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras.* Nimirum diabolus, qui uſque ad adventum Chriſti principabatur mundo tyrannicè; & de hoc dicebat Chriſtus: *nunc judicium eſt mundi.* nempe ad executionem illius ſententiæ, quâ per paſſionem Chriſti ſit expellendus.

4 Dices: S. Auguſt. epiſt. ad Eſichium dicit: *In quo quem invenerit ultimus ejus dies, in eo inveniet eum ultimus ſæculi dies.* Item S. Gregorius lib. 26. moral. c. 24. *erunt autem quatuor ordines in judicio (duæ quippe ſunt partes, electorum ſcilicet & reproborum) ſed bini ordines eiſdem ſingulis partibus continentur. Alii enim judicantur & pereunt, alii non judicantur & pereunt. Alii judicantur & regnant, alii non judicantur & regnant. Judicantur & pereunt, quibus dicetur: eſurivi, & non dediſtis mihi manducare &c. non judicantur, & pereunt, quibus Dominus ait: qui non credit, jam judicatus eſt. Eorum enim damnatio toti Eccleſiæ nota eſt & certa, & ideo tunc dicuntur non judicari, quia ad conſpectum diſtrictè judicis cum aperta damnatione ſuæ infidelitatis accedunt. Qui verò profeſſionem fidei ſine operibus habent, judicabuntur & peribunt, id eſt, redarguentur, ut pereant ----- ex electorum verò parte alii judicantur & regnant ſcilicet, qui vitæ maculas lachrymis tergunt ---- quibus judex dicet: eſurivi, & dediſtis mihi manducare. Alii autem non judicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione veritatis tranſcendunt, quia non ſolùm hoc, quod lex præcipit, implere contenti ſunt, ſed &, quod ad perfectionem conſulitur, implere ſtudent, de quibus propheta Iſa. c. 3. ait: Dominus ad judicium veniet cum Senatoribus populi ſui:* ergo ſaltem non erit tale judicium univerſale, quo omnes omnino judicabuntur.

Reſp. cum Scoto cit. S. Auguſtinum intelligendum eſſe de eo judicando; prout eſt privata perſona, non verò, prout eſt pars familiæ deputatæ vel ad aulam, vel ad carcerem; hoc enim manifeſtabit primò ultimus dies ſæculi. S. Gregorium verò luculenter eſſe pro noſtra affirmatione. Interim tamen pro eo debitè intelligendo dicendum: perfectos quidem, ut ſunt v. g. Apoſtoli; de quibus Matth. 19. dicitur: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quantùm ad diſceptationem, quæ præcedet ſententiam, non judicari, ſed nec ipſi, nec alii judicio pertinente ad eos ut privatas perſonas, ſed ſolùm in eo, quod dicitur: *Venite benedicti patris mei, & percipite regnum* &c. Et ſic omnes filii regni judicabuntur judicio generali, ut hæredes illius regni. Similiter infideles, quantùm ad diſceptationem præviam, non judicabunt, ſed ſolùm in eo: ite maledicti in ignem æternum &c. Interim tamen ipſi & alii, quibus prolata eſt diſceptatio, judicabuntur in communi, ut membra carceris. Accreſcet autem tunc aliquod gaudium unicuique electo ultra illud, quod habet in particulari judicio, quia quilibet gaudebit de integritate ſuæ civitatis: Similiter accreſcet aliquod ſupplicium cuilibet damnato ultra ſupplicium partiale ſibi taxatum, quia integritas & repletio carceris unumquemque incarceratum anguſtiat.

Quæres 2. *An extremum DEI judicium poſſit ratione probari?* 5

Reſp. cum Scoto cit. *Non poſſe de extremo DEI judicio haberi demonſtrationem naturalem, benè tamen quaſdam congruentias naturales.* Ratio 1. eſt: quia extremum judicium eſt minùs notum, quàm mortuorum reſurrectio; ſed de reſurrectione mortuorum non habetur demonſtratio, ut dictum eſt Tom. 2. Tract. 4. de beat. D. 7. q. 2. quæſito 2. Ratio 2. eſt quadruplex congruentia à Scoto aſſignata: prima, quia congruum eſt finaliter ſeparari omnes malos ab omnibus bonis; non enim malus communicat cum bono, niſi vel ad hoc, ut corrigatur, vel ut ipſum bonus exerceatur, ut habet Auguſt. in pſal. 54. ſed veniet finalis determinatio, ubi nec boni ultra exerceantur, nec mali corrigantur: ergo congruum eſt fieri finaliter ſententiam generalem, & judicium univerſale, ut ſeparatio illa generalis appareat juſta. Secunda, quia licèt in ſecretis judiciis, quæ fiunt circà ſingulas perſonas, ſit juſtitia, non tamen ea omnibus eſt manifeſta: ergo rationabile eſt,

quòd

Google

quòd DEUS habeat aliquod judicium generale, in quo manifeſtetur omnibus ſententia, quam exercuit in judiciis particularibus. Tertia, ſicut res ſunt à primo efficiente, ita reducuntur ad primum finem; ſed præter ſpeciales exitus rerum à DEO per illam operationem, de qua Salvator Joan. 5. ait: *Pater meus uſque modò operatur & ego operor.* Fuit unus exitus univerſalis in prima rerum creatione: ergo à ſimili præter ſingulares reductiones congruit unam eſſe reductionem finalem in ſuum finem, & quidem per ſententiam diſcretivam, quia mali non reducuntur. Quarta, quæ à Scoto vocatur melior, quia præter hoc, quòd unusquisque adſcribatur regno vel carceri, tota multitudo præmiſſa ad regnum debet aliquando determinari ad poſſidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, ut ſic ſit ſequeſtratio duarum familiarum, ut vult S. Auguſt. per totum de Civit. DEI: ergo licèt ſingulariter nunc iſte, nunc ille adſcribatur regno vel carceri, congruum tamen eſt, quòd aliquod judicium univerſale hoc manifeſtet.

6 Nec dicas: Ratio naturalis potiùs ſtat in contrarium; quia ſententia non demandatur executioni, niſi poſt judicium; fruſtra enim ſequitur judicium executam jam ſententiam; ſed damnati erunt damnati ante diem judicii, & beati beati: ergo tunc fiet judicium fruſtra, cùm executio fieret ante judicium illius ſententiæ tunc ferendæ.

Reſp. neg. aſſumptum. ad prob. diſting. maj. ſententia particularis non demandatur executioni poſt judicium particulare, & ſententia univerſalis, niſi poſt judicium univerſale, conc. ſententia particularis non demandatur executioni, niſi poſt judicium univerſale. Neg. maj. diſting. min. damnati erunt damnati ante diem judicii ſententia particulari & ut perſonæ privatæ, conc. ſententiâ univerſali & ut partes familiæ carceris, neg. min. vide, quæ diximus quæſito priori ad Scripturam ex Nahum.

7 Quæres 3. *An Chriſtus in forma humana judicabit?*

Ante Reſp. obſerva ex Scoto in 4. D. 48. q. §. *hic dicitur.* & §. *ad quæſtionem:* Tria hic præcipuè eſſe obſervanda: primum eſt, aliud eſſe dicere: *Chriſtus in forma humana judicabit*, & aliud: *Chriſtus ſecundùm formam humanam judicabit;* vera enim eſt iſta; *quòd Chriſtus in forma humana creat animas.* Sed non iſta: *Secundùm humanitatem creat.* Imò quidquid fecit verbum, ex quo naturam humanam aſſumpſit, quòd faciens naturam humanam non depoſuit, hoc facit in natura humana; non tamen ſecundùm naturam humanam, nam in hac modificatione non tantùm notatur concomitantia naturæ humanæ ad actum, ſed cauſalitas naturæ humanæ reſpectu actûs; quæſtionem igitur non eſſe decidendam in primo ſenſu; quia certum eſt, quòd non deponet naturam humanam, quando judicabit; ſed in ſecundo ſenſu: an ſecundùm naturam humanam. Secundum eſt: Judicium eſſe. Secundum eſt: judicium eſſe completam determinationem ejus, quod eſt reddendum alicui pro meritis, quæ determinatio completa includit perfectum dictamen intellectûs de hoc, & perfectum velle voluntatis, non qualecunque ſed efficax. Tertium eſt: judicari poſſe dupliciter accipi: primò principaliter, hoc eſt, cujus intellectus non ſubordinatur alicui alteri in dictando, nec voluntas in volendo. Secundò commiſſariè ſeù ſubauthenticè, excellenter tamen excellentiâ ſingulari, hoc eſt, quatenus non poſſet eſſe alia authoritas commiſſaria ſuperior. His adverſis:

Reſp. ad quæſitum cum Scoto in 4. D. 48. q. 1. §. *ad quæſtionem. Chriſtus ſecundùm formam humanam non judicabit ut judex principalis, ſed ſolùm ut judex ſubordinatus & commiſſarius, & quidem excellentiſſimus, quatenus non poſſet Superior eſſe authoritas judicandi commiſſaria.* Ratio 1. eſt: quia intellectus animæ Chriſti eſt ſubordinatus divinæ veritati in dictando, maximè de illis, dè quibus non poteſt eſſe certa dictatio, niſi ex regulis determinatis à voluntate divina contingenter ſe habente ad eas, cujusmodi ſunt omnia, quæ ſpectant ad beatitudinem, & miſeriam judicatorum juxta illud S. Auguſtini. de videndo DEO: in ejus poteſtate eſt videri, ſi vult, videtur, ſi non vult, non videtur. Similiter voluntas animæ Chriſti eſt ſubordinata voluntati divinæ rectè volendo ita, ut quantumcunque efficaciter velit aliquid imperando, ut illud per ſuum imperium eveniat, ſubordinetur neceſſariò voluntati divinæ, quia voluntas animæ Chriſti non eſt omnipotens: ergo impoſſibile eſt Chriſtum ſecundùm naturam humanam principaliter judicare. Ex quo patet animam Chriſti non poſſe habere efficax imperium reſpectu hujus, quod eſt Petrum videre DEUM. Dico *efficax*, ad quod imperium ex ſe, & non ab alia cauſa ſequatur effectus; nec voluntas Chriſti præſumet principaliter imperare Petrum fore beatum, ſed tandummodò ſubauthenticè, tanquam illud imperium fiat efficax ab alio ſuperiore, in cujus virtute imperat; prout ipſe confeſſus eſt Marci 10. *ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Ratio 2. eſt: Tum quia Joan. 5. dicitur: *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Ergo Chriſtus ſecundùm formam humanam judicabit ut judex, non ut principalis, ut ſtatim dictum eſt; ſed ut Commiſſarius. Tum quia Job. 36. dicitur: *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt;* Nimirum à Pilato, ut dicit gloſſa; & ideo dicitur Chriſto: judicium & cauſam ſuſcipias ſuper alios; ſed illud primum non eſt verum, niſi ſecundùm naturam humanam: ergo & ſecun-

dum, ſed non principaliter, ergo commiſſariè. Ratio 3. eſt: quia puræ creaturæ non poſſet dari alia commiſſio judicandi, quàm talis, quòd intellectus ejus rectè dictaret de retributione, & voluntas rectè vellet ita, ut ad rectè velle ejus ſemper ſequatur eventus, licèt non à ſe cauſetur, ſed à voluntate divina ſemper eſſiſtente illi volitioni efficaci; non enim puræ creaturæ poſſet talis commiſſio dari, quòd omne ejus velle impleretur ab eadem perſona, quia tunc pura creatura eſſet omnipotens; ſed Chriſto data eſt talis commiſſio, quòd non ſolùm omne determinatum à ſua voluntate infallibiliter eveniat, ſed planè etiam, quòd ab eadem perſona, cujus eſt illa voluntas, eveniat, ut ſic perſona illa habeat imperium efficax, cujus voluntas creata determinat eventum alicujus iſti ſuo ordine, quantùm poteſt: ergo Chriſtus judicabit ut judex commiſſarius excellentiſſimus ita, ut non poſſit eſſe Superior authoritas judicandi commiſſaria.

8 Nec dicas cum D. Thoma contra 1. partem: judicium principale nihil plùs requirit, quàm dominium in judicante juxta illud ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas ſervum alienum?* ſed Chriſtus eſt dominus hominum non tantùm ratione creationis per naturam divinam, ſed etiam redemptionis per naturam humanam juxta illud ad Rom. 14. *in hoc enim mortuus eſt, & reſurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur:* ergo etiam Chriſtus ſecundùm naturam humanam principaliter judicabit.

Reſp. cum Scoto cit. diſting. maj. judicium principale nihil plùs requirit, quàm dominium principale in judicante, conc. quàm dominium minùs principale. Neg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſeq. nam Chriſtus per actum redemptionis non meruit principale dominium reſpectu hominis, quia in quantùm redemptor, habuit rationem cauſæ meritoriæ; cauſe autem, quæ tantùm eſt meritoria, non eſt principalis; non enim cauſat, niſi ab aliqua cauſa principaliori acceptetur, quæ propter iſtud acceptum principaliter cauſat; adeóque licèt Sanctiſſimæ Trinitati teneamur tanquam ſupremo domino quodam novo jure ultra jus dominii, quod habet titulo creationis, non tamen redemptio ut acceptata à Sanctiſſima Trinitate tantum bonum eſt, quantum creatio, & ſic non principale. Hinc illæ authoritates ad Rom. 14. *ut vivorum & mortuorum dominetur.* & Matth. ult. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* intelligi debent de dominio vel authoritate judiciaria commiſſaria, vel principali ſubordinata tam eminentiſſima, quæ poteſt eſſe ſub principali, inquit Scotus.

Dices: ſi Chriſtus non judicabit principaliter, tunc poteſtas Chriſti qua hominis non erit verè judicatoria, ſed potiùs promulgatoria ſententiæ à tota Sanctiſſima Trinitate latæ, ſed promulgare ſententiam alterius non eſt judicare: ergo Chriſtus non judicabit quà homo.

Reſp. neg. maj. quia Chriſtus ſimul feret ſuam ſententiam & promulgabit ſententiam principaliter judicantis Sanctiſſimæ Trinitatis; cùm opera DEI ad extra ſint indiviſa; nam non promulgabit illam præcisè recitando, ſed etiam imperando; ſicut omnis judex inferior à ſuperiore poteſtatem judicandi habens verè judicat, ſive ſe ſolo, ſive cum judice ſuperiore judicet; quia tunc eſt una ſententia utriusque principaliter à judice ſuperiore, & commiſſariè ab inferiore.

9 Nec dicas contra 2. partem: judicare etiam commiſſariè eſt habere poteſtatem & dominium ſuper judicatum; ſed Chriſtus ſecundùm naturam humanam eſt noſter frater, non dominus: ergo nec eſt judex commiſſarius.

Reſp. cum Scoto cit. *§. ad argumenta.* diſting. maj. eſt habere poteſtatem commiſſariam & dominium ſimile, conc. eſt habere poteſtatem principalem & ſimile dominium, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. neg. conſeq. Chriſtus ergo eſt noſter frater ſecundùm naturam, & tamen dominus ſecundùm datam ei poteſtatem ſuper nos.

Dices: S. Auguſt. Tract. 23. ſuper illud Joan. 5. *Filius, quos vult, vivificat.* dicit: *ſuſcitat corpora non pater, ſed filius ſecundùm diſpenſationem humanitatis, in qua minor eſt patre.* Et paulò poſt ſubdit: *ſecundùm id autem, quod DEUS eſt, vivificat animas.* Sed judicare magis pertinet ad animam, quàm corpus: ergo Chriſtus judicabit potiùs quà DEUS, quàm quà homo.

Contra dico cum Scoto cit. S. Auguſt. eſſe intelligendum, quòd vivificatio animarum tum in juſtificatione tum beatificatione ſoli DEO competat: & reſuſcitatio corporum & judicium Chriſto homini ut imperanti licèt imperio ſubauthentico, quia reſpectu illorum poteſt habere dominium minùs principale ſaltem accipiendo reſurrectionem pro illis præambulis, quæ fient miniſterio angelorum; quia Chriſtus habet imperium efficax ſecundùm naturam humanam reſpectu poteſtatis angelorum, & etiam illius ſententiæ ferendæ, non verò ita reſpectu internæ vivificationis animarum.

10 Quæres 4. *An Chriſtus in forma glorioſa apparebit & judicabit?*

Reſp. cum terminis Scoti in 4. D. 48. q. 1. §. *ad argumenta: dico, quòd Chriſtus in extremo judicio apparebit in forma glorioſa, quia poſtquàm ſemel glorificatus eſt, nunquam erit non glorioſus, ſicut poſtquam reſurrexit immortalis ad Rom. 6. mors illi ultra non dominabitur. Et ita de aliis pertinentibus ad gloriam corporis; ſed ſi accipias apparere non pro hoc, quale corpus habebit in ſe, ſed quale videbitur judicandis, poteſt dici, quòd à beatis videbitur in illa forma glorioſa; jam enim in judicio*

beati

beati erunt quicunque electi, etiam in corpore. Sed de malis eſt difficultas. Poteſt dici - - - quòd vel etiam videbunt Chriſtum in corpore glorioſo. Idem ſentit S. Auguſt. Tract. 24. in Joannem dicens: *Ecce forma hominis Chriſti videbitur in judicio à piis & impiis, à juſtis & ab injuſtis, à fidelibus & ab infidelibus, à gaudentibus & à plangentibus, à confiſis & à confuſis, ut videant, in quem transfixerunt.* Joan. 19. præcipuè Judæi, ut eum, quem ignominioſè nimis crucifixerunt, glorioſiſſimè è toto corpore, & ſingulariter è ſacratiſſimis vulneribus rutilantem conſpiciant.

11 Nec dicas cum D. Thoma: ſi Chriſtus apparebit in forma glorioſa, nequeunt duo hæc inconvenientia evitari: primum, quòd corpus glorioſum poſſit videri oculo corporeo non glorioſo nempe in damnatis. Secundùm quod tunc damnati delectarentur in viſione illius corporis glorioſi; delectabile enim præſens & perceptum à ſenſu delectat; ſed damnati nullam habebunt delectationem in aſpectu judicis, ſed potiùs dolorem & horrorem: ergo.

Reſp. cum Scoto in Reſponſ. cit. ad primum, non eſſe inconveniens oculum non glorioſum videre corpus glorioſum, cùm ſit intra ſphæram oculi ſeu potentiæ viſivæ, quamvis ſolùm imperfectè oculus non glorioſus ſit viſurus corpus glorioſum, ſicut noſter oculus debilis poteſt videre ſolem, ſed non ita irrectorè, ſicut aquila, ſed ſtatim reverberatur. De hoc plura vide in noſtro Tomo 2. Tract. 4. de beat. D. 7. q. 2. quæſito 9. ad ſecundum dico: non ſequi aliquam delectationem ex viſione corporis glorioſi in damnatis; quia poſſibile eſt viſionem objecti convenientis ſeparari à delectatione, quod plane poſſet eſſe verum, etiamſi viderent eſſentiam divinam; nam abſolutum prius naturaliter alio poteſt eſſe ſine contradictione ſine eo; ſed viſio eſſentiæ divinæ eſt abſolutum aliquid ab omni reſpectu ad gaudium, & prius naturaliter illo: ergo poteſt eſſe ſine illo, ſaltem ut actuali; nam licèt eſſentia divina ob ſuam bonitatem ſit ſemper & neceſſariò delectabilis, ſeu aptitudinaliter delectans, non tamen ſemper actu delectat, cùm voluntariè delectet videntem beatificè. In noſtro autem caſu illud corpus Chriſti glorioſum ſolis beatis pariet meram delectationem; damnatis verò omnem delectationem, quam talis aſpectus cauſare poſſet, partim tormenta, quæ patientur, partim verecundia facinorum toti mundo manifeſtandorum impedient. Imò potiùs illorum afflictio augebitur, cùm viderint, quantâ gloriâ ſint privati.

Dices: Joan. 17. dicitur: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum;* ſed ſi damnati viderent JESUM, cognoſcerent eum: ergo haberent vitam æternam; ſed hæc non eſt ſine gaudio: ergo.

Contra eſt ex Scoto cit. §. *hic dicitur:* circa finem. Philoſophicè haberent vitam æternam, prout illum in æternùm cognoſcerent ſuo actu intellectûs rememorativo, quia juxta Philoſophum t 2. metaph. actus intellectûs eſt vita: ergo actus intellectûs æternus eſt vita æterna. Sed ſi ex hoc inferas: ergo eſt beatitudo. Hoc non ſequitur. Si autem dicis: Chriſtum dicere apud Joan. cit. quòd eum cognoſcere ſit beatitudo, tunc non accipitur textus Evangelii, qui tantùm dicit: vita æterna, non beatitudo, ſed accipitur Gloſſa aliqua dicens: quòd illa vita æterna ſit beatitudo; unde licebit etiam cum aliqua Gloſſa reſpondere, quòd nempe cognoſcere Chriſtum amando & fruendo ſit vita æterna, qualiter damnati non cognoſcent Chriſtum.

Dices: Iſa. 26. dicitur: *tollatur impius, ne videat gloriam DEI:* ergo damnati non videbunt Chriſtum glorioſum in judicio. 12

Contraneg. cum Scoto §. *ad argumenta.* conſeq. quia illa verba ſunt Prophetæ, qui quaſi litigat cum DEO contra impium, pro quo tamen DEUS ſæpius dicit: *videant, ut confundantur zelantes populi:* quare illud: *non videant.* Prophetæ intelligi poteſt de viſione æterna & beata, non verò de illa in judicio; illud verò, *videant*, de utraque viſione intelligi poteſt, nempe de beata reſpectu impiorum converſorum per miſericordiam & ex hoc confundantur populi Zelantes, quia Zelo quodam nolunt impiis fieri miſericordiam. De judiciali verò reſpectu impiorum non juſtificatorum, qui tunc videbunt gloriam Chriſti, & confundentur, quia illa viſio erit eis magis confuſibilis, & triſtabilis, quàm delectabilis, ut ſupra dictum eſt.

Quæres 5. *An judicium extremum ſit peragendum in tempore vel in inſtanti?* 13

Reſp. cum Scoto cit. *quamvis non repugnet judicium extremum peragi ſubitò, & in inſtanti: magis tamen videtur conſonare Evangelio, quòd peragetur in tempore ſive parvo ſive magno.* Ratio 1. eſt: quia non repugnat potentiam divinam non ſolùm manifeſtativam, ſed & creativam unum actum repræſentantem plura objecta velut ſpeculum, vel plures actus cognoſcendi ſeu intellectiones diſtinctas omnium meritorum & peccatorum propriorum & alienorum, ac perſonarum producere ſimul in quocunque intellectu ſeu conſcientia, *nam quæcunque non repugnant formaliter, & poſſunt ſucceſſivè recipi in aliquo*, dicit Scotus, *poſſunt per abſolutam DEI potentiam ſimul recipi in eodem;* ſed tali modo mentaliter ſeu intellectualiter poſſet totum judicium ſubitò abſolvi, quia poſſet DEUS facere omnes in inſtanti concipere merita & demerita propria & aliorum, ac ſententiam talem vel talem

tam

Digitized by Google

tam particularem quam univerſalem: ergo. Ratio 2. eſt: tum quia in extremo judicio conformiter Evangelio erit præambulum diſceptationis vocalis & prolatio ſententiæ vocalis; aliàs ad quid deſcriberetur illud judicium per tam varias cæremonias ſenſibiles celebrandum? ſed motus vocalis fit in tempore: ergo. Tum quia, ut ſingulorum merita ſingula ſingulis accuratè innoteſcant, quamvis ſit miraculum ex parte oſtenſionis, ſi tamen dimittatur unusquisque intellectus ſua vi naturali intelligendi, congruum, imò magnum requiritur tempus ad percipienda merita ſucceſſivè, primò iſtius, modò illius & ſic de ſingulis: ergo. Tum quia ſi etiam unicuique in ſpeciali manifeſtarentur ſimul vel per DEUM vel per angelos ſua merita vel demerita propria & aliorum tantùm in generali, quod dupliciter fieri poteſt: primò ſingulas perſonas conſiderando, hanc tamen ut præmiandam propter merita ejus in generali concepta, & illam ut puniendam pariter propter ejus demerita in generali concepta. Secundò non ſingulas perſonas concipiendo in ſpeciali, & merita vel demerita eorum in generali, ſed tam perſonas quàm merita in generali, utpote concipiendo omnes relictos in terra eſſe reprobos & condemnandos, omnes autem raptos Chriſto obviam in aëre eſſe juſtos & præmiandos, adhuc tamen illa conſideratio ſingularum perſonarum ſingulatim facta, licèt ſine conſideratione ſingulorum meritorum, non poſſet ordinariè fieri ſubitò à communi intellectu creato ſine pluribus miraculis; imò nec illa conſideratio generalis perſonarum & meritorum & demeritorum, præmiorum & ſuppliciorum ſibi ſuccedentium perfectè, prout ad illum ſtatum judicii finaliter manifeſtativi requiritur: ergo. Obſerva tamen, ne propter talem oſtenſionem omnium delictorum, meritorum & perſonarum cuilibet in ſpeciali faciendam, quæ oſtenſio in cujuslibet conſcientia & memoria producta dici poteſt ille liber, de quo ſonat illud lugubre Eccleſiæ: *liber ſcriptus proferetur, unde mundus judicetur.* Nimis longum inſumatur tempus, probabile eſſe hanc oſtenſionem fieri mentaliter modo dicto in ratione primi: diſceptationem verò & prolationem ſententiæ vocaliter.

14 Quæres 6. *An illud ſingulare ſignum extremi judicii, nempe crux Chriſti eadem, in qua redempti ſumus, in aëre rutilabit, vel alia crux ex aëre formanda apparebit?*

Reſp. *Probabiliter eamdem crucem, in qua redempti ſumus, apparituram eſſe.* Ratio eſt: tum quia Eccleſia de S. cruce canens utitur articulo demonſtrativo: *hoc ſignum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* quod confirmat S. Chryſoſt. hom. 77. in Matth. dicens: *tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo, hoc eſt, crux ipſa. Crux enim ſole fulgentior videbitur - - - - cruorem in ſuam juſtificationem ſecum habens in judicium veniet.* Tum quia ex illa cruce reali major erit juſtorum gloria & impiorum contumelia. Tum quia per illam crucem efficaciùs omnes judicantur & convincentur reprobi præſertim judæi, qui ad hoc lignum Chriſtum condemnârunt, ſicut baculo, qui vapulavit, baculum in judicium affert.

Nec dicas cum Abulenſi: in Sacra Scriptura tantùm dicitur: *apparebit ſignum crucis*, non verò illa ipſa crux, in qua pependit mundi ſalus. Imò hæc S. crux nimis parva eſt, ut ubique terrarum conſpici poſſit: ergo potiùs alia major ex aëre formanda eſt. 15

Reſp. ad 1. ideo crucem, in qua redempti ſumus, non vocari nudè crucem, ſed ſignum crucis, quia reverà eſt ſignum tam noſtræ redemptionis, quàm futuri judicii, ſicut Scuta imperialia, dum præferuntur, ſunt ſignum adventûs Imperatoris. Imò ipſa vera crux eſt ſignum crucis, hoc eſt, inſtrumentum habens figuram crucis. Ad 2. dico: non eſſe neceſſe, quòd S. crux ſuper omnes mundi partes viſibilis appareat, ſed ſatis eſt, quòd in principalioribus conſpiciatur, & ab omnibus ſucceſſivè videri poſſit, præſertim ſi angeli, ut fieri poteſt, eam ſint per totum orbem delaturi in ſignum immediatè advenientis judicis. Hinc S. crux illa, quamvis lignea ſpeciali DEI providentiâ uſque ad finem mundi conſervabitur illæſa, nec igne conflagrationis conſumetur, aut purgabitur, cùm ipſo contactu pretioſo & ſanguine redemptoris noſtri fuerit purgata.

Quæres 7. *In quo loco extremum judicium ſit futurum?* 16

Reſp. cum Scoto cit. *probabiliter in valle Joſaphat* juxta illud Joëlis 3. *& congregabo omnes gentes, & ducam eas in vallem Joſaphat: & diſceptabo cum eis ibi - - - - conſurgant & aſcendant gentes in vallem Joſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Cùm verò Apoſtolus 1. ad Theſſ. 4. velit, quòd boni rapientur obviam Chriſto in aëre, dici poterit, quòd ſolùm mali relinquentur in terra in valle Joſaphat, vel in circuitu in tanto loco, quantus poterit eos capere, ad quos fortè judex deſcendet inferius in aëre, in quo fuit in transfiguratione coram Apoſtolis, in qua transfiguratione oſtendit ſignum gloriæ ſuæ.

Quæres 8. *Quandonam extremum judicium ſit futurum?* 17

Reſp. *Tempus futuri judicii extremi à nullo poſſe prædici.* Ratio eſt ipſum verbum DEI tum Marci 13. dicentis: *de die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque filius hominis, niſi ſolus pater.* Item Matth. 24. *de die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi ſolus pater - - - & vos eſtote parati, quia, qua neſcitis horâ filius hominis venturus eſt.* Item Act. 1. *non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua*

ſua poteſtate. Tandem 1. ad Theſſ. 5. *de temporibus & momentis fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis, ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Nihilominus tamen viſis veriis ſignis, de quibus Scriptura mentionem facit, colligendum erit illum diem non longè abeſſe.

QUÆSTIO II.

De variis quæſitis circa ultimam conflagrationem mundi.

18 QUæres 1. *Utrum in extremo judicio, & fine mundi totus mundus ſit conflagraturus ſeu purgandus igne?*

Ante Reſponſionem. obſerva: valde conducere ed majeſtatem judicie quædam mirebilie ſigna adventum ejus præcedentie & concomitantie. De præcedentibue aliqua retulimue in noſtro Tomo 2. Tract. 3. D. 12. q. 1. prop. 2. & ſequentibus. de Antichriſto. De coucomitantibua verò, & Chriſtum ſetie propinquè circumſtantibue S. Hieronymus aliqua refert ex annalibue judæorum, quorum tamen veritatem judicio mejorum relinquit diſcutiendem; dicitur autem ibi, quòd per quindecim dies, ſingulie diebus novum præcedet ſignum: primo die elevebitur mare 40. cubitie ſuper altitudines montium, ſtane ſuper illos tanquam murus. Secundo die tantum deſcendet, ut vix videri poſſit. Tertiò beſtiæ marinæ conſpicientur ſuper mare, & rugient uſque in cœlum. Quertò ardebit mare & omnes aquæ. Quintò arbores & herbæ ſtillabunt rorem ſanguineum. Sextò corruent ædificia. Septimò petræ ellidentur ad invicem. Octavò fiet univerſalia terræ motus. Nonò æquebitur terra. Decimò exibunt homines de cavernie velut amentes nihil præ confuſione loquentes. Undecimò ſurgent multe oſſa mortuorum, & ſtabunt ſupra ſepulchra ſua. Duodecimò cadent ſtellæ de cœlo. Decimò tertiò morientur multi viventes. Decimò quartò ardebit cœlum & terra. Decimò quintò fiet novum cœlum, & nova terra, & reſurgent omnes. De his ſignie cùm præ reliquis in Scriptura manifeſtiùs appareat decimum quertum de illo incendio univerſali mundi, Scotue de hoc etiam accuratiùa tractavit. Quare

Reſpondeo ed quæſitum cum Scoto in 4. D. 47. q. 2. §. *Reſpondeo. Affirmativè.* Ratio eſt: quia id Scriptura clarè perhibet Pſel. 96. *ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Item Iſa. 66. *ecce dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis, quia in igne dijudicabit.* Præcipuè verò 2. Petri 3. *Cœli ardentes ſolventur: elementa verò ignis ardore tabeſcent.* Qund & plurimi SS. PP. confirmant; in ſpecie S. Hieronymue in Pſal. 49. & 96. S. Auguſtinue lib. 20. de Civitate DEI c. 24. S. Hippolytus de conſummatione mundi. Ac ideo canit Eccleſia: *in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt & terra, dum veneris judicare ſaculum per ignem.* Retio verò congruentialis eſt: tum quie mundus ex tam diverſis partibue confletus immundiriam quamdam & fœtorem ex tot mutationibus & corruptionibus contrahit: ergo aliquando purgari debet; ſed non alio commodiori tempore, quàm in conſummetione mundi, quando & homo, propter quem hic mundue conditus, renovebitur per dotes corporis glorioſi acquirendi. Cùm minimè deceat hominem glorioſum aſpicere & inviſere terram ita immundem & fœdetem: & probebile ſit beatoa interdum deſcenſuros in terram tum ad magnificaude ſtupenda opera DEI; tum ad habendam conſolationem accidentalem ex locis, quæ ipſie cauſa & occaſio meriti & beetitudinie fuerunt. Tum quia impuritas variarum rerum mundi ſemper ed corruptionem diſponit. Sed ad finem mundi omnia ad incorruptionem innovari debent: & pro tunc ceſſabit purgatio ad influxum aſtrorum, quæ modò eſt: ergo pro tunc erit purgandue; ſed non per aliud aptiue medium, quàm per ignem: ergo. Min. prob. non per aquem, quamvis hæc ſemel tempore Noë fuerit medium purgendi mundum. Tum quia aqua non hebet hanc vim omnia innovandi, piſces enim & multa alie mixta, ut lapides, terra, aër in equa remenent vel illæſa, vel megis deturpata, quàm innoveta. Tum quia aqua non gaudet virtute diſſolvendi ſalcem tam citò, ſicut ignie, corpore extranee; ignie enim citò omnia conſumit. Cùm igitur in conſummatione mundi DEUS ejus innovetionem, & omnium animalium, plantarum & mixtorum præter hominem extinctionem intendat, aptiue ad hoc medium non erit, quàm ignis.

Nec dicee: ſi ignis aſſumetur ad purgandum mundum, tunc ignis purgaret ſeipſum, quod eſt inconveniens: ergo. 19

Reſp. hoc idem dici poſſe de equa vel elio medio, quod contineretur in mundo. Aſt dico cum Scoto cit. §. *ad argumentum.* quòd ignie ſemper maneat in ſe purus puritate naturali. Tum quia eſt ſummè activus ita, quòd ſtatim converteret in ſe, quidquid extraneæ naturæ eſcenderet ed regionem ignia. Tum quia nihil in corporibue cœleſtibue elevet ad illem regionem ignis puri, ut ſic fieret ignis impurus. Specialiter eutem dicit Scotus: illa impuritaa de fumo ſecrificiorum idolie oblatorum, aut ex peccatis hominum infectorum non aſcendit ad ſphæram ignie; quia nec fumus ille, nec ulla infectio ex actibus immundie poteſt uſque ad ignem aſcendere; ideo non ſequitur ignem purgare ſeipſum; depuratio enim illa ponitur ſolùm propter impu-

ritatem aëris & aliorum contractam ex actibus peceati humani, prout in ſequentibus declarabimue. Interim

20 Quæres 2. *Quæ ſit natura hujus ignis: an de novo creandus, eſſentialiter diverſus ab igne elementari, vel an generandus & eliciendus ex eo?*

Reſp. cum Scoto cit. *Quamvis poſſit aliquis ignis de novo creari, probabilius tamen eſſe, quòd ille ignis incendens mundum non ſit eſſentialiter diverſus ab igne elementari, ſed ex terra vaporibus & exhalationibus generandus.* Ratio 1. eſt, ut dicit Seotua quæſito priori cit. quia ille ignis de novo creandus non includeret contradictionem. Ratio 2. eſt: quia, ut dicit Scorus cit. §. *de ſecundo. Videtur probabilius dicere, quòd ſicut ignis poteſt extra ſuam ſphaeram eſſe in materia aliena, utpote in corpore ignito, ut carbone vel flamma, non quòd ibi ſit in partibus ſolidis vera forma ignis, niſi ponatur, formas ſpecificas diſtinctas ſimul perficere eandem materiam, quod videtur inconveniens:* Sic vapores exiſtentes in aëre per juxtapoſitionem poſſunt igniri, & iſta ignirio ſucceſſiva nunc illorum vaporum, ounc illorum ſaltem pro toro aëre ſuprapoſito regioni habitabili hominum poteſt dici illa conflagratio: ergo ille ignis minimè debet eſſe eſſentialiter diverſus ab igne elementari. Tum quia, ut arguit S. Bonavent. in 4. D. 47. par 2. q. 1. ſicut in diluvio non fueruot oovæ aquæ creatæ, ſed eædem illæ multiplicatæ ſunt, & hoc operante adjutorio ſuperiorum eorporum, per quæ facta eſt elevatio vaporum; ſie etiam credo, quòd non ſolùm ignis, qui eſt in ſphæra ſua, ſed omoes ignes, qui in terra, qui ſuper terram, & qui ſub terra ſuot, concurrent ad illam conflagrationem, ſicut videtur velle Auguſtinus, ut reor, lib. 20. Civit. DEI c. 161. at qui nec aquæ diluvii, nec ignes in, ſub, & ſuper terram ſunt eſſentialiter diverſæ naturæ ab aqua aut igne elementari: ergo nec ignis conflagrationis. Tum quia, ſi ille ignis non eſſet ejusdem ſpeciei cum elementari, tunc DEUS deberet novam ſpeciem ignia creare; ſed hoc videtur inconveniens; cùm omnia poſſint præſtari per ignem elementarem, aut aliàs in globo terraqueo contentum: ergo. Imò juxta communem ſententiam non eſt neceſſitas recurrendi ad ignem elementarem in ſuprema ſua ſphæra infra lunam exiſtentem: ergo nec ad alium ignem eſſentialiter diverſom; aſt accidentaliter diverſum illum ignem agnoſcimus tum propter diverſitatem cauſarum, à quibus generabitur, tum propter admixtas alienas materias. Hinc ratio 3. eſt: quia io prima muodi purgatione per univerſale diluvium non tantùm cauſæ eœleſtea & ſuperiores effundebant aquas, ſed & ipſa terra DEI juſſu profundebat profundas aquarum voragines: ergo ſimiliter in ſecunda purgatione mundi per ignem concurrent omnes cauſæ ignis productivæ; ſed tales ſunt partim ſupra terram, ut in nobibus, prout fulgura & varia meteora ignea indicaot, partim infra terram in viſceribua terræ, ut demonſtrant thermæ calidiſſimæ & montes ignivomi & ſulphurei, partim prope nos, ut ex variis vaporibus, exhalatiooibua mixtis, & lapidibus per motum agitatis conſtat: ergo illa conflagratio univerſalis generabitur ex terræ vaporibus & aliis mixtis, ſive ab aliqua cauſa à DEO parata, ſive per motum accenſis, prout etiam communior ſenſus PP. ſentit de igne, qui pluebat de cœlo ſuper Sodomam Geneſis 19. non enim ſtatim fiogenda ſunt miracula nova, ubi cauſæ naturàles poſſunt aſſignari.

Nec dicas contra 3. partem: Commodiùs poſſet dici illum ignem tum lapſurum è ſphæra ſua elementari; cùm aliunde ignis connaturaliter non exiſtat extra ſuam ſphæram: & ignis ille tam mirabilem modum agendi in toto mundo ſit habiturus: ergo non ita generabitur. 21

Reſp. quamvis aſſumptum non inconvenienter admitti poſſet, cùm ignis, prout ſubjacet nutoi divino, perhibeatur etiam à Scriptura deſcendiſſe in conflagratione Sodomæ & 50. virorum ad preces Eliæ; potiùs tamen illud aſſumptum negandum eſt, prout in ratione ſecundi iofinuavimus; licèt enim ignis non exiſtat connaturaliter extra ſuam ſphæram, quia tamen defactò propter ordinem univerſi ſervatur extra eam in earbone, ferro, vel alio corpore ignito, quamdiu ſupereſt materia combuſtibilis, uti ſentit Seotus paulò ante citatus, talis ignis ſufficiet ad illam conflagrationem; nec eſt neceſſarium, ut ille ignis eodem tempore ſimul totum mundum circumdet, & in cineres redigat, cùm ſatis ſit, ſi notabili ex parte incipiat io aëre, & tunc motu ſucceſſivo, licèt ſatla veloci juxta alimenti expurgandi ſitum modò ſurſum, modò deorſum jam huc, jam illuc ad latera moveatur, & præſertim ab ortu ad occaſum juxta illud Matth. 24. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita erit & adventus filii hominis.* Verum tamen eſt hunc ignem miræ & extraordinariæ virtutis in operando fore, & quidem prout divino imperio ſubjacet taoquam ſupernaturalia quoad modum breviſſimo tempore ingentem mundi machinam pervadet & purgabit: nec omnia corruptibilia v.g. corpora humaoa deſtruet, ſed quaſi præditus diſcerniculo rationis, ſuo indito pondere aliqua deſtruet, & aliqua purgabit & perficiet, ut in ſimili quid videmus in igne infernali mirum in modum ſæviente in corpora damnatorum, quin tamen illa corrumpat.

Quæres 3. *An ille ignis conflagrationis mundi omnia elementa invadet & purgabit?* 22

Reſp. cum Scoto cit. §. *ad argumentum. Omnia elementa, ſi non ſint in ſuprema regione*

ſub

ſub concavo lunæ, illo igne fore purganda. Anteqnam autem de quolibet elemento in particulari afferam rationes,

23 Obſerva: dictum eſſe, *ſi non ſint in ſuprema regione;* nam de igne in ſna ſphæra, & ſub luna exiſtente docet Scotus cit. quòd non purgetur, ſed ſemper maneat in ſe purus puritate naturali, prout ſupra q. 1. in reſponſione ad objectionem retulimus; cujus rationes fundamentales ſunt: Tum quia, ut ignis elementaris in ſe ipſo conflagraret & purgaretur, deberet habere aliquam materiam alienam & impuram; ſed hanc non habet in ſtatione ſuæ regionis: ergo deberet alio illuc transferri; ſed hoc non probaret intentum; cùm ſic non ipſe ignis, ſed illa nova materia impura conflagraret, & purgaretur. Tum quia conflagratio rerum mundi fiet principaliter ob duo: primò ad purgandum mundum ab infectione & impuritate contracta ex peccatis hominum. Secundò, ad purgandum mundum ab infectione & impuritate ex mixtione, & infectione peregrinarum qualitatum; ſed neutra impuritas eſt in igne elementari phyſicè: ergo. Min. patet: quia impuritas phyſica ex peccato non ab alio magis haberetur, quàm ex fumo ſacrificiorum idolis oblatorum, ut ſentit Scotus cit. ſed tam parum illa fumi impuritas poteſt phyſicè aſcendere usque ad ſphæram ignis elementaris, ac quæcunque alia impuritas ex mixtione peregrinarum qualitatum: ergo. Hinc eſt, quòd licèt ſæpiùs in Scriptura fiat mentio de conflagratione mundi, nunquam tamen nominatur ignis; ſed continuò nominatur cœlum & terra; per cœlum autem PP. communiter intelligunt aërem juxta illud: *volucres cœli*, & per terram intelligunt elementa, & alia mixta juxta illud: *Terram autem dedit filiis hominum.* Si tamen aliquis textus de igne afferretur, intelligendus eſſet de igne noſtro inferiore, utpote qui in aliena materia exiſtens infectus eſt peregrinis qualitatibus, & ab his purgabitur. His itaque notatis:

24 Ratio eſt pro elemento aëris (intellige quoad duas regiones ejus, infimæ ſcilicet, & mediæ, quæ abundant nubibus & vaporibus, grandine & fulgure, nam ſuprema, quæ eſt puriſſima & nullis obnoxia peregrinis qualitatibus, non purgabitur; ideo notanter Scotus cit. §. *de ſecundo.* ait: *Et iſta ignitio ſucceſſiva nunc illorum vaporum, nunc iſtorum ſaltem pro toto aëre ſuprapoſito regioni habitabili hominum poteſt dici illa conflagratio*) ratio, inquam, pro illis duabus regionibus aëris eſt: quia tam in prima, quàm in ſecunda aëris reperitur magna impuritas vaporum & exhalationum: ergo purgatione indiget.

25 Nec dicas: 2. Petri 3. dicitur: *Elementa verò calore ſolventur*: ergo totum elementum aëris quoad omnes ſuas regiones eſt purgandum.

Reſp. neg. conſeq. nam in eodem cap. cit. epiſtolæ Petri etiam dicitur: *Mundus aquâ inundatus periit*, & tamen non omnes partes mundi v. g. ignis & aër perierunt; eſt ergo in utroque loco pars pro toto accipienda.

Dices: hac ratione etiam ſecunda aëris regio excludi poſſet à purgatione; quia PP. in illum textum 2. Petri 3. communiter docent ignem conflagrationis non altiùs aſcenſurum eſſe, quàm aſcenderint aquæ diluvii; ſed hæ non inundârunt ſecundam regionem aëris: ergo.

Contra neg. illatum; tum quia PP. per hanc paritatem nihil aliud volunt, quàm quòd ignis realis ſit in univerſa terra excitandus, ſicut olim realis & non apparens tantùm aqua hoc univerſum inundavit; prout ipſe D. Petrus loco cit. clarè dat intelligere. Tum quia finis diluvii & conflagrationis eſt valde diverſus; nam diluvium fuit immiſſum ad delendam omnem carnem (præter 8. animas rationales, & varias pariles ſpecies animalium in arca, & piſces extra arcam) ad quod ſuffecit exceſſus aquarum quinque cubitis ſuper montes tunc exiſtentes. Econtra verò conflagratio univerſi ultra extinctionem omnis viventis etiam reſpiciet expurgationem omnis impuritatis, quæ in ſecunda regione aëris adhuc ſat notabiliter reperitur.

Ratio eſt pro elemento aquæ; tum quia aqua eſt valde impura partim ex peccatis hominum, partim ex adventitiis qualitatibus terræ, aëris, & aliorum mixtorum, quæ ſecum trahit, ac modò groſſitiem, modò ſalſedinem, modò alium ſaporem, modò alium colorem recipit, vel ex diverſitate terræ vel aëris, quem alit. Tum quia aqua quotidianis noſtris neceſſitatibus ſerviens non poteſt non eſſe mixta & impura; mixta enim mixtis non ſimplicibus conſervantur: ergo opus habet purgatione per ignem; nam licèt aqua poſſit abluere quasdam ſordes aut facilè mobiles, non tamen poteſt quæcunque mixta ſolvere, ſicut ignis, qui longè activior eſt. 26

Nec dicas: Apoc. 21. dicitur: *& mare jam non eſt:* ergo mare non purgabitur, ſed planè non erit poſt extremum judicium. 27

Reſp. textum non velle, mare quoad ſubſtantiam eſſe deſtruendum, ſed ſolùm ſecundùm quædam accidentia; nimirum mare non manere ſecundùm groſſitiem & amaritudinem.

Ratio eſt pro elemento terræ: Tum quia id præ reliquis perſpicuè eruitur ex 2. Petri 3. ubi habetur: Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Tum quia omnes rationes, quas hucusque dedimus de conflagratione mundi, à potiori videntur urgere pro elemento terræ, quod præ cæteris omnibus impuritatibus & ſpurcitiis ſcatet. 28

Nec dicas: ergo etiam infernus purgabitur, quia in medio terræ ſitus eſt. 29

Contra neg. illatum; meritò enim hic

carcer excipitur, quia juxta D. Bonavent. in 4. D. 48. q. 3. ut mundus in melius innovatus accommodetur hominibus etiam in carne in melius mutatis, ac delectabilior ſit intuentibus miſeram illam aliquando lachrymarum vallem nunc ita mirabiliter renovatam, conveniens eſt, ut inferni hiatus non expurgetur, ſed ad majorem damnatorum confuſionem & pœnam potiùs repleatur omnibus terræ fecibus & excrementis in eum tempora innovationis terræ, quæ poſt hoc in æternum ſtabit, dejiciendis juxta illud pſal. 74. *fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

30 Quæres 4. *An omnia mixta irrationabilia, animata & inanimata, ut beſtiæ, pecora, arbores, plantæ, ædificia, & quæque alia, ſive naturalia, ſive artificialia; ac tandem etiam paradiſus conflagrabunt & deſtruentur?*

Reſp. deductivè ex Scoto in 4. D. 47. q. 2. §. *de ſecundo.* & §. *ad argumentum.* Solum ignem & aërem in ſuprema regione excipiente, *affirmativè.* Ratio eſt: tum quia ſi non omnia illa mixta recenſita illo univerſali incendio perirent, neceſſarium eſſet ſingulare DEI præſervantis hæc omnia miraculum; ſed hoc non convenit; cùm enim hæc omnia propter hominem fuerint facta, iſto è medio ſublato etiam illa omnia igneo illo flumine abripientur juxta illud 1. ad Cor. 7. *præterit enim figura hujus mundi*, id eſt, ut PP. interpretantur, *pulchritudo, ſpecies*, ſeu *formoſitas* rerum, quæ illo tempore ceſſabit. Tum quia non eſt major, cur toto mundo, id eſt, aëre, aqua & terra conflagrante illa mixta manerent, cùm ſint ignobilioris conditionis, quàm elementa & homines: ergo hæc omnia conflagrabunt juxta illud 2. Petri 3. *Terra autem, & omnia, quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Ubi omnia illa recenſita licèt non in ſpecie & individuo, attamen in genere exprimuntur; & quidem etiam paradiſus, cùm ſe pariter conſtet multis mixtis, ut herbis & arboribus, & immunditiis peccati originalis fuerit impurificatus, ne igitur innovatio mundi in aliquo ſit manca, oportet & hunc expurgari; cùm juxta Scotum in 2. D. 17. q. 2. §. *dico, quod ſic.* Paradiſus adhuc exſtet in terra in quadam regione temperatiſſima, & nobis ignota.

31 Nec dicas: Si illa omnia deſtruentur, hoc univerſum erit mancum & mutilum, ſicut mancum diceretur, ſi tantùm unum elementum deſtrueretur; ubi tamen PP. communiter docent: mundum poſt conflagrationem univerſalem in perfectiorem ſtatum mutandum eſſe: ergo.

Reſp. neg. ant. Nam alia requiruntur ad mundum pro moderno continuæ corruptionis & transmutationis ſtatu, & alia pro illo incorruptionis ſtatu; pro moderno ſtatu utique requiruntur præter elementa alia mixta; mixta enim mixtis conſervantur; pro illo autem incorruptionis ſtatu mixta eſſent inepta; quomodo enim ſine motu aſtrorum, qui illo tempore non erit, uti dicemus in ſequentibus, perdurarent? aut quomodo deſervirent ad ſtatum incorruptionis? Vel enim aliquando avellerentur, ut fructus vel plantæ, vel non? Si primum: fieret nova impuritas & putrefactio. Si ſecundum: vel perdurarent perpetuò, vel aliquando interirent. Si ſecundum? iterum nova eveniret impuritas. Si primum? hoc ſine fundamento de mixtis corruptioni aliàs de ſe ſubjectis diceretur.

Dices: Saltem mixta viventia ſecundùm gradum vitæ ſunt perfectiora elementis: ergo ſi hæc manent, & ſolùm purgabuntur, etiam illa mixta manebunt, & tantùm innovabuntur.

Contra neg. conſeq. quia licèt illa mixta ſecundùm gradum vitæ ſint nobiliora elementis, hæc tamen ſecundùm durationem & incorruptionem ſunt perfectiora; incorruptio autem propriè decet illum ſtatum juxta illud 1. ad Cor. 11. *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.*

Quæres 5. *An omnes homines illo tempore viventes, tam electi quàm reprobi conflagrabunt & morientur?* 32

Reſp. *Affirmativè.* Ratio eſt: Tum quia non conſtat quo alio mortis genere tunc ſuperſtites ſint tollendi: ergo conflagratione morientur. Tum quia magnum eſſet miraculum, ſi toto mundo cum omnibus ſuis in tali incendio exiſtente ſolus homo ſervaretur illæſus. Tum quia propter quod unumquodque tale, & illud magis tale; ſed propter hominum peccata & impuritatem reliqua conſumentur: ergo & ipſe homo. Tum quia quilibet homo eſt aliquod mixtum: ergo ad incorruptionem & mortem igne purgandus eſt, cùm alius modus purgandi non valeat rationabiliter aſſignari. Hinc S. Hieronymus in pſal. 49. *ignis in conſpectu ejus exardeſcet.* Ita loquitur: *Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem: illuminat enim & exurit. Gaudeant juſti, quia illuminantur ex eo, timeant peccatores, quia exurendi ſunt ab eo.* Quaſi diceret; omnes homines tunc viventes conflagrabunt & morientur hoc igne, cum dolore tamen majori vel minori aut nullo juxta merita majora vel minora cujuslibet, prout aliàs in purgatorio deberent pati.

Nec dicas: SS. Ambroſio & Auguſtino videntur juſti tunc viventes in ipſomet raptu Chriſto obviam in aëra morituri: ergo non conflagrando in igne. 33

Reſp. neg. conſeq. quia poſſunt mori in aëre, ſed tamen per ignem; non enim in his quatuor: mori, per ignem, reſurgere, & obviam rapi in aëra, eſt repugnantia, nam duo priora contingent quidem in inſtanti: pro duobus poſterioribus aderit ſufficiens tempus.

Quæres 6. *An homines electi ex purgatorio tunc liberati ac ad judicium univerſale reaſſum-* 34

ptis

ptis ſuis corporibus reſurgentes; vel etiam electi beati è cœlo avolantes, & ſua corpora reaſſumentes, ad judicium univerſale ſe ſiſtentes illo igne conflagrabunt, aut crucientur?

Reſp. ad utrumque *negativè.* Ratio eſt illud 1. ad Cor. 15. *ſeminatur* (corpus) *in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpirituale.* Sed hic aſſignantur quatuor corporum reſurgentium dotes glorioſæ, inter quas impaſſibilitas & incorruptibilitas non admittunt homines ex purgatorio liberatos reſurgentes aſſumptis ſuis corporibus conflagrare illo igne purgante. Quod confirmat S. Auguſt. lib. 1. de conſol. mortuorum. *Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, & transfigurabitur ſine dubio caro iſta mortalis ad conformationem Chriſti claritatis. Induet mortale immortalitatem. Quia quod ſeminatum eſt in infirmitate, protinus ſurget in virtute.* Obſerva ly *protinus.* Hoc eſt in inſtanti reſurrectionis, de quo inſtanti etiam loquebatur Paulus: *Surget in incorruptione, in gloria &c. erunt igitur illi Sancti tempore, quo mundus univerſus ardebit* juxta S. Auguſt. lib. 20. de Civit. DEI c. 18. *in ſuperioribus partibus, quò ita non aſcendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic ſint, ubi eſſe voluerint - - - ſed nec ignem illius conflagrationis pertimeſcunt immortales, atque incorruptibiles facti, ſicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illæſa potuerunt.* Ex quibus colligere licèt, quòd quidem illi Sancti in igne erunt, ſeu tangentur ab igne fortè permeando, non tamen illum timebunt, ſed permanere poterunt, ſicut tres pueri in fornace Babylonica. Imò electi à cœlo avolantes ſi cogitarent, quòd aliquid adhuc & quidem coram toto mundo, ac ſupremo judice pati & ſuſtinere deberent, non forent ſine notabili triſtitia, quæ eſſet contra ſtatum felicitatis jam habitæ, & perpetuitatis ejus.

35 Nec dices: 1. ad Cor. 3. dicitur: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen, quaſi per ignem:* ergo omnes omnino etiam electi per ignem conflagrantem probabuntur.

Reſp. hunc textum quidem difficilem eſſe; ideò variè reſpondent authores, ſed præcipuè dupliciter; primò concedendo juxta hunc textum omnes eſſe per ignem probandos, non tamen conflagrandos & purgandos; nam probari per ignem non idem ſonat, ac conflagrare aut igne purgari, cùm & tres pueri in fornace Babylonica fuerint igne probati, non tamen purgati & læſi. Secundò dicunt: Apoſtolum ibi diſtinguere duplex genus hominum, quorum aliqui ſuperædificant *aurum, argentum, lapides pretioſos,* ut ibidem loquitur præcit. Apoſtolus, & hi habent opera meritoria, quæ manent, id eſt, igni non ſubjacebunt. Alii verò ſuperædificant *ligna, fœnum, ſtipulam,* ut pariter exprimit Apoſt. qui ſaltem habebunt nævos veniales, & pœnas reſtantes, & hi propriè purgabuntur igne, & *ſalvi erunt quaſi per ignem.* An verò ſic igne cremandi ſint ante, vel poſt reſurrectionem, non reſolvit Apoſt. 1. hinc plerumque controverſiſtæ hunc textum aſſumunt pro probando purgatorio, quia etiam dies mortis hominis poteſt dici dies Domini, quia Chriſtus ſtatim ut judex particulare judicium in morte hominis pertractat. Ex hoc autem nihil contra nos ſequitur, qui etiam admittimus purgationem per ignem reſpectivè ad illos, qui purgandi ſunt per ignem, quales non ſunt beati, quidquid ſit, an tamen ab igne tangantur, ſed ſine paſſione; paucis igitur dici poſſet, in illo textu non eſſe ſermonem de hominibus jam beatis aut electis, è purgatorio liberatis. Plura de his videre poteris apud noſtrum Brancatum, qui Tomo 4. Diſput. 11. in hac materia eſt fuſiſſimus.

Quæres 7. *An etiam cœli Syderei, ſeu Ætherei & Empyrei ab igne conflagrationis aggredientur?* 36

Reſp. deductivè ex Scoto ſæpiùs cit. *negativè.* Ratio eſt: quia ſi hi cœli propriè dicti conflagrarent, induceremur ad hoc aſſerendum ex illo, ubi 2. Petri 3. dicitur: *Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti, ſunt igni reſervati in diem judicii.* Sed hic locus, & plures alii ſimiles ſolùm intelliguntur de cœlo impropriè dicto nempe aëreo juxta illud Eccleſ. c. 10. *aves cœli,* & Matth. 26. *in nubibus cœli,* quæ de cœlo ſtellato propriè tali intelligi non poſſunt, cùm in eo aves & nubes non commorentur, & illud ſit aliunde puriſſimum nulla impuritate conſperſum: ergo non ſequitur &c. min. eſt plurimorum PP. nobis ſufficiat unus S. Auguſt. lib. 20. de Civit. DEI c. 24. dicens: *poſſunt illi cœli intelligi perituri, quos dixit repoſitos igni reſervandos; & ex elementa accipi arſura, quæ in hac prima mundi parte ſubſiſtunt procelloſa & turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit eſſe repoſitos, ſalvis illis ſuperioribus, & in ſua integritate manentibus, in quorum firmamento ſunt Sydera conſtituta - - - ſic à toto pars accipitur in eo, quod dictum eſt: ipſi peribunt; cùm ſoli cœli infimi ſint perituri, quemadmodum in Apoſtolica illa epiſtola 2. Petri 3. à toto pars accipitur, quòd diluvio periiſſe dictus eſt mundus, quamvis ſalva ejus cum ſuis cœlis pars ima perierit.* Quid clarius?

37 Nec dicas: Iſa. 34. dicitur: *Complicabuntur ſicut liber cœli & omnis militia eorum defluet, ſicut folium de vinea & de ficu*: ergo etiam cœli ſunt conflagraturi.

Reſp. neg. conſeq. Nam cœlos eſſe complicandos non dicit eſſe conflagraturos; & hoc modo in illum textum commentatur S. Hieronymus dicens: *& hoc conſiderandum, quod non dicat interire cœlos, ſed complicari quaſi librum, ut poſtquam omnia peccata fuerint aperta & relecta, complicentur, qui priùs aperti fuerant, ut nequaquam ſcribantur ultra in eis delicta multorum.*

Dices: Cœlum fuit etiam infectum peccato Luciferi, & ſequacium Angelorum: ergo etiam purgatione, ſicut diximus de paradiſo.

Contra eſt neg. ant. Non enim cœlum fuit contaminatum peccatis angelorum, ut egeat purgatione; cùm angeli ſtatim, ac peccarunt, fuerint ejecti è ſuis thronis in barathrum obſcurum. Quare, ut peccata aliquem locum inficiant, requiruntur duo: primum, quòd peccatores quà tales per aliquod tempus inhabitent aliquem locum. Secundum, quòd peccata debeant fuiſſe corporaliter perpetrata, prout deſactò corporali ſanguinis effuſione polluuntur loca ſacra. Secus enim non poſſunt aliquam phyſicam, & materialem infectionem cauſare, quòd non poteſt ita de angelis, ſicut de Adamo & Eva propter eſum pomi prohibitum, & corporalem deceptionem illius fructûs ab arbore læſa verificari. Imò ſi cœlum fuiſſet verè pollutum, deberet admitti DEUM & beatos puriſſimos usque in extremum diem judicii eſſe in loco coinquinato; cùm tamen nihil inquinatum intret in regnum cœlorum; hoc tamen non ita inconveniens eſt de paradiſo huc uſque ſervato, & aquis diluvii non attacto juxta Scotum in 2. D. 17. q. 2. §. *dico, quòd ſic.* ob inhabitationem Henoch & Eliæ hominum adhuc mortalium.

38 Quæres 8. *An in extremo judicio, vel poſt ceſſabit motus corporum cæleſtium?*

Ante reſponſionem obſerva 1. Scotum in 4. D. 48. q. 2. per totam, hujus quæſiti momentum ſatis ſolemniter pertractare dicendo §. *in iſta quæſt. primò videndum, quid ſenſerit Philoſophus. Secundò quid Theologi. De primo ſatis patet; apparet enim ex intentione ſua in diverſis locis, quòd ſenſit motum cœli perpetuò duraturum. Ad hoc ponit unam rationem 12. metaphyſicorum*, quam nos paulò poſt in obſervatione 2. afferemus. Pergit autem Scotus adductis aliquibus rationibus phyſicis dicens: *Quòd nec Philoſophus probet neceſſariò concluſionem ſuam, nec Theologi ſuam, nedum per rationem neceſſariam, ſed nec per authoritatem Scripturæ evidentem. Et patet ex dictis, quomodo ſolvantur illa pro ſecunda via*, nempe Theologi. *Rationes autem pro via Philoſophi ſolventur poſtea.* Tandem concludit: *prima pars* (ſeu prima via Philoſophi) *probabiliùs videtur probari per rationem, quàm ſecunda; ſecunda licèt non expreſſè habeatur in Scriptura, magìs videtur concordare cum dictis Sanctorum & Scriptura.*

Obſerva 2. Rationes Philoſophi Scotum adducere tres §. *in iſta quæſt.* prima eſt hæc: perfectiſſima ſubſtantia non caret hac ſua intrinſeca perfectione communicationis ſui ad extra; cùm ſubſtantiæ ex perfectione ſua competat perfectionem ſuam communicare aliis producendo: ergo iſtud maximè competet ſubſtantiis impaſſibilibus, nempe cœlis & planetis, ſed non poſſunt aliquam ſubſtantiam producere, niſi movendo cœlum: ergo. Secunda eſt hæc: extrema ſempiterna ſemper eandem habent habitudinem; ſed cœlum & ipſius intelligentia movens ſunt extrema ſempiterna: ergo ſemper habent eandem habitudinem; ſed pro nunc habent habitudinem moventis & moti: ergo & ſemper. Tertia hæc: quidquid eſt in entibus, vel eſt ſimpliciter neceſſarium, vel contingens ad eſſe, vel non eſſe; ſed in cœlo nihil eſt ad eſſe, vel non eſſe, quia hoc eſſet imperfectio repugnans tali corpori cœleſti; nunquam enim evenit oppoſitum alicujus pertinentis ad illos motus regulares: ergo quidquid ibi eſt, ſimpliciter eſt neceſſarium. 39

Has autem rationes ſolvit Scotus cit. §. *ad argumenta* circa finem. Ad primam reſpondet diſting. min. ſubſumptam: illæ ſubſtantiæ cœleſtes non poſſunt aliquam ſubſtantiam producere, niſi movendo cœlum ſempiternè ſeu æternaliter, neg. pro tempore, pro quo ordinata ſunt à DEO ad talem motum, conc. nam productio actualis alterius ſubſtantiæ non eſt propter bonum illius producentis in ſe, ſed propter bonum univerſi; bonum autem univerſi non requirit in infinitum talem productionem. Et in hoc dicit: figendus eſt pes Theologis arguendo ex creditis; arguendo verò ex probabilibus poſſent dicere: quòd Philoſopho ſit probandum, quòd perfectio univerſi magis requirat generationem continuari, quàm ceſſare, cùm tamen perfectio univerſi poſſit æquè compati generationem ceſſare, quàm continuari, & perpetua quies æquè ſit perfectiſſimus motus, ut volunt Theologi, qui tamen pariter hoc probare haberent. Ad ſecundam reſpondet diſting. maj. habent eandem habitudinem, ſi eisdem extremis conveniat ut naturaliter agentibus & influentibus, conc. ſi utriſque, aut ſaltem uni extremorum conveniat voluntariè & contingenter per extrinſecam DEI ordinationem, neg. unde licèt cœlum & intelligentia movens eſſent extrema ſempiterna, quia tamen intelligentia voluntariè movet, aut ſaltem dependenter à voluntate DEI libera, poteſt aliquando ceſſare, & non habere illam habitudinem. Ad tertiam tandem reſpondet neg. min. quia eſt aliqua contingentia tum ex parte cœli, quia non eſt repugnantia ad hoc, cùm de ſe ſit in potentia

tia contradictionis; tum ex parte ipſius cauſæ voluntariè moventis ſic, quòd ejus voluntas nec neceſſariò determinetur ad movendum, nec ad non movendum, & hæc contingentia eſt contingentia completè ſumpta.

40 Obſerva 3. Econtra & rationem Theologorum adducere Scotum pariter §. *in iſta quæſt.* & prima eſt authoritas Iſaiæ 60. *non erit ibi ampliùs ſol ad lucendum per diem.* Secunda eſt authoritas Apoc. 10. *poſt hoc tempus ampliùs non erit.* Ergo nec motus, cùm tempus in motu conſiſtat. Tertia eſt ratio talis: motus cœlorum tanquam propter finem eſt propter generationem & corruptionem: ergo ceſſante illa generatione fruſtra eſt motus talis; ſed in fine mundi generatio ceſſabit: ergo. Ant. patet per illud 2. de gener. quòd præter lationem diurnam (ſeu lucis) neceſſaria eſt latio ſolis in obliquo circulo, ut ſit congrua generatio & corruptio iſtorum inferiorum. Min. verò ſubſumptam ſupponit Theologus ex Scriptura.

Has authoritates & rationem ſolvit Scotus in eodem §. *in iſta quæſtione.* ad 1. authoritatem cum Magiſtro & S. Hieronymo lib. 17. ſuper Iſaiam. quòd Iſaias non neget ſolem & lunam tunc lucere, prout verba videntur importare, ſed ſolùm ſignificet, quòd his, qui erunt in æterna beatitudine, nullum uſum lucis præſtabunt juxta illud Apoc. 21. *Civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea, quia claritas DEI illuminat eam, & lucerna ejus eſt agnus.* Ad ſecundam authoritatem dicit: quòd poſſit exponi, quòd ampliùs non erit tempus, ut adimpleatur prophetia, quia jam erit omnia adimpleta. Vel ut alii dicunt: non erit ampliùs tempus pœnitentiæ. Ad tertiam ut rationem dicit: illam derideret Philoſophus; nunquam enim aliquid ignobilius eſt finis nobilioris, loquendo de fine perficiente; quidquid ſit de fine proveniente, ſeu qualitercunque terminante, & tunc ex defectu talis finis, quem etiam negaret Philoſophus futurum; cùm ponat generationem perpetuam, ſicut motum cœli: non ſequeretur motum cœli deficere; ſicut nec ex defectu effectûs ſequitur cauſam deficere, maximè ſi effectus deficit non propter defectum hujus cauſæ, ſed alicujus alterius; ſicut ipſe Theologus fateri debet, quòd generatio non deficiat propter defectum cauſæ in ſua cauſalitate, ſed propter voluntatem divinam. Nec ceſſante generatione eſſet fruſtra, quia haberet adhuc finem perficientem ſe in ſua natura, licèt non proveniat ulteriùs aliquis finis extrinſecus; ſicut nec DEUS eſt fruſtra ab æterno, licèt non creaverit ad extra, quæ tantùm ſunt finis proveniens, & quodammodò hæc ferme de verbo ad verbum Scotus. His tamen non obſtantibus:

41 Reſp. ad quæſitum cum Scoto in 4. D. 48. q. 2. §. *ad quæſt. conformius eſſe dictis Sanctorum & Scripturæ tempore extremi judicii ceſſare motum corporum cœleſtium.*

Authoritates ſunt: prima, Zachariæ 14. habetur: *erit dies una, quæ nota eſt Domino, non dies, neque nox: & in tempore veſperi erit lux.* ſed Geneſis 1. dixit DEUS: *fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos:* ergo cùm teſte Zacharia ſupra cit. tempore extremi judicii non erit dies diſtincta à nocte, ſicut modò, illa autem luminaria ſint conſtituta in obſequium univerſi & præcipuè hominis ad diſcernendum diem à nocte, & temporum ſcilicet veris, æſtatis, autumni & hyemis, ac annorum; ſequitur, quòd non habebunt ampliùs motum ſuum, ſed ſtabunt in habitaculo ſuo juxta illud Habac. 3. ſol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, qui textus litteraliter intelligendus eſt de tempore Joſue; præfigurativè verò de tempore extremi judicii. Unde dicit Iſidorus lib. 4. de ordine cauſarum c. 5. *ſtabunt in ordine ſuo,* nempe quem illis DEUS tunc aſſignaverit, non verò in ordine ſuo, quô creati ſunt, ut putat Iſidorus. Hoc enim dicit Scotus cit. §. *ad quæſtionem.* circa finem. Videtur ſatis irrationabile; tum quia ex quo receſſerunt ſemel ab illo ſitu, non redeunt iterum ad eumdem, infra ſpatium triginta ſex millium annorum. Supponendo illud, ut dicit Scotus in 4. D. 43. q. 3. §. *hic ſciendum.* Ptolomæi in Almegeſto: quòd cœlum ſtellatum moveatur in centum annis uno gradu contra motum diurnum ſolis, nam ſic, pergit Scotus priori loco cit. ſequitur, quòd complebitur motus ille cœli ſtellati ab occidente in orientem in triginta ſex millibus annorum. Per conſequens judicium uſque ad hunc terminum oporteret differri poſt creationem mundi, quod non eſt probabile. Tum quia illa ſydera creata ſunt in ſitu maximè convenienti novæ productioni rerum, ſtabunt autem tunc in ſitu maximè convenienti conſervationi rerum ſine nova productione: ergo non poteſt ſitus iſte eſſe ille. Secunda authoritas eſt Iſaiæ 60. ubi dicitur: *non occidet ultra ſol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctûs tui.* Sed ſol & motus cœlorum principaliter à DEO ordinantur ad generationem & conſervationem hominis luctuantis in mundo: ergo ſi dies hujus luctuationis complebuntur, quod fiet per completionem numeri electorum aliquando tunc non occidet ſeu movebitur ultra ſol.

Rationes ſunt: prima, ceſſatio motûs in cœlis nec repugnat ex parte moventis, nec ex parte mobilis: ergo aliquando erit. Conſequentia quidem non videtur legitima, quia eſt de potentia ad actum, valet tamen, quia ſatis conſtat de facto ex Scriptura & PP. cœlos aliquando ceſſaturos à motu, ſeu Scripturam loqui de iſta ceſſatione non tantùm ut poſſibili, 42

ſed

ſed ut futura. Prob. ergo ant. ex parte moventis: voluntas DEI contingenter ſe habet ad movere cœlum & non movere; ſed causâ primâ contingenter ſe habente ad effectum, effectus eſt ſimpliciter contingens, ſeu poteſt ſimpliciter non eſſe ex hoc, quòd illa cauſa poſſit in ſuo ordine non cauſare ſimpliciter, & illa non cauſante nulla alia cauſabit ex intelligentiis, quæ defactò movent cœlos ex voluntaria ordinatione DEI. Ergo. maj. quidem ſolùm adſcribitur Theologis, non verò Philoſophia, & difficilè ſine creditia putatur probari à Theologis contra Philoſophos, quam nos tamen probare tentavimus in Tomo 1. Tract. 1. D. 1. q. 3. prop. 1. vide locum cit. imò Scotus id ſpecialiter ſentit de actibus noſtris liberis & contingentibus ab experientia; ideò in 4. D. 43. q. 2. §. *reſpondeo.* circa finem dicit: *ex ſecunda operatione humana, ſcilicet voluntate poteſt probari idem; quia homo eſt dominus ſuorum actuum, ita, quod in poteſtate ejus eſt determinare ſe ad hoc, vel oppoſitum, ſicut dictum eſt* 2. D. 25. q. 1. *& etiam non tantum ex fide, ſed & per rationem naturalem.* ideò paulo ante de actibus intellectivis dixit: *experimur, quòd aſſentimus complex*[illegible]*ibus ſine poſſibilitate contradicendi vel errandi utpote primis principiis &c. ſi quis autem protervè neget illos actus ineſſe homini, non eſt cum eo ulteriùs diſputandum, ſed dicendum ei: quòd ſit brutum, ſicut nec cum dicente: non video colorem, ibi non eſt diſputandum, ſed dicendum ei: tu indiges ſenſu, quia cæcus: - - - - ita dicendum eſt eum non eſſe hominem, quia non habet viſionem illam interiorem, quam alii experiuntur ſe habere.* nempe de actibus intellectivis in ſe. De actibus autem liberis & contingentibus ſpecialiter loquitur Scotus in 1. D. 39. q. 1. §. *quantùm ad primum.* dicens: *igitur non poteſt oſtendi de ente per aliquod prius medium, disjunctum hoc, ſcilicet neceſſarium vel contingens - - - - & ideò negantes talia manifeſta indigent pœnâ vel ſenſu, quia ſecundùm Avic. 1. metaph. negantes primum principium ſunt verberandi, vel exponendi igni, quouſque concedant; quòd non eſt idem comburi & non comburi, vel vapulare & non vapulare, & ita etiam iſti, qui negant aliquod ens contingens, exponendi ſunt tormentis, quouſque concedant, quòd poſſibile eſt eos non torqueri.* Quamvis autem hæc ſolùm videantur probare contingentiam in cauſatia, quam etiam Philoſophi admittunt, æquè tamen facilè per paritatem aſcendendo ad cauſam probant tam cauſam ſecundam, quàm primam contingenter cauſare, uti probavimus in Tomo 1. loco cit. Probatur etiam ant. ex parte mobilis: motus cœli non eſt naturalis, nec violentus, ſed neuter: ergo non repugnat cœlo exiſtere, & tamen non moveri. Ant. prob. quoad 1. partem: non naturaliter, ut probat Avic. 9. metaph. quia alias, cùm perveniret ad illud, ad quod naturaliter movetur, naturaliter quieſceret, quia motus naturalis eſt ad quietem naturalem in illo ubi, ad quod eſt motus, & per conſequens ad aliud ibi moveretur violenter. Præterea ſequeretur cœlum ſemper moveri naturaliter & violenter ſimul, quia quælibet pars cœli naturaliter quieſceret in illo ubi, ad quod tenderet, à quo tamen per motum continuum iterum recedere deberet. Imò motus non eſt cœlo aliqua perfectio intrinſeca, neque terminus per motum acquiſitus, quia per motum localem (præcipuè quem ens ex natura ſua non intendit) nihil acquiritur, niſi ubi, quod in ente nobiliſſimo & incorruptibili non dicit perfectionem: ergo motus cœli non eſt ipſi connaturalis. Prob. ant. quoad ſecundam partem: motus cœli non eſt violentus; alias receſſus ab illo ubi eſſet ei naturalis, & tunc, ut priùs argutum eſt, eſſet ſimul naturalis & violentus: ergo ex parte mobilis non eſt repugnantia, neque quòd motus continuetur, neque quod finiatur. Secunda ratio eſt: motus localis non eſt cœli virtus aut perfectio agendi: ergo ſine motu poterunt tunc exiſtere. Ant. prob. motus localis ſecundùm Philoſophum 2. de gener. nihil facit, niſi quòd adducat generans, hoc eſt, quòd per ipſum fiat approximatio agentis habentis virtutem propriam ad ipſum paſſum; ſed hæc omnia, nempe tam agens habens virtutem propriam activam, in quantùm fuerit neceſſaria, quàm approximatio ad paſſum, & habitudo ſeu aſpectus ad corpus cœleſte habens determinatam virtutem cauſæ ſuperioris poſſunt tunc poni, quia corpus cœleſte quieſcens eandem virtutem cauſæ ſuperioris habet reſpectu cauſæ inferioris ſuppoſitæ, quam haberet, ſi non quieſceret: ergo pro tunc etiam haberet omnia requiſita ad actionem ſine motu, quæ nunc habet cum motu.

Nec dicas per authoritates: prima eſt ſacra Geneſ. 1. dicitur: *fiant luminaria* &c. *& ſint in tempora, & ſigna, & dies, & annos;* ſed hæc haberi non poſſunt ſine motu eorum: ergo talis motus nunquam ceſſabit. Secunda pariter eſt Geneſ. 8. *cunctis diebus terra æſtus & hyems, nox & dies non requieſcent.* Tertia eſt Philoſophi. 9. Metaph. c. 7. *ſemper agit ſol, & aſtra, & totum cœlum: non autem eſt timendum, ne quando ſtet, quod timent, qui de natura - - - neque enim laborant hæc agentia,* hoc eſt, non fatigantur - - - - *neque enim ſecundùm potentiam contradictionis ineſt ipſis motus, ſicut corruptibilibus, ut ſit laborioſa continuatio motûs,* hoc eſt, ſunt incorruptibilia & neceſſaria. 43

Reſp. cum Scoto §. *ad argumenta:* ad 1. non eſſe finem principalem illorum luminarium, quòd ſint in dies & annos; ſed ille finis eſt ſub fine, nempe pro tempore vitæ mortalis hominum indigentium tali diſtinctione temporum. Cùm autem hæc vita ſemel ceſ-

ſabit,

ſabit, ut oſtendimus in rationibus reſponſionis ad quæſitum, non erit aliquando ille motus luminarium. Ad 2. pariter dico: cunctis diebus terræ, id eſt, cunctis diebus vitæ terrenæ hominis æſtas & hyems dies & nox non requieſcent. Ad 3. rejiciendus eſt Philoſophus, qui malè probat ſuum intentum ex eo, quia agens non fatigatur; agens enim voluntariè poteſt ceſſare ab agendo, licèt non fatigetur in agendo; quia eſt alia cauſa ceſſandi, quàm fatigatio. Nec illud, quòd illa agentia non ſint in potentia contradictionis eſt ad rem; quia ſaltem eſt ibi mobile, & non probatur ſatis, quòd illud non ſit de ſe in potentia contradictionis ad motum & non motum. Oppoſitum enim videtur probabilius, cùm non habeat in ſe, niſi potentiam receptivam mobilis ad motum, & omnis potentia præciſè receptiva videtur eſſe contradictionis.

44 Nec dicas per rationes: prima eſt; univerſum non erit imperfectius, quàm nunc: ergo corpora principalia univerſi non amittent tunc propriam perfectionem aliquam; ſed motus eſt eorum propria perfectio: ergo ad eorum perfectionem requiritur, aliàs fruſtra moverentur. Secunda: aut motus cœli eſt naturalis, aut violentus? ſi naturalis: ergo quies ejus eſt violenta, & per conſequens non erit perpetua, quia nullum violentum perpetuum: ſi verò eſt violentus: ergo non poſſet eſſe perpetuus, quod de tali corpore incorruptibili non eſt ſupponendum. Tertia: ſi cœli non ampliùs moverentur, tunc in una parte hemiſphærii eſſent actiones intenſiſſimæ in hæc inferiora, in alia verò parte vix aliquæ eſſent actiones; in una parte eſſet lux perpetua, in alia oppoſita tenebræ. Quarta: ſequeretur beatos aut damnatos non poſſe aliquid ſucceſſivè cogitare; quia non daretur menſura menſurans hanc ſucceſſionem, nempe tempus, quod conſtituitur per motum. Quinta: in quolibet eſſentiali ordine deſtructo primo deſtruitur omne poſterius. 2. metaph. ſed motus cœleſtis eſt ſimpliciter motus primus. 8. phyſ. ergo illo deſtructo impoſſibile eſt eſſe aliquem motum alium, ſed erit poſſibilis motus localis beatorum, vel alius in inferioribus; ſi enim lignum applicaretur igni, non eſt ratio, quare non poſſet agere in illud. Sexta: congruentius videtur dicere cœlos influere in incorruptibilia, quàm corruptibilia: ergo cùm abſoluto judicio ſint remanſura incorruptibilia, in hæc influent, & quidem non aliter, quàm per motum.

Reſp. cum Scoto cit. §. *ad argumenta.* ad 1. diſting. min. motus eſt propria perfectio cœlorum, reſpectu ſui, neg. reſpectu univerſi, conc. min. per motum enim cœlum non ſe, ſed hæc inferiora perficit; ideo motus eſt ſolùm reſpectu cœlorum perfectio ſecundùm quid, quam deficere non eſt inconveniens, maximè, cùm quies perpetua ibi ſit major perfectio; cùm igitur tunc per mundi innovationem omnia reſidua ſint prorſus perfecta, ampliùs non egent motu aut aſtrorum influxu. Si dixeris motum ſe habere ad quietem, ſicut potentiam ad privationem: ergo eſſe perfectiorem quiete. Contra dico: accipiendo quietem, prout præciſè importat carentiam motùs, concedo omnino hanc tanquam quid negativum eſſe imperfectiorem, quàm motum tanquam quid poſitivum, ſi autem quies accipitur pro ſubſtrato, nempe pro identitate ſeu uniformitate eſſentiæ, iſtud eſt ſimpliciter perfectius poſitivum, quàm poſitivum motûs, nempe quod eſt, ſe aliter & aliter habere. Ad 2. dico: motum cœli ex parte agentis nec eſſe naturalem, nec violentum, ſed voluntarium, licèt ſecundùm Philoſophos talis voluntas neceſſariò determinetur ad agendum. Ex parte autem paſſi motum illum eſſe neutrum, ſicut ſuperficies eſt in potentia neutra ad albedinem vel nigredinem. Nihilominus tamen eſt in cœlo aliqua habilitas ad motum circularem, cùm ſit figuræ Sphæricæ, quæ tamen habilitas non ſufficit ad naturalitatem motûs, ſed ſolummodo ad non violentiam. Ad 3. dico cum Scoto cit. §. *ad quæſt.* vel tunc eſſe eandem rationem agendi aſtrorum, quæ nunc eſt, quæ non eſt immoderata aut intenſiſſima; nam motus non eſt virtus agendi, ſed ſolùm transferendi agens jam habens ſuam virtutem ad paſſum, ut diximus in ratione 2. reſponſionis ad quæſitum; elementa autem & aſtra manerent ita ordinata cum harmonia, ut unum non permittat alterum immoderatè agere. Vel ſi non poſſet inveniri cauſa in ipſo cœlo hujus prohibitionis immoderatæ influentiæ, poſſet poni in voluntate divina conſervante & ita ordinante. Vel dicendum eſt aſtra tunc ex voluntate DEI non influere in inferiora, niſi ad illuminandum, ex quo tamen non ſequitur ex una parte hemiſphærii eſſe meras tenebras, quia etiam alia ſydera & præſertim luna, ut ſol modernus lucebit & illuminabit alteram terræ faciem; & dato, quòd in una parte major fuerit exceſſus lucis, hoc erit refundendum in ſapientiſſimam DEI diſpoſitionem. Ad 4. neg. ſequelam. Rationem ejus diſtinguo: non daretur menſura extrinſeca menſurans hanc ſucceſſionem, conc. non daretur menſura intrinſeca, neg. motus enim primi mobilis juxta communem Scholarum ſenſum eſt menſura extrinſeca; non enim eſt ibi tempus in motu cœli, ſicut una quantitas in alia, quia non oportet ponere duas quantitates in eodem ſubjecto permanente adeóque tempus ultra motum nihil habet, niſi rationem menſuræ formaliter, & fundamentaliter rationes, ad quæ aliquid menſuratur, quæ ſunt uniformitas ſeu regularitas & velocitas. Duratio autem, ſive ipſa rei exiſtentia eſt menſura intrinſeca & propria cuilibet rei, prout in Phyſica decidimus; hæc autem duratio intrinſeca adhuc in illo ſtatu dabi-

tur; nam ut ait Scotus: juxta S. Auguſt. l. 11. conf. c. 10. *ſtante cœlo adhuc moveretur rota figuli.* ſicut ſtante cœlo tempore Joſue & Ezechiæ bellum Joſue ſucceſſivè fuit ſolutum; ſic etiam poſt judicium beati ſucceſſivè ſe movebunt de loco ad locum in cœlo empyreo; unde ille articulus Philoſophorum: *ſtante cœlo ſi applicetur ignis ſtupa, non poterit comburere.* eſt error, dicit Scotus cit. Ad 5. dico: primitatem motûs cœleſtis ad alios motus non eſſe primitatem cauſæ, vel alicujus influentiæ, à quo eſſentialiter dependeat, ſed tantummodò alicujus perfectionis in quibusdam conditionibus motûs, ut ſunt regularitas & velocitas; nam non dependet eſſentialiter actio corporis cœleſtis in aliquod inferius ex motu illius corporis, cùm latio nihil faciat ad generationem, niſi quia adducit generans, ut diximus in ratione reſponſionis ad quæſitum. Per conſequens ſine illo motu generans æquè eſſet approximatum & ageret. Ad 6. neg. ant. nam influxus cœlorum eſt propter generationem & corruptionem, adeóque cùm corruptibilia magis reſpiciat, ad incorruptibilia non requiritur; tandem ſicut nullum eſt inconveniens, quòd angeli ſpiritus perfectiſſimi inſerviant hominibus in cuſtodia & illuminationibus; imò & in movendis aſtris: ita nullum inconveniens eſt cœlos incorruptibiles pro moderno rerum ordine & extrinſecè creatis corruptibilibus; id enim expoſcit tam conditio hujus univerſi, quàm voluntas DEI.

45 Ex his tandem liquidò conſtat ex Scoto in 4. D. 43. q. 3. §. *hic ſciendum* prorſus in vanum ire illum annum magnum, quem aliqui antiqui Philoſophi finxerunt conſtantem triginta ſex millibus annorum ſolarium, poſt quem annum magnum per circuitum temporum dicebant: omnia redire eadem eoſdemque homines; quia redeunte cauſa redibit idem effectus: & tunc omnia redibunt corpora cœleſtia ad eundem ſitum; quia ſupponendo illud Ptolomæi in Almegeſto, quòd cœlum ſtellatum moveatur in centum annis uno gradu contra motum diurnum, ſequitur, quòd complebitur motus iſte illius ab occidente in orientem in triginta ſex millibus annorum. Hunc, inquam, conſtat annum prorſus abire in vanum. Prout etiam eumdem reprobat S. Auguſt. lib. 12. de civit. DEI c. 13. per authoritatem Scripturæ ad Rom. 6 *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur* &c. item 1. ad Theſſ. 4. *ſemper cum Domino erimus.* præterea Pſal. 11. *Tu autem domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.* unde bene de his opinantibus ſubdit Pſalmiſta: *in circuitu impii ambulant,* id eſt, dicunt reditiones circulares, ait Scotus cit.

46 Quæres 9. *Quomodo poſt extremum judicium ſit mundus innovandus?*

Ante Reſp. obſerva: poſtquam noſtrum ſenſum aperuimus de conflagratione mundi, quæ fit per deperditionem, modò aliquid dicendum venire de mundi innovatione, quæ fit per adjectionem alicujus perfectionis. Quamvis igitur hucuſque viderimus varios textus Scripturæ dicere cœlos & terram perituros. ut Pſal. 101. *initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Econtra verò Eccleſ. 1. dici: *terra autem in æternùm ſtat,* Et quaſi aliquam contradictionem importare; ſimiles tamen textus reconciliandos eſſe, ita ut priores non ſint intelligendi de interitu cœli & terræ quoad ſubſtantiam totalem, aut formam ſubſtantialem totalem, ſed ſecundùm quid quoad præſentem figuram, qualitates & modum operandi, ac quatenus non erunt mixta, ut plantæ & ſimilia; quia mundus erit in melius mutatus; unde S. Hieronymus in c. 65. Iſaiæ dicit: *qui putant omnia interire, quæ cernimus, Evangelii interpretantur teſtimonio: cœlum & terra tranſibunt &c. porro qui novitatem, commutationem in meliùs, & non elementorum arbitrantur interitum, illo utuntur exemplo: omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & quaſi amictum involves eos, & mutabuntur &c. in quo perſpicuè demonſtratur perditionem & interitum, non abolitionem in nihil, ſed commutationem ſonare in meliùs. Neque enim illud, quod in alio loco ſcriptum eſt: luna fulgebit ſicut ſol, & ſol ſeptuplum lumen accipiet, interitum ſignificat priſtinorum, ſed commutationem in melius.* Quare reſtat declarandum: quomodo hæc innovatio ſit futura, quod paucis declarabimus; cùm de certo modo non conſtet clarè in Scriptura. His itaque obſervatis:

Reſp. *Cœlos planetarum majus lumen acquiſituros, omniáque elementa mirum in modum perfici.* Ratio 1. eſt ex illo Iſa. 30. *& erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, quâ alligaverit Dominus vulnus populi ſui.* ſuper quæ verba S. Hieron. præcit. ita infert: *luna ergo ſolis fulgorem accipiet, & ſol ſeptuplum lumen accipiet, ſicut fuit lux ſeptem dierum, quando ab initio creatus eſt mundus.* Quam lucem ex peccato hominis aſtra perdiderunt, ut obſervat Gloſſa interlinearis. Accedit ratio: quia mundus poſt extremum judicium eſt innovandus: ergo hoc convenienter etiam de cœlis ſydereis tenendum eſt, quorum decor maximè conſiſtet in luce, per quam ingentem beatis parient delectationem. Hæc tamen accidentalis ſyderum melioratio non erit per ignem, aut alias cauſas naturales, ſed per imperium voluntatis divinæ ſuperaddentis intenſiores gradus lucis. Ratio 2. eſt: quia ſi elementa non innovarentur, & perficerentur, decor univerſi non ſervaretur, nec verificaretur illud Iſa. 65. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora.*

con-

Conſiſtet autem innovatio terræ in ceſſatione à generationibus & corruptionibus herbarum, animalium ex putri materia & in præclara quadam venuſtate. Innovatio aëria in depuratione omnis peregrinæ qualitatis, & additione majoris claritatis. Aquæ innovatio in depulſione ſalſedinis, gravitatis & turbolentiæ, ac additione ſimpliciſſimæ claritatis. Ignis tandem innovatio in ſeparatione peregrinarum qualitatum, & ceſſatione à motu circà terram, & ab actione combuſtiva, lucebitque longè clarior, quàm modò. Totam hanc novam faciem ita nobis ob oculos ponit Joan. Gerſon in ſumma, de gaudiis paradiſi, & S. Bernardinus Senen. Serm. 11. de judicio generali. *Proſcindetur ab igne ejus vis combuſtiva, ab aëre obſcuritas, in quo non erunt nubes, venti, pluvia, aut tonitrua; ab aqua glacialis frigidıtas, à terra gravitas & opacitas* (fortè tantùm usque ad terreum inferni carcerem in centro terræ) *atque luce quadam divinitus perfundentur, & ſpecioſiora reddentur; ita ut terra futura ſit in ſuperficie exteriori prævia, ſicut vitrum, aqua, ſicut chryſtallus, aër, ut nunc cœlum, ignis, ut nunc ſydera.*

Nec dicas: Iſaiæ 60. legitur: *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, neque luna illuminabit te:* ergo non perficientur.

Reſp. Iſaiam intelligendum eſſe: non erit tibi ſol quoad modernum uſum, non autem abſolutè non erit; prout ſupra probavimus. Sol enim duplicem habet ordinem ad hominem, unum ad illius neceſſitatem ſublevandam, alterum ad illius delectabibitatem & decorem univerſi cauſandum, ut ſic homo ſuaviter mirabilia DEI opera contempletur, eorúmque authorem magnificet.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DISTINCTIO XVIII.

De Eſſentia unitate & effectibus Ordinis.

QUÆSTIO UNICA.

Quid & quot ſint ordines: & an Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à ſacerdotio: ac quæ eorum materia, forma & effectus?

1 ADvertendum eſt ex Scoto in 4. Diſtinct. 24. quæſt. un. §. *circa quæſtionem* nomen ordinis latè acceptum ſignificare quemdam reſpectum prioris & poſterioris inter quaſcunqoe res juxta illud Auguſtini lib. 19. de Civit. DEI cap. 13. quod *ordo eſt rerum parium diſpariúmque unicuique ſua loca diſtribuens congrua diſpoſitio.* ſtrictè verò gradum eminentem in politia vel Republicâ, ut ordo Senatorius, Equeſtris &c. & hinc ordo ad Eccleſiaſticam Hierarchiam videtur deductus ad ſignificandum certum gradum perſonarum & miniſtrorum ad res divinas deputatorum, & horum miniſtrorum ordo ſumitur activè ſeu pro ordinatione & collatione alicujus poteſtatis, & paſſivè ſeu pro ordine & gradu permanente in facto eſſe, ſeu pro poteſtate ſpirituali, qualiter non eſt Sacramentum, cùm hoc modo non ſit aliquid ſenſibile, ſed ſolùm ſpiritualis poteſtas vel gradus dignè exequendi aliquem actum ſacramentalem in Eccleſia. Ordo verò activè ſeu ordinatio propriè habet rationem Sacramenti Ordinis & eſt de fide contra Novatores hoc Sacramentum exſtare in Eccleſiâ DEI à Chriſto inſtitutum, cùm conſtet ex Evangelio Chriſtum ſuos Apoſtolos ordinâſſe in Sacerdotes & Epiſcopos quando in cœnâ dixit ſolis Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, & poſtea ipſi Apoſtoli ordinaverunt ſeptem illos viros Act. 6. *& orantes impoſuerunt eis manus.* Quod etiam talis ordinatio miniſtrorum ſit inſtituta à DEO patet Act. 13. *ſegregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Et ad Epheſ. 14. *ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam Prophetas, alios paſtores & Doctores.* Et ultra ratio ſuadet, quia exſtat in Eccleſiâ exercitium ſacrarum functionum, & præſertim conficiendi Euchariſtiam & ſacrificium: item abſolvendi à peccatis, quæ non decebant ab omnibus indiſcriminatim exerceri, ideo opus fuit, ut Chriſtus legitimam hanc poteſtatem in ſuâ Eccleſiâ ad hæc facienda relinqueret, & ritum aliquem ſenſibilem inſtitueret, quo talis poteſtas certis quibuſdam perſonis communicaretur, qui ritus dicitur Sacramentum Ordinis. His notatis

Aſſero 1. *Ordo ſeu ordinatio eſt inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiæ præminente, cui convenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam facta à miniſtro idoneo certa verba proferente & ſimul cum intentione debita miniſterium gradus illius aliquo ſigno ſenſibili repræſentans ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam præminentem, quâ ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.* Eſt Scoti cit. & ratio per ſe patet. Solùm igitur notandum eſt, miniſtrum idoneum ordinarium eſſe Epiſcopum quantùm ad Sacros Ordines, nam quantùm ad non ſacros etiam aliqui non Epiſcopi poſſunt 2

eſſe miniſtri: item quis non ab omnibus tenetur omnes Ordines habere veram rationem Sacramenti, ideo præfata definitio debet magis amplè ſumi & intelligi, & deinde omnibus ordinibus applicari.

3 Aſſero 2. *Septem ſunt proprii Ordines ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus.* Ratio eſt ex Trident. Seſſ. 23. c. 2. quia ordo eſt poteſtas præcipuè circa Euchariſtiam vel immediate vel mediatè primo modo verſantur tres majores ut Euchariſtiam conficiendo & eſt Ordo Sacerdotii, vel eam diſpenſando aut tractando in vaſis ſacris, & eſt ordo Diaconatus, vel ſubminiſtrando materiam Euchariſtiæ & eſt Ordo ſubdiaconatûs; hinc legere Evangelium vel Epiſtolam non ſunt actus principales, ſed ſolùm ſecundarii: ſecundo modo remotè verſantur quatuor minores & quidem dupliciter vel diſponendo populum ad convenientem diſpoſitionem ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, vel ad amotionem impedimentorum. Primo modo diſponit Acolythus portando cereum acceoſum ad devotionem interiorem in voluntate excitandam, & Lector per eruditionem credibilium ad devotionem interiorem in intellectu excitandam. Secundo modo Oſtiarius amovet impedimentum arcendo malos & indignos, & Exorciſta arcendo dæmones.

4 Aſſero 3. *Epiſcopatus eſt ordo propriè dictus diſtinctus ab omnibus enumeratis etiam à Sacerdotio.* Eſt Scoti cit. §. *de ſecundo articulo* magis ad affirmativam cum Juriſtis inclinantis, contra Thomiſtas.

Probatur 1. Trident. Seſſ. 23. c. 4. docet: Epiſcopus ad Hierarchicum ordinem pertinere præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, per quos utique intelligit cæteros Ordines: & facit mentionem de ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum & cæterorum: ergo ſicut ordinatio Sacerdotum & aliorum eſt Sacramentum Ordinis, ita & ordinatio Epiſcoporum; cùm Concilium ordinem Epiſcopi numeret ut ab aliis diſtinctum.

Probatur 2. ratione Scoti: Epiſcopo convenit ſpecialis poteſtas quantùm Epiſcopus eſt: ergo vel talis poteſtas eſt Ordinis vel ſolius juriſdictionis? non ſecundum, quia tunc à ſuperiori ut Pontifice vel Archi-Epiſcopo poſſet auferri quod eſt falſum, cum nec minor conſecratio, ut eſt altaris, poſſit auferri ab illo. Si primum, habetur intentum; eſt ergo Ordo; & ideo etiam per Epiſcopatum ſpecialis imprimitur character non minùs quàm in aliis minoris conſiderationis ordinibus, cum hoc tamen diſcrimine, quòd character Epiſcopalis per ſe ſupponat priorem ſacerdotalem ex divina inſtitutione, ſicut character confirmationis characterem baptiſmalem à quo dependet, & tamen adhuc ab eo diſtinguitur. Ex quibus etiam patet Epiſcopatum non ita diſtingui à Sacerdotio ſicut alios Ordines inter ſe, quamvis verè diſtinguatur, nam hi ſolùm habent ex præcepto Eccleſiæ, ut ſervetur certa graduatio & connexio, nam quantùm ad ſubſtantiam quivis ordo valeret, etiamſi non ſupponeret alium ante ſe, aliter verò eſt cum Epiſcopatu, qui invalidè conferretur, ſi non antecederet ſacerdotium, quia ita inſtituit Chriſtus, ut Epiſcopo conveniat univerſalitas actuum ſacramentalium, & ideo ſacerdotium includat, cùm aliàs Epiſcopus non poſſit dare in ordinatione Sacerdotis, quod non habet, non tamen econtra ſacerdotium connotet Epiſcopatum.

Probatur 3. Epiſcopatus eſt quidam gradus præeminens & poteſtas ad actus ſacramentales ut ordinandi alios Sacerdotes, confirmandi & conficiendi chriſma, qui aliis ordinibus non conveniunt: ergo eſt verus Ordo diſtinctus. Conſeq. patet: quia non minùs videtur in Eccleſiâ neceſſarius ordo reſpectu actuum nobilium & per ſe ſacramentalium, quàm minùs nobilium & per accidens ſacramentalium, ut Subdiaconatus, Diaconatus &c. & videtur abſurdum ordines minores eſſe veros ordines, & non Epiſcopatum, cùm hujus poteſtas ſit longè excellentior, quàm illorum.

5 Objicies: Si Epiſcopatus eſſet verus ordo diſtinctus, haberet certam materiam & formam; quod eſt de ratione ordinis propriè dicti; ſed de hoc non conſtat: ergo.

Reſpondeo neg. min. Nam materia in conſecratione Epiſcopi eſt manuum impoſitio, & forma: Accipe Spiritum ſanctum, ut habetur in rituali: & ſic Paulus ordinavit Timotheum in Epiſcopum, quæ verba licèt ſint generalia, ſignificant tamen poteſtatem & dignitatem eminentem & Apoſtolicam ex intentione Pauli & traditione Eccleſiæ & indigitant dari gratiam per Spiritum ſanctum. Interim tamen nec Archiepiſcopatus, nec Cardinalatus, nec Papatus eſt verè diſtinctus ordo, cùm non detur alia poteſtas ordinis ſicut in Epiſcopatu, licèt ſint ſuperiores gradus & officia.

Dices: Si Epiſcopatus eſſet diſtinctus ordo à ſacerdotio tunc eſſet ordo Superior & nobilior ſacerdotio; ſed hoc eſt falſum, cùm ſacerdotium habeat nobiliſſimum actum omnium ſacramentalium, & ideo eſt nobiliſſimus ordo jam continens Epiſcopatum: ergo.

Contra eſt ex Scoto cit. vel dicendo Epiſcopatum eſſe nobiliorem, quia includit ſacerdotium & ſupponit illud, cujus ratione major ipſi competit univerſalitas actuum ſacramentalium, & propterea eſſet nobilior & dignior Sacerdotio: vel dicendo non eſſe nobiliorem, licèt enim ut ſimul includit ſacerdotium ſit major eminentia gradûs univerſalis, illud tamen quod præcisè addit Epiſcopatus ſupra ſacerdotium non eſt ita excellens ſicut ſacerdotium,

tium, quia per illud, quod ſibi ſoperaddit, non conveniunt ei actus ita nobiles, quales Sacerdoti per ſacerdotium.

Dices: licèt in eodem ſacerdotio ſeparatim conferatur poteſtas conſecrandi Euchariſtiam & Chriſtus hanc poteſtatem ante reſurrectionem ſuam in Cœnâ Domini tradidit; & poteſtas abſolvendi à peccatis, quam Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam tradidit Joan. 20. *accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c.* non propterea duplex in hoc diſtinguitur ordo, ſed unus habens totam perfectionem: ergo etiam Epiſcopatus cum ſacerdotio unum conſtituet ordinem, licèt in conſecratione Epiſcopi alia quædam poteſtas ad actus ſacramentales tradatur.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia conſecratio Epiſcopi non eſt complementum & pars alicujus totius Ordinis ſacerdotalis, ſicut poteſtas abſolvendi eſt complementum ſacerdotii, quia quando aliquis ritus ſe habet tanquam pars aut partialis perfectio cujuſdam Ordinis totalis ſolet & debet omnino ſimul moraliter cum aliâ parte adhiberi ſaltem in modernâ providentiâ; ſic quia ſpecies vini & panis unum totale Sacramentum conficiunt, debent conjunctim conſecrari; ſic in Sacramento unctionis omnes quinque unctiones ſucceſſivè ſunt perficiendæ. Aſt ordinatio alicujus in Epiſcopum non eſt conjuncta cum ordinatione Sacerdotis, cum non omnes Sacerdotes fiant Epiſcopi, ideo Epiſcopatus non debet dici complere ſacerdotium.

Dices: Communis traditio Eccleſiæ eſt, quod tantùm ſint ſeptem Ordines: ergo Epiſcopatus vel non debet poni ordo, vel ſaltem non diſtinctus à ſacerdotio.

Contra neg. conſeq. vel quia poſſent concedi octo Ordines; communis autem traditio ſolùm loquitur de ordinibus ad ſacerdotium requiſitis, qui ſunt ſolummodo ſeptem. Vel aliter adhuc optimè aſſignantur ſeptem ſolùm ordines ſumendo ſeptimum & ultimum ordinem Sacerdotii amplè, prout non tantùm eſt poteſtas conſecrandi, ſed etiam validè conferendi Sacramenta, quæ requirunt miniſtrum conſecratum, & hoc ſacerdotium deinde tanquam genus dividitur in duas ſpecies ſeu ſacerdotii gradus, ita ut uni ſpeciei ſit relictum hoc commune nomen ſacerdotii: alteri verò ſit attributum nomen proprium Epiſcopatus; & quamvis illi duo ordines unum integrent commune ſacerdotium, non tamen ſequitur, quod non ſint diſtincti ordines, ſicut omnes ſeptem ordines unum integrant completum ordinis Sacramentum, & tamen inter ſe diſtinguuntur.

6 Aſſero 4. *De eſſentia ordinationis Sacerdotis & ejus materia non eſt tantùm traditio pateræ & calicis cum pane & vino, ſed etiam impoſitio manuum, quæ fit à ſolo Epiſcopo, ita ut talis impoſitio ſit vera pars Sacramenti, & non tantùm aliquod ſacramentale, & ſic etiam pro forma ſunt verba Epiſcopi cum utraque materiâ prolata.* Eſt Scoti cit. §. *de tertio.*

Probatur: In ſacerdotio perfecto duplex reperitur poteſtas, quæ utraque ſpectat ad eundem Sacerdotii ordinem, una ſcilicet in corpus Chriſti verum & phyſicum ſeu in Euchariſtiam, altera in corpus Chriſti myſticum & morale ſeu ad peccata remittenda Chriſti fidelibus; ſed hæ poteſtates ſunt eſſentialiter connexæ neceſſitate ordinis & de jure divino, ita ut prior ſine poſteriori ſit pars ſubſtantialis eſſentiæ ſine comparte, vel ut eſſentia ſine primâ proprietate: ergo utraque eſſentialiter partialiter conſtituet adæquatam materiam & formam ordinis Sacerdotii.

Objicies: S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 12. dicit: *Manuum impoſitionem non ſicut baptiſmum repeti non poſſe;* at Sacramentum vel pars ſubſtantialis Sacramenti ordinis iterari non poteſt: ergo manuum impoſitio non eſt pars eſſentialis materiæ Sacerdotii. 7

Respondeo S. Auguſtinum loqui de primâ manuum impoſitione, quæ fit ab Epiſcopo & ſimul à Sacerdotibus ante conſecrationem Euchariſtiæ nullis prorſus verbis adhibitis, & non de ſecundâ, quæ fit ab Epiſcopo ſolo poſt communionem adhibitis verbis: accipite Spiritum ſanctum, quam non ſolùm reputamus pro parte eſſentiali materiæ.

Dices: Sacerdotes tunc fiunt, quando illis dicitur: *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* ſed tunc non imponitur manus, ſed ſolùm porrigitur panis & vinum: ergo.

Contra diſting. maj. Sacerdotes completi & perfecti neg. inchoati & incompleti & ſolùm pro conſecratione Euchariſtiæ conc. maj. hinc ſolùm infertur per argumentum, poteſtatem conſecrandi perfectè conferri independenter à poteſtate abſolvendi: non verò perfectè & completè conferri ordinem Sacerdotii. Et quamvis Scotus in 4. Diſtinct. 19. quæſt. 1. §. *de tertio.* admittat etiam duos partiales characteres imprimi: attamen etiam dicit ſolum unum imprimi in prima poteſtate, & ordinatum per illum ſufficienter diſponi de congruo ad habendam poteſtatem in corpus Chriſti myſticum; & ſic character ſacerdotalis eſt diſpoſitio ad poteſtatem clavium.

Aſſero 5. *Omnes ordines tam partiales ut in Sacerdotio, quàm totales pro ſuo effectu conferunt novum characterem.* Eſt Scoti mox cit. & ratio eſt: quia præſtat dicere imprimi novum & diſtinctum characterem, quam extendi priorem; nequit enim commodè explicari, quomodo fiat talis extenſio qualitatis indiviſibilis cùm talis extenſio abſque impreſſione alicujus qualitatis in anima nequeat concipi; ſed illa qualitas haberet omnes conditiones ad rationem characteris requiſitas: ergo. 8

DISTINCTIO XIX.

De primario Sacerdotis Officio. Id eſt Sacratiſſimo Altaris ſacrificio.

QUÆSTIO I.

In quâ parte Miſſæ eſſentia ſacrificii Altaris conſiſtat: & an utriusque ſpeciei conſecrationem neceſſariò exigat?

1 ADvertendum eſt 1. ex Scoto in 3. Diſtinct. 9. quæſt. unic. §. *hic ſunt.* in omni lege fuiſſe aliqua ſacrificia, hoc eſt aliquos ritus externos, ut genuflexiones vel oblationes victimarum proteſtantes ſummam reverentiam ſommo DEO ſummam dominationem habenti exhibendam, ſubjectionémque in exhibente conteſtantes, atque ita actui interiori talis ſummæ reverentiæ erge DEUM ut ſummum bonum vel ſummum Dominum correſpondentes; quæ ſacrificia ſive propria ſive impropria DEO ſemper placuerunt ut probat Scotus in 4. Diſtinct. 1. quæſt. 7. §. *ad primum argumentum* ex illo Gen. 4. de oblatione Abel & Cain. Item ex illo Gen. 8. de oblatione Noë poſtquam exivit de arcâ. Item Gen. 14. de oblatione Melchiſedech, qui erat Sacerdos DEI excelſi. Item Gen. 15. de oblatione Abrahæ dividentis vaccam. Hæc autem omnia veteria legis ſacrificia miſericordiſſimus DEUS in unicum Novi Teſtamenti ſacrificium, quod unicus ejus filius in arâ crucis obtulit, & Sacerdotes quotidie in Altari offerunt; commutavit. Quare cum principale munus Sacerdotis ſit conſecrare panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti, atque id in ſacrificium ſupra Altare DEO offerre in Miſſa. In præſenti de hoc ſacroſancto ſacrificio differendum erit, atque decidendum in quânam parte Miſſæ hujusmodi ſacrificii eſſentia conſiſtat, & quæ plura pro ſuâ eſſentiali conſtitutione requirat.

2 Advertendum eſt 2. ex mox adductis definitionem ſacrificii propriè dicti elici poſſe: quòd ſit *oblatio externa alicujus rei permanentis DEO exhibita in conteſtationem ſupremi ejus dominii aut excellentiæ: & ſubjectionis ſacrificantis ad ipſum; mediante aliquâ ipſius rei oblatæ deſtructione aut immutatione* per hoc enim, quòd ſit aliqua oblatio DEO exhibita, convenit cum aliis actibus religionis, & quidem ejusdem ſupremæ ſpeciei, quæ eſt latria; illud autem quod dicitur: oblatio externa rei permanentis, diſtinguitur à laudibus divinis, quæ conſiſtunt in verbis. Item ab adoratione, quæ fit per genuflexionem. Per id verò quod additur: *cum aliquâ deſtructione vel immutatione rei oblatæ* diſtinguitur propriè à ſimplici oblatione, cùm ſic ſignificatur DEI poteſtas dominativa, quâ cuncta deſtruere poteſt pro ſuo arbitrio, ſicut nos rem, quam ei ſacrificamus, in ejus honorem deſtruimus, nam ſacrificium requirit victimam, quæ immoletur & immutetur. Hinc per alias tandem particulas *ſupremi ejus dominii & excellentiæ & ſubjectionis ſacrificantis ad ipſum* exprimitur ſacrificii ſignificatio ad terminum immediatè, & diſtinguitur ab oblatione DEO facta mediatè, ut à primitiis, decimis &c. propter hoc tamen non videtur eſſe verum, quod Vasquez Diſput. 220. cap. 3. dicit: nempe in definitione ſacrificii debere poni eſſe ſignum exiſtens in re oblatâ DEO, quo DEUM ipſum auctorem vitæ & mortis profitemur ſeu ejus omnipotentiam; nam per hoc motivum non meliùs diſtinguitur ſacrificium à ſimplici oblatione vel adoratione, quàm propter ſummum DEI dominium in creaturas; laus enim vel adoratio vel ſimplex rei oblatio æquè fieri poſſunt DEO ut auctori vitæ & mortis, ut conſtet ex oblationibus & orationibus pro ſanitate recuperandâ vel recuperatâ. Præterea ſupremum DEI dominium jam aliunde in ſe includit dominium & auctoritatem in vitam & mortem noſtram, imo poſſemus DEO ſacrificare propter ſuam excellentiam ſummam licèt per impoſſibile non eſſet author vitæ & mortis. Minùs adhuc verùm eſt actum internum ſubmiſſionis noſtræ aut omne opus bonum in DEI cultum oblatum, ut prætendunt hæretici, eſſe propriè ſacrificium: aut non eſſe neceſſe, illud debere eſſe viſibile, ut Miſſæ ſacrificium omnino tollant; nam etiam aliis actibus religionis, præſertim adoratione internam animi ſubmiſſionem & DEI excellentiam profitemur, imò etiam per externam templorum ædificationem in DEI honorem; non tamen per hos actus ſacrificamus, cùm victima non deſtruatur verè. Cæterùm tamen verùm eſt, quòd ad hoc, ut aliqua res ſit ſacrificium, non ſufficiat ut ſolùm aliquod ſacrum fiat circa ipſam; aliàs conſecratio Eccleſiæ vel calicis eſſet propriè ſacrificium, quod nemo dicit.

Advertendum eſt 3. in Miſſa plures actiones exerceri, quibus hoc Sacrificium perficitur, prima eſt oblatio panis & vini in offertorio. Secunda eſt conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti. Tertia oblatio, quæ fit poſt conſecrationem per illa verba Canonis: offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram &c. Quarta eſt fractio hoſtiæ. Quinta ſumptio hoſtiæ ab offerente. De quibus actionibus dubitatur: quænam ipſarum præcipuè ad eſſentiam ſacrificii ſpectet, & ſub quânam ratione? ac tandem utrum, ſicut in quâlibet ſpecie conſecrata vera ratio Sacramenti efficaciter ſalvatur: ita etiam in unius tantùm ſpeciei conſecratione vera ratio ſacrificii eſſentialiter ſalvari poſſit. De quibus 3

variæ

variæ ſunt Doctorum ſententiæ, circa quas tam in propoſitionibua, quàm aſſertionibus & noſtrum ſenſum dabimus. His itaque notatis:

4 Propoſitio 1. *Verum & proprium ſacrificium à Sacerdote DEO offertur in Miſſa.* Ratio eſt, tum quia hoc indicat Chriſtus ipſemet dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* Ubi verbum *facite* æquivalet verbo *ſacrificate.* juxta illud Levit. 15. *Sumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* juſſit igitur Chriſtus Dominus hoc myſterium exerceri ad retinendum & perpetuò repetendum ſuæ mortis ſacrificium, quod in hoc Sacramento myſticè renovatur. Cujus textus illuſtrior expoſitio dari non poteſt, quàm S. Andreæ Apoſtoli, dum Ægeæ proconſuli ſuadenti ut Diis immolaret, reſpondit; *ego omnipotenti DEO immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari.* ergo. Tum quia hoc definivit Concil. Nicen. prim. Can. 14. & apertiſſime Trident. Seſſ. 22. Can. 1. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri DEO verum & proprium ſacrificium; anathema ſit.* quod ulteriùs clareſcit ex ipſo Canone Miſſæ, in quo tam frequenter nominatur oblatio, hoſtia, ſacrificium, qui Canon ſaltem à tempore D. Gregorii ante mille annos integer exiſtebat ut modo legitur, & ex parte majori invenitur in liturgiis Græcorum apud Clementem Papam & Dionyſium Areopagitam, qui Apoſtolis convixerunt: ergo. Tum quia in myſterio Euchariſtiæ reperitur completa ratio ſacrificii, nam panis & vinum converſa in Corpus & Sanguinem Chriſti offeruntur DEO in ſignum ipſius ſupremi dominii: eorum oblatio fit per legitimum miniſtrum nempe Sacerdotem ad officium ſacrificandi ſpecialiter deputatum: fit tandem rei oblatæ conſumptio, quia Chriſtus ipſemet definit eſſe, quatenus eſt ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, dum ſpecies Sacramentales per manducationem conſumuntur & deſinunt eſſe: ergo. Tum quia in omni lege hæc tria fuerunt conjuncta: lex, ſacrificium & ſacerdotium, ut DEUS debitè coleretur; ſed in lege novà nihil aliud aſſignari poteſt, quod veram habeat rationem ſacrificii niſi hoc Euchariſtiæ myſterium: ergo. Tum quia in lege nova conceditur proprium ſacerdotium; ſed primarium Sacerdotis officium eſt DEO offerre & ſacrificare: ergo.

Nec dicas: Altaris ſacrificium non eſt verum & reale ſed ſolùm myſticum, quia intervenit tantùm myſtica immolatio victimæ: ergo.

Reſpondeo neg. antec. rationem diſtinguo, ſi per immolationem intelligatur occiſio hoſtiæ concedo, ſi intelligatur Sacramentalis Chriſti deſitio ſub ſpeciebus, nego. Quamvis igitur immolatio hoſtiæ ſit myſtica, eſt tamen adhuc immolatio vera & realis hoſtiæ ſacrificatio, ſufficit itaque ad verum & reale ſacrificium myſtica hoſtiæ occiſio, quæ conſiſtit in Sacramentali Chriſti deſitione ſub ſpeciebus, quando conſumuntur.

Propoſitio 2. *In ſacrificio Altaris res quæ propriè & principaliter immolatur eſt Chriſtus: panis verò & vinum ac etiam ſpecies conſecratæ minùs principaliter offeruntur.* Ratio primi eſt, tum quia Trident. Seſſ. 22. Can. 2. de Chriſto dicit: *in divino hoc officio, quod in Miſſa peragitur idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in arà crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit.* Et hoc modo loquuntur paſſim SS. PP. tum quia in ſumptione Sacramenti immutatur Chriſtus ſufficienti modo ad ſacrificium; nam licèt non deſtruatur quoad eſſe ſimpliciter ſicut in antiquis ſacrificiis victima concremabatur; deſtruitur tamen quoad eſſe Sacramentale, ſeu quoad præſentiam Sacramentalem, quod ſufficit ad proprium Euchariſticum ſacrificium, cùm DEUS id inſtituerit tali extraordinario modo, qui aliis victimis & ſacrificiis non eſt communis. Immolatur itaque in hoc ſacrificio Chriſti humanitas & ſuppoſitum divinum ſicut in cruce oblatum fuit; aſt ſuppoſitum divinum per ſolam communicationem idiomatum, non verò per formalem actionis immolativæ ſubjectionem; cum implicet ſuppoſitum divinum eſſe capax mutationis & ſubjectionis quæ ad ſacrificium requiruntur. Ratio ſecundi patet ex offertorio Miſſæ ubi dicitur: *ſuſcipe ſancte Pater hanc immaculatam hoſtiam* &c. item *offerimus tibi Domine calicem ſalutaris* &c. ſed illud, quod tunc in manibus tenet Sacerdos, eſt ſubſtantia panis & vini, in cujus oblatione, licèt non ſit formaliter immolatio, indicat tamen illud, quod tunc offertur eſſe materiam tranſeuntem ſacrificii & terminum à quo: ergo minus principaliter etiam panis & vinum offertur. Quamvis autem ſubſtantia panis & vini in hoc ſacrificio etiam deſtruatur in proteſtationem divinæ potentiæ, ac proinde ſit aliquomodo materia hujus ſacrificii; quia tamen ejus deſtructio non eſt primariò & per ſe intenta, ſed ſolùm ſecundariò ad verificanda verba conſecrationis & introductionem Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, quæ in hoc Sacramento ſunt primariò & per ſe intenta, ideo nequit eſſe propriè & primariò res & materia ſacrificii, quæ in eo offertur; ſed ſolùm ſecundariò tanquam terminus à quo. Ratio tertii ſumitur ex Trident. cit. Can. 1. dicente: *Chriſtus in Euchariſtia novum inſtituit paſcha ſeipſum ab Eccleſià per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum:* ergo hæ ſpecies ſenſibiles & conſecratæ quodammodo pertinent ad hujus ſacrificii victimam, quæ, ut uſui humano ſit accomodata, debet eſſe ſenſibilis. Quod clarè exprimit Can. *hoc eſt.* de conſecrat. Diſtinct. 2. *hoc ſacrificium duobus conſtat viſibili,* 5

viſibili elementorum ſpecie & inviſibili Domini noſtri JESU Chriſti carne & ſanguine. Tum quia ſpecies ſatis immutantur, nam ſumptione conſumuntur, & conſecratione à ſubjecto abſtrahuntur: ergo nihil obſtat, quin poſſit eſſe tes, quæ etiam in hoc Sacramento ſacrificatur.

Nec dicas: ſi ſpecies panis & vini integrarent rem oblatam, tunc Chriſtus non eſſet hoſtia; ſed hoc eſt indignum Chriſto: ergo. Major patet, quia ſicut ſpecies pertinent ad eſſentiam Sacramenti & Chriſtus non eſt totum Sacramentum, ſed pars Sacramenti, ita etiam Chriſtus non eſſet tota hoſtia, ſed pars hoſtiæ.

Reſpondeo neg. maj. nam ſpecies non poſſunt propriè dici pars hoſtiæ, quia hoc ſonat quid ſubſtantiale, ſicut ſonat ipſa hoſtia, quæ propriè ſtat pro ſubſtantiâ rei oblatæ & non pro accidentibus, quæ ſolùm requiruntur ad reddendam hoſtiam ſenſibilem, quæ quamvis offerantur ſimul cum ſubſtantiâ, non tamen offeruntur ut quid principale & primariò intentum, ſed ſolùm ut quid minus principale & ſecundarium, ſeu ut alii volunt offeruntur ut quo, non ut quod. Ad probam diſparitas eſt, quia Sacramentum primariò conſiſtit in ſignificatione, quod æquè accidentibus ac ſubſtantiæ convenire poteſt: ſacrificium verò in hoſtiâ ſacrificanda conſiſtit; quæ principaliter convenit ſubſtantiæ.

Dices: ſi ſpecies aliquomodo eſſentialiter pertinerent ad rem oblatam, non eſſet idem ſacrificium hodiernum & illud quod fuit olim in cruce oblatum, ſed hoc eſt contra Trident. Seſſ. 22. Can. 2. ſupra citatum: ergo.

Contra neg. maj. quia ut ſit idem ſacrificium ſufficit, quòd ſit idem ſubſtantiale individuum, eſto ſit accidentaliter diverſum; nam etiam per Adverſarios Chriſtus in cruce fuit oblatus cum præſentiâ diviſibili & accidentibus naturæ mortalis, econtra in Euchariſtiâ offertur cum præſentiâ indiviſibili, & accidentibus naturæ glorioſæ; cujus ratio eſt, quia individuatio non deſumitur ab accidentibus, ſed à ſubſtantiâ: ergo variatis accidentibus, dummodo non variatur ſubſtantia ſemper idem manet individuum; idem enim eſſet individuum, quod uno tempore eſſet album, & alio tempore nigrum.

6 Propoſitio 3. *Oblationes verbales nec antecedentes nec conſequentes conſecrationem, nec fractio Sacramenti ſunt de eſſentia vel integritate ſacrificii Miſſæ.* Ratio primi eſt, tum quia tam oblatio antecedens quàm conſequens conſecrationem in eâ formâ & modo quo nunc fit, non fuit à Chriſto adhibita, neque in antiquis liturgiis habetur eodem modo: ergo neutra ſpectat ad eſſentiam ſacrificii. Tum quia: ſi illæ oblationes aliquando omittantur, adhuc ſacrificium eſt integrum & perfectum eſſentialiter, neque opus eſt eas ſuppleri, ut patet in caſu, quô quis conſecraret aquam pro vino & iterum conſecrandum eſt vinum, non præmittitur rurſus oblatio calicis, ſed repetuntur verba Canônis incipiendo: *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt* &c. ut conſtituunt rubricæ Miſſalis: ergo nec ſunt de eſſentiâ nec integritate ſacrificii. Ratio ſecundi eſt; tum quia licèt Chriſtus panem fregerit, illa tamen fractio ſe non habebat formaliter ad rationem ſacrificii, ſed ſolùm materialiter, ut Sacramentum Apoſtolis diſtribueret: ergo non eſt de eſſentiâ ſacrificii. Tum quia, ſi hoſtia conſecrata in calicem decidat antequam frangatur & tota humectetur, non debet dividi, ut diſponunt rubricæ Miſſalis: ergo fractio Sacramenti non eſt de eſſentiâ ſacrificii.

Nec dicas: Scotus in 4. Diſtinct. 13. q. 2. §. *ad quæſtionem* de offertorio loquens dicit: *offertur hoſtia non conſecrata & tunc eſt ſacrificium, non Sacramentum, ſicut Euchariſtia conſecrata conſervata in pixide eſt Sacramentum, licèt non ut ibi ſit ſacrificium, niſi aptitudinaliter:* ergo illam oblationem antecedentem conſecrationem cenſet eſſe de eſſentis ſacrificii panis & oblationem, quæ fit poſt conſecrationem de eſſentiâ ſacrificii corporis Chriſti.

Reſpondeo neg. conſequentiam, nam Scotus dicendo offertorium non ſpectare ad Sacramentum, ſed ad ſacrificium, accipit ſacrificium in latiori ſenſu pro oblatione nimirum etiam cæremoniali, quæ diſponit ad oblationem eſſentialem, qualis eſt conſecratio uti dicemus paulò poſt. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Eſſentia ſacrificii Altaris non conſiſtit in ſolâ conſecratione, nec in ſolâ ſumptione Sacramenti, ſed in utrâque ſimul, magis principaliter tamen in conſecratione, prout eſt oblatio, quâ Sacerdos perſonam Chriſti præ ſe ferens ejuſdem corpus & ſanguinem DEO ſuper Altari offert; in ſumptione verò prout eſt deſtructio ſecundùm eſſe Sacramentale ſpecierum victima per conſecrationem oblata.* 7 Deducitur quoad omnes partes ex Scoto tum in 3. Diſtinct. 8. quæſt. 3. §. *Reſpondeo* dicente: *Sacerdos quotieſcunque Corpus & Sanguinem immolat, totius perceptionis Corporis & Sanguinis participem ſe præbeat, & propterea neceſſariò tenetur ex Chriſti inſtitutione & propter Sacramenti integritatem conficere etiam ſanguinem.* Tum in 3. Diſtinct. 9. quæſt. un. §. *de ſecundo.* ubi ſacrificium Miſſæ appellat *oblationem*, quam Sacerdos debet offerre pro ſe & populo. item quodlibet. 20. §. hic *præmittendum.* ubi habet: *quandocunque Chriſtus ut ſummus Sacerdos offert, panis, quem dat, id eſt, caro ejus, eſt mundi vita.* ſed tunc Chriſtus dicitur ſeipſum offerre, quando dat nobis carnem ſuam, quod non fit, niſi in conſecratione, dum dicit: *accipite & comedite hoc eſt corpus meum.* Ergo de mente Scoti eſt, eſſentiam ſacrificii Altaris conſiſtere in conſecratione prout habet rationem oblationis. Prima pars eſt contra Suarez & Vaſquez.

Se-

Digitized by Google

Secunda contra Angles & Ledeſma. Reliquæ varò pattas ſunt contra varios.

Probatur 1. Pars: in illâ actione Miſſæ ſola non poteſt conſiſtere eſſentia ſacrificii, ad quam pto tatione ſactificii adhuc alia actio neceſſariò ax jure divino taquiritur; ſed ad conſecrationem adhue ſumptio pto rationa ſacrificii naceſſariò ax jura divino requiritut non quidem ſolùm conſequentet & extrinſecè, ſed intrinſecè: ergo. Min. probatur Tridant. Seſſ. 22. cap. 4. docat: *Hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium dignè reverentérque eſſe offerendum ac percipiendum.* Quâ tatione præcipit rubrica Miſſalis, & habetur Can. nihil. & Can. illud 7. q. 1. quòd ſi fortè deficiat Sacerdos poſt conſecrationem & adſit alius quamvis non jejunus debeat hic ſupplera & ſumera: ergo ſi Sacatdos naceſſariò & Indiſpenſabilitar ſnmera debet Sacramentum. Sumptio quoque erit de intrinſecâ & eſſentiali ratione ſacrificii; aliàs non poſſet teddi ratio ſufficiens, cur ſit tam ſtricta obligatio ax præcepto divino ſumendi ſpecies conſecratas, imò aliàs nulla victimæ immutatio eſſet aſſignabilis, quæ tamen neceſſariò exigitut ad rationem ſacrificii, cùm victima offetatur ut ſacrificetur, & priùs debeat eſſe, antaquam poſſit deſtrui, & ſic per oblationam non deſtuitur: ergo.

8 Probatut 2. pars. Si eſſentia ſactificii conſiſteret in ſolâ ſumptione & conſecratio ſe ſolùm haberet ut actio prævia & præparatoria ſau adductiva victimæ ad ſacrificium per ſumptionem ſacrificandæ ſequeretur, quod ſi Sacatdos hoſtiam multò antea conſecratam vel à ſe vel ab alio poſtea ſumerat; talis ſumptio adhue habaret rationem ſactificii, dum fietet intantione offerendi cultum DEO. Imò cum ſumptio etiam conveniat laicis & planè extra ſacrificium ſequeretut, quòd ratio ſacrificii ab uſu Sacramenti differat ax ſolâ diverſitate ſumentis & intentionis, & non ex ipsâ ratione rei & uſu externo, quæ ſunt omnino abſurda: ergo.

9 Probatur 3. pars. Ad conſtituendam aſſentiam ſacrificii nec conſecratio ſufficic ſina ſumptione, nec ſumptio ſina conſacratione, ut ex duabua probis præcedentibus conſtat: ergo ajus eſſentia conſiſtit in utraque actione ſimul.

10 Ptobatur 4. pars. Illa actio magia principaliter concurrit ad eſſantiam ſacrificii propter quam principaliter conſettur poteſtaa ſacrificandi, poteſtas anim ſacrificandi aſt proptet ſacrificium; ſed poteſtaa ſacrificandi principaliter conſartur propter conſecrationem: ergo. Min. probatur: ax fotmâ Sacerdotis adhibita: *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſiâ DEI* &c. quod & Trid. Seſſ. 23. Can. 1. ubi ipſam actionem conſaerandi recenſet primam inter actiones Sacerdotis. Imò actio conficiendi Sactamentum aſt dignior, quàm actio ſumendi illud, quia in conſecrationa magis teptæſentstur paſſio Chriſti, quæ fuit ſacrificium cruentum, cui dainceps ſubſtitutum eſt hoc noſtrum Altaris ſacrificium incruentum, ac tandem in perſona Chriſti exercetur: ergo eſt actio principaliot.

11 Probatur 5. pars. Tum quia Concil. Trident. Seſſ. 22. Can. 1. docet: *Dominum noſtrum Apoſtolos conſtituiſſe novi Teſtamenti Sacerdotes - - - - & eisdem eorúmque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepiſſe per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.* Itam Can. 2. ſtatuit: *ſi quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum; anathema ſit:* argo Trident. aonſecrara ſumit pro offerre, aonſequentet conſecratio ſub tationa oblationia eſt para eſſentialis ſacrificii. Tum quia in formâ ordinationia Sacerdotis dicitur: *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium DEO.* Sed per hanc formam Sacerdoa accipit potaſtatem conſecrandi: argo conſecratio habet tationem oblationia in Miſſa. Tum quia victima tunc dieitur DEO offarri, quando ſupra Altata collocatur in proteſtationem divini dominii & noſtræ ſubjectionis; offerre enim in communi ſenſu ſacrificantium ſignificat hoſtiam ad immolationem sdducera; ſed ex vi conſecrationis corpus & ſanguia Chriſti tanquam victima ſuper Altare immolandum ſub ſpeciebus adducuntur: ergo conſecratio veram habet rationem oblationis in ſacrificio Miſſæ.

12 Probatut 6. pars. Eſſentia & natuta ſacrificii in communi duo includit, nampe oblationem externam, & rai oblatæ deſtructionem; ſed in ſacrificio Miſſæ alia non poteſt aſſignari deſtructio victimæ oblatæ, quàm deſtructio ſpecierum quoad eſſe Sacramentala, quæ exercatur per ſumptionem: ergo ſumptio aſt pars eſſentialis ſacrificii prout aſt deſtructio ſecundùm eſſa Sacramentala ſpeciarum victimæ pto conſecrationa oblatæ.

13 Objicies contra 1. partem: SS. Patres plerumque ſacrificium Altaris axplicant per ſolam conſecrationem nullâ factâ mentiona ſumptionis, cujus mantionia certè non obliti fuiſſent, ſi judicâſſent hoc ſacrificium non in ſolâ conſectationa conſiſtata: ergo.

Reſpondeo SS. Patras ita hoc ſacrificium explicâſſa per conſacrationem, ut ſumptionem nunquam excluſerint, quod autem ſæpius mentionem conſactationis quàm ſumptionia fecerint, eſt ideo, quia conſecratio aſt actio principaliot & admirabilior.

Dices: de fide eſt Chriſtum in ultimâ cœnâ verum obtuliſſa ſacrificium, non tamen eſt da fide ipſum ibidem ſacrificium conſummâſſe: ergo eſſentia ſacrificii non poteſt niſi in ſola conſecrationa conſiſtere; quia non poteſt res certa in principio dubio fundari.

Contra neg. conſeq. quia quamvis non ſit æquè certum Chriſtum ſeipſum in ultimâ cœnâ conſumpſiſſe, eſt tamen ſatis certùm ex SS. PP. id ex Scripturâ Luc. 22. comprobantibus: *non bibam de generatione vitis, donec regnum DEI veniat.* Quæ verba non poſſunt niſi de calice conſecrato intelligi.

Dices: Sacerdos interdum præter ho-
14 ſtiam quàm ipſe ſumpturus eſt conſecrat quoque plures alias, quas non ſumit; ſed etiam in his aliis Chriſtus eſt perfectè ſacrificatus & immolatus: ergo de ratione ſacrificii eſt ſola conſecratio.

Contra neg. min. ſi enim ſumptio habeatur pro parte eſſentiali ſacrificii ut probavimus, certè illæ hoſtiæ non ſumptæ non poſſunt eſſe verè & propriè ſacrificatæ licèt ſint conſecratæ ut tenet Maſtrius & concedit Amicus, ſicut enim non eſt abſurdum, quod deficiente Sacerdote hoſtia ab ipſo conſecrata non perfectè ſacrificetur, donec ab alio ſumatur, ita nec hic in caſu objecto.

Dices: in illâ ſolâ actione debet conſiſtere eſſentialis ratio ſacrificii, quæ in perſona Chriſti exercetur; Chriſtus enim ipſe mediante miniſtro eſt offerens principalis, ſed ſola conſecratio profertur à Sacerdote in perſona Chriſti: ergo. Min. patet, quia ſumptio exercetur in perſona propria: ergo.

Contra neg. maj. retorqueo argumentum hoc modo: in ſacrificio cruento crucis ſolus Chriſtus fuit, qui ſeipſum pro cruce & paſſione obtulit: ergo in illâ oblatione totaliter & adæquatè conſiſtebat ratio ſacrificii cruenti, ita ut mors Chriſti & paſſio illata ad illud eſſentialiter non ſpectaret; quod eſt falſum juxta illud Apoſtoli ad Heb. 9. *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Ex illo autem quòd potiùs conſecratio quàm ſumptio exerceatur in perſonâ Chriſti ſolùm ſequitur conſecrationem eſſe partem principaliorem, quia & ipſe Chriſtus eſt principalis offerens.

15 Dices: ſumptio eſt uſus Sacramenti, quod formaliter differt à ſacrificio eſtque communis laicis, quibus non convenit ſacrificare: neque repræſentat paſſionem & mortem, ſed potiùs ſepulturam Chriſti, cum tamen ſacrificium cruentum in morte, non ſepulturâ conſummatum fuerit, eique ſacrificium incruentum conformari debeat: ergo.

Contra diſting. maj. ſumptio ſecundùm omnem rationem ſui eſt uſus Sacramenti neg. ſecundùm aliquam conc. maj ſumptio enim à Sacerdote facta ſecundùm diverſas rationes eſt uſus Sacramenti & pars ſacrificii: uſus Sacramenti eſt, quatenus refertur ad ſanctificationem ſumentis: pars autem ſacrificii eſt, quatenus refertur ad cultum divinum. Ex his patet ſumptionem laicis non convenire ſub ratione ſacrificii, quia non conſecrant, nec ſunt idonei miniſtri ad hoc ſacrificium perficiendum, ſed eis ſolùm convenit, quatenus eſt uſus Sacramenti. Nec verum eſt ſumptionem non repræſentare paſſionem & mortem Chriſti, cùm expreſſè dicatur 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis.*

Dices: per ſolam conſecrationem Corpus 16
Chriſti totaliter immolatur incruenter: ergo. Antec. probatur: ex vi conſecrationis ponitur Corpus Chriſti ſeparatum à Sanguine & ideo myſticè occiſum, conſequenter & immolatum: ergo.

Contra neg. ant. nam immolatio propriè deſtructionem victimæ importat, Chriſtus autem per conſecrationem non deſtruitur Sacramentaliter, ſed per ſumptionem; quia illa ſola verbalis immutatio per ſeparationem Corporis & Sanguinis non ſufficit ad veram rationem ſacrificii prout de eo hic loquimur; nam dum à parte rei non ſequitur realis illorum ſeparatio, undecunque impedimentum proveniat ſemper eſt verum dicere, quòd immutatio & deſtructio victimæ non intervenerit.

Dices: per ſumptionem ad ſummum deſtruuntur ſpecies, non verò Corpus aut Sanguis Chriſti: ergo ſolâ conſecratione non etiam ſumptione ſacrificatur Corpus & Sanguis Chriſti.

Contra diſting. 2. partem anteced. non verò Corpus & Sanguis Chriſti quoad eſſe ſimpliciter conc. quoad eſſe Sacramentale neg. ant. deſtructio autem Corporis Chriſti etiam ſecundùm eſſe Sacramentale ſeu ſecundùm quid ſufficit ad hoc ſacrificium incruentum, ita ut Corpus Chriſti realiter immolari dicatur, quia per conſecrationem ſub ſpecie panis verè & realiter offertur Corpus Chriſti & per ſumptionem ſpeciei panis verè & realiter manducatur corpus Chriſti.

Dices: actio ſacrifica debet eſſe cauſa ſimpliciter ut res per ſacrificium oblata ſimpliciter deſinat eſſe ſubſtantialiter; ſed hoc facit ſola conſecratio & non ſumptio: ergo. Maj. patet in ſacrificiis holocautomatum. min. probatur: ſola conſecratio conſtituit Chriſtum dependentem à ſpeciebus: ergo hoc ipſo conſtituit eum ſimpliciter obnoxium deſitioni phyſicæ ad corruptionem ſpecierum, ita ut etiam ſemel deſinere exigat etſi ſpecies non ſumerentur: & ſic ſumptio ſolùm facit, quòd citiùs deſinat, non autem quòd abſolutè & ſimpliciter deſinat: ergo. Hinc ſicut non eſt cauſa ſimpliciter deſtructionis rei oblatæ; ita nec eſt pars eſſentialis hujus ſacrificii.

Contra vel neg. maj. Quia Chriſtus hoc ſacrificium quodam extraordinario modo diverſo ab aliis holocautomatibus offerendum inſtituit ut ſupra diximus. Vel tranſmitto maj. in aliquo ſenſu de causâ ſimpliciter prout dicit exigere per ſe primario neg maj. ad ejus probam neg. 2. partem anteced. nam ſumptio æquè eſt cauſa ſimpliciter, ut Chriſtus deſinat ſacramentaliter, ut patet in agno legis veteris ſacri-

ſacrificato, licèt enim ille occiſue non fuiſſet à ſacrificante & naturaliter aliquando interiiſſet, non tamen licèt inferre, quòd illa occiſio non fuiſſet vera & realis cauſa mortis & ſacrificii ejus.

Dices: In ſolâ conſecratione concurrunt omnia ad rationem ſacrificii Altaris neceſſaria: ergo. Anteced. probatur: Duo ſunt in hoc ſacrificio eſſentialiter neceſſaria: primum, quòd ſit mortis Chriſti repræſentativum per ſeparationem ſanguinis à corpore factæ: alterum, quòd ſit ſubſtantialiter deſtructivum rei oblatæ; ſed primum ei convenit vi verborum conſecrationis, ut patet alibi de Sacramento Euchariſtiæ: ſecundum pariter, quia non eſt opus, quòd actio ſacrificativa ſit cauſa phyſica deſitionis rei oblatæ, nec ut ſit hujus cauſa moralis immediata, ſed ſatis eſt, ſi ſit cauſa moralis mediata, ut eſt in conſecratione, quæ moraliter conſtituit ibi Chriſtum cum obligatione Sacerdotis ad ipſum ſumendum: ergo in ſolâ conſecratione ſita eſt ratio ſacrificii.

Contra neg. anteced: ad probam explico utramque partem minoris. Quoad primam dico, licèt conſecratio vi verborum ſit repræſentativa ſacrificii cruenti in cruce oblati per myſticam ſeparationem ſanguinis à corpore, adhuc tamen etiam ſumptio eſt ejuſdem ſacrificii cruenti repræſentativa verior & perfectior, nam ſicut in morte diſſoluta fuit unio animæ cum corpore, ita in ſumptione diſſolvitur unio Chriſti cum ſpeciebus; unde ſicut per illam occiſa eſt humanitas naturaliter, ita per hanc ſacramentaliter. Imò hæc repræſentatio ſacrificii cruenti per ſumptionem & deſitionem ſpecierum eſt magìs propria, quàm illa vi verborum, quia verba conſecrationis repræſentant mortem Chriſti in facto eſſe, nempe corpus Chriſti exſangue & mortuum ac ſanguinem effuſum, atque ita non repræſentant ſacrifitium crucis in fieri, ſed in facto eſſe & Chriſtum jam in cruce ſacrificatum; ſumptio autem repræſentat mortem Chriſti in fieri, actualem nempe diſſolutionem animæ à corpore modò nunc explicatô, quod eſt propriè ſacrificare. Quoad partem ſecundam dico, non ſufficere ad conſtitutionem ſacrificii actionem, quæ ſit cauſa moralis mediata deſtructionis rei, quæ immolari debet, ſed præterea exigitur actualis rei ſacrificatæ deſtructio, quæ in propoſito ſolùm per ſpecierum ſumptionem habetur; hinc licèt conſecratio ſit cauſa moralis mediata ad deſitionem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, niſi inſuper deſinat actu ſub illis, non diceretur actu immolari & ſacrificari.

17 Objicies contra 2. partem: Si ſumptio ſola non eſſet eſſentialiter ſacrificium, tunc fideles non eſſent participes Altaris & ſacrificii Miſſæ, dum corpus Chriſti ſumunt; ſed hoc videtur eſſe contra Apoſtolum 1. ad Corinth. 10. *nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris?* Quod etiam ipſe Canon Miſſæ innuit: *ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus:* ergo.

Reſpondeo cum explicatione ſequelæ majoris; aliud eſſe, fideles non eſſe participes Altaris, & aliud, non eſſe participes ſacrificii; primum negamus, ſecundum ſine præjudicio Apoſtoli concedimus; fideles enim ſunt participes Altaris, quatenus participes ſunt Sacramenti Euchariſtiæ, quod verè & propriè Sacramentum Altaris dicitur; & ideo notanter dixit Apoſtolus, fideles Chriſti corpus ſumentes eſſe participes Altaris, & non dixit ſacrificii; quâ de causâ etiam ita oramus in Canone mentionantes Altare, non ſacrificium.

Dices: in die paraſceves offertur in Eccleſiâ ſacrificium; nam dicitur in offertorio illius diei ſicut in aliis diebus: *Sic fiat ſacrificium in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine DEUS*, ſed in illo die Sacerdos non conſecrat, ſed ſolùm ſumit, quod & Græca Eccleſia per plures dies Quadrageſimæ obſervat: ergo.

Contra neg. maj. Eccleſia enim illo die non conficit ſacrificium, cùm non conſecret; ſed ſolùm Sacerdos participat de ſacrificio ſumpto pro victima pro ſe & pro populo facta; unde meritò populum adſtantem rogat, ut ſacrificium illud, id eſt, res illa in ſacrificium pridie oblata cedat per manducationem in ſuam totiúſque populi utilitatem; quare illa vox ſacrificii loco cit. adducta non ſignificat actionem ſacrificandi; ſed ſolùm Corpus Chriſtus pridie in ſacrificium oblatum.

Dices: in eâ actione ſolùm conſiſtit eſſentia ſacrificii, quæ victimam immutat; ſed ſola ſumptio ſeu Sacramenti conſumptio victimam immutat; quia per hanc ſolam deſtruitur eſſe ſacramentale, quod Chriſtus ut victima habet in hoc Sacramento: ergo.

Contra neg. maj. quia ad ſacrificium pertinet quoque oblatio tanquam ratio generica, omne enim ſacrificium eſt oblatio, quamvis è converſo non omnis oblatio ſit ſacrificium, quia ſacrificium, quamvis eſſentialiter includat oblationem, addit tamen ulteriùs, quòd circa rem oblatam fiat aliqua immutatio; ſi enim res oblata maneret integra, poſſet habere ſolam rationem doni vel ſimplicis oblationis, non verò ſacrificii, non igitur verum eſt omnem actionem eſſentialiter ad ſacrificium ſpectantem debere eſſe rei oblatæ immutativam; nam oblatio ad ſacrificium ſpectans eſt ſolùm ordinata ad victimæ immutationem, non tamen in ſe eſt formaliter talis, cum quo tamen adhuc ſtat, ut ad eſſentiam ſacrificii ſpectare poſſit; cùm ipſa in ſe conſiderata ſit ſufficiens nota ſupremi DEI dominii & ſubjectionis noſtræ: & ita, ut juncta a-

ctioni formaliter immutativæ integret totam eſſentiam ſacrificii.

18 Dices: Conſecratio eſt tantùm victimæ præparatio, quæ ad ſacrificium non pertinet niſi diſpoſitivè; cæteroquin etiam incarnatio ad cruentum crucis ſacrificium ſpectâſſet, cùm per illam victima crucis fuerit præparata: ergo.

Contra neg. anteced. Cùm enim victima incruenta principaliter offeretur & adducatur ſuper Altare ad profitendum ſupremum DEI dominium, non ſolùm eſt victimæ præparatio ſed ipſum quoque ſecrificium partialiter, quia talis actio præſertim in ordine ad actionem immutativam victimæ eſt apta ut accedente DEI inſtitutione fiet formaliter ſacrificium. De incarnatione eutem non eſt paritee, quie hæc non fuit terminata finaliter ad humenitatem ut eſſet victima, ſed propter gloriem ipſius, ut unite verbo eſſet proprius filius DEI, uti diſcurrimus in tractatu de incarnatione præſertim de motivis incarnationis.

19 Objicies contra 3. partem: Si in di plici actione ſcilicet conſecrationis & ſumptionis eſſentialiter conſiſteret ſacrificium, tunc etiam duplex eſſet in illis ſecrificium nempe primum in conſecratione & ſecundum in ſumptione; ſed hoc non eſt admittendum: ergo. Mej. probatur: conſecrario & ſumptio ſunt partee ex æquo hujus ſacrificii: ergo ſicut ſelvetur ejus eſſentia in conſecratione ante ſumptionem, ita in ſolâ ſumptione ſine conſecratione invenitur eſſentia ſacrificii; prout dictum eſt ſupre de die peraſceves: ergo.

Reſpondeo neg. mej. ſicut enim olim in holocauſtis erat unum ſacrificium ex mectatione & combuſtione victimæ conflatum: ita & in propoſito ex conſecretione & ſumprione unum integratur ſacrificium conſummetum & completum, & hoc ideo, quia ſic inſtitutum eſt à DEO in ſui cultum. Ad prob. neg. conſeq. quia in nullâ ex illie partibus ſeorſim ſine alia ecceptа, integra & totelis eſſentia ſacrificii invenitur, ſed tantùm partialis & incompleta; tenemue enim ſumptionem non ſolùm eſſe partem integralem ſupponentem eſſentiam in ſe conſtitutam, ut etiam eliqui ex noſtris volunt, ut Ponciue, ſed verè & propriè eſſentielem, quia per eam præſertim victima deſtruitur, quod verè eſt de eſſentiâ ſacrificii & non tantùm de integritate ejus, adeóque in nullâ ex prædictis actionibus ſola tota retio ſacrificii ſalveri poteſt, ſicut nec quidditas hominis ſalvari poteſt in corpore ſine animâ aut viciſſim.

20 Objicies contra 4. pertem: Retio differentialis eſt perfectior retione generice; ſed ratio ſumptionie ſe habet in ſacrificio per modum differentiæ, cùm denotet immutationem victimæ ſine quâ conſecratio ſolùm eſt retio generica oblationis ſimplicie per modum cultûs latriæ & etiam aliis actibue religionis convenit: ergo ſumptio eſt pars principalior in ſacrificio.

Reſpondeo diſting. maj. Ratio differentialis eſt perfectior in omni retione neg. in ratione diſtinguendi conc. maj. nem ratio generica in ratione communicandi & univerſalitatis etiam excedit differentiam. Concedo autem min. neg. conſeq. licèt ergo ſumptio vel deſtructio victimæ diſtinguat ſacrificium ab eliis actibus religionis, quie tamen conſecratio magis quàm ſumptio repræſentat paſſionem Chriſti, quæ fuit ſacrificium cruentum & in perſona Chriſti exercetur; etiam erit ratio magis digne & principalior. Imò conſecratio plùs habet quàm rationem genericam cultûs latriæ, quia non ſimpliciter adducit donum, ſed jam in ordine ad immolandum & conſumendum, ita ut ſumptio ſit tantùm executio ejus, quamvis ſine hoc non eſſet completum & perfectum ſacrificium; quare ſemper eſt retin principalior.

Objicies contra 5. partem: Trident. Seſſ. 23. Cap. I. & Cen. I. diſtinguit actum conſecrandi & offerendi, dum dicit: Sacerdotibus dari poteſtatem *conſecrandi & offerendi corpus Chriſti:* ergo conſecratio non concurrit ad ſacrificium, ut hebet rationem oblationis. 21

Reſpondeo Trident. ideo ſic loqui, non quia offerre & conſecrare ſint duæ actiones diſtinctæ, ſed quia conſecrare plùs hebet, quàm offerre, multa nemque conſecrantur, quæ non offeruntur ut temple, calices &c. per conſequens voluit Concilium indicare poteſtatem, quæ Sacerdotibus datur ſupre corpue Chriſti verum, non eſſe ad illud quomodocunque conſecrendum, ſed ad conſecrendum offerendo illud DEO, ut victimam in ſacrificio Miſſæ myſticæ immolandum.

Dices: In Miſsà ratio oblationis panis & vini habetur ante conſecrationem, & ratio oblationie corporis & ſenguinis Chriſti poſt conſecrationem: ergo ratio oblationis in Miſsâ non hebetur in conſecratione.

Contra neg. conſeq. quia ut diximus ſupra in propoſ. 3. illas oblationes verbales antecedentes & conſequentes conſecrationem non eſſe de eſſentiâ ſacrificii Miſſæ, ſed merè cæremoniales; eſſentialis enim & propria obletio fit & conſiſtit in conſecratione, nec requiritur ut exprimetur verbis, ſed ſufficit, ut fiat in re cùm non in verbis, ſed rebus aut actione conſiſtat eſſentie ſacrificii, ut patet de Abrahamo ſecrificante filium ſuum, de quo nihil certi conſtat, quòd locutus fuiſſet, ſed ſolùm quòd voluerit filium ſuum occidere in honorem DEI. Imò oblationes illæ vocales non fiunt à Sacerdote in perſonâ Chriſti, ſed in propria perſona miniſtri, ut patet ex verbis Miſſæ; atqui ſacrificium offerri debet in perſonâ Chriſti, ut patet ex verbis conſecrationie, quæ in perſonâ Chriſti proferuntur, atque ideo in

ſolâ

ſolâ conſecratione ſit propria oblatio eſſentialis hujus ſacrificii.

22 Dices cum quibuſdam antiquioribus, conſecrationem ideo ad eſſentiam ſacrificii pertinere, quia habet rationem deſtructionis panis & vini in cultum DEI, cùm ratio ſacrificii exigat deſtructionem victimæ: ergo non ſub ratione oblationis eſt pars eſſentialis ſacrificii.

Contra neg. anteced. quia taliter non diceretur corpus & ſanguis Chriſti ſacrificari, ſed potiùs panis & vinum; cùm illud dicatur ſacrificari, per cujus deſtructionem DEUM colimus; aſt hoc dicere eſſet contra expreſſum ſenſum SS. Patrum teſtantium idem eſſe ſacrificium Miſſæ & crucis: & noſtrum ſacrificium eſſe excellentius ſacrificiis veteris legis, quod non eſſet verum, cum agnus vel vitulus ſit res nobilior pane & vino: neque panis & vinum ſit corpus Chriſti in cruce oblatum.

23 Dices cum Leſſio lib. 2. de perfectionibus divinis num. 95. in tantum conſecratio ſpectat ad eſſentiam ſacrificii, in quantum per eam vi verborum corpus à ſanguine ſeparatur; licèt enim utrumque ſub utraque ſpecie per concomitantiam in victimâ reperiatur; hoc tamen eſt ſolùm per accidens, quia verba quantùm eſt de ſe corpus à ſanguine ſeparant & compoſitum diſſolvunt, atque ita ſacramentaliter illud in victimam mactant ſuper Altare: ergo conſecratio ſub ratione hujusmodi deſtructionis ſeparativæ eſt pars eſſentialis ſacrificii.

Contra, hæc explicatio non diſpliceret, niſi illa ſeparatio eſſet purè myſtica & verbalis, imò pro eſſentiali ratione prorſus excluderet ſumptionem; cùm autem deſtructio victimæ ſacramentalis debeat eſſe realis, illa ſola immutatio verbalis per ſeparationem corporis & ſanguinis ad veram rationem ſufficere non poteſt; nam ubi à parte rei non ſequitur realis eorum ſeparatio, nec diſunio Chriſti à ſpeciebus ſignificans diſſolutionem animæ à corpore non eſt verum ſacrificium, quia vera deſtructio victimæ non intervenit, ut dixi ſupra in objectione contra 1. partem. Hinc ad argumentum diſting. anteced. in quantùm vi verborum ſeparatur corpus à ſanguine myſticè tantùm neg. in quantùm ſeparatur aliquo modo realiter velut anima à corpore conc. anteced.

24 Dices cum Lugone: in hoc ſacrificio non requiritur deſtructio phyſica hoſtiæ, ſed ſufficit humana, ita ut ex vi ſacrificationis hoſtia ponatur ad ſtatum, in quo redditur inutilis ad alium uſum, quàm ſacramentalem; olim enim ſacrificia fiebant non ſolùm per occiſionem animalium, ſed etiam per panis coctionem & vini effuſionem: ergo licèt Chriſtus in conſecratione non deſtrueretur aliquo modo realiter, deſtruitur tamen modo humano, quatenus ad alios uſus extraſacramentales redditur inutilis: ergo conſecratio ut pars eſſentialis ſacrificii habet ſolùm rationem immutationis ſecundùm diverſum modum eſſendi.

Contra neg. anteced. quia talis mutatio non eſſet deſtructiva & deperditiva, cùm non amitteret Chriſtus ſuum ſtatum naturalem priorem in ſe ipso, ſed potiùs eſſet acquiſitiva vel productiva, cùm alium modum eſſendi acquireret, quem priùs non habebat, & ſic non poteſt habere veram rationem ſacrificativam, quæ conſiſtit in actione verè deſtructiva hoſtiæ. Exempla adducta de effuſione vini non ſunt ad rem, ſi enim vinum effuſum in terram ſimul retineretur in poculo, & ſolùm per replicationem fuiſſet in terrâ, non diceretur immutatum mutatione deſtructivâ & ſacrificatum, ſed potiùs mutatione acquiſitivâ novi loci, quæ non ſpectat ad ſacrificium.

25 Dices cum Vasquez: Sacrificium Altaris eſt ſacrificium commemorativum illius ſacrificii crucis & abſoluti: ergo quamvis ad ſacrificium abſolutum requiratur deſtructio hoſtiæ abſoluta, ad ſacrificium tamen commemorativum ſufficiet repræſentatio veræ deſtructionis victimæ, quæ fuit in ſacrificio abſoluto, ſed conſecratio iſtam repræſentat: ergo ſub ratione hujus repræſentationis eſt pars eſſentialis ſacrificii.

Contra diſting. anteced. Sacrificium Altaris eſt præcisè commemorativum neg. eſt commemorativum & ſimul etiam verum in ſe conc. anteced. verum autem ſacrificium debet etiam continere aliquam actualem & præſentem immutationem victimæ, quæ in conſecratione ſolâ non continetur, ideo potiùs habet rationem oblationis victimæ in ordine ad deſtructionem veram per ſumptionem. Aliàs ſi ſola repræſentatio ſufficeret, poſſet dici per ſacrificia veteris legis, quæ Chriſti mortem futuram ſignificabant, Chriſtum fuiſſe verè oblatum, quod verum non eſt. Nec ſatis eſt, quòd Chriſtus ipſe ſit realiter in Altari præsens & ſui ipſius mortem repræſentet, ut verè dicatur ſacrificari incruenter, niſi etiam ſit præſens aliqua ejus immutatio; ſicut ſi aliquis priùs vulneratus poſtea in theatro factum repræſentaret, non diceretur niſi analogicè & repræſentativè vulnerari, ita etiam Chriſtus ſacrificari, niſi aliqua præſens adeſſet vera immutatio.

26 Dices cum Suarez, Aversa & aliis Recentioribus: pro ſacrificio Altaris ſufficit immutatio victimæ productiva, nam hoc ſacrificium fuit taliter inſtitutum; ergo ſub hac ratione conſecratio eſt pars eſſentialis ſacrificii, quatenus Chriſtum producit quoad novum modum eſſe ſacramentalem. Anteced. patet: quia ſicut DEUS colitur per deſtructionem rei, ita etiam poteſt coli per productionem rei. Imò magis propriè per hanc poteſt res dedicari & conſecrari DEO.

 Con-

Contra neg. anteced. nam dicere rem aliquam ſacrificari DEO, quando producitur, nimis impropriè dicitur, poſſet enim ſic DEO ſacrificium offerri generando filios, conſtruendo templa & alia, quod eſt contra communem conceptum ſacrificii prout de facto inſtitutum eſt: & de quo loquuntur SS. Patres requirentes veram deſtructionem immutativam hoſtiæ, ut præſertim D. Auguſtinus lib. 7. de Civit. DEI cap. 5. dicens: *Manducare panem in Novo Teſtamento eſſe ſacrificium Chriſtianorum.* Nam hoc modo præciſè ſacrificium crucis cruentum & mortem Chriſti repræſentat, quàm certè per modum productionis repræſentare non poteſt.

27 Objicies contra 6. partem: per ſumptionem non ſtatim deſinit corpus Chriſti ſecundùm eſſe ſacramentale, quia ſpecies non ſtatim dum comeſtæ ſunt, deſinunt, ſed ut alteratæ in ſtomacho: ergo ſumptio ſub ratione digeſtionis potiùs eſt pars eſſentialis ſacrificii.

Reſpondeo neg. conſeq. Quia quamvis per ſumptionem Chriſtus non ſtatim deſinat ſacramentaliter, ponitur tamen in viâ deſitionis, quod ſufficit, ut immolari dicatur per ſumptionem tanquam per actionem magis ſenſibilem & nobis notam; prout habet communis uſus loquendi, nam cibus dicitur deſtrui & conſumi, cùm manducatur; & ſimiliter in antiquis ſacrificiis victima dicebatur immolari, dum jugulabatur, quamvis aliquando primò poſtea ſequeretur interitus.

28 Aſſero 2. *Sacrificium prout conſideratur ex vi ſuæ inſtitutionis, quod ſit expreſſa & completa repræſentatio ſacrificii cruenti in paſſione Chriſti peracti, utriusque ſpeciei conſecrationem & ſumptionem neceſſariò exigit.* Deducitur ex Scoto in 4. Diſtinct. 8. quæſt. 3. §. *Reſpondeo.* ubi docet integritatem conſecrationis ſub utraque ſpecie eſſe juris divini & Eccleſiaſtici. Prout in priori aſſertione adduximus.

Probatur 1. Chriſtus ſacrificium Altaris inſtituere voluit in modo quodam myſtico, ut toties denuo mactaretur, quoties hoc myſterium exercetur; ſed hæc myſtica mactatio ſine conſecratione utriusque ſpeciei haberi non poteſt: ergo. Maj. patet: Chriſtus ſemel per realem occiſionem & ſeparationem corporis & ſanguinis immolatus non poteſt ampliùs eo modo immolari juxta illud Apoſtoli ad Rom. 6. *Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quòd autem vivit, vivit DEO:* ergo hoc myſterium ſuæ mortis inſtituere voluit per ſacrificium Altaris modo quodam myſtico repetendum. Min. probatur: Chriſtus mortem ſuam effuſione ſanguinis perfecit; ſed hoc non rectè exprimeretur niſi per utriusque ſpeciei conſecrationem: ergo. Min. probatur: per conſecrationem panis ponitur vi verborum corpus Chriſti ſeparatum à ſanguine, & per conſecrationem vini ponitur eodem modo ſanguis ſeparatus à corpore: ergo hac ſola ratione exprimitur quomodo verè & realiter in cruce fuerit ſanguis ſeparatus à corpore, & quomodo Chriſtus verè & realiter per effuſionem ſanguinis ſit mortuus: ergo. Ex his demum patet, quòd oblatio hujus ſacrificii alio modo facta eſſet contra inſtitutionem Chriſti, ut reſtatur Trident. Seſſ. 22. C. 1. docens Chriſtum hoc ſacrifitium inſtituiſſe ſub utraque ſpecie, & ita ipſum conſecrâſſe, præcepiſſe & voluiſſe, ut ſub utraque ſpecie ſacrificium hoc perficeretur, ac eo modo incruente paſſio & mors ejus cruenta repræſentaretur, adducendo etiam verba Chriſti id taliter præcipientis: *hoc facite in meam commemorationem.* Quo fit, ut Eccleſia in hoc diſpenſare non poſſit, quia Eccleſia ſolùm quoad uſum & adminiſtrationem Sacramentorum ſtatuere poteſt ſalvâ ſemper eorum ſubſtantiâ, ſi autem diſpenſaret in oblatione ſacrificii ſub una tantùm ſpecie, non maneret ſalva ſubſtantia ſacrificii inſtituti à Chriſto.

Reſpondent Adverſarii: Hoc totum etiam ſaltem implicitè exprimi poſſe per conſecrationem unius ſpeciei, nam hoc ipſo quòd in conſecratione unius tantùm ſpeciei nominetur corpus diſtinctum à ſanguine, vel ſanguis diſtinctus à corpore, ſatis inſinuatur ſeparatio corporis & ſanguinis.

Contra: quamvis hoc aliquomodo poſſit exprimi, non tamen ita clarè & debitè prout Chriſtus voluit & inſtituit, ſicut per conſecrationem utriusque ſpeciei, quia poſito ſolo corpore in hoſtia vi verborum non exprimeretur clarè mors ejus per effuſionem ſanguinis, nam potuiſſet morbo vel ſuffocatione mori per defectum intrinſecum ſanguinis absque eo quòd effunderetur, ſicut v. g. ut declarat Suarez, non ſufficit dicere in baptiſmo: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis,* quia illa verba minùs clarè & expreſſè ſignificant perſonas Trinitatis, cum Chriſtus voluerit, ut clariùs exprimerentur.

Objicies: in conſecratione uniuscujusque ſpeciei ſalvatur vera & eſſentialis ratio ſacrificii: ergo hoc ſacrificium non exigit neceſſariò utriusque ſpeciei conſecrationem ut partes eſſentiales, ſed ad ſummum ut integrales. Anteced. patet: quia de unaquaque conſecratione verificatur quòd ſit oblatio externa alicujus rei permanentis cum ejusdem deſtructione &c. quæ eſt definitio ſacrificii. Conſeq. probatur: quæ concurrunt ut partes eſſentiales ad unum totum eſſentiale neutrum ſeparatim acceptum fundare poteſt rationem illius, cujus eſt pars & ejus prædicationem in recto ſuſcipere, ut patet de corpore & animâ reſpectu hominis, quem eſſentialiter conſtituunt, nulla enim pars poteſt dici homo. 29

Reſpon-

Reſpondeo diſting. ant. ſalvator ratio eſſentialia ſacrificii ſpecialia Euchariſtici vi ſuæ inſtitutionia expreſſè & completè repræſentativi ſacrificii cruenti in cruce peracti neg. ſacrificii genericè ſumpti pro reali immutatione rei in honorem DEI oblatæ conc. ant. in hoc autem ſenſo ſacrificii ut ſic libenter concedimos in onsqoaque ſpeciè conſecrata ſalvari eſſentialem rationem ſacrificii, non tamen ſacrificii Euchariſtici vi ſuæ inſtitutionis. Unde ad probam conſequentiæ concedo totum, & ideo de unâ ſpecie conſecrata non poteſt in recto prædicari, quòd ſit ſacrificium Euchariſticum vi inſtitutionis perſectum.

Dices: conſecratio corporia non dependet à conſecratione ſanguinis nec econtra: ergo poteſt ons absque alia validè fiari, imò licitè cum diſpenſatione.

Contra diſting. ant. conſecratio corporis non dependet à conſecratione ſanguinia in ratione Sacramenti conc. in ratione ſacrificii neg. ant. nam diſpar eſt utriuaque inſtitutio, ut ſtatim dicemus & circa finam objectionia de diſpenſatione.

Dices: quamvis in ratione Sacramenti utraque ſpecies inſtituta fuit ad integrum convivium ſignificandum, ſingulæ tamen ſpecies inſtitutæ fuerunt ad ſignificandam quoque refectionem partialem, & ideo adhuc validè poteſt conſecrari ona ſpecies ſine altera: ergo hoc idem dicendum eſt de ſacrificio.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia Eochariſtia ſub ratione Sacramenti inſtituta eſt ad modum cibi & potûa ad animam ſatis nutriendam; cibus sutem licèt non ſit integrum & completum nutrimentum absque potu, adhoc tamen nutrit; ſic ergo pariter Chriſti Corpua, quod ſub ſpeciebus pania eſt cibus Sacramentalis, poteſt & debet aliquam nutritionem ſignificare, licèt non integri convivii: aſt ſub ratione ſacrificii repræſentativi ſacrificium cruentum hoc non habet, qois corpus ſub ſpeciebos pania ſeparationem ipſius à ſanguine non expreſſè repræſentat; hinc eſt, quod licèt ex ipſa inſtitutione potuerit colligi partialia ſignificatio ſingularum ſpecierum in ratione Sacramenti, non tamen in ratione ſacrificii. Imò illud habetur ex verbia Chriſti inſinuantis, quòd ſingulæ ſpeciea ſeorſim cauſent gratiam, juxta illud de ſolâ ſpecie pania enunciatum: *qui manducat*
a *hunc panem vivet in æternum*, ideo meritò colligit Eccleſia ſenſum inſtitutionis Sacramenti, ut non ſolùm otriusque ſpeciei, ſed ſingulæ etiam ſua ſignificatio reſponderet; aſt in ratione ſacrificii nullum habemus veſtigium talia volontatia in Chriſto, ſed contrarium omnino colligitur ex modo inſtituendi ſacrificii, cùm voluerit claris & expreſſis mortem ſuam per illud ſignificare.

Dices: æquè per primam conſecrationem aliquid ſacrum fieret & DEO dicatum in Chriſto, qnod factum maneret, licèt ſecunda conſecratio non ſequeretur: ergo in tali caſu haberet veram rationem ſacrificii Euchariſtici partialiter.

Contra neg. conſeq. nam parùm refert, quòd aliquod ſacrum fieret & remaneret, nam ſequitur ſolùm ſacrificium ibi eſſe inchoatum, non verò eſſentialiter perfectum, ſicut jacto fundamento aliquid manet factum ædificii, licèt ædificatio ulteriùs progrediatur, nemo tamen dicit domum eſſe eſſentialiter perfectam, ſed inchoatam. Sic etiam eſt in aliia ſacrificiis, nam ſi animal, quod interfici & comburi præcipirur, priùa interficiatur & poſtea non comburatur, reverà interfectum manet, non tamen propterea ſacrificium eſſentialiter perfectum & oblatum, ſed inchoatum dicirur; idem etiam fuiſſet in ſacrificio cruento Chriſti, ſi poſt flagellationem & infixionem clavorum, mora ſecuta non fuiſſet.

Dices: ratio ſacrificii hujus incruenti con- 30
ſiſtit eſſentialiter in repræſentatione ſacrificii cruenti nimirum mortis Chriſti, quæ eſſentialiter ſita eſt in ſeparatione animæ à corpore; ſed talis repræſentatio ſufficienter in ſolâ conſecratione uniua ſpeciei exprimitur, quia in unaquaque conſecratione vi verborum ponitur & Corpua & Sanguis ſine anims: ergo.

Contra neg. min. licèt enim ut ſupra dixi aliquomodo adſit in unaquaque ſpecie talis repræſentatio, non tamen eſt tam clara & expreſſa ſicut in conſecratione utriusqoe ſpeciei prout Chriſtus eam inſtituit; eo ipſo enim quòd vi verborum in uno loco ponatur corpus ſine ſanguine & animâ, & in alio loco ſanguis ſine corpore & animâ, multò clariùs & expreſſiùa declaratur & exprimitur ſeparatio realia, quæ facta eſt in cruce corporis Chriſti à ſanguine ipſiua & anima.

Dices: ſacrificium Chriſti cruentum non fuit poſitum in ſeparatione ſanguinia ſed animæ à corpore; ſed hæc ſufficienter repræſentatur per conſecrationem ſoliua corporia, cùm vi verborum exprimatur ſolum corpus exſangue & exanime ſub ſpeciebua pania, quamvia ratione concomitantiæ ſit cum anima & ſanguine ibidem: ergo in ſola conſecratione hoc ſacrificium eſſentialiter ſalvatur.

Contra diſting. maj. non fuit poſitum in ſolâ ſeparatione ſanguinis conc. non etiam & non proximiùs in illa ſeparatione neg. maj. ſacrificium enim cruentum formaliter ſumptum non ſolùm fuit mors, ſed etiam cauſa mortis, quæ fuit ſeparatio ſanguinia à corpore, quam ſolùm conſecratio utriuaque ſpeciei proximè & clarè ſignificat, & remotè ſolùm ſeparationem animæ à corpore, quod ad rationem ſacrificii incruenti ſatia eſt. Præterea ambæ conſecrationes repræſentant realem ſeparationem ſanguinis à corpore & animâ non in ſacrificio Miſſæ factam, ſed in cruce, ideo etiam ambæ manant veræ, eſto per concomitantiam

Cor-

Corpua Chriſti ſub ſpeciebua ſit cum ſanguine & animâ, & ſanguis cum corpote & animâ, talis enim ſeparatio non tam attenditur ex re ſignificata per ipſas conſecrationes, quàm ex modo ſignificandi vi verborum, quæ per ſe ſeparationem vel præciſionem unius ab alio ſignificant.

Dices: de ratione ſacrificii Altaris non eſt, ut reptæſenter Corpua Chriſti mortuum & exſangue aut ſanguinem ſine corpore: ergo non requirit neceſſariò conſecrationem utriusque ſpeciei. Antec. probatur: ſacrificium quod modò Sacerdos offert eſt eſſentialiter idem cum illo, quod Chriſtus in cœna ultima obtulit; ſed per illud Chriſtua non repræſentabat corpus exſangue: ergo.

Contra neg. anteced. quia omnes PP. & Concilia dicunt ſacrificium iſtud a Chtiſto fuiſſe inſtiturum in memoriam mortis ejus & peractæ paſſionis in cruce. Ad prob. neg. min, quia repræſentabat etiam Corpus exſangue futurum, quod autem nunc repræſentet præteritum, eſt differentia ſolùm accidentalis; ſicut eriam quòd res oblata tunc fuerit paſſibilis & mortalis, nunc verò impaſſibilis & immortalia non variat eſſentialiter rationem ſarrificii, ſed ſe ſolùm per accidens haber ad rationem ſacrificii; quia ſimiles differentiæ non oriuntur ex parte ſignotum, ſed ſolùm ex ſtatu & conditione rei ſignificatæ; quando enim ſigna conſiſtunt in rebua & non in verbis, tunc ſimpliciter rem repræſentant ſine circumſtantia temporis præteriti vel ſuturi, ſicur imago Chriſti ſimpliciter tepræſentat Chriſtum ſine circumſtantia temporis. Unde dum in conſecratione calicis de ſanguine dicitut: *qui pro vobis effundetur*, quamvis ilia conſectatio ſignificet ſanguinem effuſum, oon obſtat veritati conſecrationis & repræſentationis; illa enim verba, cùm non ſint de eſſentia formæ conſecratoriæ, ut ſuo loco diximus, tantùm tecitativè proferunrur de illu ſanguine, de quo Chriſtus pro illo tempore loquebatut.

31 Dices: ſi ad rationem ſacrificii pettinet conſerratio utriusque ſpeciei ob repræſentationem mortis & paſſionis Chriſti, etiam ad rationem Sacramenti Euchariſtiæ conſecratio utriusque ſpeciei ſpectabit, cùm etiam Sacramentum Euchariſtiæ repræſentet mortem & pſſionem Chriſti juxta illud 1. ad Corinth. cap. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Sed ſupra negavimus conſecrationem utriusque ſpeciei pertinere ad eſſentialem rationem Sacramenti Euchariſtiæ: ergo.

Contra neg. ſequel. maj. diſparitatem ſupra dedimua; quamvis enim ſit eadem actio realia in utroque myſterio, quâ conficitur Sacramentum & oblatio ſacrificii & utrobique ſit idem tetminua actionia, nimirum Chriſtus ſub ſpecie panis & vini, adhuc tamen eſſentia ſacrificii Miſſæ diſtincta eſt ab eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ; primò, quia eſſentia ſacrificii conſiſtir partim in actione ſacrificandi, partim in victimâ oblatâ, eſſentia verò Sacramenti Euchariſtiæ nullo modo conſiſtit in actione, ſed in ſola re permanente, quæ ex actione teſultat. Secundò quia ſacrificium per ſe & immediatè in cultum divinum ordinatur, Sacramentum verò ad noſtram ſanctificationem. Tertiò ſacrificium inſtitutum eſt, ut clarè & exptеſſè ſignificet mortem & paſſionem Chriſti, Sacramentum verò licèt etiam fuerit inſtitutum in commemotationem mortis & paſſionis Chtiſti, non tamen ita clarè & expreſſè ſicut ſacrificium.

Dices: per conſecrationem corporis ſub ſpeciebus panis Chriſtus fit cibua aptus fidelium antequam conſecretur ſanguis ſub ſpeciebua vini: ergo hæc ſola ſufficit ad rationem ſarrificii. Conſeq. patet, ideo in conſecratione eſt ratio ſacrificii, quia per eam corpua redditur aptum, ut edatur, ſicut carnea animalia per ſacrificium præparantur, ut manducentur.

Contra neg. conſeq. licèt enim ibidem reddatur corpus Chriſti aptum, ut manducetur per modum cibi ſpiritualia ratione ſpecierum cibi, ſub quibua conſecratur, non tamen redditur aptum, ut manducetur pet modum hoſtiæ & victimæ immolatæ, quia ante vini conſecrationem nondum ſufficienter repræſentaretur ſeparatio corporis à ſanguine, quæ ad rationem hujua ſacrificii neceſſariò requiritur ex inſtitutione Chriſti, per conſequens, ut caro Chriſti detur in cibum ut mortua & immolata, neceſſe eſt, ut ſimul cum corpore ſanguis ejus ſub ſpeciebus vini tanquam ſeparatus à corpore conſecretur.

Dices: ſi Sacerdoa ſtatim, dum conſecrâſſet Corpua Chriſti, moreretur, diceretur ſacrificâſſe, quamvis ſacrificium perfectum non fuiſſet: ergo non tequiritur neceſſariò & altera conſecratio ſanguinis.

Contra neg. ant. nam in illo caſu Sacerdos non propriè ac verè diceretur immolâſſe vel ſacrificâſſe nec participem fuiſſe fructûa ſacrificii prout ſupra declaravimua exemplo ædificii inchoati.

Dices: quamvis conſectatio utriuaque 32
ſpeciei ſit de jure divino & lege ordinariâ, ubi utraque materia poteſt adhiberi, ubi tamen nequit in aliquâ natione haberi v. g. vinum & prævaleat neceſſitas ſacrificii præcepto illi de conſecratione utriusque ſpeciei, poterit in una ſpecie fieri ſacrificium ſicut Sacramentum: ergo non eſt de eſſentiâ utriusque ſpeciei conſecratio. Anteced. probatur: quamvis Confeſſio Sacramentalia ſit de eſſentiâ Sacramenti pœnitentiæ ſicut & integritaa ejus, hoc tamen ſolùm eſt de lege ordinariâ; in caſu autem quo quis eſt mutus aut ex infirmitate amittetet uſum linguæ non currit obligatio Confeſſio-

feſſionis verbalis, aut omnium peccatorum relatio, ſi mors jam eſſet in foribus; ſed ſufficit Confeſſio per ſigna & nutus: ergo ſic etiam in propoſito dicendum eſt, cum hoc videatur conformius ſuavi providentiæ Chriſti, nam tali modo proviſum eſt univerſali Eccleſiæ, ubi econtra ex oppoſito magna pars Eccleſiæ privaretur hoc principaliſſimo myſterio propter impoſſibilitatem habendi alteram ſpeciem in quibusdam regionibus.

Contra neg. ant. nec aliquid timendum eſt Eccleſiæ, cùm enim jam tot ſæculis nunquam occurrerit talis neceſſitas, credibile eſt, quod nec in futurum occurret, experientia enim probat etiam in remotiſſimis Indiæ regionibus, in quibus vini vel tritici penuria eſt, illam exportatione non ſolùm ad ſacrificium, ſed etiam ad communem potum abunde ſuppleri; hinc falſa videtur illa allegatio, quâ refertur olim cum Norvergis diſpenſatum fuiſſe, ut in ſolâ ſpecie panis conſecrarent ob defectum vini, nam ſatis ſemper apud ipſos pro ſacrificio reperiebatur vinum: & adhuc magis falſum eſt eis conceſſum fuiſſe calicem conſecrare ſine vino, cùm hoc abſque manifeſto errore concedi non poſſit. Cæterùm paritas de Confeſſione Sacramentali non eſt ad rem, ſed potiùs ad oppoſitum, quia Chriſtus externam peccatorum Confeſſionem inſtituit determinatè materiam pœnitentiæ; an autem facienda ſit verbo vel ſcripto aut aliis ſignis ſenſibilibus non determinavit, ſed Eccleſiæ determinandum reliquit juxta caſuum varietatem, in propoſito autem Chriſtus abſolutè & determinatè hoc ſacrificium inſtituit ſub utraque ſpecie & cum neceſſitate conſecrationis utriuſque nihil Eccleſiæ relinquens in hoc myſterio determinandum.

Dices: ergo etiam aſſet neceſſitas in Sacerdote ſacrificante ſumendi hoc ſacrificium ſub utraque ſpecie, ſed hoc noo; cùm defacto Sacerdotes cùm Epiſcopo ſacrificantes uon communicent de calice: ergo.

Contra conc. illatum quantùm ad totale & abſolutum complementum hujus ſacrificii ſpectat; & nec in hoa Eccleſia diſpenſare poteſt, cùm Chriſtus ita inſtituerit. Unde neg. min. ad ajus probam dico, quòd in illo caſu, ubi plures celebrant cum Epiſcopo, ſatis ſit, ut unus ex illis totum perficiat ſacrificium.

QUÆSTIO II.

An ſacrificium Altaris habeat valorem infinitum.

1 ADvertendum eſt 1. Hanc quæſtionem eſſe quidem ſat celebrem in materia de ſacrificio Miſſæ; aſt ita tamen implexam variis Authorum cogitatibus, ut non facilè divinari poſſit, cujusnam aliquandò ſint ſententiæ: quinimo ut ſæpiùs pro deciſione in eis contradictio deprehendatur; ut igitur impropria à propriis ſeparemus, ſenſum Scoti ſubtilis Magiſtri noſtri præ reliquis inſpiciemus, qui hanc quæſtionem quodlibet 20. ſatis eruditè præ omnibus aliis tractat, ubi pro ejus debitâ intelligentiâ §. *hic* præmittendum obſervari monet, quòd Miſſa non ſolùm valeat virtute meriti perſonalis ſeu operis operantis, ſicut quodlibet aliud opus pium valet, ſed etiam virtute meriti generalis Eccleſiæ in cujus perſonâ per miniſtrum publicum offertur, alioquin Miſſa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur perſonaliter, ſed demeretur, pro nulla valeret in Eccleſiâ, quod eſt inconveniens: potiſſimùm autem virtute ſacrificii ſeu operis operati, quod peculiariter annexum habet ex inſtitutione Chriſti ultra meritum operantis; & de hoc ultimo valore procedit quæſtio, non de primo & ſecundo, nam certum eſt valorem illum operantis, imò & Eccleſiæ ſolummodo eſſe finitum, ſicut valor in omni alio noſtro opere pio. Rurſus §. *de primo* obſervat ſacrificium Miſſæ ex opere operato ſicut & alias orationes ex opere operantis tripliciter valere, nimirum ſpecialiter, ſpecialiſſimè & generaliſſimè; ſpecialiſſimè valet pro ipſo ſolùm operante diſpoſito, nec ut ſic poteſt alteri applicari: tum quia non poteſt quis exercere opus bonum ſine fructu; ſed etiam alteri applicando ſuum meritum eſt opus bonum: ergo. Tum quia magis tenetur ex charitate ſe ipſum quàm alium diligere: ergo. Generaliſſimè verò valet pro totâ Eccleſiâ, non enim debet orans aliquem de Eccleſiâ excludere, ſed ex intentione habituali omnes includere. Aſt nec hic fructus poteſt alteri applicari, quia generali lege debet poſt ſe & proximos ſuos in communi diligere. Specialiter tandem valet pro illo, cui orans applicat non quidem ſolùm fructum ſacrificii, ſed etiam ſuarum precum & orationum, & ideo quoad hoc magis proſpiciendum eſſet de bono Sacerdote, quam malo, quod docet Scotus in 4. Diſtinct. 4. q. 7. §. *ſic ergo.* à ſimili de baptiſmo dicens: *Sacerdotis boni* (puta baptizantis) *orationes, quas multas facit ante vel poſt baptiſmum, magis exaudiuntur & valent illi, pro quô fiunt, quàm orationes mali* (licèt non virtute baptiſmi, ſed meriti nimirùm operantis) *& ideo quoad hoc magis optandum eſt puerum baptizari à bono Sacerdote, quàm malo.* Quamvis aliqui concedant illum fructum medium operis operantis Sacerdotem poſſe alteri donare, quàm illi, pro quo applicat fructum medium ex opere operato, quem ſolùm cenſetur is petere. Quæſtio igitur hic etiam ſolùm procedit de valore ſpeciali ex opere operato, qui competit perſonæ, cui particularitat hoc ſacrificium applicatur; non enim da generaliſſimo, qui convenit toti Eccleſiæ, ita ut valeret uni generaliſſimè ſicut cuicunque, tunc enim fruſtra eſſent in Eccleſiâ ſpeciales orationes aſſignatæ pro vivis, pro defunctis,

functis, pro ægrotis, pro benefactoribus &c. nec de ſpecialiſſimo, nam hoc modo valet ſolùm ipſi oranti ut ſupra dixi.

2 Advertendum eſt 2. Scotum cit. ulteriùs ſupponere valorem hujus ſacrificii poſſe comparari vel ad offerentes, vel ad eos pro quibus offertur: offerentes ſunt plures, nam principalis offerens eſt Chriſtus Dominus, deinde Sacerdos ſeu miniſter immediatus, poſtea ipſa Eccleſia, quæ utitur ipſo Sacerdote ut miniſtro publico ad offerendum, tandem inter offerentes computantur etiam miniſtrantes Sacerdoti ſacrificanti, item qui Sacerdoti ſtipendium conferunt ad celebrandum, ac denique omnes circumſtantes & aſſiſtentes ſacrificio, qui omnes aliquo modo cum Sacerdote dicuntur offerre, atque ideo ab ipſis etiam ſacrificium accipere valorem juxta eorum dignitatem; aſt ut dixi, de hoc valore offerentium, excepto Chriſto, non eſt quæſtio, cùm enim totus illorum valor ſit finitus & limitatus, utpote in dignitate eorum limitatâ, qualis etiam eſt ipſa ſanctitas Eccleſiæ, fundatus, non poteſt habere vim infinitam valendi. Illi verò, pro quibus offertur, poſſunt eſſe unus vel plures, imo quaſi innumeri, & quæri poteſt an Miſſa oblata pro duobus habeat eundem effectum pro utroque, quem habet ſi offeratur tantùm pro uno, aut an effectus, qui tribueretur uni dividatur inter illos duos v. g. ſi uni defuncto remitteretur unus annus purgatorii, ille annus dividatur inter duos defunctos, ita ut cuilibet remittatur medius annus; occaſione cujus etiam illa practica quæſtio ortum habuit, an liceat Sacerdoti plura ſtipendia adæquata à pluribus accipere, unâ Miſſâ ſatisfaciendo eis? ſi enim Miſſæ ſacrificium valorem habeat infinitum, & pro omnibus æqualem, videretur licere, quia in tali caſu per applicationem ad plures, non minueretur fructus Miſſæ ad ſingulos; ſi verò non habeat valorem infinitum & æqualem pro omnibus, non videretur licere, quia ille, qui pro Miſſâ juſtum ſolvit ſtipendium, ea intentione ſolvit, ut totus fructus ſibi applicetur. Quarum quæſtionum deciſio à definitione illius an ſacrificium ſit infiniti valoris, ut plurimùm dependet. Hinc pro ea ultro

3 Advertendum eſt 3. totam itaque difficultatem præſentis controverſiæ ſitam eſſe in valore ſpeciali & ex opere operato, qui huic ſacrificio advenit à Chriſto principaliter offerente vel applicante ſua merita, qui valor licèt non fundetur in merito aliquo Chriſti actuali, cùm pro nunc non mereatur actu, neque ſatisfaciat per oblationem hujus ſacrificii; non enim de facto eſt in ſtatu merendi & ſatisfaciendi, fundatur tamen in meritis præteritis, quæ valorem habuerunt aliquo modo infinitum prout declaravimus in Tom. 3. de incarnatione, quæ merita Chriſtus huic ſacrificio voluit annexa, ut mediante hac oblatione nobis applicarentur. Interim tamen in hoc merito ex opere operato adhuc duplex diſtinguendus eſt valor: primus eſt ad ſatisfaciendum ſeu auferendum pœnam temporalem, ad quam tenemur pro peccatis jam condonatis ſuppoſitâ remiſſione culpæ ut docet Trident. Seſſ. 22. C. 2. & Can. 3. quem effectum hoc ſacrificium ſemper & infallibiliter confert, cùm non dependeat à dignitate miniſtri, ut ſentit Scotus ſupra cit. & Trident. ſtatim cit. C. 1. ſecundus valor eſt ad impetrandum à DEO auxilia gratiæ ad merendum per alia opera & ad perficiendam veram pœnitentiam, ut pariter innuit Trident. cit. C. 2. qui tamen effectus non cum tanta infallibilitate confertur ſicut primus; cùm dependeat à variis diſpoſitionibus & conditionibus recipientis eum. Eſt igitur quæſtio de infinitate utriusque valoris, præſertim autem primi, qui magis certus eſt; quæ quæſtio non agitatur de infinitate categorematicâ & intenſivâ actu reſpectu alicujus effectus infiniti actu, cùm per hoc ſacrificium nobis non remittatur pœna infinita quoad intenſionem, cùm talis non detur, nec quoad extenſionem vel durationem, cùm hoc ſacrificium non ſit inſtitutum ad remittendam pœnam æternam, ſed tantùm temporalem, æterna enim ſupponitur remiſſa per contritionem: neque per hoc ſacrificium impetremus aliquod ſimpliciter infinitum: eſt ergo ſolùm quæſtio de infinitate ſyncategorematica ſeu extenſiva, id eſt, de effectu exceſſivo, an ſcilicet Miſſa oblata pro pluribus poſſit habere eundem effectum pro quolibet, quem habet pro uno oblata, ut ſuperiùs diximus, ita ut quodammodo infinitatem categorematicam in eſſe virtutis expoſcat. De qua re tres repeciuntur Authorum ſententiæ, prima eſt affirmativa & concedens poſſe pluribus applicari abſque eo quòd minuatur fructus Miſſæ ad ſingulos atque tantundem unicuique prodeſſe, ac ſi nulli alteri applicaretur. Ita Vasquez Cajetanus ex Thomiſtis, & Pontius ex noſtris. Secunda eſt negativa & admittens ſolùm virtutem limitatam etiam extenſivè, ita ut ſi una Miſſa dicatur pro pluribus, ille ſolus effectus, qui datus fuiſſet uni, diſtribuatur per partes inter illos plures, ut habet praxis Eccleſiæ, quæ non permittit Sacerdotibus unam Miſſam pro pluribus celebrare, qui ſinguli integrum dederunt ſtipendium. Ita Scotus quodlibet 20. §. *de primo* & §. *de tertio autem.* Suarez & alii Scotiſtæ & recentiores. Tertia eſt media concedens virtutem hujus ſacrificii impetratoriam eſſe infinitam extenſivè, ita ut pluribus & pluribus abſque ſingulorum detrimento poſſit prodeſſe, negans autem id de virtute ſatisfactoriâ, quæ ſemper habet certam & determinatam menſuram. Ita Averſa & aliqui ex Recentioribus. His notatis:

Propoſitio unica. *Poteſt ſacrificium Miſſa habere quandam valoris infinitatem ſyncate-* 4

gore-

gorematicam impropriam tam ſatisfactionis quàm impetrationis, & quidem ſatisfactionis, quatenus reſpectu ejuſdem effectûs ſatisfactionis creſcere ſemper poteſt valor ex meliori & meliori devotione & diſpoſitione offerentis vel illius pro quô offertur: impetrationis verò, quatenus fructus ejus, qui per modum impetrationis obtinetur ratione devotionis, aut multitudinis offerentium poteſt in infinitum creſcere. Ratio primi eſt: quia Sacramenta majorem conferunt gratiam etiam ex opere operato homini magis diſpoſito & minorem minùs diſpoſito, ut docuimus de Sacramentis in genere & de Sacramento Euchariſtiæ in ſpecie: ergo & hoc præſtat ſacrificium Miſſæ. Conſeq. probatur: ideo talem modò cauſandi gratiam tribuimus Sacramentis, quia facit ad majorem Sacramentorum venerationem & fidelium ferventiorem præparationem ad ea; ſed Chriſtus non minorem devotionem erga hoc ſanctiſſimum ſacrificium expoſcit: ergo ob eandem rationem ſimilis cauſandi modus huic ſacrificio tribui debet. Ex quo benè deducit Amicus diſput. 33. Sect. 7. ſacrificium hoc applicatum pro pluribus nullam diſpoſitionem poſitivam habentibus eò minorem ſingulis conferre gradum remiſſionis pœnæ, quo pluribus fuit applicatum; eſt applicatum pluribus poſitivam diſpoſitionem ad illud habentibus, puta deſiderando, procurando, miniſtrando, intereſſendo minorem quidem ſingulis conferre gradum fructûs, quam conferret ſi ſeorſim pro ſingulis applicaretur, majorem tamen quàm conferret, ſi nullam in eis inveniret diſpoſitionem. Ratio ſecundi eſt, quia quo plures & quo devotiùs Sacerdos & reliqui adſtantes idem ſacrificium offerunt, eò majorem habent vim impetrandi, quòd petunt: ergo ſacrificium habet talem modum cauſandi, cùm per id offerentes impetrent. Anteced. patet ſinguli tantùm impetrant, quantùm impetrarent, ſi ſoli in ſuo ordine offerrent, modò æquè ferventer ad ſacrificium concurrant, ac ſi ſoli eſſent, ut fit, ſi plures eandem navim trahant, ſi aſſociati eundem conatum adhibeant, quem adhiberent, ſi unusquisque ſeorſim traheret. Ex quo etiam benè deducit Coninch falſum eſſe, quod aliqui dicunt, nempe procurandum eſſe aut ſaltem meliùs eſſe audire Miſſam, cui nullus alius vel ſaltem pauciores aſſiſtant, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt, quàm publicam & ſolemnem, cui totus aſſiſtit populus, cùm in tali caſu minor ſemper perciperetur fructus, quo major eſſet adſtantium numerus; falſum enim hoc eſt, quia cum ibi ſint diſtinctæ oblationes, etiam diſtincti erunt effectus iis correſpondentes, qui potiùs ex multitudine concurrentium creſcunt, quam minuantur; tum quia plurium preces ſimul per modum unius DEO oblatæ ſunt magis efficaces, quàm ſi omnes eſſent ſeparatim oblatæ, juxta illud: *Major eſt virtus unita ſe ipsâ diſperſa.* Tum quia hoc modo ſe mutuò ad majorem excitant devotionem, & hinc Eccleſia curat, ut in publicis neceſſitatibus multi ſimul ad Miſſam ſolemnem audiendam & adorandam concurrant.

Nec dicas: Scotus quodlibet 20. §. *de primo* abſolutè negat vim ſatisfactivam & impetrativam in ſacrificio eſſe infinitam: ergo talis infinitas ei nec tribui poteſt, quatenus ad meliores & meliores diſpoſitiones comparatur.

Reſpondeo Scotum cit. ſolùm loqui de illa vi ſacrificii prout ei præcisè competit ex opere operato & independenter à meliori offerentium diſpoſitione, ut pluribus patebit, tum in aſſertione, tum in reſponſione ad objectiones. His propoſitis:

Aſſero ad quæſtionem: *Valor ſacrificii Miſſæ nec ſatisfactorius pœnæ temporalis reſtantis, nec impetratorius variarum gratiarum eſt infinitus propriè, ſed finitus & limitatus juxta diſpoſitionem divinæ ſapientiæ & meram Chriſti voluntatem.* Eſt Scoti quodlibet 20. §. *de primo.* contra varios ex Thomiſtis, Scotiſtis, & Recentioribus in Advert. 3. citatos. 5

Probatur 1. pars 1. rationibus Scoti cit. Tum quia ſi idem ſacrificium ob ſui infinitatem ex æquo pluribus, imò infinitis prodeſſe poſſet ſicut ſi uni ſolùm applicaretur, tunc fruſtra in Eccleſia eſſent ſpeciales orationes aſſignatæ, nimirum aliæ pro vivis; aliæ pro defunctis, item aliæ pro aliis vivis & aliæ pro aliis v. g. pro ægrotis, pro amicis, prout reperiuntur in Miſſali Romano, non enim plùs valeret pro illis, quàm generaliter pro quocunque in Eccleſia: ergo. Tum quia ut ibidem paulò infra arguit: Sacerdotes, qui non ex ſtipendio aut obligatione aliquâ, ſed ex merâ devotione celebrant, facerent contra charitatem, ſi pro unâ animâ purgatorii celebrarent; nam ſecundùm ordinatam charitatem deberet pro omnibus celebrare, quia ex charitate tenetur Sacerdos procurare bonum pluribus, dummodo hoc poſſit per eundem actum ſine diminutione boni alicujus illorum, & ſic per unicam Miſſam totum poſſet evacuare purgatorium, quod eſt inconveniens: ergo.

Reſpondet Vaſquez opinionem de infinitate valoris ſacrificii ſaltem ſpeculativè & Theoricè eſſe veram, quamvis in praxi non ſit ſequenda, quia inter duas opiniones contrarias illa eſt in praxi ſervanda, quæ eſt ſaluti animarum favorabilior & certior, qualis eſt opinio negativa infinitatis, quia affirmativa exponeret eos periculo, pro quibus hoc ſacrificium applicaretur, ſi enim affirmativa coram DEO eſſet falſa, illi, pro quibus etiam hoc ſacrificium eſſet oblatum, ſalutari remedio privarentur, & ubi agitur de ſalute animarum præceptum charitatis obligat ad eam ſententiam eligendam, quæ providet de ſalutis remedio 6

certo, ne proximus periculo ſalutis exponatur.

Contra: ex hoc ipſo patet falſitas opinionis contrariæ, cùm enim jam ab initio naſcentis Eccleſiæ & antequam hæc controverſia ageretur in Eccleſiâ omnes Sacerdotes æſtimaverint ſe teneri ad offerendum pro ſingulis ſingularia ſacrificia, ſignum eſt, quòd opinio contraria nullum habuerit validum fundamentum. Imo nec videtur, cur Sacerdos etiam in praxi non ſatisfaceret, ſi ſe affirmativæ opinioni conformaret, quam Adverſarii aliqui probabiliorem, aliqui ſatis probabilem judicant, cùm plerumque teneant licitum eſſe ſequi opinionem probabilem & minùs tutam relictâ probabiliori & tutiori.

Probatur 2. Tum quia oblatio hujus ſacrificii, ut fit à Chriſto, neque eſt actio meritoria, neque ſatisfactoria actu, cùm Chriſtus actualiter non mereatur, nec ſatisfaciat, ſolúmque ſua inſtitutione ſatisfactiones præteritas huic ſacrificio annexerit; ſed convenientiſſimum fuit, ut hæc annexio fieret modo finito & limitato, ut hac ratione ſæpiùs à Sacerdotibus offerretur, nam, ſi valorem ſatisfaciendi haberet infinitum, unum ſacrum pro omnibus vivis & defunctis ſufficeret, ac per conſequens inutiliter multiplicarentur obligationes aliæ, quas fideles in commodum ſuarum animarum piè fundare ſolent. Tum quia præcipuus valor hujus ſacrificii incruenti ſtat in eo, quòd nobis applicet valorem ſacrificii crucis in cujus memoriam peragitur; ſed applicativum cauſæ principalis non participat in eodem gradu perfectionem cauſæ principalis: ergo dato etiam, quòd ſacrificium crucis fuerit infinitum, ſacrificium tamen Miſſæ tanquam applicativum prioris deficiet à perfectione illius & non erit infinitum. Tum quia aliàs ſequeretur: quemlibet Sacerdotem unico ſacrificio poſſe ſatisfacere quibusvis piis fundationibus, & ab uno vel diverſis plura ſtipendia accipere, ac tandem unicâ Miſſâ omnibus ſatisfacere; quod eſt contra praxim Eccleſiæ, & à ſacra congregatione ſub Urbano VIII. die 21. Junii 1625. reprobatum, ac ab Alexandro VII. damnatum.

Reſpondent Adverſarii præſertim ad rationem ſecundam, quòd hoc ipſo, quòd ſacrificium Miſſæ includat ſacrificium crucis, quod ſyncategorematicè infinitum eſt, ita ut ejus valor non minuatur quibuscunque & quotiescunque, licèt adhuc innumeri homines eſſent redimendi, debet etiam eſſe infinitum.

Contra eſt: Tum quia: hoc modo ſacrificium applicativum cauſæ principalis non deficeret à perfectione cauſæ principalis, quod non convenit ſentire. Tum quia non fuit congruum hoc ſacrificium incruentum cruento crucis coæquare; quia ſacrificium incruentum eſt reiterabile, cruentum verò non; quare debuit per unam oblationem extendi ad omnes per modum cauſæ univerſalis, præſertim cum illa oblatio in ſe haberet formaliter valorem quemdam infinitum ad ſatisfaciendum, cùm ex tali intentione ſe Chriſtus obtulerit Patri divino; at oblatio Miſſæ non eſt actio Chriſti ſatisfactoris, cùm Chriſtus non ſit modò in ſtatu merendi & ſatisfaciendi, ſed ſolùm vult prodeſſe per ſatisfactionem crucis annexam modo limitato, quia voluit ut hoc ſacrificium frequentetur & ſæpius offeratur, quod non fieret, ſi eundem haberet valorem infinitum.

Probatur 2. pars ratione Scoti cit. Sacrificium Miſſæ non minùs finitè & limitatè applicat paſſionem Chriſti ad impetrandum quàm ſatisfaciendum: ergo ſicut quoad vim ſatisfactionem minùs prodeſt pluribus quàm paucioribus, ita etiam quoad vim impetrativam minùs proderit. Ant. probatur tripliciter: primò, ſi virtus ſacrificii Miſſæ impetratoris eſſet infinita extenſivè adeo quòd prodeſſet pluribus & pluribus ſine ullo detrimento ſingulorum, ſequeretur per unum ſacrificium poſſe tam facilè impetrari primam gratiam & donum pœnitentiæ peccatoribus quibuscunque ſicut uni, quia ad hoc non requiritur pœnæ ſolutio, ſed ſola DEI placatio & impetratio doni ab ipſo, & ita æquè faciliter poſſet ſanitas impetrari omnibus ægrotis ſicut uni, quæ omnia communi fidelium ſenſui repugnant, cùm aliàs Eccleſia fruſtra determinâſſet particulares orationes pro privatis hominibus & rebus. Secundò, ſicut plures pœnæ minores æquivalent uni pœnæ majori, & non relaxantur, niſi per opus ſatisfactione majus vel per plura opera ſatisfactoria: ita de pluribus bonis impetrandis dicendum videtur, quòd æquivaleant uni bono majori, & ideo non niſi per plura bona vel unum majus bonum impetrabuntur: ergo ſicut idem Miſſæ ſacrificium per modum ſatisfactionis non tantùm prodeſt pluribus quantùm uni, ita de eodem ſacrificio per modum impetrationis dicendum eſt. Tertio in amicitia humana dilectus per ſupplicationem ſuam meretur majus bonum uni, quàm ſi ſupplicaret pro pluribus, nam pro uno exaudiretur, ut ei tantùm bonum impetraret, quod peteret & ſi pro multis peteret non exaudiretur pro omnibus, vel non tantùm bonum eis impetraret, quod certè adhuc eſſet ſecundùm leges amicitiæ: ergo per unum ſacrificium non poteſt tantùm bonum pro multis impetrari ſicut pro uno ſolo. 6

Reſpondent Adverſarii impetrationem non fundari in proportione orationis cum beneficio petito, ſed in liberalitate DEI, quæ non minuitur, etiamſi oratio fiat pro multis, quia manus ejus non eſt abbreviata in paucis vel multis; quod non currit de ſatisfactione pro pœna, nam ejus remiſſio datur ſtatim & infallibi-

Digitized by Google

libiliter ac totaliter ex opere operato, quare debet habere certam menſuram.

Contra eſt ex ratione ultima probæ hujus partis, quòd etiam in lege amicitiæ & liberalitatis ſervetur menſura doni & applicativi pro dono, ita ut amicus dilectus per ſuam ſupplicationem mereatur majus bonum uni, quàm ſi ſupplicaret pro pluribus. Nec diſparitas in ordine ad vim ſatisfactivam eſt ad rem, nam æquè virtus impetratoria eſt ex opere operato in ſacrificio, & infallibiliter confertur donum, ſi non ponitur obex, aut DEI ſapientia non judicaverit differendum ex alio fine.

7 Objicies: Contra otramque partem ſimul: Can. *non mediocriter.* 24. de conſec. Diſtinct. 5. refertur D. Hieronymus dicens: *Dum pro centum animabus pſalmus vel Miſſa dicitur nihilominùs, quàm pro uno quolibet ipſorum diceretur, accipitur.* Sed hoc dici nequit, niſi infiniti eſſet valoris, ut de ſe patet: ergo.

Reſpondeo cum Scoto in aſſert. cit. in fine
11 §. *de prima.* genuinum ſenſum verborum D. Hieronymi eſſe hunc: quòd non minùs Sacerdoti proſit unica Miſſa vel pſalmus attentè & devotè ac cum fervore ſpiritûs dictus, quàm centum remiſſè & frigidè ac cum triſtitia & anxietate mentis perſoluti; quem ſenſum Scotus eruit ex verbis ibidem immediatè præcedentibus, quæ ſunt hæc: *Melior eſt quinque pſalmorum decantatio cum cordis puritate & ſerenitate & ſpirituali hilaritate, quàm totius pſalterii modulatio cum anxietate cordis & triſtitia.* Voluit igitur D. Hieronymus conſolari Monachos, qui pro multis orare tenentur, ne nimis multos legant pſalmos, quia vergeret in faſtidium, ſed meliùs ſatisfacerent illis, ſi pro eis dicant pauciores cum hilaritate ſpiritûs.

Dices: Sacrificium Miſſæ quoad victimam, quæ immolatur eſt idem cum ſacrificio crucis & ultimæ cœnæ; ſed illud fuit infiniti valoris: ergo & hoc.

Contra diſting. maj. eſt idem entitativè conc. applicativè neg. maj. non enim rectè ex infinitate rei oblatæ infertur infinitus valor in oblatione ejus, aliàs oblatio, quâ B. Virgo obtulit ſuum filium in templo habuiſſet valorem infinitum, quod nemo dicit; ex alio igitur capite deſumi debet valor oblationis, nempe quia huic ſacrificio annexæ ſunt ſatisfactiones Chriſti præteritæ, quas non vult niſi limitatè applicare; quòd igitur applicativè hoc ſacrificium ſe aliter habeat, quàm illud crucis, ratio eſt, quia in hoc ſacrificio oblatio eſt actio Sacerdotis vel Eccleſiæ, quæ eſt finiti valoris, oblatio verò in cruce vel ultimâ cœnâ fuit actio immediata Chriſti, quæ erat infiniti valoris & dignitatis ex ea parte, quâ erat dignificativa ab ipſa perſona verbi divini. Vide plura, quæ dixi contra reſponſionem Adverſariorum in prob. 2. partis.

Dices: etiam in oblatione Sacerdotis concurrit Chriſtus ut principalis offerens, cùm Sacerdos offerat in perſonâ Chriſti: ergo hoc ſacrificium habet etiam infinitam virtutem cauſativam. Conſeq. patet: quia virtus ſacrificii ex virtute oblationis penſatur, in quâ eſſentialiter conſiſtit ſacrificium.

Contra diſting. anteced. concurrit Chriſtus ut principalis offerens immediatè & proximè neg. mediatè & remotè conc. anteced. Chriſtus enim in ſacrificio Altaris ſolùm mediatè offert per miniſterium Sacerdotis; dicitur autem offerens principalis, quatenus Sacerdotibus poteſtatem dedit, ut vice ipſius hoc ſacrificium offerrent; actio autem Sacerdotis eſt limitatæ virtutis, ideóque ſolùm limitatum effectum producit. Et licèt diceretur etiam Chriſtus immediatè principalis offerens, non tamen in illo actu ipſe ſatisfaceret, ſed ſolùm applicat ſuas ſatisfactiones præteritas limitato modo, ut congruere diximus in proba 2. partis 1. quòd autem Sacerdos dicatur in perſonâ Chriſti offerre, non ſequitur oblationem ejus eſſe infinitam, ad hoc enim requiritur, ut talis actio immediatè à perſonâ Chriſti procederet; cùm igitur oblatio Sacerdotis etiam facta nomine Chriſti non procedat immediatè à perſonâ Chriſti ſed Sacerdotis, non poterit habere eam dignitatem & valorem, quem habebat ipſa oblatio Chriſti.

Dices: Valor eſſentialis ſacrificii non ſumitur à miniſtro; ſed à principali offerente, 8
à quo ſive immediatè ſive aliorum miniſterio offeratur eundem ſemper habet valorem & virtutem proximè cauſativam, ſicut donum à Rege datum ejuſdem eſt valoris & virtutis ſive ab ipſo Rege immediatè ſive aliorum miniſterio largiatur: ergo.

Contra neg. conſeq. gratis enim concedo valorem eſſentialem hujus ſacrificii non ſumi à miniſtro, ſumitur enim à voluntate DEI inſtituente effectivè, & à paſſione Chriſti meritoriè; aſt hoc ſacrificium ita fuit inſtitutum, ut nobis modo limitato applicetur ſatisfactio Chriſti jam in cruce exhibita; ſiquidem per ſacrificium Altaris nullum novum pretium nobis acquiritur, ſed acquiſitum per ſacrificium crucis eis applicatur, pro quibus offertur; fuit enim inſtitutum ut medium, per quod nobis fructus paſſionis Chriſti poſſit applicari, ſicut Sacramenta ſunt media, per quæ nobis fructus paſſionis Chriſti communicatur. Neque illud exemplum de dono Regis aliquod probat, ſi enim Rex ob crimen læſæ Majeſtatis ſubditis ſuis mortem minaretur, utique efficaciori modo venia ab ipſo obtineretur, ſi à proprio filio immediatè ſupplicaretur, quàm ſi ille alium mitteret oratorem, qui in nomine ejus veniam rogaret.

Dices eleemoſyna data à miniſtro malo non eſt minoris valoris, quam data à princi-

pali largiente: ergo nec ſacrificium oblatum à miniſtro limitato in nomine offerentis illimitati.

Contra neg. conſeq. quia, ut dicit Scotus: Hoc exemplum nihil aliud probat, quàm malitiam miniſtri non impedire valorem hujus ſacrificii, quem habet ex opere operato vi inſtitutionis ſuæ, quod utique verum eſt.

9 Dices: Per ſacrificium Miſſæ virtus meritorum Chriſti nobis applicatur, quæ virtus certè non minuitur ex eo, quòd pluribus applicetur: ergo revera ſacrificium per quod illa virtus applicatur, dum pro multis offertur, eodem modo ſingulis proderit, quo pro paucioribus offerretur.

Contra eſt ex Scoto diſting. anteced. per ſacrificium Miſſæ virtus meritorum Chriſti nobis applicatur ad æqualitatem & cum omni plenitudine neg. inadæquatè tantùm & quoad determinatos effectus conc. anteced. & neg. conſeq.

10 Objicies 2. Bonum ſpirituale quoad ſui communicationem ſe habet ad inſtar Spiritûs reſpectu loci; ſed Spiritus eſt totus in toto loco & totus in qualibet parte loci, non enim per partes communicatur; imò etiam quædam corporalia æquæ pluribus ac paucioribus communicantur, ut patet de lumine candelæ æqualiter plura ſimul illuminantis ſicut illuminaret quodlibet illorum per ſe; idem patet de voce æqualiter ſimul immutante auditum plurium audientium, ſicut immutaret unum ſolum eorum: ergo bonum ſpirituale correſpondens valori ſacrificii Miſſæ ſine diviſione etiam pluribus communicatur.

Reſpondeo cum Scoto cit. neg. conſeq. ad illud de Spiritu dicit: quòd licèt Spiritus extenſivè non dividatur, numeraliter tamen Spiritus à Spiritu diſtinguitur, ſunt enim ſingulorum corporum animatorum ſingulæ animæ & illæ habent bonitatem naturalem majorem extenſivè quàm una ex eis, imò bonitati magis intenſæ æquivalentem; ita ergo eſt in propoſito, quòd licèt bonum ſpirituale communicetur ſine diviſione quantitativâ ſecundùm extenſionem, communicatur tamen cum diſtinctione numerali ſcilicet aliud uni & aliud alteri, quod ita requirit diſtinctum meritum propter quod reddatur. Ad illud de illuminatione dicit; hoc verum eſſe, quando illa plura illuminabilia ſunt partes ejuſdem illuminabilis adæquati, hoc eſt quando continentur intra eandem ſphæram reſpectu illuminantis; in propoſito autem plures illi, pro quibus oratur, non ſunt per ſe partes unius, quod ſit ſuſceptivum adæquatum boni reddendi virtute orationis, ſed utrumque per ſe eſt ſuſceptivum adæquatum. Cum proportione hujus ſphæræ adæquatæ pariter diſcurrendum eſt de voce æqualiter immutante auditum plurium. Tandem paucis dici poteſt: DEUM quidem potuiſſe id efficere, ut bonum ſpirituale hujus ſacrificii eodem modo communicaretur multis ſicut ſingulis ſine diminutione, non tamen ita feciſſe, ſed voluiſſe valorem Miſſæ eſſe ſicut in pecunia, quæ diviſa in multos minùs prodeſt, ut ſupra in proba diximus.

Dices: Idem Sacerdos unica actione plures baptizare poteſt, ita ut omnibus æqualis conferatur gratia ex opere operato: ergo ſimiliter offerens ſacrificium Miſſæ pro pluribus æqualiter proderit ex opere operato, cùm tam Sacramentum quàm ſacrificium habeat ſuum valorem ex opere operato.

Contra neg. conſeq. quia cùm Sacramentum baptiſmi conſiſtat in ablutione paſſivâ, ut docemus nos Scotiſtæ, ſequitur, ut, quot ſunt homines abluti, tot ſint Sacramenta baptiſmi, atque ideo multiplicato Sacramento multiplicabitur etiam ejus effectus: Miſſæ verò ſacrificium pluribus applicatum eſt tantum unum, atque ideo etiam ex opere operato unum ſolùm ſortitur effectum.

Dices: Sacerdos in Miſſa non ſolùm facit commemorationem ejus qui ſtipendium ſolvit, ſed etiam aliorum ut propinquorum & amicorum; ſed hoc non liceret, ſi ob id in ejus fructu detrimentum pateretur, qui ſolvit ſtipendium: ergo. 11

Contra neg. cum Scoto cit. min. quando enim Sacerdos obligatus ad Miſſam dicendam pro aliquo ex ſtipendio accepto in memento orat pro amicis & aliis, non ſic orat, quaſi ſpecialiter intendat illis quoque applicare valorem ſacrificii, qui ex opere operato correſpondet, nam hoc totum quoad ſubſtantiam & fructum tenetur applicare illi, qui ſolvit ſtipendium; ſed ſolùm applicat, quod ſacrificio convenit per modum impetrationis ex opere operantis ſive ex merito perſonali; poteſt igitur Sacerdos obligatus dicere ſacrum pro aliquo liberè eum fructum aliis applicare, quem ut perſona privata percipit ex propriâ devotione, quia per hujusmodi applicationes nihil detrahitur fructui, qui reſpondet oblationi, ut ſit in perſona Chriſti.

Dices: Si ſacrificium eſſet ſolùm valoris limitati, ſequeretur, quò plures Miſſam audiunt, eò minorem fructum recipere, quia talis fructus divideretur inter ſingulos, ac proinde conſultiùs eſſet intereſſe ſacro ubi pauciores aſſiſtunt, quod eſt falſum, cùm multiplicatis aſſiſtentibus non minùs proſit ſacrificium ſingulis, quàm ſi ſinguli ſoli adeſſent: ergo.

Contra concedunt aliqui ſequelam ut Gavatius; ſed conſultiùs negatur prout declaravimus ſupra in propoſit. un. nam quoad offerentes tam immediatos, quàm mediatos concedunt omnes hoc ſacrificium non habere virtutem limitatam intenſivè in ſe ad certum effectum cauſandum, ſed eò majorem in ſingulis offerentibus cauſare, quò melior fuerit offerentis devotio eóque etiam majorem extenſivè multis conferre, quò plures ſint offerentes uti dixi-

diximus ſupra in prop. virtus enim ſacrificii penes oblationem attenditur, ſi igitur oblationes multiplicarentur, quamvis ſit eadem res oblata, etiam valor multiplicatur, qui deſumitur ab actione ſacrificandi, ut contingit in ipſis Miſſis pluribus, in quibus eadem res offertur & tamen multiplicatur valor & ſacrificium. Cùm igitur plures audientes Miſſam diverſa oblatione ab eâ, quæ eſt Sacerdotis offerant, quæ oblatio licèt latè ſolùm dicatur ſacrificium, habet tamen proprium effectum, etiam eundem fructum recipient, ac ſi ſoli eſſent. Procedit itaque hoc argumentum ſolùm de fructu correſpondente offerentibus, qui neque intenſivè in ſingulis, neque extenſivè in pluribus minoitur ex multiplicatione offerentium.

12 Objicies 3. conceditur in propoſitione, quòd valor hujus ſacrificii eò ſit major ex opere operato in ſingulis, quò major eſt diſpoſitio offerentis vel ejus vel eorum pro quibus offertur: ergo hoc ipſo eſt infinitus. Conſeq. patet: tum quia, ideo Sacramentis conceditur via proxima cauſandi infinita, quia ſemper eorum effectus creſcit creſcente diſpoſitione ſubjecti. Tum quia, ſi eſſet finitus non poſſet creſcere creſcente diſpoſitione offerentis vel ejus pro quo offertur.

Reſpondeo neg. conſeq. probationes ſolùm procedunt de valore intenſivo, qui ſolùm creſcit juxta diſpoſitionem ſubjecti, non autem de extenſivo, qui limitatus eſt, eóque minor cauſatur in ſingulis, pro quibus ſacrificium offertur; prout paulò ante ad finem prioris objectionis reſpondebamus, ſcilicet virtutem hujus ſacrificii extenſivè quidem eſſe limitatam ad certum effectum, intenſivè verò nullam habere limitationem, ſed eò majorem vel minorem in unoquoque effectum cauſare, quò perfectiorem vel minùs perfectam invenit diſpoſitionem.

Dices: ab effecto ſyncategorematicè infinito rectè colligitur virtus cauſæ infinita actu & categorematicè: ergo ſi fructus Miſſæ poteſt eſſe eo modo ſyncategorematicè infinitus ex meliori diſpoſitione offerentium vel eorum pro quibus offertur, qui nunquam poſſent eſſe tot, quin plures, ſequitur etiam in hoc ſacrificio adeſſe virtutem infinitam actu. Anteced. patet, quia licèt effectus infiniti ſyncategorematicè non ſint actu & categorematicè ſimul infiniti, nihilominus ſupponunt totam virtutem cauſæ in actu & per conſequens infinitam actu.

Contra neg. ant. quando talis infinitas ſyncategorematica virtutis cauſæ proveniat ab extrinſeco, nimirum ex meliori diſpoſitione ſubjecti, circa quod agit, non autem ab intrinſeco, aliàs quælibet cauſa naturalis haberet virtutem intenſivè ſimpliciter infinitam, ſemper enim efficaciùs operatur, quò paſſum melius eſt diſpoſitum, ut patet de igne, qui combuſtibili magis diſpoſito approximatus efficaciùs comburit. Probat igitur hoc argumentum ad ſummum dari in ſacrificio Miſſæ ſicut in quocunque legis novæ Sacramento quandam infinitatem ſyncategorematicam ab extrinſeco provenientem ex majori nimirum diſpoſitione recipientis, quàm à virtute intrinſeca cauſæ, cùm hoc, quod idem ſacrificium reſpectu alicujus meliùs diſpoſiti perfectiorem operetur effectum, accidat ſacrificio ſe undùm ſe conſiderato per habitudinem ad valorem, qui ex opere operato competit illi reſpectu ſubjecti præcisè non ponentis obicem.

Dices: ex hac conceſſione illimitationis valoris reſpectu melioris diſpoſitionis in offerente, vel illo, pro quo offertur, eadem ſequuntur abſurda, quæ nos imponimus ſtatuentibus valorem ſacrificii Miſſæ abſolutè eſſe infinitum: ergo. Sequel. probatur: quia æquè Sacerdos per unum ſacrum poſſet ſatisfacere omnibus tam vivis quàm defunctis benè diſpoſitis: & ſic etiam pro uno ſacro plura poſſet recipere ſtipendia: ergo.

Contra neg. ſequel. nam etiam admiſſâ tali infinitate ſyncategorematica nullus adhuc effectus hujus ſacrificii eſt infinitus in actu, nec ipſe quidem effectus intenſivus, quia hic ſolùm creſcit juxta incrementum diſpoſitionis, quæ ſemper eſt finita, igitur & effectum ſolum finitum excitat; quare quoad hunc effectum intenſivum in hoc ſolùm ſenſu dici poteſt infinitæ virtutis ſacrificium, quatenus ex ſe non eſt determinatum ad certum gradum, ultra quem juxta ſubjecti diſpoſitionem non poſſit adhuc conferre majorem, prout tamen eſt determinatum ad effectum extenſivum; & ſic nullo modo ſequitur uno ſacrificio poſſe omnes animas purgatorii liberari ſimul, aut Sacerdotem pro uno ſacro plura recipere ſtipendia. Imò in defunctis non poteſt dari propria diſpoſitio meritoria, ſed ſimplex tantùm carentia obicis; cùm non ſint in ſtatu merendi.

Dices cum Pontio: ſacrificium Altaris et- 13
iam independenter à diſpoſitione meliori offerentium habet virtutem infinitam ſatisfactivam: ergo habet proprium valorem infinitum in ſe. Anteced. probatur: non poteſt aſſignari tanta pœna temporalis uni debita poſt remiſſionem culpæ relicta, quin ſi deberet majorem, hoc ſacrificium poſſet ſufficere pro majori & majori, dummodo non ſit æterna: ergo independenter à meliori diſpoſitione offerentium habet virtutem infinitam ſatisfactivam.

Contra: concedit quidem Maſtrius Tom. 4. Diſput. 4. quæſt. 6. num. 118. ad finem, hunc aſſignandæ infinitatis modum ſine ſcrupulo admitti poſſe, cùm in majorem hujus ſacrificii excellentiam abaque inconvenienti cedat. Aſt non video, quomodo hoc Maſtrius ſine contradictione admittere poſſit; tum quia ſi hoc ſacrificium fructum ſatisfactionis ſemper

per certò & infallibiliter conferat, ut concedit Maſtrius, fieri non poſſet, quin illa anima, pro quâ offertur ſacrificium, infallibiliter liberetur, cùm per illud auferatur pœna relicta tanta, quanta non poſſit major & major relinqui, & pro qua non ſufficeret ſacrificium, per conſequens Sacerdos poſſet pluribus ſtipendiis ad celebrandum pro una anima datis unicâ Miſſâ ſatisfacere, quod ſæpius negat Maſtrius. Tum quia ſi hoc ſacrificium poſſet ſufficere pro pœna majori & majori in uno, ita ut non poſſit aſſignari aliquis gradus, quem non poſſet delere, tunc ſi illi gradus pœnæ ponerentur in infinitis hominibus, ſacrificium poſſet eos remittere: ergo quamvis talis pœna non ſit æterna, ſi tamen eſt in infinitis hominibus cum augmento diſtributa, induceret in ſacrificio virtutem remiſſivam propriè & formaliter infinitam, quod tamen negat Maſtrius. Hinc conſultiùs eſt ad argumentum Pontii negare antecedens cum proba ſua; habet enim virtus ſatisfactoria ſacrificii etiam in uno certam ſphæram pœnæ, ultra quam ex voluntate & inſtitutione Chriſti non remittit pro illo actu majorem, cum Chriſtus non velit ſatisfactiones ſuas præteritas pro unico actu majori illi pœnæ extra ſphæram applicare.

QUÆSTIO III.

Qualem applicationem in Sacerdote ſacrificium Altaris requirat: & quomodo proſit defunctis?

1 ADvertendum eſt 1. pro 1. quæſtionis parte ex Scoto quodlibet 20. §. *de ſecundo articulo principali* & §. *de ſecundo autem* certum eſſe, Sacerdotem habere authoritatem applicandi virtutem ſacrificii pro libitu ſuo, ita ſcilicet, quod hoc bonum ſacrificii ſpecialiter reddatur illi, cui ipſe ſpecialiter applicat virtutem ſacrificii, quia Sacerdos ex vi ordinationis ſuæ conſtitutus eſt à Chriſto miniſter & diſpenſator myſteriorum & donorum DEI ſicut indicat forma verborum, quibus ordinatur Sacerdos: accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & defunctis, & non oporteat applicationem facere ſecundùm beneplacitum DEI. Eo quod ipſe ſolus ſit dator illiuc boni; nam taliter nullam videretur Sacerdos habere auctoritatem applicandi vel aſſignandi aliquod bonum alicui, cùm talis applicatio nunquam teneret, niſi fiat ſecundùm voluntatem alterius, de quâ tamen Sacerdos regulariter non poteſt habere certitudinem. Cùm autem oratio prout Scotus in iſtâ quæſt. præmiſit, alicui tripliciter poſſit applicari, ſcilicet ſpecialiſſimè, generaliſſimè & modo medio ſcilicet ſpecialiter, ex quibus applicationibus prima determinata eſt, quia ſemper fit ipſi oranti ut diximus quæſtione priori. Quamvis Molpheſius, Bordonus, & alii concedant fructum ſpecialiſſimum etiam poſſe aliis applicari privando ſe illo. Secunda pariter determinata eſt, quia ſemper fit toti Eccleſiæ, & has determinationes facit regula charitatis, quæ potiſſimùm debet eſſe ad ſe ipſum & generaliter ad omnem proximum. Tertia applicatio ſcilicet media aliquando videtur determinata eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ in diverſis Parochiis vel Collegiis ordinat diverſos Sacerdotes, ut ſpecialiter celebrent pro Parochianis ſuis. Aliquando eſt determinata ex juſtitia pro eis, qui provident vel providerunt miniſtris de neceſſariâ ſuſtentatione. Aliquando autem determinatur ex proprio beneplacito & libitu Sacerdotis, ſi ſcilicet non eſt curatus aut habent obligationem ex alio titulo celebrandi, qui debet tamen applicationem ſuam 2
conformare beneplacito ſummi Sacerdotis quantùm poteſt de illo veriſimiliter conjiccere, quod difficile quandoque eſt in ſpeciali de hac vel illa perſonâ; faciliùs autem in communi, puta de parentibus, benefactoribus, Principibus, Prælatis juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Item etiam pro mortuis juxta illud 2. Machab. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.* Nihilominus tamen ſiſtendo etiam ſic in communi adhuc dubium eſt, quibus debeat offerens medio modo in aliquo gradu priori, & quibus in poſteriori applicare ſacrificium, nam in aliquibus ut in mortuis, qui non poſſunt pro ſe mereri, eſt major indigentia, quàm in vivis; ſimiliter major in peccatoribus quàm in juſtis, qui per gratiam propriam poſſunt mereri; magis autem indigenti æquum eſt priùs ſubvenire. Ex aliâ autem parte major videtur utilitas; eſt enim utiliùs viatori gratiam augeri & exinde merita, quàm mortuo ſolam pœnam remitti; ſimiliter videtur etiam quis magis obligatus fratri ſuo exiſtenti in charitate, quam peccatori, qui nec DEUM diligit, nec diligitur à DEO ſicut juſtus. Hinc pro meliori eſſe præſcribit Scotus cit. pro faciendâ generali applicatione ſequentem formulam: *digneris Domine oblationem iſtam ſpecialiter acceptare pro illis, pro quibus noſti me teneri ſpecialiter offerre, & in illo gradu, in quo noſti me teneri pro eis.* Pro applicatione verò in ſpeciali ad aliquem vel aliquos formulam hanc conditionalem: *ſi tibi placet.* Difficultas autem primæ partis quæſtionis, quàm hic proponimus ſolùm conſiſtit in eo, an applicatio Sacerdotis debeat eſſe neceſſariò actualis vel virtualis ut vult Vaſquez Diſp. 38. c. 6. n. 74. vel ſufficiat habitualis, hoc eſt, quod priùs intentionem actualem habuerit ipſámque non retractaverit, ut docet Scotus quodlib. 20. §. *de primo,* & cum

cum eo communior Theologorum. Item an prævaleat intentio propria Sacerdotis præcepto Superioris ſeu applicationi Prælati vel ſtipendium dantis. De quibus Aſſert. 1. & 2. dicemus. Interim

2 Advertendum eſt 2. pro 2. quæſtionis parte: certum eſſe ſacrificium Altaris diverſas rationes ſortiri, & inde varios effectus ob diverſos fines, ad quos ex diverſis motivis virtutum refertur, primò enim eſt *latreuticum*, quatenus refertur ad colendum DEUM ejúsque ſupremam excellentiam & ſuper omnes res creatas dominium proteſtandum. Secundò eſt *Eucharisticum* ſeu *gratiarum actorium* ob ſummum beneficium Dominicæ paſſionis, quæ eſt fons aliorum DEI beneficiorum in nos derivatorum. Tertiò eſt *impetratorium*, quia per Chriſtum DEO Patri oblatum facilè nos quidvis impetraturos ſperamus. Quartò eſt *propitiatorium*, quia peculiariter inſtitutum eſt in peccatorum remiſſionem virtute paſſionis Dominicæ. Quintò eſt *meritorium*, quia per illud nobis meremur augmentum gratiæ & alia auxilia. Sextò eſt *ſatisfactorium*, quia qui offerunt & pro quibus offertur, ſatisfaciunt pro pœnæ temporali, in hac, aut in alia vita ipſorum peccatis debitâ. Similiter certum eſt ſacrificium Miſſæ infallibili lege prodeſſe omnibus fidelibus viventibus quoad fructum remiſſionis pœnarum, ſi illis hoc ſacrificium applicetur, cùm ad hunc fructum ſit ſpecialiter inſtitutum & non requiratur niſi ſola intentio & applicatio ex parte offerentis, & ſtatus gratiæ ex parte recipientis, prout conſtat ex praxi & uſu Eccleſiæ, in qua quotidie hoc ſacrificium offertur pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, qui ſunt membra Eccleſiæ; ſic enim in Canone Miſſæ oramus: *imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica & pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus*, quibus prodeſt tam quoad fructum ſatisfactionis quàm quoad fructum impetrationis; quod & de parvulis baptizatis quoad fructum impetrationis intelligi poteſt, cùm & illis hoc ſacrificium prodeſſe poſſit ad impetrandam ſalutem pro eis varia beneficia, ut ſalutem protectionem & directionem in viæ Domini: item & de peccatoribus non excommunicatis quoad fructum impetrationis cum pœnitentiæ tum aliorum DEI beneficiorum; non verò quoad fructum ſatisfactionis, cùm peccatores hujus non ſint capaces; ſolùm remanet aliqua difficultas de infidelibus, catechumenis, ſchiſmaticis & excommunicatis, an pro illis poſſit hoc ſacrificium offerri, de quibus breviter in propoſitionibus diſcurremus. Interim autem tanquam certum etiam ſupponimus hoc ſacrificium pro defunctis quoque applicari poſſe quoad remiſſionem pœnarum, prout unanimiter SS. Patres ſentire videntur præſertim S. Chryſoſtomus homil. 41. in 1. Epiſt. ad Cor. c. 15. *Non ſunt enim hæc temerè excogitata, neque fruſtra eorum, qui exceſſerunt, in divinis myſteriis meminimus, & pro ipſis accedimus rogantes agnum propoſitum, qui mundi peccatum tulit, ſed ut inde eis aliqua ſit conſolatio.* Hoc repetit homil. 3. in Epiſt. ad Philip. Item S. Auguſtinus de verbis Apoſt. Serm. 32. *Hoc à Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, & pro illis quoque id offerri commemoretur.* Quare rectè Trident. Seſſ. 22. Can. 2. hanc vocat *Apoſtolorum Traditionem*, quod & ratio approbat; cùm enim animæ in purgatorio ſint vera & viva membra Eccleſiæ, atque capaces fructûs ſacrificii propitiatorii, non eſt ratio, cur non æquè pro ipſis, quàm pro vivis applicari poſſit, & quidem non ſolùm per modum impetrationis, ſed etiam ex opere operato infallibiliter, cùm utroque modo fructus provenire ſoleat per ſolam intentionem & applicationem extrinſecam, quod non eſt ita in Sacramentis, in quibus neceſſariò requiritur, ut actio ſenſibilis circa ſuſcipientem exerceatur, quod animabus in purgatorio accidere non poteſt. Super his autem difficultas quædam inter Authores ventilatur, quam in ſecundâ parte quæſtionis ſignamus, an nimirum remiſſionem pœnæ animabus purgantibus conferat hoc ſacrificium infallibiliter & ex certâ lege, an tantùm per modum liberalis impetrationis ſeu ſuffragii; ſunt itaque præſertim Thomiſtæ, qui dicunt remiſſionem pœnæ animabus purgantibus hoc ſacrificium conferre ſolùm per modum liberalis impetrationis, non verò infallibiliter & certâ lege ſicut vivis; Scotiſtis verò & Recentioribus econtra diſcurrentibus in majorem favorem tum animarum purgantium, tum efficaciæ hujus ſacroſancti ſacrificii. His itaque notatis

Propoſitio 1. *Sacerdos debet fructum ſacrificii, qui ex opere operato provenit, alicui applicare ante vel in ipſâ conſecratione; aliàs eum fruſtra poſtea applicabit.* Ratio eſt: tum 3 quia ſicut Sacramenta effectum ſuum ex opere operato dependenter à miniſtri intentione producunt, dum conficiuntur & actu exiſtunt, ut non ſit in poteſtate miniſtri effectum ſuſpendere velle & poſtea alicui applicare, ita & ſacrificium ſuum effectum ex opere operato præſtat, dum conficitur, ſed conficitur in ipſâ conſecratione principaliter: ergo. Tum quia Sacerdos diſpenſat fructum ſacrificii ex opere operato, quatenus gerit perſonam Chriſti, ſed hoc exequitur in conſecratione ſeu ſubſtantiali oblatione: ergo tunc vel ante eſt neceſſe eum habere intentionem pro aliquo offerendi. Cæterùm tamen non improbabile judico applicationem adhuc ſatis fructuosè fieri in ſecundo memento & ante ſumptionem, cùm enim

etiam ſumptio in noſtra ſententia ſit de eſſentiâ ſacrificii, adhuc eſſet applicatio, dum conficitur ſacrificium. Ex quibus deducitur primò, quod non poſſit pro Miſſa præterita ſtipendium accipi. Secundò, quòd ſi Miſſa ex oblivione non applicetur, vel non applicetur debito tempore, vel applicetur alicui incapaci fructûs, cadat in theſaurum Eccleſiæ, vel cedat illis, pro quibus tenetur ſpecialiter offerre, vel ipſi Sacerdoti; quia ita implicitè intendiſſe cenſetur. Ita quoad hoc diſcurrit Buſenbaum & Gavantus.

4 Propoſitio 2. *Sacerdos non poteſt alicui validè applicare ſacrificium ſub conditione in futurum v.g. volo ut fructus proveniat illi, cui poſtea Prælatus interrogatus voluerit, vel qui proximè mihi ſtipem præbuerit: benè ſub conditione de præterito aut præſenti v.g. offero pro ea perſona, quæ ultimo ex tali communitate mortua eſt, vel offero ſecundùm intentionem, quam hodie meus Prælatus in ſacrificio habuit, aut quam ipſe me habere cupit.* Ratio primi eſt contra Navarrum, Cordubam, Vaſquez & alios, tum quia ita etiam de Sacramentis in genere ſtatuimus. Tum quia vel ille fructus ſacrificii v. g. remiſſio pœnæ temporalis proveniret homini ſtatim, dum ſacrificium offertur & antequam conditio adimpleatur, ut ſentit Corduba, vel poſtea conditione poſita, ita ut fructus interea maneat ſuſpenſus in DEI ſcientia & acceptatione ut putat Navarrus? ſed neutrum dici poteſt: ergo. Non primum, quia eſt communis doctrina non tantum ad effectum Sacramentorum, ſed etiam ſacrificii requiri intentionem miniſtri abſolutam & independentem ab eventu contingente in futurum, ſic invalidus eſſet baptiſmus ſub conditione, ſi à fide ſuſcepta non defecturus ſit homo; ratio autem hujus eſt inſtitutio Chriſti & praxis & ſenſus Eccleſiæ. Imò ſi validè applicaretur ſacrificium ei perſonæ, quàm poſtea determinaverit Prælatus, vel qui ſtipem dederit, ſequitur, quòd in liberâ poteſtate Prælati vel alterius ſtipem offerentis craſtina die ſit efficere, ut fructus ſacrificii jam hodie pervenerit ad Titium vel non pervenerit, ſed ad aliam perſonam; quod videtur eſſe abſurdum. Non ſecundum, quia aliàs Sacerdos fructum ſatisfactionis poſſet ſibi applicare vel alteri peccatori, ut ipſi proveniret, cùm à peccato juſtificatus fuerit, item infanti vel alteri ſecundùm præſentem ſtatum non indigenti, ut ei proveniret poſtea, dum lapſus fuerit, quæ ſunt contra ſenſum Eccleſiæ & aliquomodo abſurda. Ratio ſecundi eſt, quia ſecundùm conditionem de præterito vel præſenti Sacramentorum effectus rectè alicui confertur v. g. baptizo te, ſi homo es, ſi baptizatus non es: ergo etiam effectus ſacrificii. Ex hoc tamen deduci non poteſt, validè ſacrificium offerri pro eo, quem ſcit DEUS primùm ex tali communitate vitâ exceſſurum, vel ſacrificium poſtulaturum, vel ſtipem præbiturum, eò quod hæc & ſimilis conditio ſit revera exiſtens & de præſenti in ſcientiâ DEI, ut probabile judicant Corduba & Vaſquez; nam hoc ſemel admiſſo plurima ſequerentur abſurda: primò poſſet quis validè baptizari ſub conditione, ſi DEUS ſcit ejus patrem conſenſurum, quod alienum eſt à praxi Eccleſiæ; cujus ratio eſt, quia, cùm ſcientia viſionis divinæ dependeat objectivè ab actionibus noſtris liberis; ideo enim DEUS ſcit me hoc facturum, quia liberè facturus ſum: ſequeretur inde, hanc conditionem: *ſi DEUS ſcit hoc vel illud liberè eventurum,* virtualiter non minùs eſſe de futuro contingente, quàm ipſemet effectus contingenter futurus eſt, & ſic conditio non eſt de præſenti omnimodè. Secundò, ſi Petrus ſciret me hodie obtuliſſe ſacrificium pro eo, quem DEUS ſcit mihi primùm cras daturum ſtipem, tunc in libera poteſtate Petri eſſet efficere, ut hodie ipſi in ſententia Cordubæ fructus ſacrificii obvenerit, quod eſt abſurdum; nam DEUS ſicuti nec punit, nec præmiat propter opera poſtea futura, ita nec fructum Sacramentorum nec ſacrificii confert propter talia opera; non quidem quod hoc contradictionem involvat, aut libertati noſtræ præjudicet; cum æterna veritas multa poſſit vera prædicere ſine præjudicio noſtræ libertatis: ſed quod ſecundùm legem ordinariam aliter ordinaverit, quàm legem nobis Eccleſiæ traditio manifeſtat; non enim ſolet DEUS homines punire aut præmio afficere, ut ſtatim dixi, aut gratiam Sacramentorum vel ſacrificii fructum eis conferre ſecundùm præſcientiam futurorum contingentium, ſed ſecundùm præſentem duntaxat hominum ſtatum & conditionem; ſiquidem id magis congruere videtur divinæ providentiæ & ſuavi gubernationi, quæ omnimodè ſe creaturarum ſuarum naturæ attemperat.

Propoſitio 3. *Sacerdos applicans contra præceptum & applicationem ſuperioris graviter peccat.* Ratio eſt, quia peccat contra obedientiam in re gravi. Item peccat contra juſtitiam, cùm defraudet intentionem ejus, qui dedit ſtipendium prælato, à quo ſuſtentatur. Ex quo patet Sacerdotem omnino illicitè applicare, ſi contra obedientiæ & juſtitiæ virtutem applicet v. g. Parochus vel Capellanus, qui ratione beneficii, religioſus, qui ob præceptum Prælati deberet pro alio applicare; an autem talis illicita applicatio nihilominus ſit valida & fructus ſacrificii proveniat ei, cui Sacerdos vult proventurum, patebit in Aſſert. 2. interim 5

Propoſitio 4. *Peccat Sacerdos graviter ſi pro excommunicatis non toleratis, ut ſunt etiam heretici & ſchiſmatici, Miſſæ ſacrificium offerat; quamvis adhuc pro eis validè in perſonâ Chriſti offeratur & quatenus ſunt capaces fructus impetrationis, vel etiam ſatisfactionis,* 6

ctionis ſi commendati ſunt & abſolutionem deſi-derent. Ratio primi eſt, quia ſacrificium eſt publicum miniſterium in Eccleſiæ utilitatem præcipuè inſtitutum: Ergo de ejus uſu ſicut & de cæremoniis & aliis accidentibus diſponere ad Eccleſiæ pertinet poteſtatem; ſed prohibuit Eccleſia pro excommunicatis non toleratis celebrare ut conſtat C. *à nobis* de ſententiâ excommunicationis: ergo. Ratio ſecundi eſt, quia poteſtas offerendi pro quibuſcunque vivis & defunctis quatenus capaces ſunt eſt annexa ordini ex inſtitutione Chriſti, quare licèt Eccleſia prohibere poſſit, quo minùs validè & fructuoſè pro excommunicatis ſuffragia publica dicantur, quippe in quibus dicendis Sacerdos vel alius miniſter vicem Eccleſiæ gerit, non tamen prohibere poteſt, quò minùs offerendo in perſona Chriſti ſive ut miniſter Chriſti fructum principalem ſacrificii validè applicet cuicunque velit; nam dicente Chriſto Joan. 6. *panis quem* ego dabo caro mea eſt pro mundi vita: ergo ſicut Eccleſia impedire non poteſt, quo minùs excommunicatus aut irregularis validè ordinetur in Sacerdotem, vel ordinatus validè conſecret, licèt impedire poſſit, quo minùs communis Miſſæ ſuffragia validè & fructuoſè ab ipſo dicantur, quia Eccleſia non vult per illum orare ſeu ſuum meritum applicare: ita in noſtro caſu diſcurrendum eſt.

7 Propoſitio 5. *Non licet pro catechumenis nec vivis nec defunctis offerre ſacrificium; neque pro eis oblatum confert fructum ex opere operato, benè tamen fructum impetratorium.* Ratio primi eſt prohibitio Eccleſiæ ex Concilio Bracharienſi c. 35. & Arauſic. 1. c. 20. Ratio ſecundi eſt contra Suarez, Bellarminum & alios, quia ſicut Sacramenta ita & ſacrificium peculiariter à Chriſto pro ſalute Eccleſiæ inſtituta ſunt: ſed catechumeni non pertinent omnino ad Eccleſiam, cum necdum fidem per baptiſmum profeſſi ſint; neque in externa facie Eccleſiæ cenſeantur fideles & membra Eccleſiæ militantis: ergo eis non poteſt prodeſſe ex opere operato, ſicut nec alia Sacramenta ſine baptiſmo. Hinc appoſitè dicit S. Auguſtinus lib. 1. de orig. animæ c. 9. *quis offerat Corpus Chriſti niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* nec ſufficit dicere cum Adverſariis catechumenos ſufficienter eſſe membra Chriſti per fidem & pertinere ad Eccleſiam deſiderio ſeu voto ſicut novitii ad religionem; nam ex hoc ſequeretur eis etiam poſſe conferri Sacramentum pœnitentiæ vel ordinis, quod eſt abſurdum. Ratio tertii eſt, quia aliæ orationes & obſecrationes per merita Chriſti pro eis ſalubriter & deprecatoriè per modum impetrationis fundi poſſunt, cur non & orationes illæ, quæ ſacrificio annexa ſunt? Quapropter olim Miſſa diſtinguebatur in duas partes: quarum una, quæ precationibus conſtabat, dicebatur Miſſa catechumenorum, in quâ publicè orabatur non tantùm pro fidelibus, ſed etiam pro infidelibus, & huic intereſſe permittebantur catechumeni, ſi credentes & competenter inſtructi erant; uti colligitur ex Concil. Ancyrano C. 4. hodie tamen in uſu non eſt, ut in collectis Miſſæ infideles & catechumeni nominentur. Altera dicebatur Miſſa fidelium, quæ oblatione, conſecratione, & hoſtiæ ſumptione conſtabat, à quâ etiam catechumeni repellebantur, ut ſignificetur ſacrificium incruentum propriè & principaliter eſſe inſtitutum pro ſolis fidelibus, qui actu in corpore Eccleſiæ exiſtunt; ideóque infideles & catechumenos ejus præcipui fructûs, qui ex opere operato vi inſtitutionis Chriſti deſcendit, capaces non eſſe, ut explicat Azorius lib. 10. cap. 22. quæſt. 2. cum quo tamen minimè pugnat, quin Sacerdos in perſonâ Chriſti ſacrificium, quatenus impetratorium eſt, offerre poſſit eâ intentione, ut aliquid per Chriſtum DEO Patri oblatum etiam catechumenis aut infidelibus ad ipſorum ſalutem impetretur, quamvis non deceat ejuſmodi perſonas nominare, cum id eſſet conſuetudini Eccleſiæ difforme.

Propoſitio 6. *Validè etiam pro infidelibus, & judæis ſacrificium Miſſæ offerri poteſt per modum deprecationis, ut ad chriſtianam fidem convertantur.* Ratio eſt ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. *obſecro fieri obſecrationes* &c. *pro omnibus hominibus: pro Regibus & qui in ſublimitate ſunt* (quales tunc erant gentiles) *hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et ita hunc locum intelligit S. Auguſtinus epiſt. 59. ad 5. quæſt. imò videmus hoc in veteri lege practicatum, ubi judæi pro gentilibus ſacrificare conſueverunt, ut 1. Eſdræ cap. 6. pro ſalute Darii & filiorum ejus. 1. Machab. cap. 12. pro ſpartiatis. 2. Machab. cap. 3. pro ſalute Heliodori: ergo. 8

Propoſitio 7. *Sacerdos ut perſona privata offerens ſacrificium & DEO ſupplicans in memento poteſt fructum tum impetrationis, tum ſatisfactionis ex opere operantis ſecundùm privatam ſuam diſpoſitionem proventurum applicare cuicunque homini capaci etiam excommunicato non tolerato.* Ratio eſt, quia talis oratio & oblatio eſt propria actio ipſius Sacerdotis: ergo ejuſdem arbitrio permittitur, neque ab Eccleſia prohiberi poteſt, quominus ex motivo charitatis communicetur cuicunque ſalutis & mediorum ejus capaci; cùm & alii ad ſacrificium concurrentes privatâ ſuâ devotione illud offerre poſſint pro quibuſcunque volunt tam vivis quàm defunctis, ſi capaces eſſe credantur. His propoſitis: 9

Aſſero 1. ad quæſt. *ut ſacrificium Altaris conferat fructum ex opere operato non eſt neceſſaria in Sacerdote applicatio ſeu intentio actualis aut virtualis; ſed ſufficit habitualis.* Eſt Scoti quodlib. 20. §. *de primo.* cum communiori contra Vaſquez & alios paucos. 10

Probatur 1. Scotus cit. dicit: non oportet celebrantem pro multis tunc de eis actu cogitare, ſed ſufficit quod ante recollegerit iſtos, pro quibus intendit ſpecialiter orare & intentionem ſuam talem DEO obtulerit; ex tunc enim, ſi tantùm in communi eorum memoriam habeat hoc ſufficit, quia DEUS oblationem & devotionem ſuam pro illis acceptat: ergo ita etiam Scotiſtis eſt ſentiendum.

Probatur 2. ad recipiendum fructum Sacramentorum ſufficit intentio habitualis: ergo etiam ad applicandum fructum ſacrificii. Conſeq. probatur: Tum quia applicatio fructûs ſacrificii, cùm non ſit confectio Sacramenti aut actio ſacramentalis magis debet menſurari ſecundùm receptionem fructûs, quàm ſecundùm confectionem Sacramenti uti magis declarabimus in ſolutione objectionis paritatis de confectione Sacramentorum: ergo. Tum quia, applicatio ſacrificii non eſt intentio faciendi aliquem actum ſpecialem, quæ proinde aliquo modo influere debet & movere ad talem actum, ſed eſt donatio vel tranſlatio fructûs, qui ex aliquo ſpeciali actu percipitur, quæ plerumque in aliis rebus eſt valida & efficax quamdiu retractata non fuerit: ergo.

11 Objicies: ad confectionem Sacramenti non ſufficit intentio habitualis, ſed requiritur actualis vel virtualis: ergo & ad applicationem ſacrificii, cùm non ſit minoris dignitatis.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas varia eſt, prima eſt, quam inſinuavimus in proba 2. altera eſt, quia ut forma aliqua habitualiter permanere dicatur phyſicè vel moraliter, opus eſt, quòd in eo ſubjecto vel aliquam relinquat habitudinem, vel ſaltem obligationem aliquam ſequentem ad illam formam, quo pacto actus contrahendi in variis contractibus etiam præteriti moraliter permanere dicuntur; hoc autem ſecundum & ſi fortè non primum contingit in noſtro caſu, nam quando Sacerdos Miſſam pro aliquo ſingulis diebus anni promittit, talis promiſſio obligationem relinquit, ratione cujus habitualiter durare cenſetur in genere moris, adeò ut talem intentionem habitualem meritò ſufficere dicamus, ut ſingulis poſtea diebus ſacrificium pro illo applicatum cenſeatur; at de Sacramento conficiendo res ſe habere non poteſt, quia intentio diu præterita nec phyſicè nec moraliter pro eo permanet, non phyſicè, quia in ſe ipſo non durat, nec in aliquo effecto ab ipſo ſecuto permanet; nec etiam moraliter, quia nulla eſt obligatio ex tali intentione præteritâ, per conſequens nec propriè intentio habitualis dici poteſt, nec ſufficere ad conficiendum Sacramentum.

Dices: applicare ſacrificium alicui eſt offerre ſacrificium pro eo, ſed non dicitur quis offerre ſacrificium per voluntatem, quæ nullo modo eſt cauſa offerendi, qualis eſſet intentio habitualis, cùm ab ea ſacrificium nec proximè nec remotè procedat: ergo.

Contra neg. maj. nam aliud eſt loqui de oblatione ſacrificii, quæ eſt eſſentialiter conſecratio, aliud de oblatione, quæ eſt ejuſdem ſacrificii applicatio ſeu fructûs donatio, prima enim eſt actio ſacrifica, quæ DEUM immediatè reſpicit; alia verò non eſt actio ſacrifica & proximè eum reſpicit, pro quo applicatur; quare propriè loquendo non eſt oblatio, ſed determinatio ſacrificii ad certam perſonam; qui duo actus ab invicem ſeparari poſſunt, poteſt enim Sacerdos ſacrificium offerre & illud nulli applicare.

Dices: Sacerdos non poteſt applicare ſacrificium niſi ut miniſter Chriſti, cui Chriſtus hanc facultatem commiſit; ſed non eſt miniſter Chriſti, niſi in ipſâ conſecratione dum offert ſacrificium: ergo tunc neceſſe eſt, ut habeat intentionem actualem vel virtualem.

Contra neg. min. quia Sacerdos non tantùm eſt miniſter efficiens, dum actu conſecrat, ſed etiam diſpenſans quando extra altare fructum ſacrificii futuri donat; utramque enim poteſtatem à Chriſto accepit.

Dices: ſicut intentio offerendi ſacrificium debet eſſe cauſa efficiens oblationis dum reipſa fit, ita intentio applicandi debet eſſe cauſa efficiens donationis pro aliquo, dum reipſa fit pro aliquo: ergo ſicut intentio prior debet eſſe actualis vel virtualis, ita & poſterior.

Contra neg. anteced. ob duplicem diſparitatem in prima reſponſione allatam, prima enim intentio eſt actio conficiendi & ſacrificandi: Secunda verò eſt actio diſpenſandi & donandi. Vide probam 2. & reſponſionem primam ad objectionem.

Aſſero 2. *Applicatio Sacerdotis valet contra applicationem & præceptum ſuperioris vel ſtipem dantis.* Eſt communior, & deducitur ex Scoto quodlibet 20. §. *de ſecundo articulo.* Eſtque Suarez, Vasquez, Maſtrii & aliorum plurimorum contra Cordubam, Barboſam, Dianam, Gavantem & alios. 12

Probatur 1. Ratione Scoti: Sacerdos & non Prælatus eſt miniſter & diſpenſator hujus ſacrificii: ergo in ſolius Sacerdotis poteſtate eſt applicare fructum ſacrificii: conſeq. probatur: ſicut Sacerdoti ſacrificanti convenit determinare intentionem ſuam, ut ſpecialiter offerat, ſic convenit ſibi diſpenſatoriè determinare, cui virtute ſacrificii bonum, quod impetratur, reddatur: ergo ſicut Sacerdos ratione ordinis habet gradum notabilem in Eccleſia, propter quem ſibi convenit ut miniſtro offerre, ita ipſe ſolus valet virtutem ſacrificii ad hanc vel illam perſonam determinare ut miniſter & diſpenſator; nam utraque actio fit immediatè à Sacerdote ex commiſſione Chriſti, prout verba formæ, quâ ordinatur Sacerdos, indicant: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis & defunctis.*

Pro-

Probatur 2. in aliis Sacramentis, quando miniſter intendit conficere & conferre alicui Sacramentum, valet ſua collatio, dummodo adſint reliqua requiſita ad valorem Sacramenti, quamvis id faciat contra præceptum ſuperioris aut aliam quamcunque obligationem: ergo etiam in propoſito tam oblatio quàm ſacrificii applicatio erit valida & habens effectum, quamvis contra debitum obedientiæ vel juſtitiæ fiat. Anteced. patet, quia in adminiſtratione & applicatione Sacramentorum ſubditus non pendet à voluntate ſuperioris quoad valorem actionis excepto Sacramento pœnitentiæ, ad quod eſſentialiter requiritur juriſdictio à ſuperiore collata.

13 Objicies: Præceptum ſubdito factum de applicanda Miſſa juxta intentionem Prælati non eſt contra, nec præter, nec ſupra regulam, ſed ſecundùm eam ſaltem implicitè, cùm pertineat ad commune bonum religionis & rectam gubernationem ejus: ergo tenetur Sacerdos ſe huic præcepto conformare.

Reſpondeo concedendo totum, nam ſimilia argumenta ſolùm concludunt Sacerdotem non ita applicantem graviter peccare, quod Prop. 3. admittimus, non verò, quod talis applicatio non ſit valida: Chriſtus enim ita hoc ſacrificium inſtituit & illius oblationem Sacerdotibus commiſit, ut etiam tota applicatio pendeat ex liberâ Sacerdotis intentione.

Dices: Prælatus poteſt irritare voluntates ſubditorum, quoties à ſua voluntate diſcordant, ut patet in votis & juramentis, quæ poteſt ob ſubordinationem voluntatis inferioris ad ſe ſuperiorem irritare exceptis tribus votis ſubſtantialibus? ergo etiam poteſt irritare applicationes ſubditorum circa ſacrificium Miſſæ.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia Sacerdos poteſtatem applicandi accepit immediatè à Chriſto independenter à voluntate ſuperioris, & in ejus nomine exercet eam, & ideo à Prælato inferiori non poteſt irritari; ſicut videmus in humanis; quoties enim aliquis ſupremus ſuperior quidpiam ſubdito committit, ut ejus nomine faciat, non pendet ſubditus in uſu hujus commiſſionis à voluntate ſuperioris immediati, ut ſi v. g. generalis alicui committat, ut ejus nomine inquirat, præcipiat & puniat in aliquâ causâ determinatâ, non poterit Provincialis impedire vel irritare geſta per ſubditum quoad illam cauſam, quia quoad illam operatur ex commiſſione & nomine Generalis, per quam jam eo ipſo eximitur à poteſtate Provincialis quoad illam cauſam; aſt poteſtatem vovendi & jurandi ſubditos non habet à Chriſto ut aliquo ſupremo prælato, ſed ex innatâ ſuâ libertate, quæ ſubeſt in his poteſtati ſuperioris.

Dices: Sacerdos eſt miniſter Chriſti: ergo tenetur juxta ejus voluntatem operari; ſed voluntas Chriſti eſt, ut Sacerdos ſatisfaciat intentioni debitæ: ergo tenetur ſacrificium applicare juxta obligationem ſibi incumbentem.

Contra diſting. min. ſubſumpt. voluntas Chriſti eſt, ut Sacerdos ſatisfaciat intentioni debitæ pro licita applicatione conc. pro valida conſecratione neg. min. ſequitur itaque ex hoc argumento ſolùm ſicut ex primo, quod Sacerdos graviter peccet, ſi non ſatisfaciat debitæ intentioni, non verò quòd non validè applicet.

Aſſero 3. *Sacrificium Altaris infallibiliter & certa lege prodeſt animabus purgantibus quoad effectum remiſſionis pœnarum ex opere operato, & non ſolùm per modum ſuffragii, ſeu impetrationis liberalis, prout DEO placuerit orationes fidelium & Eccleſiæ acceptare.* Eſt Scoti quodlib. 20. §. *de ſecundo autem.* ubi hoc ſacrificium æquè pro defunctis ſicut pro vivis offerendum ex Scripturâ deducit. Eſtque Suarez, Vaſquez, Amici, & plurimorum Recentiorum contra Canum & quoſdam Thomiſtas. 14

Probatur 1. Deſtruendo primum præcipuum fundamentum ſententiæ contrariæ: ideo ſacrificium Altaris non prodeſſet infallibiliter animabus purgantibus, quia hæ non ſunt ampliùs in ſtatu viæ, ſed potiùs extra poteſtatem & dominium Eccleſiæ militantis, ſed hæc ratio non convincit: ergo. Min. probatur: Tum quia quando Theologi dicunt ſtatum viatoris ad hunc effectum ſacrificii participandum neceſſariò requiri, etiam ſtatum purgatorii comprehendunt, quia animæ quatenus ibi ſunt, ad ultimum terminum nondum pervenerunt: & ſic aliquâ ſaltem ex parte viatrices ſunt, maximè quoad remiſſionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obtinendam: ergo hoc ipſo animæ in purgatorio detentæ ſunt capaces fructûs hujus ſacrificii ex opere operato. Tum quia animæ purgatorii ſunt viva membra Chriſti, & quamvis non poſſint mereri nec demereri, non tamen ſunt extra ſtatum viæ omnino, cùm adhuc ſint in viâ ad cœlum: ergo eis hoc ſacrificium prodeſſe poteſt ſicut vivis. Tum quia SS. Patres & Concilia, ut videre eſt Advert. 2. æqualibus verbis pronuntiant hoc ſacrificium prodeſſe vivis & defunctis, & ſignanter Trident. Seſſ. 22. Can. 3. & Seſſ. 25. in decreto de purgatorio, uti legenti patebit, imò & ipſa forma ordinationis Sacerdotis non magis determinat ejus poteſtatem ad vivos quàm defunctos, utpote abſolutè ſonans: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſiâ DEI pro vivis & defunctis:* ergo animæ purgantes ſunt adhuc ſub poteſtate & dominio Eccleſiæ militantis; licèt enim non ſint in termino merendi, ſunt tamen adhuc in viâ ſolvendi debita ex peccatis in hâc vitâ commiſſis & non ad plenum expiatis, contracta.

Probatur 2. Deſtruendo alterum contrariæ ſententiæ fundamentum: ideo ſacrificium

Altaris non prodeſſet infallibili lege animabus purgantibus, quia etiam indulgentiæ non conceduntur animabua per modum abſolutæ ſententiæ, certâ & infallibili lege applicandæ, ſed ſolùm per modum ſuffragii, ut nimirum DEUS dignetur eas pro iis acceptare, quod & de ſacrificio Miſſæ dicendum eſſet; ſed hæc ratio non convincit: ergo. Min. probatur: Tum quia quamvia eſſet vera differentia inter ſuffragia indulgentiarum, quæ defunctis applicantur, & ea quæ vivia donantur, ut pro his oblata infallibiliter ſuum ſortiantur effectum, eò quod circa hos Eccleſia juriadictionem habeat, non verò pro defunctis, attamen quod attinet ad ſacrificium nulla ratio eſſe poteſt, ob quam potiùs vivis quàm defunctis infallibiliter prodeſſe poſſit: ergo. Anteced. probatur: hoc ſacrificium inſtitutum fuit à Chriſto; ſed hic æquè in viventes & defunctoa poteſtatem habet: ergo cùm id pro utriaque inſtituerit, non poteſt, quantùm ſpectat ad pœnarum remiſſionem, ut refert Trident. proba priori eit, dicens: *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium - - - neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit*, ulla ratio adduci, ob quam potiùs vivia, quàm defunctis certa lege ſemper prodeſſe poſſit; adeóque quamvis de ſuffragiia indulgentiarum id negaretur, adhuc de ſacrificio id affirmari poteſt, cùm ei ſpecialis inſit virtus ex opere operato & Chriſti inſtitutione.

Probatur 3. certum eſt apud omnes hoc ſacrificium magis prodeſſe defunctis cum gratia & baptiſmo diſcedentibus, quàm defunctis in gratia quidem, ſed ſine baptiſmo decedentibus; nam his ex opere operato & quoad effectus infallibiliter conferendoa nihil prodeſſe poteſt, cùm careant charactere baptismali, per quem tam vivi quàm defuncti capaces efficiuntur fructûs hujua ſacrificii certa lege & infallibiliter participabilis; ſic enim in Canone oramus; *Memento etiam Domine famulorum famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis.* Ubi per ſignum fidei character baptismalis intelligitur. Sed quoad remiſſionem pœnæ per modum ſuffragii & liberalis impetrationis poteſt hoc ſacrificium prodeſſe etiam non baptizatis cum gratia decedentibus nempe cum ſolo voto baptiſmi, ut communiter docent Theologi: ergo cùm magis proſit decedentibus in gratia & ſimul cum baptiſmo in re ſuſcepto, dicere oportet, quòd hunc effectum remiſſionis pœnarum his conferat ex opere operato & certa & infallibili lege.

15 Objicies: Animæ purgantea non ſunt membra Eccleſiæ viſibilis: ergo non ſunt in ſtatu, in quo poſſit eis prodeſſe ex opere operato ſacrificium viſibile, aut Eccleſia in eas habere poteſtatem.

Reſpondeo neg. anteced. quamvia enim animæ purgantes non pertineant ad Eccleſiam, ut membra viſibilia, pertinent tamen ad eam ut membra inviſibilia, & nondum in termino conſtituta, ſed adhuc cum illa militantia & à Domino peregrinantia; quare adhuc quà viatrices pertinent ad Eccleſiam militantem, cùm nondum ſint in patria, nec in Eccleſia cœleſti triumphent.

Dicea: Eccleſia non habet poteſtatem applicandi animabus purgantibus fructum Sacramentorum: ergo nec ſacrificii, cùm non habeat poteſtatem majorem in hoc, quàm illa.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: quia Sacramenta non ſunt per ſe inſtituta niſi pro viventibus, ideo ſuoa effectus non operantur in animâ, niſi applicata corpori mediante aliqua ſenſibili mutatione: Miſſæ ſacrificium verò indifferenter tam pro vivis quàm defunctis inſtitutum eſt, eo quòd poſſit effectum ſuum immediatè conferre animæ; cum illum non conferat mediante aliqua mutatione ſenſibili facta in corpore illius, cui applicatur, ſed ſolùm voluntate offerentis, illúdque in bonum alteriua ordinantis. Item Sacramenta ad gratiam conferendam ordinata ſunt, ſacrificium verò ad tollendaa pœnas peccatorum; animæ autem purgantes non ſunt capaces augmenti gratiæ, cum non ſint in ſtatu amplius creſcendi in præmio eſſentiali, quod incremento gratiæ correſpondet; benè tamen abſolvi poſſit à reatu pœnæ, quod eis ſacrificium præſtare poteſt, non Sacramenta.

Dices: Ideo Eccleſia non habet poteſtatem infallibiliter, ſed ſolùm per modum liberalis impetrationis fructum hujus ſacrificii non baptizatis applicandi, quia illi non ſpectant ad ipſius dominium; ſed neque animæ purgantes ſpectant ad ejus dominium: ergo.

Contra neg. min. Nam Eccleſia habet poteſtatem & dominium in defunctos fideles, quæ præceſſerunt cum ſigno fidei, quam non habet in non baptizatos, ut diximus in probâ 3. & fuſiùa in prob. 1.

Dices: Animæ purgantes non ſunt in ſtatu ſatiafaciendi, ſed ſatispatiendi; ergo eis nulla ſatiafactio ex certa lege vel promiſſione prodeſſe poteſt. 16

Contra neg. conſeq. licèt enim animæ purgantes non ſint in ſtatu activè ſatisfaciendi per ſe ipſaa, ſunt tamen in ſtatu ſatisſaciendi per alioa; nam qua ratione ſunt in ſtatu ſolvendi pœnas, eadem ratione aliorum ſatiſfactionibus juvari poſſunt, præſertim Chriſti Domini; cùm debitum ex juſtitiâ ſolvi poſſit non ſolùm ſolutione propria, ſed etiam aliena.

Dices propter prædictam cauſam aliæ ſuffragia Eccleſiæ præſertim indulgentiæ non applicantur defunctis infallibiliter, ſed per modum

dum ſuffragii, ot nempe DEUS de congroo acceptet & applicet illa, qualiter Theologi loquontur communiter: ergo etiam id de ſacrificio eſt dicendum.

Contra tranamitto antecedens, quod etiam plurimi oegant tenentes pariter indulgentias defunctis prodeſſe infallibiliter, ut ex noſtris docere videtur Faber, oeg. conſeq. diſparitas patec ſuperiùa ex proba ſecunda.

17 Dices: ſi fructus ſacrificii infallibiliter prodeſſet animabus purgantibus, ſequeretur plurimas animas ſtatim à purgatorio liberari, ſi pro eia multa ſacrificia offerantur; ſed hoc non poteſt admittere divina juſtitia, quæ ſemper exigit pœnam culpæ proportionatam: ergo.

Contra conc. ſequel. neg. min. non enim hoc dedeceret divinam juſtitiam, dum illâ adhuc obſervatâ cedat in eximiam hujus ſacrificii commendationem; licèt ergo multæ animæ virtute ipſius ſtstim è purgatorio evolarent io cœlum modicâ in eo pœnâ ſolutâ, ut jam olim docuit Richardua in 4. Diſtinct. 45. artic. 2. quæſt. 1. attamen com eis adhuc optimè ſervaretur juſtitia puoitiva, quæ exigit, ut reus puniatur pœnâ culpæ proportionatâ; ſervaretur autem adhuc ſimpliciter juſtitia & proportio pœnæ ad culpam, quatenua applicatur illi ſatisfactio Chriſti, qoæ ratione perſonæ ſatisfscientis quameunque pœnam, cuiconque peccato debitam, exeedit, ut diximus de incarnatione de ſatisfactione Chriſti; licèt fortè non ſervetur juſtitia com ipſo reo. His demum pro complemento materiæ de ſacrificio Miſſæ.

18 Addo 1. Officium Miſſæ in Eccleſiâ Romanâ debere dici in linguâ latinâ oon in vulgari, & Canonem proferri voce ſubmiſſâ, non elatâ; cùm Trident. Seſſ. 22. Can. 9. expreſſè ſtatuat: *ſi quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum, quô ſubmiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur damnandum eſſe aut linguâ tantum vulgari Miſſam celebrari debere - - - - anathema ſit.* Unde etiam Scotus io 4. Diſtinct. 3. quæſt. 2. §. *tertiò de forma* dicit: *ordinavit Eccleſia Romana, quòd officia Eccleſiaſtica dicantur & Sacramenta miniſtrentur* (puta ſolemniter) *in latino Grammatico & hoc rationabiliter, quia iſtud diſtinctiùs poteſt ſcribi & proferri.* Hinc juſtiſſimè damnata fuit à Clemente XI. per Bollam Unigenitus propoſitio 86. Quesnelli ſic ſonans: *eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ & intentioni DEI.* Vide hanc propoſitionem refutatam in noſtris Nubilia Janſeniſmi cootra Quesnellum ſpecialiter editis.

19 Addo 2. Sacrificio Miſſæ licitè peccatores intereſſe poſſe, & diebus feſtivis intereſſe debere, cùm Eccleſia per hoc ſperet fore, ut peccatores divinorum myſteriorum aſpectu compungantur, & Trident. Seſſ. 22. decreto de obſervandis & vitandia in celebratione Miſſæ, neminem à ſacrificio Miſſæ *niſi publicè & notoriè criminoſos* excludat; ac taodem quivis jua habeat in famam ſuam, quæ verè multùm periclitaretur, ſi ex occulto peccato ab suditione Miſſæ in diebus obligatoriis abſtinere teneretur; quæ enim non ſuſpiciones & infamiæ ſuborirentur de taliter abſtinente? juxta omnes enim longè mioori diſpoſitione opus eſt ad audiendam Miſſam, quàm sd communicandum. Jure meritò igitur proſcripta fuit per conſtitutionem *Unigenitus* Quesnelli propoſitio 89. *quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.* Quam propoſitionem vide refutatam io ooſtris Nubilis paulo snte citatia. Hæc de Sacramento ordinis dicta ſint ſatis.

DE SACRAMENTO MATRIMONII ET SPONSALIBUS.

DISTINCTIO XX.

De eſſentia & inſtitutione Matrimonii & hæreticorum matrimoniis.

QUÆSTIO I.

In quonam eſſentialiter conſiſtat matrimonium, & à quo ac quomodo ſit inſtitutum?

1 ADvertendum eſt 1. Nomine matrimonii intelligi legitimam viri & mulieria conjunctioοem tontineotem individuam vitæ ſocietatem, ut patet ex Catechiſmo Romano; dicitur autem talia conjunctio matrimooium à matre, & non patrimooium à patre, ut notat Gregorius IX. C. *litteris* de converſione infidelium; quia matri maximè incumbit officium nutriendæ prolis, nam infans, dom eſt in utero matris ejua ſanguine menſtruo nutritur; ceſſant enim mulieres grsvidæ menſtruum emittere, poſt oativitatem verò nutritur lacte matris, & poſt ablactstionem adhuc mulco tempore incumbit magis matri officium educandi prolem, quàm patri; econtra verò, quia in acquiſitione poſſeſſionis bonorum principalior pars eſt pater, ideo bonorum poſſeſſio potius dicitur patrimonium

monium quàm matrimonium, quod etiam vocatur conjugium, eò quod virum & mulierem ſub uno eodémque quaſi mutuo jugo ad fidem ſervandam & onera matrimonii ſuſtinenda conſtituat. Matrimonium ergo licitum & honeſtum eſſe contra quosdam hæreticos multa Concilia docent ex Apoſtolo 1. ad Cor. 7. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam benefacit* &c. & 13. ad Hebr. dicit: *honorabile connubium thorus immaculatus*, quin imò ad Epheſ. in tantum extollitur, ut dicatur *magnum Sacramentum quod eſt in Chriſto & Eccleſia.* Hinc Scotus in 4. Diſt. 26. q. un. fusè demonſtrat etiam ax naturalibus matrimonium ut præſcindit à Sacramanto eſſe honeſtum ſcilicet ad filiorum protreationem & generis humani propagationem, cum ſit ſecundùm inclinationem naturæ ſalvare ſuam ſpeciem eo modo, quô decet naturam humanam, uti dicemus in ſequentibus; & præterea docet conjunctionem vagam ſeu fornicarionem eſſe contra bonum naturale prolis, quia ſic proles non educaretur religiosè, nam parentes ſaltem pater non haberet determinaram notiriam ſuæ prolis, & ita non eſſet ſollicitus impendere debiram diſciplinam proli, nec è converſo proles eſſet ſollicita debirum timorem præſtarê patri, ob quem timorem filius magìs obedit patri quàm marri & ab eo accipit diſciplinam; matrimonium verò hanc fornicationem tollit; ergo ex ratione, quâ illa conjunctio vaga eſt mala, matrimonium utpote conjunctio determinata eſt bonum & honeſtum. Unde ſequitur bonum prolis non eſſe ipſam prolem ſimpliciter, ſed ſpem deſideriúmque, quò proles quæritur religioſe educari.

2 Advert. eſt 2. Scotum cit. tria in matrimonio diſtinguere, ſeu tripliciter ſumere maerimonium, primò pro vinculo inter conjuges, quod conſiſtit in relatione mutuæ obligationis ſeu dominii & ſervitutis, quâ hinc inde corpora traduntur in poteſtatem ad finem contractûs, quæ relatio eſt moralis & permanens in facto eſſe matrimonii. Secundò pro ipſo contractu in fieri, ex quo emanat illud vinculum, & conſiſtit in actione tranſeunte contrahendi inter conjuges, qui contractus ad vinculum ſe habet ſicut baptizari vel ordinari ad characterem. Tertiò pro Sacramento ſeu ſigno ſenſibili cauſante gratiam; & ſimiliter in fieri conſiſtit, ſicut matrimonium ſecundo modo ſumptum; cum verò matrimonium potiſſimùm & principaliter importet matrimonium pro vinculo ſumptum juxta authores & canones, & alias duas acceptationes ſolùm connotet; ideo etiam de illo potiſſimùm loquuntur; nos tamen in hac quæſtione etiam principaliter da matrimonio ut Sacramento ſermonem habebimus, cùm de aliis per conformem concomitantiam res facile patere poſſit. Præterea adhuc dupliciter ſpectari poteſt matrimonium, primò ut officium naturæ & comprehendit illas duas primas acceptiones. Secundò ut Sacramentum & ſolum continet tertiam acceptionem; cujus duplicitatis ratio eſt, quia hoc ipſo, quod DEUS creaverit marem & fœminam cum potentia generativa eos ad mutuam eorum ſocieratem & in officium naturæ creavit, non ſtatim tamen talem ſocietatem elevando ad Sacramentum, ſed ſolùm in ſuâ lege evangelicâ. Tandem adhuc tripliciter & communiter ſumitur matrimonium ſcilicet: ut legirimum, ratum, & conſummatum: legitimum eſt inter perſonas non impeditas legitimo conſenſu contractum, ut fuit in omni lega etiam modò inter infideles. Ratum eſt, quòd eſt ſignatum Sacramento, & eſt inter ſolos baptizatos nondum tamen copulâ carnali ſubſecutâ. Conſummatum tandem eſt, quod copulâ carnali completur. De eo igitur poteſt quæri, unda ejus inſtitutionis origo tam ſub ratione contractûs civilis & officii naturæ, quam ſub ratione Sacramenti proveniat? ad quod aliqui dicunt, illud ſub rationa contractûs eſſe ex ſolo jure naturæ ſine ſpeciali divina inſtitutione, alii autem ex poſitiva inſtitutione Adami, alii ex ſola divina inſtitutione t ſub ratione verò Sacramenti plerique concedunt illud eſſe inſtitutum à Chriſto. His notatis:

Propoſitio 1. *Matrimonium ſumptum pro vinculo, & in eſſe permanenti bene definitur quòd ſit: vinculum indiſſolubile inter marem & fœminam ex mutua translatione poteſtatis ſuorum corporum in ſe invicem factâ ad prolem procreandam & debitè educandam.* Ratio eſt: quia illa eſt exacta definitio, quæ datur per quatuor causarum genera; ſed præfata datur, quia dicitur, eſt vinculum, quod eſt cauſa formalis, dicitur inter marem & fœminam, quod eſt cauſa materialis, dicitur ex mutua traoslatione, quod eſt cauſa efficiens, dicitur ad procreandam prolem quod eſt cauſa finalis: ergo. Ex hac definitione patet eſſentiam matrimonii in facto eſſe conſiſtere in illo vinculo perpetuæ obligationis ſeu in ratione perpetui juris utriusque conjugis in alterutrum, quod vice versâ in utroque perpetuam importat ſubjectionem & ligamen juxta illud 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir, neque vir habet ſui corporis poteſtatem ſed mulier*, quale jus & obligatio in aliquo permanente exprimitur juxta illud cit. ad Corinth. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit* &c. nam aliud in matrimonio nihil eſt permanens niſi illud vinculum obligationis mutuæ uſque ad mortem unius conjugis. 3

Nec dicas: illud vinculum, cum ſit permanens, ſolum permanet in matrimoniis conſummatis, hæc enim ſunt ſolum permanentia; ſed in ejus definitione nihil includitur de copula conſummante matrimonium: ergo non eſt bona.

Re-

Reſpondeo neg. maj. nam conjunctio maritalis etiam permanens non eſt copula carnalis, quia etiam hæc eſt tranſiens & poteſt matrimonium verum & legitimum per totam vitam permanere ſine copula, ut fuit in matrimonio S. Joſephi cum Beata Virgine, unde illa copula ſequens non eſt pars eſſentialis matrimonii veri, ſed ſolum eſt complementum & conſummatio ejus accidentalis; imo nec etiam ipſa præciſa animorum conjunctio eſt illud vinculum, quia etiam hæc inter fratres & amicos poteſt reperiri, ſed eſt jus ex mutuo conſenſu conjugum ad utendum corpore alterius ad actum conjugalem, quod jus ſeu poteſtas poteſt aliquando quoad actum ſecundum remanere impeditum, vel ad tempus vel per totam vitam v. g. per votum caſtitatis emiſſum, & ſolum remanere in actu primo & radicaliter vere tamen.

4 Propoſitio 2. *Matrimonium ſumptum pro contractu & in fieri bene definitur quod ſit: mutua translatio corporum ſuorum maris & fœminæ pro uſu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam:* Ratio eſt, quia hæc definitio præter quatuor cauſarum genera datur per genus & differentiam; nam dicitur mutua translatio, quâ convenit tanquam in genere cum quocunque alio contractu, qui ſemper fundatur in do & des. Dicitur corporum ſuorum pro uſu perpetuo &c. in quibus tanquam per differentiam illa translatio contrahitur ad hanc ſpeciem contractûs; & hæc definitio coincidit cum illa juris Canonici cap. *illud quoque.* de præſumptionibus: *quod ſit conjunctio maritalis viri & mulieris inter perſonas legitimas individuam vitæ conſuetudinem retinens.*

Nec dicas: mutua corporum translatio non fit niſi per actualem copulam, tunc enim corpora transferuntur, quando exercetur dominium unius conjugis ſupra alterum: ergo contractus matrimonii in fieri non importat translationem, cum poſſit præcedere actualem copulam ut paulo ante diximus.

Reſpondeo neg. ant. nam in iſto contractu fit actualis corporum translatio per jus & actuale dominium, quod ſupra ſe invicem contrahentes acquirunt ex vi talis contractûs, nam ut dicit Scotus cit. ut aliquis ſit dominus minime opus eſt, ut actu jubeat, ſed ſufficit quod tale jus habeat, ut poſſit ſervo uti ad placitum ſuum, & hoc idem eſt in contractu matrimonii ante copulam. Imò poſſet dici, quòd in contractu matrimonii præciſè propriè
8 loquendo non ſit quædam mutua translatio corporum, ſed translatio mutuæ poteſtatis & juris corporum, ut etiam loquitur Scotus; copula enim carnalis propriè uſum & exercitium illius poteſtatis importat. Interim tamen verum eſt, tam vinculum quam contractum matrimonii ad copulam carnalem ordinari, quæ inter conjuges aptè & debitè exercetur, nam per hoc contractus matrimonialis ab omni alio contractu humano diſtinguitur, in quo etiam perſonæ traduntur, ut inter principem & ſubditum, dominum & ſervum; hinc ſi duo contraherent matrimonium cum voto tamen in perpetuum abſtinendi à copula, vel ambo ingrederentur religionem, ſi tamen poſtea carnalem copulam haberent, talis copula non eſſet propria fornicatio, quia non eſſet acceſſus ad non ſuam, ſed ſolum eſſet ſacrilegium contra jus DEO per votum acquiſitum, ut tenet Coninch.

Propoſitio 3. *Matrimonium ſumptum pro Sacramento bene definitur, quod ſit: expreſſio certorum verborum vel ſignorum maris & fœminæ ad invicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debitè procreandam ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans gratiam conferendam maritè contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratioſam.* Ratio eſt: Quia hæc definitio explicat omnia eſſentialia matrimonii ut Sacramenti; dicitur enim expreſſio verborum vel ſignorum &c. quia Sacramentum matrimonii debet conſiſtere in contractu ſenſibili, ſicut alia Sacramenta in ſigno ſenſibili. Dicitur ex divina inſtitutione efficaciter ſignificans gratiam &c. diſtinguitur & ſpecificatur matrimonium ſub ratione Sacramenti, & diſcernitur à matrimonio infidelium. Dicitur tandem ad conjunctionem mutuam animorum gratioſam, per quod denotatur finis & differentia hujus gratiæ, & diſcernitur ab aliis Sacramentalibus, nam ſicut Sacramenti baptiſmi gratia eſt regenerativa hominis; Sacramenti confirmationis roborativa in fide &c. Ita Sacramenti matrimonii eſt alleviativa ad benè ferenda onera matrimonii, quæ aliàs ſunt valdè dura.

Nec dicas: illa gratia ad onera ferenda matrimonii non videtur eſſe gratia ſanctificationis ex opere operato, uti debent Sacramenta importare: ergo per illam non bene definitur in ratione Sacramenti. Antec. probatur, quamvis in profeſſione religioſæ virginitatis ſint majora onera, & ſit opus honeſtius
7 & difficilius quam matrimonium, non tamen illa gratia ad ferenda illa onera eſt ſanctificationis & ex opere operato: ergo nec in matrimonio.

Reſpondeo. neg. ant. ad prob. neg. conſeq. quia eſto profeſſio virginitatis ſit opus difficilius, eſt tamen ſolum opus inſtitutum pro bono privato, non vero pro bono publico totius Eccleſiæ, ſicut matrimonium, ideo placuit Chriſto matrimonio concedere gratiam ex opere operato, non vero virginitati, licèt etiam huic Chriſtus det magnam gratiam ex opere operantis.

Propoſitio 4. *Matrimonium ut contractus indiſſolubilis eſt quidem valdè conforme legi naturæ, non tamen eſt de lege naturæ ſtrictè loquendo.* 6 Ratio primi eſt, quia primariò

de lege naturæ eſt aliquod principium practi-ctum per ſe notum, & concluſio evidenter demonſtrata ex tali principio; ſecundariò autem de lege naturæ eſt evidenter conſonum talibus principiis & concluſionibus, licèt non neceſſario ſequatur; ſed indiſſolubile vinculum ſine dubio valdè conducit ad debitam generis humani propagationem & ad plurima inconvenientia evitanda: ergo eſt legi naturæ valdè congruum & conſonum, ſicque ſaltem ſecundariò de lege naturæ. Ratio ſecundi eſt: Quia tale indiſſolubile vinculum non eſt quid ex terminis notum, neque ex primis principiis practicis neceſſario deductum, nam alias hoc eſſet notum apud omnes nationes, cum lex naturæ ſit uniformis apud omnes nationes, ubi tamen apud infideles præſertim præteritis temporibus repudia adeo fuerunt frequentia, ut apud Romanos fuerit liberum etiam pro levi cauſa uxores repudiare, & novas ducere, ut refert D. Auguſtinus l. *de fide & operibus* cap. 7. hinc quamvis poſſit eſſe lex naturæ ut mas & fœmina inter ſe contrahent ad genus humanum propagandum, non tamen poteſt ex terminis apparere, ut ſit neceſſaria indiſſolubilitas quamvis valdè ſit apta & proportionata.

Nec dicas: Juriſtæ in ff. lib. 1. tit. 1. l. 1. dicunt eſſe *jus naturale* maris & fœminæ conjunctionem. Et ex Ariſtotele 8. *Ethic. cap.* 12. dicente: *hominem eſſe magis naturaliter animal conjugale quam politicum & gregale:* ergo illud quod nos matrimonium appellamus, eſt ſtrictè à jure naturæ inſtitutum.

Reſpondeo neg. conſeq. nam juriſtæ per jus naturale ſolùm intelligunt, quod eſt omni & in quacunque lege notum ſolo lumine naturæ; ſed tali modo ſolum eſt notum matrimonium in ratione contractûs, non verò ut habet vinculum inſolubilitatis annexum; hinc ex textu Ariſtotelis ſolum ſequitur matrimonium eſſe à jure naturæ inſtitutum in ratione contractûs & conjunctionis maris & fœminæ, non verò in ratione vinculi indiſſolubilis.

7 Propoſitio 5. *Quamvis matrimonium in omni lege fuerit honeſtum, non tamen in omni lege fuit Sacramentum.* Ratio primi eſt: quia finis propagatio ſcilicet naturæ humanæ eſt honeſtus, ergo & ejus medium, quod eſt matrimonium, nam alius non extat modus ad ſpeciem humanam conſervandam, & planè ipſa conſtitutio corporis humani cum diſtinctione ſexûs & aptitudine membrorum ad generationem demonſtrat ex ipſa natura rei convenientem ac licitam eſſe hanc propagationem. Ratio ſecundi eſt: non in ſtatu innocentiæ, cum nullum ibi fuiſſet Sacramentum, ut enim docet Scotus, omnia Sacramenta efficaciam habent ex paſſione Chriſti exhibita vel prævila, ſi autem ſtatus innocentiæ duràſſet, non fuiſſet paſſio Chriſti. Nec pro ſtatu legis naturæ lapſæ usque ad Moyſem, quia tunc ad ſummum extabat remedium parvulorum ut Sacramentum, ſcilicet circumciſio, ut traditur de Sacramentis in genere. Nec tandem in ſtatu legis ſcriptæ, quia nullibi habetur inſtitutio de matrimonio in ratione Sacramenti, ſed ſolum contractûs civilis ſicut apud alias nationes: ergo.

Nec dicas cum Alenſi & Soto Geneſis 1. dictum eſt: *Maſculum & fœminam creavit illos benedixitque illis DEUS & ait: creſcite & multiplicamini:* ſed illa benedictio non debet cenſeri otioſa, ſed potius gratiam contuliſſe, cum talis benedictio ſpecialiter ſit data hominibus & non aliis animalibus; hinc etiam dicit Paulus Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*, loquens de omni matrimonio etiam in prima lege, cum dicat ultra: *propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ* &c. & C. *gaudemus de divortiis.* apertè dicitur, *cùm Sacramentum conjugii apud fideles & infideles exiſtat.* Ac tandem ſtatim poſt peccatum fuit matrimonium inſtitutum in remedium concupiſcentiæ ergo ſemper habuit vim conferendi gratiam medicativam concupiſcentiæ & ſic fuit ſemper Sacramentum.

Reſpondeo neg. ultimam conſeq. nam illa benedictio divina non habuit vim conferendi gratiam, ſed ſolum fuit quædam approbatio divini operis in eſſe naturæ, & falſum eſt illam benedictionem non eſſe datam aliis animalibus, nam in creatione volatilium & aquatilium dicitur: *benedixit eis dicens: creſcite & multiplicamini.* D. Paulus vero nomen Sacramenti vel latè accepit pro ſimplici ſigno, vel etiam pro figura alicujus rei ſacræ, quo pacto plura ſunt in lege ſcripta figurativa rei ſacræ, ac præcipuè myſteria Chriſti. Vel melius dicitur, Paulum loqui de verò Sacramento matrimonii ſed pro moderno ſtatu, nam dicit: *magnum ſacramentum eſt*, non vero dicit: fuit aut erat. Præterea cap. cit. *de divortiis* ſumitur Sacramentum latè pro myſterio, cum enim matrimonium ſit à DEO inſtitutum inſolubile, ut dicemus, ideo in omni lege fuit figura & myſterium rei ſacræ, cujus tamen non eſt cauſa; hinc licet in ſtatu innocentiæ fuerit matrimonium in officium naturæ & poſt lapſum in remedium concupiſcentiæ, non tamen adhuc habuit vim conferendi gratiam, quia potuit aliter mederi concupiſcentiam, quatenus ex natura ſua per modum licitum concubitus refrænat concupiſcentiam. His ergo notatis:

Aſſero 1. *Matrimonium fidelium eſt propriè legis novæ Sacramentum: & ſub ratione Sacramenti eſſentialiter conſiſtit in contractu ſeu in actu transeunte, non vero in vinculo ſeu in effectu permanente.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 26. q. unica §. *ad ſolutionem.* ultra medium, eſtque quoad primam partem contra hæreticos 8

quoad

quoad ſecundam contra Sanchez, & Bellarminum.

Probatur 1. pars primò: De fide ſtatuitur id in Trident. Seſſ. 24. Can. 1: *Si quis dixerit matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre anathema ſit*: & probat id eſſe inſtitutum à Chriſto ex illis verbis apud Matth. 19: *quod DEUS conjunxit homo non ſeparet.* Quod etiam ante Scotus docuit, dicens: *Licet etiam ibi tantùm approbaverit contractum Geneſ. 2. inſtitutum, & quia contractum ibi non inſtituerit, inſtituit tamen Sacramentum*, ſeu contractum illum ad dignitatem Sacramenti evexit; quod etiam ſancti Patres perpetuò tradunt & agnoſcunt præſertim Auguſtinus lib. de bono
11 conjugali cap. 18. *in noſtrorum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti quam fœcunditas uteri.* Prætereà hujus Sacramenti inſtitutio probari poteſt ex illo ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Nam licèt Scotus dicat, hanc authoritatem non ſatis convincere cum poſſit intelligi de Sacramento latè & extensè accepto ſeu de ſigno rei ſacræ tantùm, non verò de ſigno efficaci conjunctionis Eccleſiæ ad humanitatem; niſi fortè eo modo, quo votum virginitatis eſt ſignum conjunctionis Eccleſiæ ad ſponſum illum, quia tamen Trid. cit. dicit per illa verba inſinuari, quod matrimonium ſit Sacramentum, etiam oportet illius authoritati acquieſcere, quod ſcilicet Paulus de Sacramento propriè dicto ſit locutus.

Probatur 2. Ceremonia externa cum ſignificatione rei ſacræ & cum annexa promiſſione gratiæ eſt verum Sacramentum; ſed matrimonium in lege nova eſt hujusmodi: ergo. M. prob. externa contractûs celebratio viri & fœminæ eſt ceremonia externa & ſignum ſenſibile, adeſt etiam duplex rei ſacræ ſignificatio ſcilicet: conjunctio ſponſi Chriſti cum Eccleſia, & conjunctio fœminæ & viri per chriſtianam charitatem dicente Apoſtolo: cit. *viri diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus Eccleſiam*, & ſubjungit: *Sacramentum hoc magnum eſt*, ac tandem cum plurima onera ſecum ferat matrimonium, tum inter conjuges, tum ad prolis educationem, quæ ſine ſpeciali gratia DEI vix ſuperari queunt, valdè congruum fuit matrimonium à Chriſto elevari ad ſtatum Sacramenti, & accipere vim conferendi gratiam ipſis conjugibus ſicut ob humanam indigentiam & fragilitatem etiam reliqua inſtituit Sacramenta, quod colligi poteſt ex illis verbis Matthæi 19. *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet* ſcilicet ſpecialiter per gratiam ſanctificantem, & quamvis illud de gratia non habeatur expreſſè in Scriptura, ſufficit tamen, quòd perpetuâ traditione Apoſtolicâ ita intelligitur: ergo.

Probatur 2. pars. Quodlibet Sacramentum ſuo uſu ex inſtitutione Chriſti gratiam confert; ſed vinculum matrimoniale ſuo uſu non ſanctificat: ergo eſſentialiter conſiſtit ſolum in ratione contractûs tranſeuntis. Min. probatur, ſi vinculum ſuo uſu ſanctificaret, ſic quoties conjuges in ſtatu gratiæ coirent, & uſum matrimonii exercerent, toties novam gratiam acciperent, non ſolum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato, quod eſt inconveniens & contra communem Theologorum ſenſum juxta illud Juris Canon. *connubia* cauſa 32. quæſt. 2. *non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur præſentia Spiritus ſancti dabitur*, niſi fortè ut dicit Gonet, quando copula vices ſigni interioris conſenſus ſuppleret, præſertim in matrimoniis clandeſtinis, ubi Trident. non eſt receptum, quod nemini abſurdum videri debet. 9

Objicies contra primam partem: Matrimonium inter Adam & Evam & modo inter infideles eſt verum matrimonium, ac ſignum duplicis conjunctionis inter Chriſtum & Eccleſiam tam per naturam in incarnatione quam per gratiam in ſanctificatione, & tamen inter illos non eſt proprium Sacramentum; ergo neque inter Chriſtianos; ideo D. Dionyſius *de cœleſti hierarchia* differens de Sacramentis non facit mentionem de matrimonio, & D. Hieronymus contra Jovinianum valdè deprimit matrimonium, quod non faceret, ſi eſſet Sacramentum. 10

Reſpondeo neg. conſeq. quia Chriſtus ſolo matrimonio Chriſtianorum adjunxit hoc privilegium, ut non ſit tantum contractus civilis, ſed & Sacramentum verum & proprium, quod ita repræſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ut ſimul ejus participationem per gratiam ſanctificantem exhibeat, ut probatur ex Trident. cit. & aliis ante dictis; adeóque quòd D. Dionyſius non fecerit mentionem de Sacramento matrimonii eſt ideò, quia ratio ejus inſtituti fuit ibi agere de hierarchia, quæ poſtulabat, ut de illis ſolum Sacramentis ageret; quæ requirunt Sacras actiones per hierarchias ſeu principes Eccleſiæ præſtandas. D. verò Hieronymus eò quòd diſputaverit contra Jovinianum matrimonium virginitati adæquantem recenſuit ſolum illius incommoda, reverenter tamen de illo loquitur.

Dices: Sacramenta promovent hominem ad ſalutem; ſed matrimonium potius revocata perfectione ſpirituali juxta illud 1. ad Corinth. 7. *qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt*, & juxta illam parabolam Evangelii: *Uxorem duxi non poſſum venire*: ergo.

Contra neg. min. Nam matrimonium non retardat à perfectione ſpirituali in quantum eſt Sacramentum, ſed ſolum in ratione contractûs, qui non eſt ita perfectus ſicut cælibatus juxta Apoſtolum: *Qui cum uxore eſt, ſollici-*

tus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt; adeóque per illum textum & parabolam ſolum ſignificantur aliqua incommoda matrimonii, quibus conjugati à rerum cœleſtium cogitatione abſtrahuntur illi, qui propriâ culpâ vivunt ſecundùm carnem & non ſpiritum, aliàs idem Apoſtolus loco cit. monet conjuges, *ne ſe invicem fraudent niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi.*

Dices: Unum Sacramentum non pugnat cum alio; ſed matrimonium pugnat cum Sacramento ordinis, cum ſacris initiati à matrimonio arceantur: ergo.

Contra diſting. min. repugnat abſolutè & ratione ſui ac ex jure divino neg. ratione ſtatus quem inducit, in quo minus miniſterium ſacrorum poteſt exerceri juxta illud Pauli *ſollicitus eſt quæ ſunt mundi* conc. min. & neg. conſeq. Hinc in Eccleſia Græca Sacerdotes habent uxores, in latina tamen Eccleſia Sacerdotes arcentur à matrimonio, quod cum inducat varia impedimenta, ut Sacerdos totaliter, uti requiritur, vacet DEO, benè potuit Eccleſia præcipere, ut qui Sacrum ſuſcipit Ordinem, non poſſit matrimonium contrahere. Præterea eſſet aliqua indecentia in Sacerdote, qui filium virginis atque omnis puritatis fontem quotidie manibus tractat, ut vacaret copulæ conjugali, quæ videtur aliqualiter indecens juxta illud Abimelech Sacerdotis ad Davidem: *Si mundi ſunt pueri maximè à mulieribus* ſcilicet, ut comedant panes propoſitionis, qui ſignificant corpus Chriſti.

Dices: Melius eſt recipere Sacramentum, quam non recipere cum acquiratur gratia; ſed qui nubit non facit melius, quàm qui non nubit, juxta Apoſtolum cit. ergo nubera non eſt Sacramentum.

Contra diſt. maj. melius eſt recipere Sacramentum ratione Sacramenti conc. ratione ſtatûs annexi neg. maj. & ſic diſt. min. conſeq. Nam quamvis matrimonium contrahens & creſcens in gratia melius faciat, quàm qui non nubit, abſolutè tamen & ſimpliciter non facit melius, quia eligit ſtatum imperfectiorem, ſiquidem ſtatus virginitatis eſt altior & majoris meriti ac gratiæ, ut patet ex eodem Apoſtolo; unde ibidem ſolùm comparat ſtatum cum ſtatu, non verò ſtatum cum Sacramento.

Dices: Eatenus habetet matrimonium rationem Sacramenti, quatenus fieret à miniſtro cum applicatione rei ſacræ ipſi ſuſcipienti, uti fit in omnibus aliis Sacramentis, uti patet, in baptiſmo de aqua, & in pœnitentia de abſolutione; ſed in matrimonio non eſt applicata aliqua res ſacra à miniſtro præter ſolum conſenſum, qui facit matrimonium: ergo.

Contra neg. maj. Nam ratio generica Sacramenti quod eſt ſignum efficax gratiæ debet omnibus ſpecialibus Sacramentis convenire, non vero ratio ſpecifica, ut eſt applicare rem aliquam ſacram; adeóque cum matrimonium ſit ſpeciale Sacramentum habet etiam ſpeciales conditiones aliis non convenientes. Hinc cum in contractu conſiſtat, quem ſolus conſenſus partium perficit; ideo perficiente contractum etiam perficient Sacramentum ſine ſpeciali applicatione alicujus rei extrinſecè per ſpecialem miniſtrum.

Dices: Pro matrimonio datur pecunia in dotem; ſed ſi proprium eſſet Sacramentum conferens gratiam non poſſet id ſine Simonia contingere: ergo.

Contra diſting. maj. pro matrimonio quatenus eſt Sacramentum neg. maj. quatenus contractus civilis eſt ad ſubeunda onera conjugalia conc. maj. & ſic. diſt. min. neg. conſeq.

Objicies contra 2. partem. Sicut Sacramentum Euchariſtiæ eſt Sacramentum in fieri 11
& in facto eſſe, & in facto eſſe conſiſtit in ſpeciebus conſecratis cum corpore Chriſti, in fieri verò in conſecratione, ita Sacramentum matrimonii in fieri conſiſtit quidem in contractu, in facto eſſe verò efficaciter conſiſtet in vinculo permanente; ergo non in contractu tranſeunte. Ant. probatur. Matrimonium ſemper ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; ſed hanc non poſſet importare niſi per vinculum & copulam: ergo.

Reſpondeo neg. ant. quia illud vinculum non eſt ſignum ſenſibile rei ſacræ ſpecies Euchariſticæ permanenter continentes corpus Chriſti, & licèt tale vinculum permanens ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, talis tamen ſignificatio eſt prorſus ſpeculativa & non practica, ſicut ad Sacramentum permanens requiritur.

Dices: Eatenus non eſſet practica, quatenus ejus uſus per copulam carnalem non cauſat ſemper gratiam conjungentem animos conjugum; ſed etiam cauſat gratiam ut pat, Can. *non eſt dubium.* Cauſa 27. quæſt. 2. ubi dicitur copula pars Sacramenti matrimonii & ſi ſemel poſſit cauſare gratiam, cur non ſæpius? ergo.

Contra neg. min. Textus Juris Canonici eſt intelligendus cum diſtinctione: copula eſt pars Sacramenti latè ſumpti & ſignificantis unionem Chriſti cum Eccleſia in unitate & conformitate naturæ C. eſt pars Sacramenti propriè ſumpti ſignificantis unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem & gratiam neg. min. ad rationem ergo eſſentialem proprii Sacramenti ſolum ſignificatio ſecunda unionis Chriſti cum Eccleſia requiritur, non prima; unde licèt mulier cum qua non eſt permixtio copulæ non pertineat ad matrimonium, quod expreſſam & plenam tenet figuram conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, pertinet tamen ad matrimonium, ut eſt verum Sacramentum figurans illam unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ

fit

fit in gratia, licèt non in conformitate naturæ.

Dices: Gloſſa In Can. *honorantur* cauſa 32. quæſt. 2. docet, ideo in Sacramento matrimonii potius intervenire poſſe peccatum, quàm in aliis Sacramentis, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritûs ſancti, ſicut in aliis: ergo fruſtra recurrimus ad ſignificationem unionis in gratia.

Contra: Hanc gloſſam communiter rejiciunt Theologi utpote difformem Trid. cit. quod ait. *Si quis dixerit matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis &c. neque gratiam conferre, anathema ſit.*

12 Aſſero 2. *Matrimonium pro officio naturæ in ratione contractûs indiſſolubilis fuit ſolummodo à DEO inſtitutum, ita ut non fieret matrimonium niſi contrahentes ſe perpetuò obligarent, quæ inſtitutio in ratione contractûs eſt per modum præcepti affirmativi obligantis ſemper ſed non pro ſemper; in ratione verò indiſſolubilis per modum præcepti negativi obligantis ſemper & pro ſemper. Matrimonium verò pro Sacramento eſt inſtitutum à Chriſto in lege Evangelica.* Eſt Scoti cit. contra Magiſtrum, & Alenſem ac Vaſquez.

Probatur prima pars. Matrimonium ut contractus indiſſolubilis non eſt ſtrictè de jure naturæ, ut diximus propoſitione quarta ergo eſt ex lege divina, quia ſi non eſſet à DEO veroſimile non eſſet, quod tale & tantum onus matrimonii indiſſolubiliter acceptaretur tam univerſaliter in orbe; inſtitutio autem illa divina colligitur juxta Scotum ex Geneſis 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea, propter quod relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Quod confirmat Trident. Seſſ. 24. quia per illa verba Adami exprimitur conſenſus, ſine quo matrimonium ſtare non poteſt, quibus verbis & Eva ſuum conceſſum adjunxiſſe credi debet; cum hujus contractûs natura ſit, ut abſque mutuo conſenſu nequeat fieri, exprimitur etiam perpetuum vinculum per illud: *adhærebit uxori ſuæ*, hoc eſt per totam vitam, quia magis quàm patri & matri; hinc inſtitutio illa non poteſt colligi, ut aliqui volunt ex illis verbis Geneſ. 2. *non eſt bonum hominem eſſe ſolum* &c. nam tunc non fuit Eva & ideo non potuit fuiſſe mutuus conſenſus celebratus, per conſequens nec illis verbis fuit conſenſus expreſſus, nec per illa verba: *creſcite & multiplicamini*, quia ibi potiùs fuit data benedictio parentibus in matrimonio conjunctis, & nihil de contractu exprimitur.

13 Probatur 2. pars. Cum aliud ſit præcipere illum contractum matrimonii, & aliud præcipere adhæſionem perpetuam præmiſſo contractu, expedit primum præcipere pro tempore illo, pro quo eſſet neceſſitas propagationis, & maxime, ſi homines eſſent ad hoc difficiles ſine præcepto, & pro alio tempore, quo non eſſet neceſſitas non oporteret præcipere, cujus ſignum eſt, quòd DEUS poſt lapſum bis dederit præceptum de contrahendo nempe Geneſ. 1. & iterum deletis omnibus præter octo animas poſt diluvium. Aſt de indiſſolubilitate expedit dari præceptum pro ſemper, quia valdè conſona eſt legi naturali, & minus ſervaretur, niſi hoc eſſet præceptum divinum negativum: ergo inſtitutio matrimonii in ratione contractus eſt per modum præcepti affirmativi, in ratione vero indiſſolubilitatis per modum negativi.

14 Probatur 3. pars. Tum ex aſſertionis prioris prima parte, ubi dicitur matrimonium eſſe verum Sacramentum. Tum ex propoſitione 5. ubi dicitur matrimonium ante legem Evangelicam non fuiſſe Sacramentum: ergo in lege Evangelica in ratione Sacramenti fuit à Chriſto inſtitutum.

15 Objicies primo contra primam partem: Matrimonium eſt quid inhoneſtum: ergo non eſt inſtitutum à DEO. Ant. probatur, quia ordinatur ad copulam conjugalem, quæ eſt inhoneſta, cum talis ſit ejusdem ſpeciei cum copula fornicationis & adulterii, quæ ſunt mala: ergo.

Reſpondeo neg. ant. & ejus probam, nam copula eſt omnino neceſſaria ad propagationem generis humani, & ideo in matrimonio eſt honeſta, ut diximus propoſitione quinta, rationem tamen diſtinguo, eſt ejusdem ſpeciei cum copula fornicationis in genere naturæ conc. in genere moris neg. ant. Sic etiam actus occiſionis hominis ſive fiat à magiſtratu ſive ab homine privato eſt ejusdem ſpeciei in genere naturæ, valdè tamen differunt in genere moris.

Dices: Copula conjugalis conceditur cum venia, ut conſtat 1. ad Corinth. 7. *hoc dico ſecundum indulgentiam*, ſed venia denotat culpam: ergo.

Contra neg. maj. quia illa indulgentia ut patet ex contextu eſt ſolùm permiſſio, nam dicit: *Non præcipio* alicui nubere, ſed *permitto ac indulgeo*, ſi velit nubere, nam ſtatim ſubjungit, *volo enim vos omnes eſſe ſicut me ipſum*, hoc eſt mihi placeret, ſi cælibes eſſetis, ſed tamen hoc non præcipio ſed permitto vos inire matrimonium ad vitandas fornicationes & alias impudicitias. Hinc Apoſtolus concedit actum matrimonialem tanquam minus perfectum, quàm cœlibatum, ſed non tanquam inhoneſtum.

16 Objicies 2. contra 2. partem: de facto eſt revocatum præceptum de contrahendo matrimonio: ergo hujus inſtitutio non eſt amplius per modum præcepti. Ant. patet, aliàs omnes obligaret, cur enim aliquos & non omnes?

Reſpondeo neg. ant. permanet enim ad-

huc illud præceptum, licèt ceſſet ejus obligatio, nam ceſſante cauſa ſcilicet neceſſitate propagandi genus humanum etiam ceſſat neceſſitas ejus præcepti, quia cum ſit præceptum affirmativum obligat quidem ſemper, ſed non abſolutè & pro ſemper, ſed ſolum in circumſtantia neceſſitatis propagationis, quæ cum omnino deſierit etiam præcepti obligatio ceſſavit, nempe de obligatione pro ſingulis ſuppoſitis determinatè ſicut obligabat ab initio mundi & poſt diluvium, in genere tamen adhuc quoad totam communitatem obligat vagè & indeterminatè, ut hic vel ille ineat matrimonium ad genus humanum conſervandum, imò ſi paucitas in filiis ex aliqua cauſa accideret puta ex bello vel peſte adhuc eodem modo obligaret ſicut ab initio.

Dices: Ergo etiam, ſi per bellum plurimi viri ſæculares occiderentur & nullæ fœminæ, & religioſi, in tali caſu neceſſitatis obligarentur illo præcepto divino de matrimonio contrahendo, ſed hoc non, cum voti obligatio videatur eſſe ſtrictior, quàm obligatio propagationis in neceſſitate: ergo hæc non videtur eſſe de præcepto divino.

Contra conc. illatum neg. min. Nam in tali caſu cenſeretur votum continentiæ eſſe diſpenſatum, cum videatur magis eſſe utile Chriſtianæ Reipublicæ, quod genus humanum propagetur ad cultum divinum in tota communitate, quam quod privatæ perſonæ proficiant in virtute continentiæ ad cultum divinum particularem; hinc eſt regula generalis, quod quando præcepta ejuſdem virtutis, divina & naturalia, ut eſt votum religionis, in eadem materia concurrunt, tunc illud prævalet, quod magis ſpectat ad bonum commune & perfectiori modo attingit finem, quàm aliud.

17 Objicies 3. contra 3. partem, matrimonium in ratione contractûs & in officium naturæ fuit ſolùm ab Adamo inſtitutum: ergo etiam in ratione Sacramenti ſolùm ab Apoſtolis. Ant. probatur per Scotum matrimonium fuit inſtitutum per illa verba: *Hoc os ex oſſibus* dicens illud de Eva facta ex ſuo oſſe coſtæ ut diximus in proba prima, ſed hæc verba ſolùm protulit Adam: ergo ipſe inſtituit.

Reſpondeo neg. ant. ad probam diſting. min. protulit Adam ex ſe & ſua inſtitutione neg. ut præco divinæ inſtitutionis conc. min. hoc autem eruitur ex Matth. 19. ubi Chriſtus verba Adami refert tanquam à DEO dicta per ipſum dicens: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una, itaque jam non ſunt duo ſed una caro, quod ergo DEUS conjunxit homo non ſeparet*, quæ verba ſignificant utique DEUM inſtituiſſe contractum indiſſolubilem authoritate humana non diſſolubilem, adeóque per inſpirationem Adæ factam illud inſtituit DEUS; igitur optimo jure ipſi DEO tribuitur tanquam authori; ſicut opera meritoria, quæ ex ipſius inſpiratione & gratia fiunt.

QUÆSTIO II.

An matrimonia infidelium fiant Sacramenta? & an fideles poſſent inire matrimonium validum in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, talem rationem non intendendo?

ADvertendum eſt 1. certum eſſe matrimonium apud infideles legitimè contrahi & validum eſſe, ut conſtat 1. ad Corinth. 7. & ita agnoſcitur cap. *gaudemus* de divortiis: *per baptiſmum non ſolvuntur connubia ſed crimina dimittuntur.* Attamen poſſet baptizatus dirimere matrimonium, & aliam ducere uxorem Chriſtianam, ſi prima non conſentiat habitare cum ipſo, uti habetur 1. ad Corinth. 7. ubi à D. Paulo promulgatur diſpenſatio præcepti divini de indiſſolubilitate matrimonii, ideo dum ad fidem convertuntur opus non eſt ut coram parocho & teſtibus contrahant, nam illam legem Eccleſia ſolum præſcripſit ſuis fidelibus; hinc infideles fideles facti in legitimo matrimonio prius inito perſeverant, de quorum matrimonio variæ oriuntur difficultates: an ſcilicet illorum matrimonium ſit Sacramentum? An ſaltem, poſtquam ambo conjuges baptizantur evadat Sacramentum, & hoc quidem vel ſine ullo novo conſenſu aut ratificatione veteris conſenſûs, cum huic nihil deſuerit, quod non fuerit Sacramentum, quàm quod non fuerit inter baptizatos, adeóque cum contractus præteritus maneat moraliter in effectu, ſeu vinculo obligationis, videtur eo ipſo evadere Sacramentum, ſi contrahentes baptizantur, vel ſolum cum novo conſenſu & ratificatione prioris contractûs, qui ante baptiſmum poterat diſſolvi, non verò poſt, ideo videtur poſtea fieri Sacramentum, quod Sacramentum non poteſt fieri ſine novo conſenſu, vel ratificatione prioris. Tandem oritur etiam difficultas, an matrimonium fidelis cum infideli obtenta diſpenſatione ſuper impedimento cultûs diſparitatis ſit Sacramentum ſaltem ex parte fidelis quod tamen ſine diſpenſatione non eſt ipſo jure naturæ, vel divino irritum, cum taliter fuerit ab initio Eccleſiæ ſæpe initum & proficuum etiam fidei Chriſtianæ, cum etiam fieri poſſit, ut non oriantur diſcordiæ aut perverſiones. Sic S. Monica nupſit viro gentili, ut teſtatur Auguſtinus L. 9. Confeſſ. 1

Advertendum 2. de matrimonio Chriſtianorum & quæri poſſe, an non inter eos poſſit celebrari matrimonium, quod non ſit propriè Sacramentum, ſeu an inter baptizatos poſſit 2

ſepa-

ſeparari à matrimonio ratio Sacramenti, ita ut ſit tantum contractus legitimus & non Sacramentum, v. g. ſi duo fideles haberent intentionem contrahendi matrimonium validum non tamen faciendi Sacramentum, & hoc quia fortè ſunt in peccato mortali, & nolunt committere aliud mortale per ſacrilegium ſcilicet recipiendo Sacramentum matrimonii in ſtatu peccati mortalis, in qua difficultate non ſolùm Authores communiter, ſed etiam ipſi Scotiſtæ ſunt valdè diviſi. Interim his notatis:

3 Propoſitio 1. *Potuit convenienter à Chriſto inſtitui matrimonium, ut quando contrahitur ab aliquo fideli, verè in illo ſit Sacramentum, etiamſi alter contrahens ob defectum baptiſmi non ſit capax hujus Sacramenti.* Ratio eſt, quia potuit facere, ut iſte conſenſus conjugis infidelis concurreret tanquam conditio vel ut partialis materia ad conſtituendam eſſentiam Sacramenti in altero conjuge fideli, ſicut de facto valet Sacramentum baptiſmi datum etiam ab infideli & non baptizato: ergo.

Nec dicas: in Sacramento matrimonii non ſunt duo partialia Sacramenta in utroque conjuge, ut aliqui volunt, ſed eſt unum indiviſibile, cum ſit unus ſolùm contractus inter virum & fœminam: ergo vel ex utraque parte vel ex neutra conjugum poteſt eſſe Sacramentum, per conſequens non convenienter ad ordinem contractûs poſſet inſtitui, ut in una ſit Sacramentum & non in alia.

Reſpondeo tranſmittendo anteced. neg. conſeq. nam licèt matrimonium in ratione contractûs non poſſit perfici ab uno ſed neceſſariò à duobus, attamen in quantum eſt Sacramentum poteſt adhuc conferre gratiam in uno & non in altero, & ſic etiam poteſt in uno eſſe Sacramentum & non in altero, nam quamvis infidelis ſit incapax hujus Sacramenti adhuc tamen poteſt ſtare, quod actio ejus concurrat ad conſtituendam eſſentiam Sacramenti per modum materiæ & formæ in altero conjuge fideli, ſicut diximus, de baptiſmo ab infideli adminiſtrato, cum etiam ipſi conjuges dicantur miniſtri Sacramenti matrimonii; unde ſive dicatur duplex numero, vel unum in duobus Sacramentum non facit ad rem, quo minus poſſit dici unicum in uno tantùm Sacramentum & non in altero.

4 Propoſitio 2. *Duo fideles baptizati contrahentes matrimonium intendentes verum & validum contractum efficere, non vero Sacramentum, committerent ſacrilegium:* Ratio eſt, quia tales facerent contra reverentiam Sacramento debitam, celebrando contractum abſque ratione Sacramenti, nam ſic irritarent actionem Sacramentalem, ſiquidem tenebantur habere etiam intentionem Sacramenti, cum Chriſtus dominus matrimonium in Sacramentum inſtituerit, ſicut quilibet alius Sacramentorum miniſter mortaliter peccat, dum abſque intentione conficiendi Sacramentum præſtat id, quod Chriſtus in Sacramentum inſtituit, ut v. g. ablutionem baptiſmalem, unctionem &c.

Nec dicas: ſi contrahentes eſſent in peccato mortali, & non poſſent confiteri, nec habere perfectam contritionem melius eſſet tunc non velle conficere Sacramentum, ſed ſolum poſtea, quando fuerint confeſſi ratificando ſuum contractum, ſi ſemel poſſit ſeparari ratio Sacramenti inter fideles, cum in contrahendo committerent ſacrilegium conficiendo matrimonium ut Sacramentum in peccato: ergo.

Reſpondeo neg. ant. nam ſi non poſſunt confiteri tenerentur ad contritionem ſaltem cum bona fide de tali; nec propterea poſſunt poſtea intendere conficere Sacramentum, quia Chriſtus non annexuit rationem Sacramenti ratificationi contractûs, ſed conſtitutioni & validitati contractûs, qui tunc eſt, quando contractus primo fit validus, adeóque etiam cum hoc debet ſemper inſimul intendi ratio Sacramenti. His notatis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Matrimonium infidelium in infidelitate non eſt verum & proprium Sacramentum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 39. quæſt. un. §. *hic ſunt duo.* eſtque communis. 5

Probatur: Commune axioma Theologorum fert: *Baptiſmum eſſe januam Sacramentorum*, ita ut ſine illo ſubjecta ſint incapacia ad valorem aliorum Sacramentorum; ſed infideles quà tales non ſunt ingreſſi per januam baptiſmi: ergo non habent capacitatem ad valorem ullius Sacramenti, per conſequens nec matrimonii.

Objicies: hoc axioma ſolùm valet & vult, quòd non baptizati ſolùm ſint incapaces effectuum Sacramentorum, non verò, quod vera non recipiant Sacramenta, nam hæc conſiſtunt in rebus, verbis, & intentione miniſtri: ergo cum hæc omnia poſſint adeſſe in infidelibus ſaltem nunc poſt Chriſti adventum, ſic poſſunt habere Sacramentum, licet non effectum ejus. Anteced. probatur, quia ſi non poſſent recipere Sacramentum, maximè eſſet ideo, quia non adeſſet ſubjectum capax, ſed ſubjectum nunquam eſt de eſſentia Sacramenti; ergo. 6

Reſpondeo neg. ant. nam eſſe baptizatum & per conſequens ſubjectum licèt non ſit materia conſtituens Sacramentum eſt tamen ita eſſentialiter requiſita conditio & diſpoſitio ad capacitatem aliorum Sacramentorum, ut non ſolùm ſit conditio ad eorum effectum conſequendum requiſita, ſed etiam ad valorem, ſic enim defectu capacitatis ſubjecti fœminæ character ordinis non imprimitur, ſi ab Epiſcopo ordinetur, nec validè extrema unctio conferretur homini ſano; cum ſubjectum capax ſit ſolus homo infirmus; igitur etiam nec alia Sacramenta valerent homini non baptizato

tol-

collata, quia neceſſariò ſupponunt baptiſmum dantem capacitatem ſubjecti.

7 Aſſero 2. *Matrimonium infidelium etiam poſtquam ambo conjuges baptizantur non evadit Sacramentum.* Deducitur ex Scoto cit. èſtque Vaſquez, noſtri Hiquæi contra D. Thomam. Sanchez & noſtrum Pontium.

Probatur: ſi matrimonium infidelium ſuſcepto baptiſmo fieret Sacramentum; vel fieret, quia tunc accederet novus aliquis conſenſus ſigno ſenſibili expreſſus cum intentione faciendi, quod Chriſtus inſtituit, vel quia contractus præteritus moraliter perſeverat; ſed nullo horum modo evadit Sacramentum: ergo. Min. prob. non hoc ſecundo modo, quia Sacramentum matrimonii debet fundari in contractu valido; ſed in caſu poſito nullus poſſet aſſignari contractus, non enim in contractu præterito, tum quia ille contractus fuit inter non baptizatos, qui jure inhabilis eſt ad rationem Sacramenti. Tum quia Sacramentum de præſenti requirit cauſas de præſenti; ſed tempore receptionis baptiſmi contractus, qui eſt cauſa materialis Sacramenti matrimonii, non eſt præſens: ergo. Hinc nec in contractu novo poteſt fundari, nam cum uterque conjux dominium ſui corporis in alterum perfecte tranſtulerit, non poteſt circa eadem corpora in eodem genere fieri novus contractus, qui novi Sacramenti eſſet fundamentum, ſicut ſi quis novum contractum venditionis faceret circa rem alteri venditam, nihil efficeret defectu materiæ habilis ad novam venditionem. Nec etiam primò modo fieret Sacramentum, quia eſſentia Sacramenti matrimonii eſt annexa contractui in fieri, non autem in facto eſſe, uti diximus quæſtione priori: ergo cum ille contractus jam præterierit, non poterit evadere in Sacramentum, quando infideles baptizantur, cum Sacramenta tunc ſint, quando eſt actualis applicatio earundem materiæ & formæ, neque baptiſmus illi vinculo aliam concedit firmitatem quam quod ſit ratum in facie Eccleſiæ, hoc eſt quod intra Eccleſiam non poſſit diſſolvi; adeóque per baptiſmum illud matrimonium infidelium ſolùm fit omnino indiſſolubile non verò Sacramentum. Imo ſi ſufficeret ſolus novus conſenſus, aut ratificatio pro materia & forma matrimonii, ſic etiam baptizati poſſent, quoties vellent ſuum conſenſum repetere, & ſic ad placitum Sacramentum matrimonii reiterare, & novam gratiam recipere, quod non videtur communi Theologorum conformiter dictum.

8 Objicies: ſi facta venditio non eſt ita rata, quin ſit in poteſtate cujuslibet ex contrahentibus eam irritare, dicitur denuo facta, quando ita firmatur ut à neutra parte annullari poſſit; ſed matrimonium infidelium poterat ab altero diſſolvi uno ſolo admittente fidem, & dum baptizantur novo conſenſu ita ratificant, ut ampliùs ſolvi nequeat: ergo tunc dicitur de novo contrahi & conſequenter fieri Sacramentum.

Reſpondeo neg. maj. non enim tunc dicitur novus contractus venditionis erigi, ſed prior dicitur confirmari & ſolemnizari, ideo & hoc dicendum eſt de matrimonio infidelium, quòd ſcilicet baptiſmus priſtinum matrimonium ratificet in Eccleſia, ut fiat indiſſolubile, quod antea erat diſſolubile.

Dices: congruum eſt, ut etiam infideles baptizati hujus Sacramenti participent gratiam ad ferenda onera matrimonii, cum propterea Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerit: ergo.

Contra neg. ant. quia magis videtur rationi conſonum dicere, quòd DEUS per gratiam baptiſmi & converſionis ſuppleat gratiam & auxilia, quæ ſolent conjugatis conferri ad onera matrimonii ſufferenda, quàm quòd detur gratia hujus Sacramenti nullâ adhibita materia & forma Sacramenti.

Dices: defacto matrimonium antea initum inter baptizatos valet ad ſucceſſivè conferenda auxilia gratiæ pro opportunitate: ergò etiam matrimonium infidelium valet poſtea cum baptiſmo ad conferendam gratiam.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia inter baptizatos licèt in ſe Sacramentum non permaneat, manet tamen in aliquo ſuo effectu ſcilicet vinculo diſponente ad gratiam; at poſt matrimonium infidelium in infidelitate contractum nullus talis effectus remanet poſitivè diſponens ad gratiam; imo licèt maneret aliquod vinculum, quia tamen initio Sacramentum non erat poſitum, cum contractus non fuerit inter baptizatos, ſic non diſponet ad auxilia gratiæ pro opportunitate præſtanda.

Aſſero 3. *Matrimonium alicujus fidelis contractum cum infideli vel catechumena ex parte fidelis eſt verum Sacramentum, non verò ex parte infidelis.* Eſt Scoti in 4. Diſtinct. 39. 9
quæſt. un. §. *de ſecundo articulo*, èſtque Rebelli Hiquæi noſtri & Pontii contra Sanchez & Maſtrium noſtrum.

Probatur 1. pars Chriſtus potuit ita inſtituere matrimonium, ex parte fidelis, ut ſit Sacramentum, ſicut diximus prop. 1. ergo etiam hic & nunc Chriſtus ita inſtituit ex ſuppoſitione, quòd fidelis ponat omnia neceſſariò requiſita ad rationem Sacramenti, quod conficiat Sacramentum. Conſeq. probatur, tum quia talis inſtitutio erat rationabilis, quia indigebat & indiget talis fidelis ſubſidio ſpirituali gratiæ ad ferenda onera matrimonii, nec ob incapacitatem alterius conjugis oportebat illam vim ſubtrahi. Tum quia defacto ſi unus ex contrahentibus ſit ob peccatum mortale indiſpoſitus ad recipiendum effectum Sacramenti adhuc alter, qui contrahit in gratia, verum recipit illius effectum: ergo etiam in caſu quo fidelis contraheret cum infideli verum

rum faceret Sacramentum. Imò etiam defacto, uti dicamus in aſſertione ſequenti, inter baptizatoe poteſt ſeparari ratio Sacramenti à ratione contractûs, ſi ſcilicet haberent intentionem contrahandi & non conficiendi Saaramentum, & hoc vel ex parte unius vel ex parte amborum contrahentium: ergo inter fidelem & infidelem hnc poteſt contingere.

10 Probatur ſecunda pars: infidelis vel catechumena non eſt capax talis Sacramenti: argo ex parta ajus non poteſt matrimonium eſſe verum Sacramentum.

11 Objicies: eſſentia hujus Sacramenti conſiſtit in mutuo expreſſo conſenſu & non unius conjugis tantùm, cum Chriſtus in ſolo contractu integro & perfecto hoc Sacramentum aonſtituerit; ſed dum unus eſt infidelie & ideo incapax hujus Sacramenti non poteſt adhibera conſenſum aptum ad eſſentiam hujus Sacramenti: ergo ex parte nullius eſt Sacramentum.

Reſpondeo neg. min. nam licet contractus ſit integer ſolùm in conſenſu amborum, tamen in quantum eſt Sacramentum poteſt uni conferra gratiam & non alteri ut diximus in proba, ſic atiam licet infidelis ſit incapax hujus Sacramenti adhuc tamen benè poteſt eſſa, ut ejus actio concurrat ad conſtituendam eſſentiam Sacramenti per modum materiæ & formæ in altero conjuge fideli, uti diximus in propoſitione prima de infidali baptizante validè ſervatis conditionibus ad valorem requiſitis, quod & rationabiliter defacto cenſetur eſſe inſtitutum à Chriſto ob difficultatem perferendi onera matrimonii ab ipſo conjuge fideli.

Dices: potius oppoſitum habemus ex Conciliis & Patribus, qui expreſeè dicunt ſolum contractum baptizatorum eſſe elevatum ad rationem Sacramenti defacto; ſed contractus fidelis cum infideli non eſt contractue baptizatorum, ſed baptizati cum non baptizata: ergo non eſt cenſendum ita fuiſſe inſtitutum Sacramentum matrimonii.

Contra neg. maj. nam ſenſus Conciliorum & Patrum eſt, ut nullus contractus ſit elevatus ad rationem Sacramenti præter contractum baptizatorum, non quod quilibet contractue debeat eſſa inter duos baptizatos, qui eſt elevatus, ſed quod nullus ſit elevatus niſi ſit alicujus beptizati.

Dices: ſi lex dicit, quòd ſolum intar nobiles poſſit fieri contractus emptionis & venditionis, marchionatûs, vel comitatûs, non poſſunt ignobiles & plebeji talem contractum facere, ſed ut ſit validus tam vandens, quàm emens debet eſſa nobilis: ergo etiam dum Concilia dicunt contractum baptizatorum eſſa elavatum ad Sacramentum matrimonii ambo debent eſſe baptizati.

Contra neg. conſeq. diſparitas debet colligi ex fine legum, ex quo debent interpraetari leges, adeòque cum finis legis circa emptiones comitatuum ſit ad conſervandum ſtatum nobilem ex ſanguine, bene deducitur, quòd ab aliis ignobilibus non poſſit celebrari talis contractus, finis vero elevationis contractus matrimonii ad rationem Sacramenti eſt ad ſublevanda onera matrimonii ſubeunda, qui adhuc urget ex parte fidelis Sacramenti capacis & illud intendentis.

Aſſero 4. *Inter baptizatos poteſt fieri, ut ineant validum matrimonium in ratione contractûs humani excluſa ratione Sacramenti ſcilicet non intendendo conficere aut recipere Sacramentum.* Colligitur ex Scoto in 4. Diſt. 26. quæſt. un. §. *ad ſolutionem*, éſtque Bonacinæ, Dianæ contra Sanchez, Hiquæum & Pontium noſtrum. 12

Probatur primo ratione Scoti dicentis: *Si pro forma Sacramenti matrimonii ſunt verba determinata ſequitur etiam in lege evangelica multoties dari contractum ſine Sacramento, cum contrahatur quandoque inter mutos ſine verbis, quod non eſt abſurdum, quia poſſibile & quia uſque ad legem evangelicam frequenter contrahebatur, ubi tamen nunquam fuit Sacramentum:* ergo ſi non reputat pro inconvenienti in lega evangelica ex defectu verborum, nec pro inconvenienti hoc reputabit ex defectu intentionis ob factam præciſionem contrahentium, qui vellent contractum inire, ſed non Sacramentum.

Probatur 2. Sina intentiona miniſtri nullum ſit Sacramentum, uti habetur ex Trident. Seſſ. 7. de Sacramentis in genere Can. 11. *Si quis dixerit in miniſtris dum Sacramenta conficiunt & conferunt non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia anathema ſit*: ergo cum miniſtri hujus Sacramenti ſint ipſi conjuges, ſi ſolùm habent intentionem conficiendi contractum civilem non verò Sacramentum, talis contractus erit ſolùm validus non vero Sacramentum.

Probatur 3. dum Chriſtus matrimonium ad rationem Sacramenti elevavit, non abſtulit ab eo naturalem obligationem, quam ut contractus civilis ex reciproco contrahentium conſenſu hactenus habuerat, ſed reliquit illud in ſua priſtina natura & tantum adjunxit vim cauſativam gratiæ ſicut elevando alias materias aliorum Sacramentorum nihil à Phyſicâ illarum naturâ ſubtraxit: ergo ſi duo fideles contrahere intenderant, non tamen facere Sacramentum, talis contractus eſſet validus, licèt non eſſet Sacramentum; hinc nullo jure Canonico aut civili irritatur matrimonium à fidelibus initum ſina intentiona conficiendi Sacramentum.

Objicies Scotus cit. dicit: *Si autem verba pro forma hujus Sacramenti non ſint determinata ſed relinquatur in natura contractus ab impoſitione humana approbati tunc quemcunque contractum in lege evangelica comitatur Sacramentum, quia illud ſignum, quod requi-* 13

ritur ad contractum eſt ex inſtitutione divina Sacramentum: ergo non eſt ſeparebilie retio Sacramenti à ratiooe contractua validi intet baptizatos.

Reſpondeo neg. conſeq. nam quamvis Scotus videatur problematicua magis tamen inclinat ad ſeparabilitarem rationis Sacramenti à cootractu quàm ad inſeparabilitatem, ut patet io proba aſſertionis; unde Scotus hic in objectione citatus faciliùs explicatur, quòd ſolum loquatur quemcunque contractum in lege evangelica comitari rationem Saeramenti in modo contrahendi ordinario cum omnibue conficiendum Sacrameotum requiſitis, non verò in deſectu intentionis ſicut nec in defectu certorum verborum, ut ibi admittit.

Dices: Tridentinum absque ulla limitatione dicit contractum metrimonii baptizatorum eſſe elevatum ad Sacramentum: ergo cum Chriſtus intrinſecè & neceſſariò contractū matrimonii fecerit Sacramentum, non poterit ex intentione contrahentium retio Sacramenti ſeparari à ratione contractus; hinc intendens contractum ſeltem implicitè etiam intendit facere Secramentum & ſie intentio non faciendi Sacramentum etiam directè deſtruit intentionem ſaciendi matrimonium ut contractum, cum ex inſtitutione Chriſti inſeparabiliter ſit addita ratio Sacramenti contractui baptizatorum.

Contra neg. conſeq. & ut ab ultimo incipiam nego Chriſtum hoc ita inſeparabilitet inſtituiſſe, nam ſine fundemento hoc dicitor, qnia Chriſtue evehendo matrimonium in Saeramentum, ipſum matrimonium in ſua nature reliquit, ut diximus in proba tertia, & ſolum annexuit rationem Sacramenti. Quod antem Coocilia ita abſolutè loquentur, quòd matrimonium beptizatorum ſit Sacramentum ſolùm voluerunt indicare, Chriſtum omnem contractum matrimonii baptizatorum validum ebsque aliqua exceptione inſtituiſſe in Sacramentum, quod non tollit poſſe fieri non Sacramentum, ſi deſit debita iotentio requiſite, ſicut contingere poteſt in beptiſmo, ubi omnia alia adeſſent & deficeret tamen intentio baptizantis.

Dices: qui intenderet facere Sacramentum matrimonii non verò contractum validum nihil efficeret, quia Chriſtus hæc duo inſeparabiliter inſtituit; ergo etiam nihil efficeret, qui intenderet contractum & non Sacramentum.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia ratio Secrameoti ſundatur in retione contractùs, unde ſi fundamentum deficit etiam deficit ſundatum, noo tamen vieiſſim retio contractùs fundatur in ratione Sacramenti, ſed potius io netura ſue relictus elevatur ed retionem Sacramenti; unde non præcisè ideo primus nihil efficeret, quie Chriſtue illa inſeperebiliter inſtituit, ſed potius ideo quia inſtituit tanquam aliquod ſundetum ſuper aliud, quod tanquam ſundetum dicit inſeperabilitarem à fundamento, non vero fundementum ut res completa inſeparabilitatem à ſundato.

QUÆSTIO III.

Quomodo matrimonia hæreticorum ſint Sacramenta valida, & inſolubilia?

ADvertendum eſt primò, poſtquam egimue de matrimonio infidelium, ratio eoonexionis & conformitatie petit agere de matrimoniis hæreticorum, de quibus tanquam certum ſupponimue apud Catholicos, per ſe peccare Catholicoe ineundo matrimonium cum hæreticis etiem in eadem urbe immixtim viventibua, nam agunt eootra Canones talia matrimonis prohibentes ut Can. *cave* c. 28. quæſt. un. ubi dicitur: *cave Chriſtiane gentili aut Judæo filiam tuam tradere, cave gentilem aut judæam atque alienigenam, hoc eſt hæreticam & omnem alienam à fide tua uxorem*, vide plures prohibitiones in illa citata cauſa, quarum ratio eſt, tum quia ſic communicarent cum hæreticis in rebus ſacris miniſtrando Secramentum indigno, cum conjuges ſiot miniſtri hujus Sacramenti, ut dicemus ſuo loco. Tum quia ſe exponunt periculo apoſtaſiæ à fide præſertim mulieres. Tum quia tacitè vel expreſse ſoleot promittere ſe poſitivè permiſſuros, ut dimidia pars filiorum educetur io religione ecatholica, quod eſt contra obligationem Chriſtianam, quâ jure divino parentes tenentur parvulis uſum rationis non habentibus providere de remediis ad ſalutem neceſſariis. Hioc vix cum Perez approbari poſſunt talia matrimonia eſſe licita in illis civitatibus, in qnibus viget conſuetudo à Pontifice approbata, modo abſit periculum lapsûs in hæreſim & malæ educationis liberorum; nem ut dicit Gobath: non videtur ulla urbs reperibilis, in qua ullus Pontifex expreſsè vel tacitè approbaverit talia conjogia, quamvis ſubinde aliqui ordinarii diſſimuleverint; imo alii Doctoree germani ut Tannerue & Layman, quibua magis ſunt perſpecti moree Germaoorum, quam Authoribus Itelis teſtantur communiter oriri majora mala quam bona ex illis matrimoniis, ideo non videntur talie metrimonie eſſe licita niſi ſeclusis omnibus malis extrinſecis inſuper ſit grevis cauſe v. g. ſopiendi graves diſcordiae vel convertendi conjogem, vel ſi puella nequeat ioter Catholicos tecipere coojugem talis cooditionis. 1

Advertendum 2. Licet in Germania noſtrà videatur conſuetudine derogatum, ne petatut diſpenſatio eb hominibus vulgaribus à Summo Pontifice ad contrahendum cum hæreticis, ſed contrahant vel cum nulla vel cum ſola Epiſcopali diſpenſatione, non tamen ideo lici- 2

licitum eſt principibus inire tale connubium abſque Pontificii diſpenſatione, eò quòd ex eorum conjugiis poſſint oriri maxima incommoda & pericula, quæ ab alio quam à Summo Pontifice non ſunt dijudicanda; hoc autem non accidit in matrimoniis plebejorum, nam homines tales facile poſſunt Epiſcopi coërcere, ut filios permittant omnes in vera religione educare, ſicut iſtis præcipitur C. *Judæi*, Cauſa 28. quæſt. 1. ubi dicitur: *Judæi, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent admoneantur ab Epiſcopo, ut ſi cum eis manere cupiant Chriſtiani efficiantur - - filii autem, qui ex talibus nati exiſtunt fidem ac conditionem matris ſequantur.* Hinc quamvis videatur permiſſum conſuetudine hominibus vulgaribus talia matrimonia cum hæreticis inire, nunquam tamen intelligitur Pontifex includere Reges & Principes, ut docet Diana parte 8. Tract. 1. reſolut. 74. Cæterum quamvis conjux Catholicus ſpoponderit hæretico partem liberorum ſe relicturum ſine cultu veræ religionis educari non tenetur abſtinere ab inſtructione à vera fide, quia in ff. L. *generaliter* de V. O. dicitur: *Generaliter novimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti inquit Vulpianus*, hinc à Confeſſariis admonendi ſunt tales conjuges, ut etiam omnes proles in bona fide imbuantur, ſi apparet ſpes frugis & non minitentur diſſenſiones & verbera. His notatis:

3 Propoſitio 1. *Aliquando licitum eſt Catholicis convivium nuptiale hæreticorum honorare ſua præſentiâ vel munere, aliquando verò non:* Ratio 1. eſt, quia multoties etiam matrimonium hæreticorum eſt Sacramentum, ut diximus aſſertione 1. & contrahentes ſolum ſunt hæretici materiales: ergo nihil prohibet talia matrimonia honorare ſuâ præſentiâ aut aliquo munere: Ratio verò ſecundi eſt, quia multoties etiam matrimonium hæreticorum eſt nullum, & ideo talis conjunctio eſt fornicatoria, convivia vero celebrantur aut munera dantur ad gaudendum & gratulandum de tali conjunctione: ergo cum nullo modo liceat gaudere & aggratulari de tali conjunctione; non licebit talibus conviviis intereſſe. Hinc quando Leſſius in auctario caſu 26. indifferenter dicit, licere his conviviis intereſſe, loquitur de iis matrimoniis, quibus aſſiſtit prædicans in locis ubi Tridentinum non eſt receptum vel publicatum, nam pleraque matrimonia hæreticorum ſunt valida, ſit aliud nihil deſit, quàm præſentia parochi, quia in pleriſque locis hæreticorum non fuit facta publicatio Decreti Tridentini, cum pleraque loca defecerint, priusquam emanatum fuit Decretum Tridentini: proinde talia matrimonia legitimè ſecundum loci conſuetudinem inita æquè ſunt indiſſolubilia ac Catholicorum.

4 Propoſitio 2. *Quando hæretici convertuntur ad fidem, & allegant ſe non verè conſenſiſſe in matrimonium, in quo tamen uno vel altero anno cohabitarunt, quod etiam juramento volunt confirmare, quamvis in conſcientia poſſent aliud matrimonium contrahere non tamen in foro externo poteſt ſtatim ex hoc diſſolvi.* Hoc idem dic de Catholicis negantibus ſe verè conſenſiſſe: Ratio eſt, quia quamvis talis diſſenſus ex ſe præbeat ſufficientiſſimum fundamentum nullitatis matrimonii nunquam tamen in foro externo poterit ſolo juramento probari, quia ad integrè probandum in tali foro requiruntur & admittuntur teſtes ut docet Menochius. Tum quia in cauſa matrimoniali non datur locus juramento ſuppletorio, ubi matrimonium plus quam ſemiplenè probatur tanquam verum ut notat Prictius, & nunquam attenditur juramentum quando magnæ præſumptiones ſunt in contrarium ut docet Maſcardus de probationibus; ſed ex communi opinione ſolamodo actua illius matrimonii fundat unam ex præcipuis præſumptionibus interni liberi conſenſûs, præterea etiam diuturna cohabitatio elideret omnem allegationem invalidi conſenſûs uti deciditur C. 21. *ad id*, de ſponſalibus, quod quamvis aliqua 11. annos habens ab initio invita fuiſſet tradita, tamen quia poſtmodum per annum & dimidium fuit cohabitans conſenſiſſe videtur & ad ipſum eſt cogenda redire. Imò nec tanta mora temporis amplius teſtes admittit producendos ad probandum diſſenſum ut idem capit: ſtatuit: ergo ſi talis mora excludit teſtes multo magis excludet juramentum proprium; dixi autem non ſtatim ex hoc diſſolvi, nam ſi illud matrimonium hæreticorum fuiſſet contractum abſque præſentia proprii parochi in loco ubi Trident. fuit publicatum, tunc eſſet nullum & poſſet in foro externo diſſolvi ex hoc capite. His notatis & propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Reipſa plurima matrimonia hæreticorum fiunt Sacramenta, etiamſi matrimonium non credant eſſe Sacramentum, aut proteſtentur ſe non velle facere Sacramentum.* Deducitur ex Scoto in 4. Diſt. 6. quæſt. 5. *ad primum principale.* 5

Probatur 1. Error privatus, quò quis exiſtimat matrimonium non eſſe Sacramentum, & ideo non intendit facere Sacramentum, nihil obeſt, quin fiat Sacramentum, dummodo habeat generalem intentionem faciendi, quod Chriſtus fieri voluit; ſed plurimi hæretici habent illam generalem intentionem; & ſolùm ſunt hæretici materiales: ergo verum adhuc recipiunt Sacramentum. Maj. probatur; quando duæ intentiones contrariæ concurrunt illa ſortitur effectum, quæ eſt magis univerſalis & appretiativa, ſic v. g. ſi quis vellet conferre baptiſmum, quem Chriſtus inſtituit; & non quem Eccleſia Romana confert, eò quòd putetur non eſſe vera Eccleſia, habentur duæ voluntates contrariæ una faciendi, quod Chri-

Chriſtus fecit, & altera non faciendi, quod Ecclesia facit, & tamen verum conficeret baptiſmum, quia intentio faciendi, quod Chriſtus fecit eſt univerſalior & appretiativè major, ut communiter affirmant Doctores: ergo à pari hoc eſt de matrimonio dicendum. Ant. vero ultra probatur. Qui habet intentionem univerſaliorem & appretiativè majorem virtualiter revocat minorem & contrariam. Item quando ſunt duæ intentiones contrariæ illa prævalet, quæ eſt perfectè voluntaria & nullo immixta involuntario, ſed qui intendit facere, quod Chriſtus fecit, & non quod Romana Eccleſia, quam credit non facere, quod Chriſtus fecit, habet ſuam intentionem primam ſimpliciter voluntariam, ſecundam autem habet admixtam cum involuntario: ergo.

6 Objicies: Nemo nolens conficit Sacramentum; ſed qui cum intentione appretiativè majori contrahit matrimonium aut baptizat adhuc eſt nolens: ergo non conficit Sacramentum.

Reſpondeo neg. min. nam qui habet duas intentiones contrarias, quamvis intentione minori nolit, quia tamen majori vult, ſimpliciter velle dicitur, nam minor intentio enervatur intentione majori, quia ille error privatus, quo quia exiſtimat matrimonium non eſſe Sacramentum & ideo non intendit facere Sacramentum, nihil obeſt, quando habet generalem intentionem faciendi matrimonium eo modo, quo Chriſtus inſtituit, vel fieri voluit.

Dices: Petrus Lutheranus contrahens matrimonium cum Barbara Catholica hac intentione, ſi pulchriorem aliquam ſuæ ſectæ invenerit velle repudiare Barbaram & aliam ducere, talis habet duas intentiones contrarias ſcilicet inire matrimonium, & matrimonium inire cum repudio, quod eſt non inire matrimonium, cum repudium repugnet matrimonio; ſed tale matrimonium non eſt validum: ergo intentio appretiativè major in hæretico non ſufficiet ad conficiendum validum Sacramentum.

Contra diſting. min. non eſt validum, ſi illæ intentiones ſint adæquatè contrariæ & quoad conditionem repugnantem ſubſtantiæ matrimonii conc. ſi non ſunt adæquatè contrariæ, nec de conditione repugnante ſubſtantiæ matrimonii neg. min. unde illud matrimonium ſolum eſt invalidum, quando error circa vim matrimonii cadit in ſubſtantiam contractûs, & quando aliqua conditio repugnat ſubſtantiæ matrimonii, nam tunc una intentio adæquatè contradicit alteri, quoad ſubſtantiam contractûs, & ſic revocat alteram, quæ eſt de eadem ſubſtantia, ita ut dicatur non velle ſubſtantiam contractûs; non autem matrimonium eſt invalidum, quando intentio contraria non adæquatè cadit in ſubſtantiam contractûs, ut ſi putaret in aliquibus caſibus eſſe licitam illam repudiationem juxta leges ſuæ ſectæ. De quo plura dicemus in aſſertione tertia. Interim

Aſſero 2. *Matrimonia hæreticorum noſtro-* 7
rum temporum etiamſi puri contractûs civiles eſſent per ſe loquendo ſunt indiſſolubilia. Eſt Scoti in 4. Diſt. 31. quæſt. un. §. *ad quæſtionem.* Eſtque communis contra aliquos antiquos Canoniſtas.

Probatur: Hæreſis per ſe loquendo nihil obſtat valori contractûs matrimonii; ſed matrimonium validum eſt indiſſolubile; ergo. Maj. patet ex communi Theologorum, cum nec jure divino, nec naturali, nec Eccleſiaſtico irritentur talia matrimonia. Min. probatur, ſi tale matrimonium ob defectum rationis Sacramenti eſſet ſolubile, ſequeretur, quod Lutheranus ducens uxorem Catholicam non celebret ullum contractum validum, ſed potiùs concubitum illicitum; ſed omnes Epiſcopi & Superiores Laici habent tale matrimonium pro vero & legitimo, cum eorum filios habeant in ſacris & profanis rebus pro indubitanter legitimis, ac taliter nuptis adminiſtrent varia Sacramenta: ergo. Sequela probatur. Si enim hæreticus nolens ſuſcipere Sacramentum hoc ipſo efficeret, ut ex ſua parte matrimonium ſit invalidum & ſolubile, ſic etiam vice verſa uxor Catholica intendens ſuſcipere Sacramentum efficit quidem ex parte ſua, ut matrimonium ſit indiſſolubile & validum; nam contrariarum cauſarum contrarii ſunt effectus & quod operatur propoſitum in propoſito, id operatur oppoſitum in oppoſito ut gloſſa habet in legem *fin.* ff. de Legatis. III. adeóque cum intentio uxoris Catholicæ ſit juri conformis & alterius difformis, ſi alterutra valere debebit, valebit uxoris Catholicæ, quia omnia jura potius favent æquitati, quàm iniquitati, & potiùs valori contractûs, quam nullitati; ſed impoſſibile eſt, ut unus idémque contractus ſit invalidus & inſolubilis & invalidus ac ſolubilis: ergo vel illa matrimonia ſunt indiſſolubilia vel ſunt nulla & ſolubilia & ſic meri concubitus, quod eſt inauditum.

8 Objicies: Virgo Catholica contraxit cum viro hæretico ritu hæreticorum matrimonium, quia tamen à viro ſuo fuit compulſa adire cœnam hæreticam fugit iterum ad partes Catholicas, cúmque audiviſſet maritum ſuum hæreticum aliam duxiſſe uxorem, ipſa pariter nupſit viro Catholico putans prius matrimonium eſſe diſſolutum utpote ritu hæretico diſſolubiliter contractum, ſed nullus dicit hoc ſecundum matrimonium eſſe nullum: ergo primum tanquam hæreticorum fuit diſſolubile.

Reſpondeo diſting. min. Nullus dicit eſſe nullum hoc ſecundum matrimonium, ſi primum ſolum habuit impedimentum hæreſis

neg.

neg. min. ſi primum aliud habuit impedimentum conc. min. unde dico in præfato caſu primum matrimonium fuiſſe validum & ſecundum invalidum, quia non eſt eredibile, quod hæc mulier voluerit contrahere more hæretico, cum dicatur eſſe tam conſtans in religione. Si tamen primum matrimonium fuit contractum in loco hæretico, ubi fuit promulgatum Trident. & coram parocho hæretico, tunc fuiſſet nullum in foro Eccleſiæ Romanæ, & ſic ſecundum eſſet validum, nam ut refert Gobath congregatio Concilii Tridentini 19. Januarii 1665. reſcripto ad Epiſcopum Trigonienſem nuntium Apoſtolicum in Belgio inter reliqua ſic reſpondit: *Hæreticos quoque, ubi decretum capitis primi Seſſionis 24. eſt publicatum, teneri talem formam obſervare & propterea etiam ipſorum matrimonia abſque forma Concilii quamvis coram miniſtro hæretico contracta nulla eſſent*, ut habet Diana parte 11. Tract. 8. reſolutione prima. Hinc ſive hæretici ſive Catholici in Auſtria vel alibi, ubi Trident. eſt promulgatum, ſi in fraudem Tridentini eo fine, ut ſine præſentia proprii parochi contrahant matrimonium, proficiſcantur in Hungariam, ubi Tridentinum non obligat, tale matrimonium erit nullum.

Dices: Ex communi Doctorum non requiritur, ut qui matrimonio aſſiſtit à parte rei ſit verè parochus; ſed ſufficit ſi habeat titulum ſolum coloratum, ita ut communi errore habeatur parochus, nec ſit inſtitutus ſine omni titulo; ſed prædicantes habent titulum coloratum & communi errore habentur pro veris parochis: ergo etiam ſufficit eorum præſentia.

Contra: Illud commune Doctorum ſolum debet intelligi de errore facti, non juris juxta regulam XIII. juris in 6. *ignorantia facti non juris excuſat*, omnes autem hæretici, qui inter Catholicos vivunt, laborant ignorantiâ juris & quidem craſſiſſima, dum ſuos miniſtros habent pro legitimis: ergo ſicut ignorantia juris non excuſat, ita nec tribuit jus. Imò etiam hæretici tenentur legibus Eccleſiaſticis, quia ſi quid illos eximeret, eſſet conſuetudo, quòd Eccleſia conſentiret tacitè in illorum mores & ritus; ſed Eccleſia non præſumitur conſentire, cum hæretici ſint rebelles Eccleſiæ, & ideo non merentur aliquam benignam conniventiam, nam aliàs magnum ex ſuâ contumaciâ commodum reportarent. Hinc C. *cum inter.* de conſuetodine. irritatur & annullatur omnis conſuetudo, quâ diſrumpitur nexus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quanta verò foret diſruptio, ſi Pontifex conniveret hæreticorum conſuetudines in exemptione jejuniorum obſervationis feſtorum., impedimentorum matrimonii &c. de ſe patet, ideo communiter dicitur, nemo poteſt eximi ab obedientia per inobedientiam aut contemptum authoritatis.

Dices: Narratur caſus, quod Zvvinglianus duxerit Evam etiam Zvvinglianam, cum qua vixit aliquot annis poſt conſummatum matrimonium, ille patrato delicto fugit ad vicinum locum Catholicum, quod reſciens Eva rem detulit ad conſiſtorium prædicantium, & obtinuit jus transeundi ad ſecundas nuptias, Zvvinglianus etiam paulò poſt amplexus eſt noſtram fidem, & à Conſiſtorio Catholico edoctus fuit prius ſuum matrimonium fuiſſe nullum, & etiam nupſit alicui virgini Catholicæ coram Parocho illius loci & matrimonium conſummavit, quod & legitimum judicavit Vicarius Epiſcopi Conſtantienſis: ergo non alia ratione, quàm quia matrimonia hæreticorum ſunt diſſolubilia.

Contra neg. conſeq. nam omnino benè fuit judicatum ab Epiſcopi Conſtantienſis Vicario, quia judicialis ſententiæ tanta eſt authoritas, ut ſemper pro judice debeat præſumi, donec contra illum aliquid legitimè probetur, ut habet C. 6. de denuntiationibus; adeóque cum Conſiſtorium aliquod Catholicum tulerit ſententiam de nullitate primi matrimonii illius Zvvingliani & contra illam ſententiam nihil ſit legitimè probatum, ſed ſolum narratum factum apud Vicarium Conſtantienſem, ideo manet in ſuo vigore; nam potuit eſſe, quòd primum matrimonium fuerit nullum aut irritabile ex alio capite, quàm ex ratione generalis diſſolubilitatis inter conjuges hæreticos v. g. ex impedimento affinitatis vel cognationis carnalis vel ſpiritualis, (quæ impedimenta non multùm curant hæretici in iis gradibus, in quibus Catholici) vel ex impedimento metûs, fictionis, aut expreſſæ conditionis, ut ſi contingeret unus ex caſibus in quibus Tigurini principales Zvvingliani admittunt repudia, & ſecundùm iſta potuit legitimè judicare primum Conſiſtoriom, quod illud primum matrimonium fuerit nullum; unde non ideo fuit admiſſus ad ſecundas nuptias, quia matrimonia hæreticorum ſunt diſſolubilia, ſed ob alias rationes in jure fundatas. Hinc pro majori declaratione

Aſſero 3. *Si hæreticus cum Catholica contrahit matrimonium ſub conditione diſſolubilitatis, ita ut velit valorem matrimonii pendere ab exiſtentia conditionis abſolutè, ſine qua non ſubſiſteret contractus, ita, quòd conditio cadat in ſubſtantiam contractûs, tale matrimonium eſt irritum & nullum: Si vero velit matrimonium pendere ab exiſtentia conditionis ſaltem ex hypotheſi, quòd licita ſit diſſolubilitas, adhuc tale matrimonium eſt validum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 31. quæſt. un. *§. ad quæſtionem.* circa finem verſu. *Ex ipſa ſolutione ſequitur.*

Probatur 1. pars: Conditio repugnans ſubſtantiæ matrimonii irritat matrimonium; ſed quando vult abſolutè dependere valorem matrimonii ab exiſtentia diſſolubilitatis, hæc conditio eſt repugnans ſubſtantiæ matrimonii,

 & con-

& contraris ſinceræ intentioni ſponſæ Cetholicæ: ergo. Major patet ex cap. final. de conditionibus appoſitis, ubi dicitur: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta ſi quis dicat, contraho tecum ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam ditiorem, aut ſi pro quæſtu ad adulterandum te tradas, talis contractus caret effectu, licet aliæ conditiones turpes aut impoſſibiles debeant in favorem matrimonii potius pro non adjectis haberi.* Min. probatur, illæ conditiones repugnant ſubſtantiæ matrimonii, quæ ſunt contra bona ſubſtantialia matrimonii; ſed illa diſſolubilitas eſt contra aliquod bonum matrimonii: ergo. Min. probatur, bona matrimonis ſunt tria ſcilicet fides, proles & Sacramentum; ſed hæc conditio diſſolubilitatis, donec inveniam aliam, eſt contra bonum individuæ ſocietatis & debitæ educationis prolis ex lege divina, vel contra rationem ſacramentalis ſignificationis ex lege Chriſti, quæ eſt individua & indiſſolubilis, ſicut illa, ſi generationem evites, eſt contra bonum prolis, & illa, ſi ad adulterandum te tradas, eſt contra fidem matrimonialem: ergo.

10 Probatur 2. pars: Error ſpeculativus, qui ſcilicet non eſt cauſa contractûs, vel ſi eſt cauſa, eſt ſolum cauſa impulſiva & facilitans, ſine qua quidem actus fieret, ſed non tam faciliter, non irritat contractum aut votum; ſed quando hæreticus contrahit matrimonium ſub conditione diſſolubilitatis, à qua vult dependere valorem contractus ſolum ex hypotheſi, quòd ſit diſſolubile, hic error de diſſolubilitate eſt error ſpeculativus & ſolùm cauſa impulſiva, non verò motiva, ſeu ſine qua abſolutè non fieret matrimonium: ergo non irritat matrimonium, ex quo patet in priori parte aſſertionis errorem de diſſolubilitate eſſe practicum; nam error practicus & conditio cadens in ſubſtantiam contractûs eſt tunc, quando eo fine quis contrahit, ne teneatur manere obligatus uxori, vel ut poſſit illam repudiare in caſibus ab hæreticis permiſſis, ita, ut alias non contraheret. Error verò ſpeculativus & conditio non cadens in ſubſtantiam contractûs eſt tunc, quando contrahit & quidem eo libentius, quia putat in caſibus ab hæreticis permiſſis matrimonium eſſe diſſolubile.

11 Objicies: Si quis ſuſciperet aliquem ſacrum Ordinem cum hac conditione, ſi poſſum habere uxorem, Ordo ſuſceptus eſſet validus, & tamen conditio appoſita eſt contra ſubſtantiam Ordinis ſacri: ergo etiam, ſi quis contraheret matrimonium ſub conditione diſſolubilitatis erit validum.

Reſpondeo neg. ant. quoad 2. partem; nam in Eccleſia Græca conſtituti in ſacris Ordinibus habent uxorem, illa enim conditio non ratione ſui, ſed ſolùm ratione ſtatûs repugnat ſacro Ordini.

Dices: Si quis profiteretur ſolemniter regulam Sancti Franciſci ſub hac conditione, ſi poſſim uti matrimonio, profeſſio eſt valida; ſed matrimonium repugnat ſtatui religioſo: ergo.

Contra diſting. min. repugnat ſtatui religioſo, ſi profeſſionis valorem velit profitens abſolutè pendere ab exiſtentia conditionis conc. ſi ſolum velit dependere ab exiſtentia conditionis ex hypotheſi, quòd licita ſit talis, & quòd eò facilius profiteatur neg. min. & conſequentiam.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit materia, & forma: & quis miniſter Sacramenti matrimonii?

1 ADvertendum eſt 1. Cum ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. aliis Sacramentis aſſignetur ſua materia & forma non tamen matrimonio, ideo hæretici communiter negant matrimonium eſſe Sacramentum, nam alias ejus materia & forma fuiſſet definita ab Eccleſia. Imo ipſi Catholici diverſiſſimè aſſignant materiam & formam matrimonii & quidem aliqui prorſus improbabiliter ut Catherinus, qui dixit mutuum conſenſum verbis vel ſignis expreſſum eſſe materiam, formam verò illa verba Chriſti ſanctificantia Matth. 19. *propter hoc relinquet homo* &c. ex Geneſ. 2. & ideo miniſtrum eſſe DEUM vel Chriſtum, qui illa verba protulit, nam contra ſunt communis principia, quia inter materiam & formam Sacramentorum debet eſſe moralis conjunctio & ad novum Sacramentum nova forma, cum ſe debeant habere per modum determinabilis & determinativi; ſed inter verba ab initio mundi vel à Chriſto prolata & actus hodie contrahentium nulla eſt conjunctio moralis aut novitas formæ, nec illa perſeverantia moralis illorum verborum in Scriptura eſt ad rem, cum hoc non ſufficiat in aliis Sacramentis, ubi tamen etiam illorum verba ſunt in Scriptura. Imò DEUM eſſe miniſtrum qui potius eſt author vel inſtitutor matrimonii eſt prorſus inconveniens, nam cum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile etiam miniſter quoad ſuum miniſterium debet eſſe ſenſibilis quod nequit dici de DEO.

2 Advertendum eſt 2. pariter improbabiliter loqui Canum, Richardum, & Sylveſtrum; nam Canus dicit materiam Sacramenti matrimonii eſſe actus contrahentium, formam illa verba Sacerdotis: ego vos conjungo in matrimonium in nomine Patris &c. uti mandatur parocho in Tridentino Seſſ. 14. c. 1. nam contra eſt etiam commune principium, quia nullus actus miniſtri Eccleſiæ eſt de eſſentia Sacramenti matrimonii ſed ſolum actus contrahentium, ideo communiter ante Tridentinum matrimonia clandeſtina habebantur ut Sacramento, atqui forma eſt de eſſentia matrimonii, ideo non poſſunt eſſe verba Sacerdotis, nam Flo-

Florentinum cit. dicit, cauſa efficiens matrimonium eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti exiſtens per conſequens non agnoſcit aliam cauſam & miniſtrum, quam ipſum conſenſum contrahentium & non Sacerdotis. Præterea Richardus dicit: verba priora unius contrahentis eſſe materiam & poſteriora alterius eſſe formam. Nam contra eſt communis ſenſus, quod ſcilicet ſic non haberetur certa materia & forma matrimonii, ſed tantum vaga, & foret in poteſtate contrahentium ex materia facere formam & econtra, imo poſſent etiam contrahentes ſimul & ſemel verba & conſenſum præſtare & ſic nulla eſſet materia & forma, cum nihil foret prius & poſterius. Tandem Sylveſter dicit: materiam eſſe alios actus præcedentes conſenſum, & conſenſum verbis expreſſum eſſe formam, nam contra hoc eſt, quod non aſſignetur quinam ſint illi actus præcedentes, nec facile poſſunt alii aſſignari quam ſponſalia, ſine quibus tamen poteſt validum matrimonium celebrari. Hæc de opinionibus improbabilibus modò de magis probabilibus. Unde

3 Propoſitio 1. *Actus mutuæ tranſlationis & acceptationis non eſt materia, nec illius tranſlationis conformitas ad legem, per quam determinatur, quod ſit contractus legitimus, eſt forma Sacramenti matrimonii:* Ratio eſt contra aliquos Scotiſtas ut noſtrum Hiquæum & Pontium, quia hic non eſt ſermo de materia & forma in hoc ſenſu per quam nimirum conſtituitur in eſſe Sacramenti, ſic enim omnino forma cujuslibet Sacramenti eſſet divina inſtitutio, à quâ præcisè habent quod gratiam cauſant, cui inſtitutioni omnino debet conformari contractus & eſſe legitimus, cum talem inſtituerit pro Sacramento, ſed ſermo eſt de materia & forma rei ſenſibilis quam DEUS inſtituit in ſignum efficax gratiæ, ſed nec conformitas ad legem nec divina inſtitutio eſt per ſe ſenſibilis: ergo non ſunt propriè forma.

Nec dicas: alia debet aſſignari materia & forma matrimonii, ut eſt contractus civilis, & alia ut eſt Sacramentum: ergo pro Sacramento debet forma deſumi ad inſtitutionem & conformitatem legis divinæ.

Reſpondeo neg. ant. nam omnes Theologi communiter fatentur, eandem eſſe materiam & formam matrimonii ut Sacramenti & ut contractûs; quia Chriſtus Dominus in nullo penitus hujus contractûs civilis naturam immutavit, ſed illum ſub Principum diſpoſitione reliquit, & eum ut legitimum ad rationem Sacramenti elevavit, ut eſſet gratiæ collativus.

4 Propoſitio 2. *Internus conſenſus conjugum non eſt materia nec verba aut ſigna illum exprimentia ſunt forma Sacramenti matrimonii:* Ratio eſt contra Navarrum & Canoniſtas in cap. *tua nos* de ſponſ. quia in omni Sacramento & contractu humano materia ſaltem totalis debet eſſe ſenſibilis, cum ipſum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ratione ſuarum partium, ſed interior conſenſus cum eſſet totalis materia non eſt ſenſibilis: ergo non poteſt eſſe totalis materia. Dixi totalis materia, quia non eſſet inconveniens, ut materia partialis ſit inſenſibilis per aliam partialem, ut eſt in Sacramento pœnitentiæ de interno dolore, qui eſt materia partialis & fit ſenſibilis per confeſſionem quæ integrat unam totalem materiam cum dolore interno.

Nec dicas: Gloſſa in C. *Eva* de ſponſalibus & *Leg.* 1. ff. de verborum obligatione dicitur: ſtipulatio perficitur ex conſenſu interrogantis & reſpondentis, ut materia & verbis utriusque ut formâ, ita ut pro forma in ſtipulatione neceſſaria ſint verba, in matrimonio verò loco verborum poſſint ſuccedere nutus aut Scriptura, imò taciturnitas ſponſæ: ergo ſic etiam benè aſſignatur materia & forma pro matrimonio.

Reſpondeo neg. conſeq. nam dicunt aliqui illud capitulum non reperiri in toto titulo de ſponſalibus, ſed ad hoc poſſet alludere aliud C. *tua fraternitati* de ſponſalibus; ſed ad illud & ad illam legem citatam dico, in illa non aſſignari materiam ſtipulationis; ſed ſolum præſcribi modum quô & quando ſtipulatio ſit valida, ideo dicit quod inter ſurdos & mutos aut abſentes, qui ſe invicem alloqui & audire non poſſunt, ſtipulatio eſſe non poſſit.

Propoſitio 3. *Corpora contrahentium non ſunt materia remota, nec eorum traditio verbis aut nutibus conſenſum exprimentibus facta, eſt materia proxima, nec mutua acceptatio ſimiliter facta, eſt forma Sacramenti matrimonii:* Ratio eſt contra Sanchez & valde communem ſententiam, quia dum Sacramenta dicuntur conſtare materiâ & formâ ex rebus & verbis, intelligitur vera realis diſtinctio inter ea intercedere; ſed dum idem mutuus conſenſus habet rationem materiæ, quatenus eſt traditio, & formæ, quatenus eſt acceptatio, non ponitur realis diſtinctio materiæ & formæ, ſed ad ſummum rationis; non enim poteſt fieri, ut unus conjugum velit corpus ſuum tradere & non acceptare corpus alterius, vel acceptare corpus alterius legitimè & non ſuum tradere: ergo. Tum quia illa ſententia pro materia etiam aſſignat verba, ubi tamen Concilia dicunt, res eſſe materiam & verba formam: ergo illo modo non bene aſſignatur materia & forma Sacramenti. 5

Nec dicas: illa traditio corporum conjugum eſt imperfecta & inefficax donec acceptatio accedat, nam tunc primo perficitur & determinatur in ratione matrimonii: ergo ſic bene aſſignatur materia & forma Sacramenti matrimonii.

Reſpondeo neg. ant. nam iſta mutua traditio & acceptatio ſe invicem determinant, ſicut enim dum quis aliquid alteri gratis offert

aut

aut titulo commutationis oblatio illa contractum non implet, donec acceptatio alterius accedat, ita ſimiliter ſi acceptatio præcedat contractum non complet, donec accedat traditio alterius, quod autem poſſit præcedere acceptatio patet in poſtulatione, quæ vim acceptationis habet ſine alio novo conſenſu, & præcedere debet oblationem traditionis non vero ſubſequi. His poſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Materia Sacramenti matrimonii ſunt corpora contrahentium mutuò tradita vel tradenda, forma verò ſunt contrahentium verba vel ſigna externa ſufficienter exprimentia conſenſum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 26. quæſt. un. §. *ad ſecundum principale*, éſtque contra citatos in propoſitionibus.

Probatur: Chriſtus Dominus in nullo naturam hujus contractûs immutavit, ſed ſolùm ad ſtatum Sacramenti evexit: ergo eadem erit materia & forma in hoc contractu aſſignanda, quæ in aliis contractibus civilibus aſſignatur; ſed certum eſt in aliis contractibus materiam eſſe, eam de qua contrahitur, & formam eſſe mutuum conſenſum verbis expreſſum, ut patet in contractu venditionis v. g. equi: ergo cum in contractu matrimonii corpora contrahentium ſint materia, de quâ contrahitur, ſic etiam materia Sacramenti matrimonii erunt corpora tradita vel tradenda, & forma verba vel ſigna conſenſum exprimentia, ac præterea ſicut in aliis contractibus materia eorum debet eſſe legitima, id eſt, non impedita lege aliquâ, ſic etiam in contractu matrimonii corpora debent eſſe legitima, hoc eſt, non impedita vel naturali vel humanâ lege. Ex his etiam pro majori claritate.

7 Addo, quod corpora contrahentium ſint materia remota & circa quam contractûs matrimonii, traditio vero & acceptatio corporum realis ſit materia proxima; nam pro Sacramentis in fieri conſiſtentibus nequit pro materia proxima melius conſtitui alia quam traditio, ut patet de ordine & extrema unctione; imò etiam de donationibus & contractibus; is enim dicitur verè & realiter tradere, qui explicat de præſenti rem ſuam in alterum transferre, & tamen datio non eſt conſenſus; quia hic eſt cauſa dationis, neque verba, quia hæc exprimunt eam, ſed actualis & realis externa translatio.

8 Objicies: contrahentes videntur eſſe miniſtri Sacramenti matrimonii: ergo non poſſunt eſſe materia, ſicut in aliis Sacramentis miniſter nunquam eſt materia, ideo etiam dicit Ariſtoteles *materiam non coincidere cum efficiente*.

Reſpondeo Neg. conſeq. diſparitas eſt de aliis Sacramentis, quia hæc non conſiſtunt in contractu perſonæ miniſtri ſicut matrimonium, ideòque materia & miniſter in hoc Sacramento coincidunt. Hinc illud Ariſtotelis non verificatur in moralibus licet in Phyſicis, imò nec in his ſemper verificatur, ut patet de actionibus immanentibus agenti, nam hoc ſuos actus cauſat & recipit ac ſubminiſtrat materiam illis actibus.

Dices: Decretum Eugenii IV. dicit: cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus: ergo ſaltem conſenſus per ſigna expreſſus non poteſt eſſe forma ejus.

Contra neg. conſeq. quia decretum notanter dicit regulariter eſt mutuus conſenſus per verba expreſſus non autem ſemper & neceſſariò: & ratio eſt; quia matrimonium conſiſtit in contractu ejusdem omnino rationis cum eo, qui inter homines fieri ſolet, neque illum Chriſtus ullo modo immutavit, unde cum contractus etiam per nutus fieri ſoleant, ſic etiam remanſit in matrimonio.

Dices: Eccleſia nequit immutare materiam & formam Sacramentorum, ſed poteſt Eccleſia mutare contrahentium traditionem corporum de habili ad contrahendum inhabilem, ut facit ſuis legibus de impedimentis poſitis: ergo non poteſt eſſe materia matrimonii.

Contra diſtinguo maj. nequit mutare materiam Sacramentorum directè conc. nequit indirectè mutare neg. maj adeóque Eccleſia non immutat Sacramentum quatenus eſt ſignum gratiæ aut materiam quà materiam Sacramenti, Chriſtus enim non inſtituit aliam materiam, niſi illam, quam habet contractus, adeóque ſolùm immutat quatenus eſt contractus humanus & liber ſub qua ratione ipſius poteſtati & legibus Principum ſubjicitur.

Dices: conſueta forma in rituali pro matrimonio eſt hæc: Joannes accipis Joannam in uxorem tuam? ſi accipis dic ita domine. Nuper quis Parochus erravit dicens: Joanna accipis Joannam in maritum tuum? & tamen hoc matrimonium fuit validum ſed hic non fuit conſenſus validus in Joannam ut uxorem ſed ut maritum: ergo talis conſenſus verbis expreſſus non poteſt eſſe forma hujus Sacramenti.

Contra neg. min. nam etſi aliorum Sacramentorum valor periclitetur, ſi committatur error in forma, ut ſi loco: *hoc eſt corpus meum* ponatur corpus tuum, attamen talis error linguæ non officit valori matrimonii utpote fundati in natura contractûs, in quo potius voluntas non verba attenduntur, quia in contractibus voluntas facto magis quam verbis declaratur. Et Gloſſa in L. *reprehendenda*. C. de inſtitutionibus, & hoc præſertim quando factum eſt determinatum ad aliquid certum præſumendum, ut eſt in præfato caſu.

Aſſero 2. *Parochus non eſt miniſter hujus Sacramenti matrimonii, ſed ipſi contrahentes.* 9
Eſt Scoti in 4. Diſt. 26. quæſt. un. §. *ad ſolutionem*. contra Pariſienſem.

Pro-

Probatur 1. Concilium Florentinum ſæpe citatum non aliam hujus Sacramenti effectricem agnoſcit cauſam, quàm mutuum conſenſum verbis expreſſum, ubi tamen aliis Sacramentis exactè aſſignat materiam & formam ac miniſtrum tam ordinarium quam extraordinarium; ſed ſi matrimonium non ſolùm in ratione contractûs ſed etiam in ratione Sacramenti (de qua potiſſimum ibi loquitur Concilium) ſolummodo contrahentium conſenſu perficitur, non erit alius miniſter ad illud perficiendum neceſſarius: ergo non parochus; min. patet; quia repugnat ſolùm conſenſu contrahentium perfici matrimonium, ſi ad ejus validitatem neceſſarius eſt miniſter à contrahentibus diſtinctus, & licet Concilium non ponat expreſſè illum terminum, ſolum conſenſum eſſe cauſam efficientem, tamen neceſſariò ſic intelligi debet, aliàs per ſufficientes cauſas illud non definiviſſet, quod tamen ibi exactè intendit, ſicut fecit de aliis Sacramentis.

Probatur 2. Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. docet matrimonia clandeſtina ſeu ſine præſentia Parochi celebrata, quamdiu Eccleſia ea non fecit irrita fuiſſe valida & rata, ſed matrimonia rata inter baptizatos ſunt Sacramenta juxta communem ſententiam, uti etiam colligitur ex cap. 4. de divortiis: ergo Parochus non eſt miniſter. Hinc falsè docent Adverſarii matrimonia clandeſtina ante Tridentinum celebrata non habuiſſe rationem Sacramenti, ſed ſimplicis contractûs civilis, nam Concilium eo modo loquitur de matrimoniis clandeſtinis antequam ab Eccleſia fuiſſent irrita ſicut de modo ſolemniter contractis, ſed hæc vocat æquè vera & rata, & ideo Sacramenta: ergo etiam priora pro talibus agnovit alias turpiter æquivocâſſet.

Probatur 3. in contractu matrimoniali nihil immutatum eſt, niſi quod ad rationem Sacramenti ſit elevatus; atqui contractum non ipſi Sacerdos ſed contrahentes celebrant: ergo non Sacerdos ſed contrahentes ſunt miniſtri hujus Sacramenti; & ideo, ut Scotus cit. docet, ſunt ambo contrahentes unus miniſter integraliter totalis & duo partiales; quia ſic concurrunt ad efficiendum contractum.

10 Objicies Trident. Seſſ. 24. c. 1. expreſſè mandat, ut Parochus dicat: ego vos in matrimonium conjungo in nomine patris & filii &c. ergo Sacerdos verè conficit hoc Sacramentum tanquam miniſter.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Parochus in prolatione horum verborum ſupponit matrimonium jam confectum tam in ratione contractus, quàm in ratione Sacramenti, cum ſupponat mutuum conſenſum conjugum coram Parocho & teſtibus expreſſum, qui ſolus pertinet ad ſubſtantiam matrimonii, unde illa verba Parochi faciunt ſolum hunc ſenſum: ego vos declaro authenticè conjunctos & licet Parochus diceret: ego vos poſtea conjungam, non impediret effectum Sacramenti cum ab ejus verbis non pendeat eſſentia Sacramenti aut ejus effectus. Imo declaratio Cardinalium in Tridentinum expreſſè ſic dicit: *non pertinet ad ſubſtantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat*, ideo valet matrimonium quamvis verba exprimentia conſenſum ſolum ſint prolata à contrahentibus, dummodo Parochus ſit præſens & intelligat id, quod agitur, etiamſi contradicat: dicit ultra: *Parochus adhibitus, etiamſi ex alia cauſa principaliter eſſet vocatus, dummodo etiam ſit adhibitus ad illum actum.* Hinc Eccleſia ſolummodo requirit Parochum ut teſtem publicum, qui de contractu matrimonii teſtari poſſit publicè in Eccleſia, non verò ut miniſtrum. Præterea ejus prolatio verborum eſt ſolum benedictio & non applicatio materiæ.

Dices: ſoli Eccleſiaſtici ſunt miniſtri DEI *& diſpenſatores myſteriorum DEI* 1. ad Corinth. 4. & ideo abſurdum videtur à collatione alicujus Sacramenti excludi Sacerdotes & Laicum facere miniſtrum Sacramenti, Sacerdotem verò ſolum benedictionis acceſſoriæ: ergo.

Contra: illud Apoſtoli eſt intelligendum ſolum de illis miniſteriis, quæ indigent conſecratione, non autem de aliis, alias nec Laicus poſſet validè baptizare extra caſum neceſſitatis; neque eſt abſurdum à miniſtro Sacramenti matrimonii excludere Sacerdotem, ſicut non eſt mirum, quòd nequeat Sacerdos ſeipſum abſolvere vel baptizare, nam ſicut in pœnitentia vel baptiſmo ex inſtitutione Chriſti neceſſariò miniſter à ſuſcipiente diſtinguitur, ita in matrimonio neceſſariò eſt idem; neque etiam abſurdum eſt Laicum eſſe miniſtrum hujus Sacramenti & non Sacerdotem, cum non per Sacerdotem, ſed per alios contrahatur matrimonium.

Dices: ſi contrahentes ſunt miniſtri Sacramenti matrimonii, ſequitur quod ſi in peccato contraherent peccarent mortaliter imò duplici peccato, nempe ut miniſtri & ut ſuſcipientes, quod eſt durum: ergo.

Contra: concedunt multi totum antecedens; ſed dico melius peccare quidem mortaliter recipiendo Sacramentum, non verò miniſtrando, quia ſolus miniſter conſecratus tenetur illo præcepto, quod ſancta ſanctè tractare debeat ex vi ejusdem conſecrationis, quâ ſpecialiter eſt deputatus ad Sacramentum conficiendum; ideo nec Laicus baptizans in peccato mortali peccat mortaliter, benè tamen in peccato mortali recipiendo Sacramentum quis peccat; quia eſt Sacramentum vivorum per ſe ſtatum gratiæ ſupponens etſi accedendo ponat obicem effectui ejus.

Dices: multi rudes ſe eſſe neſciunt miniſtros, & ideo nec intendunt conficere Sacramentum; ergo aliquando non ſunt miniſtri,

Contra neg. ſequelam antecedentis, nam etiam mulri neſciunt matrimonium eſſe Sacramentum, & ideo in illia nec fieret Sacramentum, quòd eſt abſurdum, unde ſufficit quod intendant facere quod facit Eccleſia, vel quod faciunt alii fideles, quod in omnibus poterit eſſe.

Dices: Sacramentum non poteſt facere quia, niſi ſacra actione; ſed conſenſua contrahentium eſt profanua, actio verò Parochi eſt ſacra: ergo potius hic eſt miniſter quam illi.

Contra diſtinguo maj. niſi ſacra actione vel figurativè ſacrâ vel realiter conc. ſemper realiter neg. maj. conſenſus ergo contrahentium etiam figurat aliquod ſacrum nempe conjunctionem Chriſti cum Eccleſia; imò nec eſt neceſsè ut conſenſus contrahentium ſit actio ſacra, ſed ſufficit, quòd fiat ſacra propter elevationem contractûs ad rationem Sacramenti.

Dices: Pattes dicunt matrimonium eſſe Sacramentum, ſi Sacerdotia miniſterium interveniat, & hoc Sacramentum ſpectare ad Sacerdotes, unde Evariſtus proximus Apoſtolis & quintua poſt Petrum Ponrifex can. *aliter legitimum* cauſa 30. quæſt. 5. dicit: conjugia abſque Sacerdotia miniſterio & benedictione adulteria & fornicationes: ergo Sacerdoa verè eſt miniſter.

Contra neg. conſeq. quia Patres ſolummodo requirunr Sacerdotem ut conjugea benedicentem vel ab Eccleſia vel à Chriſto inſtitutum, non verò ur miniſtrum Sacramenti ideo cenſetur ſemper ſub præcepto fuiſſe requiſitus Sacerdos ſine quo pto tunc illicitè & modo ob formam ſolemnitatis præſcriptam invalidè contrahatur. Hinc Evariſtus vocat illa matrimonia adultetia & fornicationes, quia ſecundum probabilem ſententiam etiam matrimonia tempore Evariſti inita abaque præſentia Parochi non ſolum fuerunt illicita, ſed etiam invalida. Cæterum poteſt dici matrimonium pertinere ad Sacerdotes, quatenua de hoc judicare ſpectat & docere, vel qoatenus modo danr firmitatem contractui, quia ſine eorum præſentia conrractus non eſt firmus & validus, non verò ad eos quâ miniſtros ſpectat.

QUÆSTIO V.

An matrimonium tam ratum, quàm conſummatum, ſit indiſſolubile tam per diſpenſationem, quam per ingreſſum Religionis, aut per adulterium?

1 ADvertendum eſt primo. Cum in definitione eſſentiæ matrimonii dixerimus eam eſſe indiviſibilem vitæ ſocietatem merito de eſſentia ejus diſcurrentes etiam de indiviſibilitate loqui oportet. Duplex ergo eſt indiſſolubilitas matrimonii ſcilicer quoad vinculum & quoad thorum, & ſic econtra taliter duplex eſt diſſolubilitas, ſolvitur ergo quoad vinculum, quando nexua & mutua obligatio inter conjugea ita tollitur ot conjuges revera deſinant eſſe conjuges, ſicut quandò unus conjugum moritur, ita ut ſi ita revocaretur ad vitam poſſet uterque ad aliaa nuptias tranſire. Econtra vero manet matrimonium indiſſolobile quoad vioculum, quando non ita tollitur nexos & obligatio conjugum, ut poſſint ad alias nuptias tranſire. Quoad Thorum verò ſolvitur, quamdiu perſeverat quidem verum matrimonium ſed alteruter conjunx verum habet jus perpetuò negandi debitum conjugale, cæteráque officia conjugalia, econtra verò manet indiſſolubile quoad thorum, quamdiu perſeverante verò matrimonii vinrulô alteruter conjunx non habet verum jus negandi in perpetuum debitum conjugale.

Advert. eſt 2. conſtare ex dictis matrimonium ratum eſſe illud, quod eſt ſignatum Sacramento nondum copula carnali ſubſecutâ, & conſummatum eſſe id, quod copulâ carnali completur, ut autem copula verè faciat matrimonium conſummatum non ſufficit quod ſponſua ſponſæ vas penetraverit, ſed requiritur etiam, quod ſemen viri inter vaa mulieris ſit receptum, quia copula carnalis conſummana matrimonium debet eſſe talis, per quam conjugea fiant una caro; ſed dum ſemen non recipitur inrra antrum ſponſæ non efficitur una caro, cum non ſit copula apta ad generationem prolis, qualia debet eſſe ut conſommet matrimonium ut loqoitur Gloſſa in Can. *extraordinaria* cauſa 35. quæſt. 3. ex quibua patet nec pollutionem ſeu effuſionem ſeminia extra vas mulietis nec copulam Sodomiticam conſommare matrimonium aut parere affinitatem, imò nec copulam quâ vir quidem penetrat antrum mulieris fœmina ſola ſeminante, ſi vir non ſeminet, qoia etiam talis copula non ſufficit ad generationem. Præterea nec ſufficit copula præcedena matrimonium, quia copula illa conſummans debet eſſe matrimonialis, illa autem præcedens ſuit fornicatoria; nea obſtat, quod matrimonium retrahatur ad copulam præcedentem, ut faciat filioa ex ea ſuſceptoa legitimos, imo ſi in continenti fieret, quod ſtatum poſt copulam ſequatur matrimoniom videtur in facto eſſe copula cum matri- OI monio poſita ut habet L. *lecta*. ff. ſi certum petatur. Nam contra eſt illud de legitimatione prolia ſolum admitti in favorem prolis innocentis, non tamen id debet admitti, quod caderet in favorem delinquentium ſeu fornicantiom. Illud vero de incontinenti ſolum procedit fictione Juria quoad effectus juris, ubi tamen nunquam legitur legem aliquid fingere in favorem delinquentium. Econrrà verò matrimonium verè conſummatur quaeunqoe dein arte vel ope dæmonis ſemen recipiatur etiam vi & metu inter antrum naturale mulieris abſque illius penetratione vel cum penetratione,

tione, nam talis copula verè ſufficit ad generationem, & licèt ut violenta non repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia voluntariam, repræſentat tamen talem unionem quoad ſubſtantiam licèt non quoad modum. Cæterum ad conſummationem matrimonii ante bimeſtre ſeu ante duos menſes à die contracti matrimonii non tenentur quia C. *ex publico* de converſione conjugatorum datur ipſis conjugatis bimeſtre ad deliberandum de ingreſſu religionis.

3 Advertend. eſt 3. diſſolubilitatem quoad thorum, quæ etiam dicitur divortium, nunquam poſſe fieri ſine urgentibus rationibus, quarum prima aſſignatur ſævities unius conjugis ſeu talis aſperitas ex qua alteri conjugi imminet probabile periculum gravis mali corporalis, cujus metus poteſt in conſtantem virum cadere ut occiſio, mutilatio enormis, exceſſivus modus verberandi conjugem & ſimilia ſolum ſemel timeantur, debent tamen hæc mala probabiliter imminere, quod colligi poterit ex minis ſolidis mandari executioni vel ex feroci ingenio mariti, vel ex communi conſuetudine patriæ, nam quæ à Germanis & Gallis habentur pro malis gravibus, ab Hungaris, Polonis & aliis habentur pro cordialiis & ſignis amoris ut illa mulier Rutenica, quæ lethales verberationes & præciſionem cervicis pro maximis ſignis amoris tenuit, ut refert Gobath Tract. 10. de matrimonio caſu 20. Cauſa ſecunda eſt adulterium alterius conjugis juxta illud Matthæi 19. ubi Chriſtus fas eſſe dicit dimittere uxorem cauſa fornicationis commiſſæ, ubi etiam viciſſim dimittere uxori fas eſſe fornicatorium maritum colligit cap. *intelleximus*, de adulteriis & ſtupro; cum ſit par inter eos cauſa. Ex tale divortium per ſe eſt perpetuum ita ut pars innocens non tenetur reconciliari nocenti etſi ſolum ſemel lapſo & integerrimè emendato, niſi pars innocens etiam fiat nocens ſcilicet per adulterium, tunc enim tenetur redire ut habet ſtatim cit. C. nam paria delicta mutua compenſatione tolluntur. Si vero innocens condonavit nocenti culpam, nequit amplius uti jure divortii. Cenſetur autem condonaſſe, quando cognito crimine admittit nihilominus amplexus conjugales; præterea cum hoc divortium ſit per ſe perpetuum, idcirco conjux innocens acquirit jus ſuſcipiendi ſacros Ordines, aut religionem profitendi, licèt altera pars cœlum ſuperóſque imploret: imò de ratione adulterii etiam aliqui movent difficultatem, an non etiam planè vinculum matrimonii ſolvat, de quo tamen cum communi negativam ſtatuemus in aſſertione ultima. Interim tertia cauſa eſt hæreſis, in quam poſt matrimonium lapſus eſt maritus, præſertim ſi ſine propria culpa talis cohabitatio foret periculoſa ſaluti, ſi ſcilicet altera conjunx compellatur edere carnes diebus eſurialibus, vel impediatur diebus feſtivis audire Sacrum &c. Scriptum enim eſt Matth. 5, *ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum*. Alii adhuc alias aſſignant cauſas quas commodius explicabimus ſuo loco de divortio agentes.

Advertendum eſt 4. diſſolubilitatem quoad vinculum matrimonii rati adhuc multò minus poſſe fieri ſine rationibus urgentibus, quarum primam aſſignant notabilem in qualitate diſparitatem, ut ſi ſponſa ſit plebejæ conditionis, ubi ſponſus eſt magnæ nobilitatis. Secunda eſt metus magni ſcandali magnarum rixarum inter ſponſos & conſanguineos eorum. Tertia eſt lepra aut aliud grave malum ſuperveniens ratione cujus nunquam poſſit ſponſus ad ſponſam accedere. Quarta eſt impotentia matrimonio ſuperveniens rato. Quinta ſi vir maximè conveniens bono publico eligatur in Epiſcopum; imò etiam Menochius Conſilio 786 n. 12. & ſequentibus docet: Ob nimiam diſparitatem conjugum & magnam repugnantiam patris poſſe matrimonium ratum diſſolvi, præfatæ tamen rationes non ſufficiunt, ut ſtatim conjuges propria authoritate poſſint tranſire ad alias nuptias; ſed cum ſit cauſa totius Eccleſiæ bonum concernens, de ea, an tales rationes ſufficientes ſint, pertinet ad ſolum Pontificem judicare, vi cujus diſpenſationis deinde legitimè diſſolvitur matrimonium, cur autem tales urgentes & juſtæ cauſæ debeant adeſſe pro tali diſpenſatione ratio eſt; quia cum indiſſolubilitas matrimonii ut diximus ſit juris divini, ſit utique Pontifex ſine juſta cauſa non poteſt agere contra ordinationem divinam, cum talis poteſtas non ſit ei data in deſtructionem, ſed ædificationem Eccleſiæ ut diximus de legibus, ſicut communiter dicitur, quod Pontifex non poſſit ſine juſta cauſa diſpenſare in votis jure divino & naturali obligantibus; ideo talis diſpenſatio tam matrimonii quam voti ſine juſta cauſa communiter cenſetur illicita vel planè juxta aliquos irrita. Cæterum tamen cum juſta cauſa ſi Pontifex ſemel habet poteſtatem diſſolvendi matrimonium ratum, de qua dicemus aſſertione primâ poterit diſpenſare in matrimonio rato etiam abſque mutuo conjugum conſenſu; nam illa poteſtas Pontificis non in gratiam ac bonum privatum conjugum ſed totius Eccleſiæ eſt conceſſa: ergo urgente bono totius Eccleſiæ poterit Pontifex ſine omni contrahentium conſenſu illud diſſolvere etiam quoad vinculum.

Propoſitio 1. *Matrimonium ratum non diſſolvitur per ſubſequens conſummatum, nec Pontifex poſſet legem ferre ut per hoc diſſolvatur*. 5 Ratio eſt ex C. licet de ſponſa duorum; nam ſicut qui alteri rem vendidit & tradidit, fruſtra poſtea eam alteri vendit, cum nihil juris in ea habeat, ita etiam qui dominium ſui corporis tradit in matrimonio rato nullum jus habet illud ſecundò tradendi alteri, imò in

jure civili infames habentur, qui bina ſponſalia eodem tempore contracta habuerint lege prima ff. de his qui notantur infamiâ: Ratio ſecundi eſt, quia talis lex videtur diſpoſitio & anſa per injuriam dirimendi matrimonium ratum contrahendo & conſumando aliud, non autem eſt veroſimile Chriſtum dediſſe poteſtatem Pontifici ad deſtructionem: ergo. Hinc licèt in cit. C. *licèt.* dicat Innocentius III. non dirimi matrimonium ratum per ſubſequens matrimonium conſummatum, quamvia à prædeceſſoribus noſtris aliquando fuerit aliter judicatum, nam talia judicia Pontificum non pertinebant ad univerſalium Canonum conſtitutionem, ſed ſolum ad quarundam litium deciſionem, nam ad univerſalem conſtitutionem requiritur, ut Princeps eo animo faciat interpretationem legis, ut vim univerſalis legis habeat, non vero ut ſimpliciter jus dicat & aliquibus privatis ferat ſententiam, ut notat Covaruvias.

6 Propoſitio 2. *Summus Pontifex non poteſt diſpenſando ſolvere legitima matrimonia infidelium bene tamen rata hæreticorum:* Ratio eſt, quia cum diſpenſatio ſit uſus juriſdictionis non poteſt habere locum niſi in ſuperiore erga ſuos ſubditos ſed infideles non ſubjiciuntur Pontifici juxta illud 1. ad Corinth. 12. *quid mihi de iis, qui foris ſunt judicare,* hæretici verò, cum ſint per baptiſmum ingreſſi januam Eccleſiæ, Pontifici ſubjiciuntur: ergo. Nihilominus tamen cum authoritas Pontificia non ſit ſolùm authoritas humana & temporalis, ſed huic addita authoritas vicem gerentis DEI & aliquomodo divina, ſic matrimonia rata infidelium ſi in quos haberet juriſdictionem temporalem poſſet ex rationabili cauſa vi talis poteſtatis ſolvere, nam licet temporalis poteſtatis vi non poſſit ea ſolvere, quæ DEUS conjunxit, poſſet tamen vi divinæ poteſtatis vicariæ ob bonum commune, eum & alii Principes temporales ita poſſint diſponere circa ſuos ſubditos.

7 Propoſitio 3. *Sponſus inter primum bimeſtre cogens ſponſam ad copulam peccat mortaliter & hoc vel maximè, ſi ſponſa affirmaſſet, ſe velle ingredi religionem:* Ratio eſt, quia aufert integritatem corporis, cum non habeat jus ante bimeſtre, imò jus certum ſponſæ transeundi ad religionem redditur valde dubium fortè enim judex amplectetur ſententiam docentem non amplius poſſe ingredi. Præterea cauſat longam moram ſponſæ pro ingredienda religione, & magnos ſumptus ante litis concluſionem. Demum Doctores hanc injuriam adeò gravem reputant, ut credant eſſe ſufficientem ad faciendum perpetuum divortium profitendo etiam religionem manente ſponſo ligato vinculo matrimonii. Ratio verò 2. ſequitur ex primo, nam ſi peccat extorquens copulam, quando ſponſa non præmeditabatur ingreſſum religionis multò magis peccabit, ſi eum præmeditabatur.

Propoſitio 4. *Non videtur poſſe ſponſam per vim oppreſſam à ſponſo ante bimeſtre ſemen etiam in continenti receptum expellere:* Ratio eſt; quia hoc eſt intrinſecè malum & contra naturam ordinantem ſemen ad ſobolis propagationem, hinc injuria ſponſæ non poteſt eſſe tanta, quin poſſit alia via recuperare injuriam, nam non obſtante conſummatione matrimonii poteſt ingredi religionem manente ſponſo ligato; nec patitur tantam infamiam ſponſa, ſicut alia puella ab alio quam ſponſo ſuo vim paſſa, ideo hæc poſſet in continenti ſemen tanquam injuſtum aggreſſorem ſeu furem expellere, & inſequi privatâ authoritate, donec in loco tuto poſitum ſit, quia talis inſecutio reputatur pro defenſione, ſi tamen ſemen ſemel habet poſſeſſionem & ſit quaſi in loco tuto conſtitutum, nec tunc amplius poſt tempus erit defenſio, ſed intrinſecè malum, & nec alii puellæ licebit expellere. 8

Aſſero 1. *Matrimonium ratum eſt diſſolubile à Pontifice per diſpenſationem etiam quoad vinculum ita ut conjuges poſſent liberè tranſire ad alias nuptias.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 38. q. 1. §. *dico quod votum.* Sanchez & aliorum contra Thomiſtas. 9

Probatur 1. ratione Scoti: Summus Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni religionis: ergo etiam in matrimonio rato. Conſeq. probatur. Votum ſolemne eſt fortius vinculum, cum diſſolvat matrimonium ratum, ut dicemus aſſertione 2. & ſit major traditio, cum fiat DEO & homini ſcilicet ſuperiori, in matrimonio verò fit ſoli homini, ſi ergo Pontifex poteſt majus vinculum ſolvere etiam poterit minus, ut eſt vinculum matrimonii rati.

Reſpondent Adverſarii diſparitatem eſſe eò, quòd matrimonium ratum ſit Sacramentum & propterea omnino fiat indiſſolubile.

Contra eſt omnimodam indiſſolubilitatem non provenire ex ratione Sacramenti, quia matrimonium ut Sacramentum non habet effectum indelebilem ut characterem, nec ſignificationem vinculi indiſſolubilis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ſed ſolùm unionis diſſolubilis Chriſti cum anima exiſtente in gratia, vel licet etiam ſignificet unionem Chriſti per charitatem cum tota Eccleſia, adhuc tamen talis unio eſt diſſolubilis quoad membra Eccleſiæ per peccata, quamvis non quoad totam Eccleſiam, econtra verò matrimonium conſummatum benè ſignificat indiſſolubilem unionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam, quia in ſolo matrimonio conſummato fiunt conjuges una caro, uti dicitur C. *debitum* de Bigamis. Unde ibidem ſi defuncta uxore maritus ante conſummationem matrimonii iterum ducat uxorem declaratur non eſſe bigamus, cum adhuc non ſit ſponſus plurium ſponſarum ſed unus ſponſus ſicut Chriſtus unius Eccleſiæ per conformitatem naturæ.

Pro-

Probator 2. Summi Pontificis poteſtas, quanrum licèt, eſt extendenda in omnibua quæ Eccleſiæ ſunt otilia, nam credendum eſt, Chriſtum, qui in neceſſariis non defuit ſuæ Eccleſiæ, ſuo Vicario contuliſſe plenam poteſtatem, ad ea, quæ booo Eccleſiæ regimini oeceſſaria ſunt; ſed poteſtaa diſpenſandi in matrimonio rato eſt valdè neceſſaria io Eccleſia; ſæpe enim evenit ut matrimonio diſſoluto multa ceſſent ſcandala, cum ante Tridentioum ſæpe contigerit, quod molti clam cum una contraxerint & ante conſummationem iterato cum alia publicè, Eccleſia verò, cum oon judicet de occultis, compulerit ad matrimonium ſecundum invalidum, & ſic hi conjoges manebant ſine remedio: ergo cenſendum eſt Chriſtom hanc poteſtatem contuliſſe Summo Pontifici.

Probatur 3. in dobila ſtandum eſt ſententiæ ſuperiorum cap. *ad aures* de temporibus ordinationom & maximè Pontificis, cui totius Eccleſiæ regimen incumbit & Spiritus ſanctua ſuâ gratiâ aſſiſtit; ſed varii Pontifices diſpenſârunt in matrimonio rato uti oatravimus de legibus de legis naturalis immutabilitate & refert Navarrua in ſumma c. 22. ter vel quater ad ſoam inſtantiam Paulum III. & Pium V. diſpenſâſſe & planc Henriquez lib. 2. *de matrimonio* c. 8. dicit Gregorium XIII. unica dic diſpenſâſſe cum ondecim: tandem negari non poteſt quin hæc res ſit dubia, cum pro noſtra ſententia ſint plurimi graviſſimi Doctores: ergo ſtandum erit ſententiæ Pootificum qui ſæpius diſpenſârunt.

10 Objicies ex illo Matth. 19. *quos DEUS conjunxit homo non ſeparet*, Deducitur indiſſolubilitas matrimonii eſſe juris naturalis & divini; atqui contra jus naturale oon poteſt diſpenſare Pontifex: ergo.

Reſpondeo diſt. maj. deducitur eſſe juris naturalia & divini fundati tamen in actu & cootractu humano conc. juris naturalis & divini abſolotè & ſimpliciter ut eſt de non mentiendo aut fornicando oeg. maj. & ſic diſtincta min. neg. conſequentiam, vide illa, quæ diximus de legibus.

Dices: Can. *ſunt quidam* cauſa 25. quæſt. 1. expreſsè definit jus; quod Pontifex aliquid contra doctrinam Evangelii Prophetarum & Sanctorum Patrum decidere non poſſit, ſed juxta citatum textum Matthæi matrimonium eſt indiſſolubile: ergo.

Cootra Can. eſt intelligeodus in iia, quæ ſunt de fide vel ad articuloa fidei pertinent in reliquis vero non tantum in doctrina Patrum, ſed etiam in Evangelio diſpenſat Pontifex ipſum interpretrando ut habet extra: cap. *licèt*. de teſtibus.

Dices: Quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia illud poteſt Epiſcopua in ſua diœceſi, ſed Pontifex poteſt habita juſtâ cauſâ matrimonium ratum diſpenſare: ergo etiam Epiſcopua in ſua diœceſi, ſed de Epiſcopo omnes negant: ergo & de Pontifice negari debet.

Contra illa major non eſt intelligenda de rebus tam arduia circa quas da Pontificis poteſtate dubitatur; nam de rebua graviſſimis decet ſolùm ſummum Chriſti Vicarium eognoſeere, talia autem eſt diſpeoſatio matrimonii. Vel dicendum eſt in iis, obi Pontifex non ſpecialiter ſibi quosdam caſua reſervat, reſervavit autem ſibi cap. *finali* de tranaactionibus cauſam matrimonii diſpenſandi; cum ibi mandet Epiſcopis, ut compellant ad ſponſalia ſervanda, & ſic multò magis ad matrimonia rata, adeóque dum in Canonibus dicitur, non licere recedere à ſeveritate canooicâ circa matrimonium, hoc ſolùm concernit judices inferiorea ut ſunt Epiſcopi, qui otiquè ut inferiores judices nihil poſſunt ad legem ſuperioris de matrimonio.

Dices: Matrimoniom ratum definitur eſſe perpetuâ & indiſſolubilia vitæ ſocietas ſed Pontifex nequit auferre, qood eſt de definitione matrimonii ſeu da eſſentia: ergo.

Contra vel diſtinguo maj. definitur indiſſolubilia ſocietas ab ipſis contrahentibus conc. indiſſolubilis à legitimo ſuperiore ratione contractus humani eidem ſubjecta neg. maj. & conſeq. Sicut etiam patet de voto, quod naturâ ſuâ eſt vinculum perpetuum & tamen à ſuperiori ſolvi poteſt. Vel diſtinguo min. noo poteſt id auferre quod eſt de eſſentia matrimooii, ita ut maneat matrimonium conc. ita ut ceſſet matrimonium neg. min. nam omnino non poteſt Pontifex tollere indiſſolubilitatem manente verò matrimoniô ſeu ita, ut adhuc maneat matrimonium, ſed dum diſpenſat in perpetuitate non amplius manet matrimonium, ſicut Pontifex non poteſt facere, ut aliquod ſit votum, & non obliget, dum enim diſpanſat in voto ſimul etiam cum voto tollit obligationem.

Dices non minoris efficaciæ eſt ſanctificatio quam matrimonium efficit, quam illa quam efficit aliquod ſacramentale; ſed Pontifex non poteſt hanc auferre; ergo nec quod ſanctificati per matrimonium deſinant eſſe tales.

Contra diſtinguo maj. non eſt minoris efficaciæ id eſt minoris virtutia & dignitatis conc. non eſt minoris efficaciæ id eſt, non eſt minus ſeparabilis neg. maj. nam matrimonium ratum non aliam efficit ſanctitatem, quam quod conferat gratiam & repræſentet unionem Chriſti per gratiam, quæ non ſolum exigit ſubjectum id eſt conjugum ſubſiſtentiam, ſed etiam immutatam voluntatem, quâ mutatâ ceſſat hæc ſanctitas, effectus autem conſecrationis v. g. calicis & benedictionis aliarum rerum ſolùm pendet ex ſubjecti ſubſiſtentia, qoa manente ſeparari non poteſt. Sic etiam Corpus Chriſti habet neceſſariam connexionem cum ſpeciebus, dum manent vi decreti

divini,

divini, non cutem matrimonium ratum cum perſonis. Vide plura ex tractatu de legibus de diſpenſatione in lege naturali & divina.

11 Aſſero 2. *Matrimonium ratum quoad vinculum omnino diſſolvitur profeſſione alterius ſponſi, ita quod conjunx manens in ſæculo poſſit ad alias nuptias tranſire, & hoc quidem ſolo jure divino poſitivo hoc privilegium profeſſioni concedente Chriſto.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 31. quæſt. un. §. *ad quæſtionem*.

Probatur 1. pars. Tum quia C. *ex publico* & cap. *ex parte tua* de converſione conjugat. docetur quòd ex ſacri elogii interpretatione & divina revelatione in Eccleſia Chriſti ſemper fuit cuſtoditum, ut ratum matrimonium per profeſſionem ſolemnem diſſolveretur, hinc ex Tridentino Seſſ. 24. *de matrimonio* Can. 6. definitur noſtra aſſertio de fide ſcilicet: *Si quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugis non dirimi anathema ſit.* Habetur etiam hoc ex facto Chriſti vocantis Joannem Apoſtolum à nuptiis Joann. 2. cujus exemplum imitati ſunt alii: Sic teſtatur D. Ambroſius lib. 2. *de virginibus* S. Paulum convertiſſe D. Theclam & ante matrimonium conſummatum ad perfectiorem vitam revocâſſe. Sic teſtatur Surius Alexium & Cæciliam à nuptiis ad ſtatum perfectiorem tranſiiſſe. Tum quia recta ratio dictat ſemper eſſe licitum tranſitum de ſtatu minus perfecto ad perfectiorem, ſi abſque detrimento alterius fieri poſſit, ſed ſtatus religionis eſt perfectior ſtatu conjugii, & fieri poteſt tranſitus ſine detrimento alterius, ſi matrimonium ſit ratum & nondum conſummatum, cum nulla ſit proles, & uxor, ſi velit, tam bene nubere poſſit alteri quam ante, cum ſit virgo, ac ex tali ſeparatione nihil infamiæ incurrat, imò meritò conſentire teneatur perfectiores nuptias cum Chriſto inire volenti: ergo.

Probatur 2. pars. Profeſſio ſolemnis non
12 dirimit matrimonium ratum jure naturali ent Eccleſiaſtico: ergo ſolo divino poſitivo. Anteced. probatur, tum quia attentâ ſolâ naturâ rei votum poſt matrimonium ratum eſt prorſus irritum & nullum; cum res uni tradita nequeat alteri validè tradi abſque conſenſu domini ſui ſine ejus injuria, nec ejus injuriæ compenſari dici debet per majus bonum Eccleſiæ, quod ſponſa in ſæculo manens bono proprio tenetur præferre, nam hoc non probat diſſolvi matrimonium contractum, quia ſic etiam probaretur diſſolvi per ſacros ordines, quod tamen à nullo conceditur, & etiam in extrav. *antiqua* de voto & voti redemptione expreſsè negatur. Tum quia nullibi in jure Eccleſiaſtico invenitur initium talis conſuetudinis, ſed ab initio Eccleſiæ ſemper talia exempla extabant, ut diximus proba priori: ergo concedendum eſt hoc Chriſti privilegium haberi per traditionem de matrimonio rato non vero de conſummato, aut paulò poſt dicemus. Unde cap. *ex parte tuâ* de converſione conjugatorum expreſsè dicit Innocentius III. Sanctos ex revelatione divinâ, quæ ſuperat omnem legem, tranſiiſſe à matrimonio rato ad ſtatum perfectiorem. His

Addo 1. Matrimonium ratum dirimi per 13
profeſſionem Monialium & Clericorum ordinum militarium ſub clauſura viventium, quia talis profeſſio ſolemnis eſt. De profeſſione verò ordinum militarium, qui non vivunt in communi nec uxores ducere poſſunt, ut ſunt Equites Melitenſes & Teutonici, diſſident authores: Cum Sanchez verò tenendum eſt, illos eſſe veros religioſos; vovent enim tria vota ſubſtantialia, ideo etiam eorum profeſſio eſt ſolemnis & dirimit matrimonium ratum. Cæterùm Equites illorum Ordinum, qui non vovent caſtitatem abſolutam ſed tantum conjugalem propriè religioſi non ſunt.

Addo 2. Econtra vero matrimonium ratum non dirimi per vota emiſſa à quibuſdam 14
fœminis religioſis Divi Dominici, quas vocant beatas, nec à quibuſdam viris tertii Ordinis S. Franciſci cum non profiteantur ſolemniter, ſed tantum votis ſimplicibus ſe ligant, niſi forte in communi & ſub clauſura viverent, ut ſunt Eliſabethinæ, nam tunc illorum profeſſionem agnoſcit ut ſolemnem Sixtus V. Item quamvis olim dirimebatur matrimonium ratum profeſſione vitæ Eremiticæ in manu Epiſcopi emiſsâ, modo tamen cum eremitæ talia vota non emittant, aut plane nullis ſe obligent, non ampliùs vita eremitica dirimit matrimonium ratum, & ſi quæ emittant ſolum emittunt ſimplicia. Tandem quamvis dirimatur matrimonium per tertiam ſolemnem ſeu quatuor votorum profeſſionē in Societate JESU, non tamen dirimitur per vota Coadjutorum formatorum in ea emiſſa, hæc enim quamvis publicè emiſſa ſint, non tamen niſi ſimplicia ſunt ut teſtatur Gregorius XIII. in Bulla *aſcendente Domino*.

Objicies contra 1. partem ſuſceptio Ordi- 15
num Sacrorum eſt etiam ſtatus perfectior ſtatu conjugali & tamen non ſolvit matrimonium ratum: ergo nec profeſſio religioſa ob perfectionem ſtatûs.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia licèt ſacri Ordines ſint etiam ſtatus perfectior matrimonio ſicut profeſſio religioſa, quia tamen matrimonium ex natura rei vel ſaltem ex jure divino repugnat profeſſioni religioſæ, ut non poſſint ſimul conſiſtere, non verò ſic repugnat ſacris Ordinibus ſed ſolum ex jura Eccleſiaſtico ideo abſolutè poſſunt conſiſtere ſimul per conſequens non ita ſolvere poſſunt matrimonium ratum. Imò per profeſſionem religioſam homo civiliter & ſpiritualiter eſt mortuus, quòd non fit per ſacros Ordines & ideo non ſacri Ordines ſed ſolum profeſſio religioſa dirimit matrimonium ratum.

Obji-

16 Objicies contra 2. partem profeſſio religioſa eſt mors ſpiritualis juxta illud ad Coloſſ. 3. *mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto :* Ergo ſicut mors naturalis ex natura ſua ſolvit matrimonium ita & mors ſpiritualis.

Reſpondeo neg. conſeq. nam hæc paritas etiam probaret per profeſſionem ſolemnem ſolvi matrimonium conſummatum, quia etjam hoc ſolvit mors naturalis, unde dico non omnem mortem ſpiritualem ſolvere matrimonium ratum, nam vota ſimplicia & aliæ renontiationes honoribus & divitiis ſæculi ſont mors ſpiritualis juxta illud ad Galat. 2. *vivo ego jam non ego &c.* & tamen non diſſolvunt matrimonium ratom, nec profeſſio religioſa ſolvit alios contractus, qui magis diſſolubiles ſunt quam matrimonium ratum, ut venditiones, mutationes : ergo multo minus matrimonium ratum.

17 Aſſero 3. *Matrimonium inter infideles contractum etiam conſummatum diſſolvi poteſt quoad vinculum, ſi alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit cohabitare ſine injuria creatoris, aut ſi non velit converti licèt velit pacificè cohabitare.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 39. quæſt. un. §. *de ſecundo articulo.* & quoad ſecundam partem contra Navarrum & alios.

Probatur 1. pars: Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. dicit : *Si infidelis diſcedit, diſcedat ; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujusmodi ;* ſed hæc verba non ſolum intelligenda ſunt de ſeparatione thori ſed etiam vinculi, ut deciſum eſt ab Eccleſia cap. *quanto* & cap. *gaudemus* de divortiis & declaratum à D. Gregorio dicente : *Contumelia creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur,* infidelis autem diſcedens & in DEUM peccat & in matrimonium, nec eſt ei fides ſervanda conjugii, quod etiam ratio ſuadet, quia valdè conveniens fuit & fragilitati humanæ accommodatum & fidei favorabile id Chriſtum ſuâ ſupremâ authoritate conceſſiſſe, ne ſcilicet infideles conjugati aut cogerentur per ſuſceptionem fidei ſervare deinceps vitam cœlibem, quam tamen Chriſtus Dominus nulli ſub obligatione imponere voluit, aut à ſuſceptione fidei deterrerentur timore hujus incommodi : ergo ita eſt ut veniens ad fidem à priori conjugio liberari poſſit & aliud legitimum cum alio fideli inire ſi vellet, præſertim ſi alter in ſua infidelitate manet pertinax, aut Chriſtum blaſphemat & conjugem retrahere à fide nititur vel corporaliter ab eo recedit.

18 Probatur 2. pars : Potiſſimum fundamentum, cur non ſolveretur matrimonium ſi conjux infidelis velit pacificè cohabitare ſine injuria creatoris aut periculo retractionis, quia Apoſtolus talem in matrimonio permanere jubet dicendo ; *Si quis frater uxorem habet infidelem & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.* Sed per illa verba Apoſtolus clarè inſinuat, non eſſe præceptum Chriſti, ſed ſuum conſilium, ut patet ex ejus verbis : *Ego dico non Dominus ſi quis frater &c.* ergo adhuc liberum eſt dimittere vel non dimittere fideli conjugem infidelem. Conſeq. patet, quia fidelis per baptiſmum regeneratur in novam planè vitam & moritur priori vitæ : ergo non decet ut obligatus maneat ad habitandum cum infideli ; licèt aliquando conſultum ſit cohabitare cum ſpe lucrandi alterum etiam ad fidem, unde ſufficit ad ſolvendum matrimonium ipſa creatoris injuria, quam infidelis in ipſa permanentia in infidelitate præciſè committit juxta D. Ambroſium in illud Pauli, *non debetur ei reverentia, qui horret authorem conjugii.*

Objicies Chriſtus in lege gratiæ potius abrogavit repudium conceſſum in lege veteri & absque ulla exceptione pronuntiavit : *Quod DEUS conjunxit homo non ſeparet* & Apoſtolus citatus in univerſum dixit : non ſolvi matrimonium niſi per mortem alterius conjugis : ergo non per infidelitatem. 19

Reſpondeo neg. conſeq. Nam omnino id Chriſtus abrogavit, attamen etiam ibi novam illam conceſſionem utiliorem ob infidelitatem conceſſit, & licet ibi talem expoſitionem non expreſsè appoſuerit, ſatis tamen eſt quod eam per Apoſtolum Paulum promulgaverit 1. ad *Corinth.* 7. qui talem modum ſolvendi matrimonium præter mortem conjugis ibi aſſignavit ex ſuprema authoritate Chriſti.

Dices Matthæi 19. Chriſtus dixit : *Qui dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur :* ergo fidelis non poteſt dimittere conjugem ob ſolam infidelitatem.

Contra neg. conſeq. nam Chriſtus ibi locutus eſt de matrimonio inter fideles contracto, non vero de illis qui matrimonium ante converſionem ad fidem contraxerunt.

Dices : Propter hæreſim non ſolvitur vinculum matrimonii, & tamen hæreſis eſt quædam ſpecies infidelitatis : ergo nec per infidelitatem.

Contra diſparitas eſt. Nam matrimonium inter propriè infideles contractum non eſt Sacramentum, ideóque faciliùs diſſolvi poteſt ; aſt matrimonium poſt baptiſmum contractum eſt Sacramentum & ideo minus diſſolvi poteſt, cum Sacramentum magis illud firmet in ſua indiſſolubilitate.

Aſſero 4. *Quamvis probabile ſit ſponſam vi vel metu gravi copulâ carnali cognitam inter bimeſtre poſſe ingredi religionem ; matrimonium tamen conſummatum nec per diſpenſationem, nec per profeſſionem religioſam, minus per adulterium eſt diſſolubile quoad vinculum.* Prima pars eſt communior. Secunda & tertia eſt Scoti in 4. Diſt. 31. quæſt. un. §. *ad quæſtionem.* Item tertia pars eſt Scoti in 4. Diſt. 42. quæſt. 1. §. *de ſecundo.* 20

Probatur 1. pars : Sponſus gravem intulit

lit injuriam, cum non haberet jue copulam extorquendi ante bimeſtre, & illa non poteſt aliter jus ſuum recuperare niſi per ingreſſum ergo poteſt ingredi. Tum quia dolus nemini debet patrocinari, nec culpa alterius bonum impedira debet, ne culpæ reus commodum inde reportet cap. *ad noſtram.* de emptione & vendit. Aſt in caſu reus reportaret commodum & culpa unius bonum alterius impediret: ergo. Tum quia propter adulterium, hæreſin &c. poteſt uxor deſerere in perpetuum virum & ingredi religionem manente vinculo matrimoniali: ergo etiam ob illam violentiam manente tamen vinculo ex parte viri qui liberè conſummavit matrimonium, non enim minus hæc violentia eſt contra jue matrimonii, quam adulterium hæreſia &c. tum quia ſine ſua culpa nemo debet jure ſuo privari cap. *diſcretionem* de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ: ergo cum fœmina fuerit invita & abſque ſua culpa non debet jure ſuo privari, quod habet ingrediendi religionem.

Addo tamen talem fœminam vi oppreſſam aliquando per accidens impediri poſſe ab ingreſſu religionis ratione damni proli ex copula ſecuta, quæ abſque matre commodè educari non poſſet, ſecus tamen eſſet, ſi poſſit ut dicit Ledesma *de matrimonio* quæſt. 16. articulo 1. præterea ſponſus invità ſponſà vi oppreſſa non poteſt ingredi religionem, quia ille ex parte ſua voluntariè conſummavit matrimonium & tenetur ſponſæ violentatæ damnum ſuum reſarcire, quod aliter non poſſet niſi manendo ad voluntatem violentatæ.

21 Probatur 2. pars. In matrimonio conſummato ſemper adeſt grave præjudicium prolis ſi diſſolveretur; nam ſive habeatur ex copula prolis ſive non ſemper tamen tale præjudicium in univerſali urget: ergo non cenſetur Pontifici aut religioni eſſe conceſſa poteſtas illud ſolvendi: Ant. ultra patet, quia lex univerſalis caſum particularem non reſpicit, ſed abſolutè diſponit & id congruè factum eſt in favorem prolis; cum ergo ex diſpenſatione matrimonii conſummati majora mala & inconvenientia poſſint oriri communiter quam bona, & hoc non ita eveniat in diſpenſatione matrimonii ſolùm rati, ſic non cenſetur Chriſtum tale privilegium dediſſe Pontifici aut religioni. Vide de his plura de legibus de diſpenſatione legis naturalis.

22 Probatur 3. pars: Tum quia Scotus primo loco citatus dicit: repudium eſſe conceſſum pro lege Moyſis à Chriſto autem pro lege ſua fuiſſe penitus & quacunque ex cauſa abrogatum *Matthæi* 5. & 19. quæ verba in objectione afferemus. Quod confirmat Tridentinum Seſſ. 24. Can. 5. & 7. & patet ex Scriptura Marci 10. *quicunque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit adulterium committit ſuper eam* & Lucæ 16. *qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur:* ergo. Tum quia ſi per adulterium diſſolveretur conjugium aperiretur janua infinitis repudiis & conjunx volens eſſe liber tantum adulterium committeret, & ideo ex ſuo delicto commodum reportaret, atque ad alias nuptias pro libitu tranſire valeret, quod magnum eſſet inconveniens. Tum quia hoc modo potior eſſet conditio iniquæ uxoris ob adulterium dimiſſæ quam juſtæ dimiſſæ ob morbum diuturnum, cum illa libera eſſet, ut alteri nubat, non vero hæc quod eſſet inconveniens. Vide jus Canonicum cap. *ex parte* de ſponſalibus & cap. *quanto* de divortiis.

Objicies contra 1. partem: Omnia jura clamant matrimonio conſummato neutri conjugi altero invito licere tranſire ad religionem: ergo cum non diſtinguant de conſummatione matrimonii per copulam vi vel ſponte habitam nec nos diſtinguere debemus; imò Can. *finali* Diſtinct. 55. dicitur: *Non prodeſſe oculum violenter eſſe erutum, quominus eo orbatus ſit irregularis:* ergo & à pari. 23

Reſpondeo illa jura eſſe intelligenda, quando matrimonium abſque injuria conſummatum eſt, & licèt hoc non expreſsè explicent, ſatis tamen colligitur ex iis, quæ pro noſtra aſſertione citavimus, quod ſic ſint explicanda. Hinc ad Can. *finalem* dico textum illum loqui da irregularitate ex defectu corporis, quæ cum ex deformitate membri conſurgat, non voluntatem ſed factum requirit; ideo nihil contra nos urget, nam copula per quam conſummatur matrimonium cum ſuis effectibus conſequentibus voluntaria eſſe debet.

Dices: etiam in illo caſu vir uſus eſt jure ſuo exigendo corpus ſibi debitè traditum per matrimonii vinculum: ergo alteri non facit injuriam.

Contra neg. ant. quia in matrimonio traditur quidem corporis poteſtas, ſed ſub tacita conditione niſi alter inter bimeſtre religionem ingrediatur vel ingredi eligat.

Dices: Sic liceret etiam tranſacto bimeſtri, ſi matrimonium non ſit conſummatum ingredi religionem;

Contra dico licere, quia licet conjunx negando debitum poſt bimeſtre peccet, non tamen amiſit jus ingrediendi religionem, cum Chriſtus abſolutè conceſſerit hoc privilegium circa matrimonium ratum: unde hoc intereſt, quod tempore bimeſtris non peccet negando, bene verò poſt.

Objicies contra 2. partem: Matrimonium ratum eſt diſſolubile per diſpenſationem & ingreſſum religionis: ergo & conſummatum. Conſequentia probatur. Quia ſolum differunt accidentaliter ſicut res operans & non operans, imò aliae illa indiſſolubilitas competeret ex actu carnali ſuperaddito & non ex contractu matrimonii ſimpliciter, quod non eſt probabile, dicit Scotus, cum ille actus 24

car-

carnalis non ſit aliquid novi contractûs & ideo nec novam indiſſolubilitatem inducit.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam licèt matrimonium ratum & conſummatum nec eſſentialiter nec accidentaliter differant, ſed ſolum integraliter tanquam perfectum & imperfectum ſicut homo integer & mancus, & per matrimonium ratum datur poteſtas in corpus, per conſummationem verò datur uſus corporis & poſſeſſio, ſicut ergo in venditione, per quam datur poteſtas ad uſum rei, non eſt omnino accidentoria traditio rei & poſſeſſionis, ſed integraliter complet venditionem, quæ prius erat eſſentialiter perfecta, nihilominus tamen differunt extrinſecè & ratione ſignificati, quia ratum ſolùm ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, quæ ſolvi poſſunt. Matrimonium verò conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per humanitatem ſcilicet unionem hypoſtaticam Verbi cum humanitate, quæ omnino eſt indiſſolubilis, ut habetur cap. *debitum* de bigamis. Et licèt utrumque matrimonium ex natura rei ſit indiſſolubile ratione contractûs, ut à nullâ humanâ poſſit ſolvi authoritate à DEO tamen utrumque poteſt ſolvi divina diſpenſatione; quia qui poſuit legem poteſt etiam in aliquo caſu diſpenſare. DEUS autem voluit tantummodo matrimonium ratum per diſpenſationem aut ingreſſum religionis ſolvi poſſe, ut habemus ex Eccleſiæ traditione non verò conſummatum ob præjudicium prolis & alia inconvenientia, ut diximus in probis.

Dices: Conſummato matrimonio poſſunt conjuges ex mutuo conſenſu ingredi religionem & validè profiteri: ergo ſaltem ingreſſus religionis etiam ſolvit vinculum matrimonii conſummati.

Contra neg. conſeq. quia Chriſtus non annexuit hoc privilegium ingreſſui religionis circa matrimonium conſummatum ſicut circa ratum, unde qui conſummato matrimonio ex conſenſu mutuo ingrediuntur & profitentur non dirimunt matrimonium quoad vinculum & jus remotum petendi debitum & reddendi, ſed ſolum quoad jus proximum, quod per profeſſionem omnino evaneſcit.

25 Objicies contra 3. partem: Dum Chriſtus Libellum antiquis conceſſum penitus ſuſtulit ita eſt locutus Matth. 5. & 19. *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non ſic fuit. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur:* ergo ſaltem ob fornicationem uxoris ſeu adulterium licet dimittere uxorem & aliam ducere.

Reſpondeo, illa verba Chriſti debere ſanè intelligi ſcilicet de dimiſſione quoad thorum & cohabitationem non vero quoad vinculum ob fornicationem, unde illa exceptio de fornicatione uxoris debet referri ſolum ad verba præcedentia ut ſcilicet non liceat dimittere uxorem exceptâ causâ fornicationis, non verò ad verba ſubſequentia, quaſi inſuper ob fornicationem liceret aliam ducere; quod autem verba Chriſti ita intelligi debeant patet ex D. Paulo interprete Chriſti 1. ad *Corinth.* 7. *Iis autem qui matrimonio conjuncti ſunt præcipio non ego ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere. Quod ſi vero diſceſſerit, manere innuptam aut viro ſuo reconciliari*, ubi in prioribus verbis, præcipio autem à viro non diſcedere loquitur de diſceſſu injuſto ſcilicet ex aliis cauſis quam fornicationis, in poſterioribus verò de juſto ſcilicet ob cauſam fornicationis ſcilicet, quod ſi verò diſceſſerit &c. quem diſceſſum Chriſtus in citato loco permiſit, alias ſi etiam in poſterioribus fuiſſet Apoſtolus locutus de diſceſſu injuſto, non potuiſſet dare optionem uxori, an velit innupta manere, aut viro reconciliari, ſed ſimpliciter debuiſſet jubere, ut ad virum reverteretur juxta præceptum domini, quod immediatè præmiſerat, unde ſi uxor à viro adultero recedens neceſſariò debeat manere innupta aut viro reconciliari, non ſolvitur matrimonii vinculum propter adulterium, imo Chriſtus ibi voluit integrè libellum repudii tollere, ſi ergo ob adulterium conceſſiſſet non integrè ſuſtuliſſet.

Dices Can. *dixit Dominus* C. 32. q. 1. Chriſtus apertè concedit dimiſſionem uxoris ratione adulterii, quæ dimiſſio quoad vinculum & non ſolum quoad thorum debet intelligi; quia alias non eſſet ad rem Chriſti reſponſio, cum Phariſæi quoad vinculum de dimiſſione, quam repudium appellabant, interrogaverint: ergo.

Contra neg. ant. nam Chriſtus adhuc optimè reſpondit, quia dimiſſio quoad vinculum claudit poteſtatem dimittendi unam & ducendi alteram, Chriſtus ergo has duas ſejungens dimiſſiones conceſſit priorem negavit poſteriorem, prioremque reſtrinxit ad ſolam cauſam fornicationis, adeóque licèt illa verba intelligantur exceptivè, exceptio tamen non debet ad utramque partem referri, ſed ad ſolam priorem ut ſenſus ſit: quicunque dimiſerit extra caſum fornicationis uxorem mœchatur & qui dimiſſam quacunque ex cauſa etiam fornicationis duxerit mœchatur.

Dices: ſi exceptio non appellaret ſuper utramque partem, tunc in prima parte non eſſet verum, qui dimiſerit uxorem mœchatur, nam ſimplex dimiſſio non eſt adulterium: ergo.

Contra neg. ant. quia etiam talis dimittens uxorem extra cauſam fornicationis adhuc dicitur mœchans; quia eſt cauſa fornicationis uxoris, ut ipſemet loquitur Chriſtus Matth. 5. *quicunque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem facit eam mœchari.* Unde Chriſtus repudium ſolvens vinculum matrimonii pe-

nitus reprobavit, & ſolum divortium quoad thorum approbavit ex ſola caoſa fornicationis.

Dices: Si juxta explicationem talis fuit ſenſus Chriſti ut non liceat dimittere uxorem quoad thorum niſi fornicationis cauſa, quomodo ergo poſſunr plures cauſæ talis ſeparationis thori à nobis concedi ut diximus advertent. 3.

Contra dico: Hoc modo poſſe adhuc admitti plures cauſas, ut ſcilicet ex ſolo adulrerio liceat dimittere oxorem in perpetuum & etiam nolentem & invitam, aliæ vero cauſæ enumeratæ ex ſua natura oon ſunt perpetuæ vel certè non contra voluntatem alterius partis ſicut ingreſſus Religionis ex mutuo conſenſu factus, unde ceſſante hæreſi, periculo peccati, ſævitia & morbo &c. cohabitatio ſeperata rurſus reſtaurari debebit, non vero ceſſante adulterio; quia fides conjugalis ſemel violata ſemper manet violata; nam ſi Apoſtolus ad Corinth. potuit concedere temporalem ſeparationem conjugum ex conſenſu cauſa orationis, poruerunt utique Pontifices aliis ex juſtis cauſis eandem concedere præſertim ob periculum corporis & animæ.

Dices Can. *concubuiſti*. C. 32. q. 7. Zacharias Pontifex dicit: *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ? Si feciſti neutram habeas; & ſi illa, quæ uxor tua fuerit, conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult nubat in Domino, cui velit;* hoc idem habet Can. *uxor*. C. 32. quæſt. 7. teſtimonio Divi Ambroſii, præſertim de viro quod liceat aliam ducere licèt uxori adulteræ id non liceat. Tandem etiam quid ſimile conceditur Can. *ſi qua mulier*. 31. q. 1. ſi aliqua mulier contra virum ſuum conſilium ad homicidiom tentavit poteſt eam dimittere & aliam docere.

Contra: Tales textus ſunt intelligendi; Primus ut aliam ducat poſt mortem illius viri, & hoc ideo qoia aliqui loco pœnitentiæ jubebantur aliquando etiam mortuo conjuge à nuptiis abſtinere, vel eo vivenre ſi tantum erat ſpooſa de futuro ut dicit gloſſa in illum Canonem. Secundus vero & rertius textus intelligendus eſt de permiſſione ad evitanda majora mala, ſicut etiam concedimus aliquas leges principum repudia & alia mala permittentes. Imò ipſemet Gratiaous in C. *quod propoſuiſti* 32. q. 7. dicir illum caoooem *uxor*, non eſſe ipſius D. Ambroſii ſed ab hæreticis impoſitum.

Dices: Loco repudii antiqui ſucceſſit divortium Novi Teſtamenti: ergo ſi ob repudium antiquum ſolvebatur vinculum matrimonii, ita etiam ob divortium novum cum hac ſola differentia, quod illud ex pluribus cauſis licuerit, hoc vero ſolum cauſa fornicationis ſit permiſſum.

Contra neg. ant. nam non omnino ſucceſſit loco repudii, hoc enim Chriſtus ibi voluit abſolutè tollere, ſed ſolum quoad aliqua ſucceſſit, in quantum ſofficit ad puniendam fractionem fidei matrimonialis, ad quod ſufficit ſeparatio quoad thorum.

QUÆSTIO VI.

An matrimonia contracta per procuratorem aut epiſtolas ſint valida & Sacramenta?

ADvertendum eſt 1. Quæſtiooem hic 1
eſſe etiam poſt Tridentinum, an inrer abſentes poſſie contrahi matrimonium ſub ratione contractûs & etiam ſub ratione Sacramenti. Contrahentes autem tales per procuratorem vel epiſtolas non debent dici ſimpliciter abſentes; nam quamvis phyſicè ſint abſentes, moraliter tamen ſunt præſentes, interim tamen ut procurator dicatur legitimè contrahere nomine ſui principalis matrimonium 4. requiruntur conditiones; prima eſt quod habeat ſpeciale mandatum, & nominatim ad matrimonium ineundum, & noo ſufficit mandatum generale ad omnia oegotia tam extra quam intra judiciom, cum cooceſſio generalis non extendatur ad caſus graviores vel majores ſed ad ſimiles ſolum expreſſos ut habetur io Clemeot. *non poteſt* de procuratoribus & C. *fin*. de procuratoribus in 6. Imò hoc & reliquas conditiones extendit Sanchez ad ſponſalia, cum ſit diſpoſitio & via ad matrimonium ur habetur leg. *oratio* ff. de ſponſalibus. Secunda eſt, ut hoc mandatum ſit ad contrahendum cum certa perſona, & non cum quacuoque, ur dicit gloſſa in C. *fin*. de procurat. io 6. & habetur *leg*. 34. ff. *de ritu nuptiarum*. Tertia eſt, quod procurator per ſe ipſum exequatur cootractum nomine ſui principalis nec poſſit alium ſubſtituere niſi expreſsè ad hoc habeatur mandatum & iterum expreſsè habetur cit. C. *finali* in 6. Quarta eſt, ut tempore, quo procurator contrahit, poteſtas non ſit revocata, quamvis revocatio lateret procuratorē & alterum conjugem, nam tale matrimonium eſſet irritum, ut expreſse iterum habetur cit. C. *finali* in 6. quod iterum eſt ſpeciale in matrimonio contra regulam juris petentem procuratorem cooſtitutum ad oegotia certiorem faciendum eſſe de revocatione, ut hæc proſit, ut habetur C. *ex parte* de reſcriptis, cujus ſpecialitatis ratio eſt, quia in cæteris contractibus poteſt jus ſupplere conſenſum contrahentium, illiſque renitentibus transferre dominium, non verò id fit in matrimonio, ubi ſi deficiat unius partis conſenſus nullo modo ſubſiſtere poteſt. Imò in foro conſcientiæ ſufficeret revocatio ſolum interna, quamvis in foro externo requireretur probatio à revocante per teſtes.

Advert. eſt 2. Procuratoria contrahen- 2
tis matrimonium talia debere eſſe verba: v. g. meus principalis conſentit in te, vel accipit te in

in uxorem vel virum me mediante, aut recipio te in maritum vel uxorem in nomine talis vel talis perſonæ ut videre eſt apud Sanchez. Unde ſiquis tunc, quando mandatum dedit, conſenſum finxit, tempore tamen, quo procurator nomine ejus contrahit, habet verum conſenſum, valebit matrimonium; quia conſenſus tunc exigitur, quando matrimonium conficitur, ut dicit Henriquez de matrimonio, adeóque quocunque tempore intermedio eſſet diſſenſus, nihil refert, dummodo tempore, quo celebratur matrimonium adſit conſenſus. Præterea diverſitas ſexuum in procuratoribus ad contrahendum matrimonium eſt impertinens, quare duo viri vel duæ fœminæ poſſunt eſſe contrahentium procuratores, nam diverſitas ſexuum ſolùm requiritur in iis, qui junguntur matrimonio ut ait Ledeſma.

3 Propoſitio 1. *Si procurator mandati fines excedat v.g. ſi datur mandatum contrahendi certâ conditione conſtitutâ & procurator contrahat tali conditione non obſervatâ nihil prorſus valet matrimonium;* Ratio eſt, quia mandatum ad unguem ſervandum eſt. Leg. *diligenter* ff. mandati. & C. *cum olim*. extrav. de officio judicis & poteſtate delegata. Quia qui limites poteſtatis ſibi traditæ excedit, poteſtate privatus cenſeri debet, docet Menochius *de recuperanda poſſeſſione* remedio 8. niſi ad illum exceſſum tacuerit principalis juxta illud commune, qui tacet conſentire videtur.

Nec dicas: Si diceretur in mandato, do tibi facultatem contrahendi matrimonium ſervatâ formâ Tridentini. Procurator verò contraheret omiſſis denuntiationibus valeret matrimonium, ubi tamen excederet limites mandati: ergo.

Contra neg. 2. partem ant. quia in commiſſione juris communis quoties exprimitur eodem modo, quo juri communi ineſt, tunc non eſt ex parte mandantis inducendi novam formam & conditionem, à qua vellet dependere valorem matrimonii, ſed eſt ſolùm quædam admonitio, ut ſervetur forma juris, aſſignatio verò v.g. dotis non eſt juris communis, ſed ipſius principalis contrahentis, & ideo eſt conditio à qua cenſetur velle dependere valorem matrimonii. Unde juxta hanc diſparitatem eſt intelligenda illa lex *à teſtatore*. ff. de conditionibus. Scilicet *ablativus abſolutus importat conditionem*, nam hoc verum eſt, quando illo ablativo abſoluto non exprimitur forma juris communis eo modo quo ineſt juri.

4 Propoſitio 2. *Nunc poſt Tridentinum non requiritur ad matrimonium contrahendum per procuratorem, ut ei detur commiſſio coram parocho & teſtibus:* Ratio eſt quia Tridentinum ſolùm irritat matrimonium quando ipſemet contractus non celebratur coram parocho & teſtibus; ſed mandatum contrahendi non eſt ipſe contractus; ergo non petit eam ſolemnitatem, nam leges novæ ita ſunt interpretandæ, ne antiquas corrigant, quamvis à propria verborum ſignificatione recedatur, maximè ſi verba non improprientur, non autem à nobis impropriè fieri dicitur, quod de mandato noſtro fit, ut conſtat L. 1. ff. de acquirenda poſſeſſione, ubi poſſeſſio tam per nos, quam per procuratores acquiritur.

Nec dicas: Solemnitas requiſita ad aliquem actum eſt etiam neceſſaria ad dandam commiſſionem faciendi illum actum ſic in jure Hiſpanico Leg. 36. *tauri, hodie* L. 13. t. 4. L. 5. recop. diſponitur eadem ſolemnitas requiri in mandato conficiendi Teſtamentum quæ exigitur in ipſo Teſtamento; quia eadem videtur eſſe ratio & effectus in conſequenti, quæ ſunt in antecedenti, ideo cum jus pro vitanda falſitate in teſtando certam petat ſolemnitatem merito etiam illam petit in mandato ad teſtandum nomine alterius: ergo.

Respondeo neg. ant. Ad ejus legem dico, ibi eſſe ſpecialem diſpoſitionem juris primò ad evitandas fraudes commiſſariorum. Secundò quia tale mandatum nomine alterius non tam dicitur commiſſio ad teſtandum, quàm ipſum teſtamentum, ſuccéditque loco teſtamenti, quia continet inſtitutionem hæredis, ſubſtitutiones, exhæredationes &c. aſt mandatum contrahendi matrimonium non ſuccedit ipſo jure in matrimonium, ſi mandatarius omittit contrahere, benè tamen, ſi mandatarius teſtamenti omitteret inſtituere, ipſum jus id ſuppleret tanquam factum. Lege 33. *tauri, hodie* L. 7. t. 4. L. 5. recop. His itaque propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem. *Contractus matrimonii per procuratorem ante Concilium Tridentinum fuit validus & etiam modo poſt Tridentinum eſt validus.* Eſt quoad primam partem Scoti in 4. Diſt. 26. q. un. §. *ad ſolutionem* circa finem. Et quoad ſecundam partem eſt communior. 5

Probatur 1. pars. Tum quia C. *fin.* de procuratoribus in 6. & Can. *honorantur* cauſa 32. quæſt. 2. & Leg. *ſufficit* ff. de ſponſalibus habetur, inter abſentes æquè ac præſentes matrimonium contrahi poſſe: ergo. Tum quia Chriſtus elevans matrimonium ad dignitatem Sacramenti non immutavit naturam contractûs; ſed hæc eſt, quod poſſit inter abſentes celebrari per procuratorem: ergo.

Probatur 2. pars. Tum quia praxis totius Eccleſiæ eſt, quod etiam modò poſt Tridentinum celebrentur matrimonia Principum & Regum per procuratores eſſetque intolerabilis error in Eccleſia tot matrimonia eſſe irrita. Tum quia finis Decreti Tridentini irritantis matrimonia clandeſtina non eſt alius, quam ut matrimonium notum ſit in Eccleſia poſſitque probari, ne aliud publicè, aliud verò occultè contrahatur, ut conſtat ex iſto Tridentino c. 1. Seſſ. 24. ſed quando celebratur per procuratorem coram Parocho & teſtibus 6

ſtibus huic fini ſatisfit, ut patet etiam in al' contractibus: ergo.

7 Addo etiam poſt Tridentinum matrim nia contracta per epiſtolas eſſe valida in s duobus concurrentiis. Primò ſi mittens epi- ſtolam ſcribat, ſe non ſolum facere ſui cor- poris traditionem, ſed etiam ex tunc tradio- nem per alterum faciendam ſibi accepire, tunc enim ſi epiſtolâ lectâ coram Paroco & teſtibus alter conſentiat, jam utriusque tradi- tio & acceptatio fit coram Parocho conſe- quenter matrimonium ſit validum. Secundo ſi recipiens epiſtolam reſcribat mittenti, ſe ac- cepiſſe litteras, in quibus vult ipſum conju- gem & ſimiliter ſe ipſam velle tunc hâc epi- ſtolâ reſcriptâ lectâ coram Parocho & teſtibus recipiens coram illis conſentiat jam mutua tra- ditio & acceptatio conſtat Parocho & teſti- bus, & ideo contractus erit validus, hinc quando deinde contrahentes per litteras vel procuratorem, dum ſimul conveniunt in fa- cie Eccleſiæ iterum contrahere dicantur, tunc non fit contractus matrimonialis ſecundò ſed ſolùm prior ratificatur ad ollendos multos ſcrupulos & inconvenientia.

8 Objicies: Jus antiquum fuit correctum per jus novum Tridentini clandeſtina matri- monia irritantis: ergo ſaltem modò non ſunt valida talia matrimonia: ant. probatur: Tri- dentinum in ſuo decreto requirit ut Parochus viro & muliere interrogatis eorúmque mu- tuo conſenſu intellecto eos in matrimonium conjungat, ſed hoc non fit in matrimonio per procuratorem contracto, in quo non contra- hentes, ſed procurator Parocho fit præſens: ergo.

Reſpondeo neg. ant. Quia Tridentinum ſolum irritat matrimonia clandeſtina, quæ ſine Parocho & teſtibus contrahuntur: ergo non irritat matrimonia, quæ per procurato- rem coram Parocho & teſtibus contrahuntur, ad probam ejus neg. min. Nam ſatis eſt quod hoc fiat per alium, qui præſentat perſonam principalis juxta illud commune, quod quis facit per alium per ſe feciſſe videtur ut habet regula juris 72. in 6.

Dices: Præſentia per procuratorem eſt præſentia ficta & æquivalens ergo cum Tri- dentinum requirat ut Parochus ſit præſens conſenſui contrahentium eidem non ſatisfiet per præſentiam ſolùm fictam. Conſequentia probatur: forma in ſenſu proprio adimpleri debet cap. *ſuſceptum* de reſcriptis in 6. ubi gloſſa aſſignat exemplum de morte, quod de morte naturali & non civili ſit intelligendum, idem habetur Leg. 3. ff. de negotiis conceptis, ſed matrimonium contractum per procura- torem non implet formam Tridentini propriè & ſpecificè: ergo. Min. patet quia conſen- ſus procuratoris non eſt propriè ſed ſolum ficte & æquivalenter conſenſus contrahenti- um: ergo.

Contra tranſmitto ant. neg. conſeq. ad cujus probæ majorem dico, illa allegata jura ſolum probare ita debere eſſe, ubi non eſt aliud jus explicans ſatis eſſe per præſentiam per pro- curatorem, quando vero tale jus adeſt, uti in præſenti adeſt, nemo poteſt negare talem præ- ſentiam ſufficere; cum nulla ejus correctio indicetur, minus à propria verborum ſignifi- catione recedatur, ut diximus propoſitione ſecunda.

Dices: Tridentinum voluit conſulere ma- ximis damnis ex clandeſtino matrimonio con- ſurgentibus, ſed his non occurritur, ſi valeant matrimonia per procuratores cum nulla ſit certitudo de alterius vita & conſenſu, cum po- tuerit obiiſſe vel conſenſum revocâſſe ergo. Contra neg. antec. nam quod ſatis occur- ratur damnis patet ex aſſertione quoad certitu- dinem autem conſenſus dico non requiri ma- jorem certitudinem per procuratorem quam per præſentes contrahentes, ubi utrobique ſolùm certitudo moralis habetur; imò hoc ipſo quod principalis onus probandi ſe revo- câſſe conſenſum in ſe receperit, non videtur cur non poſſit ſufficere talis conſenſus. Cæ- terùm licèt principalis neque conſentiat ne- que diſſentiat, ſed in aliis occupatur, quando procurator matrimonium contrahit adhuc validè contrahitur, quia prior conſenſus durat virtute, cum non ſit obex contrariæ volunta- tis, ſicut qui prius baptizari voluit ſi dormiens baptizetur verum reciperet baptiſmum ut ha- betur C. *majores* de baptiſmo; hinc pariter valeret matrimonium, ſi interea principalis in- cideret in amentiam, cùm maneat prior con- ſenſus non revocatus, non tamen Sacerdos ſi audita confeſſione amens fieret poſſet abſol- vere aut ipſi ſponſi amentes per ſe contrahere, cum miniſtri Sacramentorum, qui per ſe con- currunt, debeant eſſe actus humani, quales non ſunt in amentia. Secus autem eſt, ſi agunt legitimè per alios. Ex quo patet pro- curatorem tamen dum contrahit debere eſſe rationis compotem.

Dices: *Leg. obligari* ff. de authoritate & conſenſu tutorum. Tutor ſtatim in ipſo ne- gotio præſens debet fieri auctor ſi hoc pupillo prodeſſe æſtimaverit, poſt tempus verò vel per epiſtolam interpoſita authoritas nihil agit: ergo ſicut in negotiis pupilli non ſufficit præ- ſentia ſubſtituta tutoris, ita nec in matrimonio.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia cum habeatur ad Galatas 4. *quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & acto- ribus eſt*, per quod patet jus pupilli eſſe im- peditum & omnia negotia pupilli committi tutori, ſic ob ſingularem induſtriam, quam tenetur de pupillo habere, obligatur intereſſe negotiis pupilli in propria perſona; contra- hens vero matrimonium eſt ſui juris ideo non currit paritas,

Aſſero

9 Aſſero 2. *Matrimonium per procuratorem vel per epiſtolam contractum eſt verum Sacramentum, cujus miniſter aut recipiens non eſt procurator ſed contrahentes principales per conſequens non verba procuratoris, ſed contrahentium prout innoteſcunt ſunt forma matrimonii & procurator eſt ſolum conditio ſine quâ non.* Eſt Scoti aſſertione prima citati.

Probatur 1. pars. Tum quia matrimonium ut contractus & ut Sacramentum eſt idem numero realiter & ſolùm differt penes diverſoa reſpectus nempe, ut reſpiciens vinculom contrahentium dicitur contractus, & ut elevatum à Chriſto ad repræſentandam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia dicitur Sacramentum: ergo utroque modo debet habere eandem naturam & formam & cauſas agentes ac proinde ſi poteſt ut contractus celebrari per procuratorem etiam poterit celebrari ut Sacramentum. Tum quia matrimonium contractum per procuratorem eſt ratum & indiſſolubile: ergo eſt Sacramentum & C. *fin.* cauſa 28. q. 8. matrimonium infidelium dicitur legitimum, ſed non ratum ac indiſſolubile; quia non eſt Sacramentum.

10 Probatur 2. pars. Matrimonium per procuratorem contractum eſt univocè matrimonium cum eo, quod per propriam perſonam contrahitur; non enim eſt duplex matrimonii Sacramentum: ergo habet eandem materiam & formam & miniſtrum, ex quo præterea patet, quod ſicut ibi materia & forma eſt ubi Sacramentum recipitur ita cum in principalibus contrahentibus recipiatur matrimonium, etiam in ipſis debet eſſe materia & forma.

11 Objicies: Perfectio & receptio Sacramenti eſt quædam actio perſonalis, ut conſtat in omnibus aliis Sacramentis, ſed talis actio ſemper præſentiam miniſtri & ſuſcipientis requirit: ergo.

Reſpondeo diſtinguendo maj. Eſt actio perſonalis vel ſimpliciter vel ſecundum quid C. ſemper perſonalis ſimpliciter neg. maj. & ſic diſt. min. nego conſequentiam: adeóque concedo in aliis Sacramentis eſſe actionem perſonalem, ita ut nullo modo per ſubſtitutum exerceri poſſint, matrimonium tamen quamvis in ratione contractûs & Sacramenti ſit actio perſonalis non tamen eſt ſimpliciter talis; quia ſequitur naturam aliorum contractuum, qui etiam per ſubſtitutum poſſunt perfici, adeóque ſolum erit actio perſonalis in hoc ſenſu, quòd nulla alia perſona præter contrahentes perficiat & recipiat Sacramentum.

Dices: nequit conſecrari hoſtia abſens; quia in forma conſecratoria pronomen demonſtrativum *hoc*, quod denotat materiam præſentem, non verificaretur, ſed etiam in forma matrimonii ponitur duplex pronomen demonſtrativum *ego te* ut conſtat ex cap. licèt de ſponſa duorum; ergo non poteſt ut Sacramentum celebrari inter abſentes.

Contra neg. cauſalem maj. ſed ideo quia materia aliorum Sacramentorum debet eſſe ſenſibilis; hoſtia autem abſens ſenſibilis non eſt. Imò nec verum eſt pronomen *hoc* in forma conſecratoria denotare hoſtiam ut docetur à Scotiſtis de Euchariſtia.

Dices: Quamvis Sacramento pœnitentiæ, prout eſt quoddam judicium, non repugnet perfici in abſentia pœnitentis, repugnat tamen quatenus eſt Sacramentum, ergo etiam hoc repugnabit matrimonio prout eſt Sacramentum.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia licèt judicium forenſe & externum poſſit eſſe inter abſentes, cum ibi diverſi ſint reus, teſtis & accuſator, non tamen judicium ſacramentale & internum poteſt eſſe inter abſentes, cum in hoc idem ſit reus, teſtis & accuſator: & præterea requiritur Confeſſarium intelligere diſpoſitionem pœnitentis, quod in abſentia non poteſt contingere; ideo non ſolum ea parte quâ Sacramentum eſt, ſed etiam eâ, quâ judicium internum & ſacramentale eſt, repugnat abſolutionem præſtari abſenti, matrimonio verò id minimè repugnat, quatenus contractus eſt: ergo nec quatenus Sacramentum eſt, cum ratio Sacramenti naturam contractûs non immutet.

Dices ex hoc ſequi, quod dormiens vel amens reciperet gratiam vel etiam peccaret ſuppoſito, quod eſſet in ſtatu peccati mortalis dum eo tempore procurator ejus nomine contraheret; ſed hæc videntur eſſe inconvenientia: ergo.

Contra neg. min. Nam etiam ſimile quid contingit in eo qui volens baptizari, baptizatur dormiens vel bene diſpoſitus vel in peccato. Cæterum fateor principalem ſub peccato mortali obligari eſſe in gratia eo tempore, quo veroſimiliter æſtimat procuratorem ſuo nomine contracturum, imò ſi prorſus ignoraret quo tempore matrimonium ſit contrahendum, vel tenetur toto tempore eſſe diſpoſitus vel tenetur non mittere procuratorem, quia Sacramentum cum debita diſpoſitione ſub culpa lethali eſt dignè ſuſcipiendum, quamvis etiam Scotus & Lopez talem excuſent à peccato.

DISTINCTIO XXI.

De neceſſitate & objecto conſenſus ad matrimonium requiſiti.

QUÆSTIO UNICA.

An nequeat eſſe matrimonium ſine conjugum conſenſu & quodnam hujus ſit objectum?

ADvertendum eſt 1. Cum hucusque ſemper dictum ſit conſenſum conju- 1

gum

gum eſſa de eſſentia matrimonii, nam eſt ejus unica cauſa; hinc merito de conſenſûs naeceſſitate naturâ & objecto accuratius inſpiciendum venit, poteſt ergo dupliciter conſenſus ad matrimonium concurrere, primò formaliter, quatenus eſt contractus; hic enim eſſentialiter coaleſcit ex reciproco utriusque conjugis conſenſu ſenſibili. Secundò efficienter, quatenus matrimonium aſt vinculum ax præcedenti contractu relictum; interim tamen quamvis mutuus conſenſus ſit cauſa formalis reſpectu contractûs, attamen in quantum eſt cauſa contractûs eſt ſimul etiam cauſa moralis Sacramenti & ſimol gratiæ ſanctificantis & auxiliorum opportuno tempore conferendorum ac etiam vinculi conjugalis, quod tranſacto contractu perſeverat inter conjuges, ideo hic meritò quæri poteſt, an poſſit matrimonium fieri ſine omni conſenſu, ſeu an DEUS poſſit in matrimonium conjungere conjuges ſine illorum conſenſu.

2 Advertend. eſt 2. Pro ſecunda quæſtionis parte: per objectum conſensûs matrimonialis nihil aliud intelligi quam idipſum, quod conſenſui matrimoniali objicitur, ſeu ſuper quod cadit talis conſenſus; conſtat autem ſufficienter ex dictis quod ille conſenſus cadat ſupra dominium corporum conjugum in ordine ad propagationem naturalem ſpeciei, quæ habetur per copulam carnalem, unde oritur difficultas, an qui conſentit in contractum matrimonii, debeat habera explicitum & expreſſum conſenſum in copulam, an vero ſufficiat conſenſus implicitus & virtualis? Qui virtualis iterum duplex eſt ſcilicet virtualitate operis ſeu contractûs, nam hoc ipſo, quòd matrimonium ordinetur ad mutuum jus & dominium corporum, & hoc dominium ad licitum uſum corporum. Sic etiam, qui conſentit in matrimonium virtualiter virtualitate contractûs conſentit in copulam & virtualitate operantis ſeu contrahentis qui conſenſus virtualis eſt formalis actualis expreſſus manens tamen in virtute & de hoc utroque conſenſo virtuali eſt difficultas, an primus vel ſecundus requiratur ad matrimonium.

3 Advertend. aſt 3. Hic in ordine ad conſenſum juriſtas præſertim ex jure civili multum immiſcere de conſenſu parentum ad matrimonium requiſito ut Leg. 2. ff. de ritu nuptiarum dicente: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes, qui coëunt, quorúmque in poteſtate ſunt*, hoc autem ut notat gloſſa Baldi intelligendum eſt non pro forma ſubſtantiali matrimonii & validitate, ſed pro juſtitia quadam publicæ honeſtatis, ne videlicet filii aut filiæ familias inconſiderata matrimonia inirent, quibus aliquam notam poſſint toti familiæ inurere; cum enim in parentes redundet nota filiorum ex indigno matrimonio, ad eosdem etiam debuit pertinere proſpicere, ne per hujusmodi connubia tota ſoboles denigretur, interim tamen parentes non poſſunt cogere filios ad matrimonium, ſed debent eorum libertati hoc relinquere; quia in matrimonio eſt quaſi perpetua ſervitus, & ideo cum filius ſit liberæ conditionis, nequit à patre compelli ad hanc ſervitutem ſcilicet coactione abſoluta & metu cadente in conſtantem virum, ſecus foret coactione modicâ & increpatione paternâ. Nec obſtat lex 2. C. de patribus. Quod parentes in neceſſitate conſtituti filios ſuos poſſint libertate privare & vendere, nam talis ſervitus non aſt perpetua ſicut in matrimonio; poteſt enim filius redimi, nec etiam talis ſervitus exigit mutuum amorem ſicut matrimonium, adeóque parentes non poſſunt filios obligare ad matrimonium, niſi filius aliunde teneatur tale inire ſecluſo præcepto parentis v. g. virtute pietatis filium obligantis conſulere indigentiæ parentum, nam extra caſum indigentiæ filii ſunt ſui juris: vel juſtitiæ, ut ſi filius jam ante alicui promiſiſſet matrimonium, pater poteſt illum cogere.

4 Advert. eſt 4. Ex Tridentino Seſſ. 24. c. 9. latam eſſe axcommunicationem ſuper injuſtè impedientes matrimonium, quia id prohibet ſub anathemate ly autem anathema ſæpiſſimè ſumitur pro excommunicatione majori ut probat Covarruvias in C. alma mater 1. parte §. 8. Gregorius tamen XIII. declaravit illis verbis non comprehendi privatas perſonas aut parentes, ſed ſolum dominos temporales & Magiſtratus aut Epiſcopos impedientes matrimonia: interim tamen etiam parentes & privatæ perſonæ peccant graviter, ſi minis inducunt invitos contrahere & tale peccatum poſſunt ordinarii locorum excommunicatione ferire. Si tamen adeſt juſta cauſa ut quia matrimonium indignum eſt, non peccant parentes aut Principes impedientes mediis ſuavibus abſque vi & metu matrimonium ut habetur L. *nec filium*. C. de nuptiis; cum hoc non ſit cogere, nec impediatur filius quin aliud dignum inire poſſit; dicitur autem matrimonium indignum, quando unus conjugum indignus eſt matrimonio alterius nempe ille, qui turpi indignitate eſt affectus, ut ſi ſit infamis juxta mores patriæ, non verò, qui eſt imparis conditionis: duplex autem eſt indignitas prima eſt animi, ut ſi conjunx malis moribus ſit imbutus, v. g. meretrix, Leno, ſunt perſonæ indignæ, ut habetur Lib. 7. Decret. de Lenonibus. Secunda aſt fortunæ, ut ſi una conjunx ſit notabiliter pauperior, niſi in alio ſuppleatur, v. g. non ſit nobilior, virtuoſior &c. Tertia eſt impedimenti, in quo non eſt diſpenſatum, quia nuptiæ debent eſſe convenientes de jure & de facto L. *ſi rogatus* ff. de manumiſſis vindicta.

5 Advert. eſt 5. Econtra etiam quamvis filii vel filiæ inſciis & inviſis parentibus validè contrahant matrimonium, communiter tamen peccant, ſi illis inconſultis contrahunt,

cum

cum conveniens ſit, quod liberi in re tanti momenti conſulant parentes magis experimentatos, imò uſu receptum eſt, quod parentes judicent ſe contemni ſi prætereantur, hinc datur ipſis occaſio gravis offenſæ & peccatorum non ſine ſcandalo; præterea hoc fundatur in patria poteſtate, cui jure divino & naturali debetur providentia vitæ & ſtatus. Interim tamen ſi Filii dignè contrahunt, cum parentes non poſſint juſtè contradicere, & etiamſi contradicant, non obligantur filii obedire, non peccant ſaltem graviter; ſecus tamen eſt, ſi contraherent indignè, tunc enim peccarent graviter contra pietatem, ut legitur de Eſau Geneſ. 26. cum quadragenarius acceperit uxorem de filiabus Canaan cum gravi offenſione Iſaac & Rebeccæ parentum. Præterea etiam quando multùm intereſt parentum, ut filius tale ineat matrimonium ſuppoſito, quod matrimonium inire eligat, tenetur ſub mortali tale matrimonium inire & parentibus obedire; quia virtute pietatis tenentur filii ſubvenire parentibus in neceſſitate, tunc autem multùm intereſt parentum tale matrimonium filii, quando hoc eſt medium ad graves inimicitias componendas inter patrem vel conſanguineos eorum, cum quibus eſt contrahendum. Matrimonium, vel quando eſſet ad ſuſtentationem parentum neceſſarium matrimonium filii. Hinc in caſu; quo ob indigentiam parentum tenetur filius abſtinere à religionis ingreſſu, ſi ſe offerret locuples matrimonium filio, in eo etiam tenetur filius illud inire; cum eſſet medium neceſſarium ſubventioni parentum cui aliter non poſſet conſulere. His notatis:

6 Propoſitio 1. *De jure Eccleſiaſtico ad validitatem matrimonii conſenſus parentum nunquam fuit requiſitus.* Ratio eſt ex C. *cum virum* de Regularibus, ubi Clemens III. ait: *Puella quæ in ætate nubili noſcitur conſtituta; tunc enim, quia liberum habet arbitrium, in electione propoſiti ſequi parentum non cogitur voluntatem.* Item Can. *ſufficiat* cauſâ 27. q. 2. *Solus ſecundum leges eorum conſenſus de quorum conjunctionibus agitur ſufficiat.* Imò nunc poſt Tridentinum de fide eſt, conſenſum parentum non requiri, ut definitur Seſſ. 24. in Decreto de reformatione matrimonii cap. 1. quo decreto cenſentur correctæ & abrogatæ omnes leges civiles, quæ ejuſmodi conſenſum requirebant. Hinc ultra regulariter loquendo non tenetur filius implere ſponſalia, quæ abſque ſuo conſenſu pater promiſit ut docet Scotus in 4. Diſt. 39. q. 1. quia quoad matrimonium filius eſt liber & ſui juris, unde cap. 1. de deſponſatione impuberum, id ubi dicitur: *Poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc implere.* Intelligi debet de debito honeſtatis non præcepti rigoroſi.

Nec dicas: Can. 1. cauſa 30. q. 5. Evariſtus epiſtolâ 1. ad Epiſcopos Africæ vocat matrimonia ſine conſenſu parentum irrita, adulteria, ſtupra & fornicationes: ergo jure Canonico conſenſus parentum requiritur ad validitatem matrimonii.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Evariſtus ibi ſolum loquitur de honeſtate non verò de valore matrimonii, nam Bellarminus Lib. 1. *de Matrimonio* cap. 19. multa adducit exempla veteris legis, præſertim de Jacob & Tobia, qui aliquas uxores duxerunt inſciis & ignorantibus parentibus in alienis regionibus, quæ tamen non fuerunt à parentibus irritata aut pro invalidis agnita.

7 Propoſitio 2. *Simpliciter loquendo non poſſunt parentes etiam ex jure Cæſareo exhæreditare filias aut filios, qui ipſis invitis contrahunt matrimonium etiam indignum:* Ratio eſt; quia leges talem exhæreditatem ſtatuentes ſunt abrogatæ per leges canonicas, quæ in quantum poſſunt libertati matrimonii conſulunt ut patet ex C. *gemma* de ſponſalibus & Tridentino Seſſ. 24. cap. 9. *de reformatione* ubi maxime nefarium dicitur directè impedire vel etiam indirectè libertatem matrimonii, per exhæreditationem autem indirectè impeditur. Tum quia tales leges videntur diſponere de rebus ſpiritualibus contra poteſtatem Eccleſiaſticam, quod validum non eſt. Vide Gobath Tract. 3. n. 108.

Nec dicas: Similes leges ſunt latæ propter bonum commune, ut conſervetur pax & concordia inter cives: ergo verè adhuc habent vim legis conducentis.

Reſpondeo neg. conſeq. Quia bonum commune & utilitas publica non confert juriſdictionem Laicis, ut poſſint aliquid ſtatuere in præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ, quod tamen contingeret in noſtro caſu, unde illæ conſtitutiones civiles non habent propriè vim legis, etiamſi Principes eas tulerint ad honeſtatem perſuadendam; quia Laici carent vi legislativâ in cauſis matrimonialibus, ex quo etiam patet ſtatutum quod punit contrahentes matrimonium cum hominibus alterius civitatis infringere libertatem Eccleſiaſticam & non eſſe validum.

8 Propoſitio 3. *Poſſunt tamen parentes exhæreditare filiam, quæ ipſis invitis nubit ſub his tribus conditionibus.* Prima ſi parentes illam voluerunt matrimonio collocare & dotem ſecundùm vires tradere. Secunda ſi filia illi matrimonio repugnaverit, & ſimul luxurioſam vitam elegerit. Tertia ſi ſit minor 25. annis completis. Ratio eſt ex authentica, *ut cum de appellatione cognoſcitur*, ſemper autem præſumendum eſt, parentes velle maritum & dotem filiæ vel nepti tradere, quando contrarium aliunde non conſtat, quia plus filios quam ſe ipſos diligunt ut habetur Leg. *iſti.* ff. de eo quod metus cauſa. Nec tamen eſt neceſſe, quod pater obtulerit filiæ maritum ante 25. annum, ſed ſufficit, quod nunquam impediverit; nam in authenticâ citatâ datur

ratio

ratio, quare poſt 25. annum non poſſit filiam exhæreditare, quia non ſua culpa ſed parentum id commiſiſſe cognoſcitur, nam pater non videtur negligens nec culpæ reus uſque ad illam ætatem, ut patet ex authentica *ſed ſi poſt* C. de inofficioſo teſtamento. Unde quando patre nondum negligente maritare filiam; quia ipſa non eſt 25. annorum, filia luxurioſè vixerit, aut ſine conſenſu parentum marito libero ſe tamen adjunxerit aderit ſufficiens cauſa exhæreditandi filiam; non tamen ſatis eſt, ſi ſemel aut bis fornicata fuerit, nec etiam requiritur, ut agat publicam meretricem ſed ſufficit, ſi filia malè vivat meretricando luxurioſe. Imò etiam pater luxurioſus poteſt adhuc illam filiam luxurioſam exhæreditare. Quia infamia & damna inde ſecuta non ita vituperantur in viris quàm in fœminis, non tamen mater luxurioſa poſſet filiam ſuam ſimiliter luxurioſam exhæreditare, niſi mater ſit correcta, quia alias mater pari turpitudinis vitio afficitur ut habetur L. *in arenam* Cod. de inofficioſo teſtamento.

Nec dicas: Filius etiamſi luxurioſe vivat, & renitentibus parentibus matrimonium ineat, non poteſt exhæreditari per illam authenticam citatam: ergo neque filia ita vivens & contrahens.

Reſpondeo neg. conſeq. quia cum illa authentica & aliæ leges ſolum loquantur de filiabus & cum exhæreditatio ſit cauſa odioſa, multóque gravius delictum ſit in fœmina vita luxurioſa quàm in viro non debet extendi ad filium, ut etiam loquitur gloſſa in cap. *quinta vallis*. de jurejurando. His itaque propoſitis:

9 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Quamvis modò de potentia DEI ordinariâ ad matrimonium tum in ratione contractûs quam vinculi ſit requiſitus contrahentium conſenſus, de potentia tamen abſoluta poſſet DEUS virum & fœminam tradendo mutuum jus in corpora conjungere ad propagationem prolis abſque eorum conſenſu & ipſis invitis ac inſciis, quæ conjunctio licet non eſſet contractus matrimonialis, eſſet tamen vinculum matrimonii conjugale.* Eſt Scotus in 4. Diſt. 26. q. un. §. *ad ſolutionem* contra Sanchez & Brancatum noſtrum.

Probatur 1. pars. Tum quia defacto matrimonium eſſentialiter eſt conjunctio animorum & contractus ſeu tractus duarum voluntatum; ſed conjunctio animorum & contractus abſque mutuo conſenſu contrahentium haberi non poteſt: ergo. Tum quia matrimonium eſt eſſentialiter traditio ad ſtatum matrimonialem voluntaria & libera ſicut votum ſolemne eſt traditio ad ſtatum religionis: ergo ſicut hoc nullâ ratione fieri poteſt abſque voventis conſenſu, ita etiam dicendum eſt de matrimonio.

10 Probatur 2. pars: Regula generalis Theologorum eſt, quod quando agitur de potentia DEI abſolutâ nihil eſt denegandum, niſi ubi apparet manifeſta implicantia, ſed non appareſt talia implicantia in conjunctione viri & fœminæ per DEUM ſine eorum conſenſu: ergo. Min. probatur DEUS eſt æquè perfectè Dominus corporis viri & fœminæ, ſicut ipſe vir & fœmina: ergo ſicut hi ſibi invicem tradere poſſunt dominium mutuum ſuorum corporum. Ita & DEUS.

Probatur 3. pars: Matrimonium ut con- 11
tractus civilis eſſentialiter tanquam per cauſam formalem conſtituitur per mutuum conſenſum tradentium ad invicem poteſtatem corporum, ſed cauſas eſſentiales & formales in genere cauſæ formalis non poteſt DEUS ſuâ potentiâ ſupplere: ergo talis conjunctio non eſſet contractus matrimonii.

Probatur 4. pars, in qua eſt difficultas: 12
Vinculum conjugale matrimonii eſſentialiter conſiſtit in mutuo dominio & perpetuâ obligatione ex illo naturaliter reſultante, cum eo ipſo, quòd uni tradatur dominium & jus corporis alterius, etiam alteri neceſſario ineſt concomitanter obligatio reſpectu ejus, cui traditum eſt dominium, ac proinde qui eſt auctor & cauſa hujus mutui juris, etiam eſt auctor ipſius mutuæ obligationis; ſed poteſt DEUS tale mutuum dominium ponere: ergo eſt conjugale & matrimoniale. Maj. ultra patet, quia defactò nullo alio modo ſe poſſunt conſtringere conjuges vinculo matrimonii, quam invicem illud jus & dominium tribuendo. Min. verò probatur quotiescunque effectus non includit aliquid, quod dicit eſſentialem dependentiam ad propriam cauſam, poteſt talis cauſa à DEO eminenter continente cauſas ſecundas ſuppleri; ſed vinculum conjugale non dicit eſſentialem dependentiam ad proprium conſenſum: ergo. Min. probatur. Conjugale vinculum non conſiſtit in actione phyſicâ, ſed in effectu morali reſultante ex actione phyſicâ, quam ab extrinſeco connotat, nam alias deſtructo conſenſu conjugum deſtrueretur vinculum conjugale, cum nequeat conſervari actualis dependentia actionis à cauſa ſine cauſa, à qua dependet, quod tamen de vinculo manifeſtè falſum eſt: ergo.

Objicies: Conſenſus conjugum eſt de eſ- 13
ſentia ſtatûs matrimonialis: ergo implicat fieri ſine ſuâ causâ proximâ eſſentiali.

Reſpondeo diſtinguendo ant. de eſſentiâ ſtatûs matrimonii ſumpti pro actuali contractu & Sacramento conc. ſumpti pro vinculo conjugali permanente poſt contractum initum neg. quia in hoc ſenſu mutuus conſenſus eſt tantum cauſa efficiens illius ut docet Florentinum; in priori autem ſenſu conſenſus eſt cauſa formalis matrimonii.

Dices: Matrimonii vinculum eſſentialiter ſaltem præſupponit conſenſum & contractum: ergo etiam in ratione vinculi repugnat eſſe ſine illo.

Contra diſt. ant. præſupponit defacto conc. de potentiâ DEI abſolutâ, neg. ant. imo licèt

licet vinculum regulariter ſopponat conſenſum non tamen eſſentialiter cum DEUS talem efficientiam poſſit ſupplere.

Dices vinculum matrimonii eſt mutua animorum conjunctio, ſed talis ſine conſenſu nequit ſubſiſtere: ergo.

Contra neg. maj. quia vinculum matrimonii perſeverat etiam illâ animorum conjunctione deſtructâ, ut patet in divortiis quoad thorum.

Dices: Saltem illa copulatio corporum non tantum efficienter, ſed etiam formaliter pendet à propria voluntate contrahentium, ſicut viſio à potentia viſiva, quæ eſt copulatio cum objecto: ergo.

Contra neg. ant. nam communis Doctorum ſententia fert, conſenſum conjugum eſſe ſolum cauſam efficientem vinculi matrimonialis, quod ab illo diſtinguitur tanquam effectus à ſuâ cauſâ.

Dices: DEUS non poteſt ponere relationem in ſubjecto ſine ratione fundandi, non enim poteſt ponere paternitatem abſque potentia generativa, ſed matrimonium in ratione vinculi eſt mutua relatio, cujus ratio fundandi eſt conſenſus: ergo.

Contra diſt. maj. non poteſt ponere relationem extrinſecùs advenientem ſine aliqua ratione fundandi neg. intrinſecùs advenientem conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſeq. relationes ergo extrinſecus advenientes cum non exurgant ex natura extremorum, ſed per quaſdam approximationes, quæ à variis cauſis fieri poſſunt, ita etiam illa mutua obligatio vinculi matrimonii à variis cauſis poteſt provenire; unde fundamentum relationis vinculi matrimonialis abſolutè loquendo eſt omne id, ex quo poteſt oriri in utroque conjuge mutuum jus in corpora, ſive ſit mutuus contrahentium conſenſus, ut defactò, ſive ſit ſolus conſenſus parentum, ſi Deus ita voluiſſet, ſive ſolum dominium à Deo immediatè conceſſum, ut poſſet de poſſibili contingere, quod totum conſtat exemplô relationis ſervi ad dominum, ejus ratio fundandi etiam poteſt eſſe divina voluntas, quæ ex abſolutô ſuô dominiô poteſt eum tradere in ſervum, cui placuerit.

Dices: ſicut votum ſolemne eſt traditio ad ſtatum religioſum, ita matrimonium ad conjugalem; ſed nequit illud eſſe abſque voventis conſenſu, ergo nec hoc.

Contra neg. min. quoad vinculum, nam licèt votum actuale nequeat eſſe abſqua voventis conſenſu, poteſt tamen obligatio eſſe abſque voventis conſenſu, quæ aliàs ſolet conſequi votum, & ſic DEUS poſſet alicui imponere obligationem & præceptum ad id, ad quod ipſe ſe obligat, dum vovet. Licet ergo nequeat eſſe mutuus conſenſus abſque proprio actu conjugum, poteſt tamen eſſe mutua obligatio, quæ alias mutuum conſenſum conjugum conſequitur abſque eorum actu.

Dices: Saltem nullum jus poteſt alicui invito acquiri, licet poſſit auferri ergo ſaltem hoc repugnat conjugibus invitis: ant. patet; nam videtur implicare aliquid incipere eſſe meum ſine meo conſenſu.

Contra neg. ant. ut patet ex L. *ſecunda* & 10. ff. de acquirendo rerum dominio, ubi dicitur etiam invitis nobis per ſervos noſtros acquiri dominium, imò licèt ad uſum juris & dominii requiratur proprius utentis conſenſus, cum dominium exerceri non poſſit ſine libero conſenſu, non tamen ipſe requiritur ad hoc dominium & jus utendi, ſed ſufficit ſuprema poteſtas conferens legitimam facultatem tali jure utendi, eſto nolit eo actu uti, quæ facultas omnino penes DEUM reſidet, ſicut DEUS habet facultatem conferendi potentiam ad operandum, eſto ea nolit uti creatura, quæ facultas oritur ex ſupremo DEI dominio in creaturam & perfectâ ſubordinatione creaturæ ad DEUM.

Dices: Saltem nequit DEUS mutuum jus corporum conjugibus tradere ipſis inſciis, cum nequirent illud exercere ſine peccato, quia ad hoc, ut unus conjunx poſſit accedere ad alterum ſine peccato, debet accedere tanquam ad ſuam, ſed hoc illi conjuges neſcirent: ergo.

Contra neg. ant. cum ſuâ probâ, quamvis ergo, ut tales conjuges abſque peccato poſſint exercere uſum conjugalem, debeant ſcire ſe eſſe à DEO legitimè copulatos, hoc tamen non eſt neceſſe ad ipſum jus & dominium; hinc in caſu inſciorum dico fore neceſſariam revelationem collati juris in corpus alterius in alterum ad evadendam fornicationem non re ipsâ ſed ex conſcientiâ erroneâ, cum altera pars poſſit erroneè putare conjugem exigentem uti jure ſuo, non eſſe ſuum & ſic committere fornicationem ex conſcientiâ erroneâ: ergo ſicut neceſſarium fuit Adamo revelare decretum, quo ſtatuit DEUS totam poſteritatem contracturam originale, ſi ipſe præceptum de uſu pomi prævaricatus fuerit ita etiam opus erit revelatione translationis juris in conjuges ad evitandam fornicationem putatitiam.

Aſſero 2. *Nulla Reſpublica aut Magiſtratus ſive Eccleſiaſticus ſive civilis habet poteſtatem conjungendi aliquos in matrimonio ſine illorum conſenſu.* Eſt communis & Scoti in 4. Diſt. 26. q. un. §. *ad ſolutionem.* 14

Probatur: Tum quia Reſpublica in tantum habet poteſtatem ſupra res & corpora civium, in quantum publico bono expedit, ſed minimè expedit bono communitatis, ut vir & fœmina contra eorum voluntatem matrimonialiter conjungantur; cum hoc ſit contra finem matrimonii, qui eſt ad ſobolis educationem

tionem mutuúmque amorem, qui utique fruſtraretur per coactionem à magiſtratu, nam ut dicitur C. *requiſivit* de ſponſalibus *cum coactiones ſoleant difficiles frequenter habere exitus*, qui utique ſuot contra bonum commune. Hinc Tridentinum Seſſ. 24. de matrimonio cap. 9. excommunicat omnes Principes & Magiſtratus compellentes ad matrimonium: ergo ſupponitur compellere non poſſe. Tum quia nulla Reſpublica poteſt adminiſtrare Sacramenta & ad illa ſuſcipienda obligare cum præjudicio materiæ & formæ, ſed ſi obligaret ad matrimonium independenter à mutuo conſenſu obligaret cum defectu materiæ & formæ, ut de ſe patet: ergo. Tum quia ſi Reſpublica poſſet aliquos cogere ad matrimonium ſine communi conſenſu, ſic poſſet etiam ſuâ authoritate matrimonium diſſolvere, quia res per quas cauſas naſcitur, per easdem etiam diſſolvitur, ſed matrimonium nullâ authoritate humanâ poteſt diſſolvi: ergo.

15 Objicies: Eccleſia aliquando ſub excommunicatione obligat aliquos contrahere matrimonium: ergo poteſt abſolutè & ſimpliciter illos in matrimonium conjungere.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia talis excommunicatio non imponitur, ut inviti ineant matrimonium, nam tale præceptum deſtrueret naturam matrimonii quod maximè liberum eſſe debet, adeóque ſolum imponitur, ut homines inducantur ad ſponte contrahendum matrimonium, ex quo eſt magnum diſcrimen inter hoc matrimonium & aliud ſola authoritate Magiſtratûs factum, nam hoc nequit eſſe ſpontaneum & liberum; nam ſpontaneum non eſt, quod ſolâ voluntate extrinſecâ alterius fit, illud autem adhuc eſt ſpontaneum & liberum, & præceptum ſub excommunicatione eſt ſolum cauſa impulſiva ad talem conſenſum præſtandum; quia dum præſtatur adhuc liberè præſtatur.

Dices: Jus Eccleſiaſticum habet conditiones turpes & impoſſibiles pro non adjectis ſi in matrimonio apponantur cap. *finali* de conditionibus appoſitis: ergo habet poteſtatem faciendi validum matrimonium abſque contrahentium conſenſu. Conſequentia probatur, qui contrahit cum conditione turpi & impoſſibili non habet animum adhibendi conſenſum niſi conditio verificetur, cum ergo nec conditio impoſſibilis nec turpis debeat verificari & Eccleſia tamen velit illas tanquam non adjectas habere, & tale matrimonium admittat ut validum, tunc ſua authoritate abſque conſenſu contrahentium fuit validum.

Contra neg. conſeq. cum ejus probâ: Nam quando Eccleſia tales conditiones vult ut non adjectas, & matrimonium admittit ut validum, non ſupplet conſenſum, ſi re ipsâ non eſt adhibitus, ſed ſupponit tales conditiones non fuiſſe ſerio animo adjectas, ſed ſolum joco vel ſub modo tantum & pacto; unde Eccleſia ſolùm tale matrimonium præſumit ut validum, quia putat talem conditionem non fuiſſe ſeriò appoſitam.

Dices: Poſſunt Principes ob bonum publicum diſponere de rebus ac etiam de vitâ ſubditorum: ergo etiam de eorum corporibus tradendo illis mutuum dominium ad uſum conjugalem.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia contractus matrimonialis perpetuus eſt, & alterius Ordinis, quam res & vita ſubditorum, unde cum ob bonum publicum poſſint compelli ſubditi ad præſtandum conſenſum, ut contrahant matrimonium, nulla poteſt eſſe neceſſitas, ut illos invitos conjungat, cum aliter bono publico poſſit conſuli; ſi ergo ob bonum publicum cogerentur ad copulam carnalem contra eorum conſenſum, tunc copula illa erit actus obedientialis abſque eo quod habeat rationem contractûs vel matrimonii.

Dices: Princeps poteſt cives invitos cogere ad alios contractus v. g. venditiones frumenti: ergo etiam ad matrimonium, cum ubique requiratur conſenſus contrahentium.

Contra negari poteſt antecedens, nequit enim eſſe contractus ſine mutuo conſenſu, cum contractus ſit tractus duarum voluntatum in idem, unde in tali caſo ſolùm eſſet contractus ex parte Principis, qui aliquando habet jus in bona ſubditorum.

Sed contra nego conſeq. diſparitas eſt, quia in aliis contractibus jus poteſt ſupplere conſenſum non vero in matrimonio, cum hoc ejus fini repugnet qui eſt, ut conjuges in mutuis obſequiis & charitate filios procreent, quod inviti nequeunt facere.

Dices: Urgente neceſſitate poteſt Pontifex aliquem cogere ad Epiſcopatum, ubi fit matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam: ergo ob ſimilem neceſſitatem poteſt etiam cogere ad matrimonium corporale.

Contra neg. ant. quia Pontifex non poteſt cogere ad Epiſcopatum independenter à conſenſu epiſcopandi, ſed prius ſuâ authoritate & præcepto, cui obediendum eſt, compellit ad conſenſum.

Aſſero 3. *Nullus conſenſus neque explicitus* 16
neque implicitus & virtualis virtualitate operantis eſt neceſſarius ex parte contrahentium in copulam ad valorem matrimonii, ita ut valor matrimonii poſſit conſiſtere cum voluntate excluſivâ omnis copulæ actualis & cum voto perpetuæ caſtitatis, requiritur tamen conſenſus in copulam virtualis virtualitate operis. Eſt Scoti in 4. Diſt. 30. q. 2. *§. de ſecundo articulo* contra Sanchez & plures alios.

Probatur prima pars 1. Si ad valorem matrimonii conſenſus contrahentis in copulam eſſet neceſſarius, nunquam ſine tali poſſet validè contrahi matrimonium; ſed hoc eſt falſum: ergo. Min. probatur, qui cum expreſſo animo ingrediendi religionem contrahit ante

ante conſummationem, validè contrahit, ſed talis non poteſt habere conſenſum in copulam, cum habeat expreſſum animum ſervandi caſtitatem perpetuum: ergo. Maj. patet ex cap. *commiſſum* de ſponſalibus, ubi Alexander III. ſuadet alicui mulieri, ut propter reverentiam juramenti de contrahendo matrimonio, cum tamen poſtea promiſerit ingredi religionem, prius contraheret matrimonium & poſtea ingrediatur religionem, imò etiam, qui cum ſimplici voto caſtitatis contrahunt, debent habere animum non violandi votum per copulam, ut conſtat ex caſtiſſimo matrimonio Beatæ Virginis & Beati Joſephi voto caſtitatis obſtrictorum, quod votum de Beata Virgine videtur conſtare Lucæ 1. *quomodo fiet iſtud? Quoniam virum non cognoſco*. Et de Beato Joſepho Matth. 1. *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & tamen verum matrimonium ac validum contrahunt, licèt peccent qui voto caſtitatis ſimplici obſtricti ante diſpenſationem contrahunt, quod peccatum non tollit valorem matrimonii.

Probatur 2. ratione Scoti: Dominium rei diſtinguitur abuſu: ergo poteſt fieri, ut quis retineat dominium rei & tamen ſe obliget non uti tali dominio, ut patet exemplo paulò ante dato de juramento ſponſaliorum illius, qui poſtea vovet ingredi religionem vel de adulterâ, quæ habet poteſtatem corporis alterius conjugis, non poteſt tamen habere uſum, ſed hoc ipſo poteſt eſſe explicita volitio juris & dominii in aliquem actum cum explicita nolitione unquam exercendi illum actum; cum poſſit quis illam poteſtatem velle non ut expeditam ſed impeditam ad illum actum: ergo non eſt neceſſe, ut nubentes habeant animum abſolutè ſe obligandi ad copulam, imò potius ſe mutuò obligare poſſunt ad ſervandam perpetuam continentiam, & cum hoc poſſint conjuges facere poſt matrimonium conſummatum, ut omnes concedunt, non videtur ratio, cur non etiam hoc facere poſſint ab initio ante matrimonium contractum. Nec tale dominium ſic impeditum eſſet prorſus inutile & fruſtratorium, nam tale jus adhuc haberet ſuos certos effectus, nam primo conſtitueret eos in tali ſtatu, quod ſi conjuges poſtea ſe cognoſcerent, non peccarent peccato fornicationis ſicut alii ſoluti, ſed ſolum peccato ſacrilegii contra virtutem religionis. Secundò ſi quis cum perſona extranea commiſceretur, etiam committeret adulterium contra virtutem juſtitiæ & fidem matrimonii jam cum ſuo conjuge contracti. Tertiò facit, ne ullus illorum altero ſuperſtite poſſit aliud matrimonium contrahere: ergo non eſt tale dominium inutile. Hinc

Probatur 3. dominium corporis cum perpetuo vinculo ut nunquam ſequatur copula habet omnia ad veritatem eſſentialem matrimonii requiſita: ergo ſine conſenſu in copulam poteſt verum ſubſiſtere matrimonium. Ant. probatur qui dominium cum perpetuo vinculo transfert, duplicem contrahit obligationem, primo nullam aliam cognoſcendi, & ſecundo quidem, cum petat validè etſi non licitè & ex vi juſtitiæ & translatæ poteſtatis manendi obligationem ad reddendum debitum conjugale ſi alter petierit, dico vi juſtitiæ, nam vi religionis ratione voti caſtitatis non obligaretur, ſed maneret perpetuo impeditus ad petendum & reddendum debitum; ſed talis duplex obligatio eſt ſufficiens ad valorem matrimonii, ſi quidem per hanc obligationem matrimonium redditur indiſſolubile ut unâ vivente non poſſit cum aliâ contrahere, nec citra adulterii peccatum aliam cognoſcere: ergo.

Probatur ſecunda pars: Matrimonium eſſentialiter requirit mutuam corporis poteſtatem in alterum translatam, ſed in hac mutua corporum poteſtate per ſe tanquam in causâ & radice includitur jus utendi corpore: ergo qui conſentit in hanc mutuam corporis poteſtatis translationem implicitè & indirectè conſentit in copulam tanquam in terminum neceſſariò importatum per poteſtatem in corpus conjugis translatum, ita tamen ut ipſe conſenſus in copulam ſolùm requiratur ut ſe tenet ex parte contractûs, qui ex naturâ ſuâ tendit & ordinatur ad copulam, & ſic eo ipſo quod contrahentes conſentiant in matrimonium, conſequenter etiam in radice & cauſa ad copulam conſenſum habuiſſe dicuntur, non verò quatenus talis conſenſus ſe tenet ex parte contrahentium. Hinc non eſt verum, quod aliqui Adverſarii dicunt, quòd conſentiens in talem traditionem corporum conſentiat eo ipſo ex parte operantis in copulam futuram; nam ſolùm conſentit in copulam potentialem & poſſibilem, qualis conſenſus ſalvâ ſubſtantiâ matrimonii abeſſe non poteſt, benè tamen in copulam futuram abeſſe poteſt, cum uſus dominii & dominium ſeparari poſſint. 17

Objicies: S. Auguſtinus lib. 19. contra Manichæos cap. 26. dicit: Matrimonium eſſe ex hoc appellatum, quod non ob aliud mater nubat, quam ut mater fiat, ſed ſi mater nubat, ut mater fiat, explicitè conſentit in copulam: ergo. 18

Reſpondeo S. Auguſtinum loqui de eo, quod regulariter accidit, non verò de illo, quod neceſſarium eſſe intendit, imò ſolùm ibi innuit in matrimonio ſequi à contrahentibus mutuum dominium in corpora in ordine ad copulam. An autem per hoc talem copulam intendat formaliter vel virtualiter ſe magis explicat de virtualitate operis, ut refert jus Canonicum Can. *Beata Maria* cauſa 27. q. 2.

Dices: Eugenius IV. ex Divo Paulo 1. ad Corinth. 7. potiſſimum bonum matrimonii aſſignat prolem; ſed ſine implicito ſaltem con-

conſenſu contrahentis in copulam hoc ſtare non poteſt: ergo.

Contra dico Eugenium cum D. Paulo loqui de matrimonio conſummato, cujus potiſſimum bonum eſt proles, non verò de matrimonio rato.

Dices: Cap. *ultimo* de conditionibus appoſitis dicitur: conditio addita contra bonum prolis reddere matrimonium irritum, ſed intentio de nunquam ſubeunda copula eſt maximè contra bonum prolis: ergo.

Contra: Illud cap. intellexit conditionem additam de evitanda ſeu impedienda generatione habendo tamen copulam, quæ conditio utique eſt contra ſubſtantiam matrimonii, eſſentiale enim eſt in matrimonio, ut conjuges ſubeant obligationem non impediendi prolem in copula conjugali; unde ſi contrahentes haberent contrariam voluntatem v. g. aſſumendi venena pro ſterilitate non conficerent matrimonium, hæc autem conditio de non habenda copula ſed ſervanda caſtitate non repugnat ſubſtantiæ matrimonii, aut prolis bono, hoc enim non obligat conjuges, ut dent operam generationi, ſed ſolum dum matrimonio utuntur, ejus generationem non impediant; hinc omnino prima conditio deſtruit implicitè finem matrimonii non ſolum ex parte contrahentium ſed etiam contractûs, non verò ſecunda conditio, quæ ſemper eſt virtualis conſenſus operis ad promovendam generationem prolis virtualitate contractûs.

Dices: contractus conjugalis ideo dicitur talis, quia eſſentialiter ſupponit conjugium inter virum & fœminam, & ſi hoc non ſupponat tunc eſſet contractus puri dominii & non conjugii: ergo eo ipſo quod nubentes contrahunt conjugium debent habere conſenſum in copulam.

Contra vel neg. conſeq. nam ſolum ſequitur, quod nubentes acquirunt dominium in corpora contrahentium, ut ſine fornicationis peccato poſſint invicem conjungi & filios procreare. Vel diſtinguo conſequens: ergo debent habere conſenſum in copulam formalem vel virtualem virtualitate contrahentis neg. virtualitate contractus conc. conſequentiam.

Dices: Matrimonium eſſentialiter conſiſtit in mutuo jure & obligatione petendi & reddendi debitum copulæ; ſed hoc jus non poteſt conſiſtere inter conjuges cum pacto nunquam habendi copulam: ergo matrimonium cum tali pacto nequit validum ſubſiſtere.

Contra vel diſtinguo maj. conſiſtit in illo mutuo jure radicali conc. formali. Neg. maj. & ſic diſt. min. conſeq. vel abſolutè neg. maj. quia matrimonium ſolummodo conſiſtit eſſentialiter in mutuâ traditione & acquiſitione dominii corporum in ordine ad copulam, quod dominium ab uſu ſeparari poteſt, & ſi ſic intelligatur major, tunc debet negari min. nam poteſt haberi illud jus ſine uſu juris ad copulam. Cæterum ille conſenſus virtualis virtualitate operis in copulam in matrimonio B. Virginis nihil habet contrarii veræ virginitatis propoſito, quamvis operi virginitatis omnimodè indiſpenſatæ.

Dices: Contrahens matrimonium in aliquid aliud conſentit quam in mutuam cohabitationem; quia ſic frater & ſoror poſſunt conſentire: ergo in carnalem copulam formaliter, quia nihil aliud videtur addere matrimonium ſuper cohabitationem, ſed in hanc non poteſt conſentire qui vovit virginitatem: ergo.

Contra diſtinguo ant. conſentit in aliquid aliud radicale conc. formale quam in mutuam cohabitationem neg. ant. & ſic diſtinctâ min. ſubſumpta neg. conſeq. quia conſenſus iſte eſt in traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad procreandam prolem radicaliter & per conſequens in uſum ſi petatur, ſed apud S. Joſephum & Beatam Virginem fuit certitudo, quod nunquam iſte uſus à conjuge petetur, ideo à voventibus virginitatem potuit in horum copulam radicalem conſentire. His

Addo quando contractus matrimonii ex defectu conſenſus contrahentium eſſet irritus & nullus, talem contractum debere revalidari per novum conſenſum omnes fatentur, de modo autem gravis eſt difficultas; aliqui enim dicunt ad renovandum ſimilem contractum ſufficere, ſi defectus ex parte illius qui non verè vel legitimè conſenſit, ſuppleatur vel de novo eliciendo conſenſum verum, vel habendo copulam affectu maritali, quæ eſt virtualis conſenſus opere externo redditus ſenſibilis, ut dicit Sanchez, Bonacina & alii: probabilius tamen alii cum Ledeſmo & Felino dicunt neceſſarium eſſe, ut uterque conjugum de novo conſentiat. Tum quia hic contractus ex duplici conſenſu integratur, imò conſenſus contrahentium virtualiter & impliciter includit hanc conditionem, ſi alter acceptaverit, tradiderit vel conſenſerit: ergo quoties hic conſenſus defecerit, contractus fuit irritus & nullus, cum non tranſeat contractus ad eſſe abſolutum, niſi purificetur conditio; conſequenter ut ille contractus revalidetur, neceſſarium eſt, ut uterque conjunx de novo conſentiat: nec tamen opus eſt ut hæc revalidatio fiat coram parocho & teſtibus, quia quando in Tridentino Seſſione 24. C. 1. irritantur matrimonia facta abſque præſentiâ parochi & teſtium ſermo eſt de matrimoniis clandeſtinis, quæ antiquò jure prohibita erant, ex quibus multa incommoda oriri poterant, non autem de matrimonio coram parocho & teſtibus ex aliquo impedimento invalidè celebrato, nam hæc validè celebrantur abſque nova præſentia parochi & teſtium, quia illorum præſentia in caſu defectûs conſenſus habita jam ſufficit ad prædicta incommoda evitanda. 19

Nec

Nec dicas: Conſenſus illius, qui legitimè conſenſit perſeverat habitualiter: ergo accedente novo ſolo conſenſu alterius, qui non verè conſenſit ſufficienter revalidatur contractus matrimonii.

Reſpondeo neg. ant. quia qui legitimè ſemel contraxit, credit contractum jam eſſe perfectum, & ideo deſiſtit ab omni intentione & voluntate noviter contrahendi, nec contrahit exſpectando per aliquam moram conſenſum alterius, ſicut contrahens per procuratorem vel epiſtolas, ſed abſolutè contrahit de præſenti. Aſt ad contractum ſacramentalem requiritur novus conſenſus ut forma, quæ eſt conſenſus utriusque, idcirco etiam neceſſarium erit, ut uterque de novo conſentiat, ut verum dominium corporum mutuò conſequantur.

Dices: ergo talis defectus ſemper eſſet notificandus alteri conjugi, ut de novo poſſit ſenſibiliter conſentire, ſed hoc non ſemper præſtat cum poſſet evenire ut alter conjunx deinde non amplius conſentiat, & cum magno ſcandalo recedat: ergo.

Contra neg. illatum, nam quamvis ita fieri deberet, ubi nullum eſt damnum vel ſcandalum timendum, ut eſſet ſi conjuges valde amarent invicem, non tamen ſemper hoc ita foret manifeſtandum, quia poſſet quis adhibere alium modum ad evitanda graviora mala nempe ille, qui conſenſum omiſit, dicere poſſet alteri parti incitando ad ſpecialem amorem, quod ſi noſtrum matrimonium eſſet irritum, contraheresne mecum hic & nunc de novo? quod ſi diceret ita, poſſet dicere: & ego hic & nunc de novo contraho &c.

Dices: ſi autem altera pars eſſet bona Theologa, & intelligeret hunc modum revalidandi conſenſum & eſſet periculum, quod potius deinde non conſentiret & timeretur magnum ſcandalum, quid tunc faciendum?

Contra dico, in ſimili caſu poſſet amplecti altera ſententia etiam probabilis, quod ſufficiat ſolum de novo ponere conſenſum ex parte unius conjugis, qui priùs illum omiſit.

DISTINCTIO XXII.

De Libertate conſensûs matrimonii.

QUÆSTIO UNICA.

An conſenſus ex vi vel metu præſtitus in matrimonio invalidet matrimonium & quo jure?

1 ADvertendum eſt 1. Scotum in 4. Diſt. 29. q. un. docere, libertatem conſenſûs matrimonialis non tantùm de jure humanô, ſed etiam divinô naturali requiri, quod deducit ex illo Geneſis 24. ubi cum parentes vellent deſponſare Rebeccam, dicit textus: *vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.* Illo autem tempore vigebat jus divinum naturale, quod jus promulgavit Adam dicens: *relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ*, quæ adhæſio non fit, niſi per conſenſum liberum; nemo enim invitus alicui adhærere dicitur. Triplex verò ad præſens eſt libertas. Prima eſt libertas à neceſſitate, quæ eſt, quæ opponitur omnimodæ determinationi ad unum, quô pactô actiones humanæ dicuntur liberæ ad differentiam actionum naturalium, quæ dicuntur neceſſariæ, & talis libertas dicitur phyſica. Altera verò eſt libertas à coactione, quæ videlicet opponitur extraneo impulſui, quô quis dicitur cogi & invitus conſentire ad aliquid faciendum: quamvis autem voluntas non poſſit cogi ſimpliciter ad actum volendi, quia tunc volens nollet, & nolens vellet, benè tamen poteſt cogi ſecundum quid ſcilicet metu majoris mali, quam ſit ille actus ſalvâ adhuc libertate phyſicâ. Unde quando quis eligit minus malum ad evitandum majus, ut mercator volens projicere merces ad mare tanquam minus malum ad ſubmerſionem evitandam, tunc in ſuis actibus eſt voluntarium non ſimpliciter ſed ſecundum quid, hoc eſt, mixtum involuntariô, & talis libertas oppoſita extrinſecæ coactioni ſeu violentiæ dicitur libertas civilis; & ideo eſt quæſtio, an matrimonium tam phyſicè quam civiliter debeat eſſe liberum, cui libertati potiſſimum videtur obſtare metus gravis cadens in conſtantem virum, & etiam aliquando metus reverentialis, blanditiæ, vel importunæ preces, quæ aliquando poſſunt coincidere, aliquando non cum metu gravi, ut diceemus in propoſitionibus, ideo quod de metu proprio dicemus, etiam cum proportione de metu reverentiali, de blanditiis & precibus impotunis dicendum erit.

Advertendum eſt 2. Cum potiſſima difficultas hic agitetur de metu obſtante libertati matrimonii, recurrendum eſt de explicatione varii metûs ad tractatum de actibus humanis ad diſtinctionem de voluntario, & ad tractatum de jure & juſtitia ad diſtinctionem de contractibus; ibi enim diſtinximus metum in gravem & levem ſeu cadentem & non cadentem in virum conſtantem, cujus timenda mala ſunt juxta Scotum in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex dictis* malum mortis, mutilationis enormis, propriæ ſervitutis, ſtupri & hujusmodi alia: præterea injuſtè incuſſum, ut dum Princeps ſubdito minatur mortem ſi rebellionem tentet, qui in jure etiam dicitur metus ab intrinſeco, & in injuſtè incuſſum, ut ſi tyrannus minetur mortem alicui, niſi adoret idola: rurſus in metum gravem intrinſecum, qui nempe provenit à causâ intrinſecâ, ut ſi oriatur ex remorſu conſcientiæ vel metu gehennæ vel à fera & 2

tempeſtate: & extrinſecum, qui ſcilicet provenit à cauſâ extrinſecâ, ut ab homine privato vel judice. Difficultas autem ſolùm hic erit de metu extrinſeco, nam de intrinſeco certum eſt, non irritare contractum eum ſponte fiat, & nulla committetur injuria aut injuſtitia ſed totum ab intrinſeco ſine ullâ vi. Tandem etiam metus injuſtè incuſſus dupliciter incuti poteſt, ſcilicet directè in finem extorquendi conſenſum, vel non directè in eum finem, ſed in alium, cui conjungitur per accidens conſenſus in matrimonium, ut diximus in citatis locis, quæ diligenter ſunt revidenda; quia hic multa neceſſaria ob brevitatem temporis recenſere omitto. His notatis:

3 Propoſitio I. *Non tantum metus in re, ſed etiam probabilis ſuſpicio metûs ſufficit ad irritandum matrimonium:* Ratio eſt ex Lege *noviſſimè* ff. quod falſo tutore & C. *bona.* de electione & electi poteſtate, ubi timor inferendæ violentiæ licet illata non ſit, electionem vitiare dicitur, unde expreſſè ibi dicit Gloſſa: ſolus talis timor ſufficit, licèt impreſſio ſecuta non ſit, & - - - - in ſpirituali verò ſicut & in carnali matrimonio debet eſſe liber conſenſus, aliàs nullus eſſet conſenſus: ergo. Similiter L. *nec timorem* ff. de eo quod metûs cauſâ, dicitur: proinde ſi quis in furto vel adulterio deprehenſus vel in aliquo flagitio aliquid dedit, vel ſe obligavit Pomponius L. 18. rectè ſcribit poſſe etiam ad hoc edictum de vi & metu pertinere, timuit enim vel mortem vel vincula. Obſervandum tamen eſt, quòd hoc debeat intelligi, quando deprehenſus ex delicto timet fore, ut metu mortis cogatur ad matrimonium; quia tunc eſt probabilis ſuſpicio metûs inferendi ad extorquendum matrimonium, ac proinde cum is ſit metus viri conſtantis tendátque ad eum finem, vitiabit matrimonium, ſecus tamen eſſet, ſi illa probabilis ſuſpicio ſit ſolùm ad vindictam de injuriâ ſtupri ſumendam, & ſtuprator ſuâ ſponte offerat matrimonium ad injuriæ pœnæque veniam impetrandam.

4 Propoſitio II. *Quamvis plerumque ad metum cadentem in virum conſtantem requiratur electio minoris mali præ majori, illa tamen electio minoris mali ſolùm requiritur ex parte ſubjecti, ſeu ut timens conſtanter agat, & ſit immunis à culpa. Non tamen ex parte objecti ſeu quoad reſciſſionem contractuum, adeo ut ad talem reſciſſionem ſufficiat, quòd malum abſolutè ſit grave ſecundum ſe, & quòd virum conſtantem movere poterat:* Ratio eſt: quia jura ideo annullant matrimonium & concedunt reſciſſionem contractuum aliorum ex metu, quia metus liberum conſenſum impedit & injuriam irrogat, ut conſtat ex Cap. *cum locum* de Sponſalibus & Lege. *continet* ff. de eo quod metûs cauſâ, ubi dicitur: ſi quis vi compulſus aliquid fecit per hoc edictum reſtituitur, ſed vim accipimus atrocem & eam quæ adverſus bonos mores fiat, ubi Gloſſa atrocem inquit, in quo eſt dolus, ſed quando incutitur timor mali gravis non minus impedit libertatem conſenſûs, nec minus injurioſus eſt, ſive cogat eligere ſive minus ſive majus malum: ergo utrôque modô ſufficit ad reſcindendum contractum. Tum quia quando Eccleſia irritat matrimonium metu gravi contractum, non attendit ad privatum contrahentis bonum, ſed tantum ne faveat injurioſè conſenſum extorquenti, & ne matrimonia coacta infelices exitus ſortiantur ut conſtat Cap. *cum locum* de ſponſalibus, quæ ratio ſemper locum habet ſive ob eum metum eligatur majus ſive minus malum.

Propoſitio III. *Metus reverentialis* v. g. *quando puella jubenti patri, ut cum tali viro nubat, non eſt auſa contradicere, non ſufficit ad reddendum matrimonium irritum, niſi accedente rationabili timore gravis mali, aut accedente aliqua ſævitia aut diuturnâ indignatione patris:* Ratio deſumitur ex C. *puella* 20. q. 1. ubi quid ſimile etiam ponitur de profeſſione valida cum tali metu reverentiali, nam dicit ibi textus ad annullandam puellæ profeſſionem non ſolum patris imperium ponderatur, ſed etiam coactio, ut etiam declarat Sanchez Lib. 4. Diſputat. 6. contra Navarrum & aliquos Juriſtas. 5

Propoſitio IV. *Blanditiæ & preces importunæ adhibitæ ab æqualibus aut inferioribus non irritant matrimonium benè tamen adhibitæ à ſuperioribus vel majoribus.* Ratio eſt: quia in æqualibus non ſunt conjunctæ cum metu reverentiali, quamvis ſint inſtantiſſimæ & importunæ, adeò ut earum importunitas & ſuavitas non debeat vim tantam viro conſtanti inferre, ut quis ad ſe liberandum ab eis debeat prudenter facere rem tam magnam, ut eſt matrimonium aliàs ſibi ingratum: ergo non ſunt ſufficientes ad inducendum metum cadentem in virum conſtantem, per conſequens nec ad irritandum matrimonium. Quod multò magis eſt verum de blanditiis quia ut dicit Scotus in 4. Diſt. 29. q. un. §. *ad tertium principale: in eis multùm ineſt de voluntario*, ſiquidem voluntas ſuaviter trahitur blanditiis, non verò ita precibus. Ratio ſecundi eſt: in ſuperioribus tales blanditiæ & preces importunæ inducunt metum gravem, cum ſemper videantur habere annexum periculum gravis indignationis, nam Principes in repellendis ſuis precibus, qui ob ſupremam eorum authoritatem ſibi ad nutum obedire prætendunt, ac facile graviter indignantur & ſic abſolutè conſenſum ſubditorum cogere aut extorquere dicuntur juxta illud commune proverbium: *eſt orare ducum ſpecies violenta jubenti.* Hinc quando preces opportunæ ſunt conjunctæ cum periculo gravis indignationis inducunt gravem metum non vero ſeparatim, ſicut duo poſſunt trahere aliquod pondus conjunctim 6

non

non vero ſeparatim. Vel ſicut duo gradus caloris producont effectum intenſiorem quam alteruter ſeparatim ſumptus. Vide plura C. *petitio* de jurejuraudo & C. *cum inter* de electione. His poſitis:

7 Aſſero 1. *Matrimonium ad ſui valorem requirit tam libertatem naturalem ſeu à neceſſitate, quàm civilem ſeu à coactione.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 29. q. un. §. *de ſecundo dico.*

Probatur 1. pars: matrimonium eſt contractus humanus, cujus objectum & materia circa quam eſt valde gravis nempe proprii corporis traditio ſub poteſtate alterius: ergo uecessariò in coutrahentibus plenam & perfectam ex plena advertentia libertatem ineludit, hine pueri ante uſum rationis, mente capti tempore, quò carent uſu rationis, ebrii tempore ebrietatis, aut in ſomuo non poſſunt validè matrimonii coutractum eelebrare ex defectu libertatis, cum illis temporibus non ſint habiles ad ſe obligandum & contrahendnm in negotio tam gravi, ut definitur de furioſo C. *dilectis* de ſponſalibus, & hæc quidem etiam dicendum eſt, licet ante ebrietatem vel furiam habuiſſent voluntatem contrahendi ſive formalem volendo directè matrimouium in ſe ipsò ſive virtualem & in cauſa ſcilicet advertentes ex ſua ebrietate futurum eſſe matrimonium, nihilominus ſe voluntariè inebriarunt, unde ſemper requiritur actualis uſus libertatis. Tunc quando contrahitur ſive matrimouium ſive alius eontractus. Cæterum tamen ſi talis defectus libertatis ſuperveniat matrimonio jam contracto non dirimeret illud, ut dicitur C. *neque furioſus* 32. q. 7. nam ſi qui furioſi aut amentes non perpetuò careant uſu rationis, ſed lucida iuterdum habeant intervalla, valeret matrimonium eo tempore coutractum, quò ſunt mentis compotes ut dicitur C. *quamvis* 7. q. 1. cujus ratio eſt, quia eo tempore nee ex natura rei neque jure aliquo eenſentur eſſe inhabiles ad contractus alios, interim tameu illicitum eſſet eis contrahere & id permittere, tum ob reverentiam hujus Sacramenti tum ob educandæ prolis periculum.

8 Probatur 2. pars. Tum quia C. *veniens.* C. *cum locum*, de ſponſalibus in hoc ultimo expreſſè dicitur, *cum locum non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intervenit neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus cujusque requiritur coactionis materia repellatur, matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & ubi de ipſo quæritur, plenâ debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire:* ergo apertè deciditur, ait Scotus, matrimouium coutractum ex metu cadente in virum couſtantem eſſe ipsò factò nullum in utroque foro. Tum quia talem libertatem omnia quatnor cauſarum genera requirunt in matrimonio ut dicitur à Scoto, nam eam requirit cauſa formalis; quia talis contractus eſt datio licet nou liberalis; quia datur ut detur, eſt tamen libera, quia eſt contra ratiouem dationis, quod non ſit libera: ergo. Item eauſa efficiens eam requirit, ut DEUS hunc coutractum inſtituens *Geneſ.* 2. & 24. ergo. Rurſus etiam finis, qui eſt proles procreanda, quod omnino liberè debet fieri unde Can. *præſens.* cauſa 20. q. 3. dicitur, *quod quis non diligit facile contemnit.* Tandem etiam cauſa materialis, quæ eſt poteſtas corporum, quæ utique liberam diſpoſitionem corporum ſignificat: ergo.

Objicies contra 1. partem. Peccatum v. g. 9
homicidium in ebrietate commiſſum, licet homo tunc eareat libertate natutali, ſi ante ebrietatem prævifum fuerit imputatur ebrio: ergo etiam valebit matrimonium in ebrietate contractum, dummodo ante ebrietatem fuerit prævifum, & volitum, ita ut non requiratur ſemper actualis ſed ſufficiat libertas virtualis.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ad homicidium imputandum ſuffieit illa deliberatio ex præviſione effectus, quia pet ſe tenebatur homo ab illa cauſa abſtinere, ex qua talem effectnm prævidet ſequi, quod uon poteſt dici de effectu matrimouii; nam uon in ratione contractûs, quia omues contractus, quando fiunt, requiruut actualem uſum rationis; uon in ratione Sacramenti, quia quoad hanc coutrahentes non ſolùm ſunt ſuſcipientes, ſed etiam miniſtri, ſed in omnibus Sacramentis miniſter debet eſſc compos rationis, quaudo illud efficit. Sie in ebrietate baptizans vel abſolvens nihil faceret, lieet antea habuerit intentionem.

Dices: ſaltem ſuſceptio Sacramenti v. g. baptiſmi in ebrietate vel ſomno aut inſaniâ valet ratione voluntatis formalis & expreſſæ antecedentis: ergo etiam matrimonium.

Contta neg. conſeq. quia plus reqniritur ad couficiendum quam ſuſcipiendum Sacramentum, unde ad ſuſcipiendum poteſt ſufficere illa præcedens & uou retractata voluntas, imò in baptiſmo infantium prorſus nulla propris voluntas deſideratur ad ſuſcipiendum; cum ſuſceptio non ſit ita actio humana, & intentio in ſuſcipiente ſolum requiritur ut diſpoſitio aut conditio, ut intelligatur non repugnare aut non ponere obicem, ut patet in infantibus. Aſt conficiens Sacramentum eſt agens per rationem & voluntatem ſcilicet per operatiouem humanam, ideo debet habere intentiouem, quando illud efficit.

Diees: in ebrio conficiente Saeramentum ſaltem manet intentio virtualis, ſed ad conficiendum Sacramentum ſufficit inteutio virtualis: ergo.

Contra neg. maj. nam intentio virtualis propriè & ſtrictè ſumpta eſt actualis manens in virtute ſeu non interrupta per actus impertinentes, quod de intentione ebrii & amentis dici non poteſt, quæ potius eſſet intentio ha-

bitua-

bitualie & interpretativâ & ad ſummum virtualie latè ſumpta, ac ideo ſolùm ſufficiens ad merendum vel ſuſcipiendum Sacramentum, noo verò ad conficiendum ut ſupra diximus.

Dices: In ipſo metrimonio valet contractus per procuratorem initus vel per epiſtolam ob voluntatem habitam in conſtituendo procuratota vel ſcribenda epiſtola, quamvis deinde principalie contrahene de hoc non amplius cogitet, & quamvie tempote ſequentis contractûs ſomno vel ebrietate oppreſſus inveniatur: ergo.

Contra neg. conſeq. quia ad matrimonium validè contrahendum ſufficit quidem præſens deliberatio ipſius procuratoria à ſuo principali jam liberè conſtituri, ſicut & in aliis contractibue, quoniam in tali caſu voluntae principalis conttahentis ab ipſo in procuratorem cenſetur quodammodo tranalata, & videtur quaſi una voluntas, unde requiritur, ut & ipſe principalis in procuratore conſtituendo, & procurator ipſe in còntractu poſtea celebrando ſint ambo tunc temporis in illis actionibne mentis compotes & libertate utentes, quod non evenit in ebrio per ſe ipſum in ebrietate contrahente.

10 Objicies contre 2. partem: Conſenſus qua ſimpliciter conſenſus ſufficit ad matrimoniom: ergo etiam conſenſus coactus conſequentia patet; quia voluntae non poteſt ſimpliciter cogi ad vella & nolla, ſed ſolum ſecundum quid: ergo cum conſenſus coactus ſit ſimplieiter voluntarius: ergo.

Reſpoodeo neg. ant. nam ad matrimonium non ſufficit conſenſus ſimpliciter talis, ſed debet eſſe cònſenſus plenè liber, qui nihil de involuntario admixtum habet.

Dices: alii contractus ue venditio, locatio etiam ex coactione facti ſunt validi, dummodo habeant juſtum titulum & à lega non prohibitum & detur res pro te: ergo. Conſequentia patet, quia illa coactio ſecundum quid non tollit libertatem & motalitatem, alias negans fidem coram tyranno ad effugiendam mortem non peccaret, quod apud omnes falſum eſt: ergo.

Contra neg. conſeq. diſparitae eſt, quia alii contractus poſſunt per judicem reſcindi, ſi contrahentes veline à contractu recedera, quod non poteſt fieri in matrimonio, quod jure divino indiſſolubile eſt, & ſic congruum fuit, ut cum tali & adeò plenâ libertete institueretur, & quod ſi aliquando pœniteat conjuges ſibi imputare debent, qui ſponte ſe ad talee anguſties redegerunt. Prætercè alii contractue non exigunt poſt ſe conditionem mutuæ obligationis amicabilis, ideóque ad illorum valorem ſufficit illud voluntarium ſimpliciter, quo rerum permutatio fieri poteſt. Aſt matrimonium poſtquam initum eſt, exigit in conjugibus non ſolùm corporum, ſed etiam animorum conjunctionem, ideo majorem requirit libertatem. Ad probam conſequentiæ etiam eſt diſparitas, eò quòd in coactione duplex malum poſſit proponi ſcilicet injuſti & incommodi: primum nunquam debet eligi; quia non cadit in virum conſtantem, qui plus horret peccatum ſaltem mortale quam omnia incommoda. Alterum verò in virum conſtantem poteſt cadere, quia minus malum eſt conſentira in matrimonium in quantum poteſt, & conſenſum verbis exprimere, licet invalidè, quam pati mortem, carcerem, ſtuprum in ſe vel in ſuis. Ille autem conſenſus ex metu invalidus in matrimonium non aſt ſacrilegus aut peccatum; nam ſi conſentiens ſciat ſuum conſenſum in metu injuſtè incuſſo extortum jure eſſe invalidum non conſentit tanquam Sacramenti miniſter, ideo non peccat, ſi autem hoc neſcit, eo ipſo excuſatur à peccato.

Dices: Votum & juramentum factum ex metu cadente in virum conſtantam eſt validum jure naturæ vel divino, imò & baptiſmue receptus in tali timore ut C. *majores* de baptiſmo: ergo etiam matrimonium.

Contra neg. ant. de voto; nam par eſt ratio de voto & matrimonio ac de juramento & baptiſmo neg. conſeq. diſparitas eſt; quia votum & matrimonium procedunt ax ſola voluntate voventis & contrahentis quidem ad obligationem, & ideo tale vinculum poſtulat perfectum volontatium, juramentum verò eſt objectivè quædam religioſa interpoſitio divinæ authoritatis in teſtimonium veritatis, ac proinde non habet ex ſola voluntata jurantis obligate, ſed principelius ex DEI authoritate, unde ut inferet obligationem ſufficit voluotarium mixtum involuntatio, ſicut ſufficit ad peccatum mortale; hine ultrò de baptiſmo eſt diſparitae; tum quia voluntas ſuperioris ſcilicet DEI ratificet talem conſenſum coactum aliquem fieri filium Eccleſiæ noo eſt in matrimonio, quod quia ſit ligetue vinculo perpetuo. Tum quia conditio beptizati ſit melior per obligationem ex beptiſmo ortam, non ſic conditio metrimonio adſtricti. Tum quia in baptiſmo homo in filium DEI adoptatur in adoptatione autem quilibet adoptati conſenſus ſufficit, imò quandoque nullue, nam carene uſu rationis poteſt adoptari & baptizari, non ſic eutem in matrimonio.

Dices: Coactio facta per metum eſt ſolùm quædam inductio ad faciendum metrimonium: ergo non impedit validitatem conſenſus. Conſequentia patet à pari de precibus & blanditiis inductivis ad matrimonium.

Contra nego conſequentiam. Ad probam diſparitas eſt; nam in inductione per metum & terroree multum eſt de involuntario & parum de voluntario; unde ſi voluntas ſibi dimitteretur ſtatim reſiliret & refugeret à conſenſu; in inductione verò per blanditias multum eſt de voluntario & parum de involun-

luntario; unde ſi voluntas ſibi dimitteretur forſan proſequeretur illud, ad quod eſt allecta; quia voluntas frequenter concordat appetitui ſenſitivo, & ideo non eſt ſic involuntaria coactio per blanditias & preces ſine metu.

11 Aſſero 2. *Omnis metus gravis injuſtè incuſſus irritat matrimonium tam in foro externo quam interno, non tamen metus gravis juſtè incuſſus, aut injuſtè incuſſus, ſed ob alium finem, quàm ad extorquendum conſenſum matrimonii, nec metus gravis intrinſecus à cauſa naturali incuſſus irritat matrimonium.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 29. q. un. §. *de ſecundo dico.*

Probatur 1. pars primò Authoritate juris. Tum quia C. *cum locum* de ſponſalibus jubet Pontifex puellam, quæ metum timebat, eò quòd duobus promiſerit matrimonium in loco tuto eſſe reponendam, usque dum cauſa definitur, dáque rationem; quia matrimonium ſolo conſenſu perficitur, qui non invenitur ubi adeſt timor cadens in virum conſtantem. Tum quia C. *veniens* de ſponſalibus quid ſimile ſtatuitur de viro metu coacto. Tum quia C. *ſignificavit* de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, narratur caſus, quod quidam metu compulſus duxerit uxorem, deinde ſponte propriâ iniit aliud matrimonium, & rogatus Pontifex quodnam horum ſit validum? Reſpondet, *ſi conſtiterit, quod tanta vis ei illata fuerat, quod non ſponte in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum eam carnaliter cognoverit propter hoc non dimittat, quin ad aliam quam poſtea in uxorem accepit revertendi liberam tribuas facultatem:* ergo prius matrimonium ratione metûs fuit nullum.

Probatur 2. ratione: Si metus qui facit alios contractus ſolùm reſcindibiles non eo ipſo matrimonium redderet nullum & quidem in utroque foro, ſemper eſſet periculum ne vel unquam per ullam potentiam humanam vel ſaltem difficillimè reſcindi poſſet; nam ſi conſummaretur, ut facilè fieri poteſt, redderetur ab humanâ poteſtate indiſſolubile ob conjunctionem Chriſti cum Eccleſia in conformitate naturæ, ſi verò non conſummaretur difficile erit in ſoro externo ſufficienter probare, illum fuiſſe coactum, cum non facile à judice Eccleſiaſtico tales probationes contra matrimonium, præſertim in facie Eccleſiæ celebratum admittantur, & ſic tales conjuges toto vitæ tempore cogerentur inviti continuare matrimonium, ex quo merito infelices exitus eſſent timendi: ergo præſtat ob hæc mala vitanda jura diſpoſuiſſe, ut metus matrimonium prorſus invalidet in utroque ſoro & quidem convenientiſſimè. Primò, quia matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ liberum amorem requirit. Secundò, quia metus adverſatur debitæ procreationi ſobolis, quæ eſt finis matrimonii, quæ indiſſolubilitatem mutuámque conjugum habitationem petit, cui repugnat metus; is enim, qui vi conjungitur, non habet mutuum amorem ac facilè ſuperatur, quod enim aliquis non diligit facilè contemnit. Tertiò, quia matrimonia coacta infelices ſolent habere exitus C. *requiſivit* de ſponſalibus.

12 Probatur 2. pars. Tum quia quando metus juſtè incutitur, nulla fit contrahenti injuria, ſed matrimonium tanquam debita ſatisfactio exigitur: ergo talis metus non irritat matrimonium. Tum quia hoc ſæpè in Republica Chriſtiana contingit, nam Eccleſia per excommunicationem compellit nolentes adimplere ſponſalia, & judex adoleſcenti de ſtupro convicto comminatur mortem, niſi eam in uxorem ducat, absque omni injuria: nam damnum quod quis ſponte ſuâ culpâ patitur, ſibi debet & non aliis imputare ut habetur expreſſè L. *ſi mulier* ff. de eo quod metus cauſa. Nec legis auxilio dignus eſt, qui ſe ultro in neceſſitatem conjecit L. *ſi fidejuſſor* ff. qui ſatis dare cogantur.

13 Probatur 3. pars. Validum eſt votum factum DEO ad evitandam mortem à latrone intentatam non ob finem extorquendi tale votum ſed pecuniam: ergo etiam valebit matrimonium ſi latro incutiat viatori timorem ad extorquendam pecuniam, viator verò, ut ſe liberet, promittit ipſius filiam ducere. Item ſi maritus adultero in delicto deprehenſo propriâ authoritate minetur mortem, adulter verò promittat minantis filiam ducere; quia in ſimilibus caſibus quando metus non incutitur ad extorquendum conſenſum matrimonii conſenſus non viciatur injuriâ, & ſic non procedit propriè incuſſus ab agente extrinſeco, ſed ut electus ab ipſo operante, ut medium ad evitandum grave malum ob alium finem minitatum.

14 Probatur 4. pars. Vota emiſſa ex metu naufragii, incendii imminentis valida ſunt ſecundùm omnes, quia in his caſibus nulla coactio aut vis infertur, nec ulla fit injuria voventi, ergo etiam valida erunt matrimonia contracta metu mortis imminentis vel inferni. Sic etiam validum erit matrimonium contractum ab ægroto morbo læthali oppreſſo cum filia medici aliter mederi nolentis; quia medicus, nullum incuſſit timorem mortis, ſed morbus; Medicus vero petit matrimonium tanquam ſtipendium ſuum ac in his & ſimilibus caſibus nulla vis aut injuria infertur.

15 Objicies contra 1. partem: Metus injuſtè incuſſus cogit ſolum ad verba externa proferenda non autem ad eliciendum actum internum conſenſus: ergo ſi iſte elicitur omnino ſatis liberè elicitur & ſic non invalidat contractum matrimonii. Ant. probatur; qui enim per minas & terrores alium inducit ad contrahendum non compellit ad aliud niſi ad ponendum ea, quibus ipſe percipit matrimonium perfici, aſt ſola verba externa percipit &

videt, non eutem conſenſum internum: ergo contrahens non videtur ad eum cogi.

Reſpondeo neg. ant. ed ejua probam neg. ane. quia qui cogitur ad aliquid, quod ſine peccato mortali non poteſt eſſe abaque altero cogitur etiam ad illud alterum, ſed verba externa conſenſum exprimentia in contractu conjngali ſine mortali dici non poſſunt absque conſenſu interno correſpondente; quia tale mendaciom eſſet pernicioſum & in ra gravi: ergo ſi poteſt cogi ad illa verbe externa proferenda ſic etiam ad eliciendum conſenſum internum cogi poterit, & quia nullus eſt gravioe metua qnam peccati mortalia ideo dici non poteſt, quod ſi cogatur ad illa verba proferenda, non cogatur etiam ad conſenſum internum eliciendum; quia ne peccet mortaliter, debet intendere menti conſormare verba, alias mentietur; quare ſicut ad evitandum grave malum corporale verba externa proferre cogitur, ita etiam ad evitandum peccatum mortale, qnod eſt majus qnocunque damno temporali, etiam cogi debebit ad internum conſenſum præſtandum.

Dices: eatenus Eccleſia declarat & facit matrimonium ex metu gravi & injuſto nullum quatenua præſumit, quod in tali caſu contrahena internè non conſentiae: ergo ſi internè conſentit, ceſſat præſumptio & eſſentialiter talis contractua ſubſiſtit. Contra neg. anr. quia Eccleſia non dicit matrimonium eſſe nullum ob ſimilem præſnmptionem, aliàa cum eſſe poſſit, qnod internè etiam conſentiatur & fermè ſemper ita ſit ad evitandum peccatum mortale, faceret invalidum, quod eſſet validum, quod eſt inconveniens. Imo Eccleſia ſemper præſumit pro meliori parte ut habetur cap. *eſtote* de regulia juris. niſi ſit maxima conjectura in oppoſitum: ergo Eccleſia præſumere non debet, qnod talia verba ſine conſenſu proferantur, niſi vehementem habeat conjecturam, quod ille velit peccare mentiendo.

Dices: Ex C. *illud* de præſumptionibus expreſſè Alexander III. in favorem matrimonii præſumit mulierem negantem cum ſervo, cum quo decennio ſcienter cohabitaverat, ſe matrimonium iniiſſe mentitam fuiſſe: ergo etiam Eccleſia præſumet mentitum fuiſſa eum, qui matrimonium contraxit ob metum gravem.

Contra neg. conſeq. quia Pontifex in citato C. præſumpſit ex duobus malis minus, ſiquidem ex una parte cum periculo ſalutis utriuaque conjugis vertebatur in dubium matrimonium publica decennali cohabitatione firmatum, ex alia vero parte fama mulieria pernitioſè mentientia, mendacium autem eſt minua malum quàm periculum diſſolvendi matrimonium legitimum, quod eſt longè majus malum, in caſu autem noſtræ aſſertionia hoc non currit, cum Eccleſia matrimonia metu inita non irritet defectu conſensûs, ſed libertatis, conſeqnenter nulla eſt neceſſitas præſumendi delictum.

Dicea: Alii contractua metn injuſto initi non ſunt ipſo jure nulli, ſed ſolum per judicem reſcindendi: ergo nec matrimonium conſequentia probatur. C. *canſultationi* de ſponſalibus, ubi dicitur: *De illato metu eſt cum diligentia inquirendum: & ſi talis metus inveniatur illatus, qui poterit cadere in virum conſtantem, erunt non immeritò audienda:* ergo non ipſo jure matrimonium eſt invalidum.

Contra neg. conſeq. ad ejus probam dico, conjuges eſſe audiendoa non ut judex reſcindat matrimonium metu contractum, ſed ut declaret eſſe irritum ut expreſsè habet C. *veniens* de ſponſalibus, ubi Pontifex reſpondet: *Si inveneris, quod primam poſt fidem præſtitam cognoverit ipſam, cum ea facias remanere: alioquin ſecunda, niſi metu coactus, qui poſſit in virum conſtantem cadere, eam deſponſaverit, adhærere facias ut uxoris.* Lege ultro CC. cit. in aſſertione.

Dicea: Alia Sacramenta metu ſuſcepta valida ſunt: ergo & matrimonium.

Contra diſparitaa eſt; quia alia Sacramenta non conficiuntur conſenſu tanquam parte intrinſecâ, ſed conſenſus recipientis eſt diſpoſitio & conditio ſine qua non, & cum voluntas coacta ſit voluntas, ſufficit, ut ſint valida. Sed in matrimonio conſenſua eſt eſſentialitee requiſitns, & ita nihil mirum eſt, quod talia debeat eſſe plenè liber.

Objicies contra 2. partem: Metus injuſtè incuſſus irritat matrimonium: ergo etiam metua juſtè incuſſus. Conſequentia probatur. Quia etiam metua juſtè incuſſus evertit & minuit illam perfectionem liberi & voluntarii ſicut injuſte incuſſus; nam utrobique contrahena premitur ab extrinſeco ad præſtandum aſſenſum. 16

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quod licet quoad ſubſtantiam æquè minuatue ratio liberi per metum juſtè & injuſtè incuſſum, non tamen quoad modum; nam injuſta coactio, cum ſit injurioſa, moraliter & civilitee impedit valorem & effectum conſenſûs ac perfectam rationem voluntarii, qualem ad conjugalem contractum requirimus propter onera matrimonii in perpetuum ſubeunda. Aſt coactio juſta absque injuria facit contrahentem conſentire ſicut ipſe alioquin tenebatur ex quo fit, ut moraliter & civiliter ſic ſe habeat coactio ac ſi prorſus non eſſet, cum ipſemet coactus juſtam dederit cauſam coactionis, ideo talis coactio valorem conſensûa non impedit.

Dices: Minans accuſationem aliúdve grava malum quod juſtè poteſt inferre quamvia illud poſſit minari ſine injuria ad finem juſtitiæ punitivæ, injuſtè tamen illud infert ad finem extorquendi matrimonium: ergo. Anc. probatur, nemo privata authoritate poteſt

eſt

eſt cogere ad matrimonium, nec habet jus incutiendi timorem ad matrimonium vel profeſſionem, quæ ſummam libertatem exigunt: ergo reſpectu matrimonii talis metus eſt injuſtus, licèt reſpectu aliorum contractuum ſit juſtus.

Contra neg. ant. nam ille minans non infert reveta metum ſed ſuum proprium delictum, & minans ſolum poſtulat matrimonium pro pretio deſiſtendi ab accuſatione, adeóque quamvis nullus privatâ authoritate poſſit cogere ad matrimonium, poteſt tamen juſtè metum conceptum ex juſta & debita cauſa auferre & cedere juri accuſandi, quod habet, deſideratô certô pretiô, locò cujus petit matrimonium.

Dices: ideo coactio irritat matrimonium, quia tollit plenam conſenſûs libertatem & infelices parit exitus: ergo quia non minus tam metus juſtè quam injuſtè incuſſus libertatem aufert & infelices parit exitus, ſicut metus injuſtè incuſſus ita etiam juſtè incuſſus irritabit matrimonium.

Contra neg. ant. ſcilicet ideo ſolum irritare matrimonium, aliàs cum judex juſtè cogat implere ſponſalia, irritaretur matrimonium, ſed potius ideo irritat; quia tollit plenitudinem libertatis injurioſè, quod in caſu noſtro ceſſat; imo nec tam infelix ſperatur exitus matrimonii ex metu juſto quàm injuſto, quia in metu juſto aliquantulum quieſcit animus, cum quis conſiderat ſe juſtè compulſum, & ideo ex illuminatione propriæ conſcientiæ magis liberè præſtat conſenſum.

Dices: C. *gemma* de ſponſalibus. Propter libertatem matrimonii improbatur pœna appoſita in contractu ſponſaliorum, & tamen timor talis pœnæ erat juſtè incuſſus cum ex conventione partium pœna ſolùm ſit debita: ergo etiam timor juſtè incuſſus vitiat libertatem matrimonii.

Contra neg. ſecundam partem antecedentis, nam illud capitulum non improbat illam pœnam exinde; quia tolleret libertatem, ſed quia injurioſè tolleret plenitudinem libertatis, cum ſecundùm juris deciſionem matrimonia debeant eſſe libera non ſolùm à coactione, ſed etiam à pœna pecuniaria, quod exinde conſtat, quia arrhæ quantumcunque magni valoris valent ex jure, nec eas amittendi timor vitiat matrimonium eô metu contractum.

Dices: cap. *veniens* de ſponſalibus. Decernitur irritum eſſe matrimonium, ad quod pater coëgit juvenem repertum cum filia in eodem lecto, & tamen videtur juſtè coëgiſſe, quia juvenis fuit in culpa.

Contra neg. ſecundam partem antecedentis, quia ille metus fuit injuſtè incuſſus, quia parens coëgit volens interficere, quod eſt injuſtum & quamvis ex citato cap. non conſtet fuiſſe incuſſum timorem mortis, conſtat tamen ex expoſitione Oſtienſis & aliorum apud Sanchez lib. 4. diſputatione 13. n. 9. adeóque ne hoc capitulum contrarietur legi *ſi mulier*. ff. de eo quod metus cauſâ, ubi expreſſè ſtatuitur metum juſtum non irritare & quidem ob illam rationem, quia talem metum quia ſuâ culpâ infert, ideo ſic intelligendum eſt, cum oporteat jura juribus concordare, ut juris correctio evitetur: unde dico, illum metum illius capituli fuiſſe injurioſè incuſſum; nam quamvis culpa delinquentis præbeat occaſionem juſtæ pœnæ aut accuſationis jure conceſſæ, non tamen pœnæ injuſtæ, ut eſt minitatio mortis ad extorquendum matrimonium.

Dices: C. *quia diverſitatem* de conceſſione præbendæ, ubi docet Gloſſa, ſi quis culpâ ſuâ inciderit in excommunicationem, ei non imputabitur id, quod ex illâ culpâ punitâ proceſſit; quia illa culpa non tendit directè ad impediendum ſed ſolùm ad puniendum: ergo cum culpa metum paſſi non tendat ad matrimonium ſed ſolum ad vindictam ſuſtinendam ei non imputari debet, quod validum faciat matrimonium.

Contra neg. conſeq. quia omnino matrimonium ex metu ſecutum ei non imputari debet, ex eo quia ex culpa ſua incidit in metum, quaſi culpa metûs etiam eſſet culpa ad validum matrimonium, nam etiam quando mors ei injuſtè comminata eſt ad extorquendum matrimonium, talis metus proceſſit ex propria culpa & tamen matrimonium exinde ſecutum ei minimè imputatur, adeóque ſolùm ei imputatur, quia metus juſtus non eſt propriè incuſſus ad extorquendum conſenſum, ſed potius metus conceptus ex delicto aufertur offerendo immunitatem, ſi duxerit delicti complicem in matrimonium; quoties enim metus incutitur juſtè, tunc magis cenſetur oriri ex lege & natura delicti, ac proinde magis ab intrinſeco quam extrinſeco, eò quòd intra illum ſit juſta cauſa timendi, initiúmque & radix timoris teſte Spiritu Sancto Proverbiorum cap. 28. *fugit impius nemine perſequente*, quo ſignificatur minimè opus eſſe ut aliquis delinquens timeat quod comminetur ei quiſpiam malum, cum propria conſcientia delicti reo ſufficiens ſit radix timoris.

Aſſero 3. *Metus gravis tam jure naturali* 17.
& divino poſitivo, quam jure eccleſiaſtico irritat matrimonium etiam juramento confirmatum. Eſt Scoti in 4. Diſt. 29. q. 1. §. *de ſecundo*. eſt quoad primam partem contra Sanchez & multos Juriſtas.

Probatur 1. pars primò: matrimonium ſecum affert vinculum perpetuum & indiſſolubile humana poteſtate juxta illud: quos DEUS conjunxit homo non ſeparet: ergo contra ejus naturam & conſtitutionem eſt coactio, quia hæc ejus perpetuitati repugnat, nam coactus ab extrinſeco ſi contraheret, poteſt petere reſtitutionem in integrum quæ eſt impoſ-

impoſſibilis. Tum quia matrimonium fuit inſtitutum ad procreandam & educandam prolem per animorum & non tantùm corporum conjunctionem, nam talis eſt ejus præcipuus finis: ergo maxima fieret injuria divinæ providentiæ, ſi dicatur DEUM non aſſignâſſe hoc impedimentum pro matrimonio, cum ſic aliquid contra finem matrimonii in ipſo admiſiſſet, & talis coactio impediret individuam vitæ ſocietatem, ac reciprocum amorem conjugalem, invita enim matrimonia infelices habent eventus, quod eſt contra naturam rei matrimonialis, quæ obinde exigit liberam voluntatem ab omni coactione.

Probatur 2. in ſtatu legis naturæ conſenſus liber ad contractum matrimonii requirebatur, ut patet Geneſis 2. & 24. ergo non ab Eccleſia tantum ſed etiam jure divino fuit inductum coactionis impedimentum. Tum quia ſi ſolo jure eccleſiaſtico eſſet introductum, tunc apud infideles ſaltem modo valerent talia matrimonia, cum infideles non ligentur legibus Eccleſiæ, quod tamen falſum eſt, ut conſtat ex eorum legibus talia matrimonia invalida agnoſcentibus, & præcipuè in praxi judæorum. Imò etiam apud fideles valuiſſent mille annis ante tempora Alexandri III. & Honorii III. qui mille annis à Chriſti nativitate illa capitula ediderunt, ex quibus irritatio poſitiva Eccleſiæ colligitur, unde dicit Scotus citatus: impedimentum coactionis à jure naturæ vel divino eſſe inductum, ab Eccleſia tamen fuiſſe expreſſum & explicatum.

18 Probatur 2. pars: eô ipsô quod Eccleſia irritum declaravit matrimonium metu contractum ut habetur C. *ſecundo* de eo qui duxit in matrimonium, etiam ſupponitur declarâſſe irritum tale matrimonium juramento confirmatum, quia nempe conſenſus ſemper eſt coactus & ipſum juramentum coactum, cum juramentum ſequatur naturam contractûs. Tum quia ſi tale juramentum validum redderet matrimonium, vanum eſſet remedium ab Eccleſia ſtaturum declarando tale matrimonium eſſe irritum, qui enim compellit ad matrimonium poſſet etiam ad juramentum compellere, & ita mens Eccleſiæ maneret deluſa. Hinc ſequitur nec copulam ſequentem tale matrimonium illud revalidare, cum ſimul eodem metu cenſeatur eſſe præſtita, benè verò revalidaretur per ſequentem novum conſenſum ſpontaneum & per copulam ſequentem affectu maritali ſponte habitam, id eſt animo ſe habendi perpetuo in conjuges, non autem animo fornicario explendi tunc ſuam libidinem abſque intentione perpetui conjugii, ut expreſſè habetur cap. *is qui fidem.* de ſponſalibus.

19 Objicies contra primam partem: quantum ad libertatem non minus eſt libera voluntas coacta per injuriam metûs mortis injuſtè incuſſi, quam voluntas eodem metu coacta ſine injuria, & juſtè vel à cauſis naturalibus ut tempeſtate, ſed in hoc ſecundo caſu metus non irritat jure naturæ matrimonium: ergo nec in primo.

Reſpondeo neg. maj. tum quia ut paulò ante diximus metus juſtè incuſſus potius videtur eſſe incuſſus ab intrinſeco, quàm extrinſeco, cum ipſemet reus facti per conſenſum voluntarium ſe ligaverit ordini legis quam debet ſuſtinere, hinc ipſemet dedit juſtam cauſam incutiendi metum, & aliunde tenebatur conſentire in ſatisfactionem, ideo coactio juſta vel legis vel judicis ſe habet ac ſi prorſus non eſſet, & ſic nullo modo præjudicat libertati matrimonii. Tum quia juſtè poteſt lex vel judex juſtâ de causâ aliquem compellere ad contrahendum in quibusdam caſibus ſub pœnæ gravis comminatione & adhuc erit validum matrimonium, ut expreſſè habetur *Exodi 22. ſi quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam habebitque eam uxorem;* nam talis metus non eſt cadens in virum conſtantem & prudentem, qui tenetur ſecundùm rectam rationem operari & fugere, quod ſecundùm eam ſibi eſt majus inconveniens, ſed majus inconveniens eſt non exequi, quod lex juſta præcipit in caſu ſtupri, quàm aliud malum, quod ex matrimonio contracto ſequitur: ergo ſi hoc eligat, ut illud fugiat metus non irritat, quia tenetur ſic facere.

Dices: ut aliquis contractus jure naturæ ſubſiſtat, ſufficit voluntarium ſimpliciter, licet ſit involuntarium ſecundùm quid, ſed metus ſolùm cauſat involuntarium ſecundùm quid, ut docemus de actibus humanis: ergo etiam contractus matrimonii ſubſiſtet jure naturæ metu initus.

Contra eſt ex Tractatu de jure & juſtitia de contractibus metu initis ſicut & ex Tractatu de actibus humanis de voluntario ex metu.

Objicies contra ſecundam partem: jura- 20
mentum in tali contractu adhibitum ſaltem poteſt habere vim obligandi, ut poſtea, qui juravit, debeat remoto metu ratificare conſenſum ſeu de novo validè contrahere: ergo matrimonium metu initum & juramento firmatum non eſt prorſus nullum. Anteced. patet exemplis. Primò Can. *inter cætera* 22. q. 4. *quæſivi quid tibi agendum ſit de Ubaldo, qui captus & timore necis impulſus ſua concubina juramento firmavit ipſam in conjugem ſuſcipere, quia verò quam prius concubinam habuerat, non eſt peccatum in conjugem ſuſcipere, matrimonium ſit in DEO fixum & ſtabile.* Secundò quamvis renuntiatio electionis metu facta ſit invalida ſicut & renuntiatio legitimæ, ſi tamen juramento ſtabiliantur, fiunt valida, ut habetur cap. *ad aures,* de his, quæ vi, metùsve causâ & cap. *quamvis pactum.* de pactis in ſexto: ergo etiam. Tertiò qui à latrone metu

metu coactus promiſit & juravit dare certam pecuniam, manet obligatus in conſcientia, ut habetur de jure jurando.

Reſpondeo neg. antec. ad ejus probam; nam alias irritatio ab Eccleſia poſita adhuc maneret fruſtranea & frivola: unde ad exemplum primum dico, in illo textu ſolùm fuiſſe quæſitum, quæ juramenta fuerint licita, & dicitur illud de contrahendo, cum non ſit peccatum, eſſe licitum & facere matrimonium fixum & ſtabile ſuppoſitis adeſſe illis, quæ ad ſubſtantialem valorem contractûs requiruntur nihil autem dicit textus, quod geſta ex metu ſint valida. Ad ſecundum diſparitas eſt, quia illi contractus ſunt prohibiti propter privatam utilitatem, matrimonium verò ob publicam. Item licet alii contractus irritentur, perſonæ tamen non redduntur ad contrahendum inhabiles, & ſic non eſt mirum, quod per juramentum poſſint confirmari, aſt dum matrimonium coactum irritatur, perſonæ redduntur inhabiles ad ſic contrahendum, & ſic nullo juramento poteſt confirmari. Ad tertium etiam diſparitas eſt; quia de matrimonio eſt ſpecialis juris diſpoſitio, ut promiſſio jurata etiam de ratificando conſenſu metu facta ſit nulla, quia juramentum ſortitur naturam contractûs vel actûs, cui apponitur, & cum contractus matrimonii debeat eſſe, omnino liber, tale etiam ſupponitur eſſe debere juramentum ei appoſitum, adeóque cum matrimonium non valeat niſi plenâ libertate contractum, ex ſpeciali ejus inſtitutione in hoc ipſo apparet quædam repugnantia, ut quia metu jurare cogatur ſe ex plena libertate contracturum matrimonium, & tali juramento obligatus maneat re ipsâ contrahere.

Dices: C. *cum verum*. & C. *ſi vero* de jurejurando dicitur, quod juramentum metu extortum obliget: ergo.

Contra eſt, in illis capitulis non dici ſimpliciter & abſolutè juramentum metu extortum obligare, ſed in capitulo *verum* notanter dicitur, ut agatur conſultius & auferantur materiæ pejurandi, imò licet in eis expreſſe non dicatur, ut juramenta non ſervent, dicitur tamen, ſi non attenderint ea, non ob hoc ſunt tanquam pro mortali crimine puniendi; atqui ſi juramentum metu extortum abſolutè & ſimpliciter obligaret tanquam pro mortali crimine violatores eſſent puniendi. Præterea Gloſſa in Cap. *ſi vero* dicit, tunc ſolum juramentum obligare, quando in ipſius obſervatione non emergit periculum animæ. Aſt in noſtro caſu graviſſimum periculum animæ emergit ob infelices exitus matrimonii coacti. Vide plura ex Tractatu de jure & juſtitia. De contractibus juramento firmatis.

DISTINCTIO XXIII.

De Conditionibus appoſitis contractui Matrimonii.

QUÆSTIO I.

Quomodo conditiones poſſibiles & honeſtæ reddant validum conſenſum ad matrimonium?

ADvertendum eſt 1. in quolibet contractu conſenſum poſſe dupliciter præſtari 1
ſcilicet abſolutè & conditionatè. Tunc præſtatur abſolutè, quando datur absque ulla conditione, vel limitatione; conditionatè verò quando datur dependenter à conditione à cujus exiſtentia valor contractûs dependet, & plerumque explicatur per particulam *ſi* vel *dummodo*. v. g. do tibi veſtem, ſi pater meus conſenſerit, vel dummodo pater meus conſentiat. Conditiones autem duplicis ſunt generis, quædam ſunt generales, quæ ita appellantur, quia tacitè cuilibet contractui inſunt, quamvis non exprimantur, ut ſi vixerimus &c. aliæ ſunt ſpeciales, quarum iterum aliquæ neceſſariæ & intrinſecæ contractui, ſine quibus contractus validè nequit fieri, & ſunt illæ, quæ licet non apponerentur adhuc ſubintelligerentur v. g. do tibi equum ſi meus eſt. Contraho tecum, ſi fœmina es, ſi non es conſanguinea. Aliæ verò ſunt non neceſſariæ & extrinſecæ, ſine quibus ſcilicet contractus validè poſſet fieri, & iſtæ poſſunt eſſe aliæ de præſenti, aliæ de præterito, & aliæ de futuro. Hæ de futuro iterum aliæ ſunt impoſſibiles ut v. g. ſi cœlum tetigeris digito, aliæ poſſibiles, quæ aliquando neceſſariò evenient, ut ſi ſol oriatur, aliquando ſolùm contingenter ut ſi pater conſenſerit, & prætereà aliæ conditiones ſunt turpes & inhoneſtæ, aliæ honeſtæ & licitæ. Ex turpibus aliæ ſunt contra intrinſecam matrimonii ſubſtantiam vel ejus inſeparabilitatem, aliæ vero non. De quibus omnibus quæri poteſt. An invalident matrimonium.

Advert. eſt 2. matrimonium admittere conditiones generales & tacitas: ut conſentio 2
in te, ſi tu conſenſeris in me &c. quæ tamen conditiones non ſuſpendunt conſenſum, ſed inefficacem reddunt, donec alter acceptet; nam aliud eſt conſenſum eſſe ſuſpenſum, & aliud eſt eſſe inefficacem; quia eſſe inefficacem eſt dicere conſenſum non eſſe ſufficientem ad ponendum effectum matrimonii, & ſic conſenſus unius conjugis absque alterius acceptatione non eſt ſufficiens; conſenſum verò eſſe ſuſpenſum eſt dicere, conſenſum non eſſe pro hic & nunc niſi purificetur conditio: cum ergo conditio, quæ tacitè ineſt, nihil operetur L. 44. ff. de conditionibus & demonſtrationibus, ſic non poterit ſuſpendere conſenſum. Obſervandum tamen

eſt juxta L. 51. ff. tit. citato. Conditiones generales nihil operari, quando non exprimuntur, bene tamen ſi exprimuntur. Unde ſi exprimatur in legato hæc conditio generalis, ſi legatarius acceptabit, ſenſus eſt, ſi legatarius ſe declaraverit velle, & ſic benè ſuſpendit legatum & facit illud conditionale, ut habetur L. *ſi ita* 45. ff. de Legatis II. nec legatarius ante voluntatis propriæ declarationem comparat legatum, & ſic priusquam declaret, moriatur minime transmittit legatum ad hæredem. Conditione tamen non expreſſâ ſtatim legatarius acquirit, quamvis ignorans legatum & ad hæredes tranamittit, ut L. *cum pater* ff. de Legatis. Similiter etiam conſideranda eſt illa conditio. Si DEUS voluerit vel illi placuerit; nam ſi contrahentes intelligant ſolam voluntatem beneplaciti, quâ ſcilicet DEUS omnia, quæ fiunt, permittit, aut vult, tunc eſt conditio generalis, quæ in omni contractu intelligitur, & ſic non ſuſpendit conſenſum, ſi verò intelligatur de voluntate DEI approbante, quaſi dicerent, ſi hic contractus DEO non diſpliceat, tunc ſuſpendet contractum, donec conſtiterit DEO non diſplicere. Hinc conditio, quâ dicitur, ſi placuerit Eccleſiæ eſt vera conditio, & ſtante impedimento ſuſpendit conſenſum, cum ſemper ſit intelligenda de voluntate approbativà; nam in Eccleſia non reperitur illa duplex voluntas ſicut in DEO. Hinc ſi ſponſalia ſub tali conditione eſſent contracta, & repertô impedimentô non oriretur publica honeſtas, eò quod non ſint purè contracta. His notatis.

3 Propoſitio I. *Conditiones intrinſecæ quæ neceſſario inſunt matrimonio, ita ut absque iis nequeat matrimonium conſiſtere* v. g. *ſi non es conſanguinea, non reddunt matrimonium conditionale:* Ratio eſt. Quia ſimiles conditiones tacitè & intrinſecè includuntur in ipſo contractu matrimonii, ac in ejus eſſentiâ ſunt imbibitæ, cum iis ſecluſis corruat matrimonium; ſed conditio quæ tacitè ineſt nihil operatur, ut diximus advertendo ſecundo, quamvis alias natura conditionis ſit ſuſpendere contractum.

Nec dicas: ſponſalia ſunt conditionata, quando additur, ſi placuerit Eccleſiæ ut diximus ad finem advert. 2. ergo etiam quando additur: ſi non es conſanguinea, quia videtur eſſe idem, ſi Eccleſia approbaverit, vel ſi impedimentum non interceſſerit.

Reſpondeo neg. conſeq. quia diverſimodè ſunt adjectæ & expreſſæ præfatæ conditiones, nam dum abſolutè dicitur, ſi non es conſanguinea, ſi non eſt impedimentum, adjicitur eô prorſus modô, quô ineſt conditio contractui, & ideo nihil operatur, unde non tantum ſufficit conditionem exprimere, ut expreſſa operetur vel moveat. Sed debet diverſô modô ab eô, quô ineſt exprimi; hinc quando dicitur ſi Eccleſia approbaverit, aliô modô, quô ineſt, adjicitur; intelligitur enim, ſi ſolerti indagine præmiſſa repertum fuerit Eccleſiam hujusmodi matrimonium approbare. Unde etiam in aliis, ſi dicitur: confero tibi beneficium, ſi idoneus es, collatio non ſuſpenditur, ſecus verò ſi dicitur, ſi fueris repertus idoneus, nam ſubintelligitur poſt diligens examen. Interim tamen ille contrahens cum eâ conditione, ſi non es conſanguinea, licet non ſuſpendat contractum, operatur tamen, ut non incurrat excommunicationem latam Clem. *un.* de conſanguinitate & affinitate ſuper eos, qui ſcienter cum conſanguineis vel Monialibus contrahunt; nam ille eô ipsô, quod apponat conditionem de conſanguinea non habet affectum ſcienter cum tali contrahendi.

Propoſitio II. *Conditio extrinſeca de eventu neceſſario non ſuſpendit matrimonium, ſed abſolutè eſt validum ac ſi conditio non eſſet adjecta:* Ratio eſt, quia cum illa conditio ſit præſens & determinata in ſuâ causâ naturali, ita ut ſit impoſſibile oppoſitum eſſe, ſic jam cenſetur impleta, quod confirmat L. *impoſſibilis cauſa* ff. de verborum obligatione, ſi talis conditio inſeratur ſtipulationi, ſi in cœlum non aſcendero, hæc utilis & præſens eſt. 4

Nec dicas: ſaltem ſi quis diceret contraho tecum ſi Antichriſtus naſcetur, ſi condemnabitur, ſuſpendit contractum, quamvis neceſſariò eveniet nativitas Antichriſti jam in Scripturis revelata, quæ non poſſunt falſificari, nam licet illa conditio per accidens ex ſuppoſitione ſit neceſſaria, in ordine tamen naturæ eſt contingens: ergo.

Reſpondeo neg. ant. nam talis conditio ex ſuppoſitione neceſſaria non ſuſpendit matrimonium, quamvis ſit contingens in ordine naturæ, quia contrahentes illam tam neceſſariam ſuppoſito Scripturæ teſtimonio credunt, ſicut credunt cras ſolem oriturum, & ſicut hæc jam eſt determinata in ſua cauſa naturali proxima, ita illa in divina.

Propoſitio III. *Si contrahentes conditionem neceſſariam crederent eſſe contingentem ſuſpenderet matrimonium usque ad conditionis eventum:* Ratio eſt. Quia talis conditio in intentione & voluntate contrahentium eſt contingens, & ſic effectum conditionis contingentis debet ſortiri, cum matrimonium conditionale pendeat ex conſenſu contrahentium; ſimiliter dicendum eſt, quando conditiones neceſſariæ ſunt reſpectu noſtri incertæ v. g. deſponſabo te ſi luna tali die eclipſetur, nam tunc etiam ſuſpenditur contractus. Cæterùm tamen obſervandum eſt, an conditio adjiciatur ut temporis prædefinitio, vel ut conditio; unde ſi quis diceret contraho tecum ſi pater meus moriturus eſt. Si ſol cras oriatur, ſi ſubintelligeret prædefinitionem temporis, tunc non ſtatim eſſet matrimonium, donec tempus præfinitum: accedat, nam ſenſus illius eſſet, contraho tecum, quando pater 5

Digitized by Google

meus moritur, quando cras ſol oritur, ſi vero ſubintelligeret conditionem, non ſuſpenderet contractum; quia cum ſit conditio neceſſaria jam eſt in ſuâ cauſâ præſens & determinata, ſi verò dubium eſt, an ſubintelligerent conditionem vel præfinitionem temporis judicandum erit pro præfinitione temporis.

Nec dicas: §. *conditiones.* Inſtit. de verborum obligatione. dicitur: *Quæ enim per rerum naturam certa ſunt, non morantur obligationem, quamvis nobis incerta ſint*: ergo.

Reſpondeo illum textum ſolùm loqui in conditionibus de præterito vel præſenti, ubi conſenſus jam etiam eſt determinatus & abſolutus, non verò de futuro.

6 Propoſitio IV. *Notitia exiſtentiæ conditionis præſentis vel præteritæ non eſt neceſſaria, ut contractus habeatur factus & validus.* Ratio eſt, quia ille qui conſenſit non intendebat ſe obligare ad notitiam exiſtentiæ talis conditionis; quando conſenſit; ſed regulariter ad nudam ejus exiſtentiam, unde ſi Petrus conſenſit cum Paola ſi nobilis es, ſic contraxit ſub conditione exiſtentiæ rei ſignificatæ per eam conditionem, nempe nobilitatis & non ſub conditione notitiæ nobilitatis, & ſic ſuum conſenſum allegavit exiſtentiæ nobilitatis, & non notitiæ illius, & ideo matrimonium eſt validum, ſi conditio reipsâ exiſtat, quamvis qui conſenſit cum tali conditione notitiam ejuſdem exiſtentiæ non habeat.

Nec dicas: In Tractatu de Sacramento pœnitentiæ non admittimus formam eſſe validam ſub conditione de præterito prolatam, ſi non habeatur ejus exiſtentiæ notitia, cum ſic Sacramentum non eſſet ſignum moraliter nos reddens certos de effectu ejus: ergo nec hic contractus matrimonii Sacramenti ob eandem rationem erit validus.

Reſpondeo neg. conſeq. quia in aliis Sacramentis forma omnino debet eſſe immediate ſignum moraliter nos reddens certos de affectu Sacramenti, cum ſic à Christo Domino ſit inſtitutum, in matrimonio autem, cum conſiſtat in contracto, non eſt alia forma Sacramenti, quam quæ eſt ipſius contractûs, hinc cum in contractu ſuum conſenſum alleget quis exiſtentiæ conditionis & non notitiæ ejus, ſic cum poſſit talis conſenſus eſſe forma contractus, ſic etiam hoc mediante poterit ſufficere pro forma Sacramenti. Cæterum quamvis formæ Sacramentorum non ſint conditionatæ, nec ſolent ſub conditione proferri, ſi tamen proferantur cum conditione eorum ſubſtantiam non deſtruente, adhuc ſunt validæ, quia non ob id ſuſpenditur eorum effectus, unde ſi baptizans dicat: ſi homo es, te baptizo adhuc baptiſmus eſſet validus. His propoſitis:

7 Aſſero 1. ad quæſtionem. *Conditio poſſibilis & honeſta de præſenti vel præterito adjecta matrimonio illud non vitiat nec ſuſpendit; ſed matrimonium ſtatim reddit validum vel invalidum, ſi conditio exiſtat vel non exiſtat; de futuro verò ſuſpendit contractum celebratum per verba de præſenti, uſque dum conditio adimpleatur.* Eſt communis & colligitur ex Scoto in 4. Diſt. 29. q. un. §. *de ſecundo.*

Probatur 1. pars, qui ſub aliqua conditione conſentit, ſe intendit obligare ſolùm ſuppoſitâ talis conditionis veritate; ergo ſi talis conditio detur ſtatim obligatus manet, ſecus ſi non detur. Conſequentia patet, talis enim valor matrimonii & obligatio ex ſolâ voluntate contrahentis oritur, & conſequenter ſi ſe obligare non intendit, niſi ſuppoſitâ tali conditione utique obligatus non manebit ſi illa non exiſtat, ipsâ vero exiſtente ſtatim obligatus manet, quia nihil aliud in tali caſu deſideratur ad verum matrimonium.

Probatur 2. pars: natura conditionis ea 8
eſt, quòd ſuſpendat valorem contractûs ſub eâ initi, quoadusque purificetur conditio ut habetur L. *ſi ita ſtipulatus* ff. de verborum obligatione, ſed nullo modo rejiciuntur à matrimonio conditiones poſſibiles & honeſtæ: ergo tales ſuſpendent matrimonium in eſſe valoris uſque ad impletionem conditionis ut habet C. *ſuper eo* de conditionibus appoſitis.

Addo notanter dictum eſſe in ſecunda parte aſſertionis celebratum per verba de præſenti, non autem de futuro ſcilicet contraho tecum, ſi pater tuus non contradixerit, nam ſi per verba de futuro diceret: contraham tecum ſi pater tuus conſenſerit, non foret contractus matrimonii; quia contractus per verba de futuro conditionatus nullum de præſenti conſenſum præſtat, ſed ſolùm promittit præſtandum de futuro, ideo ſolùm purificata conditione obligabit contrahentes ad præſtandum conſenſum de præſenti.

Objicies: nunquam licet contrahere matrimonium etiam ſub conditione poſſibili & 9
honeſta: ergo non reddet matrimonium validum. Ant. probatur. Ideo licet contrahere contractu emptionis & venditionis &c. ſub conditione, quia tales contractus licet non ſint validi vi conſenſus conditionalis; tamen vi juris communis ſupplentis conſenſum revalidantur, ſed jura non ſupplent defectum conſenſûs in matrimonio: ergo.

Reſpondeo neg. ant. ad probam etiam neg. maj. quia homo ſuo conſenſu habet naturalem poteſtatem efficaciter ſua bona transferendi non ſolùm purè & abſolutè, ſed etiam ſub hac vel illa conditione, nec eſt major ratio, cur reliqua ſua bona ſub conditione transferre poſſet, & non etiam corpus, hinc ubi lex certam formam non præſcribit in contractu obligatio & modus ipſius admittendus eſt ex mutuo conſenſu, qui in contractibus eſt lex ut habet regula 85. juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur* ſcilicet

quâ

quâ conventione homines ſe mutuò obligant ductu naturæ. Aſt nulla lex præſcribit ut contractus matrimooialis verbis de præſenti initus ſub conditione futurà non poſſit adimpleta conditione ſuam obligationem exercere ſine juris ſuppletione.

Dices: Matrimoniom eſt perpetuum: ergo ſupra reliquos contractus exigit conſenſum perfectiſſimum et liberrimum, ſed talis non eſt conſenſus conditionatus cum abſolutus ſit perfectior: ergo.

Contra vel nego primam conſequentiam, quia cum conſenſus ſuam efficaciam habeat ab ipſomet operante, & operans habeat poteſtatem non minus per unum quàm alium conſenſum ſua bona in alios transferendi, ſic nihil refert, utrum uno vel alio conſenſo, dummodo ſit liber, contrahetur matrimonium. Vel neg. min. ſubſumptam, quia non minus poteſt eſſe perfectiſſimus conſenſus & liberrimus ſub conditione quàm abſolutè præſtitos, nam etſi conditio, quâ conſenſus matrimonialis præſtatur, pendeat ab eventu futuro, usque ad quem manet ſuſpenſus; quia tamen hoc totum ſit ex libera voluntate contrahentium ſponte eligentium hunc modum contrahendi nihil derogat aut perfectioni aut libertati contractûs, imò ſupra cæteros contractus habere poteſt, ut ſub conditione cum majori conſilio & maturiori deliberatione fiat conſenſus.

10 Aſſero 2. *Conſenſus conditionatus de futuro adimpleta conditione tranſit in abſolutum de præſenti, ita ut ad valorem matrimonii in ratione contractus non requiratur novus conſenſus, bene tamen in ratione Sacramenti.* Eſt Hiquæi noſtri in Commentario. Scoti in 4. Diſt. 3. q. 2. n. 58. quoad ſecundam partem contra Canoniſtas.

Probatur prima pars: alii contractus conditionales purificatâ conditione absque novo contrahentium conſenſu ſtatim transeunt in abſolutum L. hæc venditio ff. de contrahenda emptione; ubi dicitur conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum completa fuerit conditio. Tum quia ſi novus conſenſus requiritur ad validandum matrimonium conditionatum, tunc ille conſenſus conditionatus eſſet fruſtratorius, & haberetur pro non facto; quia nihil operaretur, quod eſt falſum, cum Sacri Canones tale genus matrimonii admittant, & dicant, quod contractus conditionatus purificatâ conditione reddatur abſolutus: ergo & matrimonium adimpletâ conditione obligat non exſpectato novo conſenſu, ſed vi prioris conſenſus præcisè.

Reſpondent Adverſarii: Magnum eſſe diſcrimen inter reliquos contractus & matrimonium; quia contractus matrimonialis non obligat ex tunc quando conſenſus ſub conditione præſtatur, ſed quando adimpletur conditio; reliqui verò ſuam obligationem ſortiuntur, quando conſenſus ſub conditione præſtatur.

Contra eſt: Hoc diſcrimen nullum eſſe, nam licet matrimonium non obliget obligatione in re ſub conditione contractum, ſicut contractus, aliquis obligat tamen in ſpe, hoc eſt in eventum conditionis, quod omni contractui conditionali proprium eſt. Unde ſi aliquis contrahens ante conditionis eventum hunc conſenſum revocet, & cum alia contrahit hoc ſecundum matrimonium quidem efficit validum & abſolutè contractum, malè tamen & illicitè reſilivit à priore ſponſione ante conditionis eventum, imò ſi ante talem eventum revocâſſet ſuum conſenſum, matrimonium eſſet nullum; ſed iterum nego illum id licitè potuiſſe facere, nam non poteſt, antequam conditio deficiat, recedere à ſponſione, ſed tenetur expectare usque ad conditionis eventum; id enim eſt proprium omni contractui conditionali, ut ante conditionis eventum neutri liceat altero invito reſilire L. *qui balneum*, L. *potior cauſa* ff. qui potiores ſunt pignore, proinde nullus altero invito reſilire poteſt, alias nulla eſſet obligatio ex eo contractu orta etiam in aliis contractibus.

11 Probatur 2. pars: Sacramentum de præſenti debet habere ſuas cauſas conſtitutivas de præſenti, ſed quando purificata conditione matrimonium tranſit à conditionali ad abſolutum, tunc cauſa conſtitutiva materialis non haberetur actu & de præſenti, ſed ſolum habitualiter: ergo in ratione Sacramenti debet adeſſe novus conſenſus. Tum quia Sacramenta novæ legis non poſſunt dependere ab eventu futuro, aliàs forma abſolutionis in Sacramento pœnitentiæ prolata ſub conditione de futuro poſſet ſuſpendi usque ad exiſtentiam conditionis v. g. ego te abſolvo, ſi cras reſtituas, quod omnino falſum; quia talia Sacramenta manifeſtè exponerentur periculo nullitatis: ergo nec matrimonium in ratione Sacramenti ſine novo conſenſu abſoluto erit validum.

12 Objicies contra 1. partem: Actus legitimus non recipit diem neque conditionem. L. *actus legitimi* ff. de regulis juris. Et regula 50. de regulis juris in 6. ſed matrimonium eſt actus legitimus: ergo nec valet in ratione contractûs ſine novo conſenſu excludente ultro conditionem vel diem.

Reſpondeo vel conc. totum nempe matrimonium non recipere diem vel conditionem. Nego tamen quod conſenſus illa non recipiat, nam cum ante conditionis eventum matrimonium nondum ſit, non poteſt dici diem vel conditionem recipere; quod enim nondum eſt, recipiendi capax non eſt. Bene tamen conſenſus, qui præſtitus eſt, dici poteſt diem aut conditionem recipere; nam talis conſenſus ex intentione contrahentium ſuum effectum, qui eſt ipſum matrimonium, non ope-

operatur niſi adimpletâ cooditione, quæ impletâ non amplius recipitur in matrimonio cum hoc non amplius pendeat à conditione. Vel diſtinguo maj. actus legitimus non recipit dum vel conditionem univerſaliter neg. actus legitimus oominatus in jure conc. maj. nam illa regula non eſt de omnibus actibus legitimis univerſaliter intelligenda, nam docet Gloſſa ibidem & C. *ſuper eo* de conditionibus appoſitis. Canonica inſtituta non improbare conditionem matrimonio apponi, unde intelligenda eſt ſolùm de illis actibus, qui in citata lege recenſentur, ut ſunt emancipatio, acceptatio, hæreditatis additio, ſervi optio, datio tutoris, qui vitiari dicuntur per temporis vel conditionis adjectionem, quorum tamen aliqui ut Gloſſa notat, tacitè diem aut conditionem admittunt.

Dices: Matrimonium pertinet ad eos contractus, qui traditione perficiuntur, ſed hi ſub conditione celebrati non purificantur ſolo conditionis eventu, niſi adſit traditio: ergo nec matrimonium purificatur ſolo conditionis eventu, niſi novus adſit conſenſus de præſenti expreſſus, quô mutua corporum traditio fiat.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia reliqui contractus, qui traditione perficiuntur præter conſenſum externè expreſſum invicem obligantem, requirunt alium actum, quô ſibi res traduntur, matrimonium verò præter illum conſenſum ſenſibilem non requirit alium actum, quô invicem corpora traduntur, cum in illo conſenſu includatur corporum traditio & acceptatio; in hoc enim tanquam prima radice omnium obligationum conſiſtit matrimonium.

Dices: Si contrahunt inhabiles ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſaverit, poſita iſtâ conditione non ſtatim eſt validum matrimonium in ratione contractûs, ſed poſitâ diſpenſatione requiritur novus conſenſus: ergo etiam in noſtro caſu.

Contra negant aliqui antecedens ut Bocina q. 2. puncto 10. & alii, ſed tranſmitto ant. quia omnino videtur in caſu propoſito nunquam eſſe conſenſum de præſenti abſolutum & inter perſonas habiles, nam quamvis tempore adimpletæ conditionis perſonæ ſint habiles, tunc tamen conſenſus non eſt de præſenti, ſed eſt præteritus & antiquus; igitur rurſus ex integro de novo debet præſtari, & iniri contractus; nam etiam Eccleſia ſemper pro nullo reputat conſenſum præſtitum à perſonis impeditis; hinc diſparitas eſt ad illum caſum, quòd ad matrimonium omninò requiratur, ut conſenſus proferatur à perſonis, quæ tunc ſunt habiles, & quòd agnoſcatur pro conſenſu ab Eccleſia, nam conſenſus utilis & validus non ſolùm debet referri ad caſum & tempus habilitatis, ſed debet à perſona habili proferri; in noſtro autem conſenſu conditionato à perſonis habilibus id habetur, ideo ſine novo conſenſu validabit matrimonium. Imò ad ſummum adhuc dici poſſet, quod tales inhabiles conditionatè contrahentes ſolùm faciant ſponſalia valida ſine novo conſenſu non verò matrimonium, ita ut, qui ſub conditione promiſit, ſi impedimentum collatur, teneatur poſtea promiſſum implere, & contractum inire; nam bene ſtare poteſt, ut quis ſit habilis ad promittendum non tamen ad contrahendum, ut patet in impuberibus, qui poſſunt quidem ſponſalia inire, non tamen matrimonium contrahere. Tandem probabilius eſt dicere, neceſſe eſſe parochum & teſtes aſſiſtere matrimonio, dum expletur conditio, ut de valore matrimonii valeant teſtificari, & non ſufficere adſtitiſſe, dum primò præſtitus eſt conſenſus conditionatus; nam Tridentinum requirit contractum matrimonii coram parocho perfectum & celebratum, ut de tali perfecto modo conſtet in facie Eccleſiæ; ſed contractus ſub conditione initus non eſt completus ante purificationem conditionis, nec antea conſtat eſſe perfectum: ergo debet etiam conditio conſtare parocho. Nec per hoc nobis contradicimus in prioribus, ubi in matrimonio cum impedimento celebrato facta diſpenſatione ad ratificationem ejus non requirimus præſentiam parochi; nam diſcrimen eſt inter hos caſus; quia illud matrimonium cum impedimento occulto contractum in facie Eccleſiæ & foro externo habetur tanquam validum, ideo ſufficit ſolùm in foro interno ſupplere defectum. At matrimonium ſub conditione initum coram parocho non cenſetur validum & perfectum niſi per adimpletionem conditionis, quæ igitur debet nota eſſe parocho, alias in Eccleſia non magis conſtaret matrimonium eſſe perfectum quàm reſciſſum defectu conditionis; unde in priori caſu antiqua præſentia parochi eſt ſufficiens ad incommoda evitanda, non vero in caſu poſteriori. Nec ſatis eſt dicere, poſſe etiam Eccleſiæ aliis modis conſtare de conditionis adimpletione, licet non per Parochum, ſicut non ſemper conſtat Parochis mandatum procuratoris & validitas, dum quis contrahit per procuratorem, nec ſemper Parochi vident diſpenſationes, quando contrahunt conſanguinei, dummodo per alios ipſis conſtat; nam aliud ſtatuit Eccleſia de circumſtantiis ex parte contrahentium requiſitis ut eſt legitimitas procuratoria vel diſpenſatio, & aliud de circumſtantiis ex parte contractûs validi, ut eſt conditio adjecta. Unde quamvis etiam aliunde poſſit Eccleſiæ conſtare de conſenſu contrahentium, attamen Eccleſia requirit, ut præciſè illo modo per parochum conſtet ad evitanda plura incommoda, ſic etiam hoc in matrimonio conditionato dici debet.

Objicies contra 2. partem: multæ leges & Canones dicunt matrimonium purificata

enndítione eſſe abſolutè validum: ergo tam in ratione cnntractûs, quàm Sacramenti ſine nnvo conſenſu.

Reſpondeo illns textus ſolùm probare matrimonium in ratione contractûs novum conſenſum non requirere ad cjus validitatem, non sutem id probant in ratione Sacramenti.

Dices: Ex hoe ſequeretur, qnod talis contractus matrimonii eſſet ſruſtrarorius, quia non eonſequeretur ſuum finem id eſt valorem Sacramenti; ſed hne eſt abſurdum: ergo.

Contra neg. msj. quia nnn eſt fruſtratus talia conrractua, cum ralis contrahens poſſit civiliter vi hujus contractûs matrimonii obligari & compelli, ur conrrahat ſacramentaliter, ur habet C. *ſuper eo* de conditionibus appoſitis quare novus conſenſua requiritur non ad obligationem vinculi inducendam, ſed ad perficiendum talem contractum ſub ratione Sacramenri.

Dicea: Conſenſua ſufficiena ad contractum eſt eriam ſufficiens ad Sacramentum; quia Chriſtus naturam contractûa non immutsvit, ſed ſolum dignitarem adjecir: ergn.

Contra diſt. ant. ſi conſenſus ſit abſolutus tune qui ſufficir ad contractum, ſufficir etiam ad Sacramentum ennc. ſi conſenſua ſir conditionatus neg. ant. diſparitas autem eſt, quia Chriſtus ſolùm conrractui abſoluto de præſenti & huie immutaro quoad naturam adjecit dignitarem ſacramentalem, eonſenſus autem conditionatus nnn eſt talia.

Dicea: Conſenſua prius conditinnatus adimpletâ conditiona ſtatim trenſit in abſolurum contractum, & inducit vinculnm indiſſolubile: ergo & rationem Sacramenti.

Contra neg. conſeq. quia vinculum matrimnnii poreſt induci abaque eo, quòd Sacramentum conſeratur, quod requirit eontractum abſolutum & perſectum præter rationem legitimsm eontractûs ut ſic.

Dices: Quando matrimonium celebratur per procurarnrem vel epiſtolam tune conſenſua principalis non ſemper eſt actu, ſed ſolum in habiru: ergo etiam hic ſuffieit, quòd conſenſua moralırer & habirualiter perſeveret usque sd impletionem conditionis.

Contrs neg. conſeq. diſparitas eſt; quia ennſenſus per procuratorem vel epiſtolam præſtitus manet actualis in ſuo effectu actuali, quatenua manet expreſſus in mandsm & literis, quæ verbis de præſenti æquivalent, hne autem de conſenſu eonditionato non poteſt dici; quia nec completus eſt, neque manet in ſuo ſenſibili effectu, qui ei æquivaleret quando conditio adimpletur.

QUÆSTIO II.

Quomodo conditiones impoſſibiles & turpes invalident matrimonium?

ADvertendum eſt 1. Jus Canonicum cap. *finali* de conditionibus appnſitis ſpecialem habere conſtitutionem dé conditione turpi & impoſſibili dicendn: *Licet alia conditiones appoſita in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, propter favorem ejus debeant pro non adjectis haberi:* antequam tamen hoc rectè intelligatur, obſervandum eſt, ſi de ſoro interno conſcientiæ agatur, ſtandum eſſe ſeriæ intentinni contrahentis ſub conditione, qualiscunque deinde ſir condicio, hoc eſt, quamvia Eccleſia judicet matrimonium, quando eſt turpis & impoſſibilis, validum, præſumit enim minimè deſuiſſe hujusmodi conſenſum conditionibus adjectis, in foro tamen conſcientiæ, ſi contrahens noluit inire matrimonium, niſi eveniente conditione, non erit matrimonium ante illius eventum, & ſic ſi nunquam evenire poteſt, quia impnſſibilis eſt, ſie nunquam erit matrimonium in conſcientia; quia matrimonium ſine eonſenſu nullatenus eſſe poteſt; unde cum adjecto conditionis impoſſibilis ſir potiua indubitarum ſignum diſſenſûa; nam qui ſe non vnle obligare etiamſi ſub conditione impoſſibili non habet intentionem ſe nbligandi, cum impoſſibilium nnn ſir obligatio, ideo L. *impoſſibilis* ff. de verbotum nbligatione alios contractus factos cum eonditione impoſſibili reputat nullns; hine matrimonium ſub rali conditione impoſſibili in ſoro conſcientiæ eſt nullum, tnta ergo eſt difficultas, quomodn ſtante hâc veritate de invaliditare matrimonii in ſoro conſcientiæ adhuc potuerit Pontifex in illn C. *finali* ſtatuere conditinnem impoſſibilem hsberi pro nnn adjecta, & matrimonium valere, de quo dicemua in objectionibus ad aſſertionem primam. 1

Advert. eſt 2. De eonditinnibns impoſſibilibua ut habeantur pro non adjectis tria potiſſimum debere concurrere, primùm eſt, qund conditio impoſſibilis non debeat reputari poſſibilis, ſed etiam ſciri ut impoſſibilis, ut eſt à pari in teſtibus ubi actua teſtandi ſub conditiona impoſſibili, quam teſtator exiſtimabat pnſſibilem, habetur pro nullo L. *ſervo manumiſſo* ff. de conditinnibus indebitis, cujua ratio eſt; quis lieet conditio in ſe ſir impoſſibilis, ſi tamen reputatur contingena, habet in animn & apprehenſione contrahentis eandem vim, ac ſi eſſet poſſibilis, ſed conditin ſi eſſet poſſibilis non rejiceretur ergo nec impoſſibilie reputara ut poſſibilis. Interim tamen Eccleſia in ſoro externo non præſumet contrahentea repurâſſe conditionem eſſe poſſibilem, niſi prudenter exiſtimabant eſſe pnſſibilem. 2

In

In foro tamen conſcientiæ quamvis imprudenter reputent conditionem eſſe poſſibilem non erit matrimonium; quia deficit conſenſus; cum enim crederent eſſe poſſe, ut conditio eveniat, non videntur conſentire niſi in illius eveotum qui nunquam fiet. Secundum eſt, ut etiam contrahentes ſint conſcii illius conſtitutionis ex cap. *finali.* de conditione impoſſibili, quòd habeatur pro non adjectâ & matrimonium purum. Nam cum conditio impoſſibilis ex naturâ ſuâ potius importet diſſenſum, ideo ut contrahentes in foro externo cenſeantur illam conditionem habniſſe pro non adjecta & contractum purum celebrâſſe, neceſſaria eſt notitia illius conſtitutionis, nam conſtitutio non obligat ignorantes C. *ſecundo* de conſtitutionibus, & illa ratio convincit pariter, quod non ſufficiat, ut hoc uni contrahenti ſit notum, ſed ambobns contrahentibus illud notum eſſe debet. Præterea quamvis alias ſolum ignorantia facti & non juris clari excoſet in foro externo, attamen ignorantia juris obſcuri excuſat, dicti autem capituli finalis conſtitutio eſt obſcura, cujus intelligentis doctiſſimos latet, & tam varia eſt quod doctores in diverſas abierint opiniones, ex quo videtur vix eſſe poſſibilem caſum, in quo matrimonium cum conditione impoſſibili in foro externo habeatur validum, quia nunquam hoc jus notum eſt ſaltem fœminæ contrahenti. Tertium eſt, quod tunc tantum conditio impoſſibilis cenſeatur pro non adjectâ, quando dubia eſt contrahentium intentio an animo conſentiendi vel potius irridendi illam conditionem appoſuerit, tunc enim favore matrimonii præſumit Eccleſia illa verba accipi in ſenſu abſoluto, nam cum vereatur periculum animæ, ſi forte ſeparentur, qui legitimi ſint conjuncti & aliis conjungantur matrimonio, ſic Eccleſia eligit in dubio, quod animæ eſt tutius; melius enim eſt contra jura hominnm permittere legitimè conjugatos, quam contra legem DEI eos ſeparare ut habetur C. *licet ex quadam.* de teſtibus. Ideo quod judex non innitens falſæ præſumptioni judicat in foro externo etiam io interno ſervandum eſt, quando non conſtat de oppoſito; hinc ſi ex conjecturis conſtaret coodi tionem impoſſibilem ex joco eſſe appoſitam ſine animo contrahendi, tunc etiam in foro externo matrimonium eſt nullum, quia jam intentio contrahentinm non eſt dubia. Tandem hæc omnia de conditione impoſſibili cum proportione ſunt extendenda ad conditionem turpem, quæ non eſt contraria ſubſtantiæ matrimonii, quæ conditio turpis etiam eſt aliqualiter impoſſibilis noo quidem ſecundum naturam, ſed ſecundum jus; nam id ſolum poſſumus, quod juſtè poſſumus dicit L. 125. ff. de verborum ſignificationibus.

3 Advert. eſt 3. conditiones dupliciter apponi poſſe in contractu ſcilicet per modnm ſimplicis obligationis & per modum ſuſpenſionis, primò modo apponuntur, qoando contrahens intendit tunc quidem ſimpliciter & abſolutè contractum inire, ſed ſub certis pactis & obligationibus, cum altera parte, qualiter contractus humani frequenter ſolent celebrari, in quibus noo remanet ſuſpenſus contractus uſque ad obligationis præmiſſæ impletionem, ſed ſtatim ex tunc firmus & abſolutus eſt contractus cum obligatione tamen partinm adimplendas conditiones impoſitas v. g. ſi quis diceret, contraho tecum, ſi mihi dotem ducentos mille aureos dederis, ſi mecum fueris, nempe ut ad hæc ſis obligata, quis tnnc cenſetur contrahens abſolutè inire contractum, ſed ſub certis pactis cum alterâ parte. Secundo verò modo per viam ſuſpenſionis appoountur, quando contrabens non vult aliter ſunm contractum valere, niſi per adimpletionem coodi tionis appoſitæ; ideóque valor contractus tunc ſuſpenditur uſque ad conditionis eventum. Interim tamen in adjectis conditionibus primo modo ſcilicet per viam obligationis nullo modo manet obligatio implendi tales conditiones & pactiones, ſi ſint de rebus illicitis & habentur tunc pro oon adjectis, cum potius ſit obligatio legis naturalis & poſitivæ ad illa non facienda, unde etiam hoc modo non inconvenienter explicari poſſent illa verba decretalis in C. *fin.* quæ dicunt conditiones turpes in matrimonio haberi pro non adjectis, nempe ſi fuerunt adjectæ per viam obligationis, nam talis obligatio & intentio non involvit animum ſubſtantiæ matrimonii contrarium.

Advert. eſt 4. tria eſſe bona matrimonii, 4
primum eſt perpetuitas ſeu indiſſolubilitas matrimonii. Secundum eſt ſuſceptio & educatio prolis. Tertiom fides inter ipſos conjuges nempe de non accedendo ad aliam, & de reddendo invicem debito, & hæc bona dicuotur eſſe de ſubſtantia matrimonii nempe quantum ad obligationem licèt non omnia quantum ad effectum, unde conditio ducendi uxorem ad tempus v. g. dooec ioveniam ditiorem vel pulchriorem, vel non ſervandi fidem, ant non procreandi prolem eſt contraria quoad ſubſtantiam matrimonio, ſive talis conditio apponatur per modum ſuſpeoſionis ſive per modum obligationis; nam ſi conditio eſt merè ſuſpenſiva ſcilicet intendendo contractum ſuſpendere uſqoe ad illius execntionem, tunc ſanè matrimonium non perficitur, cum deſit intentio abſoluta illud perficiendi. Imo etiam adimpleta talis conditio eſt deſtructiva matrimonii, quia non poteſt ſtare matrimonium per talem conditionem, quæ directè pugnat ejus principali effectni & fini ob quem ex natura rei eſt inſtitutum matrimonium, ſic etiam quando apponitur per modum obligationis, utpote contrahendo cum pacto & obligatione evitaodi prolem &c. matrimonium omnino reputari debet infectum; eſt enim de ſubſtantia

ſtantia matrimonii obligatio non impediendi prolem per media illicita, ſervandi fidem conjugalem & perpetuò ſuſtinere vinculum ejus. His notatis

5 Propoſitio I. *Conditio turpis appoſita matrimonio, quæ contrariatur ſubſtantiæ matrimonii invalidat omnino matrimonium:* Ratio eſt, quia ſine ſubſtantia nihil poteſt ſubſiſtere C. *tua nos* de ſponſalibus: ergo ſi ſubſtantiæ matrimonii conditio contraria apponatur, non ſubſiſtet matrimonium v. g. ſi quis dicat, contraho tecum, ſi in te non transferam dominium corporis mei ad uſum conjugalem, ſi ſterilitatem procuraveris &c. unde cap. *finali* de conditionibus appoſitis expreſsè deciditur, ſi conditiones contra ſubſtantiam matrimonii inferantur, matrimonialis effectus quantumcunque favorabilis ſit caret effectu. Præterea patet à pari, quia alii contractus annullantur ob conditionem eorum ſubſtantiæ contrariam, ut ſi contractus ſocietatis ineretur hac conditione ut lucrum vel damnum commune non ſit. Vel contractus emptionis ut venditor rei venditæ dominium reſervet: ergo etiam conditio repugnans ſubſtantiæ matrimonii vitiabit illud.

Nec dicas: donatio mortis causâ facta ex naturâ ſuâ eſt revocabilis, ut omnes leges dicunt & adhuc valet licèt ei apponatur conditio ſubſtantialiter contraria v. g. dono tibi, ut ſit hæc donatio irrevocabilis ut habetur L. *ſi ita ponatur* ff. de mortis causâ donationibus: ergo etiam valebit matrimonium ſub tali conditione contraria,

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt deſumenda ex eo, quòd ſæpe conditiones transferant contractum ex una ſpecie in aliam, ut in exemplo allato conditio irrevocabilitatis addita donationi factæ mortis causâ transfert illam donationem in donationem inter vivos, atque ut talia ſuſtinetur valida in cit. L. expreſſis verbis. Contractus autem matrimonialis ſub conditione contrariâ ſubſtantiæ matrimonii in nullum alium contractum ſpecie diverſum tranſire poteſt, imò etiamſi tranſiret fortè ſolum in ſponſalitium adhuc non valebit ut talis contractus ſcilicet matrimonialis.

6 Propoſitio II. *Validè quis contrahit matrimonium cum expreſsâ intentione turpi intra ſe* v. g. *ſæpe adulterandi, aliam priori vivente ducendi, abortum procurandi* &c. Ratio eſt, quia ipſa actualis obſervatio & conſequenter etiam intentio obſervandi bona matrimonii non eſt de eſſentia vel ſubſtantia matrimonii: ergo ſolum prædicta bona matrimonii excluduntur quoad actum ſecundum, non tamen ipſe contractus eſſentialis matrimonii. Antec. probatur. Habere intentionem firmam ea non ſervandi non pugnat cum intentione ad ea ſe obligandi, ſicut in probabili ſententia propoſitum non exequendi votum non pugnat cum voluntate ſe obligandi ad votum, nam hæc dicit ſolum votum ſe obligandi, illa verò actum non exequendi, ad quod ſe obligavit, ſed hæ voluntates non ſunt inter ſe pugnantes, cum verſentur circa diverſa objecta, una ſcilicet circa obligationem dando jus alteri exigendi à ſe quod promiſit. Altera verò circa negationem executionis, non tamen tollendo in altero jus exigendi, nec conſequenter removendi à ſe debitum & obligationem ſervandi ad quod ſe obligaverit: ergo.

Nec dicas, qui habet firmam intentionem non ſervandi bona matrimonii non poteſt ſe obligare per ſuum conſenſum ad ea ſervanda; nam aliàs ſua voluntate induceret obligationem & non induceret obligationem, quia voluntas, quæ non vult ſervare matrimonii bona, non poteſt efficaciter ſe velle eſſe obligatam ad illa: ergo.

Reſpondeo neg. ant. ad ejus rationem etiam nego ſecundam partem, ad cujus rationem iterum nego antecedens; nam poteſt quis ſe velle eſſe obligatum, quamvis non vellet exequi iſtam obligationem, ideo talis vellet ſe ſemper malè agere, & quidem ſpecialiter contra hanc obligationem, quod utique aliquia ex malitia poteſt facere; adeóque ſi contrahentes vel unus eorum nec haberet animum etiam ad hæc obligandi, omnino planè deficeret conſenſus eſſentialis pro matrimonio, ſecus tamen ſi ſolùm habeter animum non ſervandi ea, cum ipſa actualis obſervatio non ſit de eſſentia & valore talis contractûs ſed ſufficit intentio ſe obligandi ad ea. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Contractus matrimonii cum annexa conditione impoſſibili cognita quâ tali, & ſcitâ pro non adjectâ haberi à jure, ac in dubio ſerii animi contrahendi eſt abſolutus & validus non tantum in foro externo ſed etiam interno.* Eſt Canoniſtarum cap. *finali*, de conditionibus appoſitis. 7

Probatur 1. pars: ſi quæ eſſet ratio cur matrimonium ſub conditione impoſſibili non eſſet validum foret hæc, quia conditionis impoſſibilis adjectio eſſet ſignum certum diſſensûs; nam communiter quando alterius petitioni diſſentiri volumus conditionem impoſſibilem apponimus & ſub ea promittimus, ſed potuit Eccleſia conditionem impoſſibilem rejicere, eámque haberi pro non adjecta ſtatuendo ut potius indicet conſenſum ergo ſuppoſito quod ita ordinaverit, talis conditio impoſſibilis manifeſtè indicat conſenſum quamvis alias relicta ſoæ naturæ potius indicaret diſſenſum; ſed Eccleſia actu in favorem matrimonii conditionem impoſſibilem pro non adjecta habet, ut patet ex ſæpe citato cap. *finali* de conditionibus appoſitis: ergo tale matrimonium quod aliàs naturæ relictum irritum eſſet, in jure firmum & validum erit. Min. prima probatur. Potuit jus in aliis contractibus diſponere, ut conditio impoſſibilis

bilis haberetur pro oon adjectâ; quæ enim implicancia? ergo etiam in matrimonio hoc autem quod potuit, actu fecit in cit. cap. *fin*, vel etiam dici poſſet Pontificem in cit, cap. oon voluiſſe dicere & præſumere externè illud matrimonium valore defacto cum conditio impoſſibilis potius eſſet ſignum præſumptionis de diſſenſu & invaliditate, ſed ſolum illum teneri, qui eam conditionem appoſuit denuo verè contrahere, ita ut ſaltem ille prior contractus vim habeat promiſſionis, ut in ſoro externo talis ſit cogendus ad verè contrahendum, ſicut in aliis ſponſalibus in favorem matrimonii ad tollendos abuſus & ſraudes. Ita explicat illud C. Paludanus & Maſtrius.

8 Probatur 2. pars; tnm quia in dubio ſeriæ intentionis judicat Eccleſia in ſoro externo eſſe matrimonium: ergo etiam idem eſt judicandum in foro interno. Conſequentia patet: ubi non proceditut ex falſa præſumptione idem judicandum eſt in utroque foro, ut communiter jus aſſerit; ſed in noſtro caſu non proceditur ex falſa præſumptione: ergo. Tum quia baptiſmus & cætera Sactamenta dum ea recipiens non eſt certus de contraria intentione, judicandum eſt in utroque foro juxta intentionem Eccleſiæ recepiſſe ac proinde valida eſſe: ergo etiam hoc ipſum ſeotiendum eſt de matrimonio in noſtro caſu. His

Addo: tam conditiones impoſſibiles de præſenti & præterito, ut ſi cœlum terigiſti, quàm de futuro eſſe habendas pro non adjectis: tum quia in ultimis voluntatibus rejiciuntur illæ conditiones impoſſibiles de præſenti & præterito ut patet L. *Mevia*, ff. de Manumiſſis teſtamento: ergo & in matrimonio: tum quia ideo in C. fin. rejiciuntur conditiones impoſſibiles, quia impoſſibiles ſunt, non verò ideo, quia obligant ad aliquod impoſſibile præſtandum; ſed tam impoſſibiles ſunt ſive apponantur de præterito ſive de futuro: ergo.

9 Objicies: quandocunque conditio eſt impoſſibilis nulla eſt conjectura conſensûs, ſed potius diſſensûs, ut patet in noſtrâ probâ: ergo cum Eccleſia nunquam præſumat aliquid ſine juſtâ causâ & coojecturâ, quia alias eſſet præſumptio temeraria, ſic matrimonium ſub conditione impoſſibili non poteſt à jure haberi validum.

Reſpondeo diſt. ant. quando eſt impoſſibilis & relicta ſuæ naturæ nulla eſt conjectura conſensûs conc. ſi ſit ab Eccleſia ſtatuta pro non adjecta neg. ant. licèt ergo conditio impoſſibilis relicta ſuæ naturæ potiùs indicet diſſenſum, ex ſuppoſitione tamen quod Eccleſia in favorem matrimonii talem rejiciat, & ſuâ conſtitutione indicet conſenſum eſſe purum, ſic ejuſdem notitia in contrahente manifeſtè indicat conſenſum, nam ſtante tali ſcientia juris: ubi aliter ſuum animum contrahens non explicat videtur juxta Eccleſiæ intentionem contrahere, cauſa autem conjecturæ hujus eſt favor matrimonii uti conſtat ex advert. ſecundo ad finem.

Dices: ante illud decretum juris matrimonium ſub conditione impoſſibili contractum non erat validum: ergo nec modò. Conſequentia patet, quia Eccleſia non poteſt facere matrimonium de non matrimonio nec poteſt defectum conſenſus ſupplere in matrimonio ſicut poteſt jus in aliis contractibus.

Contra neg. conſeq. probam diſtinguo. Eccleſia non poteſt facere matrimonium de non matrimonio hoc eſt Eccleſia de non matrimonio ante ſuam conſtitutionem non poteſt facere matrimonium conc. non poteſt efficere, ut matrimonia, quæ aliàs invalida eſſent, vi ſui decreti fiant firma & valida neg. hoc patet exemplô. Nam Eccleſia C. *non debet* de conſanguineis reſtrinxit gradus conſanguinitatis ad quartum gradum, ubi jure antiquo in quinto, ſexto & ulterioribus gradibus matrimonium erat invalidum, quando ergo ſic reſtrinxit gradus conſanguinitatis ad quartum, per hoc non effecit, ut matrimonium jam contractum in quinto gradu ante conſtitutionem reſtringentem pro nunc eſſet validum, ſed ut matrimonia deinceps in quinto gradu contracta, quæ ſeclusâ eâ conſtitutione invalida forent, deinceps valerent tollendo antiquam prohibitionem, ſic ergo etiam hic contingit in noſtro caſu. Præterea negatur ſuppoſitum, quod jus in matrimonio hoc deberet ſupplere conſenſum, ſed ſolum declarat conſenſum rejectâ conditione impoſſibili purum eſſe, ſi ipſi contrahentes dubii ſint, ao ſeriò ſub illa conditione conſenſerint, unde nunquam volumus contrahentes poſuiſſe diſſenſum & dein Eccleſiam ſupplere conſenſum.

Dices; vel illa conſtitutio Eccleſiæ facit, ut matrimonium ſub conditione impoſſibili ſit legitimum vel ſolum declarat illud eſſe legitimum? non primum; quia non poteſt ex matrimonio facere matrimonium: non ſecundum; quia aliàs ante illud decretum jam eſſet validum, quod æquè eſt falſum.

Contra dico in dubio illud declarare validum ſuppoſitâ notitiâ ſuæ conſtitutionis, à quâ conſenſus, dum ei conformatur, accipit vim ſuam, ut matrimonium efficiat legitimum.

Dices: ad matrimonium non ſufficit conſenſus internus, niſi ſigno manifeſtetur externo: ergo licèt contrahentes ſub conditione impoſſibili cum notitia illius conſtitutionis abſolutè conſentirent internè adhuc non erit matrimonium legitimum. Conſequentia probatur: conditio impoſſibilis externè exprimit diſſenſum & non aſſenſum internum: ergo.

Contra neg. conſeq. & ejus probam; nam, ut ſæpe diximus, talis conditio impoſſibilis poſt conſtitutionem dicti cap. *finalis* & habitâ ejus notitiâ non amplius eſt expreſſiva

diſſensûs, ſed potius ſufficiens expreſſio conſensûs abſoluti.

Dices: cæteri contractus initi ſub conditione impoſſibili non valent ut patet L. *non ſolum* ff. de actionibus & obligationibus, ubi hæc habentur: *quia in ea re, quæ ex duorum pluriúmque conſenſu agitur omnium voluntas ſpectatur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment appoſitâ eâ conditione, quam ſciant* impoſſibilem; ſed matrimonium majorem libertatem requirit quam alii contractus: ergo.

Contra neg. conſeq. quia lex ſolum loquitur de aliis contractibus, in quibus illa conditio impoſſibilis non habetur pro non adjectâ, ſed relinquitur ſuæ naturæ tanquam judex diſſenſus, quod non eſt in matrimonio, in quo licet major libertas requiratur, quam in cæteris contractibus adhuc tamen eſt diſparitas, quod jus in cæteris contractibus non excludat illam conditionem impoſſibilem, ideo ſemper indicat diſſenſum & tollit libertatem, in contractu vero matrimonii conditio impoſſibilis eſt excluſa à jure, ac ſtatuta pro non adjectâ; ideo indicare poteſt conſenſum, quod verò jus in aliis contractibus præſumat diſſenſum, & in matrimonio conſenſum, ratio eſt favor matrimonii, nam matrimonium eſt contractus aliunde favorabilis, ideo præſumit Eccleſia purum & abſolutum conſenſum, uti diximus in advert. ſecundo. ubi circa finem cauſa hujus favoris aſſignabatur.

10 Aſſero 2. *Conditio turpis non contraria ſubſtantiæ matrimonii, quando eſt de futuro & cognita ut turpis ac rejecta à jure facit matrimonium ſtatim validum & abſolutum.* Eſt Canoniſtarum cap. *fin. de conditionibus appoſitis.*

Probatur: poteſt Eccleſia talem conditionem turpem ex rationabili cauſâ habere pro non adjectâ; quia ſcilicet ad peccandum inducit & ſtatuere, ut valeat matrimonium ſub eâ contractum in illis, qui ſciunt de hac conſtitutione; ſed hoc, quod Eccleſiæ poteſt, fecit in cap. *fin.* de conditionibus appoſitis: ergo. Maj. patet explicando quomodo legitima ſit ratio, cur Eccleſia excludat conditiones turpes & præſumat animum contrahentis fuiſſe abſolutè contrahere, ubi tamen ex forma contractûs ſub conditione turpi non apparet conſenſus abſolutus, ſed potius conditionatus, quod ſic explicatur: ſic enim, ubi Eccleſiæ non conſtet de oppoſita intentione contrahentium, & ipſa intentio contrahentium dubia eſt, ac illis inſuper nota conſtitutio Eccleſiæ habentis talem conſenſum pro abſoluto, meritiſſimè præſumit talem contractum eſſe abſolutum, voluiſſéque contrahentes purè contrahere juxta mentem Eccleſiæ & ſolùm joco non vero animo ſuſpendendi conſenſum adjeciſſe turpes conditiones.

11 Addo dictum eſſe quando conditio turpis eſt de futuro; nam de præterito vel præſenti v. g. contraho tecum ſi es hæretica, ſi furtum commiſiſti &c. non habentur pro non adjectis, & matrimonium ſub tali conditione verificatâ valeret & non verificatâ non valeret, cujus ratio eſt: quia potiſſima ratio, cur Eccleſia decreverit conditiones turpes eſſe non adjectas, eſt; quia ſunt incentivæ ad peccatum, ſed conditio turpis de præterito vel præſenti non inducit ad turpe faciendum, ſed ſupponit factum, ideo ceſſat in illa ratio conſtitutionis & manet naturæ ſuæ relicta. Magnum ergo diſcrimen eſt ad conditiones impoſſibiles, quæ etiam de præterito & præſenti habentur pro non adjectis, nam turpes non rejiciuntur ex eo; quia turpes ſunt præcisè, ſed quia incitant ad peccatum, quod ſolùm reperitur in conditionibus turpibus de futuro; aſt impoſſibiles rejiciuntur ex eo, quia impoſſibiles ſunt, quæ impoſſibilitas tam in conditione de præſenti & præterito quam de futuro reperitur.

Objicies: conditio turpis appoſita de futuro in quolibet contractu incitat ad peccatum, & tamen in aliis contractibus non rejicitur, ergo nec in matrimonio vel ſaltem non ob hanc rationem, quia incitat ad peccatum. 12

Reſpondeo neg. conſeq. fateor quidem non ſolum hanc eſſe rationem ſed etiam aliam ſcilicet favor matrimonii uti colligitur ex C. *fin. cit.* cum enim ſit Sacramentum & res magni momenti ſimúlque contractus favorabilis, ideo eas rejicit Eccleſia, indecens enim eſſet rei tam ſacræ & favorabili hujusmodi conditiones impoſſibiles & turpes adjicere animo nugatorio & ideo eas rejicit, & in dubio præſumit fuiſſe ſerium & abſolutum contrahendi animum & conditionem turpem ſolùm joco & non animo ſuſpendendi contractum fuiſſe adjectam; hinc licet eadem partialis ratio etiam militet in cæteris contractibus, quia tamen tantæ ſanctitatis non ſunt, nec ita favorabiles, ideo jus non excluſit eas conditiones in aliis contractibus.

Dices: conditio contraria ſubſtantiæ matrimonii v. g. contraho tecum, ſi ad adulterandum te tradas, ſi abortum procuraveris &c. incitat ad peccandum non rejicitur à matrimonio, nec habetur pro non adjecta, ſed planè invalidat matrimonium, ut diximus propoſitione prima: ergo nullo modo rejicitur conditio turpis eo quod incitet ad peccandum.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, nam ubi adjicitur conditio turpis contraria ſubſtantiæ matrimonii non eſt dubia intentio contrahentis, nam eo ipſo, quod talem conditionem, quæ cum ſubſtantia matrimonii ſubſiſtere non poteſt, adjiciat, manifeſtus eſt diſſenſus; econtra verò, ubi contrahentes ſupponuntur dubii, ſimúlque noſſe hujusmodi conditionem turpem non contrariam ſubſtantiæ matrimonii à jure rejici, benè colligit Eccleſia tale matrimonium eſſe validum & abſolutè contractum.

DISTIN-

DISTINCTIO XXIV.

De conſenſu ficto.

QUÆSTIO UNICA.

Ad quid teneatur fictè contrahens matrimonium & quomodo tale matrimonium ſit revalidandum?

1 ADvertendum eſt 1. ex malitia explendæ laſciviæ, vel ex metu aliqoaodo fieri poſſe, ut quis animo ficto ſine vero conſenſu interno matrimoniom ineat, ac ſigna externa conſenaûs præbeat, de quo difficultates quædem exſurgunt, & quidem prima, an ad validitatem matrimonii ſufficiat talis conſenſua fictua? Secuoda an ſi non ſufficiat, ad quid tamen teneantur talea fictè contrahentes? Tertia quo jure & obligatione ed aliqua teneatur? Quarta quomodo ergo tale matrimonium fictum deiode ſit revalidandom: De prima difficultate non erit tantum negotium, ot patebit propoſitions ſecundâ. De reliquis vero difficultatibus majori opus erit disquiſitione: Unde

2 Advertendum eſt 2. Certum eſſe fictè contrahentem teneri ad reparandum damnum, quod deceptus eſt paſſus; nnde ſolummodo difficultas eſt, an ex ipſa oatura fictitii cootractûa nullo ſecuto damno præter deceptiooem aliquis teneatur verum conſenſum ponere ad verum faciendum matrimonium & quidem ex conſcientiâ anre ſententiam judicis, qnod aliqui negant cum Sanchez. Ex rurſua difficultas eſt, an ad illum verum conſenſum teneatut ex virtute juſtitiæ; ſicut ad alia damne reparanda, vel ſolum ad verum conſenſum ex virtute fidelitatis, ut tenet Hurdatus? Tandem difficultas eſt, an hujusmodi matrimonium fictum debeat revalidari per ſolum conſenſum fictè contrahentis, vel ao potius ab utraque parte conſenſûs verus de novo præſtari debeat: hia ootatis.

3 Propoſitio I. *Mortaliter per ſe loquendo peccat fictè contrahens matrimonium tam peccato ſacrilegii quàm injuſtitia contra comparten.* Ratio primi eſt: quia eſt malitie in re gravis momenti, ut eſt matrimonium: ergo. Ratio 2. eſt, quia contrahentes ſunt miniſtri hujua Sacramenti; ſed omnis miniſter falſo ſine intentiooe adhibens ſigna Sacrameotorum peccat ſacrilegio: ergo. Ratio 3. eſt, quia io omni contractu oneroſo intrinſecè includitut quædam naturalis obligatio ad non decipiendum alterum conttahentem fuodata in illo principio lumine natutæ noto: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: ergo talis deceptio nullo ſecuto etiam alio damno eſt quædam injuria.

Nec dicaa: Per fictum conſenſum non fit irreverentia Sacramento: ergo non eſt peccatur ſacrilegii. Ant. probatur. Tunc enim non fit Sacramentum, ſed non entis nullæ ſunt qualitates, ut dicitur in jure: ergo etiam nulla irreverentia.

Reſpondeo diſtinguo ant. non fit irreverentia Sacramento in ſuo eſſe conc. noo fit in ſuo authore & inſtitutore Chriſti Domino neg. ant. oam fictè contrahens matrimonium vel alia Sacramenta adminiſtrana exhibet ſigoa ſacramentalia in illis circumſtantiis, io quibus ex inſtitutione divina deberent hominem ſanctificare; talis autem fictione ſua facit, ut non poſſint hominem ſanctificare, ideo gravi irreverentia & quaſi illuſione DEI ac Chriſti inſtitutoris Sacramentorum peccat.

Propoſitio II. *Non ſufficit ad validitatem matrimonii aut obligationem conjugalem conſenſus fictus in matrimonium:* Ratio eſt communis Theologorum ex ſuo axiomate quod contractus humani non operentur ultra intentionem operantis & ideo definitur contractus eſſe duorum vel plurium in idem placitum cooſenſue, quod utrumque falſum eſſet, ſi fictua cooſenſus ſufficeret ad validitatem contractus matrimonii, ut de ſe patet hinc in jure civili L. poſſideri dicitur, nos poſſidere donec noſtra voluntate diſceſſerimus, ſic etiam in jure Caoonico C. *humana aures.* dicitut, non debet aliquis verba cooſiderare, ſed voluntatem & intentionem, quia intentio non debet ſervire verbis ſed verba intentioni: ergo cum contractus eſſentialiter debeat perfici conſenſu duorum, & io fictè cootrahente non ſit conſenſus, noo poterit ſufficere ad contractum. 4

Nec dicas cum Vasquez: qui fictè cootrahendo protulit verba tenetur illa verba facere virtute juſtitiæ, etiamſi noo habuerit animum ad ea ſe obligandi ſine omni alio titulo, ſed ex ſola natura ipſius conttactûs, ne alias graviter lædatur coovictus humanus: ergo illis obligatio debet provenire ex aliquali valore illius contractûs ficti, cum ſine alio titulo ſit obligatus.

Reſpondeo neg. ant. quia ne lædatur convictus homanus, ſatis eſt, quod talis fictè contrahens teneatur verum cooſenſum ponere, quæ obligatio provenire poteſt vel ex titulo injuriæ in altera parte ſubſecutæ, vel ex titulo damni vel titulo ſcandali, vel legis vel præcepti ſuperioris, quod utique verius eſt, quam obligationem iſtam præcedere præciſis omnibus aliis titulis ex natura illius contractûs, qui in ſua eſſentia defectu conſenſûs prorſus nullus eſt.

Propoſitio III. *Matrimonium cum ficto conſenſu publicè tamen in facie Eccleſiæ celebratum ſemper præſumitur legitimè, & vero conſenſu contractum contra quod nulla admittitur etiam cum juramento conjugis confeſſio.* Ratio eſt: ex C. *per tuas.* de probationibus. ubi dicitur, nec juranti credendum eſſe adverſus 5

eaque

ea quæ ante aſſeveravit, præſumi enim ſemper debet, idem fuiſſe in corde, quod erat in ore, cum quo tamen ſtat, quòd in foro conſcientiæ, ſi defuit verus conſenſus, non ſit validum matrimonium. Ratio autem quare in foro conſcientiæ credatur aſſerenti ſe ficté contraxiſſe, non vero in foro externo, eſt; quia in foro externo creditur homini contra ſe & non pro ſe, in foro vero pœnitentiæ creditur homini tam pro ſe quam contra ſe.

Nec dicas: Quid ergo faciendum ſimulatori prioris matrimonii ſi relictâ putatitiâ uxore ducat aliam valide iterum in facie Eccleſiæ: ubi Eccleſia fictionem alleganti vix unquam (niſi clariſſimis indiciis probaretur fictio) fidem adhibet, ſed potius cenſuris ad prius matrimonium invalidum coram DEO compellit.

Reſpondeo non poſſe illum ad primam uxorem putatitiam redire minus eam carnaliter cognoſcere, etiamſi per excommunicationem compelleretur, utpote cum illæ cenſuræ ſint tantùm præſumptivæ, & in foro conſcientiæ nullæ. Hinc docet Sanchez, mulierem eò quòd non cohabitet viro, quem ſcit non eſſe ſuum poſſe in evidenti periculo mortis ſi ad jurandum obligaretur affirmare cum juramento ſe cohabitaturam, ſubintelligendo mentaliter, ſi teneor; ut vel ſic obtineat abſolutionem à peccatis & excommunicatione, ſi aliter non poteſt, ne ut contumex Eccleſiæ habeatur, & ſi caſus eſſet, ut cogeretur ad illum redire deberet ad evitanda graviſſima ſcandala contra Eccleſiæ præcepta ita cohabitare ut frater & ſoror, ut velit etiam quæcunque pati etiam graviſſimas excommunicationes, quàm in copulam conſentire, cum verum eſſet adulterium, nam matrimonium ſecundum in foro conſcientiæ eſt validum, & ſi conſummatum ſit eſt indiſſolubile: ergo quantumvis ab Eccleſia cogeretur recedere ab hac ſecunda uxore, in foro tamen conſcientiæ maneret vera uxor. His poſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Ficté conſentiens in matrimonium etiam in foro conſcientia ante judicis ſententiam non ſolùm ex fidelitate, ſed etiam ex juſtitia tenetur loco ficti conſenſûs verum ponere.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 30. q. 1. §. *ad iſtam quæſtionem.* Navarri & aliorum contra Hoſtienſem & Ledeſma.

Probatur 1. In contractibus do ut des, ubi alter ex parte ſua illum implevit, tenetur etiam alter implere, licet ficté conſenſerit; ſed matrimonium eſt contractus do ut des: ergo cum altera pars eum impleverit tradendo poteſtatem corporis, tenetur etiam fictus promiſſor implere quod ficté promiſit. Maj. patet. Si ficté promiſit Petrus Paulo 100. aureos ut eat Romam, ubi Paulus adivit Romam tenetur Petrus dare aureos: ergo.

Probatur 2. Quilibet contractus præſertim oneroſus poſtulat æqualitatem ex utraque parte contrahentium obligando contrahentem ad ſervandas leges & conditiones quas contractus exigit; ſed contractus matrimonialis eſt contractus oneroſus per do ut des: ergo poſtulat æqualitatem ex utraque parte; ſed qui ficté contrahit, non ſervat æqualitatem, agitque contra naturam, leges, & conditiones talis contractûs: ergo tenebitur verum conſenſum ſecundum conditiones hujus matrimonialis contractûs ponere. Maj. patet, qui aliquod negotium ſuſcipit hoc ipſo ex natura negotii tenetur illud peragere juxta leges & conditiones negotii, quas ſcilicet negotium ſua natura exigit: ergo.

Probatur 3. quando fraus injuſté illata eſt alteri, tunc fraudulentus ex juſtitia ante ſententiam judicis tenetur illam injuriam reſarcire; ſed fraus ficté contrahentis eſt injuria parti deceptæ: ergo tenetur eam reſarcire, ſed nequit aliâ ratione reſarcire, quam ut depoſita ſimulatione eliciat verum conſenſum: ergo hunc tenetur præſtare. Maj. per ſe patet. Min. etiam, nam quis non dicet partem veré contrahere intendentem & ſuum corpus transferentem hâc conditione, ut alter etiam ſuum transferat, gravem pati injuriam ratione ſolius talis deceptionis & fraudis; nam ſi dolus poſtea à deceptore aperitur, cum non poſſit talis probari in foro externo, non permittet Eccleſia partem deceptam contrahere cum alio, ſed decipientem coget ad eam habendam, qui eam ſine vero conſenſu habere non poteſt, ideo altera pars cogetur vitam cœlibem ducere, quod utique magnum eſt ei damnum. Unde dicit Scotus cit. *in magnam ergo brigam ponitur contrahens cum doloſé contrahente.* Ex his etiam min. ſubſumpta patet.

Probatur 4. pars decepta habet jus petendi ſibi verum conſenſum præſtari à deceptore: ergo hic habet debitum & obligationem ex juſtitia illum præſtandi. Conſequentia patet, quia omni juri correſpondet aliquod debitum & obligatio illum præſtandi. Ant. primùm probatur. Deceptus juſté poteſt verum conſenſum coram judice petere juxta Adverſarios: ergo deceptor etiam antea tenetur illum præſtare. Conſeq. probatur ideo per Adverſarios non teneretur ante judicis ſententiam, quia talis conſenſûs exhibitio fundatur in merâ pœnâ, quæ non obliget ante ſententiam judicis, ſed hoc eſt falſum cum talis exhibitio conſenſûs fundetur in ipſa natura contractûs oneroſi, ut patet in prioribus probis: ergo.

Probatur 5. cap. 1. *De eo qui duxit in matrimonium.* Deciditur de conjugato, qui aliam decepit ipſam ducendo ignaram prioris matrimonii & mortua vere uxore petebat à poſteriori tanquam à non legitime ſeparari, minime ſeparandum eſſe, niſi ad deceptæ mulieris petitionem, ne ex dolo commodum reportet: ergo ſimiliter in foro conſcientiæ hujusmodi fictus tenetur alteram habere in uxorem; ſed

ſine

ſine vero conſenſu hoc fieri non poteſt: ergo hunc tenetur in conſcientia ponere. Tum quia Gloſſa in can. *ſi quis ingenuus.* 29. q. 2. ait, ſi ingenuus ſeu liber ducat ſervam ignarus ſervitutis poteſt utique cognita ſervitute reſilire, non tamen ſerva poteſt invito ingenuo reſilire, ſi ille velit eam ſervare in uxorem, ſed manet obligata ingenuo ratione fidei promiſſæ: ergo etiam fictè promittens matrimonium etſi nullum ſit tenebitur ſtare matrimonio, ponendo verum conſenſum, ſi pars decepta velit.

7 Objicies: Si deceptor tenetur verum conſenſum ponere & deceptam ducere hoc proveniret ratione injuriæ illatæ per fictionem, ſed hæc injuria non eſt tanta ut aliter, quam per verum matrimonium reſarciri nequeat, ſi nullum aliud damnum ſit ſecutum v. g. in fama vel in virginitate per deflorationem; nam quamvis textus *cap.* 1. de adulterio & ſtupro dicat copulativè: *ſi quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam dormieritque cum ea dotabit eam & habebit uxorem.* Uti deſumitur ex antiquo Teſtamento Exodi 22. communiter tamen Authores dicunt, quod deflorator non præcisè ad matrimonium ſed disjunctivè & ſub alternatione vel ad dotem pecuniariam aut aliam pœnam, vel ad matrimonium compellatur, ut habetur *C.* 2. eodem titulo, nam in alternativis eſt electio debitoris ut habetur cap. *in alternativis* de regulis juris in 6. & ultra dicunt, illam legem veterem non eſſe moralem, ſed judicialem, ideo per adventum Chriſti exſpiraſſe, quæ tamen in Novo Teſtamento reaſſumpta ſolùm obligat ex jure humano, & proinde poteſt à Legislatore humano vel conſuetudine certo modo mitigari, & modo ſolùm disjunctivè acceptatur ac regulariter dicitur: *aut duc aut dotes.*

Reſpondeo vel neg. min. ut patet probâ ſecundâ & tertiâ. Tum quia juſtitia commutativa non ſolum petit reddi æquale, ſed ut etiam idem reddatur ex juſtitia debitum, ut ſi quis abſtulit equum, non ſufficit reddere pecuniam, cum aliud pro alio invito creditori reddi non poſſit. L. 2. ff. de rebus creditis; atqui deceptor ex juſtitia tenebatur habere conſenſum in matrimonium, quando altera pars viciſſim verè conſentit: ergo cum poſſit reſtituere adhibendo verum conſenſum ad eum tenebitur, & ſic tenebitur deceptam habere in uxorem, ſi non ob conſenſum ſaltem ad compenſationem fraudis: unde quando authores communiter dicunt illum textum *capit. primi* eſſe ſolum intelligendum *disjunctivè* non loquuntur de fictè promittente matrimonium, ſed de deflorante virginem ſine promiſſione matrimonii, quod etiam nos concedimus, cum talem corruptam ducere non ſemper ſit æqualis compenſatio illius copulæ, ſed bonum quandoque notabiliter majus; niſi tamen eſſet perſona bonæ famæ, & infamiam ex copula contraheret, ob quam aliud matrimonium facile invenire non poſſet, quia damnum illatum non poſſet alio modo ad æqualitatem reduci, quàm per matrimonium; ſecus tamen purus deflorator; ſi deflorata nullum aliud inde damnum eſt perpeſſa v. g. ubi delictum eſt prorſus occultum & fæmina alias nuptias contraxit, vel facilè poteſt contrahere, probabiliter non tenebitur ad ullam reſtitutionem ante judicis ſententiam. Vel diſtinguo maj. hoc proveniret ratione injuriæ partialiter conc. totaliter neg. maj. nam etiam provenit ratione ipſius contractûs, ex quo quis tenetur in eo patratam fraudem compenſare ad æqualitatem juxta juſtitiam commutativam, ut paulò ante diximus.

Dices: ante initum contractum neutra pars acquirit jus juſtitiæ in alteram ut de ſe patet, ſed neque per contractum invalidum acquirit quis jus in alterum, cum contractus invalidus nullum jus transferat: ergo nulla obligatio juſtitiæ provenit ex ratione contractûs.

Contra diſt. min. non acquirit quis jus immediatum transeat min. non acquirit jus mediatum neg. min. & ſic diſtincto conſequenti conſequentiam, nam ille contractus invalidus & fictus per verba tamen expreſſus eſt contractus inchoatus cum contrahentes ſignificent externè ſe velle contrahere, ideo per talem utraque pars acquirit jus in alteram, ut ſibi ſervetur æqualitas in tali contractu exhibita, cum incipientes contrahere ſe videantur obligare ad leges & conditiones talis contractûs ſervandas, ac ſic injuſtitiam committit, qui hujusmodi conditiones non ſervat, & altera pars ſemper injuſtè magnum deberet pati damnum propter vitam cælibem, ut diximus in proba 2.

Dices: in quocunque contractu oneroſo, ut ſervetur æqualitas, aut utraque pars debet eſſe obligata aut neutra: ergo cum in matrimonio ficto nulla conſurgat obligatio in parte decepta, cum invalidus contractus nullam inducat obligationem, nec etiam in deceptore erit obligatio.

Contra transmitto ant. de quo vide Tractatum de jure & juſtitia in materia de contractu dolo inito, & diſt. conſequens, neque in deceptore conſurget obligatio immediata ad rem fictè promiſſam conc. mediata ſcilicet ad verum conſenſum prius ponendum, vi cujus deinde conſurget obligatio ad ipſam rem promiſſam ſolvendam neg. conſeq. unde omnino vi ficti conſensûs, eò quod talis contractus ſit invalidus, non conſurgit obligatio immediata ad ſtandum matrimonio; cum vi ficti contractûs nullum jus rei promiſſæ ſit translatum in alterum, nec vice verſâ; interim tamen cum deceptor debuiſſet poſuiſſe conſenſum verum vi juſtitiæ, hoc ipſo quod inchoaverit con-

contractum, quælibet pars acquirit jus, ut ſibi ſervetur æqualitas in contractu.

Dicee: Si deceptor hac conditione contraxiſſet, me obligo tibi, ſi tu te mihi obligas, deceptor non eſſer obligatua oiſi quoque altera pars eſſet obligsta, ſed talis conditio ſemper tacitè ineſt matrimonio, ſi altet ſe mihi obligat: ergo alterâ parte deceptâ oon obligatâ, neutra pars obligatut.

Cootra: diſtinguo maj. ſi illâ conditione contraxiſſet, ubl non debuiſſet ſe verè obligare conc. ſi illâ conditione contraxiſſet ubi tamen ſe debuiſſet verè obligare deceptor oon eſſet obligatus neg. msj. vel min. & neg. conſeq. nam licet deeepta non maneat ob deceptoris fictum conſenſum obligata; quia tamen alter debuiſſet ſub hac conditione, ſi tu te mihi obligas ego me quoque tibi obligo verè ſe obligare & ooo fictè; hinc fit, quod cum altera pars adimpleverit conditionem intendendo ſe obligare quidem & ex ſe, etiam deceptor teneatur loeò ficti verum conſenſum ponere. Imò aliud eſt manere obligatum & aliud ſe obligste, decepta pars utique obligata noo manet, benè tamen quantum eſt de ſe, ſe obligat, cum contractus id exigat, ita & alter tenebitur ſe verè obligare.

8 Dices: Fictè profitens non tenetur ſecluso ſcandalo verè profiteri, adeóque poteſt ſe ad eum locum tecipere ubi ceſſat ſcandalum ut communiter docent Navarrus, Henriques & alii: ergo etiam fictè ducens uxorem non tenetut ceſſante ſcaodalo eam verè ducere. Conſequentia patet, quia profeſſio eſt æquè contractus oneroſus, quò Monachus ſe obligat monaſterio, & monaſterium viciſſim: ergo.

Contra: Nego conſeq. diſparitas eſt hæc, quod fictè contrahens matrimonium ſi non verè contrahit, irrogat gravem injuriam fœminæ, agitúrque cootra leges contractûs civilis, ubi præterea matrimonium eſt in utriusque contrahentis favorem. Aſt ſi fictè profitens non ratificat ſuam profeſſionem non videtur injutiam inferre religioni, nec videtur eſſe grave damnum religioni, cum potius religio ordinetur in bonum profitentia quam Monachua in bonum religionis. Tum quia finis profitentia eſt ſalus animæ ſuæ, unde ſi non vult ſe obligare oon poterit cogi ad verè profitendum, & ideo religio in perſonam religioſi non videtur habere ſtrictum jus juſtitiæ, ſed tantum religionis & obedientiæ, cum religioſus non videatut aliter ſe obligate, quàm pet votum obedientiæ. Aſt finis matrimonii eſt booum prolis vel remedium concupiſcentiæ per contractum do ut des, qui debet æqualiter obſervari.

9 Dices: Poteſt fieri quod fictè contrahens ſit io multò digniori cooditione, quàm perſona decepts: ergo pet ejus verum matrimonium ad plus obligatur quam ad æqualitatem: ergo ſaltem in tali caſu poſſet ſatisfacere per dotem pecuniariam, & oon teneretur ad verum conſenſum præſtandum.

Contra diſting. primnm conſequens. ad plus obligaretur ſi ootam haberet minorem dignitatem partis deceptæ neg. ſi non haberet notam transeat conſequentia. Hinc dico, omnino probabile eſſe, ſufficere compenſatiooem pecuniariam, ſi pars decepta eſt minus digna, & eam oon adverterit deceptor, quia talia promittens ooo tenetur eam ducere ratiooe promiſſionis, quæ ex ſuppoſito fuit ficta & invalida, nec ratione juſtitiæ, cum hæc non obliget ad teſtituendum plus quam damoum æſtimetur, ſed aliquando damnum corruptionis aut deceptionis non æſtimatur tanti, quanti ſi vit debeat eam ducere ſuo ſtatu notabiliter indignam. Aſt ſi ſcienter promiſit matrimonium fœminæ minus dignæ, maximè ſi acceſſit defloratio, tenebitur eam ducere; nam cum ſit dominus rei ſuæ, & ſciverit conditionem alterius, cenſetur voluiſſe liberè cedere juri ſuo.

Dices: Saltem hæc omnia ſalvari poſſunt per obligationem deceptoris ad verum conſenſum ex ſola virtute fidelitatis, quâ tenentur homines ſibi idem tam in verbis quam contractibus ſervare: ergo ſaltem noo tenebitur ex juſtitia.

Contra neg. ant. nam fidelitas ſolum obligat ad promiſſa ſervanda ſicut veracitas ad verba verificanda; aſt contractus tam ſecundùm jus poſitivum, quàm naturale obligat ad ſervaodas civiles commutationes, in quibus juſtitia commutativa cooſiſtit, & ideo ex juſtitia poſtulatur æqualitas utrinsque partis, ſed qui fictè conſentit, non ponit æqualitatem: ergo non ſervat juſtitiam, ergo ex juſtitia tenetur verè cooſentire, & deceptionem injurioſam compenſare, per conſequens non tantùm ex fidelitate, ſed etiam ex juſtitia tenetur verè conſentire. Imò nec plus ratio ſtat pro fidelitate quam juſtitiâ, nam quantum eſt ex pura eſſentia promiſſionis, hæc etiam eſt nulla; cum ſit ficta; ideo oec fidelitas obligaret. Ex hia demum ſequitur fictè contrahentem non debere à Confeſſario abſolvi, dooec verè cootrahat, quia maximo periculo manendi in deceptione eſt expoſitus.

Aſſero 2. *Ad revalidandum fictè matrimonium non ſolum requiritur utcunque conſenſus verus de novo in deceptore, ſed requiritur ut ambo conjuges verum ponant conſenſum ſigno externo manifeſtatum, non tamen de novo coram Parocho & teſtibus.* Eſt quoad ſecundam partem Felini, Ledesmæ contra Sanchez, Sporer & alios. 10

Probatur ex diſtinctione 2. quæſtione unica ad finem per additionem; unde hic ulterius aſſertionem probare ſuperſedeo & ſolùm obſervandum eſſe indico præterita verba vel ſigna invalidi & ficti conſensûs noo poſſe eſſe expreſſiva veri novi conſensûs, & ideo illa non

ſuffi-

ſufficere ad revalidandum matrimonium, ſed nova debere adeſſe, ut patet à pari: verba quæ Sacerdos ſine intentione baptizandi vel abſolvendi antea protulit, non ſufficiunt, ut ſimul cum internâ intentione poſt aliquod tempus renovatâ conſtituant unum ſignum ſacrum & efficax, ſed requiruntur nova verba, ita etiam quando conjunx ſine animo contrahendi fictè ſigna externa poſuit, non ſufficient ut ſimul cum interno vero conſenſu de novo elicito conſtituant valorem matrimonii.

11 Objicies: Clemens VIII. interrogatus à quodam, an in eo caſu, quo fœmina fictè contraxit, ſufficiat ad revalidandum matrimonium, quod illa ponat verum conſenſum, cum aliquo ſigno externo, reſpondit Pontifex, neceſſarium eſſe novum conſenſum utriusque conjugis coram parocho & teſtibus admonito prius marito de nullitate matrimonii, ſed ad evitandum ſcandalum ſanctitas ſua diſpenſat, ut ſecretò inter ſe contrahant renovato novo conſenſu cum legitimatione prolis: ergo de ſe vi Concilii Tridentini requiritur denuo præſentia parochi & teſtium ad revalidandum matrimonium.

Reſpondeo Pontificem ibi ſolùm reſpondiſſe ut doctorem privatum ſequendo tutiorem ſententiam, quod patet ex eo; quia ejus reſponſio non eſt juri communi inſerta hinc pro nobis poſſet citari Pius V. & ſacra Cardinalium congregatio uc teſtatur Barboſa dicentea non eſſe neceſſe, ut matrimonium invalidè contractum coram parocho & teſtibus denuo coram illis revalidetur, unde Pius V. non diſpenſat contra Concilium Tridentinum, ſed ſolum declarat Concilium non comprehendere aut ſe extendere ad illum caſum revalidationis; unde falſum eſt, noſtrum fundamentum ſolummodo niti huic principio, quod in noſtro particulari caſu ceſſet finis legis Trident. ſed potius quod Tridentinum ſe non extendat ad caſum revalidationis matrimonii coram parocho, quod ultra patet, quia Tridentinum ut conſtat ex contextu ſolùm intendit irritare illud matrimonium clandeſtinum, quod antea erat prohibitum ab Eccleſia; aſt nullibi apparet fuiſſe prohibitam occultam ratificationem matrimonii prius in facie Eccleſiæ contracti etſi invalidè ob aliquod impedimentum.

Dices: in Bulla cruciata conceditur facultas commiſſario diſpenſandi in matrimonio cum occulto impedimento contracto, ut iterum occultè celebretur, ut teſtatur Sanchez: ergo attento Tridentino id non poterat fieri, fruſtra enim eſſet privilegium.

Contra neg. conſeq. nam ſæpè in Bullis conceduntur aliqua jure communi non prohibita ad pacandas conſcientias, maximè dum ſtando juri communi dubia erant, ut eſt noſter caſus ob diverſam multorum Authorum opinionem, de quibus vide Sanchez Lib. 2. Diſput. 37. & noſtram diſtinctionem 4. q. 1. object. 1. ad finem contra aſſertionem ſecundam.

DISTINCTIO XXV.

De Matrimonio Clandeſtino.

QUÆSTIO I.

Quot modis cenſeatur matrimonium Clandeſtinum, ac quo jure ſit irritum vel prohibitum?

Advertendum eſt primò. Matrimonium clandeſtinum vi nominis eſſe illud, quod clam fit, ſeu quod fit ſine præſcripta ſolemnitate à Tridentino Seſſ. 24. c. 1. duplicem autem ibi præſcribit ſolemnitatem, unam extrinſecam & accidentalem, alteram intrinſecam & ſubſtantialem. Prima eſt ut ſponſi ante actualem contractum matrimonii à ſuo proprio parocho tribus diebus feſtivis in Eccleſia publicè denuntientur, ut parochus interrogato mutuo conſenſu dicat: ego vos conjungo in nomine Patris &c. ut ante benedictionem in templo ſuſceptam conjuges non cohabitent in eadem domo. Hæc autem ſolemnitas accidentalis eſt & extrinſeca ejúsque omiſſio non irritat matrimonium, ſine peccato tamen & pœna arbitraria omitti non poteſt; quia in præcepto eſt. Solemnitas vero intrinſeca & ſubſtantialis eſt, ut matrimonium non aliter valeat, quam ſi contrahatur coram proprio Parocho vel alio Sacerdote de ipſius aut ordinarii licentia, duobus vel tribus teſtibus, ut loquitur citatum Tridentinum. Hinc propriè clandeſtinum matrimonium dicitur illud, in quo parochus vel teſtes deficiunt, unde licet matrimonium coram multis publicè contraheretur, ſi tamen fieret ſine præſentia parochi adhuc clandeſtinum ab Eccleſia cenſeretur; & de hoc potiſſimùm aliquæ difficultates oriuntur ſcilicet, an jure veteri Eccleſiaſtico vel novo per Tridentinum irritetur matrimonium clandeſtinum? & quomodo Eccleſia poſſit irritum reddere matrimonium clandeſtinum, quod antecedenter validum & ratum erat. Pro quibus 1

Advert. eſt 2. modum irritandi aliquem contractum ſive per leges ſive per Principes, eſſe duplicem, primus eſt indirectè ſcilicet per ſe inhabilitando perſonas ad contrahendum, quæ perſona aliquando poteſt lege naturali eſſe inhabilis ad contrahendum ut perpetuò impotens ad copulam, aliquando lege poſitiva divina, ut non baptizatus ad contractum quà ſacramentalem, aliquando lege poſitiva Eccleſiaſtica ut perſona conſanguinea vel affinis &c. Secundus modus eſt directè annullando immediatè ipſum contractum uc manifeſtè colligitur ex illis verbis citati Tridentini, ex quibus etiam 2

etiam colliguntur motiva ob quæ matrimonium clandeſtinum irritavit, nempe ptimò ob ſalutem animarum præſertim eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua elam contraxerunt, relictâ cum alia publicè contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, negando alterum matrimonium clam contractum, quod probari non poterat; ideo Ecclesia hia graviſſimis malis & peccatis, quæ ex matrimonio clandeſtino provenire poſſunt, voluit obvenire talia matrimonia annullando. Secundò ob bonum ptolis, nam negare prolem non eſſet difficile, cum uxor non poſſit probare conjugium clam contractum, nec ei tam facilè credatur. Tertiò ob fraudes puellarum, ſæpe enim virgines metu parentum matrimonia elam verè inita & conſummata negabant, vel alia nubebanc, vel invitæ à parentibua in monaſterium detrudebantur. Quartò ob valorem matrimonii, ſæpe enim impedimenta jure naturæ vel divino dirimentia latebant inter ſponſos, quæ hoc ipſo, quòd publicè non contrahant, non deteguntur, & exinde matrimonia irrita ſemper manebant. Quintò ob Religionem & ſanctitatem Sacramenti, quæ poſtulabat, ut cum magna reverentia & deliberatione aſſiſtente miniſtro Eeclesiæ recipiatur, nam ſæpe derepente clam tam arduam rem matrimonii aliqui inierunt, & poſtea ſtatim pœnituerunt, & maximas diſcordiaa excitârunt: hia ergo motivia conſideratia Ecelesia juſtiſſimè matrimonium elandeſtinum irritavit. Hia notatis:

3 Propoſitio I. *Eccleſia poteſt irritare matrimonium clandeſtinum indirectè ſcilicet directè inhabilitando perſonas;* Ratio eſt, quia in iis, quæ ad bonum ſpirituale ſpectant Eeclesiæ, quale eſt matrimonium, ſubduntur Ecclesiæ ipſi fideles tanquam ejua membra: ergo quando expedit bono ſpirituali poteſt Ecclesia illos ad certum modum ineundi matrimonii reddere inhabilea. Conſeq. patet, quia reapublica civilia poteſt aliquos efficere inhabiles ad incundum contractum ſine certia ſolemnitatibus: ergo & Ecclesiaſtica ad contrahendum matrimonium, nam ſicut homo ordinatur ad bonum reipublicæ civilis quoad contractus civilea, quia eſt ejua membrum, ita ſubordinatur Ecelesiæ quoad contractus bonum ſpirituale concernentea; quia eſt ejus membrum myſticum. Ant. vero probatur: Jua civile efficit prodigoa & minorea absque authoritate tutotum, uxores absque licentia virorum ad contractus ineundoa inhabiles: ergo.

4 Propoſitio II. *Eccleſia poteſt irritare matrimonium clandeſtinum directè annullando ſcilicet immediatè contractum:* Ratio eſt, quia ſuperiorea legitimam poteſtatem habentes condendi leges poſſunt certam formam & nobilitatem præſcribere, ſub qua tantùm talis contractus valeat, ita ut ea forma vel ſolemnitate non adhibitâ ſit nullus & irritus; ſed Ecclesia habet poteſtatem condendi leges ob bonum commune Ecclesiæ: ergo. Maj. patet tam in jure civili, quàm Canonico; nam in jure civili annullantur contractus minorennum ſine anthoritate curatorum, alienatio majoratus, teſtamenta ſine teſtibus, donatio pupilli &c. in jure Canonico annullantur profeſſio ante 16. annoa completoa, vel ante annum novitiatûs, ut habetur in Trident. Seſſ. 25. de regularibua, commutatio ſimoniaca benficiorum, matrimonium coactum, matrimonium inter liberum & ſervam ignorata conditione ſervili &c. quæ omnia licèt attento jure naturæ valerent, cum tranalatio dominii attento ſolo jure naturæ à ſolo domini conſenſu pendeat, impedire tamen poſſunt legislatores, ne talis voluntas ſufficiat ad transferendum dominium, hine Ecclesia non tollit obligationem naturalem, ſed ſolum impedit, ne ſimilis obligatio oriatur.

Propoſitio III. *Matrimonia clandeſtina ante Concilium Tridentinum non fuerunt invalida.* Ratio eſt, quia non jure naturæ, quia jus naturæ ex principiis per ſe nodia non dictat explicitè eontractum matrimonialem ſine teſtimonio aliorum non eſſe faciendum, cum traditio dominii corporum conſiſtat in ſolo conſenſu contrahentium proprio, unde quòd aliqua inconvenientia ſequantur ex matrimonio clam contracto, cum ſic alicui reipublicæ non eſſet notum, qui ſint conjuges, ut diſcernantur filii legitimi, & quorum parentum ſint filii &c. nam iſta non regulariter ſequerentur, ſed tantum in aliquibus ob eorum peculiarem malitiam; poſſent enim alii ſuoa filioa agnoſcere, & ſe invicem acceptare ac ſegregare: hinc publicè contrahere eſt ſolùm valdè conſonum legi naturæ & ad melius eſſe; ideo quo barbaræ nationes etiam conſueverant publicè eontrahere matrimonium: Ratio eſt, quod agnoſcant hoc eſſe valdè conſonum rationi naturali. Nec jure divino ſunt invalida, cum de hoc nullua textua nec in veteri nec novo Teſtamento habeatur. Nec tandem jure Ecelesiaſtico antiquo vel ante Tridentinum; quia hoc potiſſimùm deſumeretur ex quadam epiſtola tempore Evariſti Papæ, qui ad Epiſcopoa Africanos vocat matrimonia clandeſtina illegitima connubia & adulteria C. 1. cauſa 30. q. 5. ſed hæc epiſtola (cum alii multi textus antiquioris juria dicant olim ſolo conſenſu matrimonia eontrahi potuiſſe) ſolùm intelligi debet præſumptivè & in foro externo, in quo Ecelesia non præſumit eſſe validè eontractum eo ipſo, quod contra ejua prohibitionem ſit celebratum, unde ibi præſumitur contra matrimonium, uſque dum verum probetur, ut innuunt verba finalia ipſius C. 1. *niſi voluntas propria ſuffragaverit & vota ſuccurrerint legitima.* Ex his ergo patet, quod matrimonia elandeſtina Ecelesia ſemper prohibuerit, non tamen ſemper invalidaverit, uſque dum Triden-

dentinum hanc ſolemnitatem præſcripſit, quod ultra dicit: dubitandum non eſt matrimonia clandeſtina rata & vera fuiſſe, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, ſi autem aliqua lex Eccleſiaſtica ante Trid. illa irritâſſet, certe Tridentinum hujus legis mentionem feciſſet, eámque ſe renovare declarâſſet, ſicut in eodem C. loquens de proclamationibus dicit, ſe illas renovare ſecundum Decretum Concilii Lateranenſis: ergo. His propoſitis:

6 Aſſero 1. ad quæſtionem: *Matrimonium clandeſtinum quà contractus de facto eſt irritum tam indirectè quam directè.* Eſt juris Trident. Seſſ. 24. de reformacione matrimonii C. 1.

Probatur: Eccleſia potuit irritare tale matrimonium tam indirectè ſcilicet inhabilitando perſonas ad contrahendum, quam directè annullando contractum, ut patet propoſitione 1. & 2. ſed hoc quod potuit actu fecit in citato loco Tridentini dicens, *qui aliter contrahere matrimonium attentabunt, quàm præſente Parocho vel alio Sacerdote de ipſius Parochi vel ordinarii licentia & duobus vel tribus teſtibus, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit* NB. primum modum, & hujusmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat: NB. ſecundum modum irritandi: ergo. Ex quo patet Eccleſiam hoc ideo facere, ut oſtendat, quanto odio perſecuta fuerit matrimonia clandeſtina, non tamen per hoc decretum tangit infideles, utpote qui Eccleſiæ ſubjecti non ſunt, quare horum matrimonia clam contracta non tantum manebunt valida, ſed etiam licita per ſe loquendo, niſi etiam haberent ſpecialem legem irritantem vel prohibentem.

7 Objicies: matrimonium clandeſtinum de jure naturæ eſt validum, ut patet propoſitione tertia: ergo nunquam ab Eccleſia etiam qua contractus irritari poteſt. Conſeq. probatur, jus naturæ eſt immutabile; ſed matrimonium clandeſtinum fuit legitimum jure naturæ: ergo non poteſt variari, ut modo ſit invalidum.

Reſpondeo vel diſt. antec. matrimonium clandeſtinum de jure naturæ eſt validum, quamdiu ejus conſenſus eſt legitimus conc. quando ejus conſenſus non eſt legitimus, ſed juſtè irritatus neg. ant. & conſeq. nam de jure naturæ eſt, quod matrimonium ſit contractus legitimus, ſed quod contractus ſit legitimus non ſolùm à jure naturali ſed etiam à jure poſitivo civili & Eccleſiaſtico pendet; nam matrimonium non ſolùm eſt in officium naturæ, ſed etiam in bonum reipublicæ, & totius Eccleſiæ, ideo non ſubditur ſoli juri naturæ, ſed etiam civili & Eccleſiaſtico, ideo pro hoc ſtatui poſſunt aliquæ conditiones, ex quarum defectu contractus matrimonialis fiat nullus, & hoc de facto Eccleſia fecit. Vel aliter conc. ant. & neg. conſeq. nam multa jure naturæ ſunt valida & licita, ut teſtari ſine tanto numero teſtium, comedere carnes, & tamen jure humano poſitivo ſunt invalida & illicita. Ad probam conſeq. diſt. maj. jus naturæ eſt invariabile formaliter conc. materialiter neg. conſeq. & diſtinguo conſeq. ergo non poteſt ab Eccleſia variari formaliter tranſeat, materialiter neg. conſeq. jus ergo naturæ invariabile manet, ſemper enim dictat conſenſum legitimum debere eſſe pro matrimonio, quòd autem hic & nunc conſenſus ſit legitimus nec ne hoc ſpectat ad mutationem materialem.

Dices: Eccleſia etiam irritavit contractum clandeſtinum materialem formaliter: ergo etiam directè & formaliter immutavit jus naturæ. Conſeq. probatur. Jus naturæ admiſit contractum clandeſtinum eſſe validum, Eccleſia non eſſe validum fecit: ergo directè & formaliter immutavit jus naturæ.

Contra neg. conſeq. ad probam diſtinguo ant. jus naturæ permiſſivum admiſit contractum clandeſtinum eſſe validum conc. jus naturæ poſitivum, & præceptivum neg. ant. & conſequentiam; non enim ex eo, quod aliquid ſit contra jus naturæ permiſſivum, & deinde jure poſitivo decernatur invalidum, ſtatim etiam dici debet jus naturæ immutari formaliter, nam jus humanum omnino non poteſt facere, ut quod jure naturæ eſt validum, ſit jure naturæ invalidum, ſeu quod non eſt contra jus naturæ, fiat dein contra jus naturæ, nam hoc eſſet directè & formaliter mutare jus naturæ, interim tamen poteſt ſtatuere, ſi ita bono communi expediat, ut quod jus naturæ permittit eſſe validum, fiat jure humano invalidum; quia jus naturæ permiſſivum ſolùm permittit eſſe validum, quamdiu Eccleſiæ non videbitur expedire melius eſſe, ut irritetur, ut diximus de legibus de lege naturali. Eccleſiæ autem videbatur expedire ex motivis advert. 2. aſſignatis, ut contractus clandeſtinus habeatur pro nullo, ideo cum contractus matrimonialis non ſolum juri naturæ, ſed etiam civili & Eccleſiaſtico ſubdatur, & ab eo dependeat, rectè illum irritavit.

Dices: cauſa naturalis ſufficienter applicata paſſo capaci neceſſariò habet ſuum effectum, ut patet ex phyſica; ſed mutuus conſenſus etiam occultus inter perſonas habiles eſt cauſa naturalis contractus matrimonii: ergo quotiescunque talis conſenſus habetur, efficietur validum matrimonium.

Contra diſtinguo maj. cauſa naturalis non impedita in actione conc. cauſa naturalis ſimpliciter & impedita in actione neg. maj. & ſic diſt. min. conſequentiam. Nam ſicut ignis Babylonicus, dum ipſius virtus impediebatur à DEO in tres pueros agere non potuit, quamvis fuerit cauſa naturalis, ita etiam occultus conſenſus, qui ab Eccleſia impeditur, non poteſt efficere contractum matrimonii, imo talis conſenſus applicaretur perſonis inhabi-

habilibus ad contractum matrimonii, & ideo nec habere poſſet ſuum effectum.

8 Aſſero 2. *Matrimonium clandeſtinum de facto etiam eſt irritum quà Sacramentum non quidem directè, & immediatè, ſed indirectè & remotè.* Eſt communis Theologorum contra hæreticos.

Probatur 1. pars. Can. *cum Paulus.* 1. q. 1. ſublato fundamento tollitur & initium, & C. *translato.* de conſtitutionibus. Sublato priori tollitur poſterius ab ipſo dependens, ſed contractus matrimonialis, qui ſubjacet poteſtati Eccleſiæ, & juri humano eſt fundamentum & materia Sacramenti: ergo irritato tali contractu cnnſequenter & indirectè irritatum eſt etiam Sacramentum matrimonii.

9 Probatur 2. pars. Directè irritare Sacramentum eſt, quando concurrente perſonarum habilitate & contractu valido ad mutuam corporum traditionem ſufficiente efficitur, ut Sacramentum matrimonii ſit invalidum, ſed non intendit, nec hoc poteſt facere Eecleſia; nam tunc jam mutaret materiam quoad ſubſtantiam in hoc Sacramento, cum materia & forma hujus Sacramenti ſit contractus ſeu conſenſus legitimus à perſonis habilibus: ergo tantum indirectè, & remotè Sacramentum matrimonii eſt irritatum. Min. patet ex Tract. de Sacramentis in genere.

10 Objicies: Eccleſia non poteſt aliquid ſtatuere variando materiam & formam Sacramentorum, ſeu facere ex Sacramento non Sacramentum; ſed conſenſus clandeſtinus fuit Sacramentum ſeu erat materia & forma ſufficiens à Chriſto aſſumpta Sacramenti matrimonii: ergo. Maj. patet de Sacramentis in genere, nam Eccleſia non poteſt facere, ut aqua quæ aſſumpta eſt ſufficiens materia baptiſmi non ſit deinceps materia ejus: ergo.

Reſpondeo diſting. maj. nequit ita variare & facere materialiter & indirectè neg. formaliter & directè conc. maj. diſt. min. ſed conſenſus elandeſtinus formaliter quà legitimus fuit Sacramentum conc. quà materialiter & ſimpliciter conſenſus neg. min. & conſequentiam; adeóque Chriſtus dominus aſſumpſit quidem contractum pro materia matrimonii, ſed non quemcunque contractum aut quà clandeſtinum, ſed quà validum & legitimum; quis verò ſit dicendus contractus legitimus Chriſtus non determinavit, ſed ſicut alias Principes ſæculares poſſunt leges contractibus præfigere, ita etiam Pontifici & Eccleſiæ reliquit certas leges contractui matrimonii præſcribere, quibus non ſervatis illum poterit pro nullo reputare. Sicut qui poteſt corrumpere ſpecies panis & vini poteſt etiam indirectè irritare Sacramentum Euchariſtiæ, ita etiam Pontifex poteſt indirectè irritare Sacramentum matrimonii ex juſtis cauſis annulando contractum, Ad probam maj. eſt diſparitas; quia cum materia aliorum Sacramentorum v. g. aqua in Baptiſmo ſint res merè naturales non dependentes ab hominum voluntate, ideo nec Eccleſia indirectè eam poteſt immutare, ſecus autem eſt in materia Sacramenti matrimonii, quæ eſt contractus humanus, conſequenter dependens à voluntate ſuperiorum, & ſic materialiter mutari poteſt.

Dices: Eccleſia non poteſt facere, ut ſit de eſſentia Sacramenti matrimonii quod antea non erat; ſed ante Tridentinum non erat de eſſentia matrimonii publicitas conſenſus coram parocho & teſtibus: ergo nec modo eſt.

Contra diſt. maj. Eccleſia non poteſt facere, ut ſit de eſſentia Sacramenti matrimonii quod antea non erat directè & formaliter variando materiam & formam conc. non poteſt hoc facere materialiter & remotè variando neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. Eccleſia ergo non poteſt facere, ut legitimus contractus non ſit materia & forma Sacramenti matrimonii, benè tamen facere poteſt, ut talis vel talis contractus non ſit legitimus, cum hoc pendeat à poteſtate Superiorum alicujus communitatis.

Dices: ſolemnitas præſentiæ parochi & teſtium eſt extrinſeca, ſed defectus extrinſecus non poteſt annullare Sacramentum: ergo.

Contra diſt. maj. eſt extrinſeca intrinſecè tamen ad validitatem matrimonii requiſita conc. eſt extrinſeca & non intrinſecè requiſita neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. hæc diſtinctio patet ex phyſica de unione in compoſito, quæ in eo eſt quid extrinſecum; non enim eſt pars eſſentialis conſtitutiva, & tamen intrinſecè ac indiſpenſabiliter requiritur, quandoquidem ſine ea haberi non poſſit compoſitum eſſentiale phyſicum.

Dices: in alienatione rerum Eccleſiæ, nec non in teſtamento &c. defectu ſolemnitatis de jure requiſitæ non irritatur talis contractus in foro conſcientiæ, ut refert probabilis ſententia: ergo ſaltem defectu præſentiæ parochi non irritabitur matrimonium in foro conſcientiæ, ſed ſolum in foro externo erit annullandum.

Contra transmitto ant. nego conſeq. diſparitas eſt, quia cæteri contractus naturâ ſuâ ſunt diſſolubiles mutuâ revocatione prioris voluntatis, qui enim teſtamentum condidit, poteſt illud denuo mutare, quamdiu vivit &c. aſt contractus matrimonii eſt indiſſolubilis & propterea non poteſt fieri, ut in foro conſcientiæ ſit validus & conſequenter indiſſolubilis, in foro verò externo invalidus & diſſolubilis.

Dices: annullatio alicujus actûs eſt pœna, ſed pœna ſaltem non incurritur ante ſententiam judicis juxta Gloſſam vulgarem Can. *fraternitas.* 12. q. 2. ergo matrimonium clandeſtinum non eſt in foro conſcientiæ irritum ante ſententiam judicis.

Contra neg. maj. quia de ratione pœnæ eſt,

eſt, ut infligatur ad delicti punitionem, adeóque ubi non eſt delictum ibi non eſt pœnæ locus; aſt illa annullatio matrimonii vel aliorum actuum non infligitur ob delicti punitionem, ſed ad præcavenda mala, ideo non eſt pœna; imo ſi in foro conſcientiæ eſſet validum, & in foro externo irritandum, certe non obviaret ſatis Eccleſia illis incommodis ex matrimonio clandeſtino oriundis & majorem occaſionem malorum præberet, ut cuilibet conſideranti patere poteſt, cum matrimonium validum ſit jure divino indiſſolubile. His tamen

11 Addo, tres caſus poſſe recenſeri, in quibus matrimonium ſina præſentia parochi contrahi poſſet: primus caſus eſt, quando Parochus ſimpliciter haberi non poteſt, uti declarat Sacra Cardinalium congregatio dicens: Si parochia, in quâ non fuit aliquando obſervatum Decretum Trident. proprio Parocho careat, aut metu hæreticorum abſit, & nullus alius ibi ſit, qui vices Parochi aut Epiſcopi ſuppleat, matrimonium valet absque præſentia Parochi, ſervatâ tamen in eo, in quo poteſt forma Concilii nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus, uti videre eſt apud Galemort. Hinc multò magis validum erit matrimonium Catholicorum captivorum apud infideles initum absque Parocho vel mercatorum Chriſtianorum in infidelium locis per modum hoſpitii exiſtentes. Secundus caſus eſt, quando non ſine gravi vel ipſius Parochi, vel contrahentium periculo Parochus haberi non poteſt, ut etiam patet ex cit. congregatione Cardinalium. Unde ſi Parochus vel Vicarius metu Hæreticorum abſit ab aliquo loco, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum erit matrimonium contractum absque Parocho adhibitis tamen duobus teſtibus. Tertius caſus eſt, quando urget maxima neceſſitas, quæ usque ad Parochi præſentiam non poteſt differri, ut patet à pari, quia periculoſus acceſſus ad Parochum excuſat, ut ſtatim diximus: ergo etiam neceſſitas excuſabit, v. g. ſi Princeps aliquis habeat concubinam, ex quâ filium ſuſcepit, ſitque in evidenti periculo mortis, qui ſi absque legitimo filio decedat, tunc totus ejus principatus devolveretur ad alium, imo planè ad hæreticum, tunc certè talis caſus foret majoris momenti, quam ut matrimonium contrahi non poſſit absque præſentia parochi: ergo ſi ex congregatione Cardinalium magnum periculum excuſet à præſentia parochi, etiam neceſſitas in periculo mortis, vel amiſſionis proprii ſtatûs cum magna jactura ſubditorum excuſare poteſt, nam præceptum Eccleſiaſticum non obligat eo rigore, ut in maxima neceſſitate non liceat contravenire, ut conſtat in præcepto Miſſæ, jejunii, vel abſtinentiæ à carnibus: ergo. Tum quia quoties caſus evenit talibus circumſtantiis veſtitus, quibus non ita expreſsè deciſus eſt, attendendum eſt, quid in ſimili caſu Legislator conſultus reſponderet, idque tenendum eſſet, ut docent communiter Theologi; ſed probabiliſſimum eſt Pontificem in dicto caſu conſultum reſpondere poſſe in illo validè contrahi matrimonium absque præſentia Parochi: ergo.

QUÆSTIO II.

De proprii Parochi aſſiſtentia & denuntiationibus matrimonii.

ADvertendum eſt, certiſſimum eſſe præſentiam Parochi in matrimonio debere 1
eſſe proprii Parochi, ut habetur in Trident. Seſſ. 24. de reformat. matrimonii C. 1. ubi expreſsè dicitur, denuntiationes eſſe faciendas à proprio Parocho & pariter etiam benedictionem & conjunctionem conjugum, ita ut revocet omne privilegium tam Clericorum quam regularium, qui potuerunt alterius Parochiæ ſponſos benedicere & conjungere. Oriuntur tamen variæ difficultates, quinam poſſit haberi pro Parocho proprio, unde ut ſuccinctè procedamus.

Aſſero 1. *Nomine proprii Parochi non ſo-* 2
lùm comprehendi, qui immediatè parochiale beneficium poſſidet; ſed etiam quoscunque in linea Hierarchica Parochorum Superiores, ut ordinarius Epiſcopus in illa Diœceſi, Archiepiſcopus in tota Provincia dum viſitat, vel cauſa ad eum devolvatur, aliàs vero non, ut habetur tit. de major. & obedientia. *Summus Pontifex in toto orbe, Legatus Apoſtolicus de latere in Provinciis ſibi commiſſis, Cardinales in Eccleſiis ſui tituli, Vicarii Generales, Capitulum Cathedrale ſede vacante in tota Diœceſi, Abbates Eccleſiæ Parochialis exempta nulli Epiſcopo ſubjectæ reſpectu ſuorum ſubditorum, ut in Styria eſt Abbas ad S. Lambertum.*

Aſſero 2. *Parochus non Sacerdos poteſt aſſi-* 3
ſtere matrimonio tanquam proprius Parochus, vel etiam alteri Sacerdoti dare licentiam aſſiſtendi: Quia aſſiſtere matrimonio non eſt actus ordinis, ſed ſolùm teſtis, vel fortè ad ſummum juriſdictionis voluntariæ: ergo ſi reliqua munia poteſtatem ordinis non requirentia à Parocho non Sacerdote valida admittantur, etiam actus aſſiſtendi matrimonio validus erit. Ita tenet declaratio Cardinalium apud Gallemort; nec debet nos movere aliquorum explicatio illius textus Trid. ubi dicitur, qui aliter quàm proprio Parocho vel alio Sacerdote, ubi ly alio denotare debeat præcitatam perſonam debere eſſe eàdem qualitate affectam, ſicut illa de qua illud dicitur, cum ly aliud ſit relativum ejusdem qualitatis, nam falſum eſt ly alius ſemper referre qualitatem præcedenti ſimilem, nam Matthæi 28. etiam de Chriſto dicitur, *& cum eo crucifixi ſunt duo alii Latrones*, ubi certo ly alii qualitatem præcedenti ſimilem non refert, aliàs eſſet ſenſus blasphemus, quod & Chriſtus fuerit

ris

rit latro, ſicut illi alii duo, hinc manendum eſt in verbis textûs, quæ dicunt Parochum ſine exceptione.

4 Aſſero 3. *Nec Parochus Sacerdos, nec non Sacerdos poteſt dare licentiam aſſiſtendi matrimonio non Sacerdoti, ita ut aſſiſtente Diacono de licentia Parochi matrimonium eſſet nullum:* Quia Trident. in Subſtituto requirit Sacerdotium, cùm expreſsè dicat, vel alio Sacerdore, ergò cum verba ſemper debeant ſecundùm commonem intelligentiam & proprietatem accipi, ubi non urget ſpecialis difficultas in contrarium, ac per ly Sacerdos ſolus Presbyter intelligatur Parochus ſoli Sacerdoti dare poterit licentiam aſſiſtendi matrimonio, & quidem omni Sacerdoti etiam non approbato ut docet Sanchez.

5 Aſſero 4. *Parochus etiam excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, non toleratus validè aſſiſtit matrimonio;* quia actus aſſiſtendi matrimonio non videtur eſſe actus juriſdictionis præſertim contentioſæ, ſed ſolùm teſtis qualificati & conſtituti ab Eccleſia: ergo quouſque Parochus non privatus dignitate parochiali poteſt validè aſſiſtere, ſed præfatus Parochus non ſtatim eſt privatus dignitate parochiali: ergo cum in poſſeſſione poſſit manere, validè poteſt aſſiſtere; ant. primum patet, quia actus juriſdictionis non poteſt ab invito validè fieri, nam actus non operantur ultra intentionem operantium, aſt præſentia Parochi omnino inviti ad aſſiſtendum matrimonio ſufficit ad valorem matrimonii, ut paulò poſt dicemus: ergo non eſt actus juriſdictionis.

6 Aſſero 5. *Matrimonium celebratum coram Parocho communi errore tantum putato, ſi tamen habet aliquem titulum coloratum eſt validum etiam in foro conſcientiæ:* quia omnia tunc à jure requiſita concurrunt, nam eſſet communis error, & non tantum error unius vel alterius perſonæ, eſſet præſumptus titulus licèt invalidus in ſe, ac ejuſdem tituli collatio à ſuperiore legitimo, in quibus jus videtur ſupplere defectum ipſius ſui putati miniſtri, ne tantum damnum ipſis ſubditis inferatur, ut habet L. Barbarius ff. de officiis prætorum. Secus ergo matrimonium coram Parocho putato, & ſine omni titulo, ſed propriè intruſo eſt invalidum, quia nemo poteſt aſſiſtere matrimonio, niſi habeat legitimam poteſtatem aſſiſtendi; ſed talis Parochus intruſus nullam habet poteſtatem, nam non ab alio Superiore legitimo, cum ſit verè intruſus, nec etiam ab Eccleſia, quia hæc in hujuſmodi caſu intruſionis ſine reliquis prærequiſitis paulò ante dictis non ſupplet defectum Parochi, quia Eccleſia non ſupplet talem defectum, niſi cum errore communi concurrat titulus præſumptus & talis tituli collatio à legitimo ſuperiore, vel ſaltem à legitimo putato facta.

7 Aſſero 6. *Ad valorem matrimonii ſufficit præſentia Parochi moralis & humana licet invita, non tamen phyſica & localis:* quia præſentia Parochi requiritur, ut ſit teſtis, qui utique humano modo debet advertere & intelligere, quæ in loco fiunt, cum teſtificari ſit judicium deponere de rebus teſtificatis, & hæc eſt præſentia moralis, unde non ſatis eſt ſolummodo ſenſu externo percipere, quæ à contrahentibus fiunt, ut eſſet in Parocho amente vel ebrio. Interim tamen non pertinet ad ſubſtantiam matrimonii ut Parochus quædam verba proferat; hinc valet matrimonium, quamvis ſolum à contrahentibus verba exprimentia conſenſum prolata ſint, dummodo Parochus ſit præſens & intelligat id, quod agitur, etiamſi Parochus diſſentiat & contradicat, quod velit aſſiſtere, dummodo formaliter ſit adhibitus ad talem actum, quinimò etiamſi ex alia ratione eſſet principaliter vocatus v. g. convivii vel confabulationis, aut alterius negotii cauſa, dummodo etiam ſit adhibitus ad illum actum à contrahentibus, ut expreſsè habetur in declarationibus Cardinalium apud Galemort, imò etiamſi Parochus habuiſſet interdictum aſſiſtendi ab Epiſcopo, nam Epiſcopus non poteſt reſtringere poteſtatem jure communi in Parocho validam & conceſſam, ut non ſit valida, ut pariter conſtat ex declarationibus Cardin. apud præfatum Galemort, excipitur tamen ab aliquibus authoribus caſus, in quo prohiberet Epiſcopus aſſiſtentiam Parochi per decretum irritativum actûs. Quod tandem præſentia phyſica & localis non ſufficiat, patet de ſe, quia phyſicè loco præſens dicitur aliquis eſſe ſive dormiat ſive vigilet, & aliquid agat, qualem præſentiam etiam dicuntur bruta habere.

Aſſero 7. *Ad valorem matrimonii ſufficit Parochus proprius unius contrahentis ſaltem illius, in cujus Parochia celebratur contractus, & non requiritur utriuſque contrahentis proprius;* 8
quia licet quoad reliqua Sacramenta Parochus unius contrahentis non ſit utriuſque Parochus bene tamen quoad matrimonium ratione connexionis, eò quòd ſit contractus, qui non niſi inter duos eſſe poteſt, hinc cum proprio Parocho committatur ſuum parochianum matrimonio conjungere cenſetur etiam eſſe commiſſum alienum cum ſuo conjungere, quia re conceſſa omnia ad illam comparandam neceſſaria conceduntur, ut habet C. *præterea* de officio Legati.

Aſſero 8. *Ad valorem matrimonii etiam ſufficeret proprius Parochus unius contrahentis,* 9
etiamſi in parochia alterius ſibi non ſubditi, imò etiam extra parochiam utriuſque matrimonium celebraretur; quia is eſt legitimus Parochus, ut aſſiſtat matrimonio, qui eſt legitimus ad audiendas confeſſiones, ſed Parochus extra parochiam communiter eſt legitimus ad audiendas confeſſiones: ergo etiam. Tum quia aſſiſtere matrimonio reducitur ad juriſdictio-

dictionem voluntariam; quæ eſt, quod in ſolos ſubditos volentes exercetur, & non in invitos ut adoptio, emancipatio, quæ licet coram judice fiant, non tamen eum requirunt ſedentem pro tribunali & cognitione cauſæ, & differt à juriſdictione contentioſa & neceſſaria, quæ eſt quod actor contendit contra reum, & reus in judicium vocatus neceſſariò tenetur reſpondere ac exerceri poteſt in invitos: ergo cum aſſiſtentia matrimonii ſit juriſdictio voluntaria non exigens cognitionem cauſæ validè extra parochiam exerceri poteſt, ut habetur C. *novit*. de officio Legat. & L. 2. ff. de officio procon. hinc cum videatur indiſtinctè ſufficere Parochum ſponſi vel ſponſæ, ideo valebit aſſiſtentia parochi proprii alicujus in aliena parochia, ut deciſum eſt in declarat. Cardinal. teſte Navarro, quamvis etiam habeatur declaratio Cardinalium aliqua in contrarium, quæ tamen potius eſt conſilium, cum expediat eum Parochum aſſiſtere matrimonio in cujus parochia celebratur. Demum ceſſante ſcandalo rixarum & contentionum nec videtur talis Parochus aſſiſtens matrimonio extra ſuam parochiam, ſed in alienâ peccare aut puniendus eſſe, quia per ſe liberè exercetur juriſdictio voluntaria extra proprium territorium, ubi rationabiliter & jure oſtendi non poteſt invitus alienus Parochus, nec etiam in jure invenitur ſpeciale interdictum quo prohiberetur Parochus aſſiſtere matrimonio extra parochiam propriam. Nota tamen quod quamvis extra propriam parochiam poſſit ſponſos conjungere, benedicere tamen non poſſet, quia benedictiones ſolemnes celebrantur à ſacerdote inter Miſſarum ſolemnia & ita cum quodam quaſi ſtrepitu judiciario, qui juriſdictionem contentioſam præ ſe ferre videtur, ideo etiam ob eandem rationem Epiſcopi prohibentur conferre ordines in alienis diœceſibus ſine licentia proprii parochi, imo defacto etiam primam tonſuram aut celebrare divina in veſtimentis Pontificiis, ut habet Trident. Seſſ. 6. C. 5. *de reform.* matrimonium verò privatè celebrari poteſt.

10 Aſſero 9. *Ad valorem matrimonii ſufficit aſſiſtentia alterius Sacerdotis cum licentia ſolùm generali, qua Parochus alicui concedit licentiam ad exercendum in ſua Parochia, qua ad curam animarum pertinent, imò etiam cum licentia tacita & ratihabitione de præſenti, ut quando vidente & ſciente ac tacente proprio parocho potente contradicere aſſiſtit:* quia Trident. tantum petit, ut interſit alius de licentia proprii: ergo cum hoc jus corrigat antiquum, non eſt extendendum, ut exigat licentiam ſpecialem & expreſſam, niſi ſit aliqua conjectura in contrarium de non includendo matrimonio. Licentia tamen tacita ſeu ratihabitio de futuro, eò quòd alienus Sacerdos probabiliter credit parochum ratihabiturum poſtea, non eſt ſufficiens, ut matrimonium ſit validum, quia quod de futuro ratificatur eſt pendens ut poſſit ratificari vel irritari poſtea, ſed valor Sacramenti non poteſt eſſe in pendenti, ſed ſtatim debet eſſe validum aut irritum: ergo.

11 Aſſero 10. *Denuntiationes faciendæ ſunt in utriuſque contrahentis parochia à propriis Parochis, quando contrahentes ſunt diverſarum parochiarum:* quia Trident. dicit eſſe faciendas à proprio contrahentium parocho: ergo uterque Parochus quando ſunt diverſæ parochiæ eas facere debet, imò talis publicatio exigitur, ut ſcientes contrahentium impedimenta illa detegant, ſed in viciniis mulieris non poſſunt ſciri impedimenta viri, nec econtra: ergo utrobique debent denuntiari, atque hoc idem ſi quidem jam tempore ſponſalium ſint ejuſdem parochiæ, ſed ante modicum tempus fuerint diverſarum, quia tunc ibidem melior habetur perſonarum notitia.

12 Aſſero 11. *Denuntiationes non ita præciſè diebus feſtivis fieri debent, quin etiam aliis diebus ubi v. g. propter litanias vel proceſſionem magnus eſt concurſus, fieri poſſint;* imò ſi neceſſitas valdè magna & urgens eſſet, & commodus acceſſus ad ipſum ordinarium haberi nequeat, etiam ſolus Parochus diſpenſare poterit, ſi tamen adſit rationabilis cauſa. Pro ſimilibus vero cauſis habentur, ut ſi contrahentes ſint in conditione, fortunis vel ætate admodum inæquales, unde minus honorificè vel non ſine irriſione aliorum denuntientur item ſi jamdiu cohabitârint, & pro conjugibus habiti ſunt, ſi tempus quadrageſimæ vel repentinus diſceſſus inſtet, & generaliter, quoties notabilis utilitas contrahentium ſperetur vel ex denuntiationibus aliquod notabile incommodum timeatur, vel ſit rationabilis ſuſpicio, quod aliqui malitioſè ſint ſe oppoſituri. In his tamen caſibus uſus obtinuit, ut contrahentes juramentum præſtent, quod in nullius præjudicium & ſine omni impedimento Canonico contracturi ſint.

13 Aſſerò 12. *Teſtes qui in matrimonio præſentes eſſe debent, non requiruntur omni exceptione majores*, ſed ne frequenti periculo nullitatis exponantur matrimonia, ſicut teſtamenta, in quibus tam exacti teſtes requiruntur, ſufficient quicunque teſtes rationis compotes & intelligentes rem, de qua agitur etiam domeſtici, infames, fœminæ, conſanguinei &c. ut docet Barboſa.

QUÆSTIO III.

De matrimonio clandeſtinè celebrato in locis, ubi Tridentinum non eſt receptum.

14 ADvertendum eſt, defacto in multis locis & regnis vel Provinciis Decretum Trident. de præſentia parochi dici, non eſſe receptum, quia vel legitimè non promulgaba-

gabatur, vel diſſimulante ex propoſito Eccleſia ob juſtas cauſas contrario uſu ſeu conſuetudine legis obligatio ſublata eſt. Hinc variæ oriuntur difficultates de matrimonio in his locis celebrato, quas ut etiam ſuccinctè expediamus.

2 Aſſero 1. *Matrimonium ſine præſentia parochi & teſtium in locis ubi Trident. non eſt receptum ab incolis illorum locorum contractum eſt validum;* quia ipſum Trident. Seſſ. 24. pro ſua obligatione in puncto matrimonii requirit, ut debitè promulgetur, & ideo decernit non habere robur in quavis parochia niſi poſt 30. dies à facta publicatione, & quamvis facta promulgatione in Decretis Eccleſiaſticis non ſit expectanda acceptatio populi, attamen quando juridicus de lege abroganda conſenſus supervenit in præſcriptione contraria per tempus à jure definitum ſcilicet per 10. annos non receptum eſſe dicitur; atqui lex non debitè promulgata vel juridicè abrogata non obligat: ergo.

Aſſero 2. *Matrimonium ſine præſentia parochi & teſtium, in locis ubi Tridentinum non obligat, ab incolis illorum locorum, ubi Trident. obligat, contractum animo ibi transeundi & negotiandi, iterúmque revertendi, eſt validum* v. g. Petrus Græcenſis cum Bertha pergens in Hollandiam alicujus negotii pertractandi gratia, ibíque deinde abſque præſentia parochi validum contraheret matrimonium: quia de legibus docet communior ſententia, peregrinos non teneri legibus proprii territorii à quo exeunt, ſi contrariæ ſint conſuetudines in loco ubi per modum tranſitûs reperiuntur, ut patet de lege jejunii in uno loco & non in altero: ergo etiam id de lege Trident. circa matrimonium eſt dicendum. Imò licet peregrini tenerentur legibus proprii loci, attamen quoad ſolemnitatem adhibendam in contractibus ſolæ leges loci, in quo contractus celebratur inſpiciuntur; nam ratione contractûs quilibet ſortitur forum in loco contractus C. *finali* de foro competenti: ergo.

3 Objicies: Advenientes ex locis ubi Trident. obligat, jam contraxerunt obligationem ſervandi illud decretum: ergo ubique tenentur illud obſervare. Ant. patet cum ſint membra Eccleſiæ, illíque ſubjecti, conſeq. pariter patet, quia etiam ubique eſt membrum Eccleſiæ ſubjectum.

Reſpondeo diſt. ant. contraxerunt obligationem illud ſervandi, quamdiu ſunt in partibus in quibus obligat conc. etiam in partibus aliis, ubi non obligat, neg. ant. & conſeq. ac ejus probam; non enim etiam membrum Eccleſiæ ligatur lege Eccleſiaſtica in tali loco, ubi ex voluntate vel ſaltem conniventia ejusdem Eccleſiæ non habet robur ſimile decretum, ut eſt in locis ubi non eſt receptum.

Dices: Illud Trident. non ſolum irritat contractum matrimonii clam contractum, ſed etiam reddit perſonas inhabiles ad ita contrahendum, ſed inhabilitas perſonalis comitatur perſonam quocunque euntem, cum ſit quid perſonale: ergo ſemel perſona reddita inhabilis in illo loco, ubi Trident. obligat, ubique erit inhabilis.

Contra: diſtinguo min. inhabilitas abſoluta & ſimpliciter talis comitatur perſonam quocunque euntem, ut eſt v. g. in potentia conc. inhabilitas conſtituta per modum legis neg. min. & conſeq. inhabilitas ergo ad ſic contrahendum eſt conſtituta per modum legis, ſeu ſe habet, ut vera lex, adeóque ſicut lex illa non obligat ibidem, ita nec ſequitur perſonam ibidem.

Aſſero 3. *Matrimonium quod contrahitur in locis ubi Trident. non eſt receptum à ſponſis, ubi eſt receptum, illuc tamen profectis ex ſola intentione & animo, ut ſine ullo parocho contraherent defacto non videtur eſſe validum, quamvis olim probabiliſſimè reputabatur validum à Sanchez & aliis, ac ſæpe contingebat in Hungaria, ubi Trident. non erat receptum:* quia ut dicit Diana parte 6. Tract. 7. reſolution. 29. ad finem. Fateor ſententiæ affirmativæ (intellige ipſius Sanchez) ſemper me adhæſiſſe in conflictu enim opinionum illa eſt tenenda, quæ favet valori matrimonii, ſed quia noviſſimè Franciſcus Zipæus in conſultationibus Canonicis Lib. 4. de ſponſalibus conſultatione 6. teſtatur anno 1628. Sacram Cardinalium Congregationem ipſi petenti reſpondiſſe, tale matrimonium eſſe nullum, ideo à ſententia negativa non eſt recedendum; quod ultra confirmat reſponſum celeberrimæ facultatis Theologicæ Viennenſis, cui anno 1655. ab excelſo regimine hæc quæſtio decidenda dabatur: An ſcilicet Trident. etiam hæreticos Auſtriacos in cauſis matrimonialibus ita obliget, ut ſi extra Auſtriam ſine proprii parochi conſenſu in Hungaria copulentur pro veris & legitimis conjugibus ſint habendi? Reſpondit inclyta facultas negativè ſi in fraudem Trident. eo fine, ut ſine præſentia proprii parochi matrimonium contrahant, ad illas partes Hungariæ proficiſcantur, quia fraus & dolus nemini patrocinari debet C. *ſedes.* & C. *ex tenore* de reſcriptis: ergo ſi hoc de hæreticis ſentitur, qui putant ſe non eſſe obligatos ad Trident. multo magis id de Catholicis eſt dicendum, qui fatentur hoc decreto ſe eſſe obligatos. Quod autem contraria ſententia olim fuerat probabiliſſima patet ex Covarruvia & Sanchez L. 3. Diſp. 18. n. 29. & ex ratione objectionis. 4

Objicies: qui utitur jure ſuo, non poteſt fraudem committere, ut eâ ratione impediatur effectus, ut habet regula 55. *nullus videtur* ff. de regulis juris; ſed adeuntes ubi Trident. non urget, animo ibi contrahendi ſine parocho, utuntur jure ſuo, cum habeant jus ubique contrahendi: ergo non impeditur effe- 5

effectus ſeu valor talis matrimonii; & præterea nulla injuria fit decreto, utpote quod non obligat, niſi quia pro tempore, quo in illo territorio, ubi receptum eſt, manet, in quo tamen non ſemper tenetur quis permanere.

Reſpondeo vel diſt. min. utuntur jure ſuo in ordine ad contrahendum conc. utuntur jure ſuo in ordine ad debitam reverentiam decreti, quod ſine ratione non debet illudi, cum facilè poſſit adimpleri neg. min. unde adhuc fieret injuria ipſi decreto Trident. quod tam facilè poſſet adimpleri, & ſine ratione ſubterfugitur, ideo meritò potuerunt jura ſtatuere, ut talia injuria vel ſubterfugium nec patrocinetur etiam valori actûs, ſed ſit contra ſubſtantiam contractûs, uti præſertim defacto verum eſt poſt declarationem Cardin. in aſſertione citatam. Vel prorſus neg. min. pro defacto, nam in re dubia ſtandum eſt deciſioni Cardinalium: cum ergo dubium ſit, an ille animus ſubterfugiendi decretum ſit fraus vel potiùs jus & fuga legis permiſſa & declaratio Cardinalium deciderit eſſe tale matrimonium in fraudem factum, ideo pro fraude habendum erit.

Dices: bona vel mala intentio ſolùm confert ad committendum vel non committendum peccatum, non verò ad annullandum actum: ergo ſi tale matrimonium ſine prava intentione eſſet validum, etiam prava intentio non invalidabit, licet committatur in eo peccatum.

Contra diſtinguo ant. ſi illa mala intentio non reputetur à jure obſtare ſubſtantiæ & valori conc. ſi ita reputetur neg. ant. ſeu mala intentio fraudulentiæ legis non lædit actum neg. alia mala intentio conc. tam autem mala intentio quam fraus contra legem à jure habetur pro non patrocinante etiam ad valorem actus præſertim hic in matrimonio. Plura huc applica ex materia de legibus ſub diſtinct. 4. q. 6. object. ad aſſert. 3. circa finem.

6 Aſſero 4. *Matrimonium ſine præſentia parochi ab incolis locorum ubi Trident. non obligat, contractum in loco ubi Tridentinum obligat, eſt invalidum:* quia quoad ſolemnitates contractuum etiam peregrini tenentur legibus & conſuetudinibus locorum, ubi contrahunt; nam ratione contractûs quilibet ſortitur forum in loco contractus C. *finali* de foro competenti: ergo cum ea ſolemnitas adhibenda ſit, quam petunt leges loci, ubi contractus initur, & locus ubi celebratur matrimonium à peregrinis exigat ſolemnitatem à Trident. præſcriptam, matrimonium ſi non ita contrahatur, nullum erit.

7 Aſſero 5. *Matrimonium hæreticorum in urbibus mixtæ religionis, ut Auguſtæ in quibus eſt promulgatum Trident. contractum abſque præſentia veri parochi, eſt invalidum & nullum:* quia ſic declaravit congregatio Cardinal. dicens; hæretici, quorum in parochia decretum fuit publicatum, tenentur præſcriptam formam obſervare, & propterea ipſorum matrimonia licet coram miniſtro hæretico vel magiſtratu loci contracta, ſunt nulla abſque forma Concilii. Vide Gallemart ſupra Tridentinum. Huic accedit etiam reſponſum facultatis Theologicæ Viennenſis ad quæſtionem à celſiſſimo regimine propoſitam idem dicens.

Objicies: Trident. non ſe extendit ad illos hæreticos in urbibus mixtæ religionis: ergo. Ant. probatur: Summus Pontifex defacto ſcit ita fieri, & tamen ob graviora mala & incommoda v. g. ne filii eorum legitimè nati non eſſent, ideóque incapaces officiorum & ſacrorum ordinum non declarat talia matrimonia irrita: ergo Summus Pontifex talia matrimonia approbat. 8

Reſpondeo neg. ant. ad probam dico falſam eſſe conſequentiam, illa enim diſſimulatio Pontificis non approbat illa matrimonia, cum ſit inconveniens ſubditorum rebellium, ut ſunt hæretici propter pertinacem reſiſtentiam Conciliorum & Pontificum decretis eorum actus approbare, ut diximus Diſt. 1. q. 3. in object. ad aſſertionem ſecundam. Imò quod Pontifex non declaret illa matrimonia eſſe irrita, non eſt quod approbet, ſed quod talis irritatio etiam ab omnibus PP. Catholicis eſſet fruſtranea, nam hæretici tam parum curarent talem irritationem, quàm modo curant declarationem, qua declarantur hæretici excommunicati, & tam parum curant Pontificem quam parum Imperatorem Turcicum. Imò potiùs ſubſannarent & irriderent Pontificem declarantem ſe velle illorum matrimonia permittere.

Dices: non jubentur conjuges, qui in urbibus mixtæ religionis abſque proprio parocho Catholico contraxerunt, & dein ad veram fidem convertuntur, denuo contrahere coram proprio parocho, imò etiam talium conjugum filii, ſi ad fidem convertuntur, habentur pro filiis legitimis ad ordines ſuſcipiendos: ergo approbantur.

Contra neg. conſeq. nam cum ſimilibus tacitè diſpenſat Pontifex circa illam ſolemnitatem juris, dummodo iterum ratificent ſuum conſenſum quod plerumque fit eo ipſo quod tales conjuges perſeverent in cohabitatione.

Dices: Parochus catholicus non poteſt aſſiſtere matrimoniis hæreticorum quos habet in ſua parochia: ergo nec hæretici tenentur contrahere coram parocho catholico. Ant. patet. Hæretici ſacrilegè ſuſcipiunt hoc Sacramentum, ſed parochus non poteſt aſſiſtere ſuſcipienti ſacrilegè Sacramentum: ergo.

Contra neg. ant. nam licitè poteſt aſſiſtere proprius parochus matrimoniis hæreticorum in urbe mixtæ religionis. Ad probam iterum neg. min. nam cum parochus non ſit miniſter matrimonii, ſed ſolùm teſtis non peccabit contra reverentiam Sacramenti aſſiſten-

dn tali Sacrilegn matrimonin, nam ſæpe etiam contingit, quod Sacerdns aſſiſtat matrimonio aliquorum catholicorum, qui notriè peccatores ſunt, quandn non patiuntur ſibi perſuaderi, ut ad Sacramentum dignè ſuſcipiendum ſe diſpnnant.

DISTINCTIO XXVI.

De Impedimentis Matrimonii in communi.

QUÆSTIO I.

Quinam habeant poteſtatem conſtituendi impedimenta matrimonii?

1 ADvertendum eſt, impedimenta matrimnnii alia eſſe impedientia, alia dirimentia, prima dicuntur à Scoto in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex dictis*. impedimenta ſecundùm quid. Secunda verò impedimenta ſimpliciter. Impedimenta ergo impedientia ſunt illa, quæ ſolùm reddunt matrimnnium illicitum non tamen invalidum aut nullum. Dirimentia vrò ſunt, quæ reddunt matrimnnium irritum & nullum, non quidem quod ſemel validè cnntractum matrimonium diſſolvant, ſed quòd reddant illud matrimnnium nullum, quod alias nnn interveniente tali impedimento fuiſſet validum, excepto vnto ſolemni poſt matrimonium ratum emiſſum, quod etiam illud ex ſpeciali privilegio Chriſti dirimit, uti diximus Diſt. 1. q. 5. de his ergo impedimentis in communi quæri poteſt, quinam ſtatuere poſſint talia impedimenta pro matrimnnio, an præter Pnntificem etiam Epiſcopi, Principes ſæculares tam fideles quam infideles, vel etiam cnnſuetudn poſſint talia inducere. Pro quibus

2 Prnpoſitio 1. *Eccleſia vel Pontifex impedimenta dirimentia ſtatuere poteſt:* Ratio eſt de fide definitin Trident. Seſſ. 24. Can. 3. & 4. Tum quia nmnis reſpublica rectè inſtituta debet habere poteſtatem ad tollendos abuſus & mala, quæ in detrimentum omnium ſubditorum venire poſſunt ex cnntractibus & ſocietate humana; ſed Eccleſia eſt reſpublica bene nrdinata, cjúſque debitus gubernatnr eſt Pontifex, & matrimnnium eſt cnntractus cæteria præcellens, in qun multæ inconvenientiæ obrepere poſſunt: ergo penes Eccleſiam & Pontificem debet eſſe talis facultas tnllendi ſimiles abuſus & inconvenientias; ſed hoc mndo melius fieri nnn pnſſet, quam ex juſta & rationabili cauſa ſtatuendo impedimenta: ergn.

3 Propoſitin 2. *Princeps aliquis fidelis habens ſubditos infideles poteſt reſpectu illorum ſtatuere impedimenta dirimentia:* Ratin eſt, quia Princeps in ſuo regnn ea ſtatuere poteſt, quæ ad commune bonum reipublicæ ſpectant: ergo ſicut ex juſta cauſa pnteſt alina cnntractus irritare, aut certas ſolemnitates appnnere, quibus nnn obſervatis contractus ſit nullus, ita poteſt contractui matrimoniali ſuorum ſubditorum infidelium certas ſtatuere leges, quibus nnn nbſervatis matrimnnium eorum ſit nullum, præſertim cum apud infideles matrimonium ſit purus cnntractus civilis. Dixi habens ſubditos infideles, nam reſpectu ſubditnrum fidelium ſtatuendi impedimenta dirimentia reſervavit Pontifex ſibi ſnli pnteſtatem, uti dicemus in aſſertionibus, quia matrimnnium apud fideles habet ratinnem Sacramenti, nnn verò apud infideles, ubi manet purus contractus civilis.

Propoſitin 3. *Princeps infidelis etiam poteſt reſpectu ſuorum ſubditorum infidelium ſtatuere impedimenta dirimentia:* Ratio eſt, quia quivis Princeps poteſt ſuis ſubditis ea ſtatuere, quæ cnmmunem tranquillitatem reſpiciunt: ergn cum Princeps infidelis pnſſit alios contractus civiles ſunrum ſubditnrum irritare, poterit etiam prn matrimonio impedimenta irritantia ponere, quod apud ipſos eſt purus contractus civilis. Hinc nb juſtam cauſam Soldanus Turcicus poſſet ſimilem legem ſtatuere, ut nullus Turca matrimonium contrahat cum fœmina Hebraica, & ſi contrahat matrimonium ſit nullum, & iden ſi quis taliter contraxiſſet, & poſtea converteretur ad fidem cum ſua putata uxore deberet rurſus contrahere, quia prior cnntractus fuiſſet invalidus. 4

His poſitis:

Aſſern 1. ad quæſtinnem: *Princeps fidelis vi ſua poteſtatis gaudet facultate ex juſta cauſa ſtatuendi impedimenta dirimentia ſuis ſubditis non obſtante, quod matrimonium ſit elevatum ad rationem Sacramenti, hac tamen facultas defacto eſt Principibus impedita ab Eccleſia.* Eſt Sànchez L. 7. Diſp. 3. cnntra multns Canoniſtas. 5

Probatur 1. Tum quia regibus data eſt à DEO poteſtas cnndendi leges prn ſubditis eorum gubernationi conſentaneas, ac bono reipublicæ utiles, ſed quandnque expedit ad bonum reipublicæ prædicta impedimenta inducere, cum matrimonium ſit verus contractus civilis: ergo ſicut Princeps vi ſuæ jurisdictionis poteſt alins cnntractus civiles ſuorum ſubditorum irritare, ita etiam impedimenta dirimentia pro matrimonin ſtatuere. Tum quia Princeps fidelis reſpectu ſubditorum ſuorum fidelium nnn minnrem habet pnteſtatem quam Princeps infidelis reſpectu ſuorum ſubditorum infidelium; ſed hic poteſt talia impedimenta ſtatuere, ut patet propnſitione tertia: ergo & fidelis.

Prnbatur 2. Tum quia ex eo quod Chriſtus matrimonium evexerit in Sacramentum non abſtulit à Principibus ſæcularibus poteſtatem, quam ipſi in illud habent, prout eſt contractus civilis, nec propterea matrimonium definit

deſinit eſſe contractus civilis, ſed potius Chriſtus illam poteſtatem ſupponit, ſicut ratio Sacramenti contractum legitimum: ergo Principes habent poteſtatem &c. tum quia C. *fin.* de rapt. approbatur matrimonium raptoris cum rapta, etſi leges contrarium ſtatuant L. un. C. de raptu virg. ergo ſupponit quod contrarium ſtatuere potuerit. His

Addo 1. dictum eſſe ex juſta cauſa ſtatuendi, nam ſi non eſſet juſta cauſa, nec Pontifex poſſet illa ſtatuere contra matrimonium aliàs divino & naturali jure conceſſum & permiſſum hominibus; cum poteſtas gubernativa ſit data in ædificationem, & non in deſtructionem reipublicæ, adeóque ob cauſam injuſtam non haberent jurisdictionem, ideo tale poſitum impedimentum in foro conſcientiæ non poſſet annullare taliter contractum matrimonium, ſed tale adhuc ſub illo injuſto impedimento contractum maneret validum. His

Addo 2. dictum eſſe: hæc tamen facultas eſt defacto Principibus impedita, ne ſcilicet in actum ſecundum validè exire poſſit, quia Eccleſia ſibi reſervavit hanc poteſtatem, uti habetur C. *Euphemium* C. 2. q. 3. cum matrimonia hodie regantur jure poli non jure fori, & colligitur ex Trid. Seſſ. 24. C. 9. de reform. ubi ſub anathemate prohibentur Principes ſæculares libertatem matrimonii directè vel indirectè impedire. Ratio autem cur Eccleſia hanc poteſtatem interdixerit Principibus, eſt, quia in contractu matrimonii inter fideles fundatur ratio Sacramenti, ſicque limites naturæ excedit, & ad finem ſupernaturalem ſpectat, incongruum autem eſſet, ut tanti Sacramenti diſpoſitio ſcilicet contractûs matrimonialis qua civilis ad Principes ſæculares pertineret ſaltem in actu ſecondo. Hinc leges civiles in quibusdam caſibus matrimonium irritantes per jus Canonicum correctæ vel plane abrogatæ ſunt.

6 Objicies: C. *tuam* de ordine cognitionum deciditur cauſas matrimoniales ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere. Item C. *finali* de raptoribus approbatur matrimonium, ut dicimus in proba ſecunda, licèt leges civiles ſtatuerint raptum pro impedimento: ergo ſignum eſt Principes ſæculares non poſſe ſtatuere impedimenta dirimentia.

Reſpondeo neg. conſeq. quia illi & ſimiles textus ſolùm probant Pontificem ſibi reſervâſſe talem poteſtatem, cum enim poteſtas in Principe fideli ſit ſubjecta Eccleſiæ poteſtati, utpote eminentiori, ſic potuit Pontifex eam impedire & ſibi reſervare; unde illa jura non negant hanc poteſtatem Principi ſæculari ex vi ejus poteſtatis, ſed ſolùm ratione reſervationis.

Dices: ſi authoritas humana ſæcularis poſſet matrimonio apponere impedimenta dirimentia, quæ DEUS ipſe non appoſuit, ſic poſſet homo ſeparare, quod DEUS conjungit, ſed hoc eſt contra Scripturam: ergo.

Contra neg. ſequelam maj. DEUS enim non conjungit per matrimonium niſi eos, qui legitimè contrahunt, illi autem nunquam legitimè contrahunt, quibus juſta de cauſa fuit poſitum impedimentum, quo redduntur inhabiles ad contrahendum, ideo nunquam homo ſeparat quod DEUS conjunxit.

Dices: ſaltem talis ſæcularis poteſtas non poteſt mutare miniſtros Sacramenti matrimonii, ſed mutaret, ſi virum & fœminam illegitimos faceret ad contrahendum: ergo.

Contra hoc argumentum æquè urget contra Pontificem, qui etiam non poteſt mutare miniſtros Sacramentorum, unde vide quæ diximus de matrimonio Clandeſtino Diſt. priori, & hic diſtingue maj. non poteſt mutare miniſtros hujus Sacramenti directè & per ſe conc. indirectè per accidens & remotè neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. nam illa poteſtas ſæcularis ſolum inhabilitaret homines quâ contrahentes contractum civilem & ſic ſolùm remotè & indirectè ſequitur, ne poſſint eſſe miniſtri Sacramenti matrimonii, nam etiam DEUS non inſtituit pro miniſtris Sacramenti matrimonii ſimpliciter virum & fœminam, aliàs frater & ſoror etiam poſſent eſſe miniſtri hujus, ſed inſtituit virum & fœminam habiles ad contrahendum, in poteſtate autem Principum eſt efficere aliquos inhabiles ad contrahendum matrimonium, ſi ita bonum communitatis expoſcat.

Dices: contractus matrimonialis apud baptiſatos ex inſtitutione Chriſti deſinit eſſe civilis & ſæcularis utpote factus Sacramentum: ergo deſinit eſſe ſubjectus poteſtati ſæculari.

Contra neg. ant. nam quantumvis matrimonium ſit Sacramentum adhuc tamen ejus materia eſt contractus civilis, cum hoc Sacramentum fundetur ſupra contractum civilem legitimum, & ſub hac ratione poteſt Princeps ſæcularis circa illum diſponere vi ſui officii, ac ſi non eſſet Sacramentum; nam aliàs in ratione Sacramenti nec Pontifex poteſt circa illud diſponere.

Dices: poteſtas politica eſt circumſcripta ſphæra luminis naturalis: ergo ex intrinſeca ſua natura non poteſt ſe extendere ad cauſam, quæ individuo nexu eſt conjuncta cum formalitate ad eſſe ſupernaturale; ſed hujusmodi contractus eſt contractus matrimonii utpote ad eſſe Sacramenti elevatus: ergo talis contractus nullatenus ſubjacet poteſtati politicæ.

Contra diſtinguo conſeq. non poteſt ſe extendere, ita ut etiam directè diſponat de eſſe ſupernaturali conc. ita ut non diſponat de eſſe ſupernaturali neg. conſeq. nam licet contractus matrimonii ſit connexus cum eſſe Sacramentali, nihilominus tamen hoc ſacramentale præſupponit contractum civilem, nec propter illum nexum contractus deſinit eſſe civilis, ſicut aqua non deſinit eſſe aqua, ex eo quod ſit

elevata ad eſſe ſacramentale in baptiſmo. Imò inter illum contractum civilem & eſſe ſacramentale non eſt tantus nexus, ut nulla ratione ratio Sacramenti poſſit ſeparari ab illo, nam abſolutè loquendo inter baptiſatos hæ duæ rationes ſeparari poſſunt, uti admittimus Diſt. 18. q. 2. aſſert. 4.

7 Aſſero 2. *Princeps infidelis etiam reſpectu ſuorum ſubditorum fidelium poteſt ſtatuere impedimenta dirimentia, dummodo non adverſentur legi Chriſtianorum aut vergant in detrimentum ſpirituale ſubditi fidelis.* Deduci poteſt ex Scoto in 4. Diſt. 39. q. un. §. *hic ſunt.* Eſtque Sanchez contra Amicum & Maſtrium.

Probatur: tum quia ratio Sacramenti ſuperaddita matrimonio fidelium fundatur in contractu civili legitimo; ſed Princeps infidelis habet poteſtatem ſtatuendi certas leges in bonum ſuæ reipublicæ, quibus ſervatis contractus matrimonii eſt legitimus, non verò ſervatis non eſt legitimus reſpectu ſuorum ſubditorum, quicunque illi ſint: ergo Princeps infidelis poteſt impedimenta dirimentia matrimonium ſtatuere ſuis ſubditis fidelibus, conſequenter ſicut fideles obligantur ad alias juſtas leges ab infideli Principe latas, ita etiam in contractu matrimoniali. Tum quia ratio Sacramenti in matrimonio fidelium reperta non impedit in Principe poteſtatem impedimenta dirimentia ſtatuendi, quam ex natura ſuæ poteſtatis habet, ſed eam ſola reſervatio Pontificis impedit; atqui hæc reſervatio ad Principes infideles non poteſt extendi ut habetur C. *gaudemus* de divortiis: ergo remanet poteſtas in Principe infideli ſtatuendi leges matrimoniales obligantes ſubditos fideles. His

Addo, dictum eſſe, modò non adverſentur legi Chriſtianorum, nam ſi adverſantur legi Eccleſiæ non obligarent, neque ſi eſſent in detrimentum ſpirituale ipſius fidelis aut in præjudicium Eccleſiæ vel juris divini aut naturæ; hinc ſi Princeps infidelis ſtatueret ne fidelis cum alia contraheret quam cum fœmina infideli, non poſſet fidelis talem legem inquam contra Eccleſiam & ſuam animam obſervare.

8 Objicies cum Maſtrio: ex eo quòd matrimonium fidelium ſit elevatum ad ſtatum Sacramenti jam eſt extractum è poteſtate Principis infidelis: ergo Chriſtianus ſubditus Principi infideli non ſubjicietur ejuſdem ſtatutis circa matrimonium.

Reſpondeo hoc argumentum æquè urgere contra matrimonium de Principe fideli, quod tamen ipſe nobiſcum concedit. Unde neg. ant. ſi ſermo ſit reſpectu Principis infidelis, reſpectu enim Principis fidelis poſſet concedi ant. quod ſcilicet quoad actum ſecundum ſit extractum à Principis ſæcularis poteſtate per reſervationem Pontificis. Unde ſicut ſæpe diximus, elevationem contractûs ad eſſe Sacramenti non impedire poteſtatem Principis ſæcularis in contractum civilem, ſed potius eam ſupponere, ex quâ decernitur ut legitimus vel illegitimus, ita nec extrahit talem contractum ab iſtius poteſtate; neque reſervatio Pontificis poteſt ſe extendere ad Principem infidelem; cum non ſubjiciatur Eccleſiæ poteſtati, ideo talia manebit in ſua jurisdictione, quam habet jure naturæ, nec Eccleſia poteſt Principi infideli tanquam ſibi non ſubdito demere jus ſtatuendi juſtas leges pro bono ſuæ reipublicæ.

Dices: licèt Eccleſia non habeat poteſtatem directè poteſtatem Principis infidelis impediendi, habet tamen poteſtatem eximendi fidelem ab ejus obſervantia rationabili causâ id exigente, & hoc ideo ne fidelis nimium oneretur eum ad utramque legem obligando ſcilicet Eccleſiaſticam & civilem à Principe infideli latam, & ne prætextu ſervandæ legis Principis infidelis omittat fidelis legem Eccleſiæ: ergo ſaltem indirectè impedit Principibus infidelibus poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii.

Contra neg. ant. & nego illas rationes ſemper eſſe ſufficientes, nam quale onus eſſet, ſi ſubditus fidelis præter leges Eccleſiaſticas etiam deberet obſervare unum vel alterum ſtatutum Principis infidelis v. g. quod matrimonio fidelium ſemper etiam debeat adeſſe teſtis ex populo infideli; qui enim ſentit commodum ſentiat & onus: cum ergo fidelis aliquando multa ſentiat commoda in Provinciis infidelium, debebit etiam eorum onera ſentire.

Dices: fidelis ſubjectus Principi infideli in contrahendo matrimonium tenetur ſervare leges Eccleſiæ, obligant enim eum ubicunque eſt: ergo in eo contrahendo non tenetur ad leges profanas Principis infidelis, etſi rationabiles & juſtæ ſint.

Contra conc. ant. & neg. conſeq. non enim eſt ſufficiens ſemper cauſa illum eximendi ab una vel altera lege rationabili Principis infidelis, niſi talis lex eſſet contra Eccleſiam, vel in detrimentum ſpirituale ipſius fidelis. Cæterum obſervandum eſt omnino fidelem ubicunque exiſtit debere obſervare leges Eccleſiaſticas circa matrimonium eo modo, quo ipſæ leges præſcribunt; quia nullibi deſinit eſſe ſubditus Eccleſiæ, licèt etiam fiat apoſtata & infidelis, cùm ſemper retineat characterem & ſubjectionem poteſtati Eccleſiæ; unde ſi fidelis cum impedimento dirimente contraheret matrimonium apud infideles, hoc eſſet nullum. Dixi autem eo modo, quo iſtæ leges præſcribunt; quia ſi aliquæ leges dicant ſe non obligare, niſi ubi receptæ vel promulgatæ fuerint, ſicut v. g. conſtitutio Tridentini de matrimoniis clandeſtinis expreſsè dicit: ſe non obligare aut robur habere in quacunque parochia, niſi poſt 30. dies à die primæ promul-

mulgationis, non obligabunt illæ leges in terris infidelium, ubi non ſunt promulgatæ ipſos fideles, ut diximus de matrimonio clandeſtino.

9 Aſſero 3. Spectato præciſè jure divino & naturali, ſicut Pontifex poteſt in tota Eccleſia ita Epiſcopus in ſua diœceſi poſſet impedimenta ponere, quamvis defacto per reſervationem Pontificis impediatur. Eſt Scoti in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex ſtatuto Eccleſiæ.* Eſtque Sanchez contra Suarez.

Probatur: Tum quia Epiſcopus ex vi ſui officii eſt perfectus paſtor & Princeps in ſua diœceſi: ergo habet plenam poteſtatem condendi quaſcunque leges in ſua diœceſi pro bono ſpirituali, conſequentia patet juxta illud commune: Quidquid poteſt Pontifex in tota Eccleſia quoad juriſdictionem, hoc poteſt Epiſcopus in ſuâ diœceſi, niſi Pontifex ſibi reſervet aliqua aut niſi excipiantur vel ſint, quæ ad univerſæ Eccleſiæ ſtatum pertinent, ut definire res fidei &c. Tum quia ideo ſpectato jure divino & naturali non reſideret illa poteſtas penes Epiſcopum; quia poteſtas juriſdictionis, quæ ordinatur ad regimen externum Eccleſiæ non confertur immediatè Epiſcopis à DEO, ſed ab ipſo Pontifice; atqui hoc non eſt verum: ergo. Min. probatur: Actorum 20. dicitur: *Attendite & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI;* ſed his verbis collatio dignitatis Epiſcopalis immediatè refertur in DEUM: ergo non immediatè ad Pontificem, quamvis libenter fateamur hanc poteſtatem Epiſcopalem in ordinatione acquiſitam ſubordinari Summo Pontifici, qui eam vel in totum vel quoad partem poteſt impedire, ſicut v. g. poteſtas juriſdictionis in foro interno conſcientiæ in acquiſitione presbyteratus immediatè habetur à DEO, & tamen ſubordinata manet ſemper ſuperioribus. Ita in propoſito de poteſtate juriſdictionis in foro externo in acquiſitione Epiſcopatûs eſt dicendum. Ex quo proinde patet, Pontificem ſibi hanc facultatem reſervare poſſe ſicut & ſibi reſervavit, ut probat conſuetudo.

10 Objicies: Epiſcopi ſuam juriſdictionem in foro externo accipiunt à ſolo Pontifice: ergo jure divino & naturali non habent poteſtatem ſtatuendi impedimenta matrimonii dirimentia.

Reſpondeo neg. ant. ut dictum eſt in proba, imò in Trident. plurimi fuerunt Epiſcopi, qui hanc ſententiam, quod Epiſcopi immediatè ſuam juriſdictionem accipiant à DEO, defenderunt ut certam, quamvis ſub hoc moderamine, ut abſolutæ & univerſali Pontificiæ authoritati nihil vellent derogatum, hoc eſt, quod licèt poteſtas Epiſcopalis in ſe utpote jure divino ſubſiſtat, poterit tamen in ſuo exercitio vi ſupremæ Oecumenici paſtoris authoritatis coarctari. De his plura vide ex Tract. de fide.

Aſſero 4. *Conſuetudo legitimè præſcripta habet vim introducendi impedimenta dirimentia, & viciſſim vim ea abrogandi.* Eſt Sanchez & Maſtrii noſtri. 11

Probatur: Tum quia generale principium & lex univerſalis eſt legitimæ conſuetudini competere vim leges humanas inducendi, & abrogandi ut habet C. *finali* de conſuetudine: ergo cum non ſit ratio cur hoc negetur in ordine ad matrimonium contra jus Eccleſiæ, poterit conſuetudo impedimenta dirimentia inducere & obligare; cum etiam Pontifex per illam legem univerſalem legitimæ conſuetudinis in aliis Eccleſiaſticis conſuetudinibus cenſeatur illas confirmare; quia non minorem efficaciam accipit conſuetudo à virtuali conſenſu Principis declarato per legem, quam à perſonali conſenſu ejuſdem. Tum quia C. *ſuper eo* de cognatione ſpirituali expreſſè dicitur dirimendum eſſe matrimonium, quod contra receptam conſuetudinem initum eſt, nec fit ibi mentio unius vel alterius juris; hinc Gloſſa in illud C. dicit forte ſimili modo poteſt dici, ſi in aliquo loco eſſet magnum ſcandalum & horror, quod aliqui in quinto gradu conſanguinitatis contraherent illud matrimonium, non toleraretur non obſtante illâ lege modernâ reſtringente impedimenta ſolùm uſque ad quartum gradum: ergo cenſet jus antiquam conſuetudinem habere vim inducendi impedimentum dirimens.

Objicies: Talis conſuetudo abrogandi impedimenta dirimentia non poteſt eſſe rationabilis ergo non poteſt ea abrogare. Ant. patet, cauſa rationabilis debuit fuiſſe, ut impedimenta ab Eccleſia ſint ſtatuta: ergo non videtur oppoſitam conſuetudinem eſſe rationabilem. 12

Reſpondeo neg. ant. & conſeq. probæ; quia ut conſuetudo ſit rationabilis, ſufficit, ut habeat conditiones juſtæ legis, cum ſuccedat loco legis, potuerunt autem impedimenta matrimonii v. g. quinti & ſexti gradûs conſanguinitatis abrogare per juſtam legem, ut defacto patet: ergo etiam per conſuetudinem; nam cauſa rationabilis uno tempore & in quibuſdam circumſtantiis poteſt eſſe juſtiſſima & rationabiliſſima, non verò alio tempore vel in aliis circumſtantiis, ubi alia cauſa poteſt eſſe rationabilior, ut patet de lege abrogante quintum & ſextum gradum conſanguinitatis.

Dices: ut talis conſuetudo habeat vim inducendi legem rationabiliter ſic debet eſſe legitimè præſcripta, ſed non poteſt talis conſuetudo eſſe legitimè præſcripta, quæ contra legem Principis mala fide, & per illicitos actus incipit, ut eſſet illa conſuetudo abrogandi impedimenta dirimentia: ergo. Min. patet ex illa regula juris in 6. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.*

Contra neg. min. quia ut conſuetudo legitimè præſcribat non eſt neceſſe, ut bonâ fide

de

de per actus illicitos incipiat, ſed ſatis eſt ſi diuturno tempore à majoribus conſtanter ſervata ad poſteros devenerit, illa vero regula juris ſolùm vult, quod nunquam poſſidens malâ fide aliqua bona aliena jus acquirat aut dominium in tale banum alienum, nam aliàs jus daret apertam occaſionem furtis & rapinis, ut conſtat de præſcriptione de jure & juſtitia. Diſparitas tamen eſt de conſuetudine, nam hæc non habet ex propriâ virtute contra legem præſcribere, ſed ex tacito vel expreſſo conſenſu Principis illam frequentatis actibus populi inductam approbantis, ideo nulla admittitur iniquitas etiamſi illa ab illicitis actibus inchoetur.

Dices: Saltem talis conſuetudo abrogandi impedimenta eſt à Pontifice expreſsè abrogata, & minimè tacito conſenſu approbata C. *quod ſuper his* de conſanguinitate, ubi mandatur puniri ie, qui contra prohibitoe gradus matrimonium contrahere præſumpſit non obſtante conſuetudine, quæ dicenda eſt potius corruptela: ergo ſicut contra gradus jure Canonico olim prohibitos nulla admittitur conſuetudo, cum hæc dicatur corruptela, ita nec contra alia impedimenta, imo videtur Pontifex ab illa lege univerſali de conſuetudine excipere conſuetudinem circa matrimonii impedimenta.

Contra neg. ant. nam illud capitulum non reprobat conſuetudinem legitimè præſcriptam contra impedimenta matrimonii, ſed tantùm prohibet, ne talis conſuetudo inducatur & nondum ſit per legitimum tempus, præſcripta aboleatur & corruptela Eccleſiaſticæ diſciplinæ; adeóque cum ipſe Pontifex Innocentius III. primus hanc legem matrimonii impedimanta uequa ad quartum gradum tantum dirimentia ſtatuerit, & quintum ac ſextum gradum abrogaverit, voluit ſpecialiter prohibere, ne contrà eam conſuetudo prævaleat, per quod tamen non intendit legitimam & rationabilem conſuetudinem præſcriptam prohibere; hinc per illum & alios ſimiles textus omnino reprobatur conſuetudo ſive præterita ſive futura, niſi tamen ex nova juſta cauſa oriatur, hinc quamvis in illo textu Pontifex reprobet conſuetudinem, attamen tacita voluntas Pontificis adhuc eſt, ut ea ex nova cauſa poſſit induci per legem generalem de conſuetudine.

Dices: ex dictis in aſſertione prima Pontifex ſibi reſervavit poteſtatem ſtatuendi & abrogandi impedimenta dirimentia: ergo non cenſetur hoc concedere conſuetudini.

Contra neg. conſeq. quia Pontifex ſolùm ſibi id reſervavit reſpectu poteſtatis ſæcularis, vel etiam epiſcopalis non vero reſpectu conſuetudinis, quæ etiam habet vires ad legem Eccleſiaſticam ſtatuendam.

QUÆSTIO II.

An etiam impedimenta dirimentia invincibiliter ignorata obſint valori matrimonii?

ADvertendum eſt, certum eſſe, cum qui 1
ſcienter contrahit matrimonium cum impedimento dirimente peccare mortaliter, quia in re gravi transgreditur præceptum Eccleſiæ, vel plane aliquando præceptum naturæ, ſi impedimentum ſit juris naturalis, an autem tale peccatum duplicem habeat malitiam ſcilicet inobedientiæ & ſacrilegii non conveniunt Authores, probabilius tamen cum Maſtrio tenendum eſt contra Sanchez, quod præter peccatum inobedientiæ etiam irrogetur injuria Sacramento, vel potius authori Sacramentorum, nam talis exhibet ſigna ſacramentalia, & tamen ſcit ſe cum impedimento dirimente irritum reddere Sacramentum, ſed taliter agens peccat graviter malitiâ ſacrilegii, qui utique gravius peccaret, quam aliquis infidelis contrahens matrimonium cum impedimento dirimente jure naturali neſciens contractum matrimonii ſimul eſſe Sacramentum. Difficultas ergo potiſſimum eſt, an qui neſcit latere aliquod impedimentum & contrahit matrimonium, an etiam tale matrimonium ſit nullum & invalidum, pro quo

Aſſero ad quæſtionem: *Impedimentum* 2
etiam invincibiliter ignoratum obeſt valori matrimonii. Deducitur ex Scoto in 4. diſt. 35. q. un. §. *Reſpondeo.* Eſtque communior contra paucos.

Probatur: ubi non habetur debita materia contractûs, non habetur debitus contractus, ſed ſtante ignorantia invincibili impedimenti non habetur debita materia contractûs: ergo nec debitus contractus. Min. probatur, ſi quis judicaret invincibiliter ſe compleviſſe 16. ætatis annum & præterea in facie Eccleſiæ religionem aliquam profiteretur non eſſet ſolemniter profeſſus juxta omnes, & deinde reſciens hunc defectum poſſet reclamare. Item ſi quis judicaret hunc panem eſſe triticeum, qui tamen eſſet hordaceus & proferret formam conſecrationis, non conficeret Sacramentum Euchariſtiæ. Item ducens & cognoſcens corruptam, quam tamen putat eſſe virginem, habetur ut bigamus ac irregularis ad promotionem ad ordines; nam lex promotionis factum requirit non voluntatem, ut habetur C. ult. cauſa 15. q. 1. quia non agitur de delicto promovendi, ad quod deſideratur ſcientia; ſed de ſignificationis defectu quem poteſt pati ignorans: item ut dicit Scotus citatus; impedimentum dirimens, ſi non exprimatur perſonæ inſciæ ipſius impedimenti, ipſa in copulâ carnali ſequente non conſentit novo conſenſu, ſed ſolùm reddit virtute primi conſensûs, qui nullus fuit: Ergo etiam ſi quis

quia invincibiliter ignoraret impedimentum, non haberet debitam materiam cootractûs ſeu corpus legitimè tradendum.

3 Objicies licèt judex officii lege enecans ſit irregularis, nullua tamen ignorana ſe occidiſſe hominem: ergo etiam nullua erit inhabilis ad contrahendum ignorana ſe habere impedimentum aot legem irritaniem.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitaa eſt, quod illa irregularitas oriatur ex defectu perfectæ lenitatis, qui nullatenua iovenitur in ignaro occiſionis, inhabilitaa verò contrahendi oritur ex defectu talis vel talia perſonæ, quæ æquè manet talia ſive ſcientia ſive ignorantia adſit.

Dices: homo non quatenus ſenſualia, ſed quatenus rationalis eſt incurrit inhabilitatea per leges poſitaa, ſed ad hoc requiritur, ut per actiones rationales id eſt ex judicio & voluntate, quaa impedit ignorantia, illam inhabilitatem incurrat: ergo.

Contra neg. min. ut videmua in illia, qui jure oaturali ſuot inhabiles, imo ſufficit quod habeat aot habere debeat homo judicium & voluntatem generalem obediendi Eccleſiæ & juſtis ejus legibua.

Dicea: Saltem aliqua impedimenta dirimentia ut impedimentum eriminis eſt ſimile pœnis; ſed nulla pœna incurritur ab ignorante invincibiliter illam, ut patet de cenſuris, quæ non incurruntur ab ignorante: ergo.

Contra conc. maj. diſting. min. ſi ſit mera & ſimpliciter pœna conc. ſi ita ſit pœna, ut ſuperaddira actui cauſet etiam invaliditatem neg. min. communiſſima ergo ſententia tenet impedimenra etiam illa, quæ pœnam adjunctam habent, contrahi ab impedimenti ignaris, nam pœna illis impedimentia videtur ſolum exrrinſeca, non vero intrinſeca, ac proinde nihil officere quoad dirimendum matrimonium, quamvis contrahentea excuſentur in foro conſcieotiæ ob ignoraociam invincibilem, ita ut copulæ illæ carnales materialiter taotum ſint fornicariæ, non vero formaliter. Quinimò

Addo teſte Gobath Paludanum quidem ſuſtinere, quod impedimentum criminia non obſit valori matrimonii, niſi utraque pars noviſſet fuiſſe impedimentum dirimena, & dicit ultra Gobath ſe non vereri, quandocunque illoa, qui booa fide contraxerunt matrimonium irretiti impedimento criminia relinquere in bona fide, ſi illia incognitum fuit tale impedimentum criminia; nam ignorantia criminis impedimenti facit, quòd tam rarò ſimile impedimentum in confeſſione detegatur, cum tamen exrra confeſſionalia aliquibus conſtet hunc vel illum cum hac vel illa adulterium formale cum promiſſione futuri matrimonii commiſiſſe, aicque impedimentum eriminis à parte rei incurriſſe; quia tamen criminia rei ignorant hoc eſſe impedimentum, ideo excuſabuntur coram DEO.

DISTINCT. XXVII.

De Impedimentis ſolùm impedientibus.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodo conſideranda ſint impedimenta impedientia præſertim interdictum & votum.

Advertendum eſt 1. Notum eſſe impedimenta impedientia eſſe illa, quæ non annullaot, ſed ſolum prohibent, & illicita reddunt matrimonia, numerantur autem talia impedimenta 12. hia verſibua contexta. 1

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum
Atque Catechiſmus, ſponſalia jungito votum.
Inceſtus, raptus ſponſata, mors mulieris,
Suſceptus propria ſobolis, mors presbyteralis
Vel ſi pæniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hac conjugium ſociandum.

Omnia impedimenta tribus ultimia verſibus comprehenſa ex crimine proficiſcuntur, ut qui aliquando inceſtum commiſit, qui ſponſatam mulierem rapuit, qui ſuam uxorem aut presbyterum occidit, qui propriam ſobolem ſine neceſſitate baptizaverit, vel tenuerit in baptiſmo, qui ob aliquod crimen debuir in Eccleſia publitam agere pœnitentiam, qui monialem ducebat. His omnibus ob talia crimina matrimonium fuit in perpetuum prohibirum cum quacunque aliâ fœminâ contrahere. Aſt cum omnia impedimenta ex crimine orta longinqua cooſuetudine ſint ſublata, ut teſtatur Navarrus, cum nullua unquam diſpenſationem petat à Rota Romana; ideo compeodioſius ſolùm ſex impedimenta impedientia recenſentur ſequenti verſu.

Vota, Cate, vetitum, feriæ, ſponſalia, crimen.

Per votum intelligitur non ſolùm votum ſimplex caſtitatis, ſed etiam votum ingrediendi religiooem, ſuſcipiendi ſacros Ordinea, non nubendi, hæc enim omoia videntur matrimonio obſtare, cum ligent corpua voveotia, quo minua expeditè poſſit ad uſum matrimonialem tradere. Per cate, intelligitur catechiſmus, qui eſt quædam cognatio ſpiritualia imperfecta orta ex inſtructione in fide, quæ de rebus fidei baptizando ante baptiſmum fieri ſolebat ante fores Eccleſiæ, ut autem hoc impedimentum contraheretur non ſufficit, ut catechizans teneat baptizandum, ſed ut etiam reſpondeat baptizanti de rebus fidei interrogaoti, hoc sutem impedimentum cenſetur quoad plures perſonas, quam uoam ſcilicet teneotem vel baptizantem à Trident. ſublatum. Per vetitum intelligitur interdictum, non quidem

Oo prout

prout eſt cenſura, quamvis etiam reſolvemus, an liceat tempore interdicti celebrare matrimonis, ſed prout eſt prohibitio à ſuperiore Eccleſiaſtico facta non contrahendi matrimonium vel ad tempus vel perpetuò. Per ferias intelligitur certum anni tempus, in quo devotius debent myſteria fidei celebrari, & per nuptias homines avocatentur, ideo Eccleſia vetat celebrare matrimonia, ut pro defacto habetur in Tridentino Seſſ. 24. c. 10. ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ: à 4. feria Cinerum usque ad octavam Paſchatis incluſivè, quamvis in jure antiquo etiam à Septuageſima usque ad octavam Paſchatis & à diebus rogationum usque ad octavam Pentecoſtes, & tribus hebdomadibus ante feſtum Joannis Baptiſtæ prohibitum erat ſolemnes nuptias celebrare, hoc eſt cum nuptiali benedictione inter Miſſarum ſolemnia, & ſolemnibus convivii lætitiis, & traductione ſponſæ in domum ſponſi. Sine tali ergo ſolemnitate extrinſecâ licebit etiam feriato tempore celebrare matrimonium, ut habetur ex declaratione Cardinalium. Per ſponſalia intelligitur verus ſponſalitius contractus, hoc eſt, promiſſio futurarum nuptiarum alicui facta & acceptata ac repromiſſa; nam cum uno altero contrahere matrimonium, non tantum violat præceptum Eccleſiæ, ſed eriam jus naturæ, cum ſit contra juſtitiam violatio promiſſionis in re gravi ſine juſta cauſa. Tandem per crimen intelliguntur illa crimina, de quibus diximus ad initium hujus advertentiæ.

2 Advertendum eſt 2. Certum eſſe Pontificem in toto orbe, Legatum ejus in Provinciis ſibi commiſſis, & Epiſcopum in ſua diœceſi poſſe ex rationabili cauſa interdicere matrimonium, ideo ſi mattimonium contra talem prohibitionem contraheretur, ſeparandi eſſent conjuges quoad cohabitationem ad tempus in pœnam delicti, ne immunitate pœnæ juſtum præceptum judicis audeant contemnere ſubditi, uti expreſsè habetur C. de *matrimonio* contra interdictum Eccleſiæ. Quinimo Pontifex & Legatus ejus Apoſtolicus habent facultatem interdicendi matrimonium cum decreto irritante ſi contra inhibitionem cum alia contraheretur (non autem Epiſcopus aut alii inferiores Prælati, cum non habeant poteſtatem ſtatuendi impedimenta dirimentia, ut diximus diſt. priori) nam Nuntio Apoſtolico habenti facultatem à latere conceditur, jurisdictio extraordinaria, ut quidquid ab eo geritur in Provinciis ſuæ legationis, geſtum dicatur, ut à Sede Apoſtolica, ut habet gloſſa in C. *authoritate* de privilegiis in 6. Tum quia multa inconvenientia orirentur, ſi pro ſimilibus Provinciis Româ procul diſſitis non eſſet hujusmodi poteſtas irritativa in Nuntio à latere. Datur autem aliquando interdictum Apoſtolicum cum Decreto Generali irritante omnes actus attentatos non referente ſe ſpecificè ad matrimonium, aliquando verò cum clauſula decreti ſpecificè & explicitè matrimonium irritantis. Hoc ſecundum interdictum omninò annullat matrimonium, non verò primum, cum aliquando ſolùm generaliter irritentur omnia quoad judicium, quod moveretur contra partem innocentem, non vero quoad matrimonium ut loquitur Gloſſa in C. *ad diſſolvendum* de deſponſatione impuberum, niſi tamen ex intentione Pontificis, aut Legati ſpecialiter colligi poſſet, quod ſimile decretum Generale irritans implicitè & virtualiter feratur ſupra matrimonium v. g. Bertha ſupplicat à Sede Apoſtolica, ut Cajus qui obligatus eſt eam ducere cum alia lite pendente non contraheret, & hoc ſub nullitate, ſi ergo Pontifex interdicat Cajo ſub nullitate, ne quidquam innovet, tunc certò videretur decretum irritans, licèt videatur eſſe generale adhuc cadere ſupra ipſum matrimonium tanquam primarium ejus objectum.

3 Advert. eſt 3. Tam votum ſimplex caſtitatis, quam non nubendi aut ſuſcipiendi ordines ſive abſolutum ſive conditionatum ſive ſpontaneum ſive pœnale ſemper impedire matrimonium, nam votum conditionale v. g. promitto caſtitatem, ſi talem dignitatem aſſecutus fuero, obligat voventem ſe interim tale ſervare, ut conditione adimpleta quoque ſervare poſſit votum, & ideo pro interim impedit matrimonium. Votum pœnale pariter v. g. promitto in pœnam meorum peccatorum præteritorum ſervate caſtitatem non deobligat voventem apud DEUM, cum adhuc liberè talem pœnam aſſumpſerit, facilius tamen votum conditionale & pœnale, imo etiam ab Epiſcopo diſſolvi poſſunt, quam abſolutum & ſpontaneum; adeóque propria authoritate contrahens matrimonium cum voto caſtitatis, licèt aliquando haberet bonum prætextum, peccat mortaliter, cum materia voti ſit res graviſſima & DEO gratiſſima, ac maximum commodum afferat toti Chriſtianæ Reipublicæ, ideo etiam ejus diſpenſatio non committi debet alicui privatæ perſonæ voventis, ſed authoritati diſpenſantis ſuperioris: præterea etiam mortaliter delinquit, qui ſcienter cum altero voto caſtitatis aut ordinis adſtricto matrimonium contrahit, etiamſi vovens ipſemet illud inire petat; quia cooperatur alterius peccato ad quod dat anſam, vel ſaltem non impedit, cum poſſit, aut exponit eum periculo violandi votum, ſed hoc eſt peccare peccato alieno: ergo. Interim tamen talis ſcienter & malitioſè contrahens poteſt licitè ab adſtricto debitum exigere, & alter tenetur reddete, quia verum jus acquiſivit in corpus alterius per illud ſacrilegè initum matrimonium, nec ipſe vovit alteriúsve voto conſenſit, & vinculum matrimonii juxta omnes eſt fortius ſemper quam votum ſimplex. Præterea voto ſimplici caſtitatis adſtrictus licitè

citè conſummat matrimonium reddendo debitum conjugale, quia ſi in hoc peccaret eſſet ideo, quia poſſet ante conſummationem votum caſtitatis implere ingrediendo religionem; ſed ad hoc nemo obligatur, cum nemo rem inferioris ordinis teneatur recompenſare re ſuperioris ordinis onerofiſſimi, ſic qui debet pecuniam, non tenetur eam reddere cum detrimento famæ aut vitæ, ita Religio cum præter caſtitatem contineat etiam paupertatem, obedientiam, & plurima onera eſt majoris ordinis, quam ſimplex continentia; ideo non tenetur ingredi, ſed poteſt debitum reddere, imò qui habet votum non nubendi, & jam ſemel contraxit, etiam poteſt petere debitum, nam tale votum habet pro objecto non inire matrimonium: ergo quando jam primaria materia ſeu objectum non eſt amplius poſſibile, nec obligabit ad ſecundarium objectum ſcilicet ad abſtinentiam ab uſu matrimonii, cum hoc non per ſe, ſed ſuppoſita abſtinentia à matrimonio obliget.

4 Advert. eſt 4. Conjugem ligatum voto caſtitatis aut religionis nunquam poſſe licitè reddere debitum parti exigenti, quoties ex lege juſtitiæ reddere non adſtringitur, ſic infra bimeſtre ante conſummatum matrimonium non poteſt reddere debitum, eo quòd illo tempore ſit liberum reddere, & non ex juſtitia obligatur. Pariter ſi per adulterium vel per affinitatem quam quis in matrimonio fornicando contraheret, alter conjunx jus petendi debitum amiſerit, tenetur votum caſtitatis aut religionis, ſi hanc vovit, implere, nam communis eſt ſententia voto religionis aut caſtitatis adſtrictum teneri ad illud, quandocunque fuerit in ſua poteſtate, ſed hoc ipſo quod ceſſaverit obligatio ad reddendum debitum eſt in ipſius poteſtate caſtitatem plenè ſervare, imò ſi nullum ſcandalum aut detrimentum eſſet reſpectu prolium alendarum tenebitur religionem ingredi, ſi ingreſſum voverit. Cæterum poſt matrimonium ſemel conſummatum ab adſtricto voto religionis dein licitè reddit & petit debitum, nam vovens aliquem ſtatum non ſe obligat ad ejus leges, donec reipsâ aſſumat talem ſtatum v. g. vovens ſe ſacros ordines ſuſcepturum non tenetur ad horas canonicas recitandas, nec ad caſtitatem vi voti, unde ſi tunc fornicetur erit ſolum ſimplex fornicatio, quia non cenſetur votum caſtitatis emiſiſſe, etiamſi emiſerit votum ordines ſuſcipiendi, igitur etiam qui vovit ingredi religionem, non tenetur ad caſtitatem, donec profiteatur, & quia conſummato matrimonio nequit votum religionis adimplere, non impeditur à debiti petitione & redditione, primâ tamen vice petendo ſive reddendo conſummando matrimonium peccat mortaliter, quia talis matrimonio contracto & ſolùm rato poteſt adhuc votum implere ingrediendo religionem, cum id jura concedant, & ſuum votum obliget, ſed conſummans matrimonium conſtituit ſe in eo ſtatu, ut amplius vivente ſuâ uxore votum religionis implere non poſſit, igitur graviter delinquit. His notis ſit

Propoſitio 1. *Parochi in ſuâ parochiâ poſſunt ex rationabili cauſa v. g. ad evitandum ſcandalum vel detegendam alicujus impedimenti veritatem &c. matrimonium interdicere ad tempus.* Ratio eſt, quia etiam parochus eſt verus paſtor ſuorum parochianorum: ergo ex munere officii ſui incumbit parocho prohibere matrimonium ſi rationabilia motiva occurrerent. 5

Nec dicas: C. 1. de conſanguinitate definit Alexander III. cauſas matrimoniales non eſſe tractandas niſi per judices Eccleſiaſticos poteſtatem habentes judicandi; ſed tales non ſunt parochi, ſed ſolum locorum Ordinarii: ergo.

Reſpondeo: illum textum eſſe intelligendum de cauſis matrimonialibus juridicè tractandis, quod utique non poteſt parochus, cum cauſas matrimoniales juridicè pertractare importet quoque judiciale examen, ac proindè ſolins judicis Eccleſiaſtici erit, qualis omnino non eſt parochus, non vero loquitur ille textus de ſimplici prohibitione, quâ juſtâ cauſâ exigente ad tempus interdicitur matrimonium, donec res ventiletur, aut ſcandala ceſſant; nam hoc incumbit parochis ex officio.

Propoſitio 2. *Tempore cenſuræ, interdicti tam perſonalis quàm localis licitè & validè contrahi poteſt matrimonium.* Ratio eſt ex C. *Capellanus* de verb. obligat. ubi Clemens III. dicit matrimonium quocunque tempore contrahi poſſe, intellige nempe ſine ſolemni benedictione nuptiarum. Tum quia ea ſolùm Sacramenta cenſentur tempore interdicti vetita, quæ purè Sacramenta ſunt, & omnino ſpiritualia, & ex adminiſtratione Eccleſiæ proveniunt, ut conſtat ex interdicti definitione; ſed matrimonium eſt etiam contractus quidam civilis, cui per accidens Chriſtus adjecit rationem Sacramenti, & illud ipſi contrahentes adminiſtrant: ergo. 6

Nec dicas: facta generali inhibitione id omne vetitum cenſetur, quod expreſsè conceſſum non reperitur, ſed matrimonium in interdicto ſacrorum non eſt exceptum ſicut excipitur baptiſmus: ergo eſt vetitum.

Reſpondeo illud axioma juridicum eſſe intelligendum, niſi aliunde conſtaret aut alio jure vel conſuetudine non eſſe vetitum, uti de matrimonio conſtat ex rationibus propoſitionis.

Dices: non poteſt excommunicatus licitè contrahere matrimonium: ergo nec interdictus, cum hæ cenſuræ quoad ſeparationem Sacramentorum æquiparentur.

Contra diſparitas eſt; quia excommunicatus non ab uno vel altero tantùm ſed ab omni-

omnibus Sacramentis arcetur & ſeparatur à communione fidelium. Interdictum tamen plura Sacramenta concedit & non ſeparat à congregatione fidelium: ergo ſignum eſt plus velle Eccleſiam excommunicato quam interdicto negare. Cæterum ſi plures authoritates citarentur in contrarium, ſolvendæ ſunt per hoc, quod matrimonium tempore interdicti non poſſit cum ſolemni benedictione celebrari, non ſimpliciter vero abſque ea contrahi.

7 Propoſitio 3. *Voto caſtitatis ſe adſtringens poſt initum imò conſummatum matrimonium non poteſt licitè petere debitum.* Ratio eſt: quia votum caſtitatis includit obligationem præcepti negativi, quatenus ſcilicet vovens adſtringitur ad abſtinendum ab omni actu venereo: ergo obligat ſemper pro ſemper: ergo licèt inito matrimonio teneatur vovens reddere poſt bimeſtre ex juſtitia petenti debitum ratione vinculi fortioris, non tamen poterit petere debitum, cum hoc ſit liberum, nec ad petendum lex matrimonialis obliget, niſi aliquando per accidens & ex charitate, ſi altera pars eſſet nimis verecunda ad petendum & interea laberetur in alia peccata occulta.

Nec dicas: matrimonio ſemel conſummato non poteſt vovens continentiam promiſſam ſervare, & ideo licitè debitum reddit: ergo etiam licitè petet, quia utrumque adverſatur voto caſtitatis: ergo ſi unum poteſt, etiam poterit alterum.

Reſpondeo: diſt. ant. non poteſt ſervare continentiam integrè & totaliter conc. non partialiter ſcilicet non petendo, neg. ant. adcóque licet reddere & petere debitum adverſetur voto caſtitatis, non tamen utroque modo peccatur, quia obligatio ſatisfaciendi, debitúmque reddendi majori vinculo excuſatur à culpa, & ideo reddendo tantum agitur contra votum materialiter, petendo verò formaliter.

Dices: qui promiſit religionem ingredi, licet culpâ ſuâ non ingrediatur, non tenetur extra illam ſervare duo vota caſtitatis & paupertatis, quia voventis intentio præſumitur eſſe, ut ſolum in religione obſervet: ergo etiam ille, qui vovet caſtitatem, ſi contraxit matrimonium, non tenebitur votum caſtitatis illo modo ſervare, quia voventis intentio præſumitur eſſe, ut ſolùm extra matrimonium obſervet caſtitatem.

Contra: diſparitas eſt, quia vovens ingredi religionem non vovet formaliter caſtitatem & paupertatem, neque hæc vota includuntur tanquam partes in ſuo voto religionis ingrediendæ, aſt vovens caſtitatem formaliter vovet abſtinentiam ab omni actu venereo ſive petendo ſive reddendo copulam, ita ut non petere non reddere contineantur formaliter ſub objecto voti continentiæ.

8 Propoſitio 4. *Votum caſtitatis præcedens non extinguitur per ſubſequens matrimonium, ideo pariter tali voto adſtrictus non poteſt petere debitum:* Ratio eſt; quia manet triplex ejus effectus: primus eſt; quod ſi conjux vovens fornicetur cum aliâ ultra adulterium erit reus ſacrilegii contra votum, quod in confeſſione eſt explicandum: ſecundus eſt; quod teneatur abſtinere à debiti petitione, niſi adſit diſpenſatio; quia votum ſi non poteſt in totum obſervari, debet tamen obſervari in quantùm poteſt, ſed poteſt obſervari quantùm ad debiti petitionem, & quantùm ad caſtitatem conjugalem, ne ſcilicet adulteretur; ergo. Tertius eſt quod altero conjuge defuncto teneatur caſtitatem ſervare, utpote cum jam ceſſaverit fortius matrimonii vinculum, & reddatur obſervantia voti poſſibilis; ideo habet praxis curiæ Romanæ, ut pro ſecundo matrimonio contrahendo nova petatur diſpenſatio circa votum caſtitatis.

Nec dicas: duobus contrariis occurrentibus minus forte à fortiori excluditur; ſed votum caſtitatis contrariatur matrimonio, & voti obligatio eſt minor quam obligatio matrimonii: ergo poterit ſaltem ſimilis licitè petere debitum.

Reſpondeo diſtinguendo maj. minus forte à fortiori excluditur, ſi ambo ſint incompoſſibilia conc. ſi ſint compatibilia neg. maj. & diſt. min. votum contrariatur matrimonio prorſus incompatibiliter neg. aliquo modo incompatibiliter conc. min. & neg. conſeq. voti ergo obligatio omnino ſuſpenditur, quatenus eſt incompatibilis cum matrimonio, quod fortius eſt vinculum, quatenus vero eſt compatibilis cum matrimonio non ſuſpenditur; & ideo quia non petere debitum ſe compatitur cum matrimonio, eo quòd liberum ſit conjugi petere; ideo hæc obligatio voti viget.

Dices ſuperveniens difficultas eximit à voti obligatione v. g. vovens caſtitatem contracto matrimonio rato non tenetur ingredi religionem, cum ſit longè difficilius ingredi religionem, quam ſimpliciter caſtitatem ſervare, ut dicitur advertentiâ tertiâ circa finem; ſed etiam matrimonio jam inito difficilius eſt caſtitatem ſervare abſtinendo à debiti petitione: ergo eximitur à voti obligatione & poterit debitum petere.

Contra diſt. maj. difficultas ſuperveniens extrinſeca, & in objecto ipſius voti non incluſa eximit à voti obligatione conc. difficultas intrinſeca & formaliter in objecto voti contenta neg. maj. & ſic diſt. min. conſequentiam: adeóque cum in voto caſtitatis non includatur intrinſecè & formaliter obligatio ingreſsûs religionis magis difficilis, benè verò abſtinentia ab omni actu venereo poſſibili, ideo cum poſſibile ſit voventi conjugi abſtinere à petitione debiti, ideo ad hanc abſtinentiam tenebitur. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Matrimonium contra interdictum Apoſtolicum connexum cum decreto irritante ſive expreſsè, ſive implicitè* 9

ſolum

ſolùm cadente ſupra matrimonium contractum eſt nullum. Eſt Abbatis, Fellini, Covatruviæ & plorium Canoniſtarum, qoi defendunt planè ſolam prohibitionem pontificiam, ſi cauſa prohibendi eſt perpetua, irrirare matrimonium, licèt non ſit adjectum decretum irritans: Eſtque contta Sanchez & Amicum, qui tequlrunt planè decretum irtitans ſpecificè, & expteſse cadens ſuper matrimonium.

Probatur 1. pars: Pontifex aut ejua nuntius poteſt ex rationabili cauſa v. g. lite pendente cum una ſponſa, decretum ſtatuere, ut ſponſo inhibeatur matrimonium, & ſi cum aliâ contraxerit, ſit nullum; ſed ſi cum tall interdicto contraheretur matrimonium à ſponſo, tale matrimonium eſſet nullum: ergo. Min. probatut, ſi poteſtas ſæcularis ad tollendos abuſus interdiceret, ne aliquis pendente lite domum vendat alteri, & ſi vendiderit contractus ſit nullus, certè juxta omnes leges talis contractus contra prohibitionem factos eſſet nullus: ergo etiam.

10 Probatur 2. pars: quoties decretum irritans immediatè cadit ſupra ipſum matrimoniom tanquam primarium objectum, toties irritari debet matrimonium; ſed licet aliquando tantùm ſit implicita mentio matrimonii in tali decreto, hoc adhuc immediatè cadere poteſt ſupra matrimonium tanquam primarium objectum: ergo. Maj. patet, quia quod decretum primariò intendit, circa illud operatur. Min. probatur: Poteſt primarium objectum ſupplitantis eſſe petitio decreti irritandi matrimonium, licèt quoque omnia attentanda poſcat eſſe irrita: ergo ſi Pontifex ſubſcribat annuimus, quæ petiſti, vel inhibetur parti adverſæ, ne quidquid innovet ſub nullitare; & in petitione continetur tale decretum ex parte interdicentis cadit ſuper matrimonium tanquam primarium objectum, licèt non fiat ſpecifica & expreſſa mentio matrimonii.

11 Probatur uttaque pars ſimul: C. *tua fraternitas* de ſpooſa duorum dicitur: *etſi contra interdictum Eccleſiæ publicè factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuosè factum poteris irritare*, ubi ſermo eſt, qui pendente lite cum unâ, præſumpſerunt interim tranſire ad aliud matrimonium. Item C. *penult.* de deſponſatione impuberum dicitur: *quod ſi contra interdictum noſtrum aliquid in præjudicium ipſius fuerit attentatum, id irritum eſſe decernimus, & viribus omnino carere:* ergo matrimonium contra interdictum Apoſtolicum cum decreto irritante eſt nullum. Quod multo magis verum eſt de ſponſalibus contra interdictum quodcunque generale, cum ſponſalia irritare non ſit res tam ardua & negotium grave ſicut ipſum matrimonium.

12 Objiciea contra primam partem C. 2. de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ dicitur: *non eſt conveniens, ut ob id ſolùm*, intellige quod ſit contra interdictum Eccleſiæ, *Sacramentum conjugii diſſolvatur*: ergo tale matrimonium non eſt irritum & nullum. Hinc ultra Gloſſa in illud Cap. *penult.* de deſponſatione impuberum à nobis in ultima proba adductum expreſsè dicit: matrimonium, ſi contra hoc interdictum contractum fuiſſet, non fore irritum, quamvis textus dicat irritum eſſe.

Reſpondeò illud cap. ſolùm loqui de ſimplici prohibitione & interdicto dato abſque decreto irritante. Ad Gloſſam dico, eam quidem eſſe ſententiæ contrariæ, ſed non ipſum textum, quia Gloſſa putat, illud decretum irritans omnino eſſe generale, ut nec implicitè nec virtualiter cadat ſupra matrimonium, cum ſit de puella nec dum ſepteni, quæ dicitur ſponſalia contraxiſſe cum juvene, cum quo litigabatur, quòd eſſet ejus conſanguineus, cui matrimonium cum alia contractum non poſſet eſſe tam pernitioſum, ſicut alicui puellæ nubilis ætatis, quod & ita cum Gloſſa poſſet dici: aſt textus poteſt intelligi implicitè cadere ſuper matrimonium, cùm illi puellæ, ſi dein ad debitam ætatem perveniſſet, & non fuiſſet probata conſanguinitas, illud matrimonium fuiſſet valde favorabile, conſequenter aliud matrimonium à juvene initum nimis præjudicioſum.

Dices: illi Canoniſtæ pro nobis citati ſaltem requirunt, ut decretum irritans ſit datum propter cauſam perpetuam, ut propter aliquem inceſtum, votum &c. & non temporalem, ut ob venerationem temporis, vel pendentiam litis; ſed illud Cap. *tua fraternitas* eſt propter litem: ergo adhuc matrimonium contra illud non eſt nullum.

Contra dico, aliquos quidem exigere, ſed non omnes; unde dico cum Amico Diſp. 10. illud de cauſa perpetua & temporali non eſſe multum ad rem; nam multa ex impedimentis ſolùm impedientibus habent cauſam perpetuam, ut votum ſimplex caſtitatis, inceſtus cum conſanguinea uxoris, ſi tamen contra hæc contrahatur matrimonium, adhuc eſt validum; unde interdictum omnino ſemper obligat, ſi cauſa eſt perpetua, ut impedimentum impediens, non verò ut dirimens. Tum quia ne matrimonium contrahendum ſit validum, non tam pendet à cauſa propter quam prohibetur, quam à voluntate prohibentis, qui etiam ob cauſam temporalem poteſt illud irritare, & præſertim ob illam, quam ponit Sanchez, ne præjudicium paretur liti; nam quis dubitat, quòd Pontifex poſſet dicere, ſi aliud matrimonium interea contrahitur, ſit nullum; quia ſæpe expedit, ut non tantum tali caſu prohibeatur matrimonium quoad effectum, ad quem declinandum interdicitur, ſed ſimpliciter quoad ſubſtantiam.

Dices: matrimonium eſt juris naturalis & divini; ſed hoc eſt fortius, quàm quodcunque interdictum Pontificis quomodocun-

que circumſtantionatum: ergo matrimonium contra tale interdictum non erit nullum.

Contra: hoc nimium probat; probaret enim, quòd etiam Pontifex nullum impedimentum dirimens Eccleſiaſticum poſſet ſtatuere, quod eſt contra commonem. Sed diſtinguo maj. matrimonium eſt juris naturalis & divini præceptivi & abſolutè obligantis neg. permiſſivi & ſubordinati in bonum Eccleſiæ & ſalutem animarum conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſeq. ſicut etiam jure naturæ omnia ſunt communia, & tamen jure humano gentium pleraque ſunt facta propria adeóque illud frigidum verbum *meum* & *tuum* jure gentium incepit, & tamen nullus dicit, quòd ille, qui proprium ſuum poſtulat, delinquat contra jus naturæ.

13 Objicies contra 2. partem: matrimonium eſt res valdè ardua & difficilis: ergo nunquam præſumitur irritari niſi per clauſulam expreſsè irritantem matrimonium.

Reſpondeo neg. conſeq. nam ſufficit irritatio implicitè & primariò cadens ſuper matrimonium; unde licèt matrimonium ſit res ardua, nihilominus res ardua eſt etiam interdictum illud irritans deſpicere, & cum dolo contrahere matrimonium lite pendente; cum ſit in præjudicium tertii, ſcilicet in graviſſimum damnum honoris & mediorum ipſius per aliud matrimonium illuſi. Imò illud decretum irritans nullum adfert damnum lite pendente, quod per ſententiam definitivam non poteſt reparari, ſed ille adſcribat ſibi, qui ſe ſponte in tales miſerias conjecit, ut ſuam cauſam non poſſit melius probare.

Dices: plures Canoniſtæ requirunt pro annullando matrimonio univerſaliter, ut decretum faciat ſpecificam matrimonii mentionem: ergo aliud decretum generale irritans non annullat matrimonium.

Contra dico, adhuc plures hoc non requirere, ſcilicet Decium de teſtibus, & Jaſonem de legibus; cum illi admittant ſufficere ſimplicem prohibitionem Pontificiam, ſi cauſa ſit perpetua, licèt non ſit annexum decretum irritans; & pariter citati in aſſertione noſtra ſolùm requirunt decretum irritans præſcindendo à ſpecifica matrimonii mentione: aſt claritatis gratia diſtinguo ant. plures Canoniſtæ requirunt ſpecificam mentionem matrimonii vel explicitam vel implicitam, & virtualem conc. ſemper ſpecificam explicitam neg. ant. diſting. conſequens: ergo aliud decretum generale irritans nec implicitè cadens primariò ſuper matrimonium non annullat illud conc. implicitè tamen cadens ſuper matrimonium non annullat illud neg. conſeq.

Dices: ex Propoſitione ſecunda poteſt tempore interdicti generalis per modum cenſuræ licitè celebrari matrimonium, ſi expreſsè non prohibetur: ergo etiam poterit validè matrimonium celebrari tempore interdicti per modum prohibitionis irritantis, ſi expreſsè non irritatur matrimonium; nam plus requiritur ad irritandum, quàm prohibendum matrimonium.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia ab aliis juribus matrimonium celebratum tempore interdicti habetur pro licito, ut patet ex propoſitione ſecunda; ideo deberet expreſsè prohiberi tempore interdicti; ut etiam ſit illicitum; matrimonium verò contra decretum irritans etiam generale non habetur ab aliis juribus validum, ſed potius invalidum, ut patet ex proba tertia: ergo non debet expreſsè irritari: imò matrimonia celebrare tempore interdicti non infert tanta præjudicia partibus & communitati, ſicut celebrare contra interdictum irritans lite pendente, quod aliàs videretur eſſe fruſtraneum, & ſine debita efficacia; ſi validum matrimonium poſſet celebrari, & ſic facile pars litigans poſſet illudi; unde ipſa æquitas naturalis decreti irritantis jam irritat etiam matrimonium ſine ſpeciali exceptione; quod tamen non ita eſt in interdicto ſimpliciter prohibitorio generali, quod ſpecialiter deberet nominare matrimonium; nam hoc alias eſt valde bonum, & utile communitati etiam tempore interdicti contrahendum.

Aſſero 2. *Votum caſtitatis, vel Religionis, ſive præcedens, ſive ſubſequens ſponſalia cum defloratione aut alio notabili damno v.g. infamia non obligat ſponſum ad ſervandam caſtitatem, aut ingreſſum religionis, ſed talis ſponſus teneretur ad matrimonium etiam conſummandum non obſtante voto.* Eſt Sanchez L. 1. de ſponſal. diſput. 45. Maſtrü contra Navarrum. 14

Probatur 1. pars de voto præcedenti ſponſalia: Tum quia quando duo præcepta concurrunt, quorum ſolùm unum ſervari poteſt, illud præ altero eſt ſervandum, quod ſtrictius obligat, ut fatentur omnes; ſed ſtrictius obligat præceptum juſtitiæ ad damnum impudicitiæ vel infamiæ ſponſæ injuſtè illatum reſarciendum, quam præceptum religionis de voto, ut ex ſe patet: ergo in tali caſu non obligabit votum ſed ſponſalia: Tum quia ſi quis vovit religionem, & parentes habet egenos, quibus poſſit in ſæculo exiſtens ſuâ induſtriâ ſuccurrere non poteſt bonâ conſcientiâ ingredi religionem; & hoc ideo quia obligatio pietatis erga parentes prævalet obligationi religionis: ergo etiam voto caſtitatis vel religionis adſtrictus qui defloravit virginem ſub promiſſione futuri matrimonii non poteſt bona conſcientia hoc votum adimplere; eò quòd multum damnificaret virginem defloratam; cum vinculum juſtitiæ adhuc ſit fortius quam pietatis vinculum; nec talis deflorator poteſt in alio genere damnum reſarcire ſcilicet per competentem dotem pecuniariam; nam hoc moraliter loquendo vix fieri poteſt;

poteſt; quia talis injuria vix aliter poteſt compenſari quam matrimonium contrahendo, & etiam conſummando, cum per ſolum contractum bimeſtralem non videatur ſatisfieri damno, ut diximua de conſenſu ficto; cùm talis vinculo juſtitiæ ſit adſtrictus, & jura dicant unum pro alio invito creditore reddi non poſſe.

15 Probatur 2. pars de voto ſubſequenti talia ſponſalia: Tum quia DEUS non acceptat promiſſionem rei prius alteri promiſſæ cum gravi damno eidem ſecuto v. g. DEUS non acceptat donatos 100. aureos Eccleſiæ, qui debentur ex juſtitia Paulo, ſed ſponſus per ſponſalia promiſit ſuum corpus alteri cum graviſſimo damno deflorationis: ergo repromiſſio ejuſdem corporis facta DEO per votum non eſt acceptata ab eo, & conſequenter non obligat. Maj. patet, quia DEUS in voto non ſolùm attendit ad valorem promiſſionis, ſed etiam ad honeſtatem ejuſdem, ut non fiat in præjudicium tertii; nam etiam judicia humana hoc faciunt; ſed illud votum poſt ſponſalia cum defloratione non comitaretur honeſtas, utpote in præjudicium & grave damnum tertii vergens: ergo. Tum quia qui habet multa debita creditoribus ſolvenda non poteſt ingredi religionem, licet voverit ingreſſum, donec ſolverit, ſi ſpes ſit; quia ſtrictiua cenſetur eſſe obligatus creditoribus ex juſtitia, contra quam DEUS non cenſetur acceptare promiſſionem ad ingreſſum religionis cum præjudicio creditorum: ergo etiam qui certum debitum habet ducendi defloratam ad illius damnum reſarciendum, tenebitur potius hoc damnum reſarcire per matrimonium, quàm votum implere per caſtitatem. His

16 Addo 1. idem eſſe dicendum de vidua honeſta & bonæ famæ, quæ aliàs notabilem famæ jacturam pati deberet ob eaſdem rationes; imò etiam idem eſt dicendum de ſolâ aſſiduâ converſatione & inhoneſta frequentatione cum aliqua puella vel honeſta fœmina cum promiſſione matrimonii, uti modò multoties contingit, licèt non ſequatur defloratio, quia etiam cauſatur grave damnum infamiâ puellis, quòd aliquando non acquirant aliud matrimonium; unde debet per matrimonium ita converſantia reſarciri.

Addo 2. Aſſertionem noſtram intelligendam eſſe, ſi deflorata votum promittentia ignoraret; nam ſi noſſet, ſe ipſam deciperet, & videretur cedere juri ſuo, ac alter teneretur votum adimplere.

Addo 3. Talem ſponſum licitè etiam poſſe ſine diſpenſatione voti illud matrimonium contrahere; quia in tali caſu lex naturalis dictat obligationem reſarciendi damnum injuſtè illatum prævalere obligationi ex voto; atqui ſi lex naturalis cauſam decidit non eſt opus pro deciſione ad aliud tribunal recurrere: verùm cum aliunde ſimilis voto adſtrictus matrimonio contracto debitum conjugale licitè petere non poſſit, conſultius erit prius obtinere diſpenſationem, aliàs ſe periculo exponet peccandi, ſcilicet exigendi debitum illicitè.

Objicies: Promiſſio facta homini cedera 17
debet promiſſioni factæ DEO; ergo qui prius vovit caſtitatem & dein promiſit cum defloratione matrimonium, ſervare debet primam ſuam promiſſionem voti.

Reſpondeo diſt. ant. promiſſio facta homini cedere debet promiſſioni factæ DEO rebus notabiliter non mutatis ſeu ſi cætera ſint paria conc. rebus notabiliter mutatis & ſi cætera non ſint paria neg. ant. & conſeq. verùm quidem eſt, quod promiſſio facta DEO præcisè ſit major & firmior promiſſione factâ homini cæteris paribus v. g. promiſſio dandi 100. aureos Eccleſiæ in honorem DEI quam dandi 100. homini; aſt quando promiſſiones ſunt diverſæ rationis, nec cætera ſunt paria, ut in noſtro caſu, ubi homo magnum damnum pateretur, DEUS autem nullum, ſi cenſetur DEUS in ſibi facta promiſſione cedere promiſſioni factæ homini, interim tamen non omnino diſſolvitur prior voti obligatio; ſed tantum differtur quando res ſunt notabiliter mutatæ, uſque dum ſine præjudicio damnificati obſervari poterit.

Dices: Talis vel teneretur ratione promiſſionis vel ratione damni contrahere? ſed ex neutro capite: ergo. Min probatur: non ratione promiſſionis; quia hæc nulla fuit, utpote de re illicita contra votum: non ratione damni; quia deflorans virginem non promiſſo matrimonio non tenetur eam ducere, quamvis paſſa ſit damnum, ſed poteſt aliter ſatisfacere damno; ergo.

Contra neg. min. & dico ex utroque capite adæquatè oriri obligationem contrahendi. Ad primam impugnationem dico illam quidem promiſſionem completè eſſe nullam, benè tamen inchoativè eſt valida, dans aliquod jus ob externam factam promiſſionem, quam altera pars bona fide acceptavit cum repromiſſione & paſſione deflorationis, ut in ſimili quid diximus de conſenſu ficto, imò etiam ex promiſſione invalida poteſt parti innocenti oriri jus ratione occultæ deceptionis, & ſpecialiter ratione damni exinde orti. Ad ſecundam impugnationem diſparitas eſt, quod non ex damno illato præcisè acquirat deflorata jus, ut ſibi ex juſtitia damnum pudicitiæ per matrimonium reſarciatur ſed ex damno injuſtè illato; atqui ſine promiſſione matrimonii non injuſtè infertur damnum pudicitiæ, cum libens & volens conſenſerit in deflorationem, ideo non habet jus exigendi matrimonium, cui deberet correſpondere debitum contrahendi.

Dices: ideo ratione ficti conſenſus tenetur deflorator puellam ducere, quia tenetur prius verè promittere; ſed voto adſtrictus non poteſt verè promittere obſtanti voto: ergo.

Con-

Contra neg. min. Cum enim DEUS cenſeatur interea ob damnum hominis cedere ſuam promiſſionem, ſic deinde poteſt verum conſenſum præſtare ad matrimonium.

Dices: Contrahens legitimè ſponſalia cum quadam, ſi deinde iterum cum alia contrahit ſponſalia, & hanc deflorat talis adhuc tenetur ſtare primis ſponſalibus, etiamſi alteri magnum damnum intulerit, & hoc ideo quia injuria poſteriori illata non aufert jus acquiſitum priori: ergo etiam voto adſtrictus tenebitur promiſſionem ſuam ſervare DEO non obſtante, quod promiſerit matrimonium & defloraverit puellam.

Contra transmitto ant. regulariter neg. conſeq. diſparitas eſt. Tum quia votum eſt ſolum contractus gratuitus, ſponſalia vero contractus onerosus: Tum quia ex voto eſt ſolum obligtio religionis, ex promiſſione autem & defloratione eſt obligatio juſtitiæ, quæ eſt ſtrictior: Tum quia homines non tam facilè volunt permittere ſibi auferri jus per injuriam alterius ſicut DEUS: dixi regulariter transmitto ant. quia etiam aliquando poteſt contingere, ut ſponſus potius ſecundis ſponſalibus cum deflorata debeat ſtare, ut quando grave deflorata pateretur damnum ſcilicet magnam honoris jacturam, prior vero ſponſa ſolùm leviter læderetur, v.g. ſi ſolum clàm cum ipsâ ſe deſponſâſſet; tunc enim teneretur prior ſponſa illud leve damnum ſuſtinere ad evitandum graviſſimum damnum proximæ, cui aliter ſatisfacere non poſſet, niſi per matrimonium.

18 Aſſero 3. *Voto caſtitatis adſtrictus non poteſt regulariter licitè matrimonium inire cum ſponsa ignarâ voti animo non conſummandi, ſed religionem ingrediendi.* Eſt Navarri, Sanchez contra Hurtadum & alios.

Probatur: Ille, qui ſe manifeſto periculo peccati aut proximum ſuum periculo gravis damni exponit faciendo aliquem actum, peccat mortaliter talem actum committendo; ſed ſi voto adſtrictus nubit animo non conſummandi matrimonium ſed ingrediendi religionem, exponit ſe periculo votum frangendi, cum facilè alliceretur à parte ignarâ voti ad actus venereos in remedium concupiſcentiæ, & ſimiliter uxorem exponeret periculo gravis damni ſcilicet manendi abſque matrimonio per annum expectando ad profaſſionem, & difficultatis alium maritum acquirendi; eò quòd de ea ſuſpicari poſſit, quod jam ab illo violata ſit, vel ſi iterum egrederetur illa proclamaretur uxor Monachi cum dedecore; hinc jura abſolutè decernunt tale votum impedire matrimonium ut patet C. *rurſus.* & C. *conſuluit* qui Clerici & voventes. Ergo ſi cum intentione non conſummandi matrimonium contraheret, ageret etiam illicitè contra decretum Eccleſiæ.

19 Objicies: Scotus in 4. Diſt. 38. q. un. circa finem dicit: *Et ideo non poteſt licitè contrahere, niſi cum intentione non conſentiendi in actum carnalem, & per conſequens cum intentione intrandi religionem:* ergo licitè poteſt voto adſtrictus contrahere matrimonium cum animo ingrediendi religionem.

Reſpondeo neg. conſeq. quia Scotus hoc ſolùm cenſet licitum, quando per tale matrimonium poſſit ſponſa adjuvari, ut ab injuria liberetur & quidem ita, ut etiam ipſi ſponſæ pateſiat talis animus ſponſi, ac in tale matrimonium conſentiat; nam tunc ſponſa rationabiliter invita eſſe non poteſt; cùm ſic ceſſet injuria, & proles legitimaretur, ſi quæ fuiſſet prius ſuſcepta, non verò, quòd ſimpliciter ſine conſenſu ſponſæ regulariter hoc fiat licitè.

Dices: Pontifex non poteſt aliquod illicitum conſulere; ſed C. commiſſum de ſponſalibus ſuaſit Alexander III. alicui, qui juravit ſe aliquam ducere intra biennium, & dein religionem ingredi voluit, ut prius ineat matrimonium ob reverentiam juramenti animo non conſummandi, ſed religionem ingrediendi: ergo hoc eſt licitum.

Contra dico Pontificem illo ſuo conſilio ſupponere ſponſam in tale matrimonium animo non conſummandi conſentire, vel ſaltem ſimilem animum ſponſæ notum eſſe, nam ſi ſponſa noverit ſponſum ſuum non aliter velle contrahere matrimonium, quam tali animo ingrediendi religionem, ſic non affectabit matrimonium, vel ſi affectet tunc ſponſus licitè contrahet, nam taliter non ampliùs faciet injuriam ſponſæ.

Dices: S. Alexius prima nocte ſponſam reliquit, ſempérque ſequeſtratus fuit; ſed non eſt credibile, quod hoc matrimonium non fuerit initum animo non conſummandi, illud ergo, cum hoc factum approbet Eccleſia, licitum erit ita contrahere matrimonium.

Contra negant aliqui min. quia Alexius repentino inſtinctu DEI ſponſam reliquit intactam, & hoc piè credimur, cum hoc factum Eccleſia approbet nec gravem injuriam ſponſæ fecit, cum fortè invitus & coactus eam duceret; unde non abſolutè negamus nunquam ſic poſſe initi matrimonium, ſed tantùm non regulariter ſcilicet cum dolo illudendo fœminam, quæ ſi conſcia eſſet talis animi, renueret matrimonium; quapropter ſi nulla injuria, ſed potius honor & emolumentum ſponſæ contingeret ex tali matrimonio, ita ut illa rationabiliter non poſſit eſſe invita, vel ſi talis cum voto metu gravi etſi non cadente in virum conſtantem compelleretur, poſſit eo modo matrimonium inire: alii vero dicunt, non fuiſſe matrimonium ratum cum S. Alexio, ſed ſolum ſponſalia.

Dices: Contrahens matrimonium infra bimeſtre poteſt etiam invitâ ſponsâ ingredi religionem: ergo nulla fit injuria unquam ſponſæ, ſi initur matrimonium animo non conſummandi

mandi matrimonium, ſed religionem ingrediendi.

Contra neg. conſeq. quia jus concedit illud ut privilegium bimeſtris ad deliberandum de ſtatu meliori eligendo in bona fide, aſt non concedit illud, ut fiat cum deceptione & mala fide ac in præjudicium ſponſæ, ubi non ſervaretur æqualitas, cum ſponſa contraheret bona fide manendi cum eo in conjugio, alter verò cum mala fide.

DISTINCT. XXVIII.

De impedimentis dirimentibus in particulari.

QUÆSTIO I.

Quid ſit error & conditio, & quo jure dirimant matrimonium?

1 ADvertendum eſt 1. Quatuordecim communiter impedimenta dirimentia numerari. Duodecim de jure antiquo, & de jure novo duo, quæ ſequentibus verſibus exprimuntur.

De jure antiquo

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis ſi fortè coire nequibis.

De novo ex Tridentino,

Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptáve ſit mulier, nec parti reddita tuta,
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

De jure ergo novo ex Trident. Seſſ. 24. addita ſunt duo impedimenta ultima dirimentia ſcilicet clandeſtinitatis, de qua jam ſatis actum eſt ſuo loco: & raptus qui dirimit matrimonium inter raptam & raptorem, quamdiu illa in poteſtate illius fuerit, etiamſi etiam liberè deinde conſentiret, uti decrevit Trident. cit. de his ergo omnibus impedimentis hic agendum erit, excepto impedimento *vis*, de quo ſatis conſtat de libertate matrimonii obſtante vi vel metu gravi.

2 Advertend. eſt 2. Scotum in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex dictis.* hæc habere: *Sed in iſtis tribus primis verſibus* (ſcripſit enim Scotus ante Tridentinum) *continentur impedimenta abſque omni ordine naturali, poſſunt igitur ordine debito & magis in particulari iſtis verſibus explicari:*

Vis, fraus perſonæ, ſervi dationis, & amens,
Addita conditio tria conjugii bona tollens
Frigidus, arcta, puer, truncatus, præſtigiatus
Alterius conjux, obſtat mutuæ dationi.
Ordo ſacer, votum, duo cultus, ſponſio mæchi
Carnalis, legis, cognatio ſpiritualis,
Hæc vi præcepti, ſit huic affinis, honeſtas.

Voluit igitur Scotus his verſibus clarè & diſtinctè recenſere omnia impedimenta dirimentia in particulari, & quidem ut dicit: *Tam impedimenta ſimpliciter ex natura rei, quam ex ſtatuto Eccleſiæ.* Primo enim modo ex natura rei dicit ibi, *ſimpliciter impediunt aliqua, vel ex conditionibus neceſſariis ex parte contrahentium, vel neceſſariis ex parte contractûs,* cujus natura eſt, quòd ſit datio voluntaria poteſtatis corporis pro poteſtate corporis & perpetuò commutantium; ideo quod impedit voluntariam dationem, impedit naturam contractus hujus; ex parte igitur contractûs requiritur voluntarium liberum ſimpliciter; unde contra naturam hujus contractûs eſt involuntarium ex vi vel metu, qui poteſt cadere in virum conſtantem, de quo ſupra diſt. 22. quæſt. un. dictum eſt, item & involuntarium ex defectu notitiæ præcedentis, ſiquidem nihil volitum, quin præcognitum, & tale involuntarium eſt vel cum carentia totali notitiæ intellectualis, aut eſt cum carentia aliquali, licèt defectiva, quia erronea vel deceptiva quod tripliciter contingere poteſt: primò in errore perſonæ: Secundò in errore conditionis pejoris, puta ſervitutis: Tertiò in errore dationis mutuæ, puta ſi iſta dat corpus credens iſtum redonare, ille autem non redonat, licèt proferat verba doloſo animo tantùm, ſcilicet ut extorqueat libidinem. De hoc tertio errore diximus fusè Diſt. 24. q. un. de duobus autem erroribus prioribus dicemus in præſenti. Præterea cùm tria bona matrimonii nimirùm, fides, indiſſolubilitas, & proles, generaliter in omni contractu matrimonii incluſa ſint, contrahens ſub tribus conditionibus oppoſitis illis tribus bonis nihil facit, quia contra rationem illius contractûs eſt conditio oppoſita repugnans alicui bono matrimonii: de his conditionibus diximus ſatis diſt. 23. q. 2. advert. 4. & prop. 1. & 2. ex parte autem perſonarum contrahentium requiritur, ut poſſint dare poteſtatem corporum; ſimpliciter autem impotens ad copulam carnalem non poteſt dare hanc poteſtatem; quia impotens eam non habet; nec alligatus alteri matrimonialiter, quia corpus ſuum non eſt ſuum, ſed conjugis: de his diſſeremus infra q. 4. & jam diximus aliquid diſt. 20. q. 5. aſſert. 4. nimirum pro lege Evangelica non licere dimittere uxorem, & ſic nullo modo licere ipsâ vivente ſive dimiſsâ defacto ſive non dimiſſa cum alia contrahere. *Ex ſtatuto Eccleſiæ autem* ut dicit Scotus cit. *ſunt tantummodo impedimenta ex parte perſonarum*, quia Eccleſia nihil determinavit, circa formam vel materiam iſtius contractûs, ſed ſolùm perſonas aliquas illegitimavit faciendo eas non capaces hujus contractûs, & hoc vel propter nimiam eorum propinquitatem inter ſe, vel propter ſpecialem earum ad cultum divinum applicationem, vel propter alicujus horrendi criminis enormitatem: Primo modo illegitimavit conſangui-

neos in 4. gradu & infra: item affines, vel propriè dictoa, quorum ſcilicet vinculum eſt ex conjunctione carnali, vel extenſivè, quorum vinculum ſcilicet eſt tantum ex matrimonio rato, vel ſponſalibus, & vocatur publicæ honeſtatia juſtitia: juxta hoc etiam eſt quædam propinquitas quaſi mixta, ut eſt cognatio legia, ſeu legalia, & cognitio ſpititualis, de quibua cognationibus diſcurremua abundè infra quæſt. 3. ſecundo modo Eccleſia illegitimavit eum, qui ſolemniter vovit continentiam & eum qui ſuſcepit ordinem ſacrum, de quibua dicemus ſtatim quæſtione ſequenti: tertio modo illegitimavit fidelem reſpectu infidelia ad matrimonium contrahendum, de quo dicemua infra quæſt. 4. item adulterum cum machinatione in mortem legitimi conjugis, vel etiam cum fidei datione de contrahendo poſt mortem legitimi conjugis. De quo dicemus infra q. 5. hæc quaſi in terminia Scotus citatus.

3 Advertendum eſt 3. errorem & ignorantiam differre inter ſe; nam ignorantia ex ſua ratione formali nullam præviam cognitionem deſiderat, ſed ſolam negationem ſcientiæ; error vero judicium poſitivum intellectûs perverſum exigit; juxta D. Auguſtinum enim errare eſt unum pro alio putare; & ideo error vocatur ignorantia pravæ diſpoſitionis, ſi vero error non eſt, ſolùm dicitur ignorantia pura negatio ſcientiæ: ſic ſi neſciam, quod milliaribua hinc Græcio diſtet Madritum, non dicor errare, cum nullum formem judicium diſtantiæ, ſi vero judicarem 100. milliaribus diſtare, errarem; quia falſum judicium haberem; nam ſexcentia ferme milliaribus diſtat: præterea error præſertim in matrimonio duplex obvenire poteſt, unus circa ſubſtantiam ipſius perſonæ, ut dum Jacob putat ſe ducere Rachaelem accepit Liam: alter circa qualitates ſeu accidentia, ut ſiquis putaret ſe contrahere cum libera, cum pulchra, cum nobili, cum divite, cum virgine &c. & in re contrahit cum ſerva, cum difformi, cum ignobili, cum pauptre, cum corrupta &c. talis autem duplex error poteſt eſſe vel antecedena contractum, qui ſcilicet dat cauſam contractui, hoc eſt, ut eo errore non exiſtente nequaquam actus fieret, ſeu ſi veritas perſpecta eſſet, nullatenua contraheret, vel poteſt eſſe concomitana contractum, qui ſeilicet non eſt cauſa ſic volendi, ſed ſolum ita concomitatur contractum, ut eo errore non exiſtente contractus adhuc fieret, & quidem æquè libenter vel etiam libentiùa, etiamſi veritas eſſet perſpecta v. g. ſi contrahena cum Bertha putat eſſe Marianam, ſed nihilominus æquè libenter contraheret cum Bertha habet ſolùm errorem concomitantem.

4 Advert. eſt 4. errorem qualitaria poſſe quandoque redundare in errorem perſonæ, adeóque ſicut error perſonæ dirimit ex naturâ rei matrimonium, ita etiam error qualitatis redundana in errorem perſonæ dirimet illud, maximè tamen ardua & hucuſque adhue non ſatia enodata difficultas eſt apud authores de aſſignanda regula, quâ dignoſci poſſet, quandonam error qualitaria redundet in errorem perſonæ; diverſi diverſa ſentiunt, aliqui ponunt hanc regulam: quotiescunque penes certam aliquam qualitatem aliquis concipit certam & individuam perſonam formando ex aliqua peculiati circumſtantia certum conceptum alicujus ſingularia perſonæ, præſertim ſi ptiua non novit illam perſonam quà perſonam, ſi deinde alia perſona offertur in quam talis qualitaa non cadit, tunc error qualitatis redundat in errorem perſonæ v. g. ſi Archiduciſſa Magdalena petita in matrimonium intenderet nubere primogenito Ducis Saubaudiæ ſibi ex ſola fama cognito, Dux antem ſolum offerret ſecundo genitum in hoc caſu, licèt primogenitura ſit qualitas, attamen error talis qualitatis tranſiret in errorem perſonæ, & matrimonium faceret irritum; hæc regula quidem certa eſt, ſed non ſatis univerſalia, nam etiam aliis modis error qualitatis redundare poteſt in errorem perſonæ; unde notanda eſt alia regula, quæ dicit, quod ſi error qualitatis antecedena ſit ſolùm cauſa impulſiva ad matrimoninm, in quo tamen impulſus non ducatur poſtea ad præbendum conſenſum. ob qualitatem in perſona præconceptam, ſed potius ob perſonam, in quam fertur ejua conſenſus tunc talia error non redundat in errorem perſonæ: quod ſi verò error qualitatia antecedens non ſolùm ſit cauſa impulſiva ad ineundum matrimonium, ſed etiam ut terminua conſenſum matrimonii integrans ſimul eum perſona unum objectum totale, tunc error qualitatis redundabit in errorem perſonæ: aſt in hac regula iterum quæri poteſt, quandonam cognoſci poſſet, utrum error qualitatis ſit talis terminua integrans cum perſona objectum totale, & quando non? ideo dici poterit tunc errorem qualitatia redundare in errorem perſonæ, ſi ille error per modum conditionis adjungatur, quod colligi poterit, ſi ſuum conſenſum exprimeret per ſimilia verba: contraho tecum, ſi ſis dives, quia quando qualitas perſonæ à contrahente intenditur per modum conditionis, ſinè quâ cum tali perſona non contraheret, tunc contrahens non aliter vult perſonam quam tali qualitate affectam, & talia conſenſua virtualiter excludit conſenſum in perſonam tali qualitate carentem; in foro ergo interno conſideranda eſt intentio contrahentis, an ne abſolute aliter non contraxiſſet; in foro vero externo attendendæ erunt aliæ circumſtantiæ, ex quibus cognoſci poſſet, an non alitet etiam voluiſſet contrahere.

Advert. eſt 5. Cap. 2. 3. & finali, de conjugio ſervorum definitum eſſe, matrimonium 5
liberi

liberi cum ſerva vel viciſſim ignoratâ ſervitute eſſe irritum ſeu ſtatuitur error conditionis ſervilis ſecundùm impedimentum dirimens matrimonium, & quidem ideo; quia ille error aliquo modo bonis matrimonii adverſatur & maximè individuæ cohabitationi, utpote cum ſervus debeat in domo domini habitare, neque poſſit ad libitum reddere debitum, ſed poſtquam ſatisfecerit obſequiis domini: ex cujus ratione ſtatuunt aliqui Authores conditionem ſervilem dirimere matrimonium jure naturæ; alii verò ſolùm jure poſitivo Eccleſiaſtico, quod & nos dicemus in aſſertione quarta, niſi etiam error ſervilis conditionis redundaret in errorem perſonæ; nam ſic eodem modo diſcurrendum eſt ſicut de errore perſonæ; interim autem alii ſunt ſervi proprii, & alii improprii, ſervi proprii ſunt, qui ſui juris nullatenus ſunt, ſed ita domino ſubduntur, ut eos etiam venumdare poſſit, & fiunt tales ſervi, vel ex nativitate, vel ex bello, vel ex jure, ut diximus de jure & juſtitia, & de his ſervis eſt impedimentum conditionis, non verò de ſervis impropriis, quales ſunt qui alterius temporali juriſdictioni ſubſunt v. g. ad colenda prædia, ad reddendos annuos reditus, & dicuntur in jure ſervi adſcriptitii, hi tamen verè liberi ſunt, quamvis ad certas operas teneantur ut habetur tam in jure Canonico quàm civili. His notatis

6 Propoſitio 1. *Error tam antecedens quam concomitans facit involuntarium ſaltem negativè hoc eſt non voluntarium:* Ratio eſt, quod ex errore fit, non cognoſcitur in ſe, ſed nihil poteſt eſſe voluntarium, quod non eſt præcognitum: ergo quod ex errore fit, non poteſt eſſe voluntarium atqui quod ex errore concomitante fit æquè non eſt cognitum, ſicut quod fit ex errore antecedente, ut patet de actibus humanis de ignorantia antecedente & concomitante: ergo.

Nec dicas: poteſt aliquis cum errore concomitante ita eſſe diſpoſitus, ut dicat: contraho cum Bertha præſenti, quæ etiamſi eſſet Maria adhuc contraherem, imò non contraherem niſi ſcirem fieri poſſe, ut ab inſperato adeſſet Maria; ſed talis contractus, ſi eſſet Maria loco Berthæ eſſet voluntarius, cum voluntas contrahendi cum Maria imperet contractum præſentem: ergo ſaltem error concomitans non facit involuntarium.

Reſpondeo neg. min. cujus rationem diſt. imperat contractum præſentem ut objectum volitum conc. ut voluntariam actionem humanam, in quam hic & nunc voluntas contrahendi efficaciter influat neg. nam talis contractus non procedit à voluntate tanquam ejus principio intrinſeco cum ſufficienti cognitione, cum contrahens ſupponatur non habere dubium, quod ſit Maria, ſed potius judicet non eſſe illam, nam voluntas quæ in aliquod opus influit, non eſt ſimplex rei deſiderium, ſed efficax intentio, quæ in præſenti non habetur, cum ſatis caveatur, ne contrahat cum Maria.

Propoſitio 2. *Servus poteſt contra voluntatem domini inire matrimonium cum ſerva:* 7
Ratio eſt; quia hoc jus habet ſervus à jure naturæ: ergo per jus gentium, quod ſervitutem induxit, non fuit ſublatum: ergo. Tum quia ut melius dicit Scotus in 4. Diſt. 36. q. 1. §. *dico ergo. Servus non ſe privavit libertate ad quoſcunque actus, cum reverà ſecundùm aliquos ſit ſui juris: ut ad dormiendum, comedendum* &c. cum per hos actus non ſubtrahantur domino debita obſequia, ſed potius roborentur: ergo cum pro tunc poſſit uti actu carnali poſſet ſe ad illum obligare mulieri, quantum ſui juris eſt, etſi mulier ita velit eſſe contenta cum tali modico uſu matrimonii, volenti enim non fit injuria.

Nec dicas: nullus poteſt dare alienum; ſed corpus ſervi eſt domini juxta Ariſtotelem: ergo non poteſt illud tradere uxori, ut patet à pari; nam ſervus non poteſt profiteri Religionem nec quidem validè ſine voluntate domini: ergo nec matrimonium contrahere, cum adhoc ſavorabilius ſit beneficium Religionis quam matrimonii.

Reſpondeo diſt. min. corpus ſervi eſt domini ſecundùm omnia neg. ſecundum aliqua conc. min. nam etiam ſecundùm aliqua eſt ſui juris ut diximus; unde diſparitas eſt ad profeſſionem; quia profitens totaliter ſe dat Deo & Prælato, & ſe totum ſubtrahit à debitis ſervitutis domini ſui, cum religio & ſervitus ſint incompatibilia, non tamen contrahens matrimonium ſe totum ſubtrahit domino & ſervitiis ejus; cum talis adhuc valeat præſtare debita obſequia domino, & ſe ſolum ſubjicit conjugi in aliquibus actibus compatibilibus cum ſervitiis domini.

Propoſitio 3. *Validum eſt matrimonium liberi cum ſervâ contractum cognitâ ſervitute.* 8
Ratio eſt in c. *ſi quis liber* de conjugio ſervorum; unde ſi leges civiles in contrarium citarentur, eſſent correctæ per conſtitutiones canonicas: Tum quia ſervitus non repugnat ſubſtantiæ matrimonii: ergo cognita ſervitute matrimonium eſt validum. Ant. patet ex propoſitione priori; quia ad ſubſtantiam matrimonii non requiritur, ut ſemper & ubique debitum conjugale reddatur, ſed ſolum quoties legitimum impedimentum non obſtat: ergo cum dominus nequeat ſervo impedire juſtum, & rationi conſonum matrimonii uſum, illud debitum ſerva reddere poterit, quamvis non ſemper ſed poſtquam obſequiis domini ſatisfecerit.

Nec dicas: ſerva in reddendo debito conjugali pendet à voluntate domini, cui in omnibus ſubjicitur; ſed conditio appoſitâ de reddendo debito dependenter à voluntate tertii adver-

adverſatur ſubſtantiæ matrimonii ue communirer volunt Authores: ergo.

Reſpondeo diſt. maj. dependet à voluntate domini in reddendo debito directè & immediatè neg. iodirectè & mediatè quatenus ſervam ad ſervitia debita occupans impedit, quo minus à conjuge requiſira ſemper debitum reddere poſſit eonc. maj. & ultra oeg. ſuppoſitùm min. nam ſerva cootrahens matrimonium nec tacitè nec expreſsè apponit illam conditionem ot dependeant à tertio, quaſi non vellee tedderc debitum niſi domino volente ſed potiùs ſuum corpus perfectè tradit abſolutè conjugi quantum ſui juris eſt, & quando noo occupatur ſervitiis domini, cum talis conditio ſcilicet ſervam non teneri reddere debitum, quando juſtè præpeditur à domino occupante ſervam implicitè includatur in matrimoniis ſervotum aut liberorum cognita ſervitute, & ſic cedunt jure ad ſemper & pro ſemper reddendum debitum; ille ergo qui contraheret expreſsè cum conditione, ut dependeret à tertio oon transferret perfectum dominium ſui corporis, uti requiritur ad contrahendum matrimonium.

9 Propoſitio 4. Servum ineuntem matrimonium cum libera ſervitutis conſcia ſive conſentiente domino ſive non conſentiente tenetur ex juſtitia dominus non ira diſtrahere, aut in remotas provincias vendere, ut uxor non poſſit ſequi, & vacare matrimonii uſui. Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 36. q. 1. §. *dico ergo.* quoad primam partem; quia hoc ipſo quòd dominus in matrimonium conſenſerit, cedit aliquo modo jori ſuo: ergo non ampliùs poteſt licitè eum vendere pro libitu ſuo in partes longinquas, quo uxor non poteſt venire, ut ita uſus matrimonii impediatur. Conſeq. patet; quia exponeret eos periculo incontinentiæ, cum fortaſſis in remedium concupiſcentiæ poriſſimùm nupſerint, imò ſi ipſe dominus propriam ancillam tradat in matrimonium cum libero ignaro ſervitutis & dominus reticeat ſervitutem, hoc ipſo illa aocilla conſequitur plenam libertatem, ut ſancitur in authentica quæ refertur L. 1. §. 9. *ad hoc.* C. de latina libertate tollenda. Cujus ratio eſt; quia cum dominus habeat voluntatem collocandi ancillam in matrimonium eum libero reticens ſervitutem cenſetur habere voluntatem donandi libertatem; nam tale matrimooium jure naturæ eſt nullum; ſed hoc ipſo nequit dominus habere volunratem matrimonii inter ſervam & liberum celebrandi, niſi ſimul habeat voluntatem donandi libertatem: ergo hoc ipſo ancilla conſequitur libertatem: Ratio quoad ſecondam partem eſt; quia dominus non poteſt ita domioari ſervo, ut ejus diſtractio ſit in graviſſimum ſalutis ſpiritualis utriusque conjugis detrimentum; ſed ſi ſervum poſſet veodere in partes remotiores, quo uxor ire non poſſit talis venditio cederet in graviſſimum damnum ſpirituale coojugum ob incontinentiæ periculum: ergo ſine mortali peccato, ut ait Scotus, ita vendere non poſſet; quod verò dominus ex juſtitia obligetur non ita vendere, patet; quia eo ipſo, quod ſervi habeant jus iovitis domiois contrahendi matrimonium, habent etiam ſubinde jus illo utendi, alias fruſtraneum foret tale jus: ergo ſicut dominus injuſtitiam committit impediendo matrimooium ſervorum, ita etiam impediendo ejus uſum, vendendo illum in remotiores partes.

Nec dicas: Scotus mox cit. §. *dico ergo* circa finem dicit: *Reſpondeo cum cauſa matrimonii ſit favorabilis, inducendi eſſent domini, ne hoc facerent ſed ſi facerent, non apparet, qualiter ſuppoſitâ ſervitute facerent contra juſtitiam; quia ſervus ipſe prius fuit in poteſtate dominorum, ut mitterent eum illuc, imò ut venderent eum;* ſed per actus proprios ſcilicet matrimonium ſine voluntate dominorum non potuit ſe facere liberum: ergo non peccaret dominus contra juſtitiam, ſed ad ſummum cootra chariratem.

Reſpondeo Scotum eſſe intelligendum, ſi adſit gravis neceſſitas aut notabilis utilitas domini, quæ in loco proximiori haberi non poſſit, tunc enim præponderante neceſſitate aut utilitate notabili excuſaretur dominus; unde omnino per actum matrimonii ſervus non fieret liberiorem quam aote quoad illa, quæ ſunt de jure domini, quoad matrimonium verò ſervus eſt ſui juris, ideo ſi hoc ſemel dedit uxori, oon poteſt abſque neceſſitate aut utilitate præponderaote illud dominus impedire, His poſitis

Aſſero 1. ad quæſtionem: *error perſonæ ſive antecedens ſive concomitans dirimit matrimonium & quidem jure naturæ.* Eſt communis quoad errorem aotecedentem. Deducitur ex Scoto in 4. Diſt. 30. q. 1. §. *ad iſtam quæſtionem,* qooad errorem verò concomitantem eſt communior cootra noſtrum Brancatum. 10

Probatur 1. pars: conſenſus in perſonam cum qua cootrahitur eſt de jure naturæ ad matrimonium requiſitus; ſed hic rollitur per errorem perſonæ ſive antecedentem ſive concomitantem: ergo. Min. probatur: ubi eſt error, ibi eſt igoorantia rei de quâ erratur, ſed ubi eſt ignorantia nequit eſſe conſenſus in rem ignoratam; cum ignorantia occultet objectum: ergo tollitur conſenſus. Min. probatur ſpecialiter de errore coocomitante: ut contractus matrimonii ſit validus, neceſſariò debet conſiſtere in conſenſu voluntario poſitivo, ſed error perſonæ concomitans potiùs facit involuntarium negativè: ergo nequit adeſſe conſenſus. Maj. patet ex Diſt. de libertate matrimooii. Min. verò ex propoſitione prima.

Probatur 2. pars: jure naturali exigitur con- 11

conſenſus liber ad ſubſtantiam alicujus contractus & præſertim matrimonii; ſed cum errore ſive antecedente ſive concomitante nullus ponitur conſenſus liber in perſonam ignoratam: ergo jure naturæ dirimitur talis contractus matrimonii.

12 Objicies: ut reliqua Sacramenta ſint valida non requirunt miniſtri conſenſum in certam perſonam; ſed ſufficit conſenſus in perſonam præſentem, etiamſi putetur eſſe alia, ut ſi quis putaret ſe baptiſare vel abſolvere Petrum, & eſſet Paulus validus eſſet baptiſmus & abſolutio: ergo & matrimonium.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt; quia in aliis Sacramentis perſona recipiens Sacramentum habet ſe ſolùm per modum ſubjecti, cui illa applicantur, in matrimonio verò perſonæ contrahentium ſunt materia ex quâ conſtat Sacramentum, ideo conſenſus matrimonialis conditiones individuarum perſonarum reſpicit & juxta illas determinatur, in reliquis autem Sacramentis non ſpectantur conditiones individuorum recipientium, utpote quæ nihil conferunt ad finem Sacramenti, ſicut conferunt in matrimonio ad individuam vitæ ſocietatem, ideo error in perſona, cui reliqua Sacramenta conferuntur, ipſorum valorem non tollit, cum ſit quaſi error circa accidentalia, benè vero in matrimonio, cum ſit error circa ſubſtantialia: imò, ut ſentit Scotus, nec cætera Sacramenta eſſent valida, ſi miniſter ſolum intenderet determinatæ uni perſonæ conferre, & non alteri, non tamen ſolet nec debet miniſter in aliis Sacramentis ita ſuam limitare intentionem; ſed debet intendere illa adminiſtrare perſonæ præſenti quæcunque illa ſit, aliàs ſe manifeſto periculo Sacrilegii exponeret, cùm facilè poſſit errare circa individuam perſonam: in matrimonio verò cum ſint materia Sacramenti non eſt mirum, quòd miniſtri debeant limitare ſuam intentionem circa determinatas perſonas.

Dices: in aliis contractibus v. g. venditionis non vitiatur contractus, ſi rem vendam Petro putans eſſe Paulum: ergo nec in matrimonio.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia in contractu matrimonii ipſa perſona eſt id, quod traditur, & per conſequens quid ſubſtantiale contractus nempe materia circa quam fit contractus; hinc ex tali errore vitiatur ſtatim contractus in ſubſtantia, ſicuti etiam venditio ſervi ſi perſona eſſet libera, quod non evenit in contractu aliarum rerum in quo juſtitia commutativa ſolùm reſpicit æqualitatem inter rem & pretium, ſicque parum obeſt error in perſona, cui venditur.

Dices cum Brancato ſaltem contrahens cum errore concomitante circa perſonam eſt determinatus tantum ad unam perſonam quâ non poſitâ non contraheret; cum paratus ſit etiam contrahere cum alia, ut patet ex adverſentiâ ſecundâ in explicatione erroris concomitantis: ergo nihil deficeret ad valorem matrimonii: conſeq. patet; quia deficeret mutuus conſenſus; ſed talis habetur circa perſonam præſentem: ergo.

Contra neg. conſeq. ad probam neg. min. nam illa præparatio animi ſeu potius indifferentia non eſt conſenſus actualis, ut rectè hanc ducat ſicut requiritur ad valorem matrimonii; nam ad hujus valorem non attenditur, quid facturus eſſet conſentiens, ſi abeſſet error, ſed quid de præſenti per ſcientiam actualem præſtet, juxta quam ejus conſenſus regulatur, & licet illa perſona ſub errore concomitante non ſit penitus abſcondita ejusdem intellectui; cum ſit aliquo modo cognita in confuſo, hoc tamen non ſufficit; cum adhuc non adſit actualis conſenſus aut actuale voluntarium ſimpliciter: interim tamen ſi quis expreſsè diceret, etiamſi hæc ſit alia perſona, aut quæcunque hæc ſit, accipio eam in meam, omnino matrimonium perficeretur; quia jam eſſet conſenſus determinatus cum perſona quæ offertur quamvis ignota, quæ ſit.

Aſſero 2. *Error qualitatis etiam antece-* 13
dens ſeu dans cauſam contractui per ſe non irritat matrimonium. Eſt Scoti in 4. Diſt. 36. q. 1. *§. dico ergo.* & ferme omnium Theologorum contra Præpoſitum & Medinam.

Probatur 1. Subſtantia contractus matrimonii conſiſtit in conſenſu inter perſonas habiles, reliquæ verò qualitates ſe habent accidentaliter licet impellant ad contrahendum; ſed error circa accidentia non debet dirimere contractum matrimonii, quando permanet ejus ſubſtantia: ergo. Min. probatur tum à priori tum à poſteriori: à priori quia quando habentur ſubſtantialia in contractu, verè contractus tenet, etiamſi erretur circa accidentalia, niſi redundent in ſubſtantiam: ergo. à poſteriori verò; quia plurima abſurda contra matrimonium ſuapte naturâ indiſſolubile ſequerentur; nam quilibet poſſet poſt conſummatum matrimonium dicere ſe erràſſe in qualitate, dum contrahebat matrimonium; ſed hoc utique in perniciem reipublicæ & in dedecus Sacramenti foret: ergo.

Probatur 2. Tum quia C. *in Apoſtolica* de ſponſalibus deciditur matrimonium non irritari ex mendacio & ſubreptione ad ipſum inducentibus; ſed hoc intelligendum non eſt de mendacio & ſubreptione circa perſonam: ergo circa qualitatem. Tum quia Lege *in venditionibus* ff. de contrahenda emptione dicitur: contractum non vitiari errore accidentium, ſed ſolius ſubſtantiæ: ergo hoc etiam de matrimonio eſt dicendum; cum hoc tamen diſcrimine, quod contractus naturâ ſuâ ſolubilis cum errore circa qualitates initus ſæpe det juſtam cauſam reſiliendi & reſcindendi contractum dolo circa qualitates detecto, ut etiam fieri ſolet in ſponſalibus, aſt in matri-

monio quod ſua natura indiſſolubile eſt, ſi ſemel eſt contractum, tale quid fieri non poteſt.

14 Objiciea: contractua bonæ fidei ex dolo cauſam præbente initi ſunt ipſo jure nulli ut habetur L. *eleganter* ff. de dolo: ergo etiam contractua matrimonii ita initua eſt nullus.

Reſpondeo vel illam legem intelligi debeee de illis contractibus, ubi dolus præbet cauſam circa ſubſtantialia contractûa, ſive circa qualitatem redundantem in ſubſtantiam contractûs: vel transmitro ant. & neg. conſeq. diſparitaa eſt; quia in aliis contractibua ſæpiua erroe qualitatis redundat in errorem ſubſtantiæ, utpote cum multoties qualitas ſpectet ad ſubſtantiam certi contractûs vel ex diſpoſitione juris poſitivi vel ex conventione contrahentium: quare talia error eeddit irritum contractum, quod tamen non ſolet contingere in matrimonio; nam multa ſufficiunt ad irritandoa alios contractus, imò etiam ad ſponſalia, quæ non ſufficiunt ad irritandum matrimonium tam firmum & indiſſolubilem ſtatum, ſicut etiam magnum eſt diſcrimen inter vota ſimplicia & ſolemnia; multa enim irritare poſſunt vota ſimplicia, quæ non irritant ſolemnia.

Dices: conſenſus non eſt validua niſi adſit in objecto id, quod requirit conſentiens, ſed quando erratur circa qualitatem antecedentem non eſt in objecto, quod requirit conſentiena: ergo cum tali errore conſenſus datus non eſt validus.

Contra diſt. maj. non eſt validus ſi non adſit in objecto aliquid ſubſtantiale & per ſe intentum tanquam objectum quod requirit conſentiena conc. ſi ſolum non adſit accidens aut cauſa impellena, ut eſt aliqua qualitas accidentalia neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. conſenſus proinde quamvìa feratur in perſonam, in quâ intellectus apprehendit ineſſe talem qualitatem, quæ tamen non ineſt, exinde tamen non deficit, cùm tantùm ſit involuntarium ſecundùm quid & adhuc tamen voluntarium ſimpliciter in talem perſonam quoad ſubſtantiam, quæ poſſunt ſimul ſtare, ut patet de projiciente merces ad mare ad ſalvandam vitam.

Dices: Si quis ficta paupertate eleemoſynas extorquet illa largitio non eſt valida, nec accipiens habet dominium eleemoſynæ ob defectum conſenſus largientis: ergo etiam conjunx fingens divitias vel nobilitatem non acquirit dominium corporis ſibi traditi.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia ille error in eleemoſyna eſt circa illius ſubſtantiam, nam virtus miſericordiæ reſpicit pro objecto formali paupertatem ſublevandam; unde ſi hæc deficit, etiam valor elargitionis & dominii acquirendi deficit; aſt error ſolius qualitatis in matrimonio reſpicit tantum aliquod accidens, quod eſto deficiat, non tamen deficit titulus & ratio acquirendi dominium in ordine ad corpora, quandoquidem traditio corporis non fit pro qualitate, ſed pro corpore & perſona, hoc enim eſt particulare & peculiare matrimonii.

Dices: Ariſtoteles 3. Eth. C. 1. & 3. dicit errorem cujuscunque circumſtantiæ tollere voluntarium: ergo etiam non adeſſet voluntarium cum errore qualitatis.

Contra, dico, Ariſtotelem eſſe intelligendum, errorem cujuscunque circumſtantiæ tollere voluntarium, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid: non autem ſemper etiam tollere voluntarium ſimpliciter; adeóque error qualitatis non impedit ſimpliciter perfectum voluntarium circa perſonam, quæ eſt materia ſubſtantialis ipſius matrimonii, ſed ſolum efficit voluntarium ſecundùm quid, cum quo optimè ſtat voluntarium ſimpliciter.

Aſſero 3. *Non tantum error perſonæ, ſed*
etiam error qualitatis aliquando dirimit matri- 15
monium, quando nempe error qualitatis redundat in errorem perſonæ, hoc eſt, *ſi qualitas ſimul cum perſona intenta ſit ita ut terminet tanquam objectum conſensûs contrahentis.* Eſt communis & Scoti in 4. Diſt. 30. q. 1. §. *ad iſtam quæſtionem.*

Probatur: Tum quia ubi eſt error perſonæ contractus matrimonialis eſt nullus, ſed ubi qualitas eſt ſimul cum perſona intenta per modum veri objecti terminantis conſenſum error talis qualitatis redundat in perſonam: ergo. Min. probatur; tunc enim qualitas cum perſona conſtituit totale objectum conſensûs; quia in tali caſu objectum adæquatum non eſt perſona ſimpliciter; ſed perſona tali qualitate dotata: ſubſumo; ſed non ſtante objecto contractûs aut conſensûs non ſtat contractua: ergo cum tali errore qualitatia redundante in errorem perſonæ dirimitur matrimonium: Tum quia actiones agentium non extenduntur ultra intentiones eorum; ſed niſi error qualitatis per ſe ſimul cum perſona intenta dirimeret matrimonium extenderentue ultra intentiones agentium: ergo. Min. probatur: Contrahens non intendit ducere perſonam ſimpliciter, ſed perſonam qualificatam, ita ut re ipsâ non contraheret, ſi ſciret perſonam talem qualitatem non habere: ergo ſi contractus teneret, actio contrahentis extenderetur ultra intentionem agentis.

Objicies: Nulla qualitas eſt ſubſtantia: 16
ergo error nullus qualitatis erit error ſubſtantiæ; ſed hoc ipſo nullus error qualitatis dirimit matrimonium: ergo.

Reſpondeo neg. min. ſubſumptam; nam nunquam dicimus, qualitatem fieri ſubſtantiam aut ſubſtantiale reſpectu illius, cujus eſt qualitas, ſed ſemper manet qualitas & accidens reſpectu materiæ contractus v. g. reſpectu Berthæ nobilitas ſemper eſt qualitas. Aſt reſpectu ipſius contractûa, in quo per ſe à contrahente intenditur nobilitas ſimul cum perſona

non

Digitized by Google

non ampliùs dicitur qualitas, ſed quid ſubſtantiale; cum reſpectu hujus ſit objectum non ſolum movens contrahentem, ſed etiam terminans ipſius conſenſum, ita ut Bertham non duceret, ſi non eſſet nobilis & ſic qualitas redundat in ſubſtantiam contractus & contrahentis, quod exemplificari poteſt. Sit Comes habens 6. equos albos, cui unus pereat, qui contrahit cum Paulo de emendo alio equo albo, qui ſi daret nigrum juſtè comes peteret alium equum album aut reſtituendam ſuam pecuniam & omnes dicerent hunc contractum in ſubſtantia non eſſe ſervatum; quia licèt albedo ſit accidens reſpectu materiæ contractus ſcilicet equi, non tamen eſt accidens reſpectu contractûs vel contrahentis, eò quòd comes equum album reliquis quinque ſimilem per ſe intenderit, & de eo quà tali objecto conſenſum ipſius terminante pactum inierit.

Dices: Etiam qualitas per ſe intenta eſt extrinſeca contractui: ergo error ejus non tollit intrinſecam ſubſtantiam contractûs, ant. patet; quia illa qualitas eſt objectum contractûs; ſed objectum eſt extrinſecum cum ſolus conſenſus ſit de intrinſeca ratione contractûs: ergo.

Contra retorqueo argumentum, etiam ipſa perſona eſt ſolum extrinſeca & objectum contractus: ergo etiam ejus error non tolleret ſubſtantiam contractûs, quod nullus dicit; unde neg. ant. nam materia circa quam fit contractus, eſt quid intrinſecè ſpectans ad contractum, & licèt philoſophicè loquendo objectum ſit extrinſecum reſpectu conſenſûs ſeu actus volitivi, eſt tamen indiſpenſabiliter requiſitum, ita ut ſit quidem extrinſecum, ſed intrinſecè requiſitum, utpote cum ſine objecto conſenſûs eſſe non poſſit, & tale objectum intrinſecè requiſitum, hic dicitur ſubſtantiale & intrinſecum contractus, nunquam tamen objectum eſt ita extrinſecum, quaſi eſſet accidens aliquod ſicut albedo reſpectu parietis.

17 Dices: error rei non neceſſariæ ad eſſentiam contractus non efficit contractum invalidum; ſed error qualitatis quomodocunque intentæ eſt error rei non neceſſariæ ad eſſentiam contractûs; cum ſolummodo perſonæ habiles ſcilicet mas & fœmina ſint neceſſariæ ad eſſentiam matrimonii: ergo.

Contra diſting. maj. error rei non neceſſariæ nec ex natura contractûs in communi nec ex intentione contrahentis non invalidat contractum conc. error rei non neceſſariæ ex natura contractûs in communi benè tamen neceſſariæ ex intentione contrahentis non invalidat contractum neg. maj. diſting. min. error qualitatis quomodocunque intentæ eſt error rei non neceſſariæ ex natura contractus in communi conc. non neceſſariæ in particulari ex intentione contrahentis neg. min. & conſeq. hinc licèt ad contractum in communi ſolùm requiratur neceſſariò mas & fœmina habiles, ad contractum tamen particularem reſpectu talis contrahentis etiam eſt neceſſaria qualitas in tali perſona per ſe intenta.

Aſſero 4. *Error conditionis ſervilis ſolo jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium.* Eſt 18
Scoti in 4. Diſt. 36. q. 1. §. *ad iſtam quæſtionem.* Sanchez, Amici, contra Sylveſtrum, Hiquæum, Maſtrium, & plures Scotiſtas.

Probatur: ſi error ſervitutis jure naturæ dirimeret matrimonium, tunc vel ideo; quia ſervitus ex natura rei contrariaretur ſubſtantialibus bonis matrimonii, aut uſui ejus libero, vel, ut dicunt Scotiſtæ, quia impediret liberum conſenſum ex natura rei requiſitum, utpote cum contrahens non ſolum intendat contractum, ſed etiam æqualitatem annexam contractui, quæ non poteſt adeſſe in contractu liberi cum ſerva; ſed hæ duæ rationes non urgent: ergo. Min. probatur. Quoad primam partem: Servitus non abſolutè impedit liberum uſum matrimonii, ſed tantùm certis temporibus, quando juſtè occupatur à domino, quod etiam fit in conjugibus lepra & morbo vel ſenio confectis, imò in conjugio ſervi cum ſerva vel liberi cum ſerva cognita ſervitute ut tenemus in propoſitionibus, quæ matrimonia tamen ſunt valida; nam cognitio impotentiæ, ſi hæc eſt naturalis non efficeret, quod matrimonium ſit validum. Imò ut Scotus propoſitione ſecunda dicit ſervus non ſe privabit libertate ad quoscunque actus, & ideo quoad actum matrimonii manet ſui juris aliquibus temporibus: ergo. Probatur quoad ſecundam partem: Servitus non eſt defectus ſubſtantialis perſonæ, ſed ſolùm qualitatis, ſi non redundat in errorem perſonæ, uti ſemper hic volumus intelligere, cum aliquando ſervitus non terminare poſſit conſenſum tanquam objectum, cum ſæpe aliquis ſe non reflectat ad libertatem aut ſervitutem: ergo talis error non aufert perfectum conſenſum voluntarium circa materiam & æqualitatem ſubſtantialem matrimonii, aliàs illa ratio nimium probaret; nam probaret etiam, matrimonium eſſe jure naturæ nullum cum errore qualitatis, nobilitatis, aut divitiarum, cum etiam non adſit æqualitas contractûs.

Objicies: Scotus mox citatus dicit, condi- 19
tionem ſervilem jure naturæ dirimere matrimonium ſicut errorem perſonæ & errorem fictionis in altera parte: ergo non ſolo jure Eccleſiaſtico.

Reſpondeo Scotum ibi loqui quando æqualitas qualitatum aut libertas per ſe à contrahente ſit intenta per modum objecti totalis cum perſona.

Dices: Contrahens non ſolùm intendit contractum matrimonii, ſed etiam æqualitatem vi conſenſus præſentis; ſed talis æqualitas non adeſt in matrimonio ignoratâ ſervitute: ergo ex natura rei non eſt conſenſus ſufficienter voluntarius & liber.

Contra diſting. maj. ſed etiam æqualitatem libertatis ſemper tanquam objectum terminans

ſuum

ſuum conſenſum neg. regulariter ut qualitatem impellentem conc. maj. & ſic diſtinctâ min. conſequentiam. Unde talis conſenſus eſt ſufficienter liber ſimpliciter & abſolutè, licèt ſecundùm quid involuntarius, & habet æqualitatem ſubſtantialem licèt non accidentalem, quæ non per ſe ſemper intenditur ſicut ſubſtantialis.

Dices: Servitus repugnat bonis matrimonii ſcilicet individuæ cohabitationi quæ provenit ex ratione Sacramenti, item bono fidei, non enim poſſunt ad libitum vacare debito conjugali, & tandem bono prolis; quia hæc non erit in poteſtate parentum, ſed domini, neque debitè educari poterit: ergo.

Contra retorqueo hæc etiam evenire in matrimonio ſervitutis cognitæ, quod tamen eſt validum. Unde diſting. antec. ſervitus repugnat abſolutè & ſimpliciter bonis matrimonii neg. aliquo modo & ſecundùm quid conc. & neg. conſeq. nam hoc etiam videmus evenire quandoque in matrimoniis militum, & tamen non eſt repugnans bonis matrimonii.

Dices: Negari non poteſt quin per illam inæqualitatem in matrimonio liberi cum ſerva magna fiat injuria libero contrahenti cum ſervâ ignoratâ ſervitute; ſed talis injuria non eſt reparabilis ob indiſſolubilitatem matrimonii: ergo ſi jure naturæ validum eſſet tale matrimonium, juri naturæ adſcriberetur talia defectus.

Contra retorqueo hoc etiam evenire in matrimonio nobilis cum plebeja, vel divitis cum paupere &c. & tamen talis defectus non adſcribitur juri naturæ; imò quandoque facilius ſervus redimi poteſt, quàm nobilitas comparari. Hinc neg. min. non enim omnis injuria debet reparari in eodem bonorum genere, ſic enim etiam gravem injuriam patitur, qui metu cogitur baptizari, non tamen reſarcitur injuria annullando baptiſmum, aut adſcribitur talis defectus juri naturæ: ſic etiam in propoſito eſt dicendum, quod non ſit neceſſe, ut illa injuria, quam patitur liber cum ſerva, reſarciatur per nullitatem contractus matrimonii jure naturæ introductam, licèt det anſam, ut jus poſitivum hoc poſſit decernere.

20 Dices: Metus gravis juxta nos jure naturæ dirimit matrimonium, licet metus cauſaret voluntarium ſimpliciter & ſolum voluntarium ſecundùm quid: ergo etiam error conditionis ſervilis jure naturæ dirimeret, licèt etiam ex conceſſis patiatur voluntarium ſimpliciter, habeat tamen involuntarium ſecundum quid.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt: Tum quia in metu eſt majus involuntarium ſecundùm quid ſcilicet etiam in perſonam ob perſonam, in errore verò ſervitutis eſt quidem in perſonam, ſed non ob perſonam ſed ſolùm ob qualitatem: Tum quia non tam triſtes exitus ſolent oriri in errore qualitatis, quàm in metu, ut patet etiam in errore divitiarum vel nobilitatis, ubi etiam videtur eſſe aliquale involuntarium ſecundùm quid, & tamen per Adverſarios non dirimitur jure naturæ tale matrimonium.

QUÆSTIO II.

Quo jure votum ſolemne religionis & ordo dirimat matrimonium?

ADvertendum eſt 1. votum ſolemne in religione approbata emiſſum dirimere matrimonium, poſt tale votum, contrahendum. Ut habetur C. *meminimus.* qui Clerici vel voventes. Et C. *conſuluit.* de converſ. conjugat. ac expreſsè definitur in Trid. Seſſ. 24. de Reform. matrim. c. 9. aſt magna hinc orta eſt controverſia, quonam jure votum ſolemne dirimat matrimonium ſubſequens, ſeu quo jure religioſi fiant inhabiles ad matrimonium contrahendum? Thomiſtæ dicunt ex jure naturæ & divino ſcilicet vi naturæ voti ſolemnis. Scotiſtæ vero ex Scoto in 4. Diſt. 38. q. un. è diametro ſolùm ex jure Eccleſiaſtico ſcilicet vi conſtitutionis Eccleſiaſticæ, quibus etiam adhærent omnes PP. Societatis JESU, de quorum inſtituto aliqua ſuccinctè obſervanda pro præſenti materia valde erunt neceſſaria & utilia: Sciendum proinde eſt ingredientes Societatem poſt expletum biennium Novitiatus tria vota tantum ſimplicia emittere, & deinde Scholaſtici & Coadjutores temporales vocantur, veri tamen & propriè religioſi fiunt, ut habetur in Bulla *Aſcendente Domino.* à Gregorio XIII. in favorem Societatis emanata, vi cujus conſtitutionis illi Scholaſtici modo redduntur inhabiles ad contrahendum matrimonium ſicut alii Religioſi, ubi tamen ante conſtitutionem hanc validum erat matrimonium, ſi quod contraxiſſent, licet illa tria vota ſimplicia emiſerint, & jam ad initium naſcentis Societatis veri religioſi fuerint, ut videre eſt apud Vaſquez & Suarez: Hi Scholaſtici poſt longiora experimenta in Societate denuò illa tria vota publicè ſub certa forma coram Præpoſito & aliis emittunt, ac deinde dicuntur Coadjutores formati & ſpirituales, & inhabiles efficiuntur ad quæcunque rerum dominia & contractus excepto matrimonii ante conſtitutionem Gregorii XIII. quæ vota licèt ſint publica, non tamen ſunt adhuc ſolemnia, quia intentio emittentis & admittentis Præpoſiti juxta traditam à Sede Apoſtolica facultatem eſt, ut non emittantur, nec admittantur ut ſolemnia, & ideo ſunt ſolùm ex parte voventis perpetua, non autem ex parte Societatis admittentis; interim tamen non poſſet ſolum ſua voluntate Præpoſitus Societatis talem Coadjutorem formatum expellere à Societate, ſed ſolum aliquâ juſtâ causâ interveniente, quales cauſæ numerantur in Conſtitutionibus Societatis part. 2. §. ult. C. 1. & 7. viciſſim autem ſi talis Coadjutor formatus ſuo libitu apoſtataret, poſſet à Præpoſito compelli ad obſervantiam ſuorum 1

voto-

votorum, cum ex parte voventir ſit obligatio perpetua ad Societatem, ſi vero talir ab ipſa Societate dimittitur, non amplius tenebitur ad votorum obſervantiam, utpote cum non maneant ejus vota, ſed ceſſent, quia nimirum ſub ea tacita conditione quilibet vovet, quamdiu Societar illum retinet, ut habetur in eorum conſtitutionibus: tandem illi coadjutores formati aliqui, qui bona ſpecimina præſtant, admittuntur ad profeſſionem ſolemnem ſicut cæteri Religioſi, in qua ſe tradunt Religioni in perpetuum, & Societas ſe pariter obligat in perpetuum, quæ profeſſio illorum conſiſtitin emiſſione quatuor votorum, quia præter illa tria communia aliir Religioſibus vovent etiam ſolemniter obedientiam ergà Summum Pontificem in ordine ad miſſiones in parter remotiſſimas infidelium, quod tamen votum eos non obligaret, ſi aliquir eorum ad Ordinem Franciſcanorum aut Carthuſianorum ex conceſſione legitima tranſiret cum ex conceſſione Pontificir illud quartum votum commutetur in vota alteriur Religionir auſterioris aut diſpenſetur: demum illi ſolemniter profeſſi poſt tractum temporis adhuc quinque emittunt vota coram Præpoſito & aliis teſtibus: primum eſt, ne unquam conſentiant, ut ea, quæ ſtatuta ſunt circa paupertatem, in Societate immutentur; ſecundum, ut nunquam etiam indirectè prætendat prælationem in Societate: tertium, ne curet eligi in aliquam dignitatem extra Societatem nempe Epiſcopatum &c. quartum, ſi quem noverit talia curare, ſtatim eum detegat Præpoſito: quintum, ut ſi quando eligatur in aliquam dignitatem extra Societatem conſiſtentem ut Cardinalem vel Pontificem, non detrectet audire conſilium Præpoſiti Generalis. Hæc quinque vota, licèt etiam ſint publica, non tamen ſunt ſolemnia, & ſolum obligant quamdiu illi Profeſſi ſunt in Societate, excepto ultimo, quod aliàs alio tempore ſcilicet in Societate obligare non poſſet, cum Epiſcopi aut Cardinales electi non ampliur maneant in Societate ſubditi, adeóque debet obligare Epiſcopos, Cardinales, qui ex Societate ſunt electi. De his plura videre poteris apud Vaſquez.

2 Advertendum eſt 2. Sacrum Ordinem eſſe impedimentum diriment matrimonii contrahendi, conſtat ex C. *de Diacono*. & C. *ex litterarum*. qui Clerici vel voventes. Ac ex Trident. Seſſ. 24. c. 9. quod tamen limitatur tripliciter: primò, niſi quir promotus fuerit ad ſubdiaconatum per vim & metum cadentem in virum conſtantem, tunc enim non teneretur ad continentiam annexam Ordini Sacro, ut habetur C. *dilectus*. de his quæ vi. Quia Eccleſia annexuit hoc votum Ordini ordinariè & liberè, non verò metu injuſto ſuſcepto; ſecundò, niſi ante pubertatem ſuſcepiſſet Ordinem Sacrum, & poſt pubertatem non ratificâſſet votum; ut habetur C. *ad noſtram*. de Regul. Cancel. tertiò, niſi invalidè eſſet ordinatus, ut de ſe patet. De hoc ergo impedimento Ordinis oriuntur quædam difficultates; & quidem prima, an ſcilicet Ordini Sacro ſit jure divino vel ſolùm Eccleſiaſtico annexum votum continentiæ, ita ut ceſſante conſtitutione Eccleſiæ nulla ratione tenerentur promoti ad Ordines ſacros ſervare continentiam: ſecunda eſt, an hæc obligatio ſit directè ex præcepto Eccleſiæ præcipientis continentiam, ſicut præcipit audire Sacrum in feſtis vel ſolùm mediante præcepto ſit immediatè ex voto caſtitatis in Ordine ſacro tacitè emiſſo, quod voluit eſſe annexum conſtitutio Eccleſiæ: tertia tandem eſt, quo jure ſacer Ordo dirimat matrimonium, an ſcilicet jure naturali divino aut ſolum jure Eccleſiaſtico, ad quam difficultatem nihil conducet, ſive dicamus continentiam eſſe annexam vi præcepti divini, aut vi voti, ſive ex præcepto tantum Eccleſiaſtico, cum etiam illa lex divina vel votum ita poſſit caſtitatem præcipere ordinatir, ut tamen matrimonium minimè dirimat, ut videtur in voto ſimplici caſtitatis, quô aliquis tenetur lege divinâ abſtinere à matrimonio, ſi tamen illud contrahit, erit validum; unde potiſſima tantum manet difficultas tertia hîc decidenda; ſi ergo aliquod votum eſt annexum Ordinibus ſacrir, licèt illud expreſſè non emittatur, tacitè tamen ſemper ipſo facto emittitur hoc ipſo, quod quis ſuſcipit ſacrum Ordinem & officium ejus, cui annexum eſt *votum* continentiæ, quod votum non ſolum obligat continere à nuptiir, ſed etiam ab omni actu venereo C. 1. Diſt. 27. ſi excipias Græcos, qui conjugio ante ſuſceptionem Ordinum inito licitè uti poſſunt; hinc licèt in Eccleſia Græca fuerit licitum poſt matrimonium aſcendere ad Ordines ſacros, attamen etiam apud Græcos ſemper irritum erat matrimonium contractum poſt Ordines ſacros, ut docet Scotus in 4. Diſt. 37. q. un. §. *ad argumenta*. adeo ut cælibatus annexur Ordini ſacro non ſit inventum Pontificum Romanorum, ut calumniantur hæretici, & præſertim Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ; hinc probabilius eſt majoribur Ordinibus etiam ab ipſo Eccleſiæ exordio jam fuiſſe annexum cælibatum, ita ut nunquam licuerit ſive in Eccleſiâ latinâ ſive græcâ ſacro ordine initiatis inire matrimonium, & ideo græci Sacerdotes uxore mortua non potuerunt aut poſſunt ad alias nuptias tranſire, quod deſumitur ex authoritate variorum Conciliorum C. *ſi quis eorum*. Diſt. 32. imo in Concilio Apoſtolorum Can. 27. hæc habentur: qui ad Clerum profecti ſunt præcipimus, ut ſi voluerint uxores, accipiant, ſed Lectores & Cantores tantummodo: ergo illos majoribus initiatos jam Apoſtoli excluſerunt à licentia matrimonii, aut uſu venereo; quod adhuc clariùs ſtatuit Concilium Eliberitanum. Can. 30. ſicut autem certum eſt Ordines ſacros quoſcunque in Eccleſia latina dirimere matrimonium, ut loquitur Stephanur Pontifex C.

aliter. Diſt. 31. ita apud omnes certum eſt primam tonſuram & ordines minores, nec dirimendi nec impediendi vim habere ad matrimonium; utpote cum nullum continentiæ votum aut præceptum habeant annexum in ullo jure. His notatis ſit

3 Propoſitio 1. *Votum ſolemne non differt à ſimplici per hoc, quod ſolemne publicè emittatur, ut poſſit probari. ſimplex vero privatim.* Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 38. q. un. §. *dico quod votum.* quia votum publicum poteſt eſſe aliquando ſimplex, & votum privatum aliquando ſolemne, ut ſi Epiſcopus ſolus ordinaret unum abſque præſentia alterius, verum votum caſtitatis ſolemne eſſet implicitè emiſſum ab ordinato: ergo non ſic differunt, aliàs quilibet ſæcularis defacto in noſtra Eccleſia coram multis teſtibus emittens votum v. g. caſtitatis diceretur emiſiſſe votum ſolemne, quod eſt falſum etiam per adverſarios, imo hoc modo vota coadjutorum formatorum in Societate JESU eſſent ſolemnia; quia coram multis fiunt ſub certa ſolemnitate, quod tamen eſſet contra Gregorium XIII. in Advert. 1. cit. qui illorum vota ſolùm dicit eſſe ſimplicia, etiamſi publicè probari poſſint; unde nullitas differentiæ ex publicitate deſumpta non eſt novum inventum ex inſtitutione Societatis JESU, ſed jam ante etiam à Scoto edocta veritas.

4 Propoſitio 2. *Votum ſolemne non differt à ſimplici per hoc, quod ſolemne importet traditionem quamdam DEO factam, ſimplex verò ſolam promiſſionem.* Ratio eſt ex Scoto propoſ. priori cit. quia ſi votum ſolemne poſſet eſſe traditio, & ſimplex ſolum promiſſio, hoc penderet vel ex voluntate voventis, vel ex natura talis & talis voti; ſed neutrum dici poteſt: non primum, aliàs unusquisque pro ſua voluntate poſſet emittere votum ſolemne extra Religionem vel ſacrum Ordinem. cum homo ſit dominus ſuæ voluntatis, & ſic ſua voluntate poſſet per votum non tantum promittere, ſed etiam ſe tradere DEO; ſed eſt contra jus Canonicum, quod homo ſuâ privatâ voluntate poſſit efficere votum ſolemne, & ideo dicit Scotus cit. *omnia intrinſeca voto, ut reſpicit actum voluntatis. per quem obligat ſe vovendo, & transferendo dominium ſuum in alterum - - - - ſunt æqualia, hinc inde,* id eſt, in voto ſimplici, & ſolemni: non ſecundum, quia ex natura voti ſolemnia eatenus corpus voventis traditur & mancipatur DEO, quatenus per votum, quod eſſentialiter promiſſionem continet, obligatur DEO ad ſervandam caſtitatem, ſed hoc etiam fit in voto ſimplici, ita ut quis DEO mancipetur ad ſervandam caſtitatem: ergo. Nec obſtat Thomiſtarum effugium, quod DEUS nolit tranſlationem corporis immediatè acceptare, ſed ſolùm mediante viſibili miniſtro Eccleſiæ ſcilicet humano modo, ut ſit verus contractus, hoc eſt per Prælatum Religionis, & ideo votum ſimplex ſoli DEO factum manet tantum promiſſio, votum verò ſolemne depoſitum in manu Superioris alicujus Religionis fit vera traditio & contractus; nam contra quærit Scotus, cur DEUS noluerit poteſtatem corporis ſibi immediatè dati acceptare, & quare mediante homine, cùm DEUS immediatè & ubique ſit præſens, & pariter votum ſimplex ſit res DEO gratiſſima, cur ergo non acceptabit talem traditionem immediatè etiam quantum ad tranſlationem dominii corporis voventis? unde per reſponſionem Thomiſtarum petitur principium; imo conſtat in votis coadjutorum Societatis JESU, quæ ſunt vota ſimplicia, & tamen traditur verum dominium in DEUM mediante Prælato: ergo talis traditio mediante perſona viſibili non eſt ex natura rei conſtitutiva voti ſolemnis. Obſervandum tamen eſt, nos libenter concedere talem traditionem fieri in votis ſolemnibus, ſed negamus hanc acceptationem nomine DEI factam exigi jure divino naturali ſeu ex natura rei, ſed hoc ſolum evenire ex diſpoſitione juris Eccleſiaſtici.

Propoſitio 3. *Votum dicitur ſolemne vel* 5
quia ſub Regula approbata juxta certam formam & ceremoniam publicè nuncupatur cum perpetua traditione ex utraque parte ſcilicet voventis & acceptantis, vel quia ſacris Ordinibus eſt annexum & pro tali acceptatur ab Eccleſia. Ratio eſt tum ex Scoto cit. tum ex C. *quod votum.* de voto, ibi enim dicitur: votum ſolemne dici debet, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem factam in Religione; ſed hoc ipſo quod quis profitetur approbatam Religionem publicè, emittit illud cum traditione perpetua ex parte voventis & acceptantis, & ita ab Eccleſia acceptatur ſub illa forma præſcripta: ergo. Tum quia hæc explicatio voti ſolemnis ſoli voto ſolemni convenit, ut nulli ſimplici conveniat: ergo. Antec. patet, nam licet ſub certa forma emittantur publicè vota Scholaſticorum Societatis JESU, & quidem cum perpetua traditione voventis, non tamen ſunt perpetua ex parte acceptantis, ideo non ſunt ſolemnia; hinc ſi Scholaſtici aut coadjutores expellantur è Societate, extinguuntur vota, ut non amplius obligentur; econtra ſi alius Religioſus ſolemniter profeſſus è Religione expellatur propter crimina præſertim propter incorrigibilitatem, manet obligatus ad ſervanda vota, & ſimul manet in Religione poteſtas juriſdictionis circa talem, quatenus eum iterum revocare poſſet. Cæterum licet votum ſolemne poſſit commutari aut diſpenſari, hoc tamen non obeſt ejus perpetuitati neceſſariò requiſitæ, quæ ex ſe ſemper peteret ineſſe, niſi urgentiſſima ratio aliud exigeret; ſic ſervitus dicitur perpetua, licèt aliquando ſervus manumitti poſſit à domino; nam hoc eſt tantum per accidens.

Propoſitio 4. *Continentia Ordini ſacro* 6

non eſt annexa jure naturali divino, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico. ut Scotus in 4. Diſt. 37. q. un. §. *dico igitur.* Ratio eſt; tum quia nullibi exſtat jus divinum expreſsè præcipiens ſacris Ordinibus initiatis continentiam: ergo non eſt aſſerendum tale eſſe præceptum: tum quia Eccleſia Romana multis jam ſæculis conceſſit aut ſaltem non improbavit Græcis uſum matrimonii ante ordinationem contracti; ſed ſi jure divino & naturali continentia eſſet annexa Ordini ſacro, Eccleſia Romana hoc non potuiſſet concedere græcis presbyteris: ergo ſignum eſt, quod non ſit de jure naturali divino; unde licèt valde condecens ſit & rationi naturali conſentaneum hujusmodi ſacras perſonas abſtinere ab actibus carnalibus matrimonii, non tamen talis condecentia ex ſe parit vim præcepti. Quod autem ab antiqua Eccleſia ſemper inviolabiliter fuerit continentia obſervata in Sacris initiatis, non colligitur præceptum divinum, ſed potuit præceptum Eccleſiaſticum fuiſſe ita obſervatum trahens originem ab Apoſtolis, & licèt Prophetæ & Chriſtus prophetaverint de continentia in Eccleſia Catholica, potuerunt iſta omnia verificari ſive DEUS ſive Eccleſia illam continentiam præceperit.

7 Propoſitio V. *Obligatio continentiæ ſacro Ordini annexa non tantùm conſurgit immediatè ex conſtitutione & præcepto Eccleſiæ, ſed ex voto caſtitatis tacitè emiſſo in ſuſceptione Ordinis, quòd Eccleſia ſuo præcepto annexuit Ordini.* Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 38. q. un. §. *dico quod votum.* ubi dicit: *votum ſolemne eſt, quod fit interveniente aliqua citatarum ſolemnitatum videlicet per ſuſceptionem ſacri Ordinis vel per ſuſceptionem ſacræ veſtis:* ergo adeſt votum continentiæ obligans in ſacris Ordinibus & non ſolum præceptum Eccleſiaſticum de continentia. Tum quia C. *cum olim.* de Cleric. conjug. dicit Pontifex: *nos igitur attendentes quod Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſerit:* ergo ſupponit Pontifex in Eccleſia Occidentali ſeu latina votum continentiæ eſſe annexum ſacris Ordinibus: ſimile quid etiam dicitur C. 1. Diſt. 38. tum quia, ideo illa obligatio continentiæ non oriretur ex voto ſed præcepto Eccleſiæ; quia votum cum ſit lex privata, quam quis ſponte ſibi ponit, non habet Eccleſia poteſtatem aliquem voto obligare, ſed hoc non obſtat, nam nec videtur quomodo Eccleſia poſſit obligare ſuo præcepto ad rem conſilii ut eſt caſtitas, quod tamen eſt contra adverſarios; hinc licèt Eccleſia neminem poſſit abſolutè obligare ad votum aut rem conſilii, attamen in ſacro Ordine quem confert, poteſt apponere quasdam conditiones & juſtas leges, ut eſt illud votum caſtitatis eo ipſo tacitè emittendum, quando liberè ſacros Ordines vellet quis ſuſcipere; nam tunc, quando quis tale officium ſuſcipit, cenſetur omnia annexa huic officio ſuſcipere ut patet de judice vel Epiſcopo; nec hic contradicimus Scoto in 4. Diſt. 37. q. un. ubi dicit: *poſſibile eſſe quod quis ſuſcipiat ſacros Ordines & non voveat caſtitatem, etſi ex conſtitutione Eccleſiæ hoc votum ſit annexum;* nam ibi ſolùm concludit matrimonium non dirimi per ſacrum Ordinem ex vi voti ſolemnis, cum poſſit non eſſe votum, nihil autem decidit, an hujusmodi obligatio continentiæ proveniat ex voto ſacro Ordini annexo vel ex mero præcepto Eccleſiæ, ſicut provenit obligatio recitandi horas Canonicas: hinc tandem dici poſſet ex utroque capite provenire poſſe illam obligationem continentiæ; tandem hoc intereſt ſi eſſet ex mero præcepto, valida eſſet diſpenſatio Pontificis cum ordinato ad contrahendum matrimonium etiam absque juſta cauſa, ut probabiliter aliqui tenent, & ſic licitè poſſet petere debitum, non tamen eſſet valida diſpenſatio voti ſine juſta cauſa utpote juris ſuperioris & divini; unde licet validum ſit ejus matrimonium, cum validitas vel illegitimitas talis ſit ex ſola conſtitutione Eccleſiæ, non tamen licitè poſſet petere debitum ob votum nondum ſolutum. His poſitis

8 Aſſero 1. *Votum ſolemne & ſimplex ejusdem materiæ non differunt eſſentialiter & ex natura rei, ſed ſolùm extrinſecè & accidentaliter, ita ut ſolemnitas voti ſolùm conſiſtat in conſtitutione juris Eccleſiaſtici.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 38. q. un. §. *dico quod votum.* contra Thomiſtas.

Probatur 1. C. un. de voto & voti redempt. in 6. dicit Pontifex; *nos igitur attendentes quòd voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, matrimonii vere vinculum ſit à DEO - - - - illud votum debet dici ſolemne, quod per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut profeſſionem religioſam ſolemnizatur,* ad quod dicit Gloſſa, ſic non eſt ipſum votum, quod impedit vel dirimit matrimonium, ſed eſt ipſa conſtitutio Eccleſiæ. Quod confirmat Bulla Gregorii XIII. in Extravag. *Aſcendente Domino.* pro Patribus Societatis JESU emanata, ubi expreſsè Pontifex dicit: *ſolemnitatem voti conſtitutione Eccleſiaſtica eſſe introductam;* ſed hæc conſtitutio eſt extrinſeca & accidentalis voto, ut de ſe patet: ergo.

Nec obſtat Thomiſtarum reſponſio Pontificem in illis textibus ſolùm loqui de ſolemnitate accidentali, non vero eſſentiali.

Nam contra, eſſentialiter non differt votum ſolemne à voto ſimplici, quia illa eſſentialis differentia eſſet, quòd per votum ſolemne ſit traditio acceptata à DEO per manus Superioris; ſed hoc jam eſt rejectum in propoſit. 2. ergo.

Probatur 2. ſola authoritas Eccleſiæ poſſet conſtituere, ut vota, quæ defacto in Religionibus approbatis emittuntur, ut ſolemnia deſinerent eſſe ſolemnia: ergo voti ſolemnitas conſiſtit in conſtitutione Eccleſiæ conſtituentis & acceptantis hæc vota eſſe ſolemnia. Antec. prob. defacto vota coadjutorum in Socie-

tate & Religione approbata etſi publicè emiſſa non vult eſſe ſolemnia, quamvis dederit eis vim ut dirimant matrimonium contrahendum; item non acceptat vota beatorum Ordinis S. Dominici, nec Tertiariorum S. Franciſci pro ſolemnibus, licet in manibus Superiorum deponantur: ergo. Conſequenter hoc ipſo, quod Eccleſia tales traditiones non acceptet ut ſolemnes, tota ſolemnitas provenit ex conſtitutione Eccleſiæ.

Probatur 3. jusjurandum aut teſtamentum ſolemne à ſimplici & non ſolemni differt ſolummodo in hoc, quod in illo forma ſolemnis à jure præſcripta reperiatur, & non in hoc, & ideo in eis illa ſolemnitas non eſt ex jure naturali aut divino, ſed ſolum jure humano introducta: ergo etiam votum ex eo tantum ſolemne dicetur, quod in eo cæremonia & forma à jure præſcripta & pro tali acceptata reperiatur.

9 Objicies: profeſſio religioſa eſt mors ſpiritualis, cum per vota ſolemnia quis perfectè mundo moriatur; ſed votum ſimplex non eſt talis mors: ergo differunt eſſentialiter.

Reſpondeo diſting. min. votum ſimplex non dicitur talis mors ita ut nec dici poſſet talis neg. nec dicitur regulariter defacto talis mors & renunciatio omnium conc. min. & neg. conſeq. ſicut ergo defacto coadjutores Societatis JESU perfectè moriuntur mundo & renuntiant omnibus temporalibus, etiamſi non profiteantur ſolemniter, ita quicunque alii per vota ſimplicia mundo perfectè ſpiritualiter mori poſſent, licèt non profiteantur ſolemniter, adeóque illa mors ſpiritualis ex profeſſione religioſa non poteſt inferri ex intrinſeca natura voti ſolemnis.

10 Dices: profeſſio religioſa ſecundùm SS. PP. eſt tantæ excellentiæ, ut deleat peccata omnia etiam quoad pœnam, & æquiparatur baptiſmo; ſed hoc poſſet difficile credi, ſi non proveniret ex natura voti ſolemnis, ſed ſolùm ex conſtitutione Eccleſiæ: ergo.

Contra neg. min. nam utique talis excellentia competit ſtatui religioſo, in quo regulariter fit perfecta abdicatio omnium temporalium & oblatio in DEUM, ideo jure merito à SS. PP. ita extollitur profeſſio religioſa, negari tamen non poterit, ſi talis omnimoda abnegatio & traditio in manus Superiorum ſolùm ſimpliciter fieret & voveretur æquè quantùm contingit jure naturali & divino ejusdem excellentiæ foret, ut defacto conceditur Societati JESU & noſtris Tertiariis; unde quod etiam dimittantur peccata quoad pœnam, hoc non probatur provenire ex natura voti jure naturali & divino; cùm hoc etiam haberent vota ſimplicia, adeóque ſolùm provenit & indulgentiis à Pontificibus conceſſis.

11 Aſſero 2. *Votum ſolemne caſtitatis ſolum jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium contrahendum.* Eſt Scoti cit. cui adhærent PP. Societatis contra Thomiſtas.

Probatur 1. Tum quia, ſi votum ſolemne ex natura rei dirimeret matrimonium, ſemper illud dirimiſſet; ſed in primitiva Eccleſia non diremit: ergo. Maj. patet, min. prob. Monachi in primitiva Eccleſia, qui poſt ſolemnem profeſſionem caſtitatis matrimonium contrahere attentaverunt, non ſeparabantur ab uxoribus, ſed ſolum excommunicabantur, ut habetur in Concilio Chalcedonenſi Can. 16. & ex D. Cypriano & Auguſtino: tum quia votum ſolemne Religionis non dirimit matrimonium quatenus votum eſt, ſed quatenus ſolemne eſt, aliàs etiam quodcunque votum caſtitatis dirimeret matrimonium, ſed ſolemnitas voti eſt ex conſtitutione Eccleſiæ, ut patet Aſſert. priori: ergo etiam ſolo jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium: tum quia Pontifex non poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt de jure naturæ & divino, ſed diſpenſavit cum aliquibus Religioſis profeſſis ut nuberent, ut diximus de legibus de immutabilitate legis naturalis: ergò ſolummodo votum ſolemne dirimit matrimonium jure Eccleſiaſtico; hinc dicit Scotus rationem, cur votum ſimplex ſolùm impediat matrimonium, ſolemne verò dirimat illud, eſſe, quia vovens ſolemniter ſe poſuit in poteſtate Eccleſiæ quantum ad oppoſitum ejus, ad quod eſt contractus matrimonii, ideo Eccleſia illum illegitimavit, non verò voventem ſimpliciter; quia non ſic ſe poſuit in poteſtate Eccleſiæ, ſed in manu DEI ad oppoſitum ſervandum, & conſuluit animæ ſuæ apud DEUM, ne progrediatur ad aliud, ideo Eccleſia reliquit illum judicio divino.

Probatur 2. ſi quæ eſſet ratio, cur votum ſolemne ex natura rei redderet voventes inhabiles ad matrimonium contrahendum, eſſet potiſſimum, quia per votum ſolemne corpus voventis DEO & Religioni traditum eſt; ſed quod uni eſt perfectè traditum, nequit alteri validè tradi: ergo nequit corpus voventis eſſe habile ad tradendum in matrimonio; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo. Maj. eſt adverſariorum. Min. prob. Tum quia ex hoc ſequeretur etiam votum ſimplex ex natura rei reddere inhabiles ad matrimonium, cùm ſit etiam traditio DEO & Religioni per manus Superioris in Societate JESU à ſcholaſticis & coadjutoribus: Tum quia, licet eſſet ſpecialis traditio per profeſſionem ſolemnem, hæc tamen non repugnaret cum traditione per matrimonium; nam traditiones diverſi generis ſe compatiuntur, ſed traditio ex virtute Religionis eſt diverſæ rationis cum traditione ex juſtitia & contractu matrimonii: ergo. Maj. prob. ſi quis poſt conſummatum matrimonium ex conſenſu conjugis profiteretur ſolemniter, non minus firma eſt profeſſio, quàm ſi nunquam contraxiſſet matrimonium, ut tenent omnes Theologi, & tamen quod uxori indiſſolubiliter per matrimo-

nium

nium conſummatum eſt traditum, adhuc poteſt alteri ſcilicet DEO perfectè tradi, quamvis nunquam conjux poſſit cedere huic traditioni indiſſolubili: ergo.

Reſpondent adverſarii aliud eſſe, quando traditio DEO facta per votum ſolemne ſequitur matrimonium, & aliud quando præcedit; quia ut matrimonium validè contrahatur, debet contrahens transferre in alium ſui corporis poteſtatem & jus eo utendi, quod repugnat, ſi præceſſit profeſſio; quia hæc omnem uſum carnalem ſui corporis ſolet abdicare; aſt poſt matrimonium contractum poteſt cum plena translatione poteſtatis & juris ſui corporis eſſentia matrimonii manere, ut patet, ſi quis per adulterium tale jus amittit, aut ſponte cedit, & ſic nihil eſt ampliùs in illo matrimonio, quod repugnaret voto ſolemni caſtitatis. Nam

Contra eſt diſtinguendo illam rationem, ut validè contrahatur matrimonium, debet contrahens transferre in alium jus eo utendi radicale & remotum conc. ſemper proximum & expeditum neg. unde falſum eſt jus corporum in matrimonio repugnare profeſſioni præcedenti ex natura rei; nam ſicut diximus de voto caſtitatis ſimplici, quod in natura & eſſentia eſt idem cum ſolemni, adſtricti eo poſſunt validè contrahere matrimonium cum pacto non utendi eo jure, quod habent, ita etiam in noſtro caſu translatio corporum per matrimonium facta ex natura rei non adverſaretur profeſſioni ſolemni præcedenti; unde ſic arguo: poteſt cum plena translatione juris in DEUM matrimonium eſſentialiter manere amiſſo jure corporis ex conceſſis adverſariorum: ergo etiam eſſentia, & translatio matrimonialis juris, poterit eſſe valida per profeſſionem antecedentem amittendo jus proximum utendi corpore; nam ſufficit, quòd acquirat jus radicale & impeditum: Imo etiam Scholaſtici Societatis JESU ſe verè & propriè tradunt DEO ex parte ſui, & tamen ante conſtitutionem Gregorii XIII. potuerunt ſe etiam tradere alteri ſcilicet in matrimonium validè contrahendum: ergo ſignum eſt translationem perpetuam in dominium DEI ex natura ſua non adverſari translationi corporum in poteſtatem conjugis. Hinc Scotus in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex dictis.* aſſerit: *tunc ex ſtatuto & poteſtate Eccleſiæ eſt illegitimatio & irritatio non tantum, quia ſe tradit Eccleſia ad talem actum, ſed quia Chriſtus vocando Joannem à nuptiis prætulit votum continentiæ vinculo conjugii, & ideo Eccleſia illum, qui eſt in gradu Superiori juſtè illegitimavit ad accipiendum gradum inferiorem ſive ad apoſtatandum.*

12 Objicies: Trident. Seſſ. 24. Can. 11. ſic loquitur: *ſi quis dixerit: Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos vel Regulares ſolemniter caſtitatem profeſſos poſſe matrimonium validum contrahere non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto: anathema ſit;* ſed per ly authoritate Eccleſiaſticâ vel voto indicatur ordines dirimere matrimonium lege Eccleſiaſtica, & profeſſionem ex natura voti: ergo votum ſolemne ex natura rei dirimit matrimonium.

Reſpondeo neg. min. nam Concilium ideo utitur illa disjunctiva propoſitione, ut abſtineat à definitione quæſtionis controverſiæ apud Theologos, anne proveniat hæc irritatio à lege Eccleſiaſtica, an potiùs ab ipſo voto, nec hoc decidere ibi erat ad rem, cum ſatis fuerit definire contra hæreticos tale matrimonium invalidum eſſe ſive jure naturali ſive Eccleſiaſtico.

Dices: C. *ſi quis ſacro.* 27. q. 1. dicit Pontifex de Virginibus DEO ſacratis & poſtea nubentibus; *unde & verbo Domini & Canonica authoritate in hac ſacra Synodo præcipimus, ut omnino ſeparentur;* ſed verbum Domini denotat jure divino eſſe ſeparandas: ergo.

Contra diſting. min. verbum Domini denotat jure divino immediato eſſe ſeparandas neg. mediato tranſeat min. nam ibi ſolùm denotatur, quod Pontifex aut ſacra Synodus habeat à verbo DEI authoritatem ſeu à jure divino præcipiendi, ut ſeparentur hujusmodi contrahentes matrimonium.

Dices: ergo poſſet Pontifex hanc vim tollere à voto ſolemni, ut non dirimeret matrimonium, conſequenter ſi in tali caſu nuberet Monachus, validum eſſet matrimonium, ſicque in monaſterio poſſet habere uxorem, procreare proles, quæ ſunt abſurdiſſima: ergo illa vis voti ſolemnis non eſt ex ſola conſtitutione Eccleſiæ.

Contra conc. quidem tale matrimonium eſſe validum quoad vinculum; ſemper tamen eſſe illicitum, adeóque vel ſcivit mulier illum eſſe religioſum, & tunc Eccleſia in pœnam aliorum ſepararet eos quoad thorum in perpetuum & religioſum relinqueret ſub jurisdictione Superioris, ſi verò mulier non ſciret ſponſum ſuum eſſe religioſum, & ſi matrimonium non ſit conſummatum, poſſet Pontifex diſpenſare, ut ſolveretur matrimonium, ſi verò conſummatum eſſet, poſt gravem pœnam religioſo injunctam illum à jurisdictione Superiorum & à voto obedientiæ eximere debebit, & ſic contingebat in primitiva Eccleſia, & in Scholaſticis Societatis JESU ante conſtitutionem Gregorianam; & ſic minimè ſequitur Monachum quà talem poſſe habere uxorem in monaſterio ac proles procreare: præterea concedit Bellarminus votum ſolemne poſſe conſi-

ſtere cum matrimonio quoad vinculum, imò etiam cum uxoribus & prolibus, & ita contigiſſe io equitibus & Calatraba, qui ſunt veri religioſi per votum caſtitatis conjugalis Eccleſiâ tale votum acceptante pro voto ſolemni, etiamſi poſſent nubere ac uſui matrimoniali indulgere, ſi tamen accedant ad aliam, magnum ſacrilegium committerent.

13 Dices: res uni tradita non poteſt alteri validè tradi, & traditin poſterior ex ſua natura eſt irrita vi prioris; ſed votum ſolemne caſtitatis continet traditionem corporis DEO factam: ergo poſterior per matrimonium facta eſt irrita.

Contra retorquendum hoc eſt ex proba ſecunda, ſed diſting. maj. res uni tradita totaliter quoad omne jus non poteſt validè tradi alteri conc. tradita tantum ſecundùm quid retento aliquo jure ad illam tradendam alteri in aliqnem uſum neg. maj. vel aliter, res uni tradita non poteſt alteri tradi ejusdem traditionis genere conc. diverſo traditionis genere neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequentiam. Hæc omnia patent ex proba 2.

14 Dices: votum ſolemne importat vinculum ad caſtè vivendum; ſed tale vinculum eſt ex natura rei incompatibile cum matrimonio, cum hoc ſit vinculum ad copulam: ergo.

Contra retorqueo quod votum ſimplex caſtitatis perpetuæ v. g. Scholaſticorum eſt vinculum ad caſtè vivendum: ergo etiam ex natura rei irritaret matrimonium, quod eſt falſum. Hinc neg. min. nam licet actus talium vinculorum ſint illiciti & repugnent, non tamen ipſa vincula ſecundum ſe in actu primo, ut patet de matrimonio inito cum voto perpetuæ caſtitatis.

Dices: votum ſimplex caſtitatis præmiſſum ſponſalibus irritat illa ex natura rei: ergo etiam votum ſolemne præmiſſum matrimonio dirimeret illud ex natura rei.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia ideo votum ſimplex dirimit ſponſalia, quia facit, quod ſit illicitum id, quod promittitur, ſed promiſſio de re illicita eſt nulla ſicut juramentum de re iniqua, cum non ſit vinculum iniquitatis, aſt matrimonium non eſt promiſſio ſed ipſa actualis traditio per verba de præſenti, votum vero caſtitatis ſolemne aut eſt ſolum promiſſio caſtitatis ſervandæ, quæ proinde quantum eſt de natura rei non impedit traditionem per matrimonium, cum res uni promiſſa poſſit alteri adhuc tradi, quamvis illicitè, aut ſi votum ſolemne etiam eſt traditio, eſt tamen diverſæ rationis à traditione per matrimonium, quod eſt fortius vinculum deſcendens à virtute juſtitiæ, & ſic eſt compatibilis cum priori.

Dices: ideo jure naturæ eſt matrimonium irritum à conjugato vivente priori uxore, quia corpus priori traditum non poteſt alteri tradi: ergo etiam jure naturæ eſt irritum matrimonium illius cujus corpus eſt prius traditum DEO. 15

Contra transmitto antec. neg. conſeq. diſparitas eſt, quia illæ traditiones vivente priori uxore eſſent ejusdem generis, & conſequenter incompatibiles; aſt traditiones vi profeſſionis & matrimonii factæ ſunt diverſæ rationis & ideo compatibiles. Dixi transmitto antec. nam multi Authores negant jure naturæ eſſe irrita matrimonia cum pluribus uxoribus: de quibus dicemus ſuo loco de impedimento ligaminis.

Aſſero 3. *Ordo ſacer non dirimit jure divino matrimonium ratione voti ſolemnis continentiæ annexi, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 37. q. un. §. *hic eſt concluſio certa.* 16

Probatur 1. Ratione Scoti ſic loquentis: *ſed quæ ratio hujus illegitimationis matrimonii per ſacros Ordines? videtur propter votum annexum; - - - - ſed contra, aut illud votum eſt annexum, quia ſuſcipiens vovet, aut quia Eccleſia præcipit eſſe annexum, ut ſervet, ac ſi voveret? non primo, quia nullus vovens vovet nolitum; ſed ſuſcipiens Ordinem ſacrum poteſt habere in voluntate non continere: ergo poſſibile eſt, quòd ille non voveat continentiam* (quod & multi probabiliter poſſe fieri admittunt) & tamen ejus matrimonium eſſet nullum; quia Eccleſia faceret talem perſonam ſimpliciter inhabilem ad matrimonium, ſicut illas perſonas in certis gradibus conſanguinitatis; *ſi vero ſecundo modo: ergo contrahens ſimpliciter contrahit, quod probatur C. ex litteris. de matrim. contract. nam licet contra interdictum Eccleſiæ tranſire ad vota ſecunda non debueris, non tamen eſt conveniens, ut ob hoc ſolùm Sacramentum conjugii diſſolvatur; - - - - ergo ſi votum continentiæ eſt ſacro Ordini annexum ex ſolo præcepto Eccleſiæ, ſequitur, quòd non ſimpliciter illegitimet ad contrahendum - - - - dico igitur, quòd nec propter votum continentiæ propriè dictum annexum Ordini ſacro, nec propter annexum ex præcepto Eccleſiæ præcipientis taliter ordinato non contrahere matrimonium eſt, quòd iſte non poſſit contrahere, ſed propter hoc quòd Eccleſia fecerit talem perſonam ſimpliciter illegitimam.* Hæc Scotus.

Pro-

Probatur 2. ideo per adverſarios Ordo ſacer dirimeret jure naturali & divino matrimonium; quia haberet annexum votum ſolemne licet ſolum ex conſtitutione Eccleſiæ annectentis; ſed votum ſolemne dirimit matrimonium ex natura rei: ergo & ſacer Ordo; ſed hoc fundamentum eſt falſum ex Aſſert. priori: ergo dirimit ſolùm jure Eccleſiaſtico. Interim tamen bene concedimus, quod ſacer Ordo vi voti ſolemnis ex conſtitutione Eccleſiæ annexi impediat jure divino & naturali matrimonium; nam hoc facit quodcunque votum ſimplex caſtitatis.

17 Objicies: ſi ex ſtatuto Eccleſiæ annecteretur votum ſimplex Ordini ſacro impediretur jure naturæ matrimonium ſubſequens non ex vi Ordinis ſed ex vi voti: ergo cum ſit annexum votum ſolemne, dirimeret matrimonium ſubſequens jure naturali divino ratione voti ſolemnis adjuncti.

Reſpondeo neg. conſeq. vel quia votum ſimplex jure naturali impedit uſum matrimonii, hinc non eſt mirum ſi annecteretur Ordini ſacro, quod eodem jure impediret matrimonium; aſt votum ſolemne quà tale non dirimit matrimonium ſubſequens jure naturali, ut diximus Aſſert. priori, ideo ſequitur, quòd, licet ſit annexum Ordini ſacro, non dirimat matrimonium jure naturali divino: vel diſparitas eſt etiam in principiis Thomiſtarum, quòd votum ſimplex Ordini annexum ſit per ſe ſimplex votum, aſt votum ſolemne defacto annexum Ordini ſacro non eſt ſolemne per ſe, ſed ſolemne per accidens, cum non ſit tam perfecta traditio in ſacro Ordine ſicut in profeſſione. Cæterum hic nota, ſi quis ſuſciperet ſacros Ordines & invincibiliter ignoraret eſſe annexum votum, talis adhuc teneretur ex voto ſervare caſtitatem; quia tacitè adhuc emittit votum, eo quòd velit unum v. g. officium, vult etiam omnia ei neceſſariò annexa, & talis ſemper accedit cum intentione virtuali faciendi, quod facit Eccleſia, licèt ignoret ejus mandatum; ſi autem ſuſcipiens Ordines expreſsè nollet vovere, & tamen ſuſcipere Ordines, talis teneretur adhuc ad continentiam ex præcepto Eccleſiæ, & talis eſſet caſus extraordinarius non contentus in propoſ. 5. quæ ſolum loquitur de modo ordinario & regulari, ſicut nunc ſolet & debet contingere.

QUÆSTIO III.

Quo jure conſanguinitas, affinitas, & publica honeſtas dirimant matrimonium?

ADvertendum eſt 1. Cognationem ſeu conſanguinitatem, & affinitatem, dirimere matrimonium, ut patet Can. 1. 1
& Can. *nullum*. 35. q. 2. & Can. *ex litteris* & Can. *non debet*. de conſanguinit. & affinit. pariter publicam honeſtatem dirimere matrimonium patet C. *juvenis*. C. ad *audientiam*. & C. *ſponſam*. de ſponſal. & habetur jure novo ex Trid. Seſſ. 14. C. 3. hæc ergo tria impedimenta magnam connexionem & ſimilitudinem linearum & graduum inter ſe habentia hic in una quæſtione connectere volui, ut ergo diſtinctè de eis agamus.

Advertendum eſt 2. cognationem eſſe tri- 2
plicem ſcilicet carnalem ſeu naturalem, ſpiritualem, & legalem, naturalis idem eſt ac conſanguinitas, hoc eſt quaſi ſanguinis unitas, inde enim aliqui conſanguinei dicuntur; quia ab eodem ſanguine originem trahunt, adeóque conſanguinitas definitur: *quod ſit vinculum perſonarum ab eadem perſona ſeu eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum:* dicitur vinculum ſcilicet formaliter, cùm ſit ipſa conjunctio in participatione ejuſdem ſanguinis fundata, quà videmus majori affectu nos proſequi conſanguineos; quàm non conſanguineos: dicitur perſonarum, ut excludantur bruta ab eodem ſtipite deſcendentia, in quibus non poteſt eſſe amicitiæ virtus: dicitur ab eadem perſona vel ſtipite, ſubintellige propinquo, deſcendentium, uti denotetur commune principium effectivum, à quo conſanguinitas in multos derivatur, & quia illius virtus, quò longiùs progreditur, eò magis debilitetur & decreſcat, ac tandem neceſſe ſit eam aliquando deficere, ſic nimis longè diſtantes non poſſunt dici ab eodem ſtipite deſcendere, ideo conſultò ſubintelligi debet ab eodem ſtipite propinquo: dicitur tandem carnali propagatione contractum; nam ſi multi homines immediatè à DEO crearentur, non eſſent conſanguinei, ideo nec Eva conſanguinea fuit Adæ, cum non ex propagatione carnali, ſed ex oſſe fuerit facta; vera tamen fuit conſanguinitas inter Chriſtum & B. Virginem ac Joachim & Annam, nam etſi humanitas Chriſti non deſcenderit naturali propagatione ex parte patris, utpote operâ Spiritus Sancti in utero Virginis facta, deſcendit tamen ex parte matris naturali propagatione, cùm dederit illud totum materiæ, quod veræ matres naturales adminiſtrant in generatione prolis.

Adver-

3 Advertendum eſt 3. Conſanguinitatem diſtingui per lineas & gradus, *linea ergo eſt ordo ſeu collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium continens diverſos gradus*, econtra *gradus eſt habitudo ſeu menſura diſtantium perſonarum, quâ cognoſcitur quantum conſanguinei aliqui inter ſe conjungantur aut diſtent;* triplex autem eſt linea ſcilicet aſcendentium, deſcendentium, & linea collateralis ſeu transverſalis: linea aſcendens eſt, in qua continentur perſonæ à quibus origo deducitur, ut pater, avus, abavus, atavus, tritavus &c. linea deſcendens eſt, in qua continentur perſonæ trahentes originem ab eodem ſtipite ſeu eſt à perſona propagante ad propagatas, ut filius, nepos, pronepos, abnepos, & hæc duplex linea in re eſt una & eadem, quia eodem gradu aſcenditur & deſcenditur in una ſcala, & ultra talis linea dicitur recta; quia continet directos gradus progenitorum ad nullum latus deflectens, linea verò transverſalis eſt, in qua continentur perſonæ, quæ ex latere junctæ ſunt conſanguinitate, ita ut neutra ab altera originem trahant, ſed ambæ ab eodem ſtipite, ut fratres & ſorores eorúmque filii, vel patruus & amita &c. hæc autem linea transverſa duplex eſt ſcilicet æqualis & inæqualis: æqualis eſt, in qua continentur gradus conſanguineorum æqualiter à ſtipite deſcendentium, ut duo fratres, vel duorum fratrum filii: inæqualis eſt, in qua continentur tales conſanguinei inæqualiter à ſtipite diſtantes, ut patruus vel amita reſpectu conſobrini, nam patruus diſtat primo gradu à patre ſeu ſtipite, quia eſt ejus frater, conſobrinus verò in ſecundo, quia eſt filius ſororis matris ſeu materteræ, & quaſi patris nepos; tandem alia dici ſolet linea materna, cujus caput eſt mater, & alia paterna, cujus caput eſt pater, quæ diſtinctio quidem non inſervit ad matrimonium, benè verò ad ſucceſſiones hæreditatum, uti ante paucos annos bello actum eſt ad Monarchiam Hiſpanicam. Cæterum ut facilius illarum linearum gradus poſſint dignoſci.

4 Advertendum eſt 4. quaſdam & præſertim tres regulas eſſe obſervandas;


Regula 1. pro linea recta hæc eſt: poſiti in linea recta tot gradibus diſtant ab invicem, quot ſunt perſonæ unâ demptâ: hinc ego à proavo meo diſto in tertio gradu, quia noſtrum quatuor ſunt perſonæ ſcilicet ego, pater, avus, & proavus, unde ſi una perſona demitur manent tres, ideo tribus gradibus diſto à proavo.

Regula 2. pro linea transverſa æquali hæc eſt: poſiti in tali linea tot gradibus diſtant à ſe, quot gradibus diſtant ſinguli à communi ſtipite: hinc duo filii duorum fratrum, vel duarum ſororum id eſt patrueles duobus gradibus diſtant inter ſe, quia duobus gradibus à patre fratrum duorum vel duarum ſororum diſtant, ſeu ab eorum avo, à quo habent ſanguinis conjunctionem & non à ſe invicem attractam.

Regula 3. pro linea transverſa inæquali hæc eſt: poſiti in tali linea tot gradibus diſtant à ſe, quot gradibus à communi ſtipite diſtat perſona remotior: hinc patruus meus & ego tanquam filius ejus fratris diſtamus inæqualiter ab avo meo, ille enim diſtat in primo gradu cum ſit filius mei avi, ego vero diſto in ſecundo à meo avo, cum ſim ejus nepos, ideo & ego diſto à patruo meo in ſecundo gradu.

Hæ autem regulæ ſolum habent locum in jure Canonico & quidem in ordine ad matrimonium; nam jus civile aliter computat gradus præſertim in ordine ad hæreditatem ab inteſtato capiendam, ubi præfertur is, qui eſt in viciniori gradu; adeóque jus civile in linea transverſa non numerat gradum, in quo altera perſona diſtat à ſtipite, ut facit jus Canonicum, ſed numerat gradus omnes utriusque perſonæ, & tot conſtituit diſtantias gradus inter ſe, quot habent diſtantias à ſtipite numeratis utriusque perſonæ gradibus v. g. duo fratres diſtant à communi parente in primo gradu jure Canonico, jus verò civile numerat primum gradum, quo uterque diſtat à parente, tanquam duplicem, alterum in uno fratre & alterum in altero fratre; unde duo fratres diſtant inter ſe in ſecundo gradu; hinc præfertur pater filio in adeunda hæreditate unius ſuorum filiorum mortui, quia pater diſtat à ſuo filio uno tantum gradu, alter autem filius jure civili diſtat duobus gradibus tanquam frater à ſuo fratre defuncto: præterea jure civili §. 2. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. alii ſunt agnati, alii cognati, agnati dicuntur, qui ex eodem ſanguine per ſexum virilem deſcendunt: cognati verò, qui ex eodem ſanguine per matrem deſcendunt, ſed hæc differentia agnatorum & cognatorum ad ſucceſſiones hæreditarias jam eſt ſublata novel. 118. de hæredib. ab inteſt. venient. §. *nullum verò volumus*. pro faciliori captu dictorum graduum & linearum inſpice adjectum Schema.

Arbor



Nomina Conſanguinitatis.

Avus ähn oder Grosvatter/ Avia ähne oder Grosmutter/ Proavus Urähn/ Proavia Urähne/ Abavus der Vatter des Urähn/ Patruus des Vattern Bruder/ Amita des Vattern Schweſter/ Avunculus der Mutter Bruder/ Matertera der Mutter Schweſter/ propior Sobrinus des ähn Bruders oder Schweſter Sohn/ propior Sobrina des ähne Bruder oder Schweſter Tochter/ Patruelis des Vatters Bruder oder Schweſter Kinder/ Vetter und Mäimb/ Conſobrinus der Mutter Schweſter Sohn oder Tochter/ Vetter und Mäimb/ Nepos Enckel/ Pronepos Urenckel/ Abnepos des Urenckels Sohn/ Abneptis des Urenckel Tochter.

Nomina Affinitatis.

Maritus, Uxor, Vitricus Stieff-Vatter/ Noverca Stieff-Mutter/ Privignus Stieff-Sohn/ Privigna Stieff-Tochter/ Socer des Weibs Vatter/ Socrus des Weibs Mutter/ Gener Tochter Mann/ Nurus des Sohns Weib/ Conſoceri Gegenſchwäger die ihre Kinder mit einander verheyrath haben.

5 Advertendum eſt 5. cognationem ſpiritualem dici vinculum ſeu propinquitatem perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ propter collationem validi Sacramenti, baptiſmi & confirmationis ortam, non verò ob Sacramentum pœnitentiæ aut aliorum; ut aliqui voluerunt: hæc cognatio ſpiritualis rationabiliſſimè etiam ſtatuitur pro impedimento dirimente ab Eccleſia C. *ſuper eo.* de cognat. ſpirit. quia ſicut per generationem carnalem naturalis cognatio contrahitur, ita etiam per generationem ſpiritualem, quæ fit ſolum per Sacramentum baptiſmi & confirmationis, ac contrahitur quædam ſpiritualis cognatio ex ſtatuto Eccleſiæ, prout adducit Scotus in 4. Diſt. 24. q. 2. §. *ex dictis.* ſicut ergo cognatio naturalis eſt impedimentum dirimens ob reverentiam conſanguineis debitam, ita etiam congruum fuit, ut etiam per cognationem ſpiritualem matrimonium dirimatur ob reverentiam cognatis ſpiritualibus debitam: quamvis ergo in jure antiquo cognatio ſpiritualis plurimas etiam comprehendebat perſonas; nunc jure novo per Trident. Seſſ. 14. c. 2. extenditur ſolùm ad baptizantem & confirmantem, & baptizatum & confirmatum, baptizatique vel confirmati patrem & matrem, nec non ad levantem & levatum in baptiſmo vel confirmatione ejusdem patrem & matrem; hinc non contrahitur cognatio ſpiritualis inter ipſos patrinos ſeu inter fœminam & virum eundem de ſacro fonte ſuſcipientes, ſi ſolùm unus eſt levans, & ſic nullatenus privarentur jure petendi debitum, bene tamen ſi parens proprium baptizaret aut teneret filium, contraheret cognationem ſpiritualem cum uxore, & prohiberetur à debito conjugali ob ſuſceptionis cognationem, non verò ob baptizationis cognationem, ſi in neceſſitate baptizaret ſuum filium, cum jura hoc ſpecialiter ſtatuant, ne per illum actum neceſſarium præjudicetur petitioni debiti, ſecus autem etiam eſſet, ſi ſine neceſſitate illum baptizaret, tunc etiam in pœnam privaretur jure petendi debitum: præterea ad contrahendum hoc impedimentum Eccleſiaſticum requiritur, quod perſonæ ſint capaces hujus cognationis ſpiritualis ſcilicet perſonæ baptizatæ, ideo infidelis baptizans filiam matris infidelis, non poſſet quidem filiam baptizatam, utpote quæ hoc impedimentum verè contraxit, ducere in uxorem, ſed bene ejus matrem infidelem, etiamſi ambo ad fidem converterentur, cum neuter eo tempore, quo infans baptizabatur, legibus Eccleſiæ fuerit ſubjectus.

6 Advertendum eſt 6. cognationem legalem eſſe vinculum ſeu propinquitatem ex adoptatione provenientem: *eſt autem adoptatio perſonæ extraneæ in filium aut filiam vel nepotem legitima, hoc eſt, juxta leges juris aſſumptio:* dicitur in filium aut filiam, quia nullus in parentem vel fratrem adoptari poteſt L. *nec apud.* C. de hæred. inſtit. eſt autem talis adoptatio introducta, ut propagarentur familiæ, ne aliquando extinguerentur, niſi alius in eam adoptaretur: duplex præterea eſt adoptatio ſcilicet perfecta, quæ etiam dicitur arrogatio, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit hæres ejus neceſſarius, hæc fieri debet ſola authoritate Principis, & imperfecta, quæ fit authoritate judicis competentis & inferioris Principe, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, nec fit hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantùm ab inteſtato: præfata cognatio legalis etiam triplicem habet lineam: ſcilicet rectam inter adoptantem & adoptatum & hujus deſcendentes: lineam tranſverſam inter adoptatum & filios naturales adoptantis: & lineam per modum affinitatis legalis inter adoptantem & uxorem adoptati, & vice verſa inter adoptatum & uxorem adoptantis: dicta ergo triplex cognatio legalis eſt verum impedimentum dirimens matrimonii, ut habent plurimæ leges juris civilis, quas jus Canonicum approbat C. *ſi qua adoptionem.* de cognat. leg. quia etiam in tali cognatione legali ad ſimilitudinem naturalis oritur quædam reverentia debita inter ſic adoptantes, adeóque ut hæc ſervetur & dilatetur cum amicitia ad extraneos, ſtatuitur, ut inter ſic cognatos non poſſit matrimonium contrahi validè, interim tamen probabiliter in linea recta adoptantis & adoptati dirimitur matrimonium ſolum usque ad quartum gradum, & non in infinitum ſicut cognatio naturalis, & in hac linea ſicut etiam in illa per modum affinitatis legalis nunquam ceſſat impedimentum eſſe, licet ceſſet adoptatio, ideò nunquam poteſt adoptans cum adoptato aut ejus uxore, aut adoptatus cum uxore adoptantis matrimonium inire, in linea verò tranſverſa inter filios naturales adoptantis & ejus filios adoptivos non dirimitur perpetuo matrimonium, ſed ſolùm quamdiu durat adoptatio, & quamdiu filii legitimi ſunt in patria poteſtate, non verò amplius quando aliquis emancipatur, ut habetur L. *qui etiam.* ff. de ritu nuptiar. & C. un. de cognat. leg. tandem inter adoptantem & adoptati parentes nulla eſt cognatio legalis, cum de hac non habeatur textus in jure: pariter inter filium adoptatum & filiam adoptatam etiam non eſt cognatio, cum nec de hac ſit textus in jure, ideo invicem poſſent contrahere; imò nec filia illegitima contraheret illam cognationem cum adoptato, cum filius illegitimus non ſit in patria poteſtate ut ſtatuit jus civile.

Advertendum eſt 7. affinitatem definiri, 7 *quod ſit vinculum ſeu propinquitas perſonarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela:* dicitur vinculum ſeu propinquitas, in quo convenit cum conſanguinitate; dicitur ex carnali copula proveniens, in quo differt à conſanguinitate, oritur autem affinitas tam ex copula licita quam illicita, ut habetur C. *diſcretionem.* & C. *tua.* de eo qui cognovit conſanguineam: & quamvis affinitas ex copula

licita

licita dirimat matrimonium usque ad quartum gradum, attamen affinitatem ex copula illicita reſtrinxit Trident. Seſſ. 24. c. 4. ſolùm uſque ad ſecundum gradum, ita ut acceſſus ad tertium vel quartum gradum non amplius ſit inceſtus, quod benè notandum eſt: dicitur tandem omni carens parentela, hoc eſt conſanguinitate, non quod repugnet affinitati contrahi ſimul cum conſanguinitate, ſed quod neceſſe non ſit, ſed potius per accidens, ut aliquando affinitas & conſanguinitas in eadem perſona reperiatur, hinc potiſſima ratio affinitatis quod vir & mulier efficiantur una caro per copulam intellige ex utraque parte perfectam, de qua diximus de matrimonio conſummato Diſt. 1. q. 5. Advert. 2. & ideo ſanguis unius dicitur tangere ſanguinem alterius, ſicque ſit, quod conſanguinei unius trahantur ad quamdam alterius cognationem, quæ affinitas dicitur; ex quo etiam ſit, quod infidelis, qui cum uxore conſummavit matrimonium tempore infidelitatis, non poſſet poſt baptiſmum validum inire matrimonium cum conſanguinea ſuæ uxoris usque ad quartum gradum, licèt ante baptiſmum potuiſſet; nam talis affinitas eſt vinculum naturale, quod oritur tempore infidelitatis, cum naturalia ſint eadem tam apud fideles quam infideles, adeóque cum poſt baptiſmum maneant affines & ſubdantur legi Eccleſiaſticæ irritantis talia matrimonia, ideo ille infidelis non potuit ſic contrahere, ut expreſsè deciditur C. fin. de Divortio. econtra tamen eſt de impedimento publicæ honeſtatis contracto tempore infidelitatis ex ſponſalibus, nam cum talis honeſtas ſit introducta ſolo jure Eccleſiaſtico, ſic non ligat infidelem, unde talis poſt baptiſmum poſſet validè contrahere cum ſorore ſuæ prioris ſponſæ.

8 Advertendum eſt 8. quaſdam etiam pro affinitatis gradibus cognoſcendis eſſe aſſignandas & præſertim tres regulas.

Regula 1. eſt, ad cognoſcendam propinquitatem affinitatis hæc eſt: quoto gradu conſanguinitatis aliquis diſtat ab alio toto gradu affinitatis ab eodem diſtat illa perſona, quæ eſt ab ipſo carnaliter cognita, quomodo autem gradus conſanguinitatis ſint computandi dictum eſt Advert. 4.

Regula 2. eſt, conſanguinei unius conjugis non fiunt affines conſanguineis alterius; ſed tantum ipſi conjugi affines fiunt, quia affinitas non parit affinitatem, ut ſtatuitur in Concilio Generali Lateranenſi, adeóque conſanguinei uxoris efficiuntur affines mariti, & conſanguinei mariti efficiuntur affines uxoris, non vero conſanguinei uxoris & conſanguinei mariti inter ſe efficiuntur affines; hinc duo fratres poſſent ducere duas ſorores, filius vitrici germanicè des Stieff-Vatters poſſet ducere privignam germanicè Stieff-Tochter. ut habetur C. *quod ſuper iſta.* de conſang. & affinit.

Regula 3. eſt, ſolum conſanguinei non autem affines unius conjugis fiunt affines alteri conjugi, hinc ſolus frater, nepos &c. qui ſunt conſanguinei uxoris v. g. Berthæ, fiunt affines marito v. g. Petro, non autem uxor fratris, nepotis &c. unde poteſt quis in uxorem accipere relictam à propriæ uxoris fratre: item poteſt quis ſucceſſivè plures fœminas uxores accipere, quæ cum pluribus fratribus matrimonium contraxerunt v. g. Bertha & Caja nupſerunt duobus fratribus Petro & Paulo, poſſet Andreas Bertham viduam ducere, & mortua Bertha poſſet etiam ducere Cajam, ex his enim non pullulat aliqua conjunctio, quamvis antiquis temporibus ſe res aliter habuit.

Advertendum eſt 9. publicam honeſtatem communiter definiri, *quod ſit propinquitas quadam jure Eccleſiaſtico introducta proveniens ex ſponſalibus vel matrimonio rato propter publicam honeſtatem:* dicitur propinquitas ob convenientiam cum affinitate: dicitur jure Eccleſiaſtico introducta, ut denotetur hoc impedimentum ſolo jure Eccleſiaſtico eſſe ſancitum: dicitur à ſponſalibus proveniens, per quod differt ab affinitate, quæ ex copula oritur: dicitur vel matrimonio rato; quia communior ſententia eſt ex matrimonio ſolum rato nondum provenire affinitatem propriam, ſed ſolùm publicam honeſtatem: dicitur propter publicam honeſtatem, ut denotetur motivum ob quod Eccleſia illud ſtatuit impedimentum, cùm ſit conſonum honeſtati Eccleſiæ, ut propter inchoationem matrimonii, quæ fit in ſponſalibus, interdicatur matrimonium conſanguineis alterius ſponſi, ut habetur C. *juvenis.* de ſponſal. hoc impedimentum jure antiquo uſque ad quartum gradum fuit extenſum, modo verò per Trident. Seſſ. 24. C. 3. eſt reſtrictum uſque ad primum ſolùm gradum tam lineæ rectæ quam transverſæ, ſi publica honeſtas ex ſponſalibus ſolùm oriatur; ſecus verò eſt, ſi ex matrimonio rato provenit; tunc enim extenditur uſque ad quartum gradum incluſivè ſicut affinitas; hinc Petrus inīens ſponſalia cum Anna, & ea mortua non poteſt amplius contrahere cum matre ſorore, filia ipſius Annæ, benè tamen cum aliis conſanguineis. Cæterum hic ſervata proportione eædem regulæ pro publica honeſtate ſunt applicandæ, quæ dictæ ſunt de affinitate, quòd ſcilicet publica honeſtas ſolùm attingat perſonas conſanguineas illius cum quâ contraxit ſponſalia & vice verſâ, non verò perſonas affines, ſicut diximus de affinitate. 9 11

Advertendum eſt 10. jure antiquo ex quibuſcunque ſponſalibus ſive validis ſive invalidis quacunque ratione, dummodo non eſſent irrita, ex defectu conſenſûs, ut ex metu gravi, errore perſonæ, fictione &c. ortum fuiſſe impedimentum publicæ honeſtatis. Ut refert Scotus in 4. Diſt. 41. q. un. qui ante Tridentinum ferme centum ſcripſit annis. Aſt modo jure novo per Trident. Seſſ. 24. c. 3. hoc eſt ſublatum, quòd ſcilicet ex ſponſalibus invalidis 10

oriatur tale impedimentum; interim tamen hoc impedimentum honeſtatis ex ſponſalibus validis ſemel contractum eſt perpetuum, ita ut nec morte ſponſi aut ſponſæ tollatur, nec etiam diſſolutione ſponſaliorum ex mutuo amborum conſenſu; hinc mortuâ ſponsâ aut diſſolutis ſponſalibus nequit ſponſus ſuperſtes contrahere cum ejus conſanguineis, ut habetur in declaratione Cardinalium; nam de ſponſalibus validis nihil eſt ſublatum in Tridentino, ſed ſolùm de invalidis. Præterea etiam hoc impedimentum oritur cum conſanguineis illegitimis alterius ſponſi; quia in contrahendis matrimoniis jus naturale & pudor inſpiciendi ſunt; ſed illegitimi ſunt veri naturales conſanguinei: ergo etiam honeſtas naturalis verſatur in abſtinendo matrimonio cum conſanguineis ſponſi legitimis vel illegitimis, licèt hi quoad aliquos effectus juris civilis non reputentur ut filii; nam etiam cognatio, & affinitas contrahitur cum filiis illegitimis. Econtra verò hoc impedimentum non oritur ex ſponſalibus incertis v.g. dicendo: ducam unam ex filiabus Petri nullam aſſignando; nam cum ſponſalia ſint in ordine ad matrimonium, & hoc ad ſui validitatem requirat determinatam perſonam, ſic etiam ſponſalia non erunt valida, ſi non adſit determinata perſona, & per conſequens non oritur publica honeſtas: item non oritur talis honeſtas ex ſponſalibus conditionatis ante conditionis eventum, cùm ante hunc non ſint valida ſponſalia, & ſic valebit matrimonium initum cum ſorore ſponſæ, cui promiſſum eſt conditionatè matrimonium, ſi nondum exiſtat conditio, ut habet. C. un. de ſponſal. in 6. his notatis:

11 Propoſitio 1. *Gradus ſecundus conſanguinitatis, & reliqui poſteriores lineæ tranſverſæ ſolùm jure Eccleſiaſtico dirimunt matrimonium.* Ratio eſt; quia C. *gaudemus.* de divort. deciditur in aliis gradibus ultra primum infideles matrimonio conjunctos non eſſe ſeparandos, dum ad fidem convertuntur; ſed ſi ſecundus gradus in linea tranſverſa conſanguinitatis jure naturæ dirimeret matrimonium, utique ſeparandi forent, cum Pontifex in jure naturæ diſpenſare non poſſit: ergo. Tum quia Trident. Seſſ. 24. c. 5. dicit: *cum magnis Principibus ob publicam cauſam diſpenſari poſſe in ſecundo gradu conſanguinitatis;* uti factum eſt cum piè defuncto Imperatore Leopoldo, qui duxit Margaritham Hiſpaniarum filiam ſuæ propriæ ſororis Reginæ Hiſpaniarum; ac vidimus in comite Corolo Saurau, qui Græcii in Styria duxit ex diſpenſatione filiam ſui uterini fratris Comitis Breiner. Ac tandem legimus in Sacra Scriptura Abraham duxiſſe Saram filiam fratris ſui Aran, quod non potuiſſet fieri, ſi jure naturæ gradus ſecundus lineæ tranſverſæ dirimeret matrimonium. Cæterum autem rationes & motiva, cur Eccleſia hos gradus prohibeat irritando matrimonium eſt primò reverentia, quam cognati ſibi ipſis exhibere debent ob originem ab eodem ſanguine tractam, cui detrahit commercium conjugale, quod ſine irreverentia ob æqualem poteſtatem in ſe invicem exerceri non poteſt: ſecundò amicitia, quæ hoc ipſo magis extenditur, quòd cum propinquis non poſſit iniri matrimonium; nam negligerentur alii, & cum ſolis conſanguineis iniretur matrimonium, & ſic deficeret amicitia & bonum publicum: tertiò moderatus uſus conjugii; nam ſi naturalis amor ex conſanguinitate ortus adderetur conjugali, inflammaretur libido, ut conjuges nimium copulæ vacarent, & ſe deſtruerent.

Nec dicas: Levit. 8. ſub graviſſimis pœnis prohibentur quædam matrimonia in ſecundo gradu lineæ tranſverſæ; ergo ſignum eſt, quòd DEUS illa prohibuerit tanquam legi naturali difformia, & per modum præcepti moralis, quod non exſpiravit in lege nova, ideo C. *literas.* de reſtit. ſpoliat. dicitur, Papam non poſſe diſpenſare in gradibus conſanguinitatis in Levitico prohibitis, ut dicit Gloſſa.

Reſpondeo neg. conſeq. maximè ſi ex quadam rationabili cauſa contraherentur; tunc enim præciſo jure Eccleſiaſtico illa matrimonia ex ſua natura valida forent, licèt fortaſſis peccaminoſa, ſi ſine ratione talia inirentur, præſertim in linea tranſverſa inæquali v.g. ſi frater patris cum hujus filia iniret matrimonium, quod videtur eſſe aliqualiter inconveniens & ſecundariò contra legem naturæ ob reverentiam debitam fratri parentis; quia reſpectu filiæ habetur quaſi avus; non tamen tam ſtricta oritur reverentia debita ſicut reſpectu proprii avi & reliquorum aſcendentium, qui illius filiæ immediata ſunt principia; adeóque illud capitulum debet intelligi Papam non debere, nec expedire, diſpenſare, cum ſtatim addatur Pontificem non conſueviſſe in illis diſpenſare, niſi valde urgens ratio occurreret; quia etiam in ſacris Canonibus ſemper fuit major ratio habita de illis gradibus, qui ſemel lege divina erant inhibiti, licèt illa lex ceſſaverit; ideóque non tam facilè diſpenſatur, & licèt DEUS in Levit. illa matrimonia vocet ſcelera gentium, & abominationes, non tamen ideo dirimuntur jure naturæ; quia etiam alia ibi adducit ſcelera gentium, ut idololatriam, Sodomiam, adulteria, quæ tamen non dirimunt jure naturæ matrimonium.

Propoſitio 2. *Nullus gradus affinitatis lineæ tranſverſæ jure naturæ dirimit matrimonium.* Ratio eſt; quia in lege Moſaica non tantum poterat, ſed etiam jubebatur frater fratris relictam ſine prole uxorem matrimonialiter ducere ad fratris ſemen ſuſcitandum, quod ſolùm fuit bonum privatum; ſed hoc factum non fuiſſet, ſi tale matrimonium etiam in primo gradu affinitatis juri naturali adverſaretur; cum bonum privatum non poſſit prævalere juri naturali tale matrimonium irritanti, ſicut illa cir- 12

cum-

cumſtantia non potuiſſet validare matrimonium fratris cum ſorore ſine prole relicta: ergo. Hinc Jacob poſt Liam uxorem accepit Rachaelem ſororem Liæ, cum qua affinitatem in primo gradu contraxit ex copula cum Lia habita: tum quia Pontifex Julius II. in eodem gradu diſpenſavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam defuncti ſui fratris uxorem, qui Henricus poſtquam jam prolem ſuſceperat ex Catharina, repudiavit eam dicens, matrimonium non fuiſſe validum, quia Pontifex non potuit in hoc gradu diſpenſare, ubi tamen poſtea Clemens VII. authoritate Pontificia decrevit fuiſſe legitimam illam diſpenſationem: ergo talis gradus non eſt ex jure naturæ prohibitus: tum quia ſtrictius videtur vinculum inter conſanguineos in ſecundo gradu, quàm inter affines in primo; ſed ſecundus gradus conſanguinitatis non dirimit matrimonium jure naturæ: ergo nec primus affinitatis. Min. patet propoſ. priori, maj. prob. conſanguinei in ſecundo gradu etiam lineæ transverſæ ſunt ab intrinſeco per ejusdem ſanguinis participationem conjuncti, affines verò etiam in primo gradu lineæ transverſæ ſunt tantum ab extrinſeco conjuncti: ergo ſtrictius eſt vinculum &c.

Nec dicas: uxor cum fratre fit una caro per matrimonium, conſequenter fit ſoror alterius fratris; ſed videtur jure naturæ matrimonium eſſe prohibitum inter fratrem & ſororem: ergo etiam ut duo fratres ſucceſſivè habeant uxorem; hinc S. Joannes Baptiſta graviter reprehendit Herodem, quod uxorem fratris ſui duxiſſet; ſed ſi non fuiſſet jure naturæ prohibitum, non fuiſſet opus tanta reprehenſione, utpote cum Herodes tanquam gentilis non tenebatur lege divina in veteri Teſtamento lata: ergo.

Reſpondeo neg. maj. quia vir & fœmina per copulam fiunt tantùm una caro mediatè, quatenus ſunt principium unum totale ejusdem prolis; uxor enim non accipit eſſe ab eodem ſtipite, à quo quis ſuum eſſe accipit, & ideo nullatenus ſoror fratris efficitur: imò dubitant aliqui etiam de min. ut patebit in Aſſert. 2. tandem ad illud Joannis Baptiſtæ dicit D. Thomas: Herodem vivente fratre ſuo iniviſſe matrimonium cum uxore fratris ſui, ut narrat Joſephus hiſtoricus, quod erat contra omne jus.

13 Propoſitio 3. *Ex matrimonio rato non propriè oritur impedimentum affinitatis, ſed ſolùm publicæ honeſtatis.* Ratio eſt; quia affinitas propriè ſumpta oritur ex eo, quod vir & fœmina per copulam perfectam fiant una caro, ut habetur C. *fraternitati.* de eo qui cognovit. ſed in matrimonio rato hoc non reperitur: ergo: tum quia C. *tua fraternitatis.* i. e. hoc impedimentum expreſsè nuncupatur publica honeſtas, quando conſurgit ex matrimonio rato; nam cum illa honeſtas oriatur ex ſponſalibus, ſic à potiori conſurget ex matrimonio rato, utpote quod eſt fortius vinculum quam ſponſalia.

Nec dicas: per matrimonium ratum immediatè ad copulam vir & mulier uniuntur in ratione unius principii ad generationem: ergo oritur inter ipſos affinitas; hinc ipſum jus impedimentum affinitatis nominat aliquando publicam honeſtatem & viciſſim.

Reſpondeo neg. conſeq. nam ſolùm ſequitur, quod arctius vinculum honeſtatis oriatur ex matrimonio rato, quam ex puris ſponſalibus; & hinc fit, quòd talis honeſtas ex matrimonio rato dirimat matrimonium uſque ad quartum gradum, non tamen adhuc eſt affinitas; hinc tales impediti publica honeſtate ex matrimonio rato non incurrunt excommunicationem, ſi contrahunt cum conſanguineis alterius conjugis ſaltem non in foro conſcientiæ, quam tamen incurrunt impediti affinitate, ſi contraherent matrimonium cum perſonis prohibitis; dixi ſaltem in foro conſcientiæ, nam in foro fori poſſet contingere, ut habeantur excommunicati, eò quòd aliquando præſumi poſſet illud matrimonium fuiſſe conſummatum, & verum impedimentum affinitatis eſſe ortum: quando ergo jus aliquando unum accipit pro alio, eſt intelligendum aliquando de minùs propriè ſumpta affinitate vel honeſtate.

Propoſitio 4. *Publica honeſtas ex matri-* 14
monio rato etiam invalido quacunque de causa, præterquam ſi ſit invalidum defectu conſensûs; dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum. Ratio eſt; quia non eſt recedendum à jure antiquo, niſi quatenus aliter diſponatur in jure novo; ſed publica honeſtas dirimens matrimonium jure antiquo oriebatur tam ex ſponſalibus quam matrimonio rato validis & invalidis, ut habetur C. un. de ſponſal. in 6. dummodo invaliditas non proveniebat ex defectu conſensûs: ergo cum per Tridentinum juſtitia publicæ honeſtatis ſolùm ex ſponſalibus invalidis, non autem ex matrimonio invalido ſit ſublata, ſic in matrimonio rato quamvis invalido adhuc vigebit uſque ad quartum gradum: ſic ſi matrimonium eſſet invalidum ex aliis quibusdam impedimentis, adhuc induceret impedimentum honeſtatis uſque ad quartum gradum.

Nec dicas: jus antiquum eſt correctum per Tridentinum in ſponſalibus irritis: ergo etiam in matrimonio rato irrito videtur eſſe correctum, cum hoc impedimentum ex matrimonio deducatur ex ſponſalibus & acceſſorium debeat ſequi ſuum principale.

Reſpondeo neg. conſeq. nam licèt ob hanc rationem antecedenter multi dubitaverint, an Tridentinum quoad ſponſalia invalida, quòd non inducant impedimentum honeſtatis, intelligatur etiam de matrimonio rato, hoc tamen dubium eſt ſublatum per Bullam Pii V. contrarium ſtatuentis. His propoſitis:

Aſſero 1. ad quæſtionem: *Conſanguini-* 15

tas in linea recta aſcendentium & deſcendentium jure naturæ dirimit matrimonium non tantum in primo, ſed etiam in quocunque gradu in infinitum. Eſt Scoti in 4. Diſt. 40. q. un. §. *de ſecundo dico.* & plurimorum contra Sanchez quoad 2. partem.

Probatur 1. pars primò: tum quia omnes gentes benè inſtructæ & ſolo lumine naturæ edoctæ in linea recta in primo gradu ſcilicet inter patrem & filiam, aut matrem & filium ſemper nefas eſſe exiſtimârunt nuptias inire; imò ut teſtantur Ariſtoteles & Plinius etiam bruta inſtinctu naturali abhorrent connubium cum parentibus, ut Ariſtoteles Lib. 9. de hiſtoria animalium C. 47. & Plinius Lib. 8. hiſtoriæ naturalis C. 22. commemorant duo mirabilia exempla & unum de camelo, qui hominem incitantem ſe ad coëundum cum matre occidit: ergo ſignum eſt, quod lumine naturæ repugnet matrimonium inter parentes & filios: tum quia filii debent lumine naturæ parentibus omnem reverentiam non quomodocunque, ſed cum laudabili verecundia; ſed propter ſocialem conjunctionem, quam inter virum & uxorem ſecum affert matrimonium, deſtruitur filialis ſubjectio in parente, & propter actum conjugalem auſertur verecundia: ergo eſſet contra naturam inter illos fieri matrimonium.

Probatur 2. tum quia duplex eſt finis ineundi matrimonii ſcilicet primariò ob generationem prolis & ſecundariò ob remedium & repreſſionem concupiſcentiæ; ſed matrimonium filiorum cum parentibus adverſatur utrique fini: ergo. Min. prob. quoad primam partem; quia quamvis abſolutè poſſit haberi proles ex concubitu parentum cum filiis, attamen conveniens generatio prolis petit uxorem eſſe viri ſociam & parem in actu conjugali; ſed repugnat naturæ filium eſſe æqualem ac ſocium matri in actu conjugali: ergo. Probatur etiam quoad ſecundam partem; quia per tale matrimonium potiùs mirum in modum exardeſceret concupiſcentia inter parentes & filios, cum naturali amori adhuc conjungeretur amor conjugalis: ergo etiam huic fini repugnat, & ideo natura voluit præcludere viam ad plurimos inceſtus patrandos: tum quia talia matrimonia impediunt, quò minùs amicabilis conjunctio, à qua bonum commune pendet, ad multos protendatur: ergo etiam ex hoc capite talia matrimonia ſunt invalida. Ant. patet; quia ſi inter parentes & filios jure naturæ poſſit contrahi matrimonium, parentes plerumque filiis nuberent, & extraneos negligerent: ergo præpediretur amicitia aliorum: hinc tale matrimonium in nullo eventu poſſet iniri, niſi DEUS diſpenſaret, adeóque ſi in mundo non eſſent niſi pater & filia, non poſſent abſque juſſu DEI, qui expectari debet, inire matrimonium, cùm ſint perſonæ jure naturæ ſimpliciter inhabiles.

16 Probatur 2. pars: tum quia in omnibus lineæ rectæ aſcendentibus & deſcendentibus invenitur ratio principii & principiati; ſed hoc eſt fundamentum reverentiæ & ſubjectionis deſcendentium in aſcendentes & quidem majoris aut ſaltem ſemper æqualis in aſcendentes remotiores, ut experientia probat in nepotibus, qui majori reverentia feruntur in avos quàm parentes; ergo cùm in copula inter aſcendentes licèt remotiſſimos ſemper reperiatur irreverentia & inverecundia, ſufficiens erit hæc ratio principii & principiati ad dirimendum matrimonium jure naturæ, cùm remotiores ſemper ſint principia per ſe, licèt ſubordinata in ſerie cauſationis deſcendentium, & in linea recta non in tantum attendatur participatio ſanguinis ſicut in collaterali, ſed potiùs ratio principii, quæ ex natura rei exigit reverentiam à principiato, adeóque licèt evaneſceret in deſcendentibus remotioribus participatio ſanguinis, remanet tamen fundamentum reverentiæ debitæ: tum quia ſtylus ſcripturarum vocat Judæos filios Abraham, Iſaac, & Jacob, & Chriſtum filium David, eò quòd ex eodem ſanguine deſcendat juxta promiſſionem ei factam, imò nos omnes vocat filios Adæ ſecundum originem deſcendentem, vi cujus etiam contrahimus originale: ergo indicat Scriptura etiam in remotiſſimis aſcendentibus eſſe rationem ſuperioratûs, & in deſcendentibus rationem ſubjectionis, & conſequenter ſervari debere debitam reverentiam in illis, quod & jus civile determinat hoc impedimentum in linea recta eſſe perpetuum, ut habetur in Inſtit. de nuptiis. & ſic ſi Adam modo reſurgeret, non poſſet aliquam ducere ex ſuis deſcendentibus.

Objicies contra 1. partem: matrimonium inter parentes & filios non repugnat ſubſtantiæ matrimonii; quia hi poſſent mutuam traditionem corporum ſuorum facere, nec repugnat fini primario; quia poteſt proles procreari, nec fini ſecundario, cum etiam inter parentes & filios ob incautam familiaritatem ardor concupiſcentiæ ſæpius excitetur, & ſic in illis ſimilis ardor extingueretur matrimonio inter eos inito: ergo non videtur jure naturæ eſſe invalidum. 17

Reſpondeo diſting. antec. non repugnat immediatè & ſimpliciter conc. non mediatè & ſecundùm quid neg. antec. nam adhuc repugnaret debito ordini & convenientiæ, ut diximus in proba 2.

Objicies contra 2. partem: jus Canonicum C. *non debet.* de conſang. correxit jus civile non tantum de linea transverſa, ſed etiam recta, cum non diſtinguat inter utramque lineam: ergo ſicut correxit jus antiquum in linea transverſa, illáque impedimenta reſtrinxerit uſque ad quartum gradum, ita etiam in linea recta, & ſic non in infinitum dirimitur matrimonium. 18

Reſpondeo neg. antec. nam Gloſſa & Doctores communiter colligunt, ibi ſolum eſſe ſermo-

ſermonem de linea transverſa, quod etiam ratio ſuadet; nam motivum Eccleſiæ ad reſtringendos gradus fuit, ut incommoda & pericula evitentur, ut ipſum Trident. teſtatur; ſed talia incommoda non occurrunt in linea recta, cum in nullius memoria ſit unquam fuiſſe diſpenſatum in conſanguinitate ſecundum lineam rectam, adeòque ſequitur jure naturæ hoc eſſe invalidum.

19 Aſſero 2. *Probabilius eſt matrimonium in linea transverſa in primo gradu ſcilicet inter fratrem & ſororem eſſe jure naturæ irritum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 40. §. *hic præmittenda* dicentis: *magis eſt contra legem naturæ conjungi in primo gradu in linea recta, quàm transverſali:* ergo etiam primus gradus lineæ transverſæ eſt contra jus naturæ, licèt minùs, quàm in linea recta. Eſtque noſtri Brancati contra Maſtrium.

Probatur: tum quia, Gen. 13. Abraham ſuaſit Saræ, ut diſſimulet ſe eſſe ejus uxorem, & diceret ſe eſſe ſororem; ſed hoc ideo fecit, quaſi ſupponeret compertum genti illi barbaræ ſcilicet Ægyptianæ, quòd ſi ſoror eſſet, non poſſit fratris uxor eſſe: ergo cum hæ gentes lumine naturali agnoverint, videtur jure naturæ eſſe irritum matrimonium inter fratrem & ſororem; quod autem Abraham C. 20. ultrò dicat, aliàs autem verè ſoror mea eſt & filia patris mei, non matris meæ, intelligi debet juxta Lyranum, quod Abraham vocaverat Saram filiam patris ſui Tareth & conſequenter ſuam ſororem, quia erat neptis ejusdem Tareth ex ejus filio Aram fratre Abraham, & hoc dixit coram Abimelech, ne iram ſibi comparet, aut ne Rex credat, quod Abraham ſibi illudere voluerit: tum quia ſi talia matrimonia eſſent jure naturæ permiſſa, ardor concupiſcentiæ magis flagraret, quàm reprimeretur, quod tamen eſt finis ſecundarius matrimonii, cum frater & ſoror ſe aliunde magis diligant amore naturali: ergo ſi ideo reprobatur matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, etiam reprobari debet in primo gradu lineæ transverſæ ex jure naturæ; hinc Innocentius III. C. *gaudemus.* de divortiis. decernit infideles converſos ad fidem non eſſe ſeparandos in matrimonio inito in ſecundo, & aliis remotioribus gradibus, eò quòd legibus Eccleſiæ non arctentur: ergo benè à contrario, ſi ſint conjuncti in primo gradu, quem ſupponit dirimere jura naturæ matrimonium.

20 Objicies: Scotus cit. §. *de ſecundo dico.* expreſsè tenet contrarium dicens: *in omni lege aliqua propinquitas impedivit, in lege naturæ illa ſola, ut dictum eſt, in primo gradu in linea deſcendente:* ergo per ly *ſola* excludit omnem aliam propinquitatem in linea transverſa.

Reſpondeo, Scotum quidem eſſe problematicum, ſed magis inclinare ad noſtram partem; quia ibi ſolùm indicavit, quod certum eſt, ſcilicet illam ſolam propinquitatem lineæ deſcendentis in lege naturæ ſemper impediviſſe matrimonium, non autem in linea transverſa; quia benè poterant in mundi exordio fratres cum ſororibus contrahere, non autem filius cum matre vel pater cum filia, & ideo illa propinquitas lineæ transverſæ non præpedivit matrimonium ob neceſſitatem propagandi generis humani, ſicut impedivit in linea recta, quod veriſſimum fuit; non autem vult Scotus ſimile matrimonium non eſſe vetitum lege naturæ extra caſum tantæ neceſſitatis; aliàs debuiſſet etiam ſenſiſſe non eſſe vetitum lege naturæ, patrem accedere ad filiam, quia dicit: *ſemper fuit contra matrimonium illa conjunctio & magis filii ad matrem, quàm patris ad filiam.* Scotus ergo aſſignat illud, quod factum eſt, non verò quod defacto fieri conveniens eſt, & ſolùm agnoſcit primum gradum lineæ rectæ eſſe ſtrictius de jure naturæ, quàm primum gradum lineæ transverſæ: hinc Scotus in Aſſert. cit. dicit: *eſt una regula, quod efficacior gradus eſt in linea deſcendente quàm in transverſali, & ratio naturalis eſt; quia plus conjungitur proles parenti, quam proles proli, & ideo magis eſt contra legem naturæ conjungi in primo gradu in linea recta, quam in transverſali, ſemper enim fuit contra matrimonium illa conjunctio & magis filii ad matrem, quam patris ad filiam, quia major irreverentia eſt, Unde 8. de animalibus dicit Ariſtoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem ſuam, qui poſtea diſcoopertus oculis videns hoc, ſe præcipitavit, & alibi legitur de Elephante, qui ingeniatus, ut matrem ſuam cognoſceret, poſt hoc ingeniatorem occidit, ex quo patet, quod hoc eſt contra legem naturæ, etiam ut competit brutis per propagationem, & ideo primus gradus deſcendens & potiſſimè matris ad filium maxime impedit matrimonium.*

Dices: hoc Ipſo, quòd in exordio mundi frater & ſoror potuit contrahere, & non exſtet aliquid de diſpenſatione data à DEO, non fuit contra naturam, imò legitur in hiſtoriis Pontifices aliquando diſpenſâſſe.

Contra neg. antec. nam vel DEUS diſpenſavit cum illis, cùm ſit Author naturæ, vel nec erat opus diſpenſatione, cum ibi præponderaret præceptum conſervationis naturæ. De moderno autem ſtatu Eccleſiæ falſum eſt Pontifices aliquando diſpenſâſſe in primo gradu conſanguinitatis lineæ transverſæ; unde tales aſſignatæ hiſtoriæ ſunt fallaces, & dum citatur Martinus V. quòd diſpenſaverit in primo gradu lineæ transverſæ, hoc ſolum verùm eſt de affinitate, quòd ſcilicet diſpenſaverit cum affine in primo gradu, non autem cum fratre & ſorore, vel ſi abſolutè velis cum fratre & ſorore, dicendum eſt, quòd tantum diſſimulaverit, & permiſſivè ſe habuerit ad evitanda majora mala ex ſeparatione illorum, quia caſu & ignoranter frater & ſoror contraxerunt.

Dices:

Dices: ſi eſſet contra jus naturæ matrimonium fratris cum ſorore, ſic non potuiſſet in antiquo Teſtamento judicari validum; ſed fuit judicatum validum 2. Reg. 13. cum Thamar à fratre ſuo Amnon opprimeretur, dixit: *noli frater mi opprimere me, noli facere hanc ſtultitiam, potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.*

Contra neg. min. vel quia dictum unius puellæ non facit aliquid eſſe licitum; vel quia hoc dixit, ut ſe faciliùs liberaret ab inceſtu; vel quia putabat matrimonium non poſſe eſſe tantum malum, quàm ſimilem inceſtum; vel dicunt aliqui expoſitores Thamar non fuiſſe filiam David, vel ſaltem non ex eadem matre cum Amnon, imò planè ax alio patre & matre, nam dicitur ab Hebræis Thamar non fuiſſe filiam ſed privignam Davidis ex Maacha filiam, ſed ex alio patre, vocari autem ſororem Amnon ex vulgi conſuetudine: & licet aliæ gentes admiſerint matrimonium inter fratrem & ſororem, per hoc tamen non eſt conformiter juri naturæ factum; nam incultæ gentes etiam alia ex malitia admittebant, quæ ſunt contra jus naturæ, ut idololatriam.

21 Aſſero 3. *Matrimonium etiam in gradu primo affinitatis linea recta non eſt jure naturæ irritum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 41. quæſt. un. §. ad quæſtionem contra paucos.

Probatur: tum quia matrimonium inter affines in primo gradu lineæ rectæ neque eſt contra fines matrimonii, neque contra reverentiam & ſubjectionem debitam fundatam in participatione ejuſdem ſanguinis, nequa contra debitum ordinem in matrimonio: ergo non eſt ratio; cur ſit contra jus naturæ. Conſeq. patet; quia ob illas rationes concludimus illa matrimonia in 1. & 2. Aſſert. eſſe contra naturam. Prob. ergo antec. non eſt contra finem prolis, cùm hæc haberi poſſit; nec contra repreſſionem concupiſcentiæ, quia ſicut matrimonium cum ſecunda uxora dividit carnem parentis, cùm fiat bigamus, & non amplius repræſentet perfectè Sacramentum unionis Chriſti cum unica ſponſa Eccleſia, ita etiam reſpectu filiorum ex prima uxore genitorum ſeparat & dividit affectum ſuum noverca ab illis, ut conſtat experientia, quòd proprios filios in præjudicium privigni illa ſecunda uxor foveat; imo paternum diſcindat amorem: ergo illa affinitas in linea recta non attingit illud vinculum amoris, ex quo concupiſcentia privigni erga novercam ex natura rei exardeſceret; nec eſt contra debitam reverentiam; cùm nulla ſubjectio naturalis in privigno erga novercam reperiatur; nam hæc ſolùm fundatur intar eas perſonas, quæ dant & accipiunt eſſe naturale ſive mediatè ſive immediatè per naturalem generationem, quod non fit inter affines etiam in linea recta: ergo. Tum quia potiſſima ratio eſſet, cur primus gradus lineæ rectæ jure naturæ dirimeret matrimonium; quia noverca & verus pater v. g. Petri facti ſunt una caro per copulam; ſed hæc ratio non ſufficit: ergo. Min. prob. attento jure naturæ primi gradûs lineæ tranſverſæ affinitatis inter fratrem cum uxore fratris defuncti matrimonium non aſt nullum, & tamen illa uxor facta eſt una caro cum fratre priori; cùm tantùm fiet mediatè & ab extrinſeco una caro: ergo etiam licèt pater & uxor ſecunda fiat una caro, non tamen efficiet, ut matrimonium initum à privigno & noverca ſit irritum jure naturæ; interim tamen talia matrimonia includerent aliquam indecentiam & impietatem, ut filius accedat ad uxorem patris ſui etiam defuncti, quæ tamen indecentia adhuc non eſt tanta, ut omnino dirimeret ex natura rei illorum matrimonium v. g. inter privignum & novercam, privignam & vitricum, inter Socerum meines Weibs Vattern/ & Nurum ſeines Sohns Weib/ inter Socrum meines Weibs Mutter/ & generum ihrer Tochter Mann/ qui omnes ſunt affines in primo gradu lineæ rectæ.

Objicies: jus Canonicum de conſanguinitate dicit, eodem modo abſtinendum eſſe de affinibus ſicut de conſanguineis; ſed in linea recta abſtinendum eſt à conſanguineis jure naturæ: ergo etiam &c. hinc dicit D. Paulus 1. ad Cor. 5. *auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui quis habeat:* ergo videtur eſſe contra naturam apud gentes. 22

Reſpondeo neg. conſeq. quia jus Canonicum ſolùm loquitur de æqualitate dirimendi matrimonium attenta lege Eccleſiaſtica, non verò de æqualitate abſoluta attento ſolo jure naturæ. D. ergo Paulus ſolùm loquitur de inceſtu privigni cum noverca adhuc vivente patre, quod omnino inhoneſtum eſt, & propterea etiam Jacob morti vicinus maledixit Ruben, quòd thorum paternum maculâſſet dormiens cum uxore patris. Cæterum autem, ut hiſtorici referunt, apud Perſas fuit conſultum, ut ſæpius parentum ſuorum uxores ducerent filii, poſtquam mortui ſunt parentes, & ideo non eſt univerſaliter contra gentes.

Dices: filius eandem fermè reverentiam tenetur præſtare novercæ quam propriæ matri, cum hæc locò matris ſuccedat; ſed ob reverentiam debitam parentibus jure naturæ eſt irritum matrimonium in parentes & filios: ergo etiam inter privignum & novercam &c. ideo etiam non legitur ullum Pontificem in tali gradu diſpenſâſſe.

Contra neg. maj. nam quamvis in tali matrimonio ſit aliqua indecentia, ſi tamen aliqua juſta cauſa appareret, validum erit jure naturæ tale matrimonium, eò quòd cohoneſtari poſſet, unde longè major indecentia eſt in linea recta conſanguinitatis, imò etiam in tranſverſa in primo gradu; quia ſi filius cognoſcit matrem ſuam, à qua ſuum eſſe habet, ſe ipſum quodammodo carnaliter cognoſcit, & frater

co-

cognoſcendo ſororem cum quâ participat ab eodem parente eundem ſanguinem ſe ipſum in ſorore quodammodo cognoſcit, quod eſt inverecundum, cum illa participatio ſanguinis immediata exigat verecundum horrorem: aſt privignus cognoſcendo carnaliter novercam, cum nec ab illa habeat ſuum eſſe, nec eſſe novercæ ſit à viro ſcilicet patre privigni, ſi ipſum in ea non cognoſcit, & ideo ex natura rei talis verecundus horror non oritur: illud tandem quod non legatur Pontificem unquam diſpenſâſſe, non multùm probat, cum ſit authoritas negativa, potuit enim factum fuiſſe, quod nunquam in ſimili gradu affinitatis lineæ rectæ diſpenſatio fuerit petita.

23 Aſſero 4. *Sponſalia quacunque ratione invalida etiam defectu conſenſûs purè interni ut in fictione ſponſalium, non inducunt defacto impedimentum publicæ honeſtatis.* Eſt Bonacinæ, Maſtrii, contra Sanchez, & alios id ſolum admittentes de defectu conſenſûs externi etiam aliqualiter invalidi, ut in metu, errore &c.

Probatur: tum quia Tridentinum expreſſè dicit omnia ſponſalia quacunque N B. ratione invalida eſſe inefficacia ad hoc impedimentum; ſed ſponſalia invalida defectu conſenſûs interni v. g. in fictione ſunt invalida: ergo. Tum quia minùs invalida ſunt ſponſalia ex gravi metu contracta, quàm ex nullo interno conſenſu contracta; illa enim habent ſaltem internum conſenſum, licèt non perfectè liberum, hæc verò nullum; ſed ſponſalia ex metu gravi non ſunt efficacia ad inducendum impedimentum publicæ honeſtatis defactò: ergo à potiori nec ſponſalia invalida defectu omnis conſenſûs interni.

24 Objicies: hoc impedimentum eſt inſtitutum ob publicam honeſtatem ad vitandum ſcandalum; ſed quando ſponſalia apparent exterius omnino valida, & ſolus conſenſus internus deficit, tanta inhoneſtas & ſcandalum foret contrahendo poſtea cum ſorore vel alia conſanguinea ſponſæ, ac ſi ſponſalia vero animo fuiſſent contracta: ergo ex motivo Eccleſiæ conſtat ejus mentem fuiſſe, ut defectus conſenſûs, ob quem ſunt invalida ſponſalia, & non inducentia impedimentum honeſtatis, ſit externus ut in ebrio, amente &c.

Reſpondeo retorquendo hoc argumentum; quòd etiam tale impedimentum eveniret ex aliis ſponſalibus invalidis non tantùm ratione conſenſûs deficientis, ſed etiam ob quemcunque alium defectum occultum, qui probari non poteſt, ut propter votum caſtitatis ſimplex, quod tamen juxta omnes eſt falſum & contra Tridentinum. Unde diſting maj. hoc impedimentum eſt inſtitutum ob publicam honeſtatem tantum neg. ob illam & veram conjunctionem & propinquitatem per ſponſalia cum conſanguineis ſponſi vel ſponſæ conc. maj. & neg. conſeq. unde illud ratione ſcandali ſolùm probat, quod intentio Eccleſiæ ſit, ut quando defectus conſenſûs in publicis ſponſalibus probari non poſſit, & ſcandalum ſit matrimonium contrahere cum alia conſanguinea, talis in foro externo non permitteretur contrahere; cum priora ſponſalia habeantur pro validis, ſicque cenſeantur per juſtam præſumptionem contraxiſſe impedimentum publicæ honeſtatis, non tamen probat, quòd verè ſit inductum tale impedimentum in illis ſponſalibus; ut præciſo ſcandalo talis non poſſit tuta conſcientia contrahere cum conſanguineis ſponſæ putatitiæ v. g. ſi ſponſalia etiam fuiſſent occultè contracta cum fictione, vel ſi aliò migrarent, ubi talis præſumptio de valore ſponſalium non eſſet; hinc non eſt vera illa ratio Durandi, quod Eccleſia induxerit hoc impedimentum, tum propter ſponſalia vera, tum propter præſumpta, ſed induxit ſolum propter ſponſalia vera, ita tamen, ut in præſumptis non permitteret in foro externo contrahere, cùm non crederetur ei non conſenſiſſe.

Dices: in jure ex matrimonio præſumptivè valido, quod deinde juridicè eſt judicatum invalidum, filii cenſentur legitimi, ac ſi matrimonium fuiſſet validum: ergo etiam ſponſalia publicè contracta, licèt poſtea reperiantur juridicè ficta, nihilominus inducent impedimentum honeſtatis, quia præſumptivè cenſebantur fuiſſe valida.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia ibi agitur de favore prolium, & ideo ibi ampliatur ad filios favor; in noſtro autem caſu agitur de præjudicio ſponſæ vel ſponſi inferendo, ideò eſt reſtringendum; quare ad veritatem rei & non ultrò extendenda ſunt verba legis.

QUÆSTIO IV.

Quo jure diſparitas cultûs, Ligamen, & impotentia dirimant matrimonium?

ADvertendum eſt 1. cultûs diſparitatem eſſe impedimentum dirimens patet ex C. *cave.* 28. q. 2. & ex antiqua conſuetudine juxta D. Pauli præceptum 2. ad Cor. 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus*; unde licet non reperiatur lex expreſſè ſcripta, quæ declarat ex cultûs diſparitate matrimonium eſſe irritum, id tamen conſtat ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ à temporibus Apoſtolorum, quæ conſuetudo habet vim legis, & ideò Eccleſia irritat talia matrimonia; cum ſit inconveniens Chriſtianum contrahere matrimonium cum infideli, tum propter periculum perverſionis, tum propter ſcandalum aliorum infidelium; de cultûs ergo diſparitate hic aliàs multa agunt Authores, ſcilicet de matrimoniis infidelium, & hæreticorum, ac diſſolutione matrimonii per converſionem unius conjugis ad fidem. De quibus jam diximus Diſt. 1. q. 2. & 3. & 5. in 1

Aſſert. 3. quæ pro præſenti ſunt diligenter recogitanda.

2 Advertendum eſt 2. cultûs diſparitatem ſumi pro exterioria fidei profeſſionis diverſitate, non verò interioris, ſic enim hæreticus & apoſtata à fide, etſi fide interiori careant, quia tamen ratione characteris baptiſmalis ad eandem Chriſti Religionem pertinent, validè contrahunt cum Catholica, non tamen cum aliqua judæa aut pagana &c. econtra verò catechumenus licèt habeat interiorem fidem, quia tamen charactere baptiſmali caret, non poteſt validè contrahere cum Chriſtiana; unde generaliter loquendo cultûs diſparitas eſt inter baptizatos & non baptizatos, & de hac quæritur, quonam jure, vel naturali, vel divino, aut ſolùm Eccleſiaſtico, dirimat matrimonium contrahendum; nam contractum, ſi unus convertitur ad fidem, & alter nolit converti, dirimitur ex conceſſione divina, aut diximus Diſt. 1. q. 5. Aſſert. 3. hinc moderno tempore ſancta conſuetudine jam præceptum eſt, ut conjunx ad fidem converſus non permitteretur cum infideli cohabitare; quamvis ab initio Eccleſiæ per 600. annos, ubi frequens erat converſio judæorum juxta conſilium D. Pauli permitteretur eorum cohabitatio propter ſpem converſionis alterius conjugis, quando voluit cohabitare ſine contumelia creatoris, defacto verò docuit experientia, non modicum perverſionis periculum imminere fideli conjugi ex contortio infidelis; adeóque cum quilibet tam grave periculum teneatur ſub mortali vitare, adſtringitur merito fidelis non cohabitare cum infideli: ex quo etiam ſequitur multorum probabilis ſententia, quòd matrimonium ſtatim diſſolvatur, poſtquam infidelis ad fidem eſt converſus, & alter converti renuat, ut poſſit alteri nubere; quamvis etiam multi contrarium doceant, non prius diſſolvi, niſi infidelis tranſeat ad alias nuptias, ita ut generatio unius ſit corruptio alterius.

3 Advertendum eſt 3. impedimentum ligaminis nil aliud denotare, quàm vinculum viri cum uxore poſt legitimè contractum matrimonium, quo vinculo durante matrimonium poſterius, ſi quod contrahitur, eſt irritum; hinc cum Polygamia ſeu pluralitas uxorum cum uno viro, aut pluralitas virorum cum una uxore neceſſario in impedimento ligaminis reperiatur, ideò de ea in præſentiarum agemus, de qua certum eſt de fide in lege Evangelica prohibitum eſſe jure divino plures ſimul habere uxores, ut patet ex Trident. Seſſ. 24. Can. 3. & C. *gaudemus.* de divort. ubi id probatur ex teſtimonio Chriſti Matth. 19. *quicunque dimiſerit uxorem niſi ob fornicationem, & aliam duxerit. mœchatur.* Nam ſi dimiſſa uxore non poteſt alia duci, quantò minùs ipſâ retentâ: oritur ergo difficultas, an præter hoc præceptum divinum, ſit etiam jus naturale vetans polygamiam, & quidam ſimultaneam, nam de ſucceſſiva certum eſt illam eſſe licitam & validam; quia ſoluto vinculo morte naturali vel civili unius conjugis, poteſt quis ſucceſſivè quinquies vel ſexies aut pluries conjugium inire juxta illud Apoſt. 1. ad Cor. 7. *mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat tantùm in Domino.* Cæterum etiam communior ſententia docet, non tantùm in lege Evangelica, ſed etiam in prima mundi inſtitutione jure divino fuiſſe prohibitam polygamiam, ut conſtat ex ipſa creatione Adam & Evæ, ſi enim voluiſſet DEUS matrimonium eſſe cum pluribus uxoribus, ſic creâſſet Adamo non unam ſed plures fœminas. Hinc ultrà dixit Gen. 2. *& adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, per quæ verba DEUS videtur pluralitatem uxorum penitùs excluſiſſe; cùm apertè ſignificet [illegible]us cum unica conjunctionem, adeóque Chriſtus Matth. 19. volens matrimonium reducere ad primævam inſtitutionem, prohibuit pluralitatem uxorum & repudium permiſſum dicens, *ab initio enim non fuit ſic*, ideò ſemper jure divino fuit prohibita polygamia.

Advertendum eſt 4. eos qui cum ſecunda 4
fœmina matrimonium contrahere volunt, debere eſſe certificatos certitudine morali de morte & obitu prioris conjugis, ita ut non ſit probabile eam vivere, pro qua ſciendum eſt primò: non probari ſufficienter mortem conjugis ad ſolvendum ligamen, & ad contrahendum de novo per cujuſcunque temporis præſcriptionem de abſentia conjugis, ut ſtatuitur C. *in præſentia.* de ſponſal. & per conſequens correctum eſt jus civile quoad hoc punctum, quod decrevit ſeptennium ſufficere, ſi tanto tempore ſit abſens conjux, & de eo penitùs nihil audiatur; nam abſentia talis multorum annorum non reddit certam mortem conjugis, ſed ad ſummum dubiam; aſt quamdiu res dubia eſt, melior eſt conditio prioris matrimonii poſſidentis, conſequenter eſt abſtinendum à ſecundo contractu; tum quia ſic ſe exponerent periculo nullitatis Sacramenti, tum etiam adulterii: ſecundò nec probari ſufficienter mortem conjugis per ſolam famam aut probabilitatem de ejus morte, niſi aliis rationibus adjuvetur; nam jura requirunt certum nuncium aut certitudinem moralem; ſed ſola fama, aut alia quædam conjecturalis probabilitas non facit certum nuncium, aut moralem certitudinem; cùm fama ſæpe oriatur ab authore incerto & fallaci, ideò etiam in criminalibus fama non ſufficit ad concludendum, adeóque nec etiam in puncto mortis conjugis, ubi æquè res eſt magni momenti: econtra verò, ſi talis fama corroboretur aliis rationibus, poterit eſſe ſufficiens ad generandam certitudinem moralem, tales autem rationes poſſunt eſſe primò longitudo abſentiæ, & fama generalis de loco, ubi mors contigiſſe dicitur: ſecundò ſi mors

mors jam pridem contigiſſe narratur, ita quod nihil ab illo tempore de illius vita ſit auditum: tertiò, ſi erat valdè ſenex, aut valdè infirmæ valetudinis, aut in prælio & diu expectatus, ac fama fert eum occubuiſſe: quartò, ſi fuit captus ab hoſtibus, & fama fert talem eſſe occiſum à longo tempore ſinè ullo nuncio contrario: quintò, ſi fama oriatur à duobus ad minimum fide dignis, & fundetur in cauſa rationabili, quæ prudenti judicio eſt relinquenda ac judicibus Eccleſiaſticis.

5 Advertendum eſt 5. per impedimentum impotentiæ nihil aliud intelligi quam inhabilitatem conſummandi matrimonium, aut privationem potentiæ ad exercendam copulam carnalem, ſive hæc ſe teneat ex parte viri ſive fœminæ; cum enim finis primarius matrimonii ſit prolis generatio, & hæc non niſi per copulam naturaliter obtineri poſſit, vir utique & fœmina, qui matrimonio conjungendi ſunt, ad copulam carnalem habiles eſſe debent, dicitur ad copulam carnalem; non enim requiritur copula prolifera; nam licèt conjuges ſteriles eſſent, ut ferme ſunt omnes viri decrepiti, & fœminæ quinquagenariæ, dummodo ſit potentia ad copulam & ſeminationem, validum contraherent matrimonium; quia contrahens non tenetur abſolutè ad prolem, ſed conditionatè, ſi eveniat, gratanter ſuſcipiendam & educandam, & ſolummodo obligatus manet quilibet conjux ad non procurandum oppoſitum; unde illud matrimonium ſterilium adhuc eſſet ob finem ſecundarium matrimonii ſcilicet in remedium concupiſcentiæ, & ſic ſterilitas nullatenus eſt impedimentum. Propria autem impotentia ad actum conjugalem alia eſt naturalis ſeu intrinſeca, & alia caſualis vel præternaturalis & extrinſeca: naturalis eſt, quæ ab intrinſeco provenit ex naturali corporis diſpoſitione, ut eſt in viro frigiditas, ſeu defectus caloris naturalis, vi cujus eſt impotens ad ſeminandum, vel nimia caliditas, vi cujus vir accenſus nequit retinere ſemen uſque ad locum vaſis debiti: in fœmina verò plerumque eſt arctitudo vaſis, qua redditur impotens, ut carnaliter poſſit cognoſci. Hinc Scotus in 4. Diſt. 42. quæſt. un. §. *ex dictis. Frigiditas enim in muliere non impedit ſimpliciter, ſicut nec ſterilitas.* Præternaturalis eſt, quæ provenit ab extrinſeco ut à caſtratione, mutilatione, vel maleficio, ut habetur C. *fraternitatis.* de frigid. & malefic. iterum impotentia alia eſt perpetua, alia temporalis: prima eſt, quæ præter miraculum per opus humanum abſque corporali periculo removeri non poteſt, aut quæ ſine peccato & per aliud maleficium tolli non poteſt: ſecunda eſt, quæ ſine miraculo & ſine mortis periculo licitè tolli poteſt, ut eſſet impotentia per maleficium inducta, ſi per curam maleficii ſine novo maleficio ſolummodo auferendo ſignum maleficii tolli poteſt, & hanc quæſtionem an maleficium tolli poſſit Scotus in 4. Diſt. 34. q. un. §. *hic primo* per phraſim Hibernicam à Truffanach vel verbo italico truſa quod eſt deceptio vocat truffaticam id eſt ineptam ſeu ſine intellectu, & concedit eam in dicto ſenſu; quia eſt meritorium deſtruere opera diaboli, hos terminos truffatica quæſtio, ponit eam Scotus in 4. Diſt. 12. quæſt. 1. §. *ad quæſtionem.*

Advertendum eſt 6. iteratò impotentiam aliam eſſe abſolutam, aliam reſpectivam: abſoluta eſt, quæ reſpectu omnium perſonarum talis eſt, ut vir frigidus nullam fœminam perfecta copula poteſt cognoſcere: reſpectiva eſt, quæ tantùm habetur reſpectu determinatæ perſonæ, non verò reſpectu omnium, ut ſi mulier ſit arcta uni & non alteri, & hæc reſpectiva ſi eſt perpetua, æquè eſt impedimentum dirimens; quia cum contractus matrimonii involvat pro ſua ſubſtantia determinatam perſonam cum qua contrahit, ſi hæc non eſt habilis ad copulam, nullus eſt contractus, ut habetur C. *fin.* 33. quæſt. 1. ad impotentiam præſentim temporalem etiam reducit Scotus in 4. Diſt. 42. q. 2. §. *ex dictis.* ætatem puerilem; quia ex defectu ætatis dicitur quis impotens ob impubertatem, & ideò meritò reducitur ad impotentiam, niſi, ut jura dicunt, malitia ſuppleret ætatem, & licèt hoc impedimentum ætatis non ſit impotentia perpetua; cùm in profectiori ætate ceſſet, matrimonium tamen ante talem ætatem eſt nullum, quamvis deinde revalidari poſſet novo conſenſu poſt adeptam ætatem nubilem, nullitas autem talis matrimonii impuberum eſt partim ex lege poſitiva Eccleſiæ, ut in iis, qui haberent perfectum uſum rationis & potentiam coëundi ſine præſcripta tamen ætate, partim ex lege naturali ut in iis, qui nondum ad perfectum uſum rationis pervenerunt, aut neque perfectam copulam præſtare poſſunt. His itaque notatis ſit

Propoſitio 1. *Biviria ſeu polygamia id eſt pluralitas virorum reſpectu unius mulieris eſt jure naturali vetita.* Ratio eſt ex Scoto in 4. Diſt. 33. q. 1. §. *ad argumenta.* dicente: *Biviria magis eſſet ad finem minus principalem, & minus ad finem principaliorem, quia eadem mulier infra idem tempus à pluribus viris impregnari non poſſet.* unde ſic: talis polygamia eſt contra utrumque finem matrimonii: ergo. Antec. prob. tum quia, heterogenea ſeminum plurium virorum commixtio vel planè impedit generationem prolis, ut teſtantur medici, & patet in meretricibus, vel ſaltem incertam reddit ex parte patris, cui potiſſimùm cura prolis incumbit, cùm à pluribus cognita nequeat certo ſciri, cujus viri ſit proles; ergo eſt contra finem primarium matrimonii: tum quia non eſſet ſufficiens remedium concupiſcentiæ; dum enim unus uteretur ea uxore, alter non poſſet ea ſimul uti: tum quia pacifica familiæ gubernatio etiam reputatur finis ſecundarius matrimonii; ſed hujuſmodi pax ſub gubernantium pluralitate haberi non poteſt, ut di- 7

cit Ariſtoteles; tandem in nulla unquam lege permiſſum fuit, ut plures viri unam uxorem habere potuerint; ſed hoc ipſum juxta S. Auguſtinum eſt ſat efficax ſignum à poſteriori, quòd hoc jure naturæ ſit vetitum.

8 Propoſitio 2. *Polygamia ſeu pluralitas uxorum reſpectu unius viri eſt ſolùm jure naturæ ſecundario vetita; ideò fuit olim per ſingularem DEI diſpenſationem conceſſa antiquis Patriarchis & populo judaico.* Ratio eſt ex Scoto cit. tum ex Gen. 25. de Abrahamo qui habuit Saram & Agar, de Jacob, qui habuit Liam & Rachaelem, de Davide 2. Reg. 5. qui plures ſimul habuit uxores; ſed non videtur eſſe probabile dicit Scotus cit. quod hi Patres ſic contrahendo aliquid illicitum fecerint: ergo judicandum eſt cum his fuiſſe diſpenſatum ob paucitatem populi electi, ut hoc modo plures mulieres ab uno viro fæcundarentur, & ſic plures proles ad divinum cultum propagarentur, & populus electus multiplicaretur; licet autem talis diſpenſatio non habeatur expreſsè in Scriptura, cenſendum tamen eſt illam fuiſſe per ſingularem inſpirationem eis manifeſtatam, ut dicunt commentatores ſacræ Scripturæ, ita tamen, ut talis diſpenſatio ſe non extenderit ad gentiles, cùm in eis non fuerit illa ratio multiplicationis populi electi; nam ratio diſpenſationis non fuit ulim multiplicatio totius generis humani; nam ſic potiùs ab initio debuiſſet DEUS formâſſe plures fœminas pro uno Adamo, ut diximus in Advert. 3. aut plures fœminas in arca Noë debuiſſet conſervâſſe: ergo cùm hoc factum non ſit, ſignum eſt ſolùm fuiſſe diſpenſatum cum Patriarchis populi electi ad hujus multiplicationem, adeóque gentiles ad exemplum judæorum plures ducendo uxores illicitè fecerunt, niſi eos bona fides propter exemplum judæorum excuſavit.

9 Propoſitio 3. *Impotentia temporalis ſive ſcita ſive ignorata ab altero conjuge non dirimit matrimonium.* Ratio eſt; quia hoc deciditur C. *fraternitatis tuæ.* de frigid. & malef. ubi conceditur certum tempus triennii ad experiendum vel inſpiciendum per matronas; an impotentia ſit perpetua an temporalis, ut conſtet de valore vel nullitate matrimonii, & decernitur reſtaurari matrimonium diſſolutum ex eo, quod impotentia fuerit putata perpetua, & tamen poſtea comperta temporalis; ſed hoc manifeſtè indicat potentiam temporalem non dirimere matrimonium: ergo. Tum quia, qui eſt ad tempus impotens, non eſt ſimpliciter impotens: ergo ex hoc capite eſt capax validi matrimonii & obligationis ad debitum conjugale ſolvendum pro tempore, quo erat impotens, ſicut qui non eſt de præſenti ſolvendo, ſi poſſit ſolvere de futuro, validè contrahit de præſenti obligando ſe ad ſolvendum pro tempore futuro; imo lex matrimonii obligat adinſtar præcepti affirmativi, quod obligat ſemper ſed non pro ſemper: ergo etiam matrimonium non obligat ad ſemper reddendum debitum, ſed dum quis potens eſt: hoc etiam videtur ſentire Scotus in 4. Diſt. 34. q. un. §. *hic primo.*

Propoſitio 4. *Carentia utriuſque teſticuli ut eſt in eunuchis eſt impotentia dirimens matrimonium.* Ratio eſt; quia ita declaravit Sixtus V. anno 1587. nam licèt eunuchi cum fœmina coire poſſint, non tamen ſemen proprium effundunt, ſed alium humorem ſubſtantialiter diverſum, ut dicunt medici: ergo cùm ad perficiendam copulam ſeminalem ſint inepti, inhabiles erunt ad matrimonium; nam nec in remedium concupiſcentiæ mulieri poterunt ſatisfacere; quia hoc remedium non habetur per quamcunque copulam, ſed per copulam ſeminalem pro generatione prolis aptam per ſe ex veritate ſeminis, quam non habent eunuchi, benè tamen ſenes; unde hi ſolùm per accidens non generant, eunuchi verò per ſe non prolificant: dixi tamen ob carentiam utriuſque teſticuli; nam carentia unius tantum non reddit hominem inhabilem ad veram copulam & verum ſemen emittendum, imò tales multoties etiam fæcundum ſemen emittunt & generant, ideo tales imperfecti eunuchi validè & licitè contraherent matrimonium. 10

Propoſitio 5. *Hermaphroditi ſeu antrogini, qui habent utrumque ſexum poſſunt validè & licitè contrahere matrimonium juxta ſexum in eis prævalentem.* Ratio eſt ex L. *quaritur.* ff. de ſtatu hominum; nam in eo ſexu poteſt generare & copulam perficere: ergo nihil deficit ad matrimonium, imò licèt etiam ſexus in eo eſſet æqualis, poſſet contrahere matrimonium juxta ſexum quem elegerit, præſtito tamen juramento ſe alio ſexu nunquam uſurum eo matrimonio durante, licèt hoc ſoluto & alio contracto poſſit alium ſexum eligere; imò etiam juxta Amicum ſexum minus prævalentem, dummodo juxta eum habeat potentiam ad perfectam copulam & generationem, cùm habeat omnia ad matrimonium validum requiſita: ſecus autem eſt de Ordinibus & officiis publicis; nam hæc tantùm à viro ex inſtitutione Chriſti obiri debent; ideo juxta eandem inſtitutionem Chriſti cenſebitur incapax Ordinis, qui muliebrem ſexum prædominantem habet; imò etiamſi utriuſque ſexus ſit æqualiter particeps, eum jura rejiciunt; nam talis æquè fœmina ac vir dici poteſt, ubi ſimile quid non contingit in matrimonio; nam ibi omnis dicitur vir, qui virilem copulam perfectè exercere poteſt. His poſitis: 11

Aſſero 1. ad Quæſt. *Diſparitas cultûs inter perſonam baptizatam & non baptizatam non dirimit matrimonium jure naturali aut divino, ſed ſolùm Eccleſiaſtico & quidem conſuetudinario.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 39. q. un. per totam. 12

Probatur 1. pars: ſi cultûs diſparitas dirimeret matrimonium jure naturæ, non potuiſ-

ſet

ſet in ulla lege fuiſſe validum matrimonium infidelis cum fideli; ſed hoc non, cùm Jacob fidelis contraxerit cum filiabus Laban ethnici, & Joſeph cum Putipharis filia Ægyptiaca, Eſther cum Aſſuero, Sancta Monica cum Patritio gentili teſte D. Auguſt. L. 9. Confeſſ. C. 9. tum quia contractus matrimonii fidelis cum infideli non adverſatur bonis matrimonii, ut patet de matrimonio cum hæreticis, ubi æquè illa inconvenientia oriri poſſent ſicut in matrimonio fidelis cum infideli, & tamen validum eſt, neque repugnat bonis matrimonii.

13 Probatur 2. pars: Apoſt. 1. ad Cor. 7. ſuadet virum fidelem non dimittere uxorem infidelem, quæ conſentit habitare cum ipſo; ſed ſi jure divino tale matrimonium eſſet nullum, Apoſtolus ſuaderet ad fornicationem, quod dici nequit: ergo non dirimit jure divino: tum quia Chriſtus in matrimonio nihil immutavit de jure naturæ contractûs, ſed tantùm contractum naturalem elevavit ad eſſe Sacramenti: ergo cum talis contractus de jure naturæ ſit validus inter diſpares cultu, non videtur jure divino eſſe invalidatus, cùm pro hoc nullus locus Scripturæ aſſignari poſſit.

14 Probatur 3. pars: quamvis multi Canones ſcripti habeant reprobatum matrimonium inter diſpares cultu; quia tamen omnes poſſunt intelligi per illos ſolùm prohiberi matrimonium, non verò plane dirimi, ideò ſolùm ex receptiſſimo uſu & longiſſima conſuetudine totius Chriſtiani populi per modum legis hoc Impedimentum dirimens fuit introductum.

15 Objicies: DEUS prohibuit in lege veteri matrimonium hebræorum cum gentilibus ut Exod. 34. ne ſcilicet ſeducerentur & ſervirent Diis alienis, quod eſt præceptum morale: ergo adhuc jure divino talia matrimonia fidelis cum infideli ſunt irrita.

Reſpondeo neg. conſeq. quia ad ſummum probatur talia matrimonia eſſe illicita non verò irrita, nec illud præceptum fuit purè morale, aliàs hebræis non tantum prohibita fuiſſent matrimonia cum infidelibus Cananæis, aut Ægyptiis, ſed etiam cum omnibus gentilibus ob illam datam rationem, quod tamen falſum eſt; unde ſignum eſt quòd ſolùm fuerit præceptum judiciale, quod morte Chriſti expiravit, quòd autem Eſdras interpres legis Domini in Deuteronomio C. 7. ſeparaverit hebræos à conjugibus infidelibus, hoc fecit ſpeciali inſtinctu DEI; imò ad hoc habuit mandatum DEI ob graviſſima mala, quæ DEUS ex ſimilibus conjugiis prævidit eventura: tandem defacto etiam Pontifex poteſt talia matrimonia fidelis cum infideli irritare; nam licet Eccleſia nullum habeat jus in infidelem, ſufficit tamen quod habeat poteſtatem circa fidelem; adeóque cùm matrimonium poſtulet duos contrahentes habiles, eo ipſo quòd Eccleſia reddat inhabilem fidelem ad contractum matrimonialem cum infideli, corruit totus contractus. Cæterùm licèt cultûs diſparitas præcedens dirimat matrimonium contrahendum, non tamen cultûs diſparitas ſequens dirimit contractum; unde ſi alter conjunx per apoſtaſiam à fide diſcederet ad judaiſmum vel paganiſmum, & in eo alium conjugem ducat, conjux in fide permanens aliud non poterit inire matrimonium, uti etiam dicitur de affinitate & impotentia ſuperveniente, & deciditur C. *quanto.* de divort. nam matrimonium jure divino eſt indiſſolubile, cultûs verò diſparitas eſt ab Eccleſia introductum impedimentum: ergo licet Eccleſia, antequam fiat matrimonium, poſſit impedire nè validè contrahatur inhabilitando perſonas & contractum, non tamen quando ſemel validè fuit contractum poteſt facere infectum, præſertim ſi fuit conſummatum.

Aſſero 2. *Polygamia unius viri cum pluribus uxoribus non eſt quidem contra jus naturæ ſtrictè ſumptum, eſt tamen contra jus naturæ latè acceptum, adeò ut matrimonium ſuperſtite uxore cum alia initum ſit naturæ nullum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 33. q. 1. *§. ad argumenta.* contra Amicum quoad 2. partem. 16

Probatur 1. pars primò, illud eſt de jure naturæ ſtricto, quod eſt ex terminis notum, aut ex eis immediatè deductum, ac cujus oppoſitum eſt intrinſecè malum & indiſpenſabile; ſed monogamia ſeu unitas unius uxoris cum uno viro ut non poſſit ſimul eſſe cum alia adhuc uxore, non eſt ex terminis notum nec indiſpenſabile: ergo. Maj. patet min. prob. quoad 1. partem, ſi eſſet ex terminis notum, aut immediatè deductum, eſſet propter illud principium: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Ideò cum mulier ſe totam tradat viro uni, etiam ſe totum vir debeat tradere uni uxori, aliàs cum injuria hujus ſe etiam traderet alteri; ſed hoc principium non obſtat: ergo. Min. prob. quia in illo contractu cum pluribus ſupponitur, quod fieret cum tali ſcientia & implicito prioris uxoris conſenſu, ut, ſi viro placeret, poſſet aliam deinceps ducere, præſertim ubi talis conſuetudo foret, ut in Turcia, ubi mulieres ſibi gratiæ ducunt, dummodo virum acquirant, & libenter ſe totas tradunt pro parte viri: ergo non agunt contra illud principium. Prob. min. quoad 2. partem. DEUS enim diſpenſavit cum quibuſdam Patriarchis: ergo non eſt intrinſecè malum & indiſpenſabile.

Probatur 2. pluralitas uxorum reſpectu unius viri non repugnat primario nec ſecundario fini matrimonii: ergo non eſt ſtrictè contra naturam. Antec. prob. quoad primarium finem, qui eſt procreatio & educatio prolis; ſed poteſt vir unus eſſe ſufficiens ad fœcundandas plures mulieres, & educandas plures proles, ut videtur eſſe in uſu apud quasdam Nationes: ergo. Probatur quoad ſecundarium finem, qui eſt ſatisfacere concupiſcentiæ in ſtatu naturæ lapſæ; ſed non tenetur vir ſemper ſatisfa-

tisfacere uxori, quin multis de cauſis excuſetur tum propter negotia, & varias occupationes, ex quibus vir aliquando poteſt abeſſe uxori: ergo etiam uno tempore poſſet ſatisfacere uni & alio tempore alteri, & non teneretur ſemper ad nutum ejus ſatisfacere: tum quia talis ſecundarius finis non debet ſemper intendi in matrimonio, dummodo habeatur primarius: ergo licèt polygamia eſſet contra ſecundarium finem, non tamen eſſet contra naturam. Antec. patet, ſi requireretur ſemper, ut mulieri ſatisfiat, quoties & quando vult, ſic non poſſet validè vir ſenex juvenem fœminam ducere, cùm ei ad ſufficientiam ſatisfacere non poſſit; ſed hoc eſt contra omnes: ergo. Tum quia ille finis ſecundarius non requiritur ad matrimonium ſimpliciter ſecundum ſe: ergo quamvis polygamia ſit contra hunc finem, non tamen abſolutè deſineret eſſe matrimonium. Antec. prob. matrimonium in ſtatu innocentiæ fuiſſet ſemper legitimum, ſed ibi non fuiſſet in remedium concupiſcentiæ: ergo.

17 Probatur 2. pars: illud eſt contra jus naturæ latè ſumptum, quod eſt contra concluſiones ab ipſis primis principiis deductas, ac diſſonum rationi naturali; ſed diſſonum eſt rationi naturali, ut unus unam non ducat perpetuò, aut ipſa vivente ducat aliam: ergo. Ut ducat ſimul plures eſt contra jus naturæ latè ſumptum maj. patet, min. prob. rationi naturali conſonum eſt, ut proles benè & commodè educatur, ut concupiſcentiæ opportunè quantum poſſibile eſt ex utraque parte provideatur, & ut pax, & amicitia in una domo conſervetur, ſed hæc omnia valdè difficulter cum pluralitate uxorum obtinentur, ut de ſe patet: ergo. Hinc etiam Chriſtus ſua lege talem polygamiam inhibuit, ut patet Advert. 3. ita ut nec Pontifex in pluralitate uxorum poſſit diſpenſare, nec conſuetudo prævalere.

18 Objicies contra 1. partem: contra jus naturæ eſt rem uni traditam ſecundum eandem rationem tradi alteri, ſed maritus in matrimonio tradit poteſtatem ſui corporis uxori: ergo ſi eandem poteſtatem traderet alteri, ageret contra jus naturæ ſtrictum.

Reſpondeo diſting. maj. contra jus naturæ eſt rem uni totaliter traditam tradi alteri conc. rem uni partialiter traditam tradi alteri neg. maj. diſting. min. maritus tradit poteſtatem ſui corporis uxori totaliter in noſtro caſu neg. partialiter & quantum ad effectum fœcundandi mulierem, qui eſt primarius finis matrimonii conc. min. & neg. conſeq.

Dices: matrimonium deſiderat perfectam commutationem corporum ſine qua non eſſet matrimonium; ſed talis perfecta commutatio non eſſet in poteſtate partialiter tradita, cum mulier ſe det totaliter ut nihil naturalis juris retineat ad ſe dandum alteri: ergo etiam ſecundum jus naturæ ſtrictum ſe vir debet tradere totaliter.

Reſpondeo diſting. maj. perfectam commutationem corporum eſſentialem pro matrimonio conc. accidentalem & ſecundariam neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. adeóque in polygamia adhuc adeſt perfecta commutatio corporum quantum ſufficit ad eſſentiam matrimonii de jure naturæ rigoroſo, ſeu in quantum exigit finis primarius matrimonii & medium rectæ rationis in circumſtantiis debitis, eò quòd corpus viri in ordine ad finem primarium plurimis fœminis æquivaleat ad generandum, nec mulieribus fieret injuria, utpote cum ſcientibus & volentibus ita contrahere non fiat injuria, imò in aliquibus caſibus invitæ eſſe non poſſent ob majoris boni exigentiam ſcilicet multiplicationem populi fidelis, qui tanquam finis primarius debet præponi ſecundario.

Dices: ſi mulier non traderet totaliter & in ſolidum ſui corporis poteſtatem viro non foret matrimonium legitimum: ergo etiam ſi vir non tradit totaliter & in ſolidum ſui corporis poteſtatem.

Contra diſting. antec. non eſſet legitimum matrimonium ideò præcisè quia mulier non traderet totaliter ſuum corpus neg. ideo, quia ſi non traderet totaliter uni viro hoc fieret contra finem primarium ſcilicet ſobolis procreationem conc. antec. & neg. conſeq. licèt enim contractus matrimonialis debeat eſſe utrinque æqualis de jure divino & lege naturali latè ſumptâ, cùm hoc ſit valdè conſonum rectæ rationi, non tamen hoc eſt de jure naturali ſtricto ſimpliciter neceſſarium; unde DEO diſpenſante ob majus bonum talis contractus non deberet eſſe utrinque æqualis quoad finem ſecundarium, dummodo ſit quoad primarium finem æqualis.

Dices: per matrimonium ſe obligat vir ad reddendum debitum uxori quotiescunque mulier petierit; ſed hoc nequit præſtare ſi cum pluribus contrahit: ergo non ſalvaretur eſſentia contractûs matrimonii. Min. patet, quia ſi illæ plures uxores ſimul peterent debitum, utique vir non poſſet ſatisfacere; imo tale matrimonium non eſſet in remedium concupiſcentiæ, ſed eſſet contra pacificam habitationem plurium uxorum.

Contra diſting. maj. ſe obligat quantum ad finem primarium conc. ſe obligat quantum ad utrumque finem neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. finis ergo primarius non exigit ut vir reddat debitum, quotiescunque petierit fœmina, ſed ſolùm quoties rationabiliter petit, & vir rationabiliter præſtare poteſt; imo nec finis ſecundarius hoc exigit, ut ſemper reddatur, quoties adſunt ſtimuli concupiſcentiæ, ſed commodo tempore & loco; ideo hoc minus in polygamia deſiderari poterit: hinc talia matrimonia adhuc eſſent aliqualiter in remedium concupiſcentiæ, cum uxor ſolum congruo tempore & ordinatè poſſit debitum exigere, & inter plures fœminas ſervaretur ordo, ſicut ſerva-

ſervavit Jacob inter Liam & Rachaëlem: tandem licet pacifica cohabitatio inter plures fœminas ſit difficilis, non tamen eſt impoſſibilis, unde per prudentem virum benè gubernari poſſent pacificè.

19 Objicies contra 2. partem: finis ſecundarius cedit primario, ſed ſæpe finis primarius matrimonii exigit polygamiam: ergo tunc attento jure naturæ erit valida & licita. Min. prob. In caſu quo proles eſſet neceſſaria reipublicæ & prima uxor eſſet ſterilis, tunc enim ratio dictaret præciſa lege divina ducendam eſſe aliam etiam cum detrimento finis ſecundarii, ideo C. *propoſuiſti.* 32. q. 7. refertur Gregorium III. cuidam conceſſiſſe ducere ſecundam uxorem ob primæ uxoris ægritudinem: ergo non eſt contra jus naturæ etiam latè ſumptum polygamia.

Reſpondeo diſting. maj. finis ſecundarius cedit primario diſpenſante DEO, cujus eſt in illo præcepto diſpenſare conc. non diſpenſante DEO neg. maj. nec ſemper finis ſecundarius cedit primario, cum etiam inter præcepta naturalia unum magis obliget quàm alterum, & ideo etiam in præſenti jus naturæ de monogamia plus obligat, quàm aliquod bonum reipublicæ. Ad illud de Gregorio III. dicit Gloſſa priorem non fuiſſe legitimam uxorem ob impedimentum impotentiæ perpetuæ, & ideò dum ultra dicit Pontifex virum illum non debere à priori uxore debitum ſubſidium auferre, quod ſignum eſſet illum judicâſſe priorem uxorem legitimam, intelligendus eſt, quod illi ſit dos reſtituenda, vel ſi de aliis bonis loqueretur, ſolùm id diceret per modum conſilii non præcepti.

Dices: licitum eſt uxori cedere totum jus, ut vir in religione profiteatur: ergo etiam licitè poſſet attento jure naturæ ſibi præjudicare in parte conſentiendo, ut & aliæ uxores ſimul haberent poteſtatem corporis ſui viri.

Reſpondeo neg. conſeq. nam poteſt quia juri ſuo renuntiare, ſi nulla adeſt ſpecialis prohibitionis ratio præter præjudicium alterius, ut eſt in profeſſione viri, non vero ubi adeſt prohibitionis ratio ſpecialis, ut eſt in polygamia, quæ eſt illicita, non quidem ob præjudicium uxori inferendum, ſed quia diſſonum eſt rectæ rationi & fini ſecundario matrimonii extra ſummam neceſſitatem & diſpenſationem divinam, ſicut licet vir conſentiat, ut mulier adulteretur, adhuc tamen ſit injuria Sacramento, & contra ſpecialem probibitionem divinam.

20 Aſſero 3. *Impotentia antecedens matrimonium, ſi ſit perpetua ſive cognita ſive ignorata dirimit jure naturæ matrimonium, etiam in ordine ad caſtè vivendum initum.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 34. q. 1. §. *hic primo.* contra Paludanum quoad ultimam partem.

Probatur 1. pars: tum quia Sixtus V. in ſua conſtitutione. *Cùm frequenter.* motu proprio edita ſic loquitur: *ſecundum Canonicas ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur:* ergo non tantum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturæ impotentia dirimit matrimonium: tum quia eſſentialis ratio contractûs matrimonii conſiſtit in eo, quòd tradatur mutua poteſtas & jus ſaltem radicale ad copulam; ſed ubi eſt perpetua impotentia, nec poteſt tale jus radicale tradi: ergo ex natura rei non poteſt validum conſiſtare matrimonium: tum quia obligatio ad impoſſibile eſt ex natura rei nulla; ſed ex matrimonio cum impotentia perpetua eſſet obligatio ad impoſſibile: ergo. Min. prob. per contractum matrimonii ſe obligant ad copulam carnalem, ſi petatur; ſed hæc eſt impoſſibilis apud impotentes perpetuò: ergo.

Probatur 2. pars: alter conjunx non impotens ignorans alterius impotentiam ſemper ex natura contractûs matrimonii intendit commutare poteſtatem ſui corporis pro poteſtate corporis alterius: ergo ſupponit econversò poſſe alterum etiam dominium ſui corporis ita commutare; ſed alter impotens non poteſt ita commutare: ergo contraheret cum errore pertinente ad ſubſtantiam matrimonii; atqui talis error irritat matrimonium: ergo. 21

Probatur 3. pars: licèt non ſit de eſſentia matrimonii ad caſtè vivendum, ut conjuges habeant voluntatem ad exercendam copulam, imò poſſint votum habere omnino abſtinendi, nihilominùs eſt de eſſentia matrimonii, ut conjuges acquirant poteſtatem radicalem, licèt ad actualem uſum præpeditam; ſed nec tale jus radicale ad copulam poteſt phyſicè impotens tradere: ergo nec eſſet matrimonium etiam in ordine ad caſtè vivendum, Maj. prob. ſi eſſentia matrimonii ad caſtè vivendum poſſet conſiſtere ſine radicali etiam poteſtate ad copulam, ſed ſolùm cum poteſtate ad vitæ & officiorum ſocietatem in diverſitate ſexûs, ſequeretur, quod conjunx potens, ſi commiſceretur cum alia non adulteretur, ſed ſolum ſimpliciter fornicaretur, cum non inferat injuſtitiam alteri, cui non dedit poteſtatem ſui corporis in ordine ad copulam, ſed tantum ad ſocietatem vitæ & officiorum, imò hoc modo etiam poſſet contrahi matrimonium inter patrem & filiam cum excluſione omnis obligationis ad copulam etiam poſſibilem, cùm ſint perſonæ aptæ ad aliquam ſocietatem, quæ tamen ſunt abſurda: ergo. 22

Objicies: ſicut ſe habet impotentia temporalis tempore quo durat reſpectu illius temporis, ita ſe habet impotentia perpetua reſpectu temporis univerſi; ſed temporalis non dirimit jure naturæ matrimonium: ergo nec perpetua. Maj. patet, impotentia temporalis ita impedit traditionem poteſtatis ad copulam pro eo tempore ſicut perpetua pro univerſo tempore: ergo eadem eſt ratio. 23

Reſpondeo neg. maj. & ejus probam. nam impo-

impotentiæ perpetuæ repugnat etiam obligatio & jus radicale ad copulam, imò etiam mutui traditio dominii corporum, non autem hoc repugnat impotentiæ temporali; nam qui nunc non eſt ſolvendo, poteſt obligari ad ſolvendum in futurum.

Dices: ad eſſentiam matrimonii non requiritur corporum traditio in ordine ad copulam, ſed ſufficit animorum conjunctio in naturalem vitæ ſocietatem cum diverſitate ſexûs, utpote cum matrimonium ad utrumque hunc finem ordinetur: ergo ſaltem poterit haberi matrimonium tale ex fine ſecundario inter perpetuò impotentes.

Contra neg. antec. ut dictum eſt in proba 9. nec ille finis eſt propriè ſecundarius veri matrimonii, ſed ſolummodò aliquis finis magis adventitius & extrinſecus qui etiam in aliis contractibus obtineri poteſt; hinc licèt ex voto poſſint ſe conjuges moraliter impotentes reddere extrinſecè ad copulam, hæc tamen moralis impotentia debet ſupponere phyſicam potentiam, in qua tanquam radice intrinſeca fundatur eſſentia contractus matrimonialis proprius.

24 Dices: dominium corporis poteſt ſeparari ab uſu & exercitio copulæ; ſed ſemoto ejus uſu non eſt neceſſaria potentia: ergo ſine potentia poteſt eſſe matrimonium.

Contra diſting. min. non eſt neceſſaria potentia ad copulam, tranſeat, non eſt neceſſaria ad ipſum jus primitùs acquirendum neg. min. nam nunquam poteſt fieri contractus matrimonii ſine jure corporum in ordine ad copulam poſſibilem, quamvis deinde hæc in actu ſecundo poſſit ab extrinſeco impediri.

Dices: jus Canonicum dicit quando viri duxerunt fœminas, quas noverant impotentes ad copulam, tunc quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores, ut habetur C. *conſultationi.* de frigid. & C. *requiſiviſti.* 33. q. 1. ubi dicitur: *quod ſi retinaculum conjugale voluerint reſcindere, maneant utrique innupti*; ſed hæc verba ſupponunt inter impotentes reperiri retinaculum validi matrimonii: ergo.

Contra neg. min. quia jus ſolum vult, quod poſſint tales apparentes conjugati habitare ſimul, ſi velint, nec cogendi ſint ad ſeparationem, dummodo caſtè vivant, & periculo incontinentiæ ſe non exponant adinſtar fratris & ſororis, hoc autem non probat matrimonium eſſe validum, cum etiam jus dicat expreſsè illos poſſe ſeparari, ſi velint, unde per illud retinaculum non intelligitur vinculum conjugale proprium, ſed tantum cohabitatio & retinaculum putativum; quod verò ultra dicat, maneant utrique innupti, hoc intelligendum eſt de illis, qui ambo ſunt impotentes perpetuò, vel de illis quibus ſuperveniebat impotentia perpetua poſt validè contractum matrimonium, ut ſtatim dicemus. Unde

25 Aſſero 4. *Impotentia matrimonio validè contracto ſive conſummato ſive rato ſuperveniens, quamvis perpetua, non dirimit matrimonium.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 34. q. 1. §. *hic primo.* & communis.

Probatur 1. C. *hi qui.* 32. q. 7. dicit Nicolaus Pontifex: *hi qui matrimonium ſani contraxerunt, & uni ex duobus amentia aut furor aut alia infirmitas acceſſerit, ob hanc infirmitatem talia conjugia ſolvi non poſſunt.* Similiter ſentiendum eſt de his qui ab hoſtibus excæcantur vel membris truncantur: ergo cum Pontifex non limitaverit ſua verba ad ſolum matrimonium conſummatum, intelligendus eſt etiam de rato: tum quia contractus matrimonii ſemel validus nequit amplius diſſolvi, quamprimùm enim à legitimo conſenſu contrahentium perficitur, retrahitur à poteſtate ipſorum, & ſubditur voluntati divinæ quoad ſolutionem: ergo nulla impotentia ſuperveniens dirimit matrimonium ſemel validum: ergo. His

26 Addo 1. ſi dubitatur an impotentia perpetua præceſſerit aut ſecuta fuerit contractum matrimonii, tunc ſi impotentia ſit naturalis, præſumendum eſt impotentiam præceſſiſſe, quia qualitas, quæ ineſt naturæ, ſemper ineſſe præſumitur: ſecus autem eſt, ſi impotentia ſit accidentalis & extrinſeca, tunc enim potius pro qualitate naturali, quæ eſt potentia coëundi, præſumendum eſt, niſi talis impotentia ſtatim poſt contractum appareat, ita ut inter experimentum conſummationis non longum tempus interceſſerit, nam tunc non eſt præſumendum impotentiam tam brevi tempore accidiſſe, ſed antecedenter fuiſſe.

27 Addo 2. pro praxi, ſi impotentia perpetua ſive abſoluta ſive reſpectiva certa eſt, & matrimonium præceſſit, tunc matrimonium declarandum eſſe invalidum, ſi autem dubitatur ſitne perpetua aut temporalis, ſi matrimonium contractum non eſt, nullatenus debet contrahi, exponeretur enim Sacramentum nullitati ſine neceſſitate, ſi autem matrimonium eſt contractum, tunc datur conjugibus à jure triennium, ut adhibitis mediis poſſibilibus conentur illam impotentiam tollere, & matrimonium conſummare, ut habetur C. *laudabilem.* de frigid. & malefic. & mulier arcta, ſi ſine periculo vitæ poſſet, deberet admittere inciſionem vaſis, & inter illud triennium licita ſunt eis quæcunque veris conjugibus etiamſi contingat per accidens ſemen extra vas effundi; elapſo tamen triennio non poſſunt amplius experiri, ſed debet judicari impedimentum eſſe perpetuum, debéntque ſeparari thoro, ſi non vellent ſine periculo incontinentiæ cohabitare ſicut frater & ſoror, ſi verò nolint aut non poſſint ſine periculo incontinentiæ cohabitare, poſſunt elapſo triennio petere illius diſſolutionem à judice Eccleſiaſtico, præſtito tamen utriuſque juramento, quod matrimonium non conſummaverint, aut proptèr impotentiam conſummare non potue-

potuerint, ut habetur in cit. C. unde etiam Scotus cit. §. *ad argumenta.* in fine dicit: *maleſicium præſupponitur perpetuum, ſi per triennium perſeverat.*

28 Addo 3. matrimonium in articulo mortis deſperatâ ſalute initum eſſe validum & legitimari per illud antehac ſuſceptas proles, imò ad hoc debent perſuaderi aliqui concubinarii habentes ſuas concubinas apud ſe; quia talis impotentia ad copulam reputaretur tantum pro ſuperveniente ad contractum: tum quia tale matrimonium laudabiliter approbatur ab Eccleſia, ut aliquis nimium affectus erga concubinam illam ducat in articulo mortis, ne ſalus ejus ſpiritualis deſperetur ob defectum propoſiti recedendi ab ea: tum quia in tali adhuc perſeverat potentia generativa phyſica, & ideo poteſt tradi ſui corporis dominium, licèt uſus nunquam ſequatur ob impedimentum extrinſecum ſcilicet mortem; unde talis copula non eſt abſolutè impoſſibilis, ſed ſolum ſuſpenſa & impedita extrinſecè.

29 Addo 4. ſuperveniente morbo v. g. lepra aut caſtratione impeditur quidem uſus actûs conjugalis, ſi pars ſana non velit cedere juri ſuo quod accipit ad abſtinendum, licitè tamen pars ſana redderet & peteret copulam, quia utraque pars uteretur jure ſuo vacans copulæ quam matrimonium permittit, quod autem tunc caſtratus non emittat verum ſemen eſt per accidens, ſicut eſt ſemen corruptum in viro morbo enervato vel ſene poſt matrimonium facto; imo poteſt conjunx cedere proprio periculo ad evitandum maximum periculum incontinentiæ, quod ex uſûs conjugalis perpetua privatione immineret, quamvis etiam probabile ſit, quòd pars infecta non teneatur reddere, cum alteram partem exponat periculo morbi vel peccati.

30 Addo 5. quando fœmina experientia didicit, ſe non poſſe niſi prolem mortuam edere, adhuc licitè petit & reddit copulam: tum quia per accidens contingit mors fœtûs ipſis conjugibus ſuo jure utentibus, nec teneretur illud damnum prolis vitare cum tanto detrimento perpetuæ abſtinentiæ ab uſu conjugum cum maximo incontinentiæ utriuſque periculo; imò etiam adhuc melius eſt puero eſſe cum originali culpa & carentia viſionis beatæ, quam omnino non eſſe, vide de his Sanchez Lib. 7. Diſput. 102. n. 8. interim tamen talis fœmina non teneretur reddere debitum, ſi non modicum ex morte fœtûs aut ex alio puerperio immineret periculum mortis propriæ in partu; nam tale detrimentum eam eximit à tali obligatione; quamvis poſſit juri ſuo cedens reddere & petere, & vir teneatur illi reddere, cum non habeat juſtam cauſam denegandi; quamvis etiam de viro tali, quod non teneatur reddere, ſit probabile juxta aliquos, cum vir non habeat dominium vitæ uxoris, quam exponeret periculo reddendo; nam econtrà etiam magnum eſt detrimentum in perpetuo abſtinere à copula in magnum incontinentiæ damnum utriuſque conjugis; hinc ut hoc detrimentum vitet, poterit uti jure ſuo, & vitam ejus periculo exponere: tum quia tale periculum ex partu non ſemper eſt certum, nec ſemper futura eſt conceptio certa ex quo imminet periculum.

Objicies: impotentia præcedens dirimit 31
matrimonium: ergo etiam impotentia ſuperveniens matrimonio validè contracto illud diſſolvet. Conſeq. patet, non minus matrimonium ad ſui eſſentiam poſtulat materiam neceſſariam in facto eſſe, quàm fieri: ergo ſi matrimonium in fieri poſtulat corpus aptum ad generandum, etiam in facto eſſe poſtulabit.

Reſpondeo neg. conſeq. diſparitas eſt, quia per ſupervenientem impotentiam non diſſolvitur matrimonium, eo quòd exiſtente potentia jam traditum fuerat dominium mutuum inter corpora conjugum, utpote cum corpus habile ad copulam ſit materia neceſſaria contractûs tunc tantum, quando initur, licet dein per accidens propter ſuperveniens impedimentum reddatur inhabile; aſt quando impotentia perpetua eſt præcedens, deficit materia contractûs, & ideo neque jus radicale tradi poteſt, cum impoſſibilium nulla ſit traditio, & ſic non eadem neceſſitate neceſſarium eſt, ut corpus ſemper ſit aptum ad uſum conjugalem, ſicut neceſſe eſt ad ineundum contractum.

Dices: non minus requiritur ad conſervationem rei quam ad ejus eſſentiam; ſed eſſentia matrimonii nequit conſiſtere cum impotentia perpetua à principio: ergo neque poterit conſervari hac ſuperveniente.

Contra neg. maj. in eſſentia morali, quamvis in eſſentia phyſica & metaphyſica ſit verum; nam in moralibus multa requiruntur ad rei eſſentiam, quæ non requiruntur ad conſervationem.

Dices: obligatio ad reddendum debitum ſemper comitatur matrimonium, quaſi illius propria paſſio, ſed ablata paſſione tollitur eſſentia à poſteriori: ergo ſublata obligatione ad reddendum debitum etiam aufertur eſſentia matrimonii.

Contra diſting. maj. obligatio ad reddendum debitum ſemper comitatur matrimonium ab initio conc. poſtquam jam contractum eſt neg. maj. & ſic conceſſa min. neg. conſeq. nam contracto matrimonio poteſt ab extrinſeco illa obligatio impediri, ut patet ſi una pars adulteretur, adeoque illa obligatio non eſt propria paſſio metaphyſica ipſius matrimonii in facto eſſe, niſi fortè conditionatè, ſi ſcilicet non præpediatur ab aliquo extrinſeco vel intrinſeco hoc eſt naturali principio.

Dices: ſi per decurſum temporis fœmina mutatur in virum, diſſolvitur matrimonium, quia diverſitas ſexûs eſt materia neceſſaria matrimonii in fieri & facto eſſe: ergo etiam corpus aptum ad copulam eſt ſemper materia neceſſa-

ria, ita ut ſuperveniente impotentia perpetua ad copulam diſſolvatur matrimonium.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt, quia diverſitas ſexus requiritur ad contractum matrimonii tanquam ſpecies perſonarum eſſentialis in genere morali, & materia per ſe requiſita, in qua fit permutatio, quia eſt res ipſa permutata ſecundum ſpeciem, quæ ſi perit, perit etiam titulus acquiſitus in illam rem, ſicut ſi perſona moritur, naturaliter perit matrimonium, ſic etiam ſi moritur quoad ſexum requiſitum; non enim tunc poteſt manere contractus ex vi conſensûs, qui mutato ſexu non tenet, aſt ſi ſemel matrimonium eſt validum, & ſemel translatum dominium, & poſſeſſio materiæ acquiſita, ſi ſuperveniat impotentia etiam perpetua, hæc non dicitur cadere in ſubſtantiam contractûs; ideo non vitiat contractum: maximè etiam ex eo; quia mutata fœmina in virum, ut fieri poſſe teſtantur Medici, omnis omnino finis matrimonii ceſſat & perit, quod tamen non contingit in noſtro caſu; ideo ſaltem potentia ad copulam non requiretur ad continuandum matrimonium tanquam eſſentiale, quamvis requiratur ut eſſentiale ad inchoandum contractum matrimonii, ut patet de ſenibus & infirmis; nam multa poſſunt requiri ad inchoandum eſſentialiter, non tamen ad continuandum eſſentialiter; ſic etiam licet impotentia ſuperveniens tollat uſum ad copulam matrimonii, non tamen adhuc tollit uſum ad mutua obſequia gubernandæ familiæ, licèt hæc ſola non ſufficiat ad initium contractûs matrimonialis validè ineundi; admittunt tamen communiter authores contractum validè initum manente aliquo fine etiam minus principali perſeverare poſſe; quia ad continuandum minus requiritur, quàm ad inchoandum, præſertim in moralibus.

Dices: C. *ex litteris*. de frigid. dedit Pontifex alicui licentiam aliud matrimonium ineundi, cujus uxor ante conſummationem matrimonii reddita fuit inepta copulæ, & poſt matrimonium contraxit impotentiam: ergo ſignum eſt, quod talis impotentia ſuperveniens dirimat matrimonium.

Contra, ibi loquitur Pontifex de impotentia præcedente matrimonium; unde illud ly *quod impotentiam contraxerit*, debet intelligi ita, ut contraxiſſe apparuerit; imò in illo C. poteſt ſubintelligi, quòd forſitan ille vir contra naturam ei vim intulerit, quia arcta fuit, ut nullo modo potuerit commiſceri, unde deinde magis fuit inhabilis reddita, & ſic utique non fuit matrimonium, ut docet Gloſſa in illud C. ubi ſupponit antecedenter jam impotentiam habuiſſe, & dein tantum contraxiſſe eam poſt matrimonium quoad manifeſtam apparentiam, eo quod per conatum plane inutilis fuerit reddita.

QUÆSTIO V.

Quomodo impedimentum criminis & raptûs dirimant matrimonium?

ADvertendum eſt 1. quamvis jure antiquo multa crimina impediverint matrimonium, defacto tamen non niſi duo crimina ſunt, quæ ſubſequens matrimonium dirimunt: primum eſt occiſio conjugis ex cauſa ſeu motivo contrahendi matrimonium cum alterius conjuge utroque conjuge machinante facta, & tale homicidium etiam ſecluſo adulterio dirimit matrimonium, quando nempe vir & fœmina ex intentione invicem contrahendi matrimonium in necem alicujus conjugis conſpirant, & mors ſequitur ſive concurrant phyſicè per ſe ipſos occidendo, ſive moraliter imperando, conſulendo &c. alterum crimen eſt adulterium, non quidem nudum, ſed prout annexum habet unum ex his tribus criminibus ſcilicet ut ſit adulterium vel cum promiſſione futuri matrimonii, vel cum matrimonio defacto inito ſuperſtite altero conjuge, vel cum homicidio, adeóque ſolum adulterium non obeſt matrimonio contrahendo, ut habetur C. *ſignificaſti*. de eo qui duxit &c. licet autem in eodem titulo C. 1. dicatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluit per adulterium, & illam maximè, cui fidem dederat ſua uxore vivente, ex quo textu aliqui putant hoc impedimentum incurri, licet fides futuri matrimonii non ſit data, nihilominus tamen ſemper intelligendum eſt adulterium connexum cum uno ex tribus aſſignatis criminibus commiſſum, unde ly *maxime* ſumitur pro *tantum* ut explicant Canoniſtæ. 1

Advertendum eſt 2. impedimentum criminis ſolo jure Eccleſiaſtico eſſe introductum, ut conſtat C. *ſi quis vivente*. 31. q. 1. & C. *ſuper eo*. de eo qui duxit &c. unde in antiquo teſtamento ſine omni diſpenſatione fuit validum matrimonium David cum Betſabea uxore Uriæ, quem David curavit interfici, Eccleſia verò hoc pro impedimento ſtatuit, ut anſam tollat machinandi mortem conjugum, ac reſcindat occaſionem adulterandi, eò quòd ſæpe venereo amore capti adulterantes promittant de futuro matrimonium, quamprimum ſcilicet adulterantis conjux moriatur, & ſic utique captatur anſa inferendi mortem conjugi; interim tamen certum eſt hoc impedimentum non reddere machinantem mortem ſimpliciter inhabilem ad quodcunque aliud matrimonium, ſed tantum reſpectu adulterantis, vel cui fides data eſt de futuro matrimonio. Cæterum tamen ſemper grave eſt peccatum vivente conjuge promittere matrimonium alteri, aut illud acceptare, cum ex tali promiſſione vel acceptatione detur occaſio captandæ mortis conjugis, ſimulque minuatur amor inter conjuges & via ſternatur ad adulteria, rixas & diſcordias. 2

Adver-

3 Advertendum eſt 3. raptum dupliciter poſſe conſiderari primò ut ſpecificè diſtinctam malitiam luxuriæ, ſecundò ut impedimentum dirimens: primo modo eſt malitia, quâ homo affectu luxuriæ impulſus eò devenit, quo libidinem expleat, vim inferat fœminæ ac iis ſub quorum poteſtate eſt, & ſic aliquam etiam injuſtitiam continet: ſecundo verò modo raptus ut impedimentum dirimens aſt violenta honeſtæ fœminæ de loco in locum libidinis cauſa traductio: dicitur violenta, per quod differt ab aliis luxuriæ ſpeciebus, quæ tantum caſtitati adverſantur, raptus verò etiam juſtitiæ vel contra ipſam raptam, vel contra parentes aut eos ſub quorum cuſtodia eſt rapta, & talis circumſtantia ſemper eſt explicanda in confeſſione; licet rapta conſentiret, dummodo adhuc parentes adhuc reſiſtant, quorum juri filia rapta cedere non poteſt (ut patet de Clerico conſentiente in ſui percuſſionem, per quam non liberat percutientem ab excommunicatione) niſi fortè prius præceſſiſſet tractatus de matrimonio ſcientibus parentibus, tunc enim puella volens abducta non propriè rapitur, licèt reclament parentes: dicitur honeſtæ fœminæ ſive ſit virgo, ſive vidua, ſive nupta, unde non eſt propriè raptus, ſi abducitur meretrix, vel abjecti nominis mulier, niſi ſit conjugata, vel aliquo tempore emendata, eſt tamen ſemper peccatum injuſtitiæ cuicunque fœminæ, ſi violenter cognoſcitur aut abducitur: dicitur de loco in locum traductio; nam rigoroſè raptus non eſt, ſi mulier in eodem loco violenter cognoſcitur: dicitur libidinis cauſa, ita ut licèt in foro conſcientiæ non requiratur quod copula ſit ſecuta, ſed ſatis ſit inferre vim cauſa libidinis explendæ, in foro tamen externo quoad pœnas incurrendas dicit Sanchez talem raptorem, qui à copula abſtinuit pœnitentia ductus & nolens eam habere, licèt potuerit habere, non eſſe ordinariis pœnis obnoxium ſed ſolum pœnæ extraordinariæ à judice infligendæ, ſi autem copula ſubſecuta non fuerit, eò quòd raptor ad eam pervenire non poterat, talem raptorem adhuc eſſe obnoxium pœnis ordinariis, quid autem nos de hoc ſentiamus, patefaciet Aſſert. 2. inſiſtendo juri novo.

4 Advertendum eſt 4. pœnas pro raptoribus ſtatutas eſſe ſequentes ſcilicet ex legibus civilibus pœna mortis, amiſſio bonorum, ut ſcilicet bona raptoris & opem ei ferentium ſtatim ad raptæ dominium tranſeant, ac quod talis raptus in jure civili ſit impedimentum dirimens; ex jure Canonico verò eſt pœna excommunicationis ut ſcilicet ipſe raptor & omnes ipſi conſilium præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, & tandem omnium dignitatum incapaces, ac tandem raptor debet competenter dotare raptam, an verò raptus jure Canonico antiquo fuerit impedimentum dirimens, diſputant multi Canoniſtæ dicendo aliquando fuiſſe, aliquando iterum eſſe revocatum, defacto tamen hanc diſputationem ſuſtulit Trident. Seſſ. 24. de Reform. matrim. C. 6. ſtatuendo eſſe impedimentum dirimens raptum ſub certis conditionibus, ut in Aſſert. 2. videbimus; interim tamen his pœnis non punitur raptus, qui eſt mera ſpecies luxuriæ; unde ſemper ad puniendum his pœnis requiritur traductio violenta de loco in locum vel fortis obſeſſio alicujus puellæ in domo ſuorum parentum vel curam gerentium, ſive ſequatur copula, ſive non, dummodo ſit rapta cauſa ineundi matrimonii; imò etiam licèt adhuc ſit in itinere, & raptor reſipiſcat; eò quia delictum raptûs in ipſa abductione conſumitur, & perfectè derogatur libertati matrimonii; cùm potiſſimùm in favorem libertatis matrimonii hæ pœnæ ſint à Tridentino ſtatutæ; econtrà verò non eſt locus his pœnis, ſi fœmina volens ſit abducta, licèt iterum facta abductione ſit nolens; ſi verò ſtatim ab initio ſit nolens & renitens, licèt poſtea poſt factam abductionem conſentiat, jam locus eſt illis pœnis, ſimiliter ſi fœmina talis importunis precibus aut dolis abducatur, aut volens invitis tamen parentibus, non incurruntur illæ pœnæ; quia in his omnibus non eſt propriè raptus definitus, ſed hujusmodi pœnæ raptui ſtrictè ſumpto convenire debent, & quidem ob libertatem matrimonii conſervandam, quæ ratio non currit in illis aſſignatis caſibus: econtrà verò ſi fœmina nolens abducatur parentibus volentibus imò ad ſimilem abductionem laborantibus eſſet locus his pœnis, cum ſola libertas fœminæ ſpectet ad matrimonium non verò conſenſus parentum, licèt ſit de honeſtate, ut ſuo loco diximus de neceſſitate conſenſus: tandem licet jure antiquo illas pœnas non incurrerit raptor meretricis, defacto tamen ex Tridentino talis raptor æquè incurrit pœnas, quia Concilium non intendit punire quemcunque raptum, ſed ſolum eum, qui cauſa ineundi matrimonii fit, ut dicemus Aſſert. 2. ob offenſam libertatem, ſed libertas matrimonii non minùs offenditur; quando mulier inhoneſta rapitur in ordine ad ineundum matrimonium, quam honeſta: ergo eadem erit ratio puniendi de jure novo. His itaque notatis:

5 Aſſero 1. ad quæſt. *non ſimpliciter crimen homicidii alicujus conjugis ab utroque conjuge factum, ſed ſub certis conditionibus factum; nec ſimpliciter adulterium cum præfatis tribus delictis connexum, ſed ſub certis conditionibus perpetratum eſt impedimentum dirimens matrimonii.* Eſt Scoti in 4. Diſt. 42. q. un. §. *ex dictis.* eſtque communis Canoniſtarum.

Probatur 1. pars: cùm impedimentum criminis ſit pœnale & odioſum, debet ſolùm extendi ad homicidium proprium & perfectum animo contrahendi matrimonium factum; ſed ad hoc requiruntur plures conditiones, quarum prima eſt, ut illa machinatio in mortem ſortiatur effectum; ſi enim conjux mor-

mortem conjugis machinetur, & non ſubſequatur, non erit impedimentum; nam C. *ſi quis vivente*. 32. q. 1. petitur actus conſummatus pro hoc impedimento: ſecunda eſt, ut vir & fœmina conjugium contrahere intendentes ambo ſimul in mortem conjugis conſpirent; unde ſi unus machinatus ſit mortem abſque alterius conſpiratione non erit impedimentum, dum etiam non interceſſerit adulterium; nam ſi committitur adulterium, non requiritur amborum machinatio, ſed ſufficit unius conjugis machinatio in mortem conjugis: tertia eſt, ut machinatio mortis ſit facta ex fine ineundi matrimonium, hinc ſi Petrus cum Lia machinetur mortem Cajo marito Liæ, eúmque occidant ex odio vel vindicta, vel ex fine ut liberius poſſint explere libidinem, non oritur impedimentum in Petrum & Liam. Quarta eſt, ut conjuges, quorum unus occiditur ſint vero matrimonio juncti, nam ſi matrimonium ſit invalidum, licèt bona fide exiſtimatum validum, tunc interfectio unius conjugis etiam cum adulterio non erit impedimentum; quia textus juris requirunt occiſionem conjugis vel adulterium cum occiſione conjugis; ſed ubi matrimonium eſt invalidum, neque eſt occiſio veri conjugis, neque reale eſt adulterium: ergo nec eſt impedimentum.

6 Probatur 2. pars: ob priorem rationem debet eſſe adulterium ſtrictum cum ſuis ſtrictis delictis connexum juxta verba propria legis pœnalis, ſed ad talia plures requiruntur conditiones quarum prima eſt, ut adulterium & fides promiſſa futuri matrimonii aut etiam contractus de præſenti concurrant durante priori matrimonio; hinc ſi copula aut promiſſio matrimonii aut etiam ipſum initum matrimonium præcedat illud matrimonium aut eo diſſoluto per mortem conjugis eveniant, non eſt impedimentum, ſic ſi fides data eſt vivente uxore, ſed copula poſt ejus obitum eſt habita vel econtrà adulterium habitum ſuperſtite conjuge & fides data mortuo conjuge, non eſt impedimentum: ſecunda eſt, ut illa promiſſio futuri matrimonii ſit aliquo ſigno externo expreſſa; unde interna cum adulterio non ſufficit, quinimo talis promiſſio non tantum debet eſſe abſoluta ſed etiam acceptata cum reciproca repromiſſione; hinc non ſufficit promiſſio conditionata, nec ſola taciturnitas ejus cui cum adulterio fuit facta promiſſio matrimonii; nam licet illa taciturnitas ſit ſufficiens acceptatio promiſſionis liberaliter factæ, quæ non eſt nociva acceptanti, non tamen eſt acceptatio promiſſionis oneroſæ & nocivæ acceptanti, ubi in noſtro caſu taciturnitas eſſet nociva acceptanti, utpote cum per eam incurrat delictum & impedimentum dirimens: tertia eſt, ut uterque adulterans noverit alterius conjugium, ſi enim unus ignoraret non eſſet impedimentum; unde ſi vir conjugatus cum fœmina conjugii ignara adulteretur, & ut illam ducat, ſuam propriam uxorem occidat, nullum eſt impedimentum, quia pro hoc requiritur adulterium reale & formale utriusque, ut dicit Gloſſa: attamen quotiescunque intercedit matrimonium de præſenti vivente altero conjuge & ſimul adulterium, ſemper eſt impedimentum ſive tale matrimonium ſequatur adulterium ſive præcedat. Quarta eſt, ut copula adulterina ſit perfecta, ſicut diximus de illa conſummante matrimonium vel affinitatem inducente; unde ſi ſolùm eſſet imperfecta, non eſſet impedimentum; quia non eſſet adulterium conſummatum ſicut requiritur, ſed imperfectum vel inchoatum.

Objicies: eſtoc impedimentum criminis, 7
ſi Petrus in primo matrimonio det fidem Berthæ conjugi Pauli, quod poſt mortem Pauli vellet eam ducere, quo Paulo defuncto Petrus tamen ducit Cajam eóque tempore ſecundi matrimonii adulteratur cum Bertha, cui in primo matrimonio dedit fidem, poteſtne inquam mortua ſecunda uxore Petrus ducere Bertham?

Reſpondeo in hoc caſu non eſſe impedimentum criminis, & Petrum poſſe ducere Bertham, nam ex conditione prima requiritur, ut in eodem matrimonio ſit fides cum adulterio data, quia fides data Berthæ in primo matrimonio tollitur per ſecundum matrimonium cum alia initum, per conſequens etiam tollitur ſpes adulteræ & occaſio cum ea machinandi mortem conjugis, adeóque cum ceſſet finis hujus impedimenti, ceſſat etiam eſſe ipſum impedimentum, niſi de novo in ſecundo matrimonio Berthæ ſit data fides cum adulterio: hoc idem eſt dicendum contra Amicum, ſi in primo matrimonio præceſſiſſet adulterium, & in ſecundo matrimonio fides data eſſet de futuro matrimonio ſine adulterio, quia textus juris rectè inſpecti eodem conjuge vivente petunt adulterium & promiſſionem, ut ſcilicet eidem matrimonio irrogetur injuria, & præſtetur occaſio inferendi mortem conjugi.

Dices: eadem ratio & finis videtur durare occidenti conjugem, ut eo citius poſſit ſuam promiſſionem ſervare: ergo adhuc erit impedimentum.

Contra neg. conſeq. nam ex hoc fine præcisè deberet etiam Eccleſia ſtatuere pro tali impedimento ſolam promiſſionem de futuro matrimonio adhuc vivente conjuge factam, cum etiam detur ſpes contrahendi & anſa occidendi; ſed hoc tamen non facit Eccleſia: ergo ultra quid requiritur ſcilicet injuria facta eidem matrimonio.

Dices: quid ergo, ſi in eodem matrimonio à fide data aut contractu matrimonii de præſenti inito cum alia ſuperſtite proprio conjuge uterque reſiliat, & poſtea tamen adulterium committant?

Contra dico, tunc non contrahi impedimentum, quia fides vel contractus in tali caſu fuit extinctus: econtrà verò ſi poſt adulterium ſit data fides vivente altero conjuge, etiamſi iterum

iterum reſilirent, contraheretur impedimentum; quia ad hoc incurrendum ſufficit, ſi ſemel conjungantur fides & adulterium, nec in poteſtate adulterantium eſt ſe à pœna, quam ſemel incurrerunt, eximere.

8 Aſſero 2. *Raptus, ut dirimat matrimonium, aliiſque pœnis à Tridentino ſtatutis ſit obnoxius, debuit fuiſſe factus causâ contrahendi matrimonii cum rapta, non autem causâ ſolius libidinis explendæ.* Eſt de jure Trident. Seſſ. 24. de Reform. c. 6. éſtque Sanchez, Maſtrii, contra quoſdam alios.

Probatur 1. Tridentinum citatum ſolùm intendit punire eum, qui libertatem ad matrimonium requiſitam lædit; ſed qui fœminam rapit non ad contrahendum ſed ad libidinem explendam, non violat libertatem ad matrimonium requiſitam, neque ad illud coëgit raptam: ergo talis non incurrit illas pœnas, maj. prob. aliquem textum dubium probat rubrica ſeu titulus qualiter ſit intelligendus, ut dicunt Canoniſtæ; ſed illud Decretum Trident. ponitur ſub titulo de reformatione matrimonii, & ſtatim à principio incipit de contrahendo matrimonio inter raptorem & raptam, illúdque invalidum decernit, quamdiu rapta eſt ſub poteſtate raptoris, validum verò, ſi contrahitur poſtquam rapta eſt à raptore ſeparata: ergo ex his videtur Tridentinum ſolùm loqui de raptu, qui fit causâ matrimonii.

Probatur 2. Sacra Congregatio Cardinalium in hoc puncto conſulta declaravit Anno 1586. raptores ob aliam cauſam quàm ut uxores ducant, non comprehendi à Concilio, & quamvis hæc declaratio ſolùm videatur loqui de excommunicatione, cum de ea ſolùm dubitabatur, nihilominus cùm de omnibus pœnis ſit eadem ratio, ita & de omnibus eſt ſentiendum. His

9 Addo 1. probabilius eſſe raptum, quo fœmina rapit virum ſeu adoleſcentem puberem, æquè dirimere matrimonium, & ſubeſſe pœnis, quia ideò Tridentinum ponit raptum, ne libertas matrimonii lædatur, ſed hæc eadem ratio militat ſive vir rapiat fœminam, ſive fœmina virum: ergo cùm non minùs ſit conſulendum libertati virorum quam fœminarum, ſic raptus viri à fœmina factus æquè dirimeret matrimonium inter illos; quod autem Concilium ſemper loquatur de raptoribus & non raptricibus, hoc forte ideo factum eſt; quia rariſſimè mulieres rapiunt viros, obinde tamen excludere non intendit mulieres, præſertim ſi currit eadem ratio de viris & mulieribus; nam ubi eſt eadem ratio, idem eſt jus, dicunt jura, ſic etiam Sacra Scriptura multa ſolùm de viris loquitur, obinde tamen non excludit mulieres, ut ſancti PP. dicunt.

10 Addo 2. matrimonium contractum inter raptorem & raptam, dum ſub poteſtate raptoris exiſtit, nec ſeparata eſt, & in loco tuto ac libero conſtituta, quamvis rapta liberè conſentiat deinde in tale matrimonium, eſt prorſus nullum, adeò, ut pro illo tempore raptus ſit impedimentum dirimens: econtrà verò, quando rapta à raptore eſt ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta, ibique cum raptore contrahit matrimonium, tenet matrimonium ut validum, quamvis ipſe raptor adhuc maneat excommunicatus, infamis, ac dignitatum incapax: ratio ſunt ipſa clara verba Trident. cit.

Objicies: Trident. loquitur de omni raptore ſine limitatione; ſed raptor cauſa libidinis eſt verè raptor: ergo etiam talis ſubjacet pœnis in Tridentino ſtatutis. 11

Reſpondeo neg. maj. ut patet ex proba Aſſertionis, Tridentinum enim ſolùm intendit punire raptorem cauſa ineundi matrimonium, eò quòd libertatem matrimonii lædat.

Dices: raptor cauſa libidinis ſi contrahit cum rapta necdum in loco tuto conſtituta lædit etiam libertatem matrimonii: ergo æquè punitur.

Contra neg. antec. quia tunc rapta liberè conſentit in matrimonium, cum nullum metum aut vim ei inferat in ordine ad matrimonium contrahendum, ut ſupponitur, ſi verò vim vel metum ad hoc intuliſſet, tunc matrimonium eſſet nullum non vi impedimenti raptus, ſed vi impedimenti coactionis vel metus.

Dices: Tridentinum intendit renovare pœnas ab antiquis Canonibus decretas raptoribus; ſed illi raptorem cauſa libidinis comprehendebant: ergo & Tridentinum.

Contra neg. maj. non intendit renovare pœnas antiquas, cum multas reſtrinxerit; unde ejus intentio ſolùm fuit aliquas pœnas imponere libertatem matrimonii offendentibus, ut declaravit ſacra Congregatio, cui potiſſimùm eſt fides danda.

Dices: Trident. cit. ibidem punit Clericos, ſed Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium: ergo etiam raptores ex alio fine punit Tridentinum.

Contra vel neg. min. quia Clerici ſaltem in Minoribus poſſunt eſſe raptores ex fine contrahendi matrimonium; imo etiam in Sacris conſtituti poſſunt ex hoc fine rapere & contrahere cum rapta matrimonium, quod licet aliunde ſit nullum ratione ſacri Ordinis, nullum tamen etiam erit propter impedimentum raptus: vel dico ad majorem Tridentinum ſolùm punire Clericos, quatenus fautores eſſe poſſunt eorum, qui rapiunt.

QUÆSTIO VI.

Quænam in petenda & obtinenda diſpenſatione ſuper impedimenta matrimonii ſint obſervanda?

QUæres 1. *an Pontifex & Epiſcopus in impedimentis impedientibus poſſint diſpenſare?* 1

Reſpondeo ad 1. *de Pontifice certum eſſe eum diſpenſare poſſe non tantùm in impedimentis impedientibus jure Eccleſiaſtico ſtatutis, ſed etiam jure divino naturali impedientibus, ut in votis abſolutis & perpetuis ac juramentis*; cum hoc tamen diſcrimine, quod diſpenſatio Pontificis in impedimentis purè Eccleſiaſticis etiam ſine juſta cauſa ſit valida; quia in ſpiritualibus ſupremum in terris dominium habet Pontifex, adeòque ſemper valida erit ſive dein peccet ſive non diſpenſando ſine juſta cauſa contra jus commune, diſpenſatio verò in impedimentis, quorum obligatio eſt naturalis & divina ſine juſta cauſa, nec erit licita nec valida; quia in his non cenſetur diſpenſare authoritate propriâ & ordinariâ paſtoralis officii, ſed poteſtate extraordinariâ ſibi à DEO conceſſa; ideo hæc poteſtas debet judicari illi data fuiſſe in ædificationem & non in deſtructionem: vide quæ diximus de Leg. de diſpenſatione legum, ubi tenemus probabiliter contrarium.

Reſpondeo ad 2. *etiam Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis ſolum impedientibus excepto voto abſoluto caſtitatis perpetuæ & religionis*. Ratio primi eſt; quia licet Inferior non poſſit diſpenſare in lege ſuperioris, & illa impedimenta ſint ſtatuta à Summis Pontificibus, nihilominus conſuetudine receptum eſt, ut diſpenſatio horum impedimentorum non petatur à Pontifice ſed Epiſcopo: ratio ſecundi eſt; quia licet Epiſcopus vi ſuæ juriſdictionis poſſet diſpenſare in illis votis, cum etiam vi ſuæ poteſtatis poſſit ſtatuere impedimenta dirimentia, ut diximus de impedimentis in communi, eò quòd Epiſcopus communiter poſſit in ſua Diœceſi ſaltem quoad pleraque, quæ poteſt Pontifex in toto orbe, attamen Pontifex ſibi reſervavit diſpenſationem in illis votis, ut docet quotidiana praxis, quæ exhibet ad Romanam curiam ſemper eſſe recurrendum pro diſpenſatione ſimilium votorum; cum ſit eorum obligatio naturalis & divina, ideo meritò requirunt ſupremam in terris poteſtatem. Dixi tamen in voto abſoluto caſtitatis perpetuæ; nam poſſet Epiſcopus diſpenſare primò in voto caſtitatis temporalis v. g. ad annum ad triennium emiſſum: ſecundò in voto caſtitatis conjugalis ſervandæ; cùm non ſit votum abſolutum caſtitatis: tertiò in voto quo unus conjux abſque alterius licentia vel cum ejus licentia ſe adſtrinxit ad non petendum debitum etiam in perpetuum, eò quòd hoc votum non ſit integræ caſtitatis ſed partis: quartò in voto non ineundi matrimonium, eò quòd hoc votum non ſit abſolutum caſtitatis, nec fornicans committit Sacrilegium, niſi fortè hoc votum eſſet emiſſum in favorem tertii; nam ſic non poſſet diſpenſare cum præjudicio tertii. Quintò in voto ſuſcipiendi ſacros Ordines, cum tale votum non ſit votum caſtitatis aut religionis, ſed tantùm aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt annexa, ut dicit Sanchez, & horum omnium aſſignat rationem; quia reſervatio hujus diſpenſationis eſt odioſa: ergo reſtringenda eſt quantum jura admittunt. Nihilominus tamen non obſtante reſervatione Pontificis in caſu extraordinario & ſpecialis neceſſitatis, ut quando magnum eſſet incontinentiæ periculum, nec facilis aditus ad Pontificem præ paupertate vel alia cauſa urgente poſſet Epiſcopus etiam diſpenſare in voto caſtitatis perpetuæ, nam credi poteſt in ſimili caſu non fuiſſe mentem Pontificis reſervare ſibi hæc vota, ubi animæ in tanto periculo verſantur.

Quæres 2. *an Pontifex & Epiſcopus in impedimentibus dirimentibus ſolo jure Eccleſiaſtico introductis poſſint diſpenſare?* 2

Reſpondeo ad primum, *Pontificem jure ordinario in iis poſſe diſpenſare*; cum habeat ſupremam in terris poteſtatem, ideo per eandem poteſtatem per quam potuit ponere impedimenta, poteſt etiam iterum ea diſſolvere.

Reſpondeo ad ſecundum, *Epiſcopum minimè poſſe jure ordinario in iis diſpenſare*; cum ſint jure communi introducta, inferior autem nequit in lege ſuperioris diſpenſare ordinariè, jure tamen extraordinario in caſu neceſſitatis poſſet Epiſcopus diſpenſare in impedimento matrimonii dirimente: primò ſi matrimonium jam publicè & præmiſſis denuntiationibus eſt contractum & impedimentum ſit occultum, dicitur autem occultum, licet unus vel alter ſciat, dummodo non ſit in loco divulgatum, ac maximum ſcandalum in ſeparatione timeatur, nec facilis ſit aditus ad Pontificem ob inopiam vel aliam cauſam, nec ſinè periculo peccandi poſſit differri: ſecundò, ſi matrimonium ſit bona fide contractum abſque ſcientia Impedimenti juxta Trident. Seſſ. 24. c. 5. ſufficit tamen, ſi unus ex conjugibus in bona fide fuerit: tertiò, in affinitate ex copula illicita, cum in hoc facilè ſoleat concedi diſpenſatio: quartò, ſi dubitetur an ſit impedimentum inter contrahentes; nam tunc poſſet Epiſcopus declarare nullum eſſe impedimentum & ad cautelam diſpenſare, quorum omnium ratio eſt, quòd cenſeatur Pontifex in tali caſu neceſſitatis animarum, ne hæ maneant ſine remedio, talem poteſtatem ſibi non reſervare, ſed tacitè concedere Epiſcopis, imò Pontifex hanc ſententiam ſcit à graviſſimis Authoribus doceri, & non contradicit, ideo cenſetur eam approbare ut tutam, imò etiam hoc extenditur ab aliquibus Authoribus in tali caſu neceſſitatis, licèt matrimonium adhuc non ſit contractum, ſed ſtatim contrahendum omnibus jam paratis & invitatis, ut ſine ſcandalo non poſſit differri, vel quando ex cauſa legitimandæ prolis aut conſervandi honoris in articulo mortis ſimilis diſpenſatio peteretur ab Epiſcopo. Interim tamen talis extraordinaria poteſtas in caſu urgentis neceſſitatis competens Epiſcopo non poſſet competere ejus Vicario Generali,

niſi

niſi hoc ipſi in ſpeciali delegatione ſit commiſſum, ſiquidem generali conceſſione ſolùm cenſentur commiſſa, quæ Epiſcopo ordinaria poteſtate competunt, non verò quæ Epiſcopo ex tacitâ conceſſione Pontificis conveniunt, ut docet & limitat Sanchez.

3 Quæres 3. *Quænam requirantur, ut petitio diſpenſationis non ſit obreptitiè, vel ſubreptitiè impetrata, & ideo nulla?*

Antequam reſpondeam advertendum eſt diſpenſationem obreptitiè impetratam dici, quando eſt impetrata per falsè narrata, ſeu obreptitio eſt, quando falſum pro vero allegatur; ſubreptitiè verò impetrata dicitur, quando tacetur vel occultatur veritas aut circumſtantia, quæ de jure exprimi debuiſſet. Hinc ultrò facienda eſt diſtinctio, utrum narrata falſitas vel occulta fuerit veritas per malitiam & dolum, vel utrum per ignorantiam aut ſimplicitatem? in priori caſu mendax precator dicit jus Canonicum & civile carere debet penitùs impetratis, & nullum commodum ex talibus litteris vel precibus conſequi: in altero verò caſu ſubdiſtinguendum eſt, an talis fuerit ſuggeſta falſitas aut occulta veritas, quæ etſi fuiſſet manifeſtata, nihilominus fuiſſet in forma communi conceſſa diſpenſatio, cujus illa allegata falſitas tantùm fuit cauſa impulſiva, & tunc valeret diſpenſatio, ſi verò non ſecuta eſſet diſpenſatio, utpote cujus illa allegata falſitas vel occulta veritas fuit cauſa motiva & finalis, tunc non valet diſpenſatio; quia hæc ſemper datur ſub conditione, ſi preces veritati nitantur, præſertim vero veritati ſubſtantialiter requiſitæ; quamvis autem hoc ipſum planè incertum ſit, quandonam Pontifex diſpenſaret, ſi falſitatem vel veritatem cognoſceret, hoc tamen ex ſtylo Curiæ Romanæ erit deſumendum, vel quando nec de hoc conſtat, ex arbitrio prudentis viri deſumendum eſſet, & fermè omnes caſus, qui contingere poſſunt circa impetrationem diſpenſationis, complexus eſt Sanchez de matrimonio L. 8. Diſp. 21. & ſeq. qui proinde diligenter legendus & conſulendus erit, cui quamvis ſæpius in antecedentibus contradixi præſertim in difficultatibus ſpeculativis, in practicis tamen & Conſiſtorialibus eum ſequendum conſulo: interim autem quoad aliqua

Reſpondeo 1. *requiri, ut aliqua juſta cauſa aſſignetur cur petatur diſpenſatio;* tales autem cauſas ſolùm tres admittit Pater Navarrus verſatiſſimus olim in Rota Romana ob quas certò dabatur diſpenſatio in gradibus prohibitis contrahendi matrimonium: prima eſt, extinctio magnæ litis, aut gravis inimicitiæ inter conſanguineos vel affines, ac etiam evitatio magni ſcandali vel delicti per initum illud matrimonium, quale periculum eſſet fornicationis aut inimicitiæ parentum, aut ſuſpectæ converſationis; nam pax civium valde conducit ad bonum publicum, ob quod ſolet juſtè dari diſpenſatio, & ob ſuſpectam converſationem mulier non facilè acquiret aliud matrimonium. Secunda cauſa eſt, quando vel ob loci anguſtiam, vel ob nimis propagatam fœminæ cognationem in loco proprio & inſigni quem inhabitat, non reperitur matrimonium æquale, niſi cum conſanguineis; nam bono communi valde eſt proficuum matrimonium inter pares iniri; æqualitas autem illa matrimonii non debet ſolum deſumi ex nobilitate vel divitiis, ſed etiam ex moribus, ætate pluralitate prolium, ſi quæ mulier aut quis vir haberet. Tertia cauſa eſt, defectus dotis competentis ſive à patre ſive à matre, ut fœmina juxta conditionem ſuam nubat extraneo æquali, quia valde conducit bono communi, ne fœminæ defectu dotis innuptæ maneant vel inæqualiter nubant: nihilominus ultra illas tres cauſas ſolent jam communiter Authores adhuc alias numerare; adeóque quarta eſt cauſa conſervatio divitiarum in eadem cognatione, ne cauſa dotis diſtrahantur ad aliam familiam, quando eæ ſunt ampliſſimæ; quia etiam bono publico convenit habere locupletes familias. Quinta eſt illuſtris alicujus familiæ conſervatio in eodem ſanguine. Sexta eſt excellentia meritorum in Eccleſiam ſive petentia diſpenſationem, ſive illius cui petitur illa, nam convenit honorare ſimiles, ut & alii ſtimulentur ad merita. Septima eſt ſi fœmina vigeſimum quartum annum excedens hactenus virum paris conditionis non invenit. Octava eſt proles vel copula habita cum conſanguinea & multo magis ſi matrimonium defacto jam contractum eſt, ad hanc autem cauſam requiritur, quod ab initio fuerit ignorantia conſanguinitatis, & in matrimonio debitæ fuerint ſolemnitates adhibitæ, aliàs qui mala fide aut ſub ſpe obtinendæ diſpenſationis peccavit vel contraxit cum conſanguinea, non obtinebit diſpenſationem, ut dicit Trident. C. 5. Cæterum hic notandum eſt, ſi aliqua cauſa aſſignata non ſufficeret, poſſent plures aggregari, & ſic plures adjuvabunt ſe invicem ad juſtam diſpenſationem reddendam, imò etiam aliquando in gradibus remotioribus diſpenſat Pontifex ſine allegatione cauſæ, non tamen ſine juſta cauſa, quia à tali copioſiorem pecuniam exigit ad publicos ſumptus & cauſas pias applicandam, cum etiam hoc bono communi valdè conferat. Sed ultra

Reſpondeo 2. *ut diſpenſatio ſit valida adhuc requiruntur de jure ſequentia:* primum non erit diſpenſatio valida, ſi una tantum cauſa ſit allegata, & ea falſa fuerit, quia licèt Pontifex ſine cauſa poſſit diſpenſare, id tamen in dubio non præſumitur facere, niſi ex cauſa expreſſa: ſecundum ſi non exprimatur quod copula intervenerit ſcienter cum conſanguinea maximè ſpe diſpenſationis impetrandæ: tertium, ſi impedimentum exprimatur ſub dubio, quod erat certum v. g. ſi dicat ſe dubitare an votum caſtitatis emiſerit, & tamen certus eſt; quia qui diſpenſat in dubio, non ſtatim diſpen-

ſat

ſit in certo vel ſaltem non eodem modo: tum quia dubium votum caſtitatis per diſpenſationem tollitur abſolutè, certum vero regulariter ſolùm ad unum matrimonium, quo finito rurſus obligat: quartum, ſi impedimentum affinitatis ponitur pro conſanguinitate vel econtrà, diſpenſatio enim eſt ſtrictæ interpretationis: quintum, ſi quis dicat ſe in gradu remotiori, cum ſit in propinquiori, ſecus eſt, ſi quis dicat ſe v. g. in tertio gradu & ſit in quarto conjunctus, quia tunc Pontifex diſpenſando in tertio cenſetur etiam diſpenſâſſe in quarto; quia ſi expreſſa fuiſſet illa veritas, diſpenſatio adhuc redderetur facilior, in priori verò redderetur difficilior, & ideo eſſet ſubreptitia: ſextum, ut omnia impedimenta, quæ habet, ſimul referat in una diſpenſatione & non pro diverſis diſpenſationibus; quia cenſetur quævis diſpenſatio aliquem omnino reddere aptum ad ſuum intentum, non eſſet autem talis aptus, ſi non omnia impedimenta ſimul referret in una diſpenſatione, & ideo eſt implicita juſſio Pontificis, ut omnia exprimantur in una diſpenſatione, imò impedimentum conjunctum cum alio videtur vinculum multò ſtrictius ad diſpenſandum, quam unum ſimplex impedimentum, & ſic Pontifex maturiùs perpenderet & fortè non diſpenſaret, quapropter uno tacito verum eſſet dicere taceri veritatem intrinſecè conferentem ad diſpenſationem, & ſic talem diſpenſationem eſſe ſubreptitiam.

4 Quæres 4. *an in linea inæquali ſit neceſsè non tantum gradum remotiorem, ſed etiam proximum exprimere v. g. quòd una perſona ſit ſtipiti in ſecundo altera in tertio conjuncta?*

Reſpondeo, *olim de hac re fuiſſe magnam controverſiam inter Authores*, & affirmativa deducebatur ex C. *quod dilectio.* de conſanguinit. præterea talis gradus cenſetur eſſe mixtus ex propinquiori & remotiori gradu, & quando diſpenſatur in gradu ſimplici, non ſtatim diſpenſatur in gradu mixto, eò quòd major videatur conjunctio & reverentia debita, ſi unus ex conſanguineis ita propinquè ad ſtipitem accedat: aſt de hac difficultate nos liberavit Pius V. Anno 1566 in motu proprio, qui incipit *Sanctiſſimus.* decidens, *valere diſpenſationem abſque dicta expreſſione gradus propinquioris, ita tamen, ut ex poſt facto data diſpenſatione litteræ declaratoria deſuper impetrentur, in quibus Pontifex declarat priorem diſpenſationem valere; eas autem declaratorias tantum ad tollendum ſcandalum requiſitas non deſiderari, ſi nullum ex tali diſpenſatione ſcandalum oriretur;* ut quia res ad forum externum delata non eſt, & homines ignorant, an ſupplicantes omnia expreſſerint: interim tamen certum eſt, *quando propinquior gradus ſtipiti fuerit primus, non valere diſpenſationem, in qua ſolius remotioris fieret mentio;* ut ſi quis vellet ducere filiam fratris ſui & hæc quæ diximus hîc intelligenda ſunt de gradibus conſanguinitatis & affinitatis, de quibus ſolùm loquuntur Pontifices, non verò de impedimento publicæ honeſtatis ex matrimonio rato; nam ibi ſufficiet expreſſio ſolius remotioris gradus: tandem quando petitur diſpenſatio in foro interno v. g. in affinitate ex copula fornicaria, nec erunt neceſſariæ illæ litteræ declaratoriæ, ut docet Sanchez L. 8. Diſp. 24. n. 28.

Quæres 5. *an ſi duo ſint duplici titulo conjuncti in eodem vel diverſo gradu, ſit utriuſque conjunctionis mentio facienda vel ſolum propinquioris?* v. g. ſunt conjuncti ex parte utriuſque parentis in ſecundo gradu, vel ex uno parente in ſecundo & ex altero in tertio gradu, vel ſunt affines ex duplici titulo, ut quia contrahens rem habuit cum duabus conſanguineis, vel quia habent duplicem cognationem ſpiritualem; ut ſi alter alterius duos filios levavit ex ſacro fonte, vel quia eſt duplex impedimentum publicæ honeſtatis, ut ſi unus habuiſſet duo ſponſalia valida cum duabus ſororibus ex diſpenſatione Pontificis, ut contraheret cum tertia, vel ſi quis haberet impedimentum publicæ honeſtatis ex matrimonio rato & affinitatis ex conſummatione ejuſdem matrimonii; nam talis, ſi ſolum loqueretur in genere de affinitate, non ſciretur, an ex licita, vel illicita copula ſit. 5

Reſpondeo contra Henriquez & Ledeſma, *probabilius pro praxi*, cum Sanchez & plurimis Canoniſtis, *neceſſariam eſſe mentionem multiplicatis ejuſdem gradus vel diverſi in præfatis exemplis.* Ratio eſt; quia aliàs cenſeretur diſpenſatio ſubreptitia; nam in odioſis, quale eſt diſpenſatio, mixtum non comprehenditur ſub ſimplici, ut habetur L. *ſi ita.* ff. de lib. & poſth. ſed multiplicatæ cognationes ſunt quid mixtum: ergo non comprehenditur in diſpenſatione ſimplicis gradus: tum quia duo gradus caloris numero diſtincti, quamvis in eodem ſubjecto reperiantur, & fiant unus numero calor ratione unitatis ſubjecti, multò tamen intenſior eſt ille duplicatus calor, & difficilius tollitur: ergo etiam quamvis ille duplex conjunctionis gradus ſit eadem numero conjunctio ex unitate ſubjecti, erit tamen multo intenſior, & ſic explicanda; nam dum conſanguinitatis ex duplici parte conſurgit, tunc non eſt unica ac unius ſanguinis communicatio ſed duplex duplicisque ſanguinis vera participatio à duobus diverſis, & ſic reſultabit aut duplex impedimentum conſanguinitatis, aut ſaltem duplicatus intenſionis gradus ejuſdem impedimenti & ideo neceſſitate veritatis requiſitæ in ſupplicatione exprimendus eſt; quia redditur difficilior talis diſpenſatio: hoc idem dic de impedimento affinitatis & reliquis duplicatis impedimentis; ideo dicitur Comitem Carolum Saurau (qui 5. Septemb. 1713. Græcii in Styria celebravit nuptias cum

filio

filia Comitis Breiner ejusdem uterini fratris cum diſpenſatione Pontificis in ſecundo gradu mixto primo conſanguinitatis lineæ tranſverſæ inæqualis) debuiſſe obtenta diſpenſatione illius gradûs, iterum litteras declaratorias, & veniam petere pro valida diſpenſatione, quia repertum fuit, eum etiam cum ſua ſponſa fuiſſe in quarto gradu mixto tertio conjunctum, quia eorum proavi fuerunt frater & ſoror ex patre de familia Breiner; adeóque illa ſponſa à ſuo abavo diſtabat in quarto gradu, ille vero ſponſus ab eo tanquam ſtipite in tertio gradu. Cæterum multa alia ſunt juxta apices juris ſtrictiùs obſervanda in petenda diſpenſatione pro foro externo ſeu quæ petitur à Dataria ac publicè cum quibusdam expenſis datis, quàm in petenda diſpenſatione in impedimentis occultis pro foro conſcientiæ, quæ petitur à S. Pœnitentiaria ac omnino gratis exhibetur, & in qua non ponuntur ſupplicantium nomina propria, ſed debent nomina aliena afferri ob periculum infamiæ. Demum vide plura apud Sanchez Lib. 8. de diſpenſationibus per totum. Interim hæc de Sacramento matrimonii dicta ſint ſatis.

DE SPONSALIBUS.

DISTINCTIO XXIX.

De Natura Sponſalium.

QUÆSTIO I.

Quid ſint ſponſalia, quale inducant jus, & an cum pœna conventionali celebrari poſſint?

1 ADvert. eſt 1. Sponſalia à ſponte promittendo, vel potiùs à ſpondendo dicta eſſe, ut vult Ulpianus L. 2. ff. de ſponſalibus. eò, quòd apud antiquos ſemper fuerit moris, ſtipulare & ſpondere ſibi uxores; ſumuntur autem ſponſalia aliquando impropriè, vel pro muneribus v. g. à ſponſo ſponſæ datis, vel amico præſtitis, uti dicitur 1. Reg. 18. *non habet Rex ſponſalia neceſſe.* vel pro ipſo matrimonio, & promiſſione matrimonii per verba de præſenti, ut accipio te in uxorem, uti dicitur Matth. 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater JESU.* ideò etiam uxores ſponſæ dicuntur; propriè verò ſumuntur ſponſalia pro contractu promiſſionis aut ſtipulationis futuri matrimonii, ſive fiat talis contractus ſolo verbo: ut ducam, vel accipiam te, ſive aliis ſignis ſponſalitiis, ut annulo, torque &c. juxta morem patriæ: ad valorem autem talium ſponſalium requiritur, ut promiſſio verſetur circa determinatam perſonam non autem in confuſo & indeterminatè circa aliquam de pluribus; unde ſi Petrus promitteret Paulo habenti decem filias ſe aliquam ex illis ducturum non determinando qualem, quamvis omnes ſimul repromitterent, talis promiſſio non haberet rationem ſponſalium, licèt ratione talis promiſſionis Paulo inciperet eſſe obligatus ad aliquam ducendam: ſic etiam, ſi Titius dicat Cajæ, nunquam ducam aliam præter te, talis promiſſio non ſufficeret ad ſponſalia; quia non obligaret ſe determinatè ad matrimonium cum illa ineundum, ſed tantùm illam ducendam, vel nullam ducendam; quod poteſt verificari, etiamſi promittens nullam ducat; cùm ſit propoſitio disjunctiva, ad cujus verificationem ſufficit, ſi una propoſitio ſit conformis ſuo objecto; unde ſolùm ex ſuppoſitione, quòd Titius inire vellet matrimonium, non poſſet cum alia, quàm cum Caja inire.

Advert. eſt 2. certum eſſe, promiſſionem ad ſponſalia requiſitam debere eſſe liberam; nam promiſſiones ſponſalium ſunt actus perfectè humani, & ultra inducunt obligationem; ſed vis obligandi oritur ex voluntate libera; unde fit, ut promiſſio metu vel fraude extorta non ſit ſufficiens ad ſponſalia, uti diximus de libertate matrimonii, qualis autem & quanta deliberatio requiratur: dicendum eſt contra Thomiſtas, eam ſufficere, quæ ad peccatum mortale ſufficeret, quia ſimilis deliberatio ſufficit ad obligationem ſimplicis voti, vel ad tradendum ſe diabolo: ergo etiam ad obligationem per ſponſalia: tum quia C. *litteras*, de deſponſ. impuberum. præſcribitur ad validè contrahenda ſponſalia ſeptennium; ſed in illa ætate vix cenſetur plena libertate & conſilio præditus eſſe puer ad peccandum mortaliter: ergo talis libertas ſufficit; hinc ſi quis irâ, aut alia paſſionis motione ſponſalia contraheret, ſi tanta eſſet paſſio, ut rationis judicium obtenebraret, & deliberationem ad mortale requiſitam impediret, non contraheret valida ſponſalia: interim tamen licèt jure naturali excludatur ætas, ſi adſit ſufficiens uſus rationis etiam ante ſeptennium, ſtando tamen juri poſitivo in utroque ſponſo ad valida ſponſalia requiritur ſeptennium, & quidem phyſicè completum, ità ut nullatenus ſufficiat puer proximus ſeptennio etiam poſt unum diem; nam jus poſitivum in illo C. *litteras.* non apponit illam exceptionem maturioris uſûs rationis; ſed ſimpliciter exigit ſeptennium: ergo nec nos apponere debemus; imò ſi ſponſalia ante ſeptennium malitia ſupplente ætatem forent valida, fruſtra eſſet poſita lex de ſeptennio, & potiùs debuiſſet poni, quicunque uſum rationis habent, ſive ſit major, ſive minor ætas ſeptennio, ſpondere poſſunt, quod tamen jus non fecit; 2

ſed expreſsè ſeptennium decrevit; unde à pari etiam invalida eſt profeſſio ante decimum ſextum annum, licèt perfectiſſima adeſſet libertas, & teſtamentum eſſet nullum conditum ante decimum quartum annum. L. *qui ætate.* ff. qui teſtamentum condere poſſunt.

3 Advert. eſt 3. defactò eſſe certum, matrimonium clandeſtinum nullatenus habere vim ſponſalium; nam hoc expreſsè declaravit Congregatio Cardinalium ſupra Trid. Seſſ. 24. c. 1. de refor. matrimonii dicens: matrimonium contractum cum teſtibus & ſine parocho non ſolùm eſt nullum, ſed nec habet vim ſponſalium, adeò, ut ſic contrahentes nec ad denuò contrahendum compelli poſſint; nam Trid. irritando matrimonium clandeſtinum reddit inhabiles perſonas ad contrahendum matrimonium, per conſequens etiam in ratione ſponſalium; hoc ipſo enim, quòd omnem vim à perſonis ad ſic contrahendum auferat; etiam vim ad ſponſalia contrahenda, quæ ſunt diſpoſitiones matrimonii. Præterea multò minùs ſponſalia conditionata per copulam clandeſtinam ſubſequentem tranſeunt in abſoluta, nec ſponſalia abſoluta per copulam ſubſequentem in ipſum matrimonium; quia ſponſalia conditionata non tranſeunt in abſoluta, niſi adimpleta conditione, adeóque licèt ſequatur copula, ſi nondum verificatur conditio, non poſſunt tranſire in abſoluta; ſimiliter jure novo requiritur ad matrimonium parochi & teſtium præſentia, per conſequens ſponſalia ſubſecutâ copulâ clandeſtina non tranſeunt in matrimonium. His notatis ſit

4 Propoſitio 1. *Ad ſponſalia non ſufficit mera acceptatio promiſſionis, ſed requiritur vera repromiſſio.* Ratio eſt: quia juxta omnes ad ſponſalia requiritur mutua utriuſque promiſſio; ſed ſola acceptatio promiſſionis non eſt formaliter promiſſio, nec neceſſariò connexa cum eâ: ergo. Min. patet: ſola externa acceptatio non eſt ſufficiens ſignum repromiſſionis, ſed ad ſummum ſignum dubium; cùm quis poſſit aliquid acceptare, & tamen non repromittere; ſed cum ſigno dubio non debet præſumi repromiſſio; nam ille, qui tacet, ſolùm conſentire videtur, quantùm eſt in ſui favorem, non autem in ſui præjudicium, ut eſſet repromiſſoria obligatio, ſicuti docet Gloſſa in regulam juris. *qui tacet.*

Nec dicas: matrimonium non poteſt claudicare, ſed verè ex utraque parte eſt validum, vel ex neutra: ergo etiam ſponſalia; ſed dicente altero per verba de præſenti: accipio te in meam, & fœmina reſpondet, placet. Eſt verum matrimonium, ut plerique Canoniſtæ fatentur in C. ſi infert. de ſponſalibus: ergo etiam dicente altero per verba de futuro: accipiam te, ſi ſponſa reſpondet: placet, erunt vera ſponſalia. Conſeq. patet, quia acceptans, virtualiter cenſetur repromittere; cùm acceptans cenſeatur velle, ut utriuſque ſit obligatio: ergo.

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt; quia matrimonium omnino claudicare nullatenus poteſt, nec poteſt alia ratione acceptari, quàm ut matrimonium, ſponſalia tamen, quamvis non poſſint claudicare, ut ſunt ſponſalia, poſſunt tamen, quatenus ſimpliciter promiſſionem continent, ſiquidem promiſſio eſſe poſſit ſine alterius repromiſſione, adeóque etiam acceptari poſſunt, in quantùm promiſſio obligat ſolùm promittentem: ad prob. conſeq. neg. ant. ſolùm enim cenſetur acceptare, quantùm eſt in ſui favorem, non autem in ejus præjudicium; unde cùm dubium ſit, an talia ſponſalia ſint in ejus favorem, vel præjudicium, poſſeſſio ſtat penes acceptantem.

Propoſitio 2. *Neque ad valorem, neque ad liceitatem requiritur, ut ſponſalia coram teſtibus contrahantur.* Ratio eſt; quia Congregatio Cardinalium ſuper Trid. dicit: conſtitutio, ut matrimonium fiat coram parocho & teſtibus, non habet locum in ſponſalibus: tum quia ſi talia ſponſalia eſſent invalida, maximè eſſet ideo; quia irritarentur per Trid. de clandeſtinitate; ſed non irritantur: ergo. Min. prob. quidquid in lege nova expreſſum non habetur, veteris juris diſpoſitioni relinquitur. L. *percepimus.* C. de appellationibus; ſed in novo decreto Trid. nulla fit mentio de ſponſalibus: ergo cenſentur relicta antiquo juri, quod ſponſalia clam inita ſemper habuit pro validis. 5

Nec dicas: C. *fin.* de clandeſtina deſponſatione habetur: quod prohibito matrimonio cenſeatur prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud; ſed per ſponſalia pervenitur ad matrimonium: ergo.

Reſp. illud axioma juris eſſe intelligendum, quòd ſcilicet, quando matrimonium prohibetur abſolutè, omnibus modis, quod etiam tunc prohibeantur ſponſalia. v. g. prohibito abſolutè matrimonio inter conſanguineos uſque ad quartum gradum, etiam prohibentur ſponſalia inter eoſdem conſanguineos; aſt quando matrimonium abſolutè non prohibetur, ſed ſolùm aliquo modo, tunc fieri poteſt, ut ſponſalia valeant taliter vel taliter inita, etſi non valeat matrimonium taliter contractum; adeóque cùm Trid. non abſolutè prohibeat matrimonium inter aliquas perſonas, ſed ſolùm, ne clandeſtinè contrahatur, ſic adhuc poterunt ſponſalia clandeſtinè contracta eſſe valida; præſertim cùm non militet eadem ratio in ſponſalibus & matrimonio; nam ratio Trid. ad matrimonia clandeſtina irritanda fuit, ut vitarentur adulteria, quæ in eis ſequebantur, ubi ſpreto priori matrimonio clam inito publicè aliqui contraherent cum alia, & in perpetuo adulterio viverent, quod non habet locum in ſponſalibus; cum matrimonium contra-

tractum ſpretis prioribus ſponſalibus ſemper ſit validum.

6 Propoſitio 3. *Poteſt aliquis per modum ſimplicis promiſſionis ſaltem gratuita de futuro matrimonio obligari alteri, non viciſſim obligata altera parte.* Ratio eſt; non repugnat aliquem per modum ſimplicis promiſſionis alteri ſe gratis obligare de futuro matrimonio contrahendo hanc obligationem altero ſolummodo acceptante ſine repromiſſione; ſed tunc promittens eſt obligatus ad fidem ſervandam, & non acceptans: ergo. Maj. patet, aut aſſignetur repugnantia. Min. etiam patet; ſicut promittens alteri centum florenos talem promiſſionem acceptanti tenetur titulo fidelitatis ſaltem ſtare tali promiſſioni, ita etiam promittens liberaliter futurum matrimonium alteri acceptanti tenebitur ſuis promiſſis ſtare, uti etiam admittere debent adverſarii in illo, qui parentibus promiſit ſe ducturum puellam infantem, quando adoleverit; is enim tenetur exſpectare tempus idoneum, etiamſi parentes ſolùm acceptaverint talem promiſſionem: ergo.

Nec dicas: qui promittit futurum matrimonium, non poteſt ſua voluntate illam reciprocam promiſſionem non exigere, aut qui eam acceptat, non poteſt illam non ſpondere, eò, quòd in poteſtate contrahentium non ſit à contractu tollere, quod eſt de ratione contractûs: ergo hoc ipſo, quod acceptans non repromittat, nec manet obligatus promittens ad contrahendum de futurò matrimonium.

Reſp. diſting. ant. qui promittit contractu ſponſalitio vero & formali, conc. qui promittit ſolùm materiali, ſeu per modum ſimplicis promiſſionis gratuitæ, neg. ant. nam omnino à contractu matrimoniali, aut vero contractu ſponſalitio non poteſt ſeparari commutatio corporis pro corpore; quia vi contractûs matrimonialis & ſponſalitii non ſolet, aut poteſt quis ſe obligare promittendo alteri parti ad matrimonium contrahendum, niſi reſpectivè, & ſub conditione mutuæ repromiſſionis & obligationis, & ideò altera parte nolente repromittere & ſe obligare, non ſubſiſtit promiſſio & obligatio illius partis promittentis, eò quòd contractus ſponſalitius ſit ultrò citróque obligatorius; aſt per modum ſimplicis promiſſionis poteſt ſe quis obligare alteri ad futurum matrimonium, etiamſi altera pars adhuc nolit promittere, & ſe obligare, talis autem ſimplex promiſſio non haberet vim ſponſalium, quamvis eſſet de futuro matrimonio; nam ſponſalia ex natura ſua petunt reciprocam promiſſionem; unde ex illa ſimplici promiſſione & manca obligatione adhus non oriretur impedimentum publicæ honeſtatis. His poſitis

7 Aſſero 1. ad quæſt. *Sponſalia validè contracta inducunt tale mutuum jus, ut violatio hujus juris per fornicationem ſponſorum ſit ſpecialis malitia injuſtitia in confeſſione explicanda.* Eſt communior contra Baſilium, Pontium & Brancatum noſtrum.

Probatur: tum quia, quandocunque violatur aliquod jus acquiſitum, infertur gravis injuria contra juſtitiam, ut patet de jure & juſtitia; ſed ſponſi acquirunt aliquod jus quoad rem, licèt non in re, in corpus, quod fornicando cum aliis violatur: ergo præter peccatum contra temperantiam & caſtitatem, gravis fit injuſtitia. Min. prob. corpus ſponſi vel ſponſæ contractu ſponſalitio ita eſt promiſſum, quòd ſine gravi injuſtitia non poſſit alteri obligari etiam in ordine ad matrimonium: ergo acquirunt aliquod jus, quod antecedenter non habebant. Ant. patet: qui ſponſalia contraxit, ita obligatur quoad promiſſum corpus ſponſo, ut neque vinculo matrimonii poſſit alteri obligari: ergo. Tum quia uti re alteri ex juſtitia debitâ uſu ei nocivo eſt contra juſtitiam; ſed corpus ſponſorum eſt ex juſtitia debitum, licèt nondum traditum: ergo uſus ejus per fornicationem valde nocivus alteri ſponſo eſt contra juſtitiam. Maj. patet; ſi quis mihi promiſiſſet equum maximè ſub conditione oneroſa, ac ex contractu, mihi magnam injuriam faceret, ſi alius ita utatur equo, ut notabiliter deterior fieret, etiamſi non ſim dominus equi in re, jus tamen habeo ad equum ſeu ad rem: ergo etiam &c. & hoc etiam verum eſt, ſive ſponſus fornicetur, ſive ſponſa; nam licèt gravior ſit injuria, quæ fit ſponſo propter fornicationem ſponſæ, quàm quæ fit ſponſæ propter fornicationem ſponſi, nihilominus etiam infertur injuria ſponſæ ob fornicationem ſponſi, ſicut etiam licèt gravior ſit injuria marito propter adulterium uxoris, quàm uxori propter adulterium mariti; attamen ſemper etiam gravis injuria infertur uxori ob adulterium mariti: hinc etiam fornicatio ſponſorum poteſt reduci ad ſpeciem adulterii, ſicut ſponſalia reducuntur ad matrimonium, quamvis propriè non ſit adulterium, quia non eſt adhuc violatio thori alieni, cùm ſponſi nondum habeant eundem thorum.

Addo 1. incidentaliter, deſflorationem, 8
de qua ſæpe jam in prioribus auditum eſt, eſſe deſtructionem floris virginitatis per fornicariam copulam; virginitas autem phyſica juxta aliquos phyſicos conſiſtit in quodam ſignaculo virgineo, quod perhibetur eſſe membrana ſeu tela carnea, hymen dictum, quod virili coitu lacerata aboletur. Fragoſo tamen in ſua Chirurgia univerſali L. 1. de anatomia. tract. 2. & Realdo L. 11. de anatomia. c. 16. dicunt vix unicam inter mille fœminas eam membranam habere; unde hoc ſignum eſſet fallax: præterea fallax ſignum deſflorationis eſſet, habere lac in mamillis; nam contingere poteſt, quòd ſanguis in menſtruo ceſſans aſcendat in locum mamillarum, & fiat lac. Imò etiam in viris aliquando inventum eſt lac; ideò dicunt potiùs ſignum virginitatis eſſe quamdam arcti-

tudinem, ſeu quaſi complicationem partium orificii fœminei vaſis, quæ per viri acceſſum dilatantur, ut atteſtantur peritiſſimi medici; quamvis etiam hoc ſignum poſſit fallere; cum per medicamenta (de quibus tradit Bagrius tract. de medendis. L. 5. C. ultimo) poſſit aliqua arctitudo vaſis comparari, quapropter ſi neceſſe eſſet probare aliquam eſſe virginem, deberet ab honeſtis matronis non tantùm inſpici, ſed etiam in balneo aquæ competenter calidæ lavari, & tanto tempore moram in eo trahere, quantùm neceſſarium fuerit, ut ſi fortè glutino appoſito vas mulieris coarctatum fuerit, ut appareat virgo, idque liqueſieri poſſit, ut diſcurrit Sanchez. L. 7. diſp. 113. n. 11.

9 Addo 2. ſi veroſimile eſſet, ut nunquam vir percipiat vitium deflorationis, vel eo percepto non valdè ægrè ferat, nulla eſt culpa puellis mediis aliàs licitis hunc defectum tegere, ſi verò probabile eſſet virum percipere aſtutiam, & ægerrimè ferre, vitámque diſcordiis plenam agere, eſſet peccatum illi nubere tacito eo defectu. Ratio 1. eſt; tum quia nullum damnum incurrit vir, nec uſus illorum mediorum tendit ad virum decipiendum, ut iſtam ducat, cùm ante matrimonium non ſit ad eam acceſſurus experiendo, an ſit virgo; nam talis conditio eſſet turpis & illicita, & ideò pro non adjecta eſſet rejicienda, ſed ne poſt matrimonium initum, ubi reſilire non licet, vir defectum percipiat, & eam malè tractet; hinc ſi hoc faciat animo non fingendi ſe virginem, ſed ſolùm vitium tacendi, utitur jure ſuo, & non facit mendacium; quia tacere, & bonis mediis occultare vitium, non eſt mentiri, ſi verò faciat animo ſe fingendi virginem, eſſet mendacium ſaltem veniale: tum quia, quando aliquis uſus communi contrahentium conſenſu receptus eſt, non obligat vitia detegere, ut in luſu non debet aliquis detegere certam victoriam luſûs, ſed poteſt alterum inducere ad augmentum pretii ob naturales ludi leges, quæ conſenſu utriusque ludentis has conditiones admiſerunt, ſed alteri incumbit, ut aliunde cognoſcat; ſed hoc etiam eſt uſu receptum, ne puellæ detegant ſua vitia, ſicut nec etiam viri detegunt ſuas fornicationes; & eſſet intollerabile onus hujusmodi fœminas cogere innuptas manere: ergo non eſt peccatum ſaltem grave contra juſtitiam, ſecus autem eſt in aliis contractibus, ubi quis vitium occultum debet detegere, quia in illis non eſt communi conſenſu receptum, ut liceat vitia occulta tegere; imò adversùs tegentem datur actio etiam in foro externo. Ratio verò 2. eſt: quia tunc daretur gravis anſa ſcandali, multorúmque criminum, quæ ſaltem lex charitatis evitare obligat, ut iterum diſcurrit Sanchez. L. 6. diſp. 27. n. 7. & reliquis.

10 Objicies: Sponſus vel ſponſa non aliam contrahunt obligationem, quàm ineundi ſuo tempore matrimonium; nam nihil aliud promittunt, ſed quando fornicantur cum aliis, non faciunt contra hanc obligationem: ergo non peccant ſpecialiter contra juſtitiam.

Reſp. neg. maj. in ſponſalibus enim non tantùm contrahitur obligatio ineundi pro tempore futuro matrimonium, ſed etiam non dandi cauſam ad malitiosè diſſolvenda ſponſalia; hanc autem cauſam dat pars fornicans cum aliis; hoc ipſo enim, quòd ſponſi acquirant jus ad rem in corpus ſuum, ſe pariter obligant ad nihil faciendum illicitè contra illud jus, quo alter juſtè offenderetur, ac cauſam diſſolvendi ſponſalia haberet.

Dices: ſponſalia dicuntur ſe habere ad matrimonium, ſicut votum ſimplex ad votum ſolemne, ſed ſi ille, qui vovit ingredi religionem, fornicetur ante ingreſſum religionis, ſtante tali voto nullam aliam malitiam præter fornicationem incurrit: ergo nec ſponſi, ſi ante celebratum matrimonium fornicantur.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; licèt enim in allatis ſponſalia conveniant cum voto ſimplici religionis, differunt tamen in eo, quòd per votum ſimplex religionis, utpote quod ſit ſoli DEO, religio nullum jus acquirat; per ſponſalia verò tanquam mutuam promiſſionem, & verum juſtitiæ contractum quilibet ſponſus acquirit jus juſtitiæ ad rem in corpus alterius: quòd autem adhuc DEUS non acquirat ſpeciale jus in voventem per illud votum religionis, ratio eſt; quia licèt vovens vi voti ſui tanquam legis privatæ teneatur ad voti ſolutionem, quia tamen non ſe obligavit ſpeciali titulo ad abſtinendum à venereis; ideò venerea faciendo ſpecialiter non peccat peccato injuſtitiæ contra DEUM; aſt qui contrahit ſponſalia, acquirit jus ad rem in corpus ſponſæ, ita ut obligatus maneat ad nihil faciendum, quo cauſam præberet diſſolvendi tala jus.

Dices cum Sanchez: licèt fornicatio ſponſi cum alia contineat aliquam injuriam adverſùs jus acquiſitum à ſponſa in ſponſum, levis tamen eſt prudentum judicio talis injuria: ergo non excedit limites culpæ venialis aliàs non confitendæ, licèt fornicatio ex parte ſponſæ cum alio videatur eſſe gravis malitia, & ideò confitenda.

Contra neg. ant. nam ut conſtat ex proba, utrinque gravis infertur injuria, & parum refert, quòd apud homines fornicatio ſponſi cum alia reputetur levis injuſtitia, nam injuſtitia non ex judicio hominum, ſed ex materia juris læſi eſt deſumenda; adeóque cùm jus ſponſæ, quod habet in ſponſum, lædatur, & quidem graviter, cùm det cauſam juſtè reſiliendi, ideò fit, quòd peccatum mortale committatur, niſi ſponſa remitteret ſimilem injuriam.

Aſſero 2. *Validè & licitè apponi poteſt ſponſalibus pœna ab injuſtè reſiliente ſolvenda.* Eſt Laymon contra Sanchez & alios. 11

Prob. 1. ideò appoſitio pœnæ eſſet nulla & il-

& illicita; quia eſſet contra matrimonii libertatem, ſed talis pœna appoſita ſponſalibus non obeſt libertati matrimonii: ergo. Min. prob. pœna Eccleſiaſticæ cenſuræ à judice infligenda non impedit, quò minùs à ſponſalibus injuſtè reſiliens contrahat ſatis liberè: ergo nec pœna appoſita hoc impediet. Conſeq. patet: quia utrinque eſt eadem ratio, & non obeſt, quòd pœna à contrahentibus appoſita antecedat contractum ſponſalitium, & ideò magis obſit libertati, quàm pœna à judice inflicta, quæ ſolùm ſubſequitur contractum; nam hic ſolùm quæritur: an talis pœna obſit libertati matrimonii, & non libertati ſponſaliorum; certum autem eſt utramque pœnam ſequi quodammodo ſponſalia, & præcedere matrimonium; præterea poſſet etiam poni Eccleſiaſtica cenſura ex lege antecedens contractum ſtatuendo, ut qui malitioſè reſiliverit à ſponſalibus, ſit excommunicatus, & non obeſſet libertati. Imò pœna conventionalis minùs obſtat libertati, quàm pœna à judice inflicta, quia quò magis eſt aliquid voluntarium, eò minùs eſt coactum, ſed pœna ab ipſis contrahentibus appoſita voluntariè & ſponte, eſt magis voluntaria, quàm pœna à judice lata ex ſua poteſtate coactiva: ergo.

Prob. 2. tum quia leges permittunt inter ſponſos arrhas uſque ad quadruplum reſtituendas ab eo, qui injuſtè reſilit, ſi inter eos ita conventum fuerit. L. *fin.* C. de ſponſalibus: item leges permittunt hæreditatem & legata ſub ea conditione relicta, ut non cedant hæredi, vel legatario, niſi cum certa perſona à teſtante aſſignata hæres aut legatarius contrahat, quæ leges à jure Canonico non ſunt correctæ; ſed non minùs terrore arrharum in quadruplo reſtituendarum, & amiſſionis hæreditatis impediri poteſt libertas ad matrimonium contrahendum, quàm metu ſolutionis pœnæ in ipſo contractu à contrahentibus impoſitæ: ergo ſi ille timor ex jure non obeſt libertati matrimonii, nec etiam iſte: tum quia ille timor obſtat libertati matrimonii, qui eſt injurioſus contrahenti; ſed timor ſolvendæ pœnæ non eſt injurioſus injuſtè reſilienti: ergo non oberit. Maj. patet ex dictis de libertate matrimonii. Min. prob. illa pœna implicitè eſt volita in ipſa culpa, quam quis committit liberè reſiliendo ex injuſta cauſa; quinimò liberrimè incurritur; cùm per ipſum reſilientem ſtet, ne incurratur; ſed id, quod eſt volitum, non poteſt eſſe injurioſum volenti: ergo.

12 Objicies: C. gemma. de ſponſalibus. dicit Pontifex: *cùm itaque matrimonia libera eſſe debeant, & ideò talis ſtipulatio propter pœnæ impoſitionem ſit meritò improbanda, mandamus, quatenus, ſi ita eſt, eundem* (qui pœnam impoſitam à reſiliente extorquere nititur) *ut ab extorſione pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas;* ſed hoc fieri non poſſet, ſi pœna poſſit ſponſalibus licitè & validè apponi, quomodo enim Pontifex hanc pœnæ ſolutionem impedire poſſet. Ergo.

Reſp. Pontificem ibi ſolùm loqui de ſponſalibus ante ſeptennium contractis, quibus utique male fuit pœna appoſita à reſiliente ſolvenda; cùm independenter à pœnæ adjectione illa ſponſalia ante ſeptennium ſint invalida, ſic etiam pœnæ adjectio debuit fuiſſe invalida; cùm aliunde juſtè reſiliatur; imò in talibus ſponſalibus ante ſeptennium celebratis omnino pœnæ adjectio minueret libertatem; nam cùm tales ſponſi completo ſeptennio aut ratificare poſſint ſuum priorem conſenſum, aut illum tollere, ideò timore illius adjectæ pœnæ compellerentur quodammodo ad contrahendum; aſt poſtquam liberè quis contraxit ſponſalia, non jam ſtat libertas citra peccatum injuſtitiæ ab iiſdem reſiliendi; ſed jus naturale, divinum, & Eccleſiaſticum jubet compellere ad ſervanda ſponſalia, ideò ad talem injuſtitiam compenſandam licitum eſt reum per pœnæ ſolutionem adſtringere.

Dices: etiam alii textus utriuſque juris prohibent pœnæ adjectionem in ſponſalibus: ergo.

Contra: tales textus ſolùm loquuntur de pœna ſolvenda ab iis, qui juſtè reſiliunt, non autem de illis, qui injuſtè reſiliunt à ſponſalibus; imò etiam jura declarant matrimonia eſſe irrita, quæ gravi metu ſunt contracta, non tamen id intelligunt de metu juſtè, ſed injuſtè incuſſo, uti diximus de matrimonio: ergo etiam tali modo illa jura intelligenda erunt de ſponſalibus.

Dices: ergo etiam ante judicis ſententiam teneretur reſiliens ex conſcientiâ ſolvere illam pœnam, & arrhas receptas; cùm hoc proveniat ex contractu valido & licito; ſed hoc non convenit dicere de pœnis: ergo. 13

Contra conc. illatum, & neg. min. de pœnis conventionalibus, nam probabilius eſt pœnam conventionalem eſſe in foro conſcientiæ debitam; nam ut reſiliens pœnam ſolvat, eſt veluti quædam conditio contractûs, quales conditiones ſtatim obligant non exſpectatâ judicis ſententiâ; nam contrahentes vi contractûs & pacti ſe obligant ad pœnam ſolvendam, nihil autem tam naturale eſt, quàm pacta ſervare, & hoc præſertim verum eſt, quando alter contrahens pœnam vel arrham petit, nam ſicut judici exequenti legis pœnam non licet reſiſtere, ita etiam petenti pœnam ex conventione debitam non oportebit reſiſtere.

QUÆSTIO II.

An ſponſalia ita obligent etiam in foro externo, ut ſponſi poſſint à judice Eccleſiaſtico compelli ad contrahendum.

1 ADvert. eſt 1. Obligationem ſponſalium potiſſimùm debere colligi ex verbis ſignificantibus promiſſionem datam, & ex arrhis ſeu muneribus in pignus & fidem promiſſionis datis; quamvis ergo reciprocus conſenſus ſponſorum communiter ſoleat exprimi verbis, nihilominus tamen etiam rebus, aliiſque ſignis manifeſtari poteſt, ut definitur C. *cùm apud.* de ſponſalibus. aliàs muti & ſurdi ſponſalia contrahere non poſſent: præterea quamvis verba, quibus ſponſalia contrahuntur ſint de futuro, ſicut verba matrimonii de præſenti, nihilominus cùm verba aliavè ſigna non ſolùm conſideranda ſint ſecundùm propriam ſignificationem, ſed etiam ſecundùm acceptam conſuetudinem, ſic fieri poteſt, ut apud aliquam nationem tempus præſens exprimatur per verbum de futuro, & futurum per verbum de præſenti, & ſic valeat matrimonium per verbum de futuro, & ſponſalia per verbum de præſenti. Cæterum tamen verba certò ſignificantia ſponſalia communiter numerantur ſequentia: accipiam te, vel ducam te in meam, promitto me ducturum te, vel Bertham in craſtinum, poſthac, vel ex nunc ducam te, non aliam ſed te ducam, obligo me tibi, do tibi fidem meam, quòd te ducam, habeas me infidelem, niſi te ducam, ut recenſet Tamburinus.

2 Advert. eſt 2. in ſponſalibus communiter pro firmanda obligatione adjici arrhas, quæ tripliciter poſſunt accipi: primò pro quadam donatione, quam vir facit uxori in dotis præmium: ſecundò pro donatione propter nuptias: tertiò propriè pro pignore, quod inter ſponſos datur in ſignum adimplendi matrimonium, ſicut in aliis contractibus ſolet aliquod ſignum in pignus tradi ad contractum perficiendum, poſſunt autem tales arrhæ apponi in quacunque quantitate, quæ tamen amittuntur per violationem fidei ſponſalium; & primitus arrhas amittit ille, qui eſt cauſa, quòd ſuâ culpâ non ſequatur matrimonium, & hæc eſt natura arrharum, ut eas amittat tradens, ſi culpâ ſuâ non ſequatur matrimonium, eo tamen ſecuto redeunt ad tradentem, ut habetur L. *fin.* C. de ſponſalibus: hinc ille, qui ex juſta cauſa reſilit, v. g. ingreditur religionem, non amittit arrhas, quas tradidit ſponſæ, ut habetur L. *arrhis.* C. de ſponſalibus, ſed ſunt ipſi reſtituendæ, ſi in bona fide proceſſit in ſponſalibus, ſecus ſi malâ fide, ut ait Gloſſa in L. cit. & ſic, ſi recepit ſuas arrhas, tenebitur eas denuò reſtituere, cùm ex natura contractûs eas non amiſerit altera pars: ſecundò, quando unus contrahens ſolus tradidit arrhas, & ex culpa non tradentis matrimonium non ſequitur, tunc hic tenetur reſtituere duplum, id eſt, ipſas arrhas receptas, & tantundem de ſuo patrimonio, & ſi conventum fuerit, ut reſtituatur triplum, vel quadruplum, etiam ad hoc tenetur, & quidem ante ſententiam judicis, ut habetur L. *fin.* cit. cujus ratio eſt; ſi enim ſolùm, quod accepit, teneatur reddere, nihil pateretur, nec ſervaretur æqualitas; ſed injuſtum eſſet reſilientem eſſe deobligatum ad ſervandam æqualitatem: ſi tandem uterque arrhas dedit, injuſtè reſiliens ſuas perdet, & quas accepit, reſtituet; ſic enim ad pœnam dupli L. fin. præſcriptam pervenitur. His notatis:

3 Propoſitio 1. *Sponſalia obligant in foro conſcientiæ ſub mortali ad contrahendum matrimonium.* Ratio eſt ex C. *ex litteris.* & C. *requiſivit.* de ſponſalibus, in quibus ſemper gravis obligatio inſinuatur: tum quia ex contractu oritur obligatio juſtitiæ ſub mortali, quando materia eſt gravis; ſed ſponſalia ſunt contractus mutuus & onerosus inter ſponſos in re gravi, ita ut magna injuria inferatur alteri à parte, quæ recuſat ſua promiſſa adimplere: tum quia ſi non graviter obligarent ſponſalia, tunc nullius æſtimationis eſſent, & quivis facilè poſſet ab illis reſilire, licèt ſæpius graviſſima ſcandala & incommoda orirentur: hinc ſi juramentum adjicitur, tunc duplex eſſet obligatio, ſcilicet juſtitiæ & religionis; imò nec ex intentione contrahentium fieri poteſt, ut ſponſalia ſolùm obligent ſub culpa levi; nam materia ſponſalium eſt talis naturæ, ut non poſſit ſub levi lege cadere, ſed vel ſponſalia non ſunt vera, vel ſub gravi lege obligant; ſunt enim ſponſalia inducentia impedimentum publicæ honeſtatis, & reddunt licita inter ſponſos oſcula & amplexus, ſi remota ſint à periculo turpis conſenſûs, quod ſignum eſt hos effectos abſque gravi obligatione ad matrimonium contrahendum non conferri.

Nec dicas: quælibet promiſſio eſt veluti privata lex, quam quis ſibi imponit. C. 1. de donationibus: ergo in poteſtate promittentis eſt graviter vel leviter ſe obligare ad id, quod promittit; per conſequens poteſt ſe leviter obligare.

Reſp. conc. totum, ſed neg. tunc eſſe vera ſponſalia: interim tamen in foro conſcientiæ ſunt compellendi ſponſi à confeſſariis ad ſervandam datam fidem de futuro matrimonio, nec abſolvendi ſunt, quamdiu ſine juſta cauſa ſuas promiſſiones non volunt adimplere; cùm ex gravi damnificatione vel ſcandalo fieri poſſit, ut in peccato mortali perſeverent.

4 Propoſitio 2. *Sponſalia ſine præfixo termino inita non ſtatim obligant ad implenda ſponſalia per matrimonium contrahendum, ſed ſolùm altero id exigente.* Ratio eſt ex L. *debitores.* C. de pignoribus. in qua dicitur: ſolum tenetur debitor à creditore requiſitus ſolvere:

ergo

ergo cùm generaliter ſit in omni debito absque certa diei præfixione debitorem non teneri ſtatim ſolvere, etiam hoc de debitore quoad ſponſalia dicendum erit.

Nec dicas: eſt regula juris: in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præſenti die debetur: ergo ſponſalia ſtatim obligabunt. Et illa regula fundatur in hoc principio, quod adimpletio promiſſionis ſit facienda, quando eſt utilis, ſed omni tempore eſt utilis ipſis ſponſis adimpletio ſponſalium: ergo ſtatim & ſemper obligabit etiam altero non exigente.

Reſp. illam regulam debere intelligi petente creditore, alias inutile foret mutuum, ſi ab ipſo primo die mutuatarium obligaret ad illud reſtituendum, vel illa regula ſolùm loquitur de obligatione in actu primo, quam debitor ſtatim contrahit; non verò de obligatione in actu ſecundo: hinc etiam in illo principio præter utilitatem requiritur alterius partis requiſitio; imò nec univerſaliter verum eſt ſponſis ſemper eſſe utile adimplere ſponſalia; cùm aliquando utilior ſponſo vel ſponſæ ſit uno tempore, quàm alio adimpletio ſponſalium ob varias circumſtantias occurrentes.

5 Aſſero ad quæſt. *Sponſalia obligant etiam in foro externo, ita ut ad implendum promiſſum poſſit judex Eccleſiaſticus compellere per cenſuras Eccleſiaſticas, aut alia juris remedia ſponſum vel ſponſam injuſtè reſilientem, ſi tamen priùs fuerint admoniti.* Eſt Scoti in 4. D. 28. q. un. §. *ad primum.* éſtque communior contra paucos Canoniſtas.

Probatur: juxta omnes certum eſt ſecluſo periculo mali exitûs aut gravis incommodi, vel ſcandali cogi poſſe reſilientem, quando ſponſalia ſunt juramento firmata, ut expreſsè habetur C. *ex litteris.* de ſponſalibus: nam ad judicem præſertim Eccleſiaſticum ſpectat obſtrictum juramento cogere ad juramenti adimpletionem; cùm ejus violatione DEO maxima irrogetur injuria: ergo etiam hoc dicendum erit de ſponſalibus juramento non firmatis. Conſeq. prob. contrahentes ſponſalia tenentur ſervare fidem ex juſtitia ſub mortali, niſi juſta cauſa reſiliendi adſit; ſed etiam ad judicem competentem ſpectat compellere, ut unicuique, quod ſuum eſt, reddatur debitum ex juſtitia; ergo ad judicem competentem ſpectabit ad impletionem ſponſalium compellere.

6 Objicies: idem C. *ex litteris.* ibi dicitur: quòd cogendus ſit, qui juraverit: ergo ille ſponſus, qui non juraverit, non erit cogendus.

Reſp. neg. conſeq. quia in illo capitulo non exinde negatur obligatio orta ex ſponſalibus ſine juramento ſufficere, ut judex poſſit compellere, ſed ſolùm ibi adducitur juramentum pro cauſa & motivo majoris coactionis, quàm ſi ſola ſponſalium promiſſio adeſſet.

Dices: ſi ſponſus eſſet cogendus v.g. per excommunicationem, tunc ſequeretur matrimonium ſecutum eſſe invalidum; ſed hoc ipſo cogendi non ſunt ſponſi: ergo. Sequela maj. prob. matrimonium metu gravi initum eſt nullum, ſed tale matrimonium, quo quis cogitur per excommunicationem, eſt metu gravi initum: ergo.

Contra neg. ſequelam maj. ad prob. diſting. maj. matrimonium metu gravi injuſtè incuſſo eſt nullum, conc. juſtè incuſſo, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. metus ergo excommunicationis in noſtro caſu eſſet juſtè incuſſus, & ideò non caderet in virum conſtantem, uti diximus in diſtinct. de matrimonii libertate.

Dices: C. *requiſivit.* de ſponſalibus. dicitur: ſponſam recuſantem potiùs monendam, quàm compellendam eſſe: ergo de mente Pontificis rarò vel nunquam compellendi ſunt ſponſi, eò, quòd in ſimilibus coactis matrimoniis ſoleant frequenter mali exitus haberi, ut in eodem capitulo dicitur.

Contra neg. conſeq. quia Pontifex ibi loquitur de coactione extraordinaria; nam in matrimonio extraordinariè coacto ſolent difficiles exitus evenire, non autem ordinariis mediis coacto. Cæterùm judices Conſiſtoriales in hac cauſa diligenter ponderare debent mala & incommoda, quæ etiam probabiliter poſſint ex hujuſmodi coactionibus ſequi, nam ea partim ex qualitate perſonarum, partim ex aliis circumſtantiis deſumenda erunt; unde ſi illa videntur præponderare ſponſalibus ad contrahendum non cogant, ſed potiùs juxta conſilium Innocentii III. C. 2. de ſponſalibus. quoad fieri poteſt, inducant, ut ſibi mutuò ſponſalia remittant, ut ſine peccato & obligatione liberi remaneant, vel ſaltem ad tranſactionem pacificam hujuſmodi ſponſos inducant.

DISTINCTIO XXX.

De Diſſolutione ſponſalium.

QUÆSTIO UNICA.

Quibus variis modis poſſint ſponſalia diſſolvi?

ADvert. eſt 1. Contractum ſponſalitium non ita naturâ ſuâ indiſſolubilem eſſe, ſicut matrimonialem, ut expreſsè habetur C. 2. de ſponſalibus; adeóque obligatio ex ſponſalibus contracta poteſt ceſſare ob aliqua impedimenta, ſive juſta motiva ſupervenientia; nam cùm in ſola promiſſione de futuro conſiſtant, poterunt omnia diſſolvi rationabili ex cauſa; unde ſolet quæri: quibus modis aut cauſis ceſſet eorum obligatio, quæ cauſæ ad quinque plerumque capita revocari poſſe videntur: primò ex ſimplici ipſorum ſponſorum voluntate: ſecundò ex mutatione ſtatûs incompoſſibilis cum matrimonio: ter- 1

tiò:

tiò: ex permutatione in alia ſponſalia, vel matrimonium: quartò, ex novis cauſis poſt ſponſalia ſupervenientibus: & quintò ex cauſis antecedentibus quidem ſponſalia, noviter tamen primò detectis, de quibus partim in propoſitionibus, partim in aſſertionibus agemus, pro quarum majori intelligentia.

2 Advert. eſt 2. impuberes eſſe pueros, qui annum decimum quartum non attingunt, & puellas, quæ non attingunt duodecimum. E-contra verò puberes dicuntur pueri, qui annum decimum quartum, & puellæ, quæ duodecimum attigerunt, & in hac ætate poſſunt contrahere matrimonium; hi tamen, quando antecedenter contraxerunt ſponſalia, quamdiu impuberes ſunt, non poſſunt validè renuntiare ſponſalibus etiam mutuo conſenſu, ſed debent exſpectare uſque ad pubertatem, in qua poſſunt reclamare, & ſponſalia diſſolvere non ſolùm mutuo conſenſu, ſed etiam alia parte prorſus invita, & hoc ſpecialiter ſtatuit jus ſubveniendo immaturitati impuberum ne ſponſalia cum aliorum præjudicio ſæpe immutarentur, aut ut in nubili ætate maturiori judicio ſe corrigere poſſint, ut habetur C. *de illis*. de deſponſatione impuberum: interim tamen adhuc ſemper ex illis ſponſalibus in impubertate contractis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quo non obſtante ille, qui primus pubertatem attigit, ſtatim poterit reſilire, nec tenebitur exſpectare, donec alter pubeſcat; cùm fruſtra exſpectetur talis eventus, cujus nullus eſt effectus, ſed primus puber factus, etſi illum alterum exſpectet, nihilominus poterit illico reclamare, & reſilire; ideò fruſtra erit talis exſpectatio: dicitur autem *illicò* reclamare, qui intra triduum reclamat L. *fin.* de errore advocatorum. Si ergo puber intra triduum non reclamat, cenſetur confirmare ſponſalia, & non poterit ampliùs reclamare altera parte invita: præterea puber contrahens cum impubere non poteſt reſilire, etiam poſtquam impuber factus eſt puber, poteſt tamen impuber, etiamſi cum pubere contrahat, poſtquam ad pubertatem pervenerit, reclamare, & ideò in hoc caſu claudicant ſponſalia, quoad obligationem in favorem impuberi ex juris diſpoſitione. C. *de illis*. de deſponſatione impuberum.

3 Advert. eſt 3. ſi ſponſalibus certum tempus præfigitur, & ſi hujus terminus elabitur, tunc pars, cui fides ſervata non fuit, libera manebit, ut habetur C. *ſicut ex litteris*. de ſponſalibus. nam ille terminus temporis tanquam terminus finiens obligationem, & ut conditio fuit aſſignatus, adeóque ille, per quem non ſtetit, manebit liber ab obligatione, cùm etiam promiſſio non obliget ultra promittentis intentionem, & promittens in tali caſu certi temporis habuit intentionem ſe obligandi ſolùm pro tempore aſſignato: obſervari tamen debet, quòd talis terminus temporis debeat eſſe appoſitus tanquam finiens obligationem, nam ſi apponatur non ad finiendam obligationem, ſed ſolùm ad ſollicitandum obligationis effectum, tunc lapſus termini non extingueret obligationem; quia tunc ſolùm fuit præfixus ad ſollicitandum obligationis effectum, nec ſe habet ut quædam conditio. Et ſic termino finito non ſtatim finitur obligatio ad matrimonium contrahendum, cùm in hoc caſu interveniant diverſæ obligationes, una ſcilicet contrahendi abſolutè, altera verò contrahendi intra tale tempus, aſt ceſſante obligatione contrahendi matrimonium tempore ſtatuto, non propterea ceſſat prima obligatio contrahendi abſolutè, uti etiam videmus in aliis contractibus. His itaque notatis ſit

Propoſitio 1. *Sponſalia inter puberes contracta mutuo illorum conſenſu diſſolvi poſſunt, etiamſi juramento eſſent firmata.* Ratio 1. eſt; quia omnis contractus ex natura ſua diſſolubilis poteſt per eaſdam cauſas diſſolvi, per quas poteſt fieri validè, maximè ſi jus non reſiſtit diſſolutioni; ſed contractus ſponſalitius purè humanus eſt ex natura ſua diſſolubilis, & fit mutuo contrahentium conſenſu: ergo etiam eodem conſenſu diſſolvi poterit: præſertim cùm id etiam jus concedat C. *præterea*. de ſponſalibus. in quo C. licèt jus dicat: *poteſt hoc in patientia tolerari, ne pejus eveniat*, ubi ſolùm videtur hoc permittere tanquam minus malum; nam in eodem C. adducit Pontifex exemplum de contractu ſocietatis, ubi quidam interpoſita fide ſocietatem inierunt, & poſtea invicem remittunt, quod tamen non tanquam minus malum permittitur, ſed licitiſſimè fit. Unde illa verba: *poteſt in patientia tolerari*, non permittunt minus malum, ſed ſolùm minus bonum eò, quòd majus bonum cenſeatur manere in fide data, maximè, ſi ex ſimili fidei remiſſione apud plebem aliquando oriatur ſcandalum; cùm neſciat, qua de cauſa ſint diſſoluta ſponſalia. Ratio 2. eſt; quia juramentum annectitur promiſſioni homini factæ ut acceſſorium pendens à principali: ergo ceſſante obligatione libera voluntate promiſſarii non acceptantis nec ampliùs obligabit juramentum; cùm ſemper in promiſſione ſubintelligatur hæc conditio, ſi promiſſarius acceptaverit; ſed mutuo conſenſu reſilientes renuntiant promiſſioni: ergo juramentum tunc non ampliùs obligabit.

Nec dicas: votum non deobligat, etiamſi vovens velit renuntiare voto ſuo: ergo etiam non deobligabit juramentum. 4

Reſp. neg. conſeq. nam acceptatio voti dependet à DEO, qui non cenſetur votum ſibi factum remittere, niſi ex urgentiſſima cauſa & motivo, ut quando voti obſervatio eſſet graviſſimum damnum proximi: ut contingere poteſt, ſi quis poſt votum defloraſſet virginem ignaram voti ſub ſpe futuri matrimonii, ut diximus de impedimentis impedientibus; aſt hoc non contingit in juramento annexo promiſſio.

miſſioni factæ homini, qui ſcitur non acceptare, ut de ſe patet.

5 Propoſitio 2. *Sponſalia puberum juramenta firmata poſt adeptam pubertatem adhuc poſſunt ſolvi uno illorum reſiliente.* Ratio eſt; juramentum additum contractui ſequitur naturam & conditionem contractûs; ſed ſponſalia impuberum ex juris diſpoſitione habent hanc tacitam conditionem: niſi facti puberes reſilierint, uti diximus in advert. 2. ergo adhuc poſſunt ſolvi, etiamſi additum ſit juramentum, ſi alter puber factus reclamet: tum quia ſponſalia puberum juramento firmata poſſunt ſolvi altero remittente obligationem aut non acceptante promiſſionem, ut diximus propoſ. 1. ergo etiam ſponſalia impuberum juramento firmata; cùm juramentum impuberum minùs firmum ſit cenſendum, quàm puberum, eò, quòd lex præſumat impuberes nec ſcire, nec intelligere perfectè ante pubertatem; & ideò C. *parvuli.* 22. q. 5. impuberes jurare prohibentur.

Nec dicas: C. *ex litteris.* de ſponſalibus. deciditur contrarium; nam ibi Pontifex mandat compellendum eſſe illum, qui impuber ſub juramento cum puella impubera contraxit ſponſalia, quia periculoſum eſt ei, ait, contra juramentum ſuum venire: ergo.

Reſp. neg. ant. nam ille textus ſolùm eſt intelligendus, quando facti puberes debito tempore non reclamant; nam illi impuberes, quando debito tempore non reclamant, etiamſi non juraverint, ſunt cogendi ratione obligationis fidelitatis & juſtitiæ, adeóque multò magis, quando jurârunt, & debito tempore non reclamant, cogendi ſunt ad ſponſalia ſervanda.

6 Propoſitio 3. *Sponſalia conditionata non diſſolvuntur per poſteriora abſoluta.* Ratio eſt; quia jure naturali ex naturæ ipſius promiſſionis conditionatæ obligatur promittens ad exſpectandam conditionem, ſub qua fidem præſtitit: ergo non valebit ante conditionis eventum in præjudicium promiſſarii ad alia ſponſalia tranſire: tum quia promiſſio rei illicitæ eſt nulla & irrita; ſed promiſſio abſoluta de futuro matrimonio alii facta poſt promiſſionem conditionatam ſponſalium eſt promiſſio de re illicita, cùm jus alterius violetur: ergo.

Nec dicas: ſponſalia conditionata ante eventum conditionis non ponunt impedimentum publicæ honeſtatis: ergo ſignum eſt, quòd ſponſalia abſoluta ſint majoris vinculi & obligationis, quàm ſponſalia conditionata.

Reſp. neg. conſeq. nam cùm impedimentum publicæ honeſtatis non pendeat ex natura, ſed ex jure poſitivo, & diſpoſitione Eccleſiæ, potuit Eccleſia ob juſtas cauſas hoc impedimentum publicæ honeſtatis ſponſalibus conditionatis non apponere; aſt ex natura promiſſionis conditionatæ obligat jus naturale promittentem ad exſpectandam conditionem, & per conſequens ſponſalia ſecunda utpote contra præjudicium prioris conditionati contractûs ſunt nulla.

Propoſitio 4. *Sponſalia etiam jurata per fornicationem unius ſponſi, aut per amplexus & oſcula tertiæ perſonæ facta diſſolvuntur; ſi autem uterque fornicatur, probabiliùs videtur ſponſum adhuc juſtè reſilire poſſe, non verò ſponſam.* Ratio 1. eſt; quia in promiſſione ſponſalium ſemper intelligitur hæc tacita conditio, niſi ſponſi in legem matrimonii peccaverint: ergo ſi unus illorum hanc conditionem fidei frangat, nec fides frangenti ſervanda erit: tum quia vir propter fornicationem uxoris, vel mulier propter fornicationem mariti poteſt juſtè à ſe dimittere adulterantem quoad thorum: ergo à fortiori poterit ſponſus propter fornicationem ſponſæ, aut vice verſâ eam reſpuere; cùm utrinque ſit gravis injuria. Ratio 2. eſt; quia per tales impudicos amplexus & oſcula oſtendunt ſe ſponſi alienis & impudicis amoribus eſſe deditos, ſicque probabiliter timere poteſt ſponſa, ne in iis etiam in ſtatu conjugali ſit perſeveraturus, ob quæ deinde infelix ſequeretur matrimonii exitus. Ratio tertii eſt: multò turpior eſt fornicatio ſponſæ, quàm ſponſi, ſimúlque gravius damnum ex fornicatione ſponſæ reſultat, utpote cùm ſponſa notabiliſſimè deterior & infamior fiat, ac ex incertitudine prolis majora incommoda ſequantur: ergo cùm imparia ſint delicta, non cadit eadem compenſatio, & per conſequens fornicatio ſponſæ non compenſatur fornicatione ſponſi. 7

Nec dicas: inter conjuges adulterantes datur recompenſatio & utriuſque fornicatio æqualis eſſe cenſetur: ergo hoc etiam dicendum eſt de ſponſalibus.

Reſp. neg. conſeq. tum quia faciliùs ſponſalia, quàm matrimonium quoad thorum ſolvuntur, ut patet ex cauſis & motivis ſufficientibus ad diſſolvenda ſponſalia, non verò ſufficientibus pro divortio matrimonii: tum quia in adulterio ſolùm ſpectatur fides conjugalis, quæ à viro & fœmina frangitur, dum fornicantur, in fornicatione verò ſponſorum non ſolùm ſpectatur violatio fidei ſponſalitiæ, ſed etiam infamia, quæ reſultat, quæ cùm ſit major in ſponſa, quàm in ſponſo, non poteſt fieri compenſatio; hinc docet etiam communis ſententia per fornicationem ſponſæ involuntariam, ut in ſomno aut vi factam rationabiliſſimè ſolvi ſponſalia, eò, quòd cenſeatur notabilis mutatio ex parte ſponſæ facta, ex qua vir grave dedecus pati poteſt, quod tamen de conjugibus dicendum non eſſet, ſi uxor alicujus involuntariè ab alio cognoſceretur, aut raperetur, cùm hoc ſolùm ſit adulterium materiale, ob quod vir divortium petere non poteſt.

Propoſitio 5. *Sponſalia diſſolvuntur ob ſupervenientia impedimenta dirimentia v. g. ob affinitatem, vel cognationem ſpiritualem ex parte ejus, qui non fuit cauſa impedimenti.* 8

Ratio eſt; quia non eſt obligatio ad id, quod fieri non poteſt; ſed ſi ſponſalia non diſſolverentur, obligarent ad matrimonium contrahendum, quod tamen ſupponitur contrahi non poſſe ob impedimentum dirimens: ergo non obligant, & hoc non tantùm verum eſt de impedimento dirimente certo, ſed etiam publicâ famâ vulgato, eo quòd cauſaretur in populo magnum ſcandalum, ſi inter tales contraheretur matrimonium; imò hoc etiam dicendum eſt de impedimentis impedientibus, ut præſertim voto caſtitatis ſuperveniente, quamvis non facilè de reliquis; cùm ſint per conſuetudinem abrogata.

Nec dicas: etiam ſupervenientibus impedimentis dirimentibus poteſt fieri matrimonium petendo diſpenſationem: ergo adhuc poſſunt ſponſalia obligare ad id, quod fieri poteſt.

Reſp. diſting. ant. poteſt fieri matrimonium petendo diſpenſationem modo extraordinario, conc. modo ordinario, neg. ant. ſponſi autem ſolùm cenſentur ſe obligare ad contrahendum matrimonium modo ordinario, non verò extraordinario, niſi in illo, qui ſuâ culpâ eſt cauſa impedimenti, nam tunc talis tenetur impetrare diſpenſationem impedimenti; cùm enim ſuâ culpâ ſit factus impotens ad ſervandum id, quod promiſit, in magnum præjudicium tertii, tenetur talem inhabilitatem à ſe tollere, ut alteri injuſtè læſo ſatisfiat petendo diſpenſationem; ſecus verò eſt, ſi impedimentum non ſit ejus culpâ contractum, ut ſi ſponſus ſponſæ filium in neceſſitate baptizaret, non tenebitur diſpenſationem petere, ſi nolit, eò quòd culpâ ſuâ non contraxerit tale impedimentum cognationis ſpiritualis.

9 Propoſitio 6. *Omnis cauſa rationabilis ſubſequens ſponſalia, quæ ſi præceſſiſſet ea, impedivisset prudentum judicio, ne ſponſi contraherent, diſſolvit ea.* Ratio eſt ex C. *quemadmodum.* de jurejurando, ubi cauſæ ſponſalia etiam jurata diſſolventes recenſentur: ut lepra, paralyſis, oculorum aut naſi amiſſio, aut alia notabilis difformitas, vel morbus reddens ſponſum minùs idoneum ad debitum conjugale; præterea etiam ſufficit notabilis famæ jactura, divitiarum pro ſtatu convenienti amiſſio, gravis inimicitia inter ſponſorum parentes, notabilis morum aſperitas alterius ſponſi, lapſus in hæreſim unius ſponſi ob periculum perverſionis alterius ſponſi & prolium inde ſuſceptorum, & ob continuas diſcordias probabiliter inter diſpares religione orituras, diſceſſus unius ſponſi in regionem remotam ſine conſenſu alterius maximè animo mutandi domicilium, ut habetur C. 5. de ſponſalibus. quamvis ergo jus civile de repudio præſcribat talem ſponſum debere exſpectare per triennium, ſi fuerit extra provinciam, vel per biennium intrà provinciam, attamen tale jus jam eſt correctum per jus Canonicum, vel ſolummodò vim habet in foro externo, non verò in conſcientia: ratio autem harum omnium cauſarum eſt; quia contractus ſponſalitius tacitè fit ſub hac conditione, quòd ſi adveniat notabilis mutatio, ob quam ſponſalium impletio fit notabiliter gravior, is, cui fit, reſilire poteſt; ſed per omnes illas aſſignatas cauſas ſtatus ſponſorum notabiliter mutatur, & gravior fit: ergo ſi ſimilis mutatio adveniat, poterunt diſſolvi ſponſalia, quod idem dicendum eſt de omni cauſa, quæ ſuperveniens ſponſalibus ſufficiens eſt ad ea dirimenda, quod etiam præcedens probabiliter ignorata ſit ſufficiens ad ea diſſolvenda, ubi cognita fuerit.

Nec dicas: ſi illæ cauſæ aſſignatæ eſſent ſufficientes ad ſponſalia diſſolvenda, poſſent ſponſi ſine authoritate judicis invicem recedere; ſed hoc fieri non poſſet, cùm ſponſi invicem habeant poſſeſſionem juris, & nemini liceat alterum de poſſeſſione ſui juris propria authoritate deturbare: ergo.

Reſp. diſting. maj. ſi illæ cauſæ ſufficientes etiam ſint moraliter certæ, & receſſus ſine ſcandalo fieri poteſt, conc. maj. ſi illæ cauſæ ſufficientes etiam dubiæ ſint, neg. maj. & ſic diſtinctâ min. conſeq. adeóque in pluribus locis obſervatur quidem, ut à ſponſalibus publicè initis non liceat reſilire, niſi cauſa priùs ad ordinarium ſit delata & approbata, ſi tamen ſponſalia ſint clam contracta, aut ſi cauſa diſſolvendi ſit occulta, aut ſi ſponſalia ſint publicè contracta, & cauſa diſſolvendi etiam publicè certò conſtet, non eſt opus judicis ſententiâ, eò quòd ex tali diſſolutione ſponſalium propria authoritate facta nullum oriatur ſcandalum; unde ſolummodò, ſi cauſa ſufficiens ſit dubia, & non certò conſtet, tunc non licebit ſponſalia diſſolvere propria authoritate, cùm quilibet ſponſus vi contractûs ſit in poſſeſſione juris acquiſiti, ut fiat, quod promiſſum eſt; in dubio autem nemini licet propria authoritate alterum de poſſeſſione ſui juris deturbare, ſed exſpectanda eſt ſententia judicis: hinc diſſenſus parentum, minæ exhæreditationis &c. non ſtatim ſunt cauſa ſufficiens filiorum aut filiarum reſiliendi à ſponſalibus validè contractis, ita ut altera pars teneatur cedere à ſponſalibus cum ſuo præjudicio, nam illæ minæ non ſufficerent, ſi alia juſta cauſa non adeſſet, quia parentes abſque juſta cauſa exhæreditare non poſſunt filios; unde judex compellere poſſet ad ſponſalia implenda: aſt tamen diligenter inquirere debet cauſam, cur parentes contradicant, & ſi parentes habent juſtam cauſam obſtandi, poterit illa ſponſalia reſcindere. His poſitis:

Aſſero 1. ad quæſt. *Quamvis ſponſalia priora dirimantur per matrimonium ſubſequens* 10 *cum alia contractum, attamen illa obligatio ſponſalium non penitus exſtinguitur, ſed ſolùm ſuſpenditur, ut altera exſpectante diſſoluto matrimonio* v. g. *per mortem unius conjugis teneatur ille cum priori ſponſa contrahere.* Eſt

Eſt Amici, Maſtrii contra Sanchez quoad 2. partem.

Probatur 1. pars: tum quia hoc definitur C. *ſi inter.* de ſponſalibus; tum quia, quotieſcunque duo vincula concurrunt in eadem perſona, quorum utrumque nequit obſervari, fortius prævalet, ſed fortius vinculum eſt matrimonium quàm ſponſalia: ergo ſuperveniente vinculo matrimoniali dirimitur prioritatis obligatio.

11 Probatur 2. pars: tum quia in tantùm ille manet liber ab obligatione ſponſalium præcedentium, in quantùm per ſubſequens matrimonium tanquam fortius vinculum impeditur, ne eam adimplere poſſit, ſed per diſſolutionem matrimonii v. g. per mortem prioris conjugis tollitur hoc impedimentum, & redditur habilis ad priorem ſponſalitiam obligationem adimplendam: ergo tunc tenebitur eam adimplere expectante priori ſponſa, per conſequens prior obligatio non fuit per illud majus vinculum exſtincta, ſed ſolùm interim ſopita & ſuſpenſa, quæ deinde iterum reviviſcit; ſi verò prior ſponſa etiam contraxiſſet interim matrimonium, tunc ex utraque parte eſſet omnino exſtincta priorum ſponſalium obligatio, cùm uterque contrahendo aliud matrimonium utrique remittant jus ſponſalium: tum quia qui vovit religionem, aut perpetuam caſtitatem, & poſtea contrahit matrimonium, non exſtinguitur ejus votum; cùm teneatur mortua uxore ingredi religionem, aut caſtitatem ſervare, ſicut patet ex formulis diſpenſationum, uti diximus de impedimentis impedientibus: item ſi Petro promiſi agrum, quem poſtea tradidi Paulo, ſi Paulus in teſtamento mihi iterum leget agrum, teneor illum titulo prioris promiſſionis Petro reſtituere; cùm res promiſſa & acceptata ſemper clamet ad promiſſarium ſuum: ergo etiam perſona ſponſi promiſſa ſponſæ, ac per matrimonium cum alia alienata, iterum ſui juris facta, reſtituenda eſt priori ſponſæ.

12 Objicies: jura dicunt per ſubſequens matrimonium prorſus exſtingui vim priorum ſponſalium; ſed obligatio prorſus exſtincta non reviviſcit, ut etiam habetur in jure: ergo.

Reſp. neg. maj. jura enim ſolummodo definiunt matrimonium utpote fortius vinculum obligare hominem manere in eo non obſtantibus prioribus ſponſalibus, non verò dicunt priorem obligationem penitus exſtingui, ut, etiamſi matrimonium contractum per mortem diſſolvatur, non teneatur ampliùs homo factus liber à matrimonio, eam adimplere.

Dices: ſi quis vovit religionem ſtrictiorem v. g. ſeraphicam, & dein profitetur laxiorem v. g. ſocietatis, licèt talis peccet, tamen per ſolemne votum religionis laxioris exſtinguitur prius votum ſtrictioris: ergo etiam in noſtro caſu id dici poterit.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt: tum quia de primo caſu eſt ſpecialis diſpoſitio juris C. *qui poſt votum.* de reg. juris in 6. ubi Bonifacius VIII. ad occurrendum hominis fragilitati diſpenſat, ut votum ſimplex ſtrictioris religionis commutetur in votum ſolemne laxioris: tum quia per votum ſimplex religionis ſtrictioris nullum adhuc jus acquiritur religioni, ſed ſolùm DEO, & per conſequens ex parte religionis nullius jus læditur, ſi in laxiori fiat profeſſio, quod etiam dicendum eſſet, ſi aliquis Scholaſticus Societatis JESU aufugeret ad ſtrictiorem religionem ibi profitendo, cùm in hac cauſa ſocietas non poſſit eſſe rationabiliter invita; deſponſatus verò uni, ſi matrimonium contraxit cum alia, lædit jus ſponſæ priori acquiſitum, quod petit reſarciri, ſi poſſibilitas reſarciendi adeſt.

Dices: illa paritas de voto adducta in proba 2. partis non eſt ad rem ergo nihil probat. ant. prob. obligatio voti & obligatio matrimonii ſunt diverſæ rationis, & ideò obligatio voti non exſtinguitur per obligationem matrimonii. Aſt obligatio ſponſalium eſt ejuſdem rationis cum obligatione matrimonii, & ideò per hanc fortiorem penitus tollitur prior: ergo. 13

Contra neg. ant. & potiùs illa diverſitas rationis nihil eſt ad rem; nam etiam in obligationibus ejuſdem rationis fortior obligatio non penitus exſtinguit debiliorem, ſed ſolùm ſuſpendit, quouſque fortior ceſſat, ut patet in illa inſtantia adducta de agro promiſſo in proba 2. partis.

Aſſero 2. *Priora ſponſalia non diſſolvuntur per poſteriora ſimplicia, nec jurata, nec concomitata per copulam carnalem cum ſecunda.* Eſt Sanchez, Maſtrii contra Conink quoad 3. partem. 14

Probatur 1. pars: fides poſterior data in præjudicium fidei prioris eſt nulla; ergo. Ant. prob. nequit valida eſſe promiſſio rei alteri ex juſtitia obligatæ, cùm lædatur jus alterius, quod eſt iniquum & illicitum; ſed fides data de re illicita eſt nulla: ergo cùm vi ſponſalium priorum uterque ſponſus maneat ex juſtitia obligatus, non poterit eſſe valida fides data in ſponſalibus poſterioribus.

Probatur 2. pars: juramentum de re iniqua & in damnum tertii non obligat, dicit regula 58. juris in 6. ſed juramentum in poſterioribus ſponſalibus eſt de re iniqua & in damnum tertii: ergo hujuſmodi juramentum non ſolùm non eſt fortius vinculum, ſed ſimpliciter nullum eſt vinculum. Per conſequens nullatenus obligabit, interim tamen ex parte illius, cui priùs data eſt fides, ſoluta eſſent ſponſalia, quia innocens eſt, & datur ei ſufficiens cauſa reſiliendi à ſponſalibus, ſi vellet. 15

Probatur 3. pars: hoc ipſo, quod corpus ſponſi ſit promiſſum ſponſæ primæ, ex juſtitia illi debetur: ergo ex nova promiſſione concomitata etiam per defloratione non poteſt 16

hoc jus in alterum transferri. Conſeq. prob. ſi priorum ſponſalium jus diſſolveretur per poſteriora ſecutâ copulâ, vel id fieret ratione ſponſalium, aut ratione damni deflorationis; ſed ex nullo capite: ergo. Min. prob. non ratione ſponſalium, ut etiam admittunt adverſarii, cùm illa non ſint valida, nec ratione deflorationis, cùm hoc damnum aliâ viâ v. g. conſtitutione dotis poſſit recompenſari, & aliunde non ſit congruum, ut jus prioris violetur ob damnum poſterioris, & hoc præſertim verum eſt, ſi poſterior ſponſa fuit conſcia priorum ſponſaliam, nam in tali caſu ſcivit, aut ſcire debuit poſteriora ſponſalia ſecum contracta contra fidem prioris eſſe nulla; & ideò cenſetur ſuo jure cedere, dum ſub falſa promiſſione deflorationem admiſit.

17 Objicies: poteſt gravior infamia & ſcandalum oriri ex non adimpletione poſteriorum ſponſalium cum defloratione ſecuta, quàm in non adimpletione priorum: ergo tenebitur prima cedere jure ſuo, & ſic per poſteriora diſſolventur priora ſponſalia.

Reſp. vel diſting. conſeq. ergo prima diſſolverentur proportionaliter ſumpta cum poſterioribus, neg. improportionaliter ſumpta, tranſeat conſeq. ſi enim æquè gravis infamia & fornicatio, aut ſcandalum oriretur ex non adimpletione ſponſalium priorum certe potiùs tenebitur priora ſponſalia implere, ſi autem in prioribus ſponſalibus valde leve eſſet damnum, & in poſterioribus ita magnum, ut non videatur aliâ viâ, quàm per matrimonium reparabile, teneretur quidem poſterioribus ſponſalibus non quidem vi poſterioris promiſſionis, quæ nulla eſt, ſed vi damni, quod poſterior injuſtè patitur, ad quod damnum reparandum vir magis tenetur, quàm ad priorem ſimplicem promiſſionem ſine notabili damno, vel planè neg. conſeq. diſparitatem deſume ex diſcuſſione anteriori. Diſtinct. 8. q. un. object. contra aſſertionem 2. ad finem.

18 Aſſerto 3. *Non tenetur ſponſus jurata ſponſalia adimplere, ſed poteſt ſtatim etiam invitâ ſponsa religionem ingredi, niſi aliqua urgens ratio oppoſitum ſuaderet.* Eſt Amici contra Molinam.

Prob. 1. poteſt quis in favorem religionis poſt matrimonium ratum ingredi religionem: ergo multò magis poſt ſponſalia etiam jurata. Conſeq. patet: quia ſi quid obſtaret, eſſet juramentum; ſed hoc non obſtat: ergo. Min. prob. tum quia C. *pervenit.* de jurejurando. dicitur: non infringit juramentum, qui illud in melius, maximè ſi id jure conceſſum eſt, commutat; ſed hic in melius ſcilicet ſtatum religioſum commutatur: ergo. Tum quia juramentum ſequitur naturam & conditionem actûs, cui apponitur: ergo etiam conditio tacitè incluſa in actu, tacitè includitur in juramento, ut habetur C. *quemadmodum.* de jurejurando; ſed promiſſioni matrimonii inest hæc tacita conditio: niſi promittens elegerit religionem: ergo.

Probatur 2. tum quia, ſi ille jurata ſponſalia teneretur adimplere, tunc deberet priùs in reverentiam juramenti contrahere matrimonium, deinde illo contracto religionem ingredi; ſed hoc ſæpiſſimè non poteſt fieri tum propter probabile periculum conſummandi matrimonium, ob quod deinde non poſſet ſuæ vocationi ſatisfacere, tum propter notabilem injuriam, quæ ſponſæ irrogaretur: ergo poteſt licitè ſtatim ingredi, cùm ſic optimè conſulatur bono ſponſæ & famæ ſponſæ: tum quia ſi aliquis vilis homo juret ſe matrimonium cum paris conditionis fœmina contracturum, & ante matrimonium ob aliquod inſigne factum à rege in comitem evehatur, eique in matrimonium filia regis offeratur, certè non tenebitur ob tam excellentis ſtatûs mutationem cum prima contrahere, aut ſuum juramentum ſervare, ſed poterit cum filia Principis contrahere, eò quòd in priori promiſſione jurata cenſeatur ſubintellecta conditio, ſi res & perſonæ notabiliter non mutarentur, neque prima ſponſa rationabiliter poteſt eſſe invita: ergo pariter non tenebitur matrimonium contrahere, qui poſt juratam fidem afflante divina gratia ad ſtatum religioſum vocatur, & ſponſa longè nobilior offertur.

Objicies illud ſæpe cit. C. *commiſſum.* de ſponſalibus. ubi dicitur: tutius eſſe ex reverentia juramenti priùs contrahere, & poſtea ad religionem migrare. Quod etiam confirmat Scotus in 4. D. 30. q. 2. §. *de ſecundo articulo.* circa finem id conſulens: ergo. 19

Reſp. neg. conſeq. quia illud capitulum ſolùm loquitur de eo, qui nondum ingreſſum religionis firmiter ſtatuit, ſed ſolùm in deliberatione fuit, & ex altera parte tempus adimplendi juramentum imminebat; ideò conſulit Pontifex, tutius eſſe ſponſo priùs contrahere, ne perjurus habeatur, & poſtea, ſi religionem elegerit, ſtatim ad religionem migrare; cùm à jure concedatur bimeſtre ad deliberandum de ſtatu: vel dicendum eſt, Pontificem ſolùm dediſſe conſilium, & tutius eſſe ita procedere. Conſequenter etiam ſuppoſuit licitum & tutum eſſe ſtatim religionem ingredi, & ideò in hoc ſenſu ſe etiam Scotus conformat Pontifici, & ſolùm judicat id conſulendum eſſe, ubi non adeſt periculum conſummandi matrimonium; non verò judicat ad id ſemper teneri ſponſum.

Dices: licèt juramentum, quod non eſt in alterius utilitatem præſtitum, poſſit in melius mutari, non tamen, quando id eſt præſtitum in pactis ad alterius utilitatem: ergo ſi ſponſa deſideraret ſibi ſervare ſponſalia jurata, non poterit ſponſus religionem ingredi.

Contra neg. ant. Aliàs nec poſſet aliquis poſt juratum matrimonium ratum ſub bimeſtre ingredi religionem, quod tamen omnes con-

concedunt; unde etiam favore religionis juramentum poteſt in melius commutari, etſi in alterius utilitatem ſit præſtitum; cùm etiam in juramento ſemper ſubintelligatur hæc conditio à jure in favorem jurantis conceſſa: niſi perfectiorem ſtatum elegero.

Dices: qui habet debita, tenetur ea priùs ſolvere, quàm ingredi religionem: ergo etiam cùm ſponſus jurans ſponſalia habeat debitum pro ſponſa, debet priùs illud exſolvere.

Contra neg. conſeq. tum quia nimium probat; nam probaret etiam poſt ſponſalia non jurata non poſſe ingredi religionem, quod etiam eſt contra adverſarios: tum quia diſparitas eſt, quòd in aliis debitis non adſit conditio tacita, niſi promittens elegerit religionem, talis autem conditio ſemper ineſt contractui ſponſalium, uti probavimus.

Dices: quia juravit ſe ſoluturum uſuras, tenetur ea ſolvere, etiamſi ſtatim poſſit illas repetere, ut habetur C. *debitores.* de jurejur. item qui religionem vovit, & eligitur in Epiſcopum, tenetur priùs religionem ingredi, antequam confirmetur, ut habetur C. *per duas.* de voto. Ergo etiam.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia in adductis exemplis nullum eſt periculum amittendi ſuum deſiderium, ſi juramentum priùs ſervetur. Aſt in noſtro caſu timetur periculum, ne per matrimonii contractionem evaneſcat deſiderium religionis, & ideò videtur eſſe conſultius ſtatim ingredi non adimpletis ſponſalibus; quin imò priora exempla decernit jus, non verò noſtrum caſum, ſed potiùs contrarium per paritatem deductam ex matrimonio rato, ut patet ex probis: tandem illud juramentum de ſolvendis uſuris non eſt in confirmationem contractûs, cùm ille defectu materiæ ſit nullus, ſed ſolummodo eſt pro pecunia ſolvenda; aſt in noſtro caſu juramentum eſt adjectum in confirmationem contractûs ſponſalium, quo ceſſante ceſſat etiam juramentum tanquam ejus acceſſorium, ut diximus in probis; nam juramentum in confirmationem contractûs præſtitum ex tacita intentione jurantis non obligat, niſi obligante contractu; ſed obligatio contractûs ſponſalium in noſtro caſu non obligat: ergo nec juramentum.

20 Aſſero 4. *Per ingreſſum religionis inſciâ vel invitâ ſponſâ ſolvuntur ſponſalia ex parte ejus, qui in ſeculo manet; ex parte verò ingredientis ſolùm ſuſpenduntur, adeò, ut dimiſſus à religione teneatur ſponſalia implere, ſi ſponſa velit.* Eſt Amici, Maſtrii contra Sanchez.

Probatur 1. pars: quando datur notabilis mutatio in perſona unius ſponſorum, eſt cauſa ſufficiens ad diſſolvenda ſponſalia; cùm contractus ſponſalitius hanc tacitam habeat conditionem, niſi fiat mutatio notabilis. aut ſponſalium adimpletio notabiliter durior; ſed in perſona ingredientis religionem fit notabilis mutatio, & ſi iterum egreditur, fit notabiliter deterior, & ſic durior adimpletio ſponſalium, cùm habeatur pro magno dedecore inire matrimonium cum aliquo, qui fuit monachus, aut quæ fuit monialis ob gravem notam levitatis & inconſtantiæ, ac præterea permanens in ſæculo cogeretur exſpectare, donec alter ſolemniter profiteatur: ergo jure merito diſſolvuntur ſponſalia ex parte remanentis in ſæculo; tum quia ſi quis poſt prima ſponſalia contrahit cum ſecunda, diſſolvuntur ſponſalia ex parte ejus, cui data eſt fides; cum alter videatur renuntiare ſponſalibus: ergo à potiori diſſolventur, ſi ſponſus ingrediatur religionem ſpiritualia contrahens ſponſalia.

21 Probatur 2. pars: ſponſalia ex juſtitia obligant ad eorum impletionem: ergo niſi ſit expreſſum jus, vel ratio manifeſta, quæ contrahentes à tali obligatione liberet, nunquam liberabuntur; ſed nullum jus aut ratio ſufficiens aſſignari poteſt, quòd ex parte ingredientis religionem ceſſet obligatio ſponſalium: ergo ex parte ingredientis non ſolvuntur, ſed ſolùm ſuſpenduntur. Min. ſubſumpta patebit ex ſolutione object. & patet à pari ex aſſertione 1.

22 Objicies: ſicut ſe habent ſponſalia & matrimonium, ita ſe habent novitiatus & profeſſio, ſed profeſſio ſolvit matrimonium ratum ex utraque parte: ergo etiam ingreſſus ſeu novitiatus religionis ſponſalia.

Reſp. diſting. maj. ita ſe habent quoad aliqua, conc. quoad omnia, neg. maj. conc. min. neg. conſeq. nam argumentum à ſimilitudine, quæ pendet à jure poſitivo, non eſt efficax; jus ergo poſitivum de ingreſſu religionis reſpectu ſponſalium nihil dicit, bene verò de profeſſione reſpectu matrimonii rati; ideo eſt diſparitas: nunquam ergo paritas in jure tenet, niſi evidenter appareat talem eſſe mentem legiſlatoris, vel niſi unum in alio tanquam aliquid minus includatur; ſic meritò cenſentur ſponſalia diſſolvi per profeſſionem, per quam etiam diſſolvitur matrimonium ratum, quod eſt quid majus includens ſponſalia, hoc autem non eſt dicendum de novitiatu reſpectu ſponſalium.

Dices: ratio dictat minus requiri ad diſſolvenda ſponſalia, quam matrimonium; ſed ad hoc ſufficit profeſſio: ergo ad ſponſalia ſolvenda ſolus novitiatus, ſi ſine dolo vel fraude ſit factus.

Contra neg. conſeq. licèt enim minus requiratur ad diſſolvenda ſponſalia, nullo tamen jure, aut ratione probatur, quòd ſolus ingreſſus religionis ſit ſufficiens. Quin imò ratio dictat, qui à religione diſcedit, favoribus religionis non gaudet, ſed potiùs, ut cum antiquis obligationibus redeat.

Dices: ſponſalia non obligant ultra intentionem promittentis; ſed promittens non habet intentionem ſe obligandi ſuperveniente religionis ingreſſu; cùm ſponſalia habeant

hanc conditionem, niſi meliorem ſtatum elegero.

Contra neg. min. & ſuppoſitum ejus; quia non eligitur melior ſtatus per ſolum ingreſſum, niſi talis ſtatus permanens fuerit, & per profeſſionem irretractabilis reddatur.

23 Dices: ipſum votum religionis ceſſat per ingreſſum religionis bona fide permanendi factum, licèt vovens egrediatur experiens eum ſtatum non eſſe ſibi convenientem, ut omnes concedunt: ergo etiam obligatio ſponſalium ceſſabit ex parte ingredientis, licèt iterum egrediatur. Conſeq. patet: quia major eſt obligatio voti, quàm ſponſalium; cùm iſta per illud dirimantur, ut dicemus aſſert. ſequenti.

Contra, diſparitas eſt; quia per religionis ingreſſum & ejus experientiam in anno probationis ſufficienter impletur votum religionis, & ceſſat ejus obligatio eò, quòd talis vovens bona fide procedens non plus vovere intendat, quàm ingredi religionem, & experiri bona fide, utrum illa ſit ſibi expediens, adeóque ſi ſine ſua culpa non poteſt ſufferre religionem, licitè exire poteſt, & liber manebit à voto; aſt ingreſſus religionis nullatenus eſt impletio ſponſalium, neque mutatio in melius, niſi perſeveret, ſicque non ſolvuntur ſponſalia ipſius.

Dices: ſi ingreſſus religionis non ſolveret etiam ſponſalia, tunc eſſet contra favorem ſtatûs religioſi, & ſi ſolveret, cederet in favorem religionis: ergo potiùs hoc, quàm alterum eſt dicendum.

Contra neg. conſeq. licèt enim cederet in favorem ſtatûs religioſi, ſi egrediens liberaretur à fide data, quia tamen cederet in præjudicium ſponſi alterius volentis ſibi fidem ſervari, ideò talis favor non eſt admittendus, niſi jura eum concederent.

24 Aſſero 5. *Sponſalia ab adſtricto voto caſtitatis, vel religionis, aut ordinum ſacrorum ſuſcipiendorum inita per ſe ſunt nulla; imò etiam votum caſtitatis perpetuæ, aut ſuſcipiendi ſacros ordines ſequens ſponſalia per ſe dirimit illa ex utraque parte.* Eſt Cajetani, Amici contra Navarrum & Sanchez quoad 2. partem.

Probatur 1. pars: illa ſponſalia continent promiſſionem de re illicita; ſed promiſſio de re illicita etiam juramento firmata eſt invalida: ergo talia ſponſalia per ſe ſunt nulla. Dico: *per ſe*; nam per accidens aliquando talis poteſt obligari v.g. quando acceſſit defloratio, aut aliud grave damnum famæ cum promiſſione matrimonii, ut ſuo loco de impedimento voti dictum eſt.

25 Probatur 2. pars: tum quia tam ſponſa voventis, quàm ipſe vovens prædicta vota eſt liber à ſponſalium obligatione: ergo. Prob. ant. quoad 1. partem: vovens eo ipſo renuntiat ſponſalibus, quæ cum voto caſtitatis non poſſunt licitè adimpleri ex parte voventis: ergo dat ſponſæ ſufficientem cauſam reſiliendi; partim quia renuntiat ſponſalibus; partim quia tale votum nocivum magnum gravamen affert ſponſæ à ſe ſola ſuſtinendum, ſcilicet ſemper petendi debitum, quod eſt contra naturam matrimonii; cùm onera matrimonialia debeant eſſe paria quoad debitum conjugale: ergo talis pars innocens juſtè reſiliret. Prob. ant. quoad 2. partem: rationabiliſſimè in ſponſalibus intelligitur hæc conditio, niſi perfectior vitæ ſtatus eligatur: ergo licitè ex parte voventis etiam ſponſalia per illa vota de cœlibatu & clericatu, qui ex Trid. Seſſ. 24. Can. 10. ſunt ſtatus perfectiores matrimonio, diſſolvuntur: ant. prob. ſponſi per ſuam promiſſionem non intendunt, nec intendere debent ſibi præjudicare de perfectiori ſtatu eligendo; ſed præjudicarent ſibi, niſi illa conditio ſubintelligeretur in ſponſalibus: ergo. Et licèt illa conditio nunquam reperiatur in jure expreſſa, eſt tamen rationabiliſſima favens utrique ſponſorum; & ideò non poteſt una pars eſſe rationabiliter invita; præſertim quia cenſetur Chriſtus hanc conditionem conceſſiſſe in ſponſalibus; ſicut enim Chriſtus in favorem ſtatûs religioſi voto religionis annexuit privilegium, ut relictis ſponſalibus poſſit ſponſus ingredi religionem, ut diximus aſſert. 3. imò etiam relicto matrimonio rato poteſt invita uxore maritus ingredi religionem, & profiteri, idque ob ſtatûs excellentiam; ita etiam judicandum eſt hoc privilegium eſſe conceſſum ad ſtatum clericalem, vel cœlibatum tranſeuntibus, ne ſcilicet teneantur ſtare ſponſalibus; ne obinde à voto caſtitatis, aut ſuſceptione ſacrorum ordinum præpediantur.

26 Objicies: C. *veniens.* de ſponſalibus. jubet Pontifex mulieri imponi ob mentitam fidem pœnitentiam, quæ, ut diſſolveret ſponſalia, votum caſtitatis emiſit: ergo ſignum eſt votum non dirimere ſponſalia; ad quid enim eſſet pœnitentia imponenda.

Reſp. neg. conſeq. quia pœnitentia non fuit injungenda propter votum caſtitatis poſt ſponſalia emiſſum, ſed quia fuit in fraudem factum, ut nimirum non cogeretur ſponſo, cui fidem dederat, copulari, quin imò, ut ex verbis illius capituli conſtat, illa mulier emiſit votum, ut à ſponſalibus liberata fornicationi cum alio vacaret; ideò Pontifex tutiùs eſſe judicavit, ut illa mulier matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat.

Dices: ingreſſus religionis ex parte ingredientis non ſtatim extinguit obligationem ſponſalium, ut dicitur aſſert. priori: ergo nec votum caſtitatis.

Contra neg. conſeq. diſparitas eſt; quia per votum perpetuæ caſtitatis aſſumit quis ſtatum perfectiorem permanentem & DEO gratiſſimum, & ideò licitum eſt propoſita promiſſione homini facta ſe ad talem ſtatum transferre; aſt hoc non poteſt dici de ſimplici ingreſſu religionis, minùs de ſecundis ſponſalibus,

bus, quæ non ſunt ſtatus perfectior, ut dictum eſt in reſponſionibus ad object. contra priorem aſſertionem.

Dices: præceptum juſtitiæ plus obligat, quàm votum ex virtute religionis ſibi ipſi impoſitum; ſed ſponſalia obligant ex præcepto juſtitiæ, & votum ſolummodo ex virtute religionis: ergo hæc prævalent voto, præſertim cùm in præjudicium tertii ſimile votum emitteretur.

Contra diſting. maj. præceptum juſtitiæ plus obligat, ſi quis ſe conditionatè non obligâſſet, conc. ſi quis ſe conditionatè obligâſſet, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſequentiam. Cùm ergo ad ſponſalia nullus ſe obliget, niſi ſubintellectâ hâc conditione, ſi non elegero perfectiorem ſtatum, ſic hâc conditione adimpletâ ceſſat præceptum juſtitiæ obligare; nec cedere poteſt hujusmodi votum in præjudicium tertii per ſe loquendo; cum rationabiliter altera pars invita eſſe non poſſit, niſi aliud ſecutum fuerit damnum v. g. defloratio &c.

Dices: ideo ergo ſponſalia per ſubſequens votum caſtitatis dirimerentur; quia illis ineſt tacita illa conditio; ſed hæc conditio nullo jure ineſſe ſponſalibus probari poteſt: ergo.

Contra neg. min. conſonum enim valde eſt rationi & juri naturali talem conditionem ineſſe ſponſalibus; cùm cuivis licitum ſit jure naturæ meliorem eligere ſtatum; cùm econtra omnis vituperaretur, qui contraheret cum expreſſa excluſione illius conditionis, ut ſi diceret, promitto tecum contrahere, ita ut nec per votum DEO gratum poſſim recedere; imò videtur jure poſitivo talis conditio probari, quia etiam jure poſitivo matrimonio rato aliàs indiſſolubili ineſt illa tacita conditio; niſi eligatur perfectior ſtatus: ergo etiam hoc de ſponſalibus eodem jure eſt dicendum.

Dices: ex hoc ſequitur, quòd etiam is, qui promiſit Petro valde diviti rem aliquam, poſſit eam rem promiſſam alteri pauperi erogare; quia etiam hoc eſt melius: ergo nec illud, unde ſequitur.

Contra neg. ſequelam; nam noſtra ratio non eſt illa præcisè, quòd aliquod opus poſſit in melius commutari; ſed potiùs, quòd per illa vota ſe ponat quis in ſtatum ſpecialem DEO gratiſſimum per dedicationem ſui DEO factam, quod non in omnibus melioribus contingit; & ideò nec, dum quis rem alteri diviti promiſſam pauperi donaret, neque ex ullo jure illi promiſſioni diviti factæ ineſt illa conditio, niſi pauperi erogem; cùm & ipſe dives poſſit hoc erogare; ſi enim ineſſet ex intentione promittentis talis conditio, tunc utique poſſet fieri, ut res diviti promiſſa pauperi erogetur.

Dices: DEUS non acceptat promiſſionem rei alteri debitæ, maximè ſi ſit in alterius præjudicium; ſed votum caſtitatis emiſſum poſt ſponſalia eſt promiſſio corporis alteri debiti: ergo irritum eſt tale votum, per conſequens non ſolvit ſponſalia ex parte voventis. Maj. patet: DEUS non acceptat agrum Eccleſiæ donatum, qui aliunde eſt debitus Paulo titulo juſtitiæ.

Contra, vel neg. pro univerſali maj. nam DEUS acceptat corpus traditum uxori per matrimonium ratum, ſi quis profiteretur religionem; unde ſolùm tunc DEUS non acceptat rem alteri promiſſam, quando talis promiſſio non obſtat perfectiori ſtatui aſſumendo; quando autem prior promiſſio eſt obſtaculum implendi perfectiorem ſtatum, etiam DEUS acceptat rem alteri promiſſam; præterea jam dictum eſt falſum eſſe, tale votum eſſe in præjudicium alterius: vel clariùs diſting. maj. DEUS non acceptat promiſſionem rei alteri debitæ abſolutè, conc. rei alteri debitæ conditionatè tantùm, neg. maj. & ſic diſtincta min. conſeq. ex contractu ergo ſponſalium ſponſus non obligatur abſolutè ad tradendum uſum ſui corporis ſponſæ, ſed ſub conditione, ſi nolit tranſire ad ſtatum perfectiorem, adeóque ſi deinde ſe vult transferre ad talem ſtatum, res alteri ampliùs debita non eſt.

Hæc de ſponſalibus dicta ſint ſatis, & cedant in gloriam divinæ Majeſtatis.

APPENDIX

DE QUATUOR NOVISSIMIS MORTE, JUDICIO, INFERNO ET COELESTI GLORIA.

SCotiſtarum provinciæ quidem eſt, peculiari quodam modo de 4. noviſſimis agere; cùm & Scotus in his diſcutiendis ſatis ſit celebris; abſtinemus tamen particulariter de eis laborem Scholaſticum adnectere; cùm ſufficientem de illis, licèt ſparſim, in noſtris quatuor Tomis Scholaſticis diſcuſſionem Theologicam jamjam exhibuerimus, eorumque neceſſarias dilucidationes aliis materiis Theologicis illis affinibus intexuerimus. Quare ſi obſervare libuerit, in quolibet Tomo de uno noviſſimorum proſpiciet competens expoſitio; in primo enim Tom. Tract. III. mors adumbrata eſt. In ſecundo Tom. Tract. V. cœleſtis gloria eſt effigiata. In tertio Tom. Tract. VII. infernus eſt depictus. Et tandem in quarto

Tom.

Tom. Tract. XII. extremum judicium invenitur expreſſum. Nihil igitur ſupereſt, quàm ut ſuccinctam recapitulationem eorundem per modum cujusdam indiculi ſubſternamus, locáque indicemus. Unde ſit

De Morte.

Quæſt. 1. *An mors ſit de conditione naturali noſtræ naturæ humanæ?* vide Tom. 1. Tract. 3. D. 1. q. 1. num. 9. & q. 2. num. 4. ac tandem q. 3. num. 1.

Quæſt. 2. *An homines in ſtatu innocentiæ perſeverantes ſubiiſſent neceſſariò mortem?* vide Tom. 1. Tract. 3. D. 1. q. 3. num. 2. & 3. & 4.

Quæſt. 3. *Quomodo vires humanæ naturæ debilitentur atque deficiant, ut naturaliter mors ſequi debeat?* vide Tom. 1. Tract. 3. D. 1. q. 3. num. 4.

Quæſt. 4. *Quomodo mors fuiſſet præclusa in ſtatu innocentiæ?* vide Tom. 1. Tract. 3. D. 1. q. 3. num. 7.

De extremo judicio.

Quæſt. 1. *An poſt mortem hominis ſit judicium particulare?* vide Tom. 4. Tract. 12. D. 17. q. 1. num. 1.

Quæſt. 2. *An reſurrectio mortuorum generalis ſit futura, & quomodo fiet partium diſperſarum corporum collectio?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 7. q. 2. num. 1. 2. 3. & 4.

Quæſt. 3. *An ſit futurum judicium univerſale, & in quo loco?* vide Tom. 4. Tract. 12. D. 17. q. 1. num. 2. & 16.

Quæſt. 4. *An Chriſtus in forma humana & glorioſa judicabit?* vide loc. mox cit. num. 7. & 10.

Quæſt. 5. *Utrum in fine mundi totus mundus ſit igne purgandus?* vide Tom. 4. Tract. 12. D. 17. q. 2. num. 1. & ſeq.

Quæſt. 6. *Utrum poſt finem mundi ceſſabunt motus cœlorum?* vide loc. mox cit. num. 38.

Plura adhuc alia ad hæc pertinentia vide Tom. 4. loc. cit. in variis numeris.

De Inferno.

Quæſt. 1. *An detur infernus in æternum duraturus?* vide Tom. 3. Tract. 7. D. 14. q. un. num. 5. & 7.

Quæſt. 2. *An ignis infernalis ſit ignis verus, materialis & corporeus?* vide loc. mox cit. num. 8.

Quæſt. 3. *Quomodo igne infernali dæmones, ſpiritus & corpora damnatorum crucientur?* vide loc. cit. num. 12. & 15.

Quæſt. 4. *Quomodo damnati ſint in malo obſtinati?* vide Tom. 3. Tract. 7. D. 13. q. 5. num. 8. 9. & 10.

De Cœleſti Gloria.

Quæſt. 1. *An detur beatitudo ſupernaturalis?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 1. q. 1. num. 7. & ſeqq.

Quæſt. 2. *In qua operatione potiſſimùm conſiſtat beatitudo?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 2. q. 2. aſſert. 1. & 2.

Quæſt. 3. *An perpetuitas, ſecuritas, & gaudium ſint de eſſentia beatitudinis, & quæ ſint harum cauſa?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 2. q. 3. & 4.

Quæſt. 4. *An beati ſtatim poſt mortem videant DEUM?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 4. q. 1. per totam.

Quæſt. 5. *Quænam delectationes accidentales animæ lætificabunt beatos in cœleſti gloria?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 7. q. 1. per totam.

Quæſt. 6. *Quænam deliciæ accidentales ſenſuum & corporis recreabunt beatos in cœleſti gloria?* vide Tom. 2. Tract. 5. D. 7. q. 2. per totam.

Plurima alia beatitudinem naturalem & ſupernaturalem, & viſionem beatam concernentia vide Tom. 2. Tract. 5. per totum.

PROTESTATIO AUTHORIS.

QUidquid in his 4. Tomis Theologiæ Scholaſticæ in lucem editis præjudicioſum doctrinæ Sacræ Romanæ Eccleſiæ, aut ab ejus inſtitutis quodammodo devians edoctum fuiſſet, id omnino annullo, & prorſus retracto, ejúsque intemerato judicio, & correctioni totum opus demiſſiſſimè ſubjicio.

INDEX

INDEX
ALPHABETICUS
Rerum Notabilium
TRACTATUS DECIMI.

Numerus prior paginam, poſterior numerum marginalem indicat.

A.

Abrogatio.

LEx naturalis non poteſt abrogari. 24. n. 6. Leges tamen humanæ poſſunt abrogari. 90. n. 1. & ſeq. imò licitum ac expediens eſt quandoque leges abrogare & mutare, ſi major utilitas ſperetur pro Republica. ibid. n. 4. Si tamen abſque utilitate mutetur lex, valida erit mutatio, nec ſubditi tenebuntur ampliùs eam ſervare. 91. n. 5. Quivis Legiſlator poteſt tam legem, quam condidit, quàm legem ſui inferioris Legiſlatoris abrogare, niſi à ſuperiori poteſtate impediatur ibid. n. 6. ſi finis legis in particulari ſolùm ceſſat contradictoriè, non ceſſat obligatio legis. ibid. n. 7.

Acceptatio.

Acceptatio legis quando adeſſe cenſeatur? 7. n. 3. lex naturalis & Divina non requirunt acceptationem populi ad hoc ut obligent. ibid. Neque lex humana ſive Canonica ſive Civilis requirit ad ſuum valorem conſenſum & acceptationem populi. 12. n. 17. affertur tamen aliqua exceptio. 14. n. 19.

Actus interni & externi.

Actus interni alii ſunt purè interni, alii verò connexi cum aliquo actu externo, & hi iterùm dupliciter poſſunt conſiderari. 53. n. 1. potuit Eccleſia habere poteſtatem in actus merè internos, de facto tamen non habet. 54. n. 3. poteſtas humana habet de facto Authoritatem in actus internos, qui per ſe ſunt principia externorum quoad eſſe materiale & phyſicum eorum. ibid. n. 4. Actus externi occulti ſubjacent pœnis legis humanæ. ibid. n. 5. Lex humana non poteſt præcipere actus internos concomitantes externos, qui horum ſolùm ſunt principia quoad eſſe formale virtutis, ſed ſolùm illos qui eorum ſunt principia quoad eſſe materiale & phyſicum. 55. n. 7. quo tamen non obſtante, adhuc ille qui in auditione ſacri die feſtivo, vel in recitatione Divini officii, omittit attentionem internam, tenetur illa repetere ex præcepto Divino naturali, quamvis non incurrat pœnas ab Eccleſia pro transgreſſoribus hujus præcepti taxatas. 57. n. 9.

Actus virtutis.

Actus virtutis. *Vide* Virtus.

Ariſtocratia.

Ariſtocratia ſeu regimen Ariſtocraticum quid ſit? 7. n. 3.

B.

Benedictio nuptiarum.

Benedictio nuptiarum ad vitandum ſcandalum & contentiones, non debet in aliena diœceſi exerceri ſine licentia ordinarii. 41. n. 2.

Bullæ.

Bullæ quamplurimæ, præſertim 113. variorum Pontificum in favorem trium ordinum S. P. Franciſci olim emanatæ, & denuò noviſſimè à Benedicto XIII. feliciter hodie regnante approbatæ ac confirmatæ fol. 106. & ſeq.

C.

Capitulum Cathedrale.

Capitulum cathedrale ſede vacante eandem habet poteſtatem ferendi leges, quam habet illius Eccleſiæ Epiſcopus. 41. n. 3. ſuccedit Epiſcopo in omni juriſdictione tam voluntaria quàm contentioſa, exceptis caſibus in jure prohibitis. ibid.

Carthuſianus.

Quamvis ſanctius ſit, Carthuſianum in extrema neceſſitate ægritudinis teneri cum diſpendio vitæ à carnibus abſtinere, probabilius tamen videtur Carthuſianum in caſu poſito poſſe quidem à carni-

ſus abſtinere, non tamen teneri, ſi id judicio Medicorum omnino ſit neceſſarium ad vitam conſervandam. 63. n. 8.

Ceſſatio legum humanarum.

Ceſſatio legum humanarum. *Vide* Abrogatio.

Circumciſio.

Circumciſio jam à tempore inſtituti Baptiſmi non fuit ampliùs neceſſaria neceſſitate medii pro Originali, ſed ſolùm neceſſitate præcepti. 31. n. 4.

Clerici.

Clerici non obligantur communibus Principum ſæcularium legibus ſecundùm vim coactivam, bene tamen ſecundùm vim directivam. 75. n. 12.

Communicatio Privilegiorum.

Communicatio Privilegiorum apud Religioſos quid ſit? 97. n. 3.

Concilium.

Concilium aliud eſt generale, aliud nationale, aliud provinciale ſeu metropolitanum, & aliud diœceſanum. 41. n. 3. Concilium generale quid ſit? ibid. Romanus Pontifex ita eſt ſupra Concilium generale, ut etiam volens non poſſit ſe illi ſubmittere. 43. n. 10. Excipiuntur tamen aliqui caſus 48. n. 16. Concilium Conſtantienſe quomodo intelligendum ſit? 46. n. 15.

Conſenſus.

Conſenſus & acceptatio populi non requiritur ad valorem legis. 12. n. 17.

Conſtantinus.

Conſtantini Imperatoris donatio facta S. Sylveſtro Pontifici de jure eſt valida. 43. n. 9.

Conſuetudo.

Conſuetudo quid ſit? & quomodo definiatur? 79. n. 1. Conſuetudo alia eſt contra legem, alia præter legem, & alia juxta legem. ibid. Conſuetudinis requiſita. 80. n. 2. & 3. Licet contra Jus gentium in aliqua natione poſſit introduci conſuetudo, impoſſibile tamen moraliter eſt, introduci conſuetudinem contra totum jus gentium. 81. n. 4. Non eſt requirendum idem tempus ad legem conſuetudinis introducendam quod requiritur ad legem præſcriptionis. 81. n. 5. Actus conſuetudinem inducentes non debent eſſe judicales, nec tempus inducendæ conſuetudinis eſt à jure determinatum, ſed prudenti arbitrio judicis eſt relinquendum, ut determinet, & plerumque tam in lege civili quàm Canonica decennium ſufficere poteſt. ibid.

D.

Decalogus.

Decalogi præcepta. *Vide.* Præcepta Decalogi.

Declaratio.

Declaratio legis differt à diſpenſatione. *Vide* Diſpenſatio.

Democratia.

Democratia ſeu regimen Democraticum quid ſit? 7. n. 3.

Diſpenſatio, Diſpenſare.

Diſpenſatio legis differt à declaratione, & hæc poteſt etiam fieri à ſubditis & Doctoribus, illa verò non niſi à Superiore. 23. n. 3. Deus non poteſt diſpenſare quoad præcepta primæ tabulæ & quæ ad ea reducuntur, bene tamen quoad præcepta ſecundæ tabulæ & quæ ad ea reducuntur. 24. n. 8. Summus Pontifex nequit diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, nec in jure Divino abſoluto, quod ex meriſſimo Dei arbitrio ortum habet. 26. n. 12. poteſt tamen diſpenſare in legibus Divino-naturalibus, quæ ab humana voluntate ortum habent, ac ex ejus ſuppoſitione obligant, ut eſt juramentum, Votum etiam ſolemne, & Matrimonium ratum. 27. n. 14. Diſpenſatio quid ſit & quomodo differat ab abſolutione, interpretatione, abrogatione & Privilegio? 83. n. 3. Diſpenſatio dividitur in partialem & totalem, item in tacitam & expreſſam, in diſcretam & indiſcretam. 84. n. 4. Diſpenſatio poteſt reddi invalida obreptione & ſubreptione. ibid. n. 5. quamvis diſpenſatio ſit ſtrictè interpretanda, poteſtas tamen diſpenſandi eſt latè interpretanda. ibid. n. 6. poteſtas diſpenſandi vel commutandi vota, etiam extenditur ad verba juramento firmata. 85. n. 7. Poſſunt Principes ſecum ipſis directè diſpenſare. ibid. n. 8. diſpenſatio per ſe effectum ſuum non operatur, niſi poſtquam fuerit nota ab ipſo diſpenſando. 86. n. 9. quamvis ad licitam diſpenſationem requiratur cauſa juſta, ſicut & ad validam diſpenſationem ſuperioris inferioris in lege ſuperioris majoris, probabilius tamen eſt, diſpenſationem alicujus ſupremi Legiſlatoris in ſua lege ſine juſta cauſa eſſe validam. 87. n. 12. Non ſolùm Legiſlator diſpenſans, ſed etiam ſubditus ſine juſta cauſa petens diſpenſationem peccat. 87. n. 14. afferuntur aliqua obſervanda in petendis & expediendis diſpenſationibus. 89. n. 18. Qualem poteſtatem in diſpenſando habeant Fratres Minores? *Vide* Fratres Minores.

Diviſio.

Diviſio Provinciarum & rerum in hoc orbe facta eſt Jure Gentium, & quidem partim occupatione partim ſortitione. 51. n. 3.

Domicilium.

Domicilium quotuplex ſit? 72. n. 4.

Donatio.

Donatio Conſtantini Imperatoris facta S. Sylveſtro Pontifici, de Jure eſt valida. 43. n. 9.

E.

Eccleſiaſticæ Perſonæ.

Principes ſæculares nullam omnino poteſtatem habent in perſonas Eccleſiaſticas. 73. n. 7.

Epikeia.

Epikeia quid ſit & quotuplex? 83. n. 1. & 2. admittenda eſt Epikeia & declaratio in Legibus humanis. 86. n. 10.

Epi-

Epiſcopi.

Epiſcopi habent poteſtatem legiſlativam pro ſuis diœceſibus, non quidem immediatè ſed mediatè à Chriſto. 42. n. 7.

F.

Finis legum humanarum.

Finis legum humanarum alius eſt intrinſecus, alius extrinſecus. 90. n. 1. finis legis poteſt ceſſare adæquatè vel inadæquatè, & tam ex parte motivi quàm ſubjecti. ibid. n. 2. poteſt etiam finis atque ratio legis in caſu particulari ceſſare vel poſitivè & contrariè, vel negativè & contradictoriè. ibid. n. 3.

Fratres Minores.

Fratrum Minorum privilegia. *Vide* Privilegia Regularium. Fratres Minores Confeſſarii acquirunt quidem approbationem ab Epiſcopo, Juriſdictionem verò à Solo Pontifice. 200. n. 14. Fratrum Minorum poteſtas in abſolvendo & diſpenſando. ibid. n. 15. & ſeq.

Funeralia.

Quartam funeralium ſolvere non tenentur Regulares, quorum Religio quadraginta annis ante Tridentinum non conſuevit ſolvere, neque quoad ceram ullam, ubi prius eam ſolvere non erat ſolitum. 105. n. 25.

G.

Gallia.

Galliæ univerſitates docent quatuor propoſitiones Authoritatem Pontificis conſtringentes. 42. n. 5.

Gentium Jus.

Gentium Jus. *Vide* Jus Gentium.

I.

Imperator.

Imperator Romanus nec in totum orbem, nec in omnes Provincias Chriſtianas poteſt ferre leges, ſed in ſolum Imperium Romano-Germanicum. 52. n. 6.

Infideles.

Infideles non ligantur Legibus Eccleſiaſticis præceptivis vel prohibitivis. 71. n. 1.

Irritatio.

Irritatio alicujus actus humani eſt effectus ſpecialis quarundam legum. 66. n. 3.

Judex.

Judex alius eſt ordinarius, alius verò delegatus. 41. n. 2. Non poteſt Judex arbitrio ſuo moderari pœnam per legem taxatam, augendo vel minuendo. 67. n. 6. Judex in conſcientia tenetur reo de transgreſſione legis pœnalis per ſufficientes teſtes convicto pœnam infligere. 67. n. 5.

Juriſdictio.

Juriſdictio alia eſt ordinaria & alia delegata. 41. n. 2. dividitur ultro in contentioſam & voluntariam. ibid.

Jus Gentium.

Jus Gentium definitur quid ſit? 15. n. 1. in uno eodémque actu frequenter concurrunt Jus Gentium, Jus naturæ, & Jus poſitivum humanum. 16 n. 2. Jus Gentium poteſt ſumi propriè ſeu effectivè, & impropriè ſeu ſubjectivè, quo modo coincidit cum jure naturali. 21. n. 8. Jure Gentium facta eſt in hoc orbe diviſio Provinciarum & rerum. 51. n. 3.

L.

Legis effectus.

Legis effectus principalis & proprius eſt obligatio communitatis, & quidem non tantùm legis præcipientis, vetantis & punientis, verùm etiam permittentis. 6. n. 1. facere homines bonos, eſt tantùm effectus ſecundarius legis, qui fit mediante obligatione. ibid.

Legiſlativa poteſtas.

Legiſlativa poteſtas. *Vide* poteſtas legiſlativa.

Legiſlator.

Legiſlator cenſetur obligare ſi utatur verbis præceptum ſignificantibus. 61. n. 1. ſi lex, quam fert, ſit circa materiam gravem, cenſebitur graviter obligare, etſi nulla mentio de gravi obligatione fiat. ibid. Quivis legiſlator in conſcientia obligatur ad ſuas leges communes. 72. n. 5. Principes tamen non tenentur ſervare leges municipales unius Provinciæ vel civitatis. 73. n. 6. Legiſlator humanus non obligatur ſuis legibus quoad vim coactivam, ſed ſolùm quoad vim directivam. 74. n. 9. Quivis Legiſlator poteſt tam legem quam condidit, quàm legem ſui inferioris Legiſlatoris abrogare niſi à Superiori poteſtate impediatur. 91. n. 6.

Legis requiſita.

Legis conditiones ſunt plures. 6. n. 1. aliquæ earum ingrediuntur eſſentiam & eſſentialem conſtitutionem legis, aliquæ verò non. ibid. Lex naturalis & Divina non requirunt acceptationem populi ad hoc ut obligent. 7. n. 3. honeſtas legis eſt de intrinſeca ratione illius. ibid. n. 4. Similiter de intrinſeca ratione legis eſt, ut ſit juſta ex parte objecti, Legiſlatoris, & formæ legis. ibid. n. 5. ut ſit moraliter obſervatu poſſibilis. 8. n. 6. ut ſit utilis & rationabilis pro communitate. ibid. n. 7. ut ſit perpetua & indefinita quoad tempus, non quidem neceſſariò perpetuitate poſitiva, ſed ſaltem negativa. ibid. n. 8. ut tendat in communitatem & propter bonum commune. 9. n. 9. Promulgatio tamen legis non eſt de eſſentia ipſius, licet ſit neceſſaria ejus conditio ad obligationem ejus in actu ſecundo. ibid. n. 10. Probabile eſt leges etiam Pontificias non obligare niſi elapſis duobus menſibus, & niſi in ſingulis Provinciis aut Diœceſibus promulgentur; probabilius tamen eſt non requiri promulgationem in ſingulis Provinciis, ſed ſufficere ſi Romæ promulgentur, niſi aliter in ipſa Bulla exprimatur. 10. n. 13. Conſenſus & acceptatio populi non requiritur ad valorem legis. 12. n. 17.

Lex.

Lex variè accipitur. 1. n. 1. propriè accepta quid ſit? ibid. Derivatur ſecundum nomen vel à legendo vel à ligando. ibid. Dividitur communiter in æternam, naturalem, & poſitivam. ibid. n. 3. neceſſaria eſt lex pro conſervatione Reip. humanæ. ibid. n. 4. cujus etiam capax eſt creatura intellectualis beata. 2. n. 5. atque etiam damnata. ibid. n. 6. Legis definitio. ibid. n. 7. eſſentialiter & formaliter conſiſtit in ſolo actu voluntatis, quo Legislator vult ſubditos obligare. 3. n. 9. primaria ſui diviſione dividitur lex in æternam & temporalem, temporalis verò iterum pluries ſubdividitur. 5. n. 13. Lex æterna non ideo præcisè dicitur talis, quia ab æterno fuit, ſed ſpecialiter quia eſt de regulis neceſſariæ & æternæ veritatis. 5. n. 14. omnes aliæ leges derivantur ab illa æterna lege. 6. n. 14. Lex naturalis prout in nobis ſeu in natura creata eſt, dicitur temporalis & naturalis, prout verò in mente Dei eſt, dicitur æterna. ibid. implicat ut producatur à Deo aliquis homo, qui ſit Exlex ſeu liber ab omni præcepto. 31. n. 5.

Lex Divina, & vetus.

Lex Divina quid & quotuplex ſit? 30. n. 1. Veteris legis triplicia fuerunt præcepta, ſcilicet, moralia, cæremonialia, & judicialia. ibid. n. 3. Lex Divina poſitiva admittit Epikeiam ſeu interpretationem. 31. n. 6. Lex vetus ſeu Moyſaica fuit bona & ſancta. 32. n. 7. abſolutè tamen non erat perfecta. ibid. n. 8. per ſe loquendo obligavit ſolos hebræos. ibid. n. 9. & quidem eos obligavit in conſcientia non tantùm quoad præcepta moralia & cæremonialia, ſed etiam quoad judicialia. ibid. n. 10. deſiit & abrogata fuit lex vetus per Chriſtum, ac probabilius tota deſiit, ita ut obligatio etiam ad ſervanda præcepta moralia penitus ceſſaverit, in quantum illa lege veteri præcipiebantur. 33. n. 11. non tamen ceſſavit in nativitate Chriſti aut ante mortem ipſius, nec ceſſavit obligare præsisè in morte Chriſti, ſed in die Pentecoſtes à promulgatione legis novæ facta. 34. n. 15. concedendum nihilominus eſt, legem veterem ceſſâſſe in morte Chriſti cauſaliter, radicaliter, meritoriè & inchoativæ, quamvis non formaliter & completè. ibid. n. 18. Lex vetus non fuit ſtatim mortifera, quando cœpit ejus obligatio ceſſare, ſed aliquo tempore poſt illius abrogationem fuit licitum ſervare illius præcepta cæremonialia, quamvis non erat neceſſarium. 38. n. 10. Divina lex non poteſt obligare ſub culpa mortali in materia tam abſolutè quàm reſpectivè levi. 61. n. 4. Non ſemper, nec omnes lex Divina obligat cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam, niſi quando honor Divinus aut Chriſtianæ Religionis fides, aut bonum commune Sacramenti periclitatur. 62. n. 6.

Lex Eccleſiaſtica.

Leges Eccleſiaſticæ non ligant infideles. 71. n. 1. nec ligant pueros ante uſum rationis, ſi tamen ejuſmodi leges ſint tantùm præceptivæ vel prohibitivæ. ibid.

Lex humana.

Lex humana dividitur in generalem & particularem, item in præceptivam & pœnalem. 40. n. 1. pœnalis rurſus ſubdividitur in purè pœnalem & mixtam, hæcque iterum dividitur in copulativè & disjunctivè mixtam. ibid. Lex humana ultro dividitur in favorabilem & odioſam. ibid. Lex humana an habeat poteſtatem in actus internos, & externos occultos? *Vide* Actus interni & externi. Lex fundata in falſa præſumptione facti non obligat in conſcientia. 55. n. 6. Lex humana tam civilis quàm Eccleſiaſtica poteſt obligare ſubditos in conſcientia. 58. n. 12. Lex humana non poteſt obligare ſub culpa mortali in materia tam abſolutè quàm reſpectivè levi. 61. n. 4. poteſt in aliquibus caſibus Lex humana per ſe obligare cum diſcrimina vitæ, quando ſcilicet boni communis magis intereſt obſervatio legis quàm vita ſubditi. 63. n. 7. Poſſunt leges humanæ in materia gravi inducere obligationem levem. ibid. Non obligant univerſaliter cum diſpendio vitæ ad ſui obſervantiam. 64. n. 11. An lex humana obliget ipſum Legislatorem, Clericos & Religioſos, peregrios & advenas? 72. n. 5. & ſeq. Legis humanæ abrogatio & ceſſatio. *Vide* Abrogatio. Legis humanæ finis. *Vide* Finis.

Lex irritans & prohibens.

Lex irritans aliquando eſt pœnalis, aliquando non. 66. n. 3. Lex irritans & ſimul prohibens actum, obligat in conſcientia ad non ponendum actum illum 68. n. 7. Lex prohibens non eo ipſo irritat actum, ſi non alio modo ſufficienti irritationem continent. 70. n. 12.

Lex naturalis.

Lex naturalis aliter à Juris conſultis, aliter autem & meliùs à Theologis definitur. 15. n. 1. tripliciter poteſt Lex naturalis conſiderari. ibid. magnam habet affinitatem cum Jure Gentium, non tamen omnimodè convenit cum eo. ibid. in uno eodémque actu frequenter concurrunt Jus naturæ, Jus Gentium, & Jus poſitivum humanum. 16. n. 2. Materia legis naturalis eſt bonum honeſtum in communi, & malum illi contrarium, illud proſequendum, iſtud fugiendum. ibid. n. 3. in Jure naturali tria ſunt præceptorum genera. ibid. Non poteſt dari ignorantia invincibilis de præceptis primi & ſecundi generis, bene tamen de ultimis. ibid. Lex naturalis non eſt ipſa natura rationalis. ibid. n. 4. nec eſt ipſe intellectus aut lumen naturale rationis. 17. n. 5. ſed eſt conceptus objectivus, ſeu ipſum verum practicum ac Jus quoddam ex ipſa rerum natura formaliter ortum, & principiativè ab intellectu Divino ejus inſtitutore per lumen naturale nobis intimatum. ibid. n. 7. Materia legis naturalis non tantùm ſunt prima principia, ſed etiam omnes concluſiones quæ ex eis immediatè & per evidentem conſequentiam deducuntur. 18. n. 9. Lex naturalis quantùm ad principia univerſalia eſt eadem apud omnes homines in quovis ſtatu ſpectatos, quoad præcepta verò particularia & deducta ex primis ut plurimùm eſt eadem apud omnes, interdum

Digitized by Google

tamen apud plurimos deficiunt tam quoad rectitudinem quam quoad notitiam eorum. ibid. n. 11. Aliqui actus virtutum ſecundùm ſe ipſos & in propriis ſpeciebus non ſunt de lege naturæ. 20. n. 3. Lex naturalis obligat, ut non ponatur indebitus finis aut mala circumſtantia in actu virtutis præceptæ. ibid. n. 4. Aliqua diſplicentia concomitans adimpletionem legis naturalis non obeſt adimpletioni. ibid. n. 5. omnia præcepta decalogi, excepto tertio de ſanctificatione Sabbathi quoad determinationem temporis, ſunt de lege naturali. ibid. n. 6. omnes virtutum actus ſi ſpectentur ſecundùm ſuam rationem genericam ſeu in quantum ſunt virtuoſi, ſunt de lege naturæ. 21. n. 9. Lex naturalis non ſemper obligat ad modum virtutis, niſi modus ſit de intrinſeca ſubſtantia virtutis. ibid. n. 11. Dupliciter poteſt intelligi, legem naturæ eſſe mutabilem. 23. n. 1. & 3. pariter dupliciter poteſt aliquid dici de jure naturæ; primò permiſſivè ſeu negativè, ſecundò poſitivè & propriè. ibid. n. 2. Deus non poteſt omnem materiam legis naturalis diſpenſare, immutando circumſtantias. ibid. n. 4. In legem naturæ prout lumini naturali eſt inſcripta ſecluſis impedimentis per ſe nulla cadit Epikeia ſeu interpretatio. 24. n. 5. Lex naturalis propriè loquendo mutari non poteſt, & ideo nec abrogari. ibid. n. 6. Lex naturæ quoad præcepta primæ tabulæ & quæ ad ea reducuntur etiam per Deum eſt indiſpenſabilis, non tamen quoad præcepta ſecundæ tabulæ & quæ ad illa reducuntur, excepto taliem hoc: *Non falſum teſtimonium ſeu mendacium dicas*. ibid. n. 8. Summus Pontifex nequit diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, nec in jure Divino abſoluto, quod ex meriſſimo Dei arbitrio ortum habet. 26. n. 12. poteſt tamen diſpenſare in legibus divino-naturalibus quæ ab humana voluntate ortum habent, ac ex ejus ſuppoſitione obligant, ut eſt juramentum, votum etiam ſolemne, & matrimonium ratum. 27. n. 14.

Lex nova.

Legem novam Chriſtus inſtituit pro univerſo mundo. 35. n. 1. complectitur varias leges, quæ commodè reduci poſſunt ad triplex præceptorum genus. ibid. durabit lex nova uſque ad finem mundi. ibid. n. 2. Lex nova eſt excellentior veteri. 36. n. 5. non eſt tam gravis ſicut lex vetus. 37. n. 6. Chriſtus Dominus inſtituit veram legem novam non ſolùm directivam, ſed & præceptivam, nec ſolùm continentem præceptum fidei, ſed & varia alia præcepta. ibid. n. 7.

Lex pœnalis.

Lex pœnalis quid ſit, & quomodo dignoſci poſſit purè pœnalis à mixta? 65. n. 1. dividitur lex pœnalis in legem pœnalem ferendæ ſententiæ, & latæ ſententiæ. 66. n. 2. adducuntur regulæ ex quibus colligi poteſt an lex pœnalis contineat ſententiam latam vel ferendam. ibid. Si tamen dubium ſit an verba legis contineant ſententiam latam vel ferendam, cenſendum eſt ſolùm continere ferendam ibid. Lex pœnalis de ſententia ferenda non obligat reum ſe habere ut punitum aut pœnæ ſubjectum. 67. n. 4. Lex humana pœnalis poteſt obligare ad pœnam ipſo facto incurrendam, etiamſi ad ipſius pœnæ excutionem requiratur aliqua actio delinquentis. 68. n. 8. Lex pœnalis ſtatuens pœnam valde acerbam & atrocem, non poteſt reum obligare ad pœnam exequendam ante ſententiam Judicis. 69. n. 10.

M.

Materia levis & gravis.

Materia de ſe abſolutè & materialiter levis poteſt eſſe reſpectivè & formaliter gravis. 61. n. 2. Nec Divina nec humana lex poteſt obligare ſub culpa mortali in materia tam abſolutè quàm reſpectivè levi. 61. n. 4. poſſunt leges humanæ in materia gravi inducere obligationem levem. 63. n. 9.

Monarchia.

Monarchia ſeu regimen monarchicum quid ſit? 7. n. 3.

Mutatio.

Lex naturalis propriè loquendo mutari non poteſt; & ideo nec abrogari. 24. n. 6. Leges humanæ ſunt mutabiles dupliciter, vel ab intrinſeco vel ab extrinſeco. 90. n. 1. Licitum & expediens eſt quandoque leges mutare & abrogare, non tamen niſi major utilitas ſperetur pro Rep. ibid. n. 4. Si abſque utilitate mutetur lex, valida erit mutatio, nec ſubditi tenebuntur ampliùs eam ſervare. 91. n. 5.

N.

Natura.

Naturæ genus in homine eſt triplex. 21. n. 10.

Naturalis Lex.

Naturalis lex *Vide* Lex naturalis.

O.

Obligare, Obligatio,

Nec Divina, nec humana lex poteſt obligare ſub culpa mortali in materia tam abſolutè quàm reſpective levi. 61. n. 4. Ad obligationem ſub mortali neceſſaria eſt gravitas materiæ præceptæ vel probibitæ. 62. n. 5. Non ſemper obligat lex Divina cum diſpendio vitæ niſi in aliquibus caſibus. ibid. n. 6. poteſt lex humana in quibusdam caſibus per ſe obligare cum diſcrimine vitæ, 63. n. 7. poſſunt leges humanæ in materia gravi inducere obligationem levem. ibid. obligatio legis alia eſt quoad vim directivam, & alia quoad coactivam. 72. n. 2.

Obreptio & ſubreptio.

Obreptio & ſubreptio quid ſit? 84. n. 5.

Ordinatio.

Ordinatio ad vitandum ſcandalum & contentiones non debet in aliena Diœceſi exerceri abſque licentia Ordinarii. 41. n. 2.

Index Alphabeticus Rerum notabilium Tract. X.

P.

Peregrini.

Peregrini tam phyſicè quàm moraliter conſtituti extra ſuum territorium nec tenentur legibus ſui territorii, nec legibus particularibus ejus loci, in quo per tranſitum ſunt. 76. n. 15.

Pontifex.

Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in præceptis naturalibus ſecundæ tabulæ, nec in Jure Divino abſoluto, quod ex meriſſimo Dei arbitrio ortum habet. 26. n. 12. poteſt tamen diſpenſare in legibus Divino-naturalibus quæ ab humana voluntate ortum habent, ac ex ejus ſuppoſitione obligant, ut eſt juramentum, votum etiam ſolemne & Matrimonium ratum. 27. n. 14. Donatio Conſtantini Imperatoris facta Pontifici S. Sylveſtro, de jure eſt valida. 43. n. 9. Romanus Pontifex ita eſt ſupra Concilium generale, ut etiam volens non poſſit ſe illi ſubmittere. ibid. n. 10. Excipiuntur tamen aliqui caſus. 48. n. 16. Concilium Conſtantienſe, quomodo intelligendum ſit? 46. n. 15. Pontificis poteſtas legiſlativa. *Vide* poteſtas legiſlativa.

Poteſtas legiſlativa.

Dividitur poteſtas legiſlativa in Eccleſiaſticam, & in politicam ſeu Civilem. 40. n. 2. poteſtas legiſlativa pro tota Eccleſia eſt Romano Pontifici immediatè à Chriſto collata. 46. n. 6. Epiſcopi habent poteſtatem Legiſlativam pro ſuis diœceſibus, non quidem immediatè ſed mediatè à Chriſto. ibid. n. 7. Etiam alii Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent poteſtatem legiſlativam. 43. n. 8. ſummus Pontifex habet poteſtatem ferendi leges civiles in terris Romanæ Eccleſiæ ex donatione Principum ſubjectis in aliis autem terris totius orbis nullam habet juriſdictionem temporalium directè, bene tamen indirectè per ordinem ad finem Spiritualem in caſu neceſſitatis. 48. n. 17. poteſtas legiſlativa civilis non exiſtit ex natura rei in homine vel familia, eſt tamen data ab Authore naturæ integris communitatibus. 50. n. 1. de facto poteſtas populi regendi ſe, tranſlata eſt ſuo conſenſu in unum aut plures Principes. 52. n. 5. poteſtas legiſlativa alia eſt directa, alia indirecta. 72. n. 3.

Præcepta Decalogi.

Præcepta Decalogi alia ſunt primæ, alia ſecundæ tabulæ. 19. n. 1. omnia præcepta Decalogi, excepto tertio de ſanctificatione Sabbathi quoad determinationem temporis, ſunt de lege naturali. 20. n. 6. præcepta primæ tabulæ, & quæ ad ea reducuntur, nec per Deum ſunt diſpenſabilia, bene tamen præcepta ſecundæ tabulæ & quæ ad illa reducuntur, excepto ſaltem hoc: *Non falſum teſtimonium ſeu mendacium dices.* 24. n. 8. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in præceptis naturalibus ſecundæ tabulæ, nec in jure Divino abſoluto, quod ex meriſſimo Dei arbitrio ortum habet. 26. n. 12.

Prælati.

Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, obtinent etiam poteſtatem legiſlativam. 43. n. 8.

Principes.

Principes non tenentur ſervare leges municipales unius Provinciæ vel Civitatis ſibi ſubjectæ. 73. n. 6. Principes ſæculares nullam omnino habent poteſtatem in perſonas Eccleſiaſticas. ibid. n. 7.

Privilegia humana.

Privilegium quid ſit, & quomodo differat à lege? 92. n. 1. variè dividitur. ibid. n. 2. quænam obſervanda ſint circa Privilegiorum liceitatem, validitatem & uſum? ibid. n. 3. & 4. variis modis poſſunt ceſſare privilegia. 93. n. 5. Privilegium conceſſum non ſubdito non poteſt à concedente vel ejus ſucceſſore revocari, niſi ſit de re notabiliter præjudicante ſucceſſori. ibid. n. 6. Privilegium oneroſum aut remunerativum præteriti aut futuri laboris non poteſt abſque urgente cauſa ad publicum bonum ſpectante revocari à Principe. ibid. n. 7. Privilegium omnino gratuitum, ſi per modum liberalis donationis transfert jus Principis in Privilegiarium, ſine urgenti ratione revocari non poteſt, bene tamen omnino gratuitum, ſi per modum facultatis agendi vel non agendi contra jus commune, confertur. ibid. n. 8. Poſt integrè & perfectè obtentum privilegium aut diſpenſationem, ceſſante cauſa motiva non ceſſat licitus uſus privilegii 94. n. 9. quamvis privilegium ad lites in foro contentioſo dirimendas conceſſum, morte concedentis re integra manente ceſſet, privilegium tamen ad gratiam concedendam in foro conſcientiæ abſolutè conceſſum non expirat morte concedentis. 95. n. 11. Privilegium non ceſſat ſolâ expreſsâ vel tacitâ voluntate privilegiati renuntiatum, donec illa nota ſit concedenti & ab eo acceptata. 96. n. 14.

Privilegia Regularium.

Juſtiſſimis de cauſis conceſſerunt Pontifices plurima Privilegia Fratribus minoribus 97. n. 1. & 2. Breve Clementis VIII. & Bulla Pii V. omnia privilegia à ſummis Pontificibus Fratribus minoribus conceſſa in genere & ſpecie etiam per modum communicationis perpetuò approbavit, innovavit & confirmavit, quæ privilegia minoritica, uti & aliorum Regularium non cenſentur revocari per generalem revocationem privilegiorum, quamvis in ea apponantur ſimilia verba, *privilegiis in contrarium penitus abrogatis*, niſi de ipſorum ordine & hujuſmodi litteris fiat de verbo ad verbum expreſſa mentio. ibid. n. 2. communicatio privilegiorum apud Religiones quid ſit? ibid. n. 3. Concilium Tridentinum potuit revocare & actu revocat aliqua privilegia Regularibus & Mendicantibus conceſſa. 98. n. 4. Non tamen omnia privilegia Regularium contraria Tridentino ſunt revocata, ſed ſolùm illa de quibus in decretis Tridentini fit ſpecialis & expreſſa mentio, quòd privilegia in contrarium illi decreto omnino annullentur. ibid. n. 5. multò mi-

nùs

nius alia privilegia Regularium contra alia Concilia & Canones de quibus non ſit ſpecialis mentio, ſunt per Tridentinum revocata. 99. n. 6. Quamvis Regulares etiam poſt Tridentinum aliquando potuerint uti ſuis privilegiis etiam decretis Concilii Tridentini contrariis in foro tantùm conſcientiæ, modo tamen eis nec in foro conſcientiæ poſſunt uti. ibid. n. 7. Religio Fratrum Minorum communicat, & participat pleniſſimè in privilegiis aliarum Religionum tam Mendicantium quàm non Mendicantium. ibid. n. 8. Licèt Regulares præſertim Mendicantes ſint exempti à foro Epiſcopali, eorum tamen exemptio eſt limitata à Tridentino in quindecim punctis. 103. n. 24. Fratres minores præter privilegia Canonis & fori ſpecialia ultro habent. 200. n. 13. & ſeqq. Privilegia quam plurima olim à diverſis Pontificibus tribus Ordinibus S. P. Franciſci conceſſa, denuo noviſſimè approbata & confirmata ſunt à Benedicto XIII. hodie feliciter regnante. fol. 106. & ſeqq.

Promulgatio.

Promulgatio legis quid ſit, & quomodo differat à divulgatione. 6. n. 2. ut lex humana promulgatur, debet Legiſlator ſuam voluntatem ſigno externo ſuis ſubditis manifeſtare, idque ritu ſolemni. ibid. requiruntur ad talem promulgationem verba obligatoria. ibid. Non tamen requiritur, ut promulgatio fiat in ſcriptura, ſed ſufficit ſi voce vel alio ſigno communitati denuntietur. ibid. Lex Divina poteſt promulgari vel per revelationem externam vel internam, cum, vel ſine ſolemnitate. ibid. Lex naturalis promulgatur per naturale dictamen rationis. ibid.

Provincialis Fratrum Minorum.

Provincialis Fratrum Minorum qualem habeat poteſtatem in abſolvendo & diſpenſando cum ſuis ſubditis? 99. n. 10, 11, & 12.

Pueri.

Pueri ante uſum rationis non ligantur legibus Eccleſiaſticis præceptivis vel prohibitivis. 71. n. 1.

Q.

Quarta funeralium.

An Regulares teneantur ſolvere quartam funeralium? *Vide* Funeralia.

Queſnellus.

Queſnelli error circa poteſtatem Pontificiam. 44. n. 12.

R.

Regimen.

Regimen eſt triplex, Monarchicum ſcilicet, Ariſtocraticum, & Democraticum. 7. n. 3. Monarchicum eſt cæteris perfectius. ibid.

Regina.

Regina poteſt dupliciter conſiderari. 51. n. 2. quocunque modo ſit Regni Domina, poteſt ferre leges obligantes ſuos ſubditos. 52. n. 8.

Regularium Privilegia.

Regularium Privilegia. *Vide* Privilegia Regularium.

Religio Fratrum Minorum.

Religioni Fratrum Minorum plurima ſunt conceſſa Privilegia à diverſis Pontificibus, & quidem juſtiſſimis de cauſis. 97. n. 1. & 2. Confirmatio & innovatio privilegiorum ac exemptionum trium Ordinum S. P. Franciſci noviſſimè facta à Benedicto XIII. fol. 106. & ſeqq. Religio Fratrum Minorum communicat & participat pleniſſimè in Privilegiis aliarum Religionum tam Mendicantium quàm non Mendicantium. 99. n. 8.

Religioſi.

Religioſi privilegiati nec quoad ullam vim obligantur legibus Synodalibus Epiſcoporum. 75. n. 12.

S.

Sanctus Sylveſter.

Donatio Conſtantini Imperatoris facta ſancto Sylveſtro Pontifici, de jure eſt valida. 43. n. 9.

Sedes vacans.

Sede vacante habet Capitulum Cathedrale eandem poteſtatem ferendi leges, quam habet illius Eccleſiæ Epiſcopus. 41. n. 3. Capitulum ſede vacante ſuccedit Epiſcopo in omni juriſdictione tam voluntaria quàm contentioſa, exceptis caſibus in jure prohibitis. ibid.

Sententia.

Sententia lata & ferenda quid ſit? *Vide* lex pœnalis.

Studioſi.

Studioſi per longius tempus in aliquo loco commorantes, quaſi domicilium ſortiri dicuntur. 72. n. 4.

Subditus.

Poteſt aliquis fieri ſubditus variis modis. 72. n. 4.

T.

Tempus.

Tempus ad introducendam conſuetudinem. *Vide* Conſuetudo.

Teſtamentum Divinum.

Teſtamentum Divinum ut ſic quid ſit? 30. n. 1.

V.

Vagi.

Probabilius eſt, vagos hinc inde circumeuntes ſubjici legibus particularibus locorum per quos tranſeunt 73. n. 8.

Index Alphabeticus Rerum notabilium Tract. X.

Virtus.

Virtutum duo ſunt genera. 19. n. 1. Virtutis modus ſeu circumſtantia requiſita ad moralem bonitatem actus eſt triplex. ibid. n. 2. Aliqui actus virtutum ſecundùm ſe ipſos & in propriis ſpeciebus non ſunt de lege naturæ 20. n. 3 Lex naturalis obligat ut non ponatur indebitus finis aut mala circumſtantia in actu virtutis præceptæ. ibid. n. 4. omnes virtutum actus ſi ſpectentur ſecundùm ſuam rationem genericam ſeu in quatùm ſunt virtuoſi, ſunt de lege naturæ. 21. n. 9. Lex naturalis non ſemper obligat ad modum virtutis, niſi modus ſit de intrinſeca ſubſtantia virtutis. ibid. n. 11.

Votum.

Votum etiam juramentô firmatum poteſt diſpenſari. 85. n. 7.

Errata Typi Tractatus Decimi corrige.

Fol. 9. col. 2. lin. 6. pro commodo princeps *lege* pro commodo principis.
Fol. 12. col. 2. lin. 17. niſi poſt duos omnes *lege* niſi poſt duos menſes.
Fol. 18. n. 11. lin. 3. *in quovis ſtatu ſpectatis lege in quovis ſtatu ſpectatos.*
Fol. 22. col. 2. lin. penultima, ex affectu recompenſandi, *ſupple* ſi ex affectu recompenſandi.
Fol. 28. n. 15. lin. 21. Sacerdotii indebilis *lege* Sacerdotii indelebilis.
Fol. 30. col. 1. lin. 18. Deum non potuiſſe *lege* Deum non poſuiſſe.
Fol. 34. n. 17. lin. 6. Lex Moyſaica non cœpit obligare *lege* Lex Moyſaica non ceſſavit obligare.
Fol. 35. col. 2. lin. 17. niſi ſolùm extendo *lege* niſi ſolùm extendendo,
Fol. 40. n. 2. lin. 4. vel ad extremam *lege* vel ad externam.
Fol. 48. n. 17. lin. 6. *per ordinem aut finem ſpiritualem. lege per ordinem ad finem ſpiritualem.*
Fol. 51. col. 1. lin. 2. cum eadem ſit *lege* cum idem ſit.
Fol. 51. col. 2. lin. 5. plura ſequantur incommoda *lege* plura ſequantur commoda.
Fol. 62. col. 1. lin. 16. acceptatur à Deo *lege* non acceptatur à Deo.
Fol. 63. n. 9. lin 36. non poteſt ſine conſenſu *ſupple* non poteſt oriri ſine conſenſu.
Fol. 64. col. 2. lin. 35. parat legem *lege* parit levem.
Fol. 65. col. 2. lin. 28. nullum mortis excuſare *lege* nullum metum mortis excuſare.
Fol. eodem lin. 31. eſſet obligare *lege* ceſſet obligare.
Fol. 67. n. 6. lin. 28. Leges judicare *lege* ſecundùm leges judicare.
Fol. 69. immediatè ante numerum 10. omiſſa eſt ad aliquam objectionem reſponſio, quæ talis eſſe debet: Contra retorqueo argumentum de excommunicatione propter hæreſim, adeóque dico, cùm talis pœna injungatur in conſcientia ob peccatum delinquentis, ejúsque relinquatur judicio, parum refert, quod peccatum ſit occultum, dummodo in actum exteriorem prodierit, quod ſufficit ut pœna lege humana taxata incurratur.
Fol. 93. n. 5. lin. 11. per modum mariti *lege* per modum meriti.
Fol. 94. n. 9. lin. 29. voluntatis principis *lege* voluntas principis.
Fol. 95. col. 1. lin. 13. ſi diſpenſatio executio *lege* ſi diſpenſationis executio.
Fol. 97. col. 1. lin. 1. & Juramento renuntiatio *lege* & Juramento renuntiato.
Fol. 103. col. 2. lin. 39. ſupra electiones *lege* ſupra locationes.

Plura alia Lectoris prudentia emendabit.

INDEX
ALPHABETICUS
Rerum Notabilium
TRACTATUS UNDECIMI.

Numerus prior paginam, poſterior numerum marginalem indicat.

A.

Abducere.

ABducens vi vel fraude aliquem meditantem ingreſſum Religionis, vel novitium vel jam profeſſum ad quid teneatur? 366. n. 4.

Abortus.

Abortum fœtûs directè procurare non eſt licitum, etiamſi fiat vel ad conſervandam famam puellæ, aut totius Religionis, ſi ſit Religioſus, vel etiam ad conſervandam vitam. 177. n. 11. ponuntur duæ propoſitiones ab Innocentio XI. de abortu procurando damnatæ. ibid.

Abripere.

Abripientes reos ad Eccleſiam confugientes quales incurrant pœnas. 230. n. 7.

Acceptatio perſonarum.

Acceptatio perſonarum in jure quot modis fieri poſſit. 332. n. 9.

Acceſſio.

Acceſſio quid, & quotuplex, & quomodo ſubdividatur. 236. n. 4.

Accuſator, accuſare.

Accuſator quis? 330. n. 2. quænam perſonæ ad accuſandum in jure ſint inhabiles. ibid.

Actor.

Actor in jure quis? quomodo differat ab accuſatore & denuntiatore. 330. n. 2.

Adulter, adultera.

Adulterum occidi juſtè ſtatueretur. 179. n. 2. Adulter, adultera quotupliciter conſiderari poſſint. 343. n. 2. ſi nata prole adultero non ſit moraliter certum prolem eſſe ſuam, non tenetur ad aliquam compenſationem, benè tamen ſi habet moralem certitudinem, quod proles ſit ſua. 344. n. 7. ſimiliter adultera nata prole tenetur, quantum ſine ſuæ vitæ, vel famæ detrimento fieri poteſt, procurare, nè legitimi hæredes ratione prolis illegitimæ aliquod damnum capiant. ibid. n. 8. & ſi adultera nullo alio modo poteſt ſatisfacere filiis legitimis non tenetur ſuum crimen manifeſtare cum periculo vitæ, vel famæ, licèt etiam ſit certa moraliter de damno avertendo. 346. n. 14. pro adulterantibus variæ pœnæ ſunt ſtatutæ. 344. n. 9.

Advocatus.

Advocatus quis? ejus obligatio, & quinam ab advocando prohibeantur. 330. n. 3.

Amicitia.

Amicitia extraneitatis & excellentiæ quid? 145. n. 17.

Animalia.

Animalia capientes variè peccare poſſunt. 237. n. 7. animalia nimia crudelitate interimere eſt abuſus dominii, & venialiter peccari poteſt. 178. n. 1.

Apes.

Apes ex alicujus alveari evolantes tamdiu ſunt ſub ejus dominio, quamdiu ſunt in illius conſpectu, & facilè comprehendi poſſunt. 239. n. 15.

S. Apollonia.

S. Apollonia ex inſtinctu Spiritûs Sancti ſe in ignem conjecit. 176. n. 7.

Aſſaſſinium.

Aſſaſſinium quid? & unde nomen trahat. 228. n. 3.

Aſſecuratio.

Aſſecuratio quid? & quæ ad ejus juſtitiam requirantur? 319. n. 14.

Aſylum.

Aſylum quid, & quales malefactores non gaudeant illo. 228. n. 1. 2. & 3.

B.

Baldenſes.

Baldenſes dixerunt non dari legitimam poteſtatem in Republica maleficos è medio tollendi. 178. n. 1.

Bellidux.

Bellidux non tenetur ſervare fidem hoſtibus promiſſam, ſi gravi metu injuſtè incuſſo eſt extorta. 206. n. 9. in bello injuſto tot incurrit irregularitates, quot in illo fiunt homicidia. 210. n. 7.

Bellum.

Bellum quid & quotuplex, quomodo diſtinguatur à ſeditione & duello. 195. n. 1. quot requirantur conditiones ad hoc ut ſit licitum. ibid. n. 2. poſitis his conditionibus bellum etiam offenſivum gerere eſt licitum. ibid. n. 3. imo quandoque Princeps ſub mortali tenetur bellare etiam offenſivè quando grave damnum ſubditis immineret. 196. n. 4. ad minuendam tamen vicinam potentiam, quam auctam ſibi timet nocituram probabilius eſt, non poſſe bellare principem. 197. n. 8. ad juſtitiam belli aggreſſivi ſufficit ſola quædam gravis injuria illata Principi, hæc tamen juſtitia non à Ducibus & militibus ſed à principe eſt examinanda. 198. n. 10. Bellum ab Imperatore noſtro Carolo VI. contra Gallum ultimò geſtum fuit juſtum aggreſſivum. 198. n. 13.

Bellum non poteſt ex utraque parte eſſe materialiter & per ſe juſtum, licèt formaliter & per accidens contingere poſſit. 200. n. 17. bellum indicentes quot modis peccare poſſint mortaliter. 201. n. 20. & 21.

Beneficium.

Beneficium ob ingratitudinem beneficiarii non poteſt revocari. 271. n. 6. beneficium ceſſionis bonorum quibus concedatur. 372. n. 6.

Bernardicæ ſubtilitates.

Bernardicæ ſubtilitates juxta Scotum quæ? 366. n. 7.

Blaſphemus.

Blaſphemum vitâ privari juſtè ordinaretur. 179. n. 2.

Bonitas.

Bonitas rei alicujus quotuplex? 322. n. 1.

Bona Clericorum.

Bona Clericorum quotuplicia? 224. n. 1. & 2. Bona ipſorum patrimonialia etiam participant exemptionem Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum. 245. n. 6.

Bona communia.

Bona communia v. g. margaritæ in mari &c. in loco publico inventæ jure gentium ſunt primo occupantis. 242. n. 3.

Bona derelicta.

Bona derelicta omni jure ſunt primò occupantis. 242. n. 4.

Bona incerta.

Quamvis valdè conſultum ſit bona incerta & inventa erogare in pauperes, tamen etiam probabile eſt ea poſt factam diligentem inquiſitionem retineri poſſe ab inventore. 243. n. 10.

Bona mineralia.

Bona mineralia inventa in fundo alieno quamvis pertineant jure gentium ad dominum fundi, de facto tamen jure poſitivo applicantur ad Cameram Principis. 242. n. 3.

Bona perdita.

Bona perdita adhibitâ diligentiâ inveniendi dominum ſunt inventoris, hâc tamen omiſsâ ſunt in pia opera eroganda. 243. n. 8.

Bona vacantia.

Bona vacantia, nullo præſente legitimo hærede diſpoſitione juris devolvuntur ad Fiſcum & Reipublicæ ſubſidium. 242. n. 6.

C.

Cambium.

Cambium quid? ejùsque diviſio. 312. n. 3. Cambium locale quotupliciter per litteras fiat? ibid. quomodo differat ab emptione & venditione. ibid. pretium ejus quomodo creſcere & decreſcere debeat. ibid. n. 6. in Cambio locali & manuali non committitur uſura cum moderato lucro. 314. n. 11.

Carolus VI.

Carolus VI. modernus Romanorum Imperator jure licito cum advocatis Anglis & Hollandis hæreticis bellavit contra regem Galliæ. 204. n. 4.

Caupones.

Caupones, an aliquando quid aquæ vino miſcere poſſint? 323. n. 6.

Cenſus.

Cenſus quid? ejùsque diviſio. 311. n. 1. quæ conditiones requirantur. 312. n. 2. quomodo differat ab Emphyteuſi. 311. n. 1. Cenſus perſonalis, cujus penſiones ſimul ſumptæ excedunt pretium ſolutum, non eſt licitus. 312. n. 4. ad cenſum realem vendendum res debet eſſe fructifera & exiſtens. ibid. n. 5. Cenſûs realis non tamen perſonalis emptio per ſe eſt jure naturæ licita. 313. n. 7. differentia inter cenſum realem & perſonalem. 314. n. 10.

Chriſtiani.

Chriſtiani captivi cooperantes ad bellum injuſtum v. g. Turcarum remigando an peccent mortaliter. 207. n. 10.

Clerici.

Clericis aut Monachis non licet pugnare aut exercere munus ducis, quando ſolùm adeſt ordinaria neceſſitas inconſulto Pontifice. 208. n. 2. in caſu tamen extraordinariæ neceſſitatis propriæ vitæ, patriæ &c. non ſolùm licet, ſed tenentur pugnare etiam non expectata Pontificis licentia. ibid. n. 3.

Cle-

Clerici licèt non acquirant dominium proprietatis, ſed ſolum uſumfructus in bona Eccleſiaſtica. 224. n. 3. ſunt tamen pleni domini bonorum Eccleſiaſticorum ſpectantium ad honeſtam ſuſtentationem ipſorum ibid. n. 4.

Clerici doctiores aut nobiliores plus poſſunt habere ad ſuam ſuſtentationem quàm alii. 225. n. 5. poſt factam diviſionem à Pontifice Simplicio, habent verum dominium reddituum ſuperfluorum, ita, ut ex juſtitia eis non incumbat alere pauperes. 225. n. 6. Canones in contrarium citati, quomodo ſolvendi? 226. n. 7.

Clerici tenentur etiam abſque licentia Pontificis expectanda ad tributa, ſi eſt publica neceſſitas vel utilitas tam Laicos concernens. 230. n. 8. extra caſum autem extraordinariæ neceſſitatis, in qua non ſufficerent facultates Laicorum à Summo Pontifice cognitæ & approbatæ non tenentur ad tributa, per Principes Laicos impoſita. 333. n. 14.

Clerici defacto poſſunt adverſùs ſuos malefactores Laicos coram judice ſæculari actionem inſtituere. 233. n. 13.

Clericus dans arma militibus ut in bello juſto pugnent, vel faciens pulſari campanam, quod ad bellum ſit procedendum, ſi ibi mors aut mutilatio ſequatur, probabiliter fit irregularis. 208. n. 4. ſi tamen aſſiſtens morti militis miniſtro executionis diceret: dirige ictus ſclopi ad cor ejus, ut minùs patiatur, vel citiùs moriatur probabilius non fit irregularis. 209. n. 5. nec clericus in bello juſto militans fit irregularis, ſi propriis manibus non effundat ſanguinem aut mutilet. 210. n. 7.

Clericus in campo hoſtili poſt partam victoriam inventus ſine excommunicatione non poteſt occidi. 210. n. 6. item 215. n. 2.

Codicillus.

Codicillus quid? quomodo differat à Teſtamento, & qui codicillum facere permittantur. 280. n. 1. Codicillus expreſſè confirmatus in teſtamento poteſt in effectu aliquem facere hæredem. 282. n. 7. nuda voluntate defuncti infirmari poteſt. ibid. n. 8. Codicilli confirmantur teſtamento tam priùs quàm poſtea facto, etiamſi poſtea facto expreſſè non inveniantur teſtamento confirmati. 283. n. 12.

Columbaria.

Columbaria ex natura rei ſunt licita niſi lege prohibeantur. 238. n. 12. ex columbario columbas evolantes capere, ſi non conſtet conſuetudinem revertendi amiſiſſe, eſt ex natura rei illicitum contra juſtitiam. ibid. n. 13. ad columbaria ponere illecebras ad attrahendum columbas alienas cum fraude eſt contra juſtitiam. ibid. n. 4.

Commodatum.

Commodatum quid, & quomodo differat à mutuo, locatione & precario. 317. n. 6.

Compenſatio.

Compenſatio occulta quot requirat conditiones. 357. n. 3. ſervatis aſſignatis conditionibus propria authoritate eſt licita. 359. n. 12.

Conductor.

Conductor quot obligationes obſervare debeat? 308. n. 3.

S. Conradus.

S. Conradus tertii Ordinis S. P. N. Franciſci ante Religionis ingreſſum magnum cauſavit incendium, an ex hypoteſi, ſi fuiſſet Judex, potuiſſet innocentem in foro externo de incendio cauſato convictum morti adjudicare. 179. n. 4.

Conſenſus juridicus.

Conſenſus juridicus & non juridicus quid? 337. n. 2.

Conſentire.

Conſentientes in injuſtas contributiones quomodo peccent, & an teneantur ad reſtitutionem. 362. n. 7.

Conſilium, conſulere.

Conſilium quid, & quotupliciter accipiatur. 361. n. 1. Conſilium injuſtum ſi quis revocet, ipſe a item, qui petiit, nihilominus damnum inferat, an excuſetur à reſtitutione? 362. n. 5. Conſilium præbens ratione ignorantiæ craſſæ ſeu culpæ latæ tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti. 351. n. 45. Conſulens alicui ut faciat minus malum ad evitandum majus an teneatur ad reſtitutionem. 362. n. 6.

Contractus, contrahere.

Contractus quid? 253 n. 2. quotuplex ibid. n. 3. quomodo contractus ſtrictè ſumptus differat à ſimplici pacto. ibid. n. 2. quomodo contractus nominatus differat ab innominato ibid. n. 3. Contractus firmus & infirmus quid, & quibus modis fiat. 254. n. 4. his duobus contractibus poteſt adjici juramentum. ibid. & an contractus firmetur juramento. ibid. Contractus propriè de omni re honeſta & poſſibili humano commercio ſubjecta iniri poteſt. 254. n. 6. contractibus naturale eſt, & ideò tacitè ineſt obligatio evictionis rei, de qua contrahitur. 255. n. 7. juramentô factô contra prius juramentum contractus eſt invalidus. ibid. n. 11. poteſt tamen ſubſiſtere & confirmari contractus juramentô contra prius juramentum non contrahendi poſitis conditionibus. 255. n. 11. in contractu gratuito eſt promiſſario liberum renuntiare promiſſionem acceptatam. 253. n. 2. ad valorem ejus requiritur conſenſus verus externè expreſſus & voluntarium deliberatum. 256 n. 14. non tamen ſufficit ſubreptitium in rem contrahendam. ibid. Contractum jure naturæ invalidat conſenſus ſimulatus. 256. n. 14. ſubſtantiale primum & intrinſecum contractus & ſubſtantiale ſecundum & extrinſecum ejusdem quid? 257. n. 18 quotuplex error in contractibus intervenire poſſit. 258. n. 1. onerosi & lucrativi contractus in quo differant. ibid. contractus de opere malo ante operis adimpletionem, & qui ſine peccato ſervari non poteſt, eſt ipſo jure naturæ nullus. 261. n. 12. licèt contractus de

opere turpi ante ejus adimpletionem ſit nullus, obligat tamen promittentem ad ſolvendum pretium opere adimpleto. 264. n. 25. ſpectato tamen jure poſitivo probabiliter in conſcientia pretium poteſt retineri ab eo, in quo reperitur poſt impletum opus turpe. ibid. n. 26.

Contractus libellaticus.

Contractus libellaticus quid. 297. n. 1.

Contractus Societatis.

Contractus ſocietatis quid, & quomodo licitus. 316. n. 5.

Contractus ſubſidiarii.

Contractus ſubſidiarii qui? 318. n. 12. Contrahere quinam poſſint, & quibus prohibitum. 254. n. 5.

Contumelia.

Contumelia quid, quale peccatum, & quotuplex 367. n. 1. contumeliam inferens an teneatur reſtituere, ſi offenſus vindictam ſumpſerit. ibid. n. 2. quem modum reſtituendi contumeliam inferens ſervare debeat. ibid.

Cooperari.

Cooperantes ad damnum proximi communiter novem aſſignantur in verſibus ex Scoto. 360. n. 12 ex quibus ſex primi poſitivè, & poſteriores negativè cooperari dicuntur. ibid.

Copula.

Copula puellæ nolenti conſentire vix inferri poterit. 189. n. 15.

Creditum.

Creditum quotuplex. 326. n. 3.

Crimen.

Crimen in jure quotuplex. 229. n. 4. criminalis cauſa quid. ibid.

Culpa.

Culpa juridica & Theologica quid, & quomodo ſubdividatur. 347. n. 2. culpa ex quotuplici capite poſſit eſſe levis. ibid. n. 3. culpa juridica niſi ſit conjuncta cum culpa Theologica non inducit obligationem reſtituendi in foro conſcientiæ. 348. n. 7. ex culpa tamen juridica lata & latiori in foro conſcientiæ datur obligatio reſtituendi. 349. n. 8. ſi verò nulla culpa juridica & theologica intercedit in damnificatione alicujus, ſed hæc merè fortuita ſit & caſualis, nulla eſt obligatio reſtituendi. ibid. n. 9. excipiuntur tamen in jure aliqui caſus. ibid. qui grave damnum intulit alteri cum culpa theologica ſolùm levi, non obligatur quidem naturaliter ſub culpa gravi, reſarcire totum damnum extra contractum & officium, obligatur tamen ſub culpa levi ad reſarciendum partem damni juxta menſuram culpæ. 349. n. 10. ſimiliter quamvis nemo teneatur in conſcientia ad reparandum damnum ex culpa levi in officio vel conſilio commiſſa, tenetur tamen ex culpa lata, quæ in foro conſcientiæ eſt gravis & mortalis. 350. n. 14. intra limites juris naturalis licèt nemo teneatur ex contractu de damno dato in re alterius niſi ob dolum & culpam latam, etiamſi res fuerit apud ipſum, jure tamen poſitivo eſt obligatio in conſcientia etiam ante ſententiam judicis reſtituendi ex culpa levi & leviſſima in aliquibus contractibus. 351. n. 16.

D.

Damnum.

Damnum alterius quot modis impediri debeat, & qualiter non impediens teneatur ad reſtitutionem. 363. n. 10.

Debitor.

Debitor an teneatur ad reſtitutionem, creditore pari neceſſitate conſtituto. 372. n. 4.

Debitum.

Debitum ſeu obligatio ex jure quotuplex. 134. n. 2. quod debitum non ſemper oritur ex juſtitia compenſandi jus læſum. 145. n. 17.

Debita incerta ex delicto contracta jure poſitivo ſaltem & conſuetudine debent reſtitui pauperibus. 243 n. 9. debita rerum mobilium & immobilium ſpatio trium annorum poſſunt præſcribi bona fide. 252. n. 21.

Deflorator.

Deflorator Virginis decipiens illam ſpe promiſſi matrimonii ad quid teneatur. 371. n. 6. Deflorator injuſtus, qui ante vel poſt deflorationem Virginis ſub ſpe matrimonii emiſit votum caſtitatis vel Religionis ad quid teneatur. ibid. n. 7.

Depoſitum.

Depoſitum quid. 317. n. 9.

Detractio.

Detractio quale peccatum? 368. n. 4. quæ cauſæ excuſent in detractione à mortali. ibid. quæ notoreitas ſufficiat, ut detractio à mortali excuſet. ibid. n. 5.

Detractor.

Detractori falſum crimen imponere, ut inhabilis fiat ad effectum ſuæ falſæ teſtificationis obtinendum, non licet. 193. n. 8. Detractores audientes quomodo peccent. 369. n. 7.

Diffamatio, diffamare.

Diffamatio quotupliciter contingere poſſit. 192. n. 2. Diffamare ſe ipſum aliquando tenetur quis ad præſtandam ſatisfactionem alteri. ibid. n. 4.

Dominari.

Dominari in vitam dupliciter fieri poteſt. 174. n. 2.

Dominium.

Dominium quotuplex & quomodo ſubdividatur? 154. n. 1. & 2. verum datur dominium etiam in res incorporeas. ibid. n. 4. ad hoc ut dominium ſit perfectum, exigitur facultas per ſe integrè diſponendi

nendi authoritativè. 155. n. 5. hujus ratio formalis eſt facultas moralis ſeu jus diſponendi de re ſua, & non quid poſterius dominio. ibid. n. 6. eſt jus perfectè & authoritativè diſponendi de re in omnem uſum lege permiſſum. 156. n. 7. ponitur objectio de aliquo legante Franciſcanis annuos reditus. 157. n. 8. ad dominium complendum tria potiſſimum requiruntur ſcilicet titulus, traditio, & proprietas. 157. n. 9.

Dominii translatio in donatarium, eo inſtanti non eſt actualis deſtructio dominii in donante. 162. n. 3. quapropter in inſtanti translationis dominium ejusdem rei in ſolidum eſt neceſſariò penes duos dantem & accipientem. 164. n. 6. Scotus & aliæ leges in contrarium citatæ quomodo ſolvendæ? ibid. ad rem validè donandam non ſufficit, quòd immediatè priùs in inſtanti extrinſeco aliquis habuerit dominium. 163. n. 4.

Dominium poteſt conſiſtere cum lege uſum præcisè prohibente, non verò cum lege ipſum dominium annullante vel diminuente. 163. n. 5.

Dominia rerum pro ſtatu innocentiæ ſunt jure naturæ communia. 235. n. 1. quæ tamen de facto diviſa ſunt per legem poſitivam humanam. 236. n. 2. modus acquirendi dominia quotuplex, ibid. n. 3.

Dominus.

Dominus rei poteſt rem ſuam à quocunque poſſeſſore tam malæ quàm bonæ fidei recuperare, quamdiu res extat, & quantumcunque poſſeſſor ab alio emerit, non tenetur dominus rei pretium ſolvere. 352. n. 3.

Dominus ſciens & non impediens ſervum ſuum paratum ad occidendum inimicum domini tenetur dominus ad reſtitutionem in conſcientia hæredibus occiſi. 361. n. 4.

Dominus prævidens famulum exceſſurum limites mandati tenetur in conſcientia ad reſtitutionem exceſſus. 362. n. 4.

Domus Profeſſa Societatis Jeſu.

Domus Profeſſa Societatis Jeſu quomodo differat à monaſteriis PP. Franciſcanorum & Capucinorum 219. n. 7.

Donatio.

Donatio quid. 269. n. 1. quomodo dividatur 270. n. 2. ejus differentia à ſimplici promiſſione, & quomodo donatio purè liberalis differat à remuneratoria 269. n. 1. ex quotuplici capite donatio inter vivos poſſit revocari? 270. n. 2. donatio mortis cauſa variè revocari poteſt. ibid. n. 3. donatio inter vivos & donatio mortis cauſâ facta quomodo cognoſci poſſit. 270. n. 3. & qui donare poſſint mortis cauſa. ibid.

Donatio patris in filium nondum emancipatum eſt invalida, confirmatur tamen morte patris. 270. n. 3. valet tamen donatio matris in filium etiam illegitimum. ibid.

Donatio abſoluta dependens à rei ſtatu non poteſt revocari, mutato ſine culpa ſtatu rei. 270. n. 4.

Donatio juramento non confirmata ſub expreſſa promiſſione donationis non revocandæ, poteſt revocari donatario etiam ingrato, non tamen ſi juraret ſimpliciter nulla facta mentione ingratitudinis. 271. n. 5.

Donatio remuneratoria ob ingratitudinem revocari non poteſt. 271. n. 6. donatio juramento firmata non poteſt revocari à donatore etiamſi ſibi filii naſcantur. ibid. n. 7.

Donationes quibus ex cauſis ſint irritæ. 271. n. 8. omnium bonorum donationes jure poſitivo ſunt invalidæ tam præſentium quam futurorum, donationes inter conjuges, & donationes Religioſorum exceptis quinque caſibus. 272. n. 15.

Donatiſtæ.

Donatiſtæ cur circumcellìones dicantur. 174. n. 2.

Duellum.

Duellum quid, & quomodo definiatur? 211. n. 1. quotuplex ibid. n. 2. Duellum licitè offertur & acceptatur vel per ſe, vel, per ſuos ſubditos, ſi Rex in bello juſto advertit ſe eſſe hoſte inferiorem in defenſionem ſuarum rerum. 212. n. 5. ad indagandam tamen veritatem alicujus criminis, aut alterius cujuscunque juris ſemper illicitum eſt duellum quæcunque authoritate fiat. 213. n. 6. nec licet privata authoritate ſuſcipere duellum contra injuſtum calumniatorem, qui coram judice me accuſat, etiamſi tunc duellum eſſet unicum medium ad conſervandam vitam. ibid. n. 7. omnis itaque provocatio ad duellum ad infamiam injuriæ illatæ repellendam, quàm acceptatio ſemper eſt intrinſecè mala, ut in nullo caſu per privatam authoritatem poſſit eſſe licita. ibid. n. 8. etiamſi res eò deveniat ut miles in exercitu, vir equeſtris in aula regia officio, & ex hoc ſua ſuſtentatione debeat excidere, niſi ſiſtat ſe provocanti. 214. n. 10.

E.

Eccleſiæ.

Eccleſiæ tenentur abſque licentia Pontificis expectanda ad tributa, ſi publica eſt neceſſitas, vel utilitas, non tantùm Laicos, ſed etiam ipſos Clericos concernens. 230. n. 8.

Ecolampadius.

Ecolampadius quidnam de bello ſenſerit. 195. n. 3.

Electores.

Electores per acceptationem perſonarum eligentes non dignum prætermiſſis dignis, tenentur Eccleſiæ vel Reipublicæ reſarcire damna ex ejus adminiſtratione obvenientia: ſi verò eligant dignum prætermiſſis dignioribus, quamvis non teneantur ad reſtitutionem, graviter tamen peccant. 332. n. 10.

Emphyteuſis.

Emphyteuſis quid, & quis ejus finis. 296. n. 1. quomodo differat à venditione & locatione, à contractu libellatico, & feudo? 297. n. 1. non

tantùm ad ſubſtantiam emphyteuſis Eccleſiaſticæ, & perpetuæ, ſed etiam Laicalis requiritur inſtrumentum ſcriptum. ibid. n. 5. ſi dominus non urgeat reſtitutionem rei emphyteuticæ, poſt moram fructus percepti non ſunt reſtituendi. 298. n. 7.

Emphyteuta.

Emphyteuta qui? 296. n. 1. tenetur ad eas meliorationes, quas communis diligentiæ colonus adhibere ſolet, & quibus non adhibitis res deterioraretur, ſi autem ponat alias meliorationes, tunc ceſſante emphyteuſi poteſt æſtimationem earum petere. 297. n. 2. ſi emphyteuta in eodem loco excideret arbores & plantaret vineam, ex qua plus utilitatis capi ſperaret, non ſtatim incideret in commiſſum ſeu expelli poſſet ab emphyteuſi. ibid. n. 3.

Emphyteuta habens emphyteuſim communem hoc eſt, non Eccleſiaſticam, quomodo poſſit incidere in commiſſum, & eam perdere. 297. n. 4.

Emptio, venditio.

Emptio, venditio quid. 319. n. 1. debet eſſe æqualitas mercis cum pretio, & pretii cum merce. ibid. n. 2.

Emptor, emere.

Emptor, cui res eſt tradita regulariter habet prioritatem juris & poſſeſſionis ante omnes alios emptores etiam tempore priores. 323. n. 6. ſi verò res nulli eſt tradita, & pluribus vendita, nec aliquod aliud jus in rem eſt acquiſitum, emptor ille eſt præferendus, qui eſt prior tempore. ibid. n. 7.

Emere minoris ob ſolam anticipatam ſolutionem, ſi nulla alia ſubſit cauſa, non licet. 329. n. 12.

Epiſcopi.

Epiſcopi feudatarii non tenentur cum Principe adire bellum, quamvis id eis præcipiatur. 207. n. 1.

Epiſcopi quamvis non acquirant dominium proprietatis, ſed ſolum uſum fructum in bona Eccleſiaſtica. 224. ſunt tamen pleni domini bonorum Eccleſiaſticorum ſpectantium ad honeſtam ſuſtentationem ipſorum. ibid. n. 4.

Error.

Error quotuplex. 258. n. 1. Error accidentalis, tanquam dolus accidentalis dat alteri contrahentium decepto facultatem pro arbitrio reſcindendi contractum, etiam ante ſententiam judicis. 259. n. 5. Error circa ſubſtantiam rei ſive ſit antecedens ſive concomitans, ſeu incidens invalidat contractum, non tamen error circa accidentia. 161. n. 13.

Evictio.

Evictio quid? 320. n. 4.

Exceptio.

Exceptio in jure quotuplex. 245. n. 1.

Excommunicatus.

Excommunicatus gaudet immunitate locali. 228. n. 2.

Exhæreditatio.

Exhæreditatio quid? & ob quas cauſas fiat? 286. n. 4. ſecluſa authoritate alicujus particularis regni, ſed ſtando in puncto juris, non licet extendere licentiam exhæreditandi ad alias ingratitudinum cauſas, quàm quæ in Novell. 115. Cap. 3. enumerantur. 288. n. 17.

Expenſæ.

Expenſæ quotuplices. 352. n. 2.

F.

Falcidia.

Falcidia quid? & à quo ſtatuta. 289. n. 1. non habet locum in teſtamento militis, nec in legatis privilegiatis. 290. n. 4. poteſt tamen falicidia detrahi à donatione mortis cauſa. 291. n. 5. ſi teſtator hæredi etiam relinquit legatum, illud non eſt computandum integrè in falcidiam. ibid. n. 6. à teſtatore detractio falcidiæ poteſt probiberi, ſed hæc probibitio debet eſſe expreſſa. ibid. n. 8. unà cum legitima poteſt falcidia detrahi. 291. n. 9.

Fama.

Fama quid. 191. n. 1. quotupliciter poſſit eſſe neceſſaria. 193. n. 7. famæ reſtitutio ſufficiens videtur, ſi reſtituatur apud illos, apud quos fama detracta fuit. 369. n. 9.

Fera.

Fera laqueo, viſco &c. capta ſpectat ad eum, qui laqueum &c. poſuit. 239. n. 16. fera ab uno vulnerata, ab alio verò capta, regulariter eſt vulnerantis & perſequentis. ibid. n. 17.

Feudum.

Feudum quid, & quomodo definiatur. 293. n. 2. quomodo dividatur. ibid. n. 3. ad feudum requiritur inveſtitura. ibid. n. 4. de feudo pecuniâ patris empto pro filiis tenentur filii ſororibus legitimã dare, non quidem in corpore, ſed in æſtimatione, ſi propterea filiæ ſuam legitimam habere nequeunt. 293. n. 7. ſi Princeps moritur relinquens ex primogenito nepotem & ſimul ſecundo genitum in feudo regali individuo & primogenitum ſpectante, ſuccedit nepos ex primogenito non ſecundo genitus filius ſeu patruus nepotis. 294. n. 9. in feudo ſuccedunt omnes deſcendentes ſive ſui, ſive emancipati, ſive ex eodem, ſive ex diverſis matrimoniis nati, imò etiam juſtè exhæreditati. 295. n. 11. Quamvis filii illegitimi non ſuccedant in feudo, ſuccedunt tamen filii legitimati per ſubſequens matrimonium. 295. n. 14. Filius hæres repudiata hæreditate nequit retinere feudum ſive ſit hæreditarium ſive ex providentia. 296. n. 16.

Fidejuſſio.

Fidejuſſio quid, & quæ ejus conditiones. 319. n. 14.

Filius.

Filius quotupliciter conſiderandus. 139. n. 2. quotu-

quotuplicia bona habere poſſit. ibid. occidens Patrem tenetur ad reſtitutionem non quà filius, ſed quà homicidia. 145. n. 17. Patri aliqua ſurripiendo non ſemper committit furtum. ibid. Filius ad defendendum proximum innocentem non poteſt occidere parentem injuſtum invaſorem. 191. n. 27. Filius cadit ſub naturale dominium proprietatis parentum, dum eſt ſub eorum poteſtate. 174. n. 4. Filius, ſi in domo paterna multum patri lucretur ſuâ induſtriâ aliis fratribus interea ſtudentibus, ſi aliquam quantitatem pecuniæ clam patri ſurripiat, non tenetur ad reſtitutionem. 354. n. 12. ſi Filiusfamilias inſtitutus repudiet hæreditatem; ejus ſubſtitutus non excludit patrem ipſius filii- familias. 283. n. 14.

Fœtus.

Fœtus in utero, quonam tempore animetur. 177. n. 11.

Franciſcani.

Franciſcanorum paupertas altiſſima, & unde impugnari cœperit. 158. n. 1.

Franciſcani ſolummodo habent ſimplicem uſum facti in omnibus rebus à dominio ſeparatum. 159. n. 7. Joannes Papa XXII. cur huic altiſſimæ paupertati reclamaverit, & quomodo interpretandus? 161. n. 9. inter Franciſcanorum monaſteria & Domus Profeſſas Societatis Jeſu qualis differentia? 219. n. 7.

Franciſcus I. Rex Galliarum.

Franciſcus I. Rex Galliarum moriens amariſſimum monſtravit dolorem, quod in bello contra Carolum V. fœdus cum Sultano Turcarum contraxerit. 203. n. 4.

Fructus.

Fructuum nomine quid veniat. 169. n. 3.

Fur.

Fur quotupliciter conſiderari poſſit. 179. n. 3. ſi deprehenſus ſublata reſtituat, non poteſt contra illum privata authoritate agi. ibid. n. 5. Fur ſimplex propter ſolum furtum pœna mortis vel ſuſpendii non poteſt puniri à judice. 181. n. 10. quamvis liceat occidere alios malefactores. ibid. n. 11.

Furtum.

Furta minuta quantitatem majorem requirunt ad peccatum grave, quàm furtum quod una vice perficitur. 357. n. 4. ſimiliter ſi mediet inter furta minuta notabile temporis intervallum major exigitur quantitas. ibid. n. 5. nec videtur ſub mortali obligatus reſtituere, qui aliquibus diebus unius menſis parva furta committeret ſine intentione perveniendi ad gravem quantitatem, ſi eam quantitatem conſumpſit & propoſuit abſtinere. 358. n. 6. ſi autem eſt animus perveniendi ad gravem quantitatem, & poſt menſem per minutum furtum completur, vel licèt non ſit talis animus, ſi tamen parva furta commiſſa etiam magnis intervallis conflarent unam gravem ſummam, quæ adhuc apud furem axſtaret, tenetur ſub mortali reſtituere. ibid. n. 7. qui itaque per talia furta minuta pervenit ad gravem materiam tenetur ad reſtitutionem, ſive in ultimo furtulo advertent gravem materiam, ſive non adverterit. 358. n. 8. ponitur regula generalis ad diſcernendum quando ultimum furtum ſit mortale vel veniale. ibid. n. 10.

Furtum quale ſit peccatum & quotuplex. 370. n. 1. quæ ſit materia tam reſpectivè quam abſolutè gravis in furto. 370. n. 2. & qualis quantitas requiratur. ibid. de furtis ſartorum & famulorum quid dicendum. 370. n. 3.

H.

Habitatio.

Habitatio quid? 169. n. 5.

Hæres.

Hæres ſcriptus, qui adivit hæreditatem ex teſtamento inſolemni nihil tenetur reſtituere hæredibus ab inteſtato, aut abſtinere ab hæreditate adeunda ante ſententiam judicis. 278. n. 11. hæres ſi detraxit trebellianicam, tunc fidei commiſſarius non poteſt iterum detrahere, quando ulteriori debet reſtituere, imò etiamſi hæres eam non detraxit, niſi hæres omittendo detractionem voluiſſet erga ſolum primum fidei commiſſarium eſſe liberalis. 291. n. 7.

Homicida.

Homicida juſtè ſuſtinet pœnam talionis. 179. n. 2.

Homo.

Homo nullius rei ſuperioris aut æqualis naturale habet dominium, licèt hæ ſub ejus poſitivum dominium cadere poſſint. 174. n. 3. nec habet naturale dominium vitæ ſuæ. 175. n. 5. nec membra cadunt ſub naturale dominium ejus, ut pro libitu ſe mutilare, aut caſtrare poſſit, niſi ad totius corporis conſervationem & ſalutem. ibid. n. 6. eſt tamen verus dominus ſuæ famæ. 192. n. 3. ita ut quandoque poſſit ſeipſum diffamare, niſi vergat in præjudicium aliorum. 193. n. 6.

Hugo Grotius.

Hugo Grotius de periculo & commodo emptoris quidnam docuerit. 322. n. 2.

Hypotheca.

Hypotheca quid, quomodo differat à depoſito & pignore? 318. n. 13. Hypothecarius præferendus eſt creditori chyrographario. 364. n. 3.

I.

Idololatra.

Idololatram interfici juſta ſtatueretur lex. 179. n. 2.

Immunitas Eccleſiaſtica.

Immunitas Eccleſiaſtica quid & quotuplex? 228. n. 1. immunitas perſonalis, localis & realia in quo conſiſtat. ibid. n. 2. item 229. n. 4. & 5. quam-

quamvis probabilius ſit immunitatem localem, ſeu aſylum eſſe juris humani poſitivi; probabilius tamen eſt Immunitatem perſonalem & realem eſſe juris divini & naturalis. 231. n. 10. & non fuiſſe conceſſam ab Imperatore Conſtantino. 233. n. 13.

Impedire.

Impediens aliquem ab ingreſſu Religionis abſque fraude tamen, an teneatur ad reſtitutionem. 366. n. 3.

Inducere.

Inducens aliquem ad peccandum, an contrahat obligationem reſtituendi. 365. n. 1.

Infamia.

Infamia quid? 198. n. 1. Infamans alterum de falſo vel vero occulto crimine ad quid teneatur? 369. n. 8.

Infideles.

Infideles non ſubditi non poſſunt bello invadi ratione infidelitatis. 196. n. 5. benè tamen infideles ſubditi, qui antea fidem ſunt profeſſi. 197. n. 6.

Ingreſſus Religionis.

Ingreſſus Religionis an liberet debitorem ab onere reſtitutionis. 372. n. 7.

Injuria.

Injuria quid & quotuplex. 337. n. 2. ad hoc ut aliquis actus ſit injuria, quid requiratur. ibid. n. 4. hæc juridicè volenti non poteſt fieri, benè tamen volenti non juridicè. 339. n. 7.

Innocens.

Innocentem directè occidere abſque authoritate divina nec homini privato, nec Reipublicæ unquam licet. 177. n. 9. imo ſi tyrannus Reipublicæ invaſor petat à Principe interfici aliquem innocentem, aliàs totam Rempublicam devaſtaturus, non poſſet Princeps ad avertendam ruinam omnium talem innocentem interficere ibid. n. 10. ſi tamen tyrannus peteret innocentem ſibi ad occidendum tradi ad avertendam Reipublicæ ruinam poſſet licitè talis innocens tradi. 216. n. 5. multò magis Reipublicæ liceret mutilare innocentem, ſi ex mutilatione ipſa à tyranni invaſione liberaretur. 217. n. 8.

Innocens ſervato moderamine inculpatæ tutelæ poteſt occidere ſatellites conantes illum occidere vel capere, ut injuſtè occidatur, ſi ſciant eum eſſe innocentem. 188. n. 13. imo tenemur lege charitatis innocentem defendere contra injuſtum aggreſſorem vitæ ejus, etiam cum aliqua jactura noſtrarum facultatum vel honoris, non tamen tenemur cum occiſione invaſoris eum defendere. 192. n. 25.

Innocentes ut infantes, fœminas & alios occidere capta civitate obſeſſa non eſt licitum. 215. n. 2.

Innocens, ſi in juris ordine tanquam reus accuſatus, ut graves effugiat torturas, falſum crimen ſibi impoſitum fateatur, ita ut det cauſam ſuæ mortis, probabiliter non peccat mortaliter. 180. n. 7.

Invaſor.

Invaſor injuſtus quotuplex. 184. n. 1. quotupliciter ignominiam inferre poſſit. 185. n. 3. ab invaſore ſe permittere occidi, quàm illum occidere ſalutare potiùs eſt conſilium. ibid. n. 6. invaſor non in quovis periculo ab invaſo poteſt occidi. 186. n. 7. Invaſorem prævenire eum occidendo ad declinandam mortem vel aliam gravem ignominiam ſpeculativè loquendo eſt licitum. 186. n. 8. Servato itaque moderamine inculpatæ tutelæ licitum eſt occidere injuſtum invaſorem vitæ non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter. 187. n. 11. & hoc jus tuendi propriam vitam non ſolùm habet privata perſona contra privatam, ſed etiam contra Superiorem, niſi ex morte talis Superioris magnum accederet damnum Reipublicæ. 188. n. 13. Invaſorem tamen honoris vel pudicitiæ ſpeculativè quidem, non tamen practicè licet occidere. 189. n. 15. & ſic multò minùs licet occidere illum, qui ſcitur occulta detractione famam apud alios denigraturus: nec licet ad honorem recuperandum percuſſo percutientem fugientem repercutere aut occidere. ibid.

Inveſtitura.

Inveſtitura quid & quotuplex? 293. n. 4. inveſtituræ renovatio petenda eſt, ſi dominus feudi vel vaſallus mortuus ſit, vel alio modo mutatum fuit. ibid. n. 5.

Judex.

Judex quotuplex. 330. n. 1. quænam in judicando præmittere debeat. 331. n. 4. favere debet reo. 179. n. 3. Judex nullus ſive ſuperior ſive inferior poteſt aliquem reum damnare, niſi per allegata & probata ſit convictus, quamvis privatâ ſcientiâ ſciat eſſe reum. 180. n. 6. nec unquam poteſt licitè condemnare ad mortem eum, quem privatè ſcit innocentem, quamvis in foro externo ſecundùm allegata & probata ſit convictus. 182. n. 12. imò in tali caſu vel teneretur officium judicis deponere, vel planè, ſi neceſſe eſſet, mortem ſubire potiùs, quàm innocentem morti adjudicare. 183. n. 13. legibus pro contraria ſententia allatis opponuntur aliæ leges tam Civiles quam Canonicæ. ibid. n. 14. in cauſis tamen civilibus poteſt judex de re pecuniaria condemnare innocentem ſecundùm allegata & probata in foro externo convictum nocentem. 180. n. 8. ſimiliter talem innocentem publicè probatum infamem, declarare infamem, etſi illum in privato ſciat eſſe innocentem. 181. n. 9.

Judex quomodolibet ſe interponendo in cauſis criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas per ſe loquendo eſt excommunicatus, ſunt tamen aliqui caſus, in quibus judex Laicus poteſt judicare Clericum. 229. n. 4.

Judex, ſi eſt acceptator perſonarum, adjudicans alicui aliquid, quod alteri parti eſſet adjudicandum,

peccat

peccat contra juſtitiam & tenetur ad reſtitutionem 332. n. 9. ſimiliter ſi per acceptationem perſonarum in judicio eligat non dignum præteritis dignis, tenetur eccleſiæ vel Reipublicæ reſarcire damna ex ejus adminiſtratione obvenientes, ſi verò eligat dignum præteritis dignioribus, quamvis non teneatur ad reſtitutionem, graviter tamen peccat. ibid. n. 10. extorquendo munera à litigantibus, ſi publicum habeat ſtipendium, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. 333. n. 11.

Judex quamvis habeat jus interrogandi reum etiam in criminalibus majoribus ſub pœna, non tamen ſub culpa. 335. n. 19.

Judex communi errore æſtimatus habere juriſdictionem, quâ tamen ratione alicujus defectus caret, adhuc validos actus judiciales exercet. 332. n. 8.

Judicium.

Judicium formale ut ſit completum, quot perſonis conſtare debeat. 330. n. 1.

Juramentum.

Juramentum factum contra prius juramentum non poteſt validare contractum. 255. n. 11.

Juramentum valet & ſervari debet, quoties res juramento promiſſa ſine peccato promittentis impleri poteſt. 255. n. 12.

Juramentum de re licita quando non obliget. 256. n. 13.

Juramentum habet vim ſolos contractus humano jure irritos firmandi, qui aliàs ſupponuntur naturaliter validi. 257. n. 18.

Jus.

Juris nomen unde deſcendat. 129. n. 1.

Juris Canonici definitio. 129. n. 2. ejus origo. ibid. quomodo dividatur, & citari debeat. 131. n. 7. & ſeqq.

Jus Civile à quo ortum habeat. 132. n. 1. ejus diviſio & citatio. ibid. n. 2. & ſeqq.

Juris tam Canonici quàm Civilis contrarietas quomodo concordanda. 133. n. 1. & ſeqq.

Jus propriè ſumptum quomodo definiatur? 134. n. 3. ſi accipiatur pro juſto in genere eſt objectum virtutis obedientiæ. 135. n. 5. variè dividitur. 137. n. 11.

Jus proprietatis & juriſdictionis quotuplex. 137. n. 12.

Jus in re, & jus ad rem, jus altum, baſſum, politicum & œconomicum quid? 137. n. 13. & ſeqq. Jus œconomicum quomodo ſubdividatur. 139. n. 2.

Jus perfectum importat non ſolùm æqualitatem perfectam poſſibilem ſecundùm rem exhaurientem totum debitum. 139. n. 3. ſed etiam alteritatem, quæ non neceſſariò debet eſſe actualis, nec ſemper requiritur alteritas ſuppoſitorum formaliter diſtinctorum, ſed aliquando ſufficit alteritas voluntatum virtualiter diſtinctarum. ibid. n. 4. Jus perfectum non datur in Deo erga hominem, nec in homine erga Deum. 140. n. 6. illud Scripturæ: *Juſtus Dominus &c.* quomodo intelligendum? 141. n. 10. nec inter patrem & filium, dominum & ſervum, nec inter maritum & uxorem quoad regimen domeſticum poteſt eſſe perfectum jus. 144. n. 14. quoad aliqua tamen inter ſervum & dominum, ſicut & quoad uſum matrimonii & alia inter maritum & uxorem poteſt intercedere verum jus. 145. n. 15. & 16.

Jus extinguere.

Jus extinguere, quod alter habet in re mea ratione prædii ruſtici quid? & quomodo acquiratur jus aliquid agendi in re alterius. 252. n. 21.

Jus competentiæ.

Jus competentiæ quibus concedatur. 372. n. 6.

Juſſio.

Juſſio quid & quotupliciter fiat? 360. n. 1.

Juſtinianus.

Juſtinianus Juris Civilis author. 132. n. 1.

Juſtitia.

Juſtitia quomodo definiatur à Juſtiniano. 129. n. 1. quale ejus objectum tam materiale quam formale. 135. n. 4.

Juſtitia perfecta & imperfecta quid? 139. n. 1. imperfecta quomodo à juſtitia impropria differat. ibid. debitum quod exigit perfecta juſtitia debet eſſe exactum & rigoroſum, & non fundari in ſola honeſtate virtutis 140. n. 5. ad juſtitiam reparandam per ſe ſufficit, ut quis reſtituat ſimplum, aut æqualitatem juris læſi. 337. n. 3.

Juſtitia à quo derivetur, & quotupliciter accipiatur. 146. n. 1. eſt virtus per ſolam commenſurationem ad ſuum objectum debitè circumſtantionatum, etſi non referatur ad ulteriorem finem honeſtum. 147. n. 3. eſt virtus ſpecialis ab aliis virtutibus diſtincta. ibid. n. 4. quomodo definiatur ab Ulpiano. ibid. n. 5. dividitur principaliter in juſtitiam legalem, diſtributivam, & commutativam. 147. n. 5.

Juſtitia Commutativa.

Juſtitia commutativa quid? & qualiter definiatur? 148. n. 9. diſtinguitur ſpecie à diſtributiva non ex medio arithmetico & geometrico, ſed ex diverſo jure ſcilicet perfecto & in re, & imperfecto & ad rem 151. n. 7.

Juſtitia Diſtributiva.

Juſtitia diſtributiva quomodo definiatur. 148. n. 8. eſt vera juſtitia ſpecie diſtincta. 150. n. 4. & quomodo diſtinguatur à legali. 151. n. 7.

Juſtitia legalis.

Juſtitia legalis qualiter definiatur. 184. n. 8. præter illam datur alia eſſentialiter diſtincta juſtitia particularis, cujus eſt jus ſuum cuique privatæ perſonæ tribuere. 149. n. 3. eſt vera juſtitia ſpecialis diſtincta ab aliis virtutibus & juſtitiis. 150. n. 5. eſt eadem ſpecie virtus in principe & in ſubditis. 153. n. 13.

Juſtitia œconomica.

Juſtitia œconomica quid? 137. n. 15. non eſt ſimpliciter ſpecies & pars ſubjectiva, ſed ſolum potentialis & generica juſtitiæ. 147. n. 5.

Juſtitia vindicativa.

Juſtitia vindicativa quid? 148. n. 7. non eſt pars ſubjectiva juſtitiæ 147. n. 8. quomodo in judice vel principe conſiderari poſſit 148. n. 9.

Juſtum.

Juſtum quotupliciter accipi poſſit? 134 n. 1.

L.

Legatum.

Legatum quid, & quotupliciter ſumi poſſit. 290. n. 2. quomodo differat à donatione mortis cauſâ & à fideicommiſſo particulari. ibid. differentia inter legatum profanum & pium. 290. n. 2.

Legare quinam poſſint. ibid. n. 3.

Lex.

Lex humana poteſt incapacitatem dominii inducere vel directè vel indirectè. 218. n. 4.

Libertas.

Libertatem ſuam quivis in alium legitimè acceptantem transferre poteſt, & ſic ſe reddere incapacem dominii. 219. n. 5.

Lictor.

Lictor non poteſt exequi pœnam mortis à judice injuſtè inflictam, ſi injuſtitia ei certò conſtet. 183. n. 13.

Locatio, Locator.

Locatio quid. 307. n. 3. quomodo differat ab emphyteuſi & emptione. ibid.

Locatoris quot ſint obligationes. 307. n. 3. locationis penſio non remittitur ſi ſit ſterilitas modica, nec ſi ſit contracta & non inſolita. ibid. n. 6. locare domum meretricibus non eſt per ſe illicitum. 307. n. 8.

Lucrum ceſſans.

Lucrum ceſſans quid & quotuplex. 300. n. 3.

Ludus.

Ludus quid, & quæ conditiones ad juſtum ludum requirantur. 317. n. 9.

M.

Magiſtratus.

Magiſtratus ſæculares licitè exigunt quædam onera ex bonis eccleſiaſticis, ex quibus, antequam ad Eccleſias pervenirent certa & determinata quædam onera fuerint pendi ſolita. 231. n. 9.

Majoratus.

Majoratûs conſtitutio duos habet effectus. 164. n. 5.

Malefactores.

Malefactores aſylo non gaudentes, qui? 228. n. 3. malefactores habent jus tuendi vitam contra eos, qui privata authoritate ipſos invadunt. 188. n. 13.

Mandare.

Mandans damnificationem, poſtea illud revocans, mandatario tamen illud exequente, an teneatur ad reſtitutionem. 361. n. 2. aſt ſi mandatum revocare non poſſit, an teneatur monere damnificandum. ibid. n. 3.

Manichæi.

Manichæi negârunt licitum eſſe hominibus in ſuos uſus plantas & animantia interimere 178. n. 1.

Margarita.

Margaritas in mari vel aliis locis communibus piſcari omnibus licet. 199. n. 15.

Maritus.

Maritus uxorem in adulterio deprehenſam non poteſt occidere. 186. n. 7. maritus etiam ſpontè conſentiens in adulterium uxoris adhuc patitur injuriam. 337. n. 4.

Medium.

Medium arithmeticum & geometricum quid? 149. n. 1.

Medium rei & rationis quid? 146. n. 2.

Melioramenta.

Melioramenta quotuplicia. 352. n. 2.

Meritum.

Meritum quotuplex. 144. n. 12.

Metus.

Metus quid? ejúsque diviſio. 259. n. 3. metus levis non invalidat contractum ipſo jure, & qualiter contractus metu levi initus reſcindi & revocari poſſit. 260. n. 7.

Metus gravis ab intrinſeco proveniens non invalidat contractum. 260. n. 8. nec metus gravis ab extrinſeco proveniens juſtè tamen incuſſus ibid. n. 8. metus tamen reverentialis, ſicut & metus per preces importunas voluntate repugnante initus dat facultatem reſcindendi contractum. 260. n. 10. & 11.

Metus quantumcunque gravis ſive juſtè ſive injuſtè incuſſus (ſi non incutitur ad extorquendum conſenſum) non invalidat contractum, exceptô matrimoniô, profeſſione religioſa & quibuſdam aliis, dat tamen facultatem reſcindendi per judicem. 262. n. 19.

Milites.

Milites gregarii ſtipendio conducti ad quæ ex juſtitia & ſub mortali ſint obligati. 201. n. 22.

Moderamen.

Moderamen inculpatæ tutelæ in quo conſiſtat? 185. n. 2.

Modus.

Modus quomodo differat à conditione. 266. n. 8.

Moha-

Mohatra.

Mohatræ contractus quid, & an licitus? 315. n. 2.

Monopolium.

Monopolium quid? quot modis fiat, & an liceat? 316. n. 3.

Mons pietatis.

Mons pietatis quid? in quem finem inſtitutus, & quot requirantur conditiones. 307. n. 1. montes pietatis non tantùm ſunt liciti. 308. n. 4. ſed & Reipublicæ utiles. ibid. n. 9.

Mutus.

Mutus in ordine ad reſtitutionem quis. 361. n. 1.

Mutuum.

Mutuum ſecundum nominis etymologiam quid? ejuſque ex Scoto definitio. 299. n. 1. quomodo dividatur, & ſubdividatur, & quæ conditiones. 301. n. 4. & 5. quot ejus ſpecies. 299. n. 2. in mutuo poteſt aliquid apponi ſolvendum pro pœna ſine uſura, ſi debito tempore non reſtituatur. 303. n. 11. mutuum ſemper parit obligationem reſtituendi. 304. n. 12. in quibus caſibus obliget ad reſtitutionem. ibid. in mutuo licèt rei mutuatæ nihil poſſit exigi ſupra ſortem, attamen periculum mutui licitè deducitur in pactum pro accipiendo aliquid ſupra ſortem. 305. n. 17. ob pecuniæ carentiam, ob ſolutionis dilationem, ob non repetendi obligationem ante certum tempus, in mutuo non poteſt aliquid exigi ſupra ſortem. 306. n. 2.

N.

Neceſſitas.

Neceſſitas graviſſima quæ? 217. n. 9. Neceſſitas in ordine ad reſtitutionem quotuplex, & quæ à reſtitutione excuſet. 371. n. 3.

Negare.

Negans ſuffragium Novitio ſine cauſa ad profeſſionem, quomodo peccet. 367. n. 6.

Negotiatio.

Negotiatio quid, quotuplex, & an licita? 316. n. 4.

Notoreitas.

Notoreitas juris & facti quid? 368. n. 5.

O.

Obſides.

Obſides dati, ſi ſunt innocentes, non poſſunt occidi, dum eorum Princeps frangit fidem. 216. n. 3.

Oeconomia.

Oeconomia quid? 316. n. 4.

Occiſor, occidere.

Occiſor injuſtus quotuplex. 342. n. 1. tenetur ad reſtitutionem creditoribus occiſi, ſi ab illo fuerunt præcogniti. 343. n. 4. Occiſor non tenetur ad reſtitutionem, ſi provocatus comparuit & occiſus fuit, ſi verò ex ſe ſit moderamen inculpatæ tutelæ, tenetur juxta exceſſum ad reſtitutionem. 343. n. 5. & reſtitutio lucri ceſſantis ex occiſione debet æſtimari juxta prudentis viri arbitrium. 344. n. 6. Occiſor injuſtus obligatur tam propter injuriam illatam, quàm vitam aut membrum ablatum aliquid reſtituere. ibid. n. 10. Occiſor à Confeſſario quomodo examinandus & obligandus. 345. n. 12.

Occidere ſe ipſum directè ſine divina authoritate non licet. 176. n. 7.

Occidere indirectè quid. 215. n. 1. eſt tantùm licitum in graviſſima neceſſitate occidere indirectè. 217. n. 9.

Olla fortunæ.

Olla fortunæ quid? & an licita? 315. n. 1.

Origenes.

Origenes in expoſitione Verſus Matth. 19. de Eunuchis peſſimè ſcripſit. 175. n. 6.

Ordo Juris.

Ordo Juris quomodo ſervandus. 333. n. 13.

P.

Pactum.

Pactum quid & quotuplex. 253. n. 3. Pactum omne etiam nudum liberè factum parit obligationem naturalem ſeu in conſcientia, ut parte invita non reſcindi. 255. n. 8. in foro tamen civili pactum nudum non parit obligationem. ibid. n. 9. non obſtante jure communi adhuc tamen quoſdam notabiles effectus nuda pacta ſortiuntur in foro civili. 255. n. 10.

Pactum Antichreſeos.

Pactum Antichreſeos quid, & an licitum. 307. n. 2. ſi in Pacto Antichreſeos non expraſsè diceretur ut pignus deinde ſit pro vendito, ſed præcisè diceretur ut ſit pro ſoluto, non propterea legitimaretur tale pactum, ſi ſubintelligeretur pro ſoluto per juſtum pretium. 308. n. 5. Pacta Antichreſeos ſunt illicita & uſuraria. 309. n. 1.

Pactum Legis Commiſſoriæ.

Pactum Legis Commiſſoriæ quid & an licitum? 307. n. 2. & an in ſe contineat uſuram. 309. n. 11.

Participare.

Participantes præſtito auxilio ad damnum inferendum, quando teneantur ad reſtitutionem. 363. n. 9.

Peculium.

Peculium profectitium, adventitium, caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe quid. 139. n. 2.

Pedagium.

Pedagium quid? 229. n. 5.

Index Alphabeticus Rerum notabilium Tract. XI.

Pignus.

Pignus quid? quomodo differat à depoſito & hypotheca. 318. n. 3.

Pontifex.

Pontifex licitè bellum indicere poteſt Principibus Chriſtianis pacem ab ipſo propoſitam acceptare recuſantibus. 201. n. 1. ſi daret regnum alicujus infidelis injuriam fidelibus inferentis Principi Chriſtiano, poſſet licitè talis Princeps cedere nolentem expellere. 202. n. 2. licitè daret facultatem principi Catholico ineundi fœdus cum infidelibus in bello contra principem Catholicum pugnando. ibid. n. 3.

Portorium.

Portorium quid? 229. n. 5.

Poſſeſſio.

Poſſeſſio ad præſcriptionem requiſita quid & quotuplex. 246. n. 3. poſſeſſio juris & facti quid? ibid. quomodo poſſeſſio temporis immemorabilis probari debeat? 248. n. 13.

Poſſeſſor.

Poſſeſſor rei alienæ quotuplex 351. n. 1. poſſeſſor malæ fidei qui ſcienter rem furtivam emit, tenetur illam reſtituere domino, & non poteſt illam furi reddere 352. n. 4. non tamen tenetur rem furtivam reſtituere, ſi apud ipſum perit eodem communi infortunio v.g. incendio vel diluvio apud dominum perituram. ibid. n. 5. ſi verò deſtruit rem alterius ſine illius uſurpatione tenetur ad reſtitutionem totius valoris, etiamſi ex eventu poſtea conſtet rem apud dominum perituram fuiſſe, ſi periculum non poterat probabiliter prævideri. 353. n. 6. ſimiliter tenetur ad reſtitutionem totius valoris, ſi res apud dominum peritura elapſo periculo v.g. erepta jam ex incendio à fure, deinde apud furem pereat, non peritura apud Dominum, ſi deinde quamprimùm poterat commodè reſtituiſſet. ibid. n. 7.

Poſſeſſor bonæ fidei.

Poſſeſſor bonæ fidei ſtatim, ubi ſcitur res eſſe aliena, debet domino reſtituere. 353. n. 8.

Poſſeſſor bonæ fidei, ſi rem emit, & dein eodem pretio, vel minoris bona fide vendidit, ad nihil tenetur, ſi tamen eam dono accepit & vendidit tenetur reſtituere pretium. 353. n. 9. ſimiliter deductis expenſis tenetur reſtituere fructus naturales & mixtos, qui adhuc extant, aut quibus factus eſt ditior, ſi adhuc non ſunt præſcripti. 355. n. 21. non tamen tenetur rem acceptam à fure cognito errore reſtituere domino, ſed poteſt reddere furi. 356. n. 23.

Poſſeſſor dubiæ fidei.

Poſſeſſor dubiæ fidei, ſi auſert à domino, dubitans, an res ſit ſua, manente dubio, tenetur illam rem reſtituere antiquo poſſeſſori: ſi verò eam accipit ex titulo oneroſo vel lucrativo, & dubitat, an legitimè v.g. dubitans, an ſit furtiva, non tenetur reſtituere. 353. n. 10.

Præceptum.

Præceptum affirmativum & negativum quid? 337. n. 1.

Præſcriptio.

Præſcriptio quid & quotuplex. 245. n. 1. quot conditiones ad ejus valorem requirantur. ibid. n. 2. quotupliciter interrumpi poſſit? ibid. inter quæ præſcriptio intercedat. 247. n. 4. de re illicita, quæ eſſet contra jus naturale aut divinum, non poteſt fieri præſcriptio. 247. n. 5. nec ea, quæ jure civili aut Canonico ſunt prohibita ad poſſidendum vel alienandum, ſunt præſcriptioni obnoxia. ibid. n. 6. nec in rebus aut actibus meræ facultatis, ut v.g. hoſpitare peregrinum procedit præſcriptio. ibid. n. 7. ad præſcriptionem non requiritur titulus verus ſed ſufficit præſumptus id eſt coloratus aut putativus. 247. n. 8. quot requirantur tituli ad præſcriptionem. 248. n. 9. ad præſcriptionem rerum incorporalium quidnam ſufficiat. ibid. n. 10. res mobiles cum titulo præſcribuntur per triennium, ſine titulo verò poſt triginta annos, & contra quos hæc præſcriptio fieri poſſit. 248. n. 9. res immobiles, ſi ad privatum pertinent, tam inter præſentes, quàm abſentes, tam cum titulo, quàm ſine titulo, contra eccleſias civitates, ut præſcribi poſſint. quantum tempus requiratur. 248. n. 12. quando jus humanum reſiſtit præſcribenti, poteſt locum habere immemorabilis temporis præſcriptio. ibid. n. 13. præſcriptio immemorabilis temporis quæ? ibid. delicta ſeu accuſatio & punitio delictorum quantùm requiratur temporis, ut præſcribi poſſint. ibid. n. 14. eſt igitur lex præſcriptionis juſta & legitima, & liberat ab onere reſtituendi etiam in foro poli. 249. n. 15. præter alias conditiones ad præſcribendum requiritur ſpecialiter bona fides. 250. n. 18.

Precarium.

Precarium quid, & quomodo differat à commodato. 317. n. 7.

Preces.

Preces importunæ quid? 260. n. 11.

Pretium.

Pretium rerum quid, hujus juſtitia unde deſumatur, & quomodo dividatur. 313. n. 2. quomodo poſſit creſcere vel decreſcere. ibid. n. 3. legitimum ſeu taxatum ab omnibus in venditione eſt obſervandum, quamdiu non conſtet de ejus injuſtitia. 320. n. 7. ſecùs ſi conſtet poſſet venditor tantum de pondere aut menſura detrahere quantum ſufficit ut ſe indemnem conſervet. 322. n. 5.

Princeps.

Princeps quotupliciter ſumi poſſit 149. n. 2. tenetur ſub culpa mortali cedere juri belli, quod gerit contra principem Catholicum & bellare contra hæreticos probabiliter Rempublicam contaminaturos. 197. n. 7.

Princeps Catholicus non poteſt inire fœdus cum infidelibus contra principem Catholicum, probabile tamen eſt ei licere vocare infideles contra

tra Principem Catholicum, poſitis tamen quibusdam conditionibus. 203. n. 4.

Princeps Catholicus auxilium præſtans infidelibus armis & favore eos adjuvando contra Principem Catholicum infideles feliciter debellantem, timens, nè auctâ potentiâ contra ſe ſit arma aſſumpturus probabilius incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. 204. n. 5.

Princeps læſus, qui juſtè movit bellum, quamprimùm hoſtis offerat ſatisfactionem, tenetur deſiſtere ab illo. 205. n. 6. peccat contra juſtitiam non omittendo bellum videns damna ſubditorum præponderare utilitati ſperatæ, quamvis ſuppetant tituli juſtè bellandi. ibid. n. 7.

Princeps licitè poteſt prohibere venationem & piſcationem in locis etiam publici juris non ſolùm ob utilitatem Reipublicæ, ſed etiam propter recreationem in quibusdam locis. n. 21.

Princeps ſibi jus venandi reſervans tenetur in conſcientia ad cavenda damna ſubditorum. 241. n. 23. ex quotuplici capite à reſtitutione damnorum excuſari poſſit? ibid.

Princeps ex quali cauſa poſſit alicui auferre poteſtatem revocandi teſtamentum factum. 287. n. 7.

Principes exigentes vectigalia à Religioſis mendicantibus de carne, vino & cæteris neceſſariis ad eorum ſuſtentationem ſpectantibus peccant mortaliter. 234. n. 15.

Promiſſio.

Promiſſio quid, ejuſque diviſio. 265. n. 1. & 2. ſpecies promiſſionis modificatæ quot, & quid ſit promiſſio modificata. ibidem. promiſſiones validè qualiter deſinant obligare? 269. n. 16. quomodo promiſſio lucrativa differat ab oneroſa. 265. n. 5. ad promiſſionem perfectam alicui præſenti factam ſufficit, ſi verbo, nutu, aut alio ſigno externo interioris conſenſûs manifeſtativo, imò etiam taciturnitate acceptetur. 265. n. 4. ad promiſſionem validam abſenti factam non requiritur, ut acceptatio promiſſarii per retromiſſum ſcriptum nuntium innoteſcat promittenti. ibid. n. 5. ſi promiſſio vel donatio mittitur per litteras authenticas & publicas, donatore interea moriente, probabiliter manet jus in donatario rei promiſſæ. 266. n. 6. Quamvis ad validam promiſſionem requiratur, ut conſenſus promittentis aut per ſe immediatè, aut per aliquem ab ipſo deſtinatum inſinuetur promiſſario, permittunt tamen jura, ut promiſſio acceptari poſſit per eos, qui ſunt ſub poteſtate promiſſarii, ſi ad hos præſentes dirigitur. 266. n. 7.

Promiſſio purè interna non inducit obligationem ex juſtitia ſub mortali, benè tamen ſuo tempore obligat ex virtute veracitatis. 267. n. 9. nec promiſſio externa ante acceptationem ita obligat promittentem ex juſtitia naturali, ut ſinè injuria revocari non poſſit. 267. n. 11.

Promiſſio ſemel acceptata obligat ex juſtitia ſub peccato mortali, ſi ſit de re notabili. 268. n. 13.

Puella.

Puella violentata ſemen tanquam injuſtum pudicitiæ ſuæ aggreſſorem in momento aggreſſionis licitè expellit & deſtruit. 176. n. 6.

R.

Religioſus.

Religioſus abortum procurans, ſi fœtus ſit animatus, fit irregularis, & excommunicatus, imo licèt ſolùm dediſſet conſilium ad abortum, quamvis revocet, ſi tamen puella ſibi procuravit abortum, adhuc eſt irregularis. 177. n. 11.

Religioſus in particulari omnis omnino eſt incapax dominii poſt ſolemnem profeſſionem. 218. n. 2. hæc incapacitas dominii in particulari non ex natura voti ſolemnis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ eſt introducta. 221. n. 11.

Religioſus Superior in adminiſtratione bonorum temporalium quid obſervare debeat. 220. n. 8.

Religioſus proprietarius in quibus peccet. 220. n. 9.

Religioſus promotus in Epiſcopum probabilius ſolvitur à voto paupertatis. 221. n. 12.

Religioſi Profeſſi (exceptis Franciſcanis, & Capucinis, ac Domibus Profeſſis Societatis Jeſu) habent verum dominium rerum temporalium in communi. 219. n. 6.

Religioſi extra caſum extraordinariæ neceſſitatis, in qua non ſufficerent facultates Laicorum, à ſummo Pontifice cognitæ & approbatæ, non tenentur ad tributa per Principes Laiços impoſita. 233. n. 14.

Repreſſalia.

Repreſſalia quid ſint? & quomodo liceant? 206. n. 8. ſub repreſſalia non poteſt cadere jus vitæ innocentum. 216. n. 4.

Res.

Res in dominium cadendi capaces quotuplicis ſint generis? 236. n. 3. non omnis res incerta ſeu deperdita poteſt in dominium inventoris tranſire. 243. n. 7.

Reſpublica.

Reſpublica vel alius Princeps habet poteſtatem maleficos occidendi, etiam extra ſtatum gratiæ, quando ſufficienti tempore pœnitendi conceſſo ſuâ malitiâ pœnitere recuſant. 178. n. 1. non tamen malefactores quoscunque. 179. n. 3.

Reſtitutio, reſtituere.

Reſtitutio eſt actus elicitus & proprius ſolius juſtitiæ commutativæ. 151. n. 6. item 337. n. 1.

Reſtitutionis præceptum eſt principaliter negativum. 338. n. 5. reſtitutio in ſolidum quid? 340. n. 2. reſtituere quinam teneantur? ibid. cauſis inter ſe nullam connexionem habentibus non eſt obligatio, ut quævis reſtituat in ſolidum, ſed ſolùm pro rata à ſe ablata. 340. n. 4. ſi verò concurrant ad individuum damnum, ita ut quivis ſeorſim eſſet cauſa ſufficiens, quilibet tenebitur in ſolidum reſtituere, imò licèt non quivis ſeorſim poſuiſſet totum damnum, ſi tamen omnes damnifican-

ficantes fuerunt cauſæ principales, ſinguli tenentur in ſolidum. 341. n. 7. non reſtituens variè peccatum ſuum interrumpit. 340. n. 3. non reſtituentes tamdiu peccant actu peccato furti, quamdiu rem aliquam reſtituere poſſunt, & non reſtituunt, non quidem novo, ſed eodem actualiter continuato peccato. 340. n. 5. reſtituendi obligationem non inducit ſola intentio mala theologicè culpabilis ſine actione externa injuſta. 348. n. 5. & hæc actio externa injuſta fundans obligationem reſtituendi debet eſſe culpa contra juſtitiam, non verò contra aliam virtutem. ibid. n. 6.

Reſtitutionis radices quot? 347. n. 1.

Reſtitutionis impotentia quotuplex, & quæ excuſet à reſtitutione. 371. n. 2.

Reſtitutio in integrum.

Reſtitutio in integrum quid, & quibus concedatur. 252. n. 21.

Reſtrictio.

Reſtrictio mentalis quid, quotuplex, & an liceat. 331. n. 5.

Retorſio.

Retorſio in jure quid, & quomodo definiatur? 194. n. 10.

Retractus.

Retractus in venditione quid? 320. n. 6.

Reus.

Reus ad Eccleſiam confugiens, poſtea dimiſſus, non poteſt à judice ſæculari in vita & membris puniri. 229. n. 6. & ſi ſit de illis, qui Eccleſiaſtica immunitate non gaudent, non poteſt judex ſæcularis abſque licentia Epiſcopi, & ſine debita obſervatione quorundam eum abducere ibid. n. 7.

Reus accuſatus & interrogatus de crimine vero ſed occulto extrajudicialiter, non tenetur veritatem contra ſe fateri. 333. n. 12. item 192. n. 5. non tenetur reſpondere & veritatem edicere tam in cauſa civili, quàm criminali ſibi damnoſa juridicè non interrogatus 333. n. 13. in cauſis tamen civilibus & criminalibus minoris momenti juridicè interrogatus tenetur ſine amphibologiis aperire judici veritatem. ibid. n. 14. in cauſis verò criminalibus gravioribus, ut eſt cauſa ſanguinis & capitis, etiamſi judex ſervato juris ordine interroget, reus in conſcientia ſine omni amphibologia fateri veritatem non tenetur. ibid. n. 15. nec de dicenda veritate ad juramentum præſtandum poteſt adigi juxta Concilium Lateranenſe à moderno Pontifice Benedicto XIII. feliciter regnante celebratum. 332. n. 6. per hanc tamen ſententiam minimè docere volumus Propoſitionem damnatam Innocentii XI. quæ eſt. n. 26. f. 334. n. 6. nec talis reus negans occultum crimen capitale à Confeſſario poteſt obligari ſub privatione abſolutionis ad dictum ſuum retractandum. 335. n. 17. nec taliter juridicè interrogatus mentitur, ſed ſolùm via licita occultat veritatem. 336. n. 20. reus tamen tenetur ſtare ſententiæ judicis condemnatoriæ ad quamcunque pœnam. ibid. n. 18.

Rex Galliæ.

Rex Galliæ licitè coëgit Hugonotas redire ad fidem. 194. n. 10.

S.

Saga.

Saga juſtè ad rogum fuit damnata ſecundùm allegata & probata, quamvis Confeſſarius dixerit ſe ſcire ex confeſſione illam eſſe innocentem 184. n. 14.

Seducere.

Seducens aliquem vi vel fraude, ne ingrediatur religionem, aut jam ingreſſus egrediatur ad quid teneatur? 366. n. 5.

Senatores.

Senatores vel Conſiliarii Principis, non tenentur emptoribus manifeſtare futuram legis pretia diminuentis promulgationem, hanc tamen non poſſunt differre, donec ipſi aut eorum amici merces ſuas vendant. 327. n. 4. interrogati de diſceſſu aulæ, de futura mercium copia &c. non peccant contra juſtitiam, ſi dicant ſe neſcire. ibid. n. 5.

Servitus.

Servitus quotuplex, & quomodo ſubdividatur? 247. n. 4. ſervitutis quot ſint ſpecies. ibid.

Servus.

Servus non laborans non committit actum injuſtitiæ. 145. n. 18.

Servi à ſe vel parentibus legitimè venundati, aut propter crimen in ſervitutem redacti, non poſſunt fugere à ſuis dominis. 238. n. 8. ſi autem à domino ad peccatum incitarentur, & domino rogato non deſiſtente, vel nimis calamitosè inhumaniter tractarentur, poſſent fugere. 238. n. 9. ſervus Chriſtianus fit liber, & poteſt dominum deſerere, ſi dominus ſit infidelis aut hæreticus juriſdictioni Principis Chriſtiani ſubjectus. 238. n. 10.

Servi infideles dominorum Principi Chriſtiano ſubjectorum, poſſunt fugere ad Eccleſiam, ut chriſtiani fiant, & taliter fiunt liberi. 238. n. 10.

Servi injuſtè in ſervitutem redacti poſſunt fugere, ac etiam vi repellere impedientes & ſurripere ſuis dominis quantum ſatis eſt ad compenſandam injuriam & operam præſtitam. 238. n. 11.

Servi bello capti licitè poſſunt fugere ad ſuos non tamen dominis perſequentibus poſſunt vi reſiſtere. 239. n. 18.

Societatis Contractus.

Societatis contractus quid, quotuplex & an licitus? 316. n. 5. quæ conditiones requirantur ad illum. idid.

Societatis Jeſu Patres.

Societatis Jeſu Patres Scholaſtici ſunt veri Religioſi. 221. n. 1. licèt in talibus ſcholaſticis cum voto paupertatis ſtet capacitas dominii, hoc tamen ita eſt ligatum, ut de ſuis nec validè nec licitè diſponant ſine ſuperioris licentia. 222. n. 13.

Sortes.

Sortes quid ſint, & quod earum ſpecies. 318. n. 11.

Sponſio.

Sponſio quid, & quæ conditiones ejuſdem. 318. n. 10.

Stratagemata.

Stratagemata quid, & an in bello liceant. 198. n. 9.

Subſtitutio.

Subſtitutio hæredis quid? ejúsque diviſio 281. n. 3. & 4. in dubio an ſubſtitutio ſit directa, an fidei commiſſoria, cenſenda erit directa. ibid.

Subſtitutio vulgaris expirat mortuo priùs ſubſtituto, quàm impleatur conditio ſubſtitutionis. 282. n. 9. quæ requirantur ad valorem pupillaris ſubſtitutionis ibid. n. 10. ſubſtituere quinam poſſint. 282. n. 11. in ſubſtitutione pupillari qui excludantur. 284. n. 16.

Superiores.

Superiores publica lege conſtituti tenentur ex juſtitia defendere innocentes contra injuſtos aggreſſores, viciſſim tamen ſubditi non tenentur defendere ſuperiores, niſi ſint feudatarii. 187. n. 10.

T.

Teſtamentum.

Teſtamentum quid? ejúsque diviſio. 274. n. 1. & 2. conditiones quæ requirantur ad teſtamentum ſcriptum. ibid. n. 4. quot requirantur teſtes ex jure ad teſtamentum. 275. n. 5. poteſtas teſtandi cujus ſit juris. ibid. n. 6. quinam teſtari poſſint. 274. n. 4. & 276. n. 7. teſtamentum ab ipſo teſtatore non ſcriptum nullo modo vitiatur, dummodo ipſe propria manu, vel per octavum teſtem in hunc finem adhibitum teſtamentum ſubſcribat in præſentia teſtium. 276. n. 8. in teſtamento nuncupativo probabilius eſt non valere nuncupationem hæredis ad ſchedam. 277. n. 9. probabilius eſt teſtamentum ad profanas cauſas, & non privilegiatum ſinè debitis ſolemnitatibus non ſolùm in foro externo, ſed etiam interno eſſe irritum, ſecùs tamen eſt in teſtamento ad pias cauſas. 277. n. 10.

Teſtamentum ſcriptum à teſtatore, & coram teſtibus publicatum defectu alicujus conditionis requiſitæ, poteſt valere ùt teſtamentum nuncupativum. 279. n. 14. quot ſint formulæ, quibus teſtamentum ſubſcribatur. 279. n. 15.

Teſtamentum valere poteſt ut codicillus adjecta clauſula: ſi non valet ut teſtamentum, valeat ut codicillus. 281. n. 2. & quos effectus talis clauſula habeat. ibid. quibus modis teſtamentum ſemel validum ſucceſſu temporis infirmari poſſit. 285. n. 1. quot modis teſtamentum rumpi poſſit. ibid. n. 2. rumpere teſtamentum quid. ibid.

Teſtamentum quotupliciter revocari poſſit. 285. n. 3. teſtamentum metu aut dolo obtentum, quamvis jure naturæ ſit validum, jure tamen poſitivo eſt nullum, & reſcindi poteſt. 286. n. 6.

Teſtamentum juramento firmatum de non amplius revocando poteſt validè, non tamen licitè revocari. 287. n. 8. filio tam emancipato, quàm filio ſuo nec inſtituto, nec exhæreditato, ſed in teſtamento præterito teſtamentum de jure novo eſt nullum, ſive inſeratur præteritionis cauſa ſive non. 287. n. 9. probabilius eſt miraculoſa defuncti teſtatoris reſurrectione teſtamentum non revocari, nec bona adita ab hærede ſcripto reverti. 288. n. 13.

Teſtis.

Teſtis in jure quis? & quinam ex jure ad teſtificandum ſunt inhabiles? 330. n. 2.

Theſaurus.

Theſaurus quid? quotuplex. 242. n. 2.

Theſaurus inventus in fundo duos habens dominos, quomodo dividi debeat.? ibid. n. 5.

Theſaurum ſi quis ſciret latere in fundo alterius, non teneretur emere majori pretio. 323. n. 3.

Titulus.

Titulus quid? 246. n. 2. quotuplex. 157. n. 9. &. 246. n. 2.

Tortura.

Torturam judex inferre poteſt reo ad fatendam veritatem. 335. n. 19.

Trebellianica lex.

Trebellianica lex quid? & à quo ſtatuta. 289. n. 1. ſi teſtator hæredi etiam relinquit legatum, illud eſt computandum in trebellianicam, ſi quid hæredi fiduciario nomine legati eſt relictum. 291. n. 6. ſi hæres detraxerit trebellianicam, an fidei commiſſarius poſſit iterum detrahere? ibid. n. 7. trebellianæ detractio à teſtatore poteſt prohiberi, ſed hæc prohibitio debet eſſe expreſſa. 291. n. 8. unà cum legitima poteſt etiam trebellianica detrahi. 291. n. 9.

Tributum.

Tributum quotuplex. 229. n. 5. tributum juſtè exegit Auguſtiſſimus noſter à Clericis & piis legatis etiam inconſulto Pontifice dum Turca ante aliquot annos congregaverat militem unà cum rebellibus Auſtriam devaſtaturus. 330. n. 8.

Turcæ.

Turcæ quomodo fures puniant. 181. n. 10. juſtè bello invaduntur ab Imperatore vel aliis Principibus Chriſtianis. 199. n. 14. nullum acquirunt dominium de bonis Chriſtianorum, ſi bellant ſolùm propter titulum Chriſtianitatis. 201. n. 20.

V.

Vaſallus.

Vaſallus quis? 293. n. 2.

Vectigal.

Vectigal quid? 229. n. 5.

Vendere, venditio, venditor.

Vendere rem pretio infimo, medio, & ſummo cuicunque licet, imo eandem rem eodem tempore cariùs uni quàm alteri citra omnem injuſtitiam licet vendere, ſi non extet pretium taxatum. 321. n. 9. vendere rem ad corpus, vel ad pondus, vel menſuram quid, & quomodo cognoſcatur. 322. n. 2.

Venditio quid. 319. n. 1. quæ requirantur conditiones ad venditionem. 320. n. 5. venditio cum pacto retrovendendi ſub certis conditionibus eſt licita. ibid. in venditione licitè aliquando intercedit retractus. 320. n. 6.

Venditor tenetur de evictione. 3x0. n. 4. venditor emptorem lædens non tantùm ultra dimidium pretii, ſed etiam ultra juſtum pretium, tenetur in conſcientia ad reſtitutionem. 321. n. 8. tenetur ad manifeſtanda vitia rei vendendæ & viciſſim emptor. 323. n. 3. ſi tamen vitium eſt patens, & res non pluris venditur, quàm valeat cum vitio, non tenetur illud manifeſtare, imo licet ſit occultum, ſi nullum timeatur damnum, nec majori pretio vendatur, quàm valeat cum tali vitio, non obligatur per ſe manifeſtare vitium. 323. n. 8. venditor pro una re dans aliam æque utilem validum & licitum facit contractum. 3x3. o. 4. venditor rei quoad corpus ſi non ſpecialem curam in ſe ſuſcepit rei venditæ, nec eſt in mora tradendi, amiſſa re damnum erit emptoris, ſecus eſt, ſi res ſit vendita ad menſuram. 325. n. 13. tritum illud: *Unaquaque res perit domino ſuo*, & aliæ leges in contrarium citatæ quomodo intelligendæ. 325. n. 15. venditor quot modis ſcire poſſit pretium mercium minuendum. 326. n. 1. licitè poteſt rem carius vendere ob dilatam ſolutionem intra limites tamen juſti pretii. 327. n. 6. ſuper legitimum enim & ſummum non liceret. 3x9. n. 12. pariter poteſt citra omnem injuſtitiam currente pretio ſuas merces vendere, quamvis privatâ ſcientiâ ſciat brevi pretium minuendum. 327. n. 8. poteſt tamen interdum peccare contra charitatem. ibid. n. 9.

Violans.

Violans puellam vi vel fraude abſque promiſſione matrimonii ad quid teneatur. 370. n. 5.

Violentia.

Violentiam inferentes Clericis caſtrenſibus & in ſpiritualibus exercitiis aſſiſtentibus, incidunt in excommunicationem. 210. n. 6.

Virgo.

Virgo à tyranno defloranda non poteſt extra- di. 216. n. 7. Virgo deflorata non tenetur nubere defloratori, ſi hic offerat conjugium. 370. n. 5.

Virtutes morales.

Virtutes morales quotuplicis generis. 146. n. 2.

Vis.

Vis quid & quotuplex? 258. n. 2. vis abſoluta invalidat contractum. 262. n. 17.

Vitium.

Vitium alicujus rei quotupliciter contingere poſſit. 322. n. 1.

Voluntas ultima.

Voluntas ultima quid? & quot ſpecies ejuſdem. x74. n. 1.

Uſura.

Uſura quid ex Scoto ejuſque definitio 301. n. 6. quotuplex. ibid. uſura ex genere ſuo eſt peccatum mortale. 302. n. 3. quasnam pœnas incurrat uſurarius. ibid. quomodo uſura differat à commodatione & locatione ibid. n. 7. eſt jure naturæ inhibita. 302. n. 8. ſicut etiam jure divino. ibid. n. 9. uſura quonam modo committatur. 303. n. 10. ut aliquis excuſetur ab uſura quales requirantur conditiones. 301. n. 5. abſque uſura ex titulo damni emergentis & lucri ceſſantis poteſt aliquid ultra ſortem ſervatis conditionibus accipi. 304. n. 13.

Uſus.

Uſus quotuplex? 158. n. 2. quomodo definiatur. 169. n. 4. uſus facti quotupliciter ſumi poſſit. ibid. n. 3. triplex differentia rerum, quæ ſub uſum cadunt. ibid. n. 4. in rebus uſu non conſumptibilibus uſus juris cum uſu facti diſtinguitur à dominio rei. 258. n. 5. in rebus autem uſu conſumptibilibus jus ad uſum ſeu ad factum non diſtinguitur à dominio. 159. n. 6. ſimplex uſus facti in rebus uſu conſumptibilibus poteſt realiter ſeparari ab earum rerum dominio. 159. n. 7. leges in contrarium citatæ quomodo explicandæ. 160. n. 9.

Uſufructuarius.

Uſufructuarius quando dominium fructuum acquirat. 171. n. 13. ſinè licentia proprietarii non licet ei vendere vel donare ſuum uſumfructum benè tamen commoditatem, & utilitatem fructuum; proprietarius tamen inconſulto uſufructuario poteſt alienare rem uſufructuariam. ibid.

Uſusfructus.

Uſusfructus quomodo definiatur. 168. n. 2. quot modis conſtituatur. 169. n. 6. non extinguitur profeſſione religioſa uſufructuarii facta in Religione bonorum capaci, ſimiliter ſi Pater profiteretur Religionem, uſusfructus non conſolidatur cum proprietate filii, ſed etiam tranſit ad monaſterium. 171. n. 21. per profeſſionem tamen in Religione Fratrum Minorum de obſervantia factam extingueretur uſusfructus. 172. n. eod.

W.

Wenceslaus.

Wenceslaus Bohemiæ Rex, ut parceret Innocentium ſanguini, licitè duello litem decidit cum principe invaſore Rege Hungariæ. 212. n. 5.

Errata Typi Tractatus Undecimi corrige.

Fol. 138. col. 2. lin. 2. communitate *ſupple* cum communitate. (toto.
F. 152. n. 10. lin. 4. debito in toto. *lege* debitum in
F. 153. n. 10. lin. 4. architectonicè *lege* architecto-
F. 174. n. x. lin. 4. ſi *lege* hi. nicæ.)
F. 175. n. 6. lin. 33. ob ruptarum *lege* ob rupturam.
F. 179. n. 2. lin. 15. Princeps *lege* principes.
F. 182. col. 2. lin. 6. probatur *lege* probata.
F. 189. n. 15. lin. 8. *percutiente lege percutientem.*
F. 316. col. 1. lin. 3. ingens *lege* indigens.
F. 318. col. 1. lin. 15. erat *lege* errat.
F. 318. col. 1. lin. 31. pendendi *lege* perdendi.
F. 198. n. 10. lin. 6. ſi non ſint certi de juſtitia *lege* ſi non ſint certi de injuſtitia.
F. 213. n. 6. lin. 8. teneatur Deus *lege* tentatur Deus.
F. 220. n. 9. lin. 2. moraliter *lege* mortaliter.
F. 342. n. 9. lin. 25. lætus *lege* læſus. (mnum.
F. 341. n. 8. lin. 19. tutum damnum *lege* totum da-
F. 350. n. 12. lin. 50. mortale *lege* veniale.
F. 370. n. 5. lin. 11. hoc *lege* hic.

Plura alia Lectoris prudentia emendabit.

IN-

)o(

INDEX ALPHABETICUS

Rerum Notabilium TRACTATUS DUODECIMI.

Numerus prior paginam, poſterior numerum marginalem indicat.

A.

Abſolutio.

ABſolutio eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ. 99. n. 6. ejus forma non poteſt validè dici ſuper abſentem. 113. n. 8. validè tamen dici poteſt ſuper eum, qui abſens per litteras eſt confeſſus, & præſens petit abſolutionem. ibid. n. 9. quomodo forma abſolutionis ab aliquibus interpretetur? 114. n. 1. in abſolutione duplex exercetur poteſtas. 114. n. 2. Abſolutio eſt remiſſiva non declarativa. 15. n. 3. eſt remiſſiva pœnæ æternæ. ibid. n. 4. imò pœnæ temporalis. ibid. n. 5. eſt verè remiſſiva quoad culpam. ibid. n. 10. eſt danda in genere ſe accuſanti. 139. n. 17. moribundo ſub conditione eſt danda, ſi conſtet eum eſſe Catholicum. 140. n. 21. quid ad indirectam ſufficiat. 146. n. 39. ad validam requiritur jurisdictio. 154. n. 7.

Acceptatio.

Acceptatio mera promiſſionis non ſufficit ad ſponſalia. 338. n. 4.

Accuſatio.

Accuſatio debet eſſe doloroſa. 120. n. 20. ſufficit generica. 139. n. 17.

Actus.

Actus materialiter mali ſunt objectum materiale virtutis pœnitentiæ. 12. n. 15. actus eliciti à virtute pœnitentiæ ſunt in duplici differentia. 19. n. 1. poteſt dari actus pœnitentiæ, qui ſit naturalis ex parte dictaminis. ibid. n. 4. ac etiam ex parte principii. 20. n. 5. qui actus merè naturales in moderna providentia non ſunt meritum de congruo. 21. n. 7. in alia providentia poſſunt eſſe. 20. n. 6.

Actus pœnitentiæ naturaliter ab initio elicitus, ſed poſtea ex ſpeciali Dei motione continuatus, eſt diſpoſitio ad gratiam. 21. n. 7. ad fructuoſum actum pœnitentiæ requiritur juxta Scotum ſpeciale auxilium Dei. ibid. n. 8.

Actus pœnitentiæ, ut ſint meritorii de congruo, debent eſſe tam ex parte dictaminis, quàm principii ſupernaturales. 22. n. 9.

Actus ſupernaturales tum quoad ſubſtantiam, tum quoad modum qui? 23. n. 2.

Actus pœnitentiæ ſunt ſolùm ſupernaturales quoad modum. 25. n. 6. quomodo Patres & Concilia exigant ad actus pœnitentiæ gratiæ auxilium. 26. n. 7.

Actus contritionis eſt meritorius de condigno gloriæ. 42. n. 10. unus actus contritionis poteſt ferri ſuper plura peccata. 46. n. 9.

Actus virtuoſus contritionis poteſt in inſtanti elici. 52. n. 5.

Actus meritorius qui de condigno, & qui de congruo. 77. n. 1.

Actus pœnitentiæ non phyſicè, ſed moraliter delent peccata. 78. n. 5.

Adoptatio.

Adoptatio quid? in quem finem introducta, eſt duplex. 314. n. 6. inter quas perſonas ex adoptatione oriatur cognatio legalis. ibid.

Adulterium.

Adulterium cum tribus criminibus connexum dirimit matrimonium. 330. n. 1. non ſimpliciter, ſed ſub certis conditionibus quæ aſſignantur. 331. n. 6. & 7.

Ætas.

Ætas puerilis reducitur ad impotentiam. 323. n. 6. qualis requiratur ad valida ſponſalia. 337. n. 2.

Affinitas.

Affinitas dirimit matrimonium. 311. n. 1. ejus

definitio. 314. n. 7. oritur ex copula tam licita, quàm illicita, ex licita usque ad quartum, ex illicita usque ad ſecundum gradum dirimitur matrimonium. ibid. n. 7. tres regulæ aſſignantur pro cognoſcendis affinitatis gradibus. ibid. n. 8. nullus gradus affinitatis jure naturæ dirimit matrimonium. 316. n. 12. ex matrimonio non oritur impedimentum affinitatis. 317. n. 13.

Affinitas non irritat matrimonium jure naturæ etiam in primo gradu. 320. n. 21. in affinitate ex copula illicita poteſt diſpenſare Epiſcopus. 334. n. 2.

Agnati.

Agnati qui dicantur. 312. n. 4.

Angeli.

Angelorum voluntas eſt ſubjectum habitûs pœnitentiæ. 11. n. 9.

Anima.

In animabus purgantibus manet habitus pœnitentiæ. 9. n. 4.

Animus.

Animorum conjunctio eſt finis extrinſecus matrimonii. 328. n. 23.

Annus.

Annus quando incipiat. 132. n. 29. qui intra annum non eſt confeſſus, tenetur ſtatim initio ſequentis anni. 132. n. 31.

Antrogini.

Antrogini contrahere poſſunt licitè & validè juxta ſexum in eis prævalentem. 324. n. 11.

Arbor.

Arbor conſanguinitatis. 313. n. 4.

Arrhæ.

Arrhæ poſſunt ſponſalibus adjici, quæ tripliciter accipi poſſunt. 342. n. 2. quomodo amittantur arrhæ & reſtitui debeant? ibid.

Attritio.

Attritio quid? 27. n. 1. ejus motivum eſt duplex. 28. n. 2. non quæcunque attritio eſt ſufficiens cum ſacramento ad juſtificationem. 28. n. 3. nec poteſt ex motivo charitatis erga Deum formaliter elici. ibid. n. 5. neque poteſt ſecundùm eſſentiam ſuam fieri contritio, benè verò ſecundùm modum loquendi antiquorum ſcholaſticorum. 29. n. 6. non debet eſſe univerſalis circa omnia venialia. 33. n. 3. talis tamen debet eſſe circa mortalia. 34. n. 4. non eſt neceſſè, ut præcedat confeſſionem, benè tamen abſolutionem. ibid. n. 5. neque requiritur formalis, ſed ſufficit virtualis. ibid. n. 6.

Attritio vera & cognita ut talis ſufficit, probabiliter vera putata ut talis non ſufficit ad juſtificationem. 35. n. 8. extra ſacramentum non convertit hominem ſatis ad Deum. 42. n. 9. benè tamen cum ſacramento. 61. n. 7. cum quo ſufficit in articulo mortis. 75. n. 16. extra ſacramentum poteſt delere venialia. 92. n. 5. etiam conjuncta cum mortalibus. 93. n. 8.

B.

Baptiſmus.

Baptiſmus poteſt eſſe validus & informis, non tamen pœnitentia. 121. n. 21. ex Baptiſmo oritur cognatio ſpiritualis. 314. n. 5.

Baptizatus.

Inter baptizatos & non baptizatos datur cultûs diſparitas. 322. n. 2.

Barbari.

Barbari publicè contrahebant matrimonia. 276. n. 5.

Beati.

In Beatis datur habitus pœnitentiæ. 11. n. 9.

Bigamus.

Bigamus non eſt, qui cum alia contrahit, ſi cum priori non conſummavit matrimonium. 236. n. 9.

Biviria.

Biviria eſt prohibita jure naturali. 323. n. 7.

Blanditiæ.

Blanditiæ & preces à quibus adhibitæ irritent? 254. n. 6.

Bona matrimonii.

Bona matrimonii. 230. n. 9. & 267. n. 4.

Bonum prolis.

Bonum prolis eſt ſpes educationis honeſtæ. 216. n. 1. contra bonum prolis non eſt intentio de nunquam habenda copula. 252. n. 18.

C.

Caſtratio.

Caſtratione ſuperveniente licitè redditur & petitur copula. 329. n. 29.

Cauſa.

In genere cauſæ efficientis actus pœnitentiæ non tollit phyſicè peccatum. 77. n. 3. ſed in genere cauſæ moralis, non formaliter, ſed diſpoſitivè. 78. n. 5.

Cenſura.

Cenſurâ Eccleſiaſticâ poſſunt puniri invalidè confitentes. 130. n. 25. ſimiliter tali cenſura poſſunt etiam affici actus indifferentes. 145. n. 36.

Chriſtus.

Chriſti voluntas eſt ſubjectum habitûs pœnitentiæ. 11. n. 9. quomodo ſatisfecerit pro noſtris culpis & pœnis. 87. n. 16. Chriſtus inſtituit modum confitendi. 135. n. 3.

Chriſtus Deus homo judicat omnes homines poſt glorioſam reſurrectionem ſuam. 171. n. 1. in judicio univerſali non judicabit ſecundùm formam humanam ut judex principalis, ſed ſolùm ut

Judex

Judex ſubordinatus, & Commiſſarius, & quidem excellentiſſimus, quatenus non poſſet ſuperior eſſe authoritas judicandi commiſſaria. 173. n. 7. apparebit in forma glorioſa & judicabit. 174. n. 10.

Circumſtantia.

Circumſtantiæ Confeſſionis ſacramentalis aſſignantur. 134. n. 1. quæ ſpeciem mutantes quæ notabiliter aggravantes. 142. n. 26. notabiliter aggravantes non ſunt neceſſario explicandæ. 143. n. 32. ſunt manifeſtandæ, ſi pœnitens interrogatur. ibid. n. 28. circumſtantiæ ſub ſigillo cadunt. 146. n. 3.

Clavis.

Clavis pœnitentiæ reſpectu gratiæ, & reſpectu remiſſionis pœnæ quid? 109. n. 18.

Clandeſtina matrimonia.

Clandeſtina matrimonia ante Tridentinum celebrata fuerunt ſacramenta. 233. n. 9.

Clerici.

Clerici poſſunt eſſe raptores. 333. n. 11.

Coadjutor.

Coadjutores Societatis Jeſu perfectè moriuntur mundo. 308. n. 9.

Cœli.

Cœli ſyderei ſeu ætherei & Empyrei ab igne conflagrationis in fine mundi non peribunt. 181. n. 36.

Cœlibatus.

Cœlibatus fuit ab exordio Eccleſiæ annexus ordinibus majoribus. 305. n. 2.

Concilium Tridentinum.

Concilium Tridentinum definit matrimonium eſſe ſacramentum. 217. n. 3.

Cogitare.

Quoties quis deliberatè cogitat de peccatis, tenetur de iis pœnitere. 73. n. 13.

Cognatio.

Cognatio dirimit matrimonium. 311. n. 1. eſt triplex. ibid. n. 2. ſpiritualis ex quibus ſacramentis contrahatur, & inter quas perſonas dirimat matrimonium. 314. n. 5.

Cognatio legalis unde proveniat? habet triplicem lineam, quæ eſt verum impedimentum dirimens. ibid. n. 6. à quibus contrahatur, & à quibus non? ibid.

Complex.

Confeſſio eſt integrè facienda etiam cum manifeſtatione complicis. 141. n. 23. quando non manifeſtandus. 142. n. 24. & 25. perſona complicis ſub ſigillo cadit. 146. n. 3.

Conditio.

Sub qua conditione forma Sacramenti pœnitentiæ ſit valida, ſub qua non? 111. n. 4. ſub conditione eſt abſolvendus moribundus, ſi ſolùm conſtat eum eſſe Catholicum. 140. n. 21.

Confeſſarius.

Confeſſarius tenetur ad ſigillum. 147. n. 4. interrogatus de peccatis in confeſſione auditis debet negare ſe illa ſcire. 147. n. 5. non licet confeſſario in ipſa confeſſione dare licentiam ad ſigillum aperiendum, ſed ut licitè id poſſit facere confeſſarius, debet pœnitens illud ei extra confeſſionem aperire. 148. n. 10. poteſt imponere pœnitentiam liberè faciendam. 160. n. 24. cùm facultate Confeſſarii poteſt immutari pœnitentia. 161. n. 26. non poteſt ſatisfactio conveniens ab uno impoſita ab alio Confeſſario immutari. ibid. n. 29. quando ſatisfactio dubia immutatur, debet Confeſſarius ſecundus denuò audire & abſolvere peccata. ibid. n. 31.

Confeſſio.

Confeſſionis definitio. 122. n. 1. eſt pars eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ. 99. n. 6. & ejus materia proxima. 105. n. 6. materia licita & ſufficiens confeſſionis ſunt peccata remiſſa. 105. n. 10. in confeſſione requiritur adæquata intentio reconciliationis cum Deo. 119. n. 17.

Confeſſio non eſt de jure naturæ, nec de jure Eccleſiaſtico. 122. n. 1. ut utilis eſt efficax inſtituta colligitur ex Evangelio. 123. n. 2. ut neceſſaria verò non ſatis colligitur ex illis verbis. Joann. 20. *quorum remiſeritis* &c. ibid. n. 3. neceſſitas tamen & inſtitutio ejus colligitur ex illis verbis: *quorum* &c. additis illis verbis: *diliges* &c. 124. n. 5. publica eſt abrogata. 125. n. 8. quinam obligentur ad confeſſionem. 126. n. 9. non eſt arctanda ad vocem articulatam. ibid. n. 11. non eſt neceſſè ut Laico fiat, licèt ſit aliquando utile. ibid. n. 11. licita eſt per interpretem, quando aliter non poſſit fieri. ibid. n. 13. præceptum confeſſionis obligat infideles. 127. n. 14. etiam mutos. 128. n. 16. per confeſſionem invalidam non ſatisfit præcepto annuæ confeſſionis, ſed tenetur iterum confiteri. 130. n. 25. tempus annuæ confeſſionis aſſignatur. 132. n. 29. eſt anticipandum. 133. n. 33. non potens annuam confeſſionem facere, non tenetur elicere contritionem. 134. n. 35. circumſtantiæ Confeſſionis ſacramentalis & validæ aſſignantur. 134. n. 1. modus ſecretæ & auricularis eſt à Chriſto inſtitutus. 135. n. 3. non tamen eſt de eſſentia & neceſſitate confeſſionis. ibid. n. 4. Confeſſio publicè facta quomodo valida. 135. n. 5. ad eum non tenemur præcepto divino. 136. n. 7. integritas confeſſionis in tribus conſiſtit. 137. n. 12. eſt duplex. 138. n. 13. quandonam ſufficiat non integra. ibid. eſt integrè facienda etiam cum manifeſtatione complicis. 141. n. 23.

Conjuges.

Conjuges fideles contrahentes matrimonium intendentes ſolùm efficere validum contractum & non ſacramentum committunt ſacrilegium. 223. n. 4.

Conjunctio.

Conjunctio moralis requiritur inter materiam & formam Sacramentorum. 320. n. 1.

Conjungendi.

Conjungendi in matrimonium à nulla Republica cogi poſſunt abſque illorum conſenſu. 249. n. 14. qui conſenſus quidem in aliis contractibus à jure ſuppleri poteſt, non tamen in matrimonio. 250. n. 15.

Conſanguinitas.

Conſanguinitatis definitio. 311. n. 2. diſtinguitur per lineas & gradus. 312. n. 2. tres regulæ aſſignantur pro cognoſcendis conſanguinitatis gradibus. ibid. n. 4. gradus ſecundus conſanguinitatis, & reliqui poſteriores lineæ transverſæ ſolùm jure Eccleſiaſtico dirimunt. 316. n. 11. Conſanguinitas in linea recta aſcendentium & deſcendentium in infinitum jure naturæ dirimit. 317. n. 15. dirimit in linea transverſa jure naturæ in primo gradu. 319. n. 19. Inter Chriſtum & B. Virginem ac Joachim & Annam fuit vera conſanguinitas. 311. n. 2.

Conſcientia.

Conſcientiæ diligens examen debet præſupponi confeſſioni. 138. n. 14.

Conſenſus.

Conſenſus dupliciter poteſt concurrere ad matrimonium. 246. n. 1. poteſt ſumi diverſimodè. 261. n. 1.

Conſenſus contrahentium de potentia Dei abſoluta ſuppleri poteſt, quæ conjunctio licèt non eſſet contractus, eſſet tamen vinculum conjugale. 248. n. 9. qualis conſenſus in copulam ex parte contrahentium requiratur. 250. n. 16.

Conſenſus fictus non ſufficit ad matrimonium. 271. n. 4. debet loco ficti verus poni non ſolùm ex fidelitate ſed etiam ex juſtitia. 272. n. 6. debet in revalidando matrimonio ab utroque verus poni & exprimi. 274. n. 10. non tamen coram parocho & teſtibus. ibid.

Conſenſus clandeſtinus conſtituebat Sacramentum tantùm materialiter non formaliter. 278. n. 10.

Conſenſus Sponſorum quomodo exprimi poſſit? 342. n. 1. dupliciter poteſt præſtari. 261. n. 1. Conditionatus in qua ratione tranſeat in abſolutum, 264. n. 10.

Conſuetudo.

Conſuetudo, ut legitimè præſcribat quidnam ſufficiat. 287. n. 12.

Continentia.

Continentia eſt annexa ſacris Ordinibus jure eccleſiaſtico 307. n. 6. ejus obligatio in his conſurgit immediatè ex voto. ibid. n. 7.

Contractus.

Contractus matrimonialis qualiter utrinque debeat eſſe æqualis? 326. n. 18.

Contrahere.

Contrahens per procuratorem tempore, quô credit procuratorem contracturum, debet eſſe in gratia. 245. n. 11. fictè matrimonium contrahens peccat peccato ſacrilegii & injuſtitiæ. 271. n. 3. ſcienter contrahens cum impedimento dirimente peccat mortaliter. 288. n. 1. ſimiliter peccat mortaliter, qui contrahit cum voto impediente. 290. n. 3.

Contritio.

Contritio quoad quid nominis & quoad quid rei. 27. n. 1. ut ſit proxima diſpoſitio ad gratiam debet procedere ex ſupernaturali Dei dilectione. 37. n. 1. eſt actus voluntatis. ibid. n. 2. eſt quandoque actus pœnitentiæ imperatus à charitate. 38. n. 3. quandoque actus charitatis imperatus à pœnitentia. ibid. n. 4. ſæpiſſime conjuncta cum formali dilectione Dei ſuper omnia. ibid. n. 5. poteſt dari abſque formali amore cum ſolo amore virtuali. 39. n. 6. eſtque ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem ibid. poteſt perfecta haberi ex motivo juſtitiæ aut alio ſpectante ad Deum. 41. n. 8. quomodo contritio univerſalis poſſit definiri. 42. n. 9. poteſt per exceſſum magnitudinis contritio reddi vitioſa. 44. n. 5. per unum actum Contritionis poteſt quis habens plura peccata veri conteri. 46. n. 9. contritio fructuoſa debet eſſe adæquata de omnibus mortalibus. 47. n. 10. ac deteſtans peccatum ſuper omnia mala etiam pœnæ æternæ appretiativè ſolum non per comparationem formalem ſed virtualem. 47. n. 11. hoc lumen naturale & præceptum divinum oſtendit. 48. n. 14. ad perfectam non requiritur per ſe recogitatio ſingulorum peccatorum in particulari. 49. n. 15. ſufficit quælibet minima intenſio. 51. n. 2. intenſiſſima aut infinita non impedit. ibid. n. 3. ſuam perfectionem ſumit non tantùm ex ratione individuali, ſed etiam ſpecifica. 52. n. 4. poteſt in inſtanti virtuoſè elici. 52. n. 5. nulla intenſio definita requiritur. ibid. num. 6. non requiritur duratio per aliquod determinatum tempus. 54. num. 8. in lege gratiæ extra ſacramentum eſt ad ſalutem neceſſaria contritio cum voto ſacramenti. 61. n. 6. hæc cum ſacramento non eſt neceſſaria in articulo mortis. 75. n. 16. eſt ſolum meritum de congruo, non de condigno. 81. n. 11. eſt pars eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ. 99. n. 6.

Copula.

Copula non eſt pars eſſentialis matrimonii veri, ſed tantùm complementum. 217. n. 3.

Copula matrimonialis eſt honeſta 221. n. 15.

Copula ſequens matrimonium contractum per metum gravem, quomodo revalidet tale matrimonium. 260. n. 18.

Corpus.

Corporis poteſtas ſub conditione traditur in contractu matrimonii. 240. n. 23.

Crimen.

Duo ſunt crimina, quæ dirimunt matrimonium. 330. n. 1.

Culpa.

Culpa non poteſt à Deo remitti non remiſſo reatu paſſivo, benè remiſſo reatu activo. 87. n. 17.

Cultus.

Cultûs diſparitas eſt impedimentum dirimens. 321. n. 1. ſumitur pro exterioris fidei profeſſionis diverſitate. 322. n. 2. inter quas perſonas detur? ibid. inter baptizatam & non baptizatam perſonam non dirimit jure naturali, nec divino, ſed ſolùm Eccleſiaſtico. 324. n. 12.

D.

Damnati.

In damnatis non manet habitus pœnitentiæ. 9. n. 4.

Decretum.

Decretum generale irritans omnes actus attentatos de matrimonio quomodo debeat intelligi? 290. n. 2. ſtante Decreto Apoſtolico irritante non poteſt validè contrahi matrimonium. 292. n. 9.

Decretum irritans nullum affert damnum. 294. n. 13.

Definitio.

Definitio matrimonii ſumpti pro vinculo, & in eſſe permanenti. 216. n. 3. matrimonii definitio ſumpti pro contractu & in fieri, ac ſumpti pro ſacramento. 217. n. 4. & 5.

Defloratio.

Defloratio quid? ſigna deflorationis adferuntur. 339. n. 8. quando liceat tegere deflorationem, & quando non. 340. n. 9.

Deliberatio.

Deliberatio qualis & quanta requiratur ad ſponſalia. 337. n. 2.

Denuntiatio.

Denuntiationes debent fieri in utriusque contrahentis parochia. 281. n. 11. non ſolùm in diebus feſtivis, ſed etiam aliis fieri poſſunt. ibid. n. 12. in neceſſitate ſolus Parochus in iis diſpenſare poteſt. ibid.

Deteſtatio.

Deteſtatio concepta cum intentione implicita vindicandi peccatum ſufficit ad hoc delendum. 6. n. 12. Deteſtatio de majoritate appretiationis & intentionis explicatur. 48. n. 14.

Deus.

Deus poteſt ſine pœnitentia dare veniam. 64. n. 13. & 65. n. 14. poteſt peccata remittere absque infuſione gratiæ. 83. n. 3. poteſt per infuſionem gratiæ absque ullo actu peccatoris de potentia ſua abſoluta remittere peccatum mortale. 83. n. 4. remittere poteſt unum mortale ſine alio tum ſine infuſione gratiæ. ibid. n. 5. tum per infuſionem gratiæ. 84. n. 6. & hoc etiam fieri poſſet in vera pœnitentia & contritione peccatoris. ibid. n. 7. non poteſt remittere culpam non remiſſo reatu paſſivo, bene tamen remiſſo activo. 87. n. 17. & ſeqq. quomodo remittat peccata. 116. n. 11.

Dies.

Diebus Dominicis tenemur pœnitere. 73. n. 12.

Dilectio.

Dilectio Dei quotuplex. 60. n. 3. per hanc poteſt ſuppleri pœnitentia. 66. n. 16.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio Pontificis in impedimentis quando valida, quando non? 334. n. 1. ſubreptitiè vel obreptitiè impetrata quando dicatur. 335. n. 3. ut ſit valida, præter juſtam cauſam requiruntur aliqua, quæ aſſignantur. 335. n. 3. qualiter in petitione diſpenſationis gradus exprimi debeant. 336. n. 4. debent omnes gradus, & tituli, quibus ſunt conjuncti, exprimi. ibid. n. 5.

Diſpoſitio.

Quandocunque deeſt ſufficiens diſpoſitio pœnitentis in ſacramento pœnitentiæ ad effectum ejus, etiam deeſt ſufficiens materia ſacramenti pœnitentiæ ad validitatem ejus. 119. n. 16.

Diſſolubilitas.

Diſſolubilitas quoad vinculum matrimonii rati in quibus caſibus eſſe poſſit? 235. n. 4.

Divortium.

Divortium ob quas cauſas fieri poſſit. 235. n. 3.

Dolor.

Dolor unus dupliciter poteſt excedere omnem alium dolorem. 43. n. 1. non requiritur, ut dolor contritionis ſit intenſior, quàm dolor alius de alio malo. 44. n. 4. eſt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ. 105. n. 6. debet eſſe poſitivus ibid. debet novus elici in iterata confeſſione. ibid. n. 10. novum ſortitur effectum. ibid. non tamen dimittit pœnam temporalem remanentem. 107. n. 15. idem dolor requiritur ad effectum, qui ad validitatem. 119. n. 17. nunquam ſufficit dolor naturalis aut ſupernaturalis inefficax. ibid. n. 18. bene tamen ſubſtantialis imperfectus. 120. n. 19.

Dominus.

Dominus ad quid ex juſtitia teneatur circa ſervum ineuntem matrimonium cum libera. 300. n. 9

Duratio.

Duratio contritionis non requiritur per aliquod determinatum tempus. 54. n. 8.

E.

Eccleſia.

Eccleſia quos actus punire poſſit? 131. n. 26. punit excommunicatione, qui intra annum non confitentur. 132. n. 31. licèt in Eccleſia ſit forum publicum, non tamen eſt in ea authoritas dimittendi peccata quoad culpam. 137. n. 10. deſignat ſubditos. 154. n. 8.

Eccleſiaſtici.

Eccleſiaſtici quomodo ſint diſpenſatores myſteriorum Dei ? 233. n. 10.

Epiſcopatus.

Epiſcopatus quid ? & an ſit diſtinctus ordo à ſacerdotio ? 188. n. 4. quo ſit materia & forma Epiſcopatus. ibid. n. 5.

Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt in ſua diœceſi matrimonia rata diſpenſando ſolvere. 237. n. 10.

Epiſcopus immediate ſuam juriſdictionem habet à Deo, quæ tamen ſubordinatur ſummo Pontifici. 287. n. 9. & 10. poteſt interdicere matrimonium non tamen irritare. 290. n. 2. poteſt diſſolvere votum conditionale & pœnale. ibid. n. 3. poteſt diſpenſare in impedimentis impedientibus, ac in quibuſdam votis. 334. n. 1. & quando in dirimentibus. ibid.

Error.

Error practicus & ſpeculativus in contractu matrimonii quando ſit ? & quando irritet contractum matrimonii. 230. n. 10. in forma matrimonii error linguæ non ita officit valori, ſicut in aliis ſacramentis. 232. n. 8. differentia inter errorem & ignorantiam. 298. n. 3. error duplex in matrimonio obvenire poteſt, qui iterum eſt duplex. ibid. aſſignatur regula, qua dignoſci poſſit, quandonam error qualitatis redundet in errorem perſonæ. 298. n. 4. error perſonæ antecedens ſive concomitans dirimit matrimonium, & quidem jure naturæ. 300. n. 10. qui duo errores etiam faciunt involuntarium negativè. 299. n. 6. error qualitatis etiam antecedens per ſe non irritat matrimonium. 301. n. 13. error qualitatis redundans in errorem perſonæ irritat. 302. n. 15. error conditionis ſervilis ſolo jure eccleſiaſtico dirimit. 303. n. 18.

Eſdras.

Eſdras ſeparans Hebræos à conjugibus infidelibus habuit mandatum. Dei. 325. n. 15.

Euchariſtia.

Euchariſtiæ præceptum probabiliter ligat infideles. 127. n. 14.

Examen.

Examen diligens requiritur. 138. n. 14. regula ſufficientis examinis aſſignatur. ibid. n. 15. ad quale rudes ſint obligandi. ibid. n. 16.

Excommunicatio.

Excommunicatio non incurritur in foro conſcientiæ ab iis qui publica honeſtate impediti contrahunt. 317. n. 13.

Excommunicatus.

Excommunicatus obligatur ad confeſſionem. 126. n. 9.

F.

Fidelis.

Fidelis non permittitur cohabitare cum infideli. 322. n. 2. poſſunt à Pontifice fidelis cum infideli matrimonia irritari. 325. n. 15.

Fides.

Ex Fidei exterioris profeſſionis diverſitate ſumitur cultûs diſparitas. 322. n. 2. ad fidem converſus non permittitur cum infideli cohabitare. ibid.

Finis.

Finis ineundi matrimonium eſt duplex. 318. n. 15. primarius quis. 323. n. 5. finis congruus præcepti pœnitentiæ aſſignatur. 62. n. 12.

Firmitas.

Firmitas contritionis deſumitur non tantùm ex ratione individuali ſed etiam ſpecifica. 52. n. 4.

Fœtus.

Cum periculo fœtus poteſt reddi & peti copula. 329. n. 30.

Forma.

Forma dupliciter poteſt à ſubjecto expelli. 76. n. 1. per formam inhærentem dicitur homo juſtus. 77. n. 2. forma circa peccata dimiſſa quem ſenſum & effectum habeat. 106. n. 11. quando & quomodo verificetur. 107. n. 11. ſacramenti pœnitentiæ quæ ? 110. n. 1. quibus perficitur, quibus non. ibid. n. 2. & 111. n. 3. ſub conditione quando valet, & quando non. ibid n. 4. deprecativo modo prolata non eſt valida. 112. n. 5. eſſentiam conſtituunt tantum hæc duo verba: *abſolvo te*. 112. n. 6.

Fornicatio.

Fornicatio eſt contra bonum naturale prolis 216. n. 1. & 2. non ſolvit matrimonium quoad vinculum. 241 n. 25. fornicatio ſponſorum eſt ſpecialis malitia injuſtitiæ in confeſſione explicanda. 339. n. 7. turpior eſt fornicatio ſponſæ quam ſponſi. 345. n. 7.

Fractio.

Fractio ſacramenti an ſit de eſſentia vel integritate ſacrificii miſſæ. 192. n. 6.

G.

Gehenna.

Gehennæ malum poteſt præferri malo culpæ. 44. n. 3.

Gentilis.

Gentiles validè contraxerunt cum hebræis matrimonia. 325. n. 15.

Gradus.

Gradus quid. 312. n. 2. ad quartum gradum extenditur cognatio legalis. 314. n. 6. gradus ſecundus conſanguinitatis dirimit jure eccleſiaſtico matrimonium. 316. n. 11. rationes & motiva aſſignantur, cur eccleſia prohibeat gradus conſanguinitatis ibid. nullus gradus affinitatis lineæ tranſverſæ jure naturæ dirimit. 316. n. 12. qualiter gradus in diſpenſationis petitione exprimi debeant. 336. n. 4. & 5.

Græci.

Græci ſervant præceptum confeſſionis. 125. n. 7.

Gratia.

Gratia.

Gratia eſt prior quàm remiſſio peccati. 82. n. 15. habitualis non requiritur in homine peccatore ad remiſſionem venialium. 92. n. 6. non requiritur ut pœnitentia in ſtatu gratiæ peragatur. 156. n. 4.

Gubernatio.

Gubernatio familiæ pacifica reputatur finis ſecundarius matrimonii. 323. n. 7.

H.

Hæretici.

Hæretici obligantur ad Confeſſionem. 126. n. 9. hæretici ad fidem converſi allegantes ſe non verè conſenſiſſe in matrimonium, in quo tamen jam uno alteróve anno cohabitârunt, licet in foro interno, non tamen externo ſtatim ad aliud matrimonium tranſire poſſunt. 227. n. 4. hæreticorum plurima matrimonia fiunt ſacramenta, licèt non credant aut velint matrimonium fieri ſacramentum. 227. n. 5. & quanquam eſſent puri contractus civiles, per ſe loquendo ſunt indiſſolubilia. ibid. n. 7. quomodo hæreticorum matrimonium ſit irritum & nullum, & quomodo validum. 229. n. 9.

Hermaphroditus.

Hermaphroditi poſſunt validè & licitè contrahere juxta ſexum in eis prævalentem. 324. n. 11.

Homicidium.

Homicidium ſub certis conditionibus eſt impedimentum dirimens. 331. n. 5.

Homo.

Homo in extremis non tenetur ad tutiorem viam, ſed ſufficit tuta. 76. n. 16. in homine juſto quomodo deleatur peccatum veniale? 91. n. 4.

Honeſtas publica.

Honeſtatis publicæ definitio. 315. n. 9. ad qualem gradum extendatur & inter quas perſonas habeatur. ibid. ex quibus ſponſalibus oriatur. 316. n. 10. eſt impedimentum dirimens. 315. n. 9. oritur ex matrimonio rato. 317. n. 13. ex hoc orta publica honeſtas dirimit uſque ad quartum gradum. ibid. n. 14. non inducitur ex ſponſalibus quacunque ratione invalidis. 321. n. 23. ob quas rationes ſit inſtituta. ibid. n. 24. oritur ex ſponſalibus in pubertate contractis. 344. n. 2.

I.

Ignis.

Ignis mundum conflagraturus an ſit de novo creandus eſſentialiter diverſus ab igne elementali, vel an generandus & eliciendus ex eo. 178. n. 20. & an ille ignis conflagrationis mundi omnia elementa invadet & purgabit? ibid n. 22. ac etiam an omnia mixta irrationabilia, animata & inanimata beſtiæ, pecora, arbores, plantæ, ædificia, & quæque alia ſive naturalia ſive artificialia, ac tandem etiam Paradyſus conflagrabuntur & deſtruentur. 180. n. 30.

Ignis omnes homines illo tempore viventes tam electos quàm reprobos conflagrabit. 180. n. 32. electi autem ex purgatorio tunc liberati ac ad judicium univerſale reaſſumptis ſuis corporibus reſurgentes vel etiam electi beati è cœlo avolantes, & ſua corpora reaſſumentes ad univerſale judicium ſe ſiſtentes illo igne non flagrabuntur aut cruciEnter. ibid. n. 33.

Impedimentum.

Impedimenta quotuplicia. 284. n. 1 dirimentia ſtatui poſſunt ab ecclesia vel Pontifice. ibid. n. 2. à principe fideli habentes ſubditos infideles reſpectu illorum ſtatui poſſunt impedimenta dirimentia. 284. n. 3. reſpectu ſubditorum infidelium princeps infidelis pariter talia impedimenta ſtatuere poteſt. ibid. n. 4 & talis princeps fidelis vi ſuæ poteſtatis gaudet facultate ex juſta cauſa ſtatuendi impedimenta dirimentia, hæc tamen facultas defacto eſt Principibus impedita ab Eccleſia. 284. n. 5. hoc etiam dicendum de Principe infideli reſpectu fidelium & quomodo. 286. n. 7. & hæc poteſtas etiam conceſſa & Epiſcopo in ſua Diœceſi, quamvis defacto per reſervationem Pontificis impeditur. 287. n. 9. impedimeotum etiam invincibiliter ignoratum obeſt valori matrimonii. 288. n. 2. impedimenta impedientia recenſentur. 289. n. 1. dirimentia verò quatuordecim aſſignantur. 297. n. 1. quæ ex natura rei, quæ ex ſtatuto eccleſiæ. ibid. n. 2. in impedientis dirimentibus poteſt diſpenſare Pontifex, in impedimentibus Epiſcopus. 334. n. 1. ac quandoque in dirimentibus, ibid. n. 2. in petitione diſpenſationis impedimentorum debent omnes gradus exprimi. 336. n. 4. & 5.

Imperfectio.

Puræ imperfectiones ſunt objectum materiale virtutis pœnitentiæ. 12. n. 15.

Impœnitentia.

In impœnitentia quæ reperiantur. 62. n. 12.

Impotentia.

Per impotentiam quid intelligatur, quotuplex? 323. n. 5. & 6. temporalis non dirimit matrimonium. 324. n. 9. perpetua antecedens dirimit. 327. n. 20. perpetuæ repugnat jus radicale ad copulam. 327. n. 23. ſuperveniens matrimonio validè contracto non dirimit. 328. n. 25. aliqua notanda de impotentia adduntur. 328. n. 26.

Impuber.

Impuberes quinam ſint. 344. n. 2. ſi validè contraxerunt ſponſalia non poſſunt reclamare. ibid. poſt adeptam pubertatem poſſunt diſſolvi etiam juramento firmata. 345. n. 5.

Indiſſolubilitas.

Indiſſolubilitas matrimonii non provenit ex ratione ſacramenti. 256. n. 9.

Indulgentia.

Per indulgentias non tollitur obligatio adimplendi ſatisfactionem ſacramentalem. 163. n. 36.

Infidelis.

Ad infideles non baptizatos non repugnat extendi præceptum Confeſſionis. 126. n. 10. imo ad hoc obligantur. 127. n. 14.

Injuria.

Non omnis injuria debet reparari in eodem bonorum genere. 304. n. 19.

Injuſtitia.

Injuſtitiam committit fictè contrahens matrimonium. 271. n. 3.

Innocentia.

In ſtatu Innocentiæ datur habitus pœnitentiæ. 11. n. 9.

Integritas.

Integritas confeſſionis in tribus conſiſtit. 137. n. 12. eſt duplex. 138. n. 13. quæ requiratur in via. 159. n. 17.

Intentio.

Intentio adæquata reconciliationis cum Deo in validè confitente requiritur. 119. n. 17.

Intentio univerſalior, quando duæ ſunt contrariæ ſortitur effectum. 227. n. 5. & 6.

Intentio turpis non invalidat. 268. n. 6.

Interdictum.

Interdicti tempore poteſt licitè & validè contrahi matrimonium. 291. n. 6. ſi interdictum eſt connexum cum decreto irritante invalidè contrahitur. 292. n. 9.

Interpres.

Per interpretem confiteri eſt licitum. 126. n. 13. non tamen eſt obligatio. 129. n. 19.

Irritare.

Modus irritandi eſt duplex. 275. n. 2.

Judex.

Diſtinctio in judicem forenſem & pœnitentiarium 146. n. 39.

Judicium, judicare.

Judicium ſacramentale in quibus aſſimiletur judicio politico. 110. n. 2.

Judicium particulare in primo animæ egreſſu quando fiat? 171. n. 1.

Judicium univerſale an ſit futurum. 171. n. 2. hoc naturali demonſtratione probari non poteſt. ibid. n. 5. hoc judicium univerſale quamvis non repugnet peragi ſubitò & in inſtanti, magis tamen conſonare Evangelio, quod peragatur in tempore ſive parvo ſive magno. 175. n. 13. & probabiliter eſt futurum in valle Joſaphat. 176. n. 16. quando autem ſit futurum, à nullo prædici poteſt ibid. n. 17. pariter inſiſtendo dictis SS. PP. tempore extremi judicii ceſſabit motus corporum cœleſtium, ubi etiam aliquæ obſervationes ex Scoto adducuntur. 182. n. 38.

Judicari quotupliciter ſumi poſſit. 173. n. 7.

Juriſdictio.

Juriſdictio quid. 152. n. 2. requiritur ad validam abſolutionem. 154. n. 7. in ſimplici ſacerdote eſt habitualis & incompleta. ibid. n. 9. in venialia habetur ab eccleſia. 155. n. 11. quomodo hæc in venialia ab eccleſia poſſit revocari. ibid.

Jus.

Jus naturæ permiſſivum admiſit contractum clandeſtinum eſſe validum non verò poſitivum. 277. n. 7.

L.

Laicus.

Licèt nemo teneatur Laico in neceſſitate confiteri, aliquando tamen utile eſt. 126. n. 112. Laicus ſe ſacerdotem fingens tenetur ad ſigillum. 146. n. 2.

Legatus.

Legatus Pontificius poteſt in provinciis ſibi commiſſis interdicere, imo & irritare matrimonium 290. n. 2.

Lex.

In lege veteri ſive naturali ſive Moſaica non fuit neceſſarium votum Sacramenti pœnitentiæ. 56. n. 5. benè tamen in lege nova. 58. n. 9.

Liber, libertas.

Liber poteſt validè contrahere cum ſerva cognita ſervitute. 299. n. 8.

Libertas in contrahendo matrimonio eſt varia. 253. n. 1.

Ligamen.

Ligamen quid denotet? eſt impedimentum dirimens. 322. n. 3. ad hoc ſolvendum qualis certitudo requiratur de morte conjugis? ibid. n. 4.

Linea.

Linea quid? eſt triplex aſcendentium, deſcendentium, ſeu recta collateralis, quæ iterum duplex æqualis & inæqualis, alia paterna alia materna. 312. n. 3. pro his lineis aſſignantur regulæ. ibid. n. 4.

M.

Malitia.

Malitia mali Sacerdotis non invalidat Miſſam. 201. n. 1.

Malitia qualis ſit in violatione ſponſaliorum. 339. n. 7.

Malum.

Malum omne tam culpæ quàm pœnæ eſt objectum materiale virtutis pœnitentiæ. 12. n. 15.

Malum gehennæ poteſt præferri malo culpæ. 44. n. 3.

B. V. Maria.

In obitu ſuo non ſuſcepit Sacramentum extremæ unctionis. 169. n. 28. voluntas ejus fuit ſubjectum habitûs pœnitentiæ. 11. n. 9.

Martyr.

Martyr quandonam teneatur elicere formalem pœnitentiam. 66. n. 14.

Matrimonium.

Matrimonium eur à Matre, non verò à Patre nuncupetur. 215. n. 1. licitum & honeſtum eſt contra nonnullos hæreticos. ibid. ſumitur tripliciter pro vinculo, pro ipſo contractu in fieri, & tertio pro ſacramento. 215. n. 2. item pro legitimo, rato, & conſummato. ibid. matrimonio conceditur gratia ex opere operato, non verò virginitati, & Profeſſioni religioſæ. 217. n. 5. matrimonium ut Contractus indiſſolubilis eſt quidem valdè conforme legi naturæ, non tamen de lege naturæ ſtrictè loquendo. ibid. n. 6. non obſtante textu Juriſtarum & Ariſtotelis. 218. n. 6. fuit in omni lege honeſtum, non tamen ſacramentum. ibid. n. 7. fidelium tamen matrimonium eſt propriè legis novæ ſacramentum, & ſub ratione ſacramenti eſſentialiter conſiſtit in contractu, ſeu in actu tranſeunte, non verò in vinculo, ſeu in effectu, permanente. 218. n. 8. non retardat à ſalute in quantum eſt ſacramentum. 219. n. 9. fuit pro officio naturæ in ratione contractûs indiſſolubilis inſtitutum à Deo, in ratione ſacramenti verò, à Chriſto in lege Evangelica. 221. n. 12. poteſt matrimonium in contrahente fideli eſſe ſacramentum, tametſi in altero contrahente infideli ob defectum baptiſmi non ſit. 223. n. 3. & 224. n. 9. infidelium autem matrimonium in infidelitate non eſt verum ſacramentum. 223. n. 5. neque dum poſtea baptizantur. 224. n. 4. referuntur & rejiciuntur variæ opiniones circa materiam & formam ſacramenti matrimonii. 230. n. 1. 2. & ſeqq. materia ſacramenti matrimonii ſunt corpora contrahentium mutuò tradita, vel tradenda, forma verò ſunt contrahentium verba, vel ſigna externa ſufficienter exprimentia conſenſum. 232. n. 6. materia & miniſter in hoc ſacramento coincidunt. ibid. n. 8.

Matrimonium ratum poteſt diſſolvi à Pontifice etiam quoad vinculum. 236. n. 9. diſſolvitur etiam Profeſſione religioſa alterius conjugis jure divino poſitivo. 238. n. 11.

Matrimonium conſummatum inter infideles quomodo diſſolvi poſſit? 239. n. 17. inter fideles autem conſummatum nec per diſpenſationem, nec Profeſſionem, nec per adulterium diſſolvi poteſt quoad vinculum. ibid. n. 20. Matrimonium ratum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, conſummatum autem unionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, prima eſt ſeparabilis, ſecunda verò non. 236. n. 9. & 241. n. 24. Matrimonium per procuratorem contractum ante & poſt Tridentinum eſt validum. 243. n. 5. quomodo ſit validum per epiſtolas. 244. n. 7. non ſuccumbit iis, quibus clandeſtinum exponitur malis. ibid. n. 8. eſt verum ſaramentum, cujus miniſter non eſt procurator, ſed ipſi contrahentes. ibid. n. 9. matrimonium ſine conſenſu contractum quomodo revalidetur. 252. n. 19. matrimonium contractum conſenſu conditionato de futuro adimpleta conditione ad hoc ut ſit ſacramentum, requirit novum conſenſum. 264. n. 10. ad validitatem matrimonii non ſufficit fictus conſenſus. 271. n. 4. cum ficto conſenſu in facie eccleſiæ celebratum præſumitur legitimum. ibid. n. 5. ad fictè matrimonium revalidandum requiritur in utroque verus conſenſus. 274. n. 10. Matrimonium clandeſtinum quod. 275. n. 1. poteſt ab Eccleſia indirectè & directè irritari. 276. n. 3. & 4. matrimonia ante Concilium Tridentinum quamvis clandeſtinè inita, non fuerunt invalida. ibid. n. 5. matrimonium clandeſtinum ut contractus eſt irritum tam directè quàm indirectè. 277. n. 6. ut ſacramentum eſt irritum indirectè. 278. n. 8. matrimonium clandeſtinum quarum perſonarum ſit validum in locis ubi Tridentinum non eſt receptum. 282. n. 2. & 3. & quarum perſonarum non. ibid. n. 4. eſt invalidum contractum in locis ubi Tridentinum non obligat, ab incolis locorum, in quibus obligat. 283. n. 6. matrimonium hæreticorum clandeſtinum in urbibus mixtæ Religionis, in quibus Tridentinum eſt promulgatum, eſt invalidum. ibid. n. 7. matrimonium contractum cum impedimento dirimente eſt invalidum. 288. n. 2. poteſt interdici à Papa, ab ejus legato, & Epiſcopo. 290. n. 2. à Parocho in ſua parochia. 291. n. 5. tempore cenſuræ, interdicti, poteſt licitè & validè contrahi matrimonium. ibid. n. 6. invalidum eſt matrimonium, ſi interdictum eſt connexum cum decreto irritante. 292. n. 9. eſt juris naturalis & Divini permiſſivi & ſubordinati. 294. n. 12. matrimonia in ſecundo gradu conſanguinitatis non probibentur jure divino ſed eccleſiaſtico. 316. n. 11. ex rato non oritur affinitas, ſed publica honeſtas. 317. n. 13. in linea recta aſcendentium & deſcendentium ſunt irrita in infinitum jure naturæ. 317. n. 15. eodem jure ſunt irrita in primo conſanguinitatis gradu lineæ tranſverſæ. 319. n. 19. hoc jure non ſunt irrita etiam in primo gradu affinitatis. 320. n. 21. eſt validum in articulo mortis initum. 329. n. 28. matrimonium clandeſtinum non habet vim ſponſaliorum. 338. n. 3. qualem libertatem ad valorem requirat. 255. n. 7. quas conditiones matrimonium admittat. 261. n. 1. & 2. conditiones intrinſecæ non reddunt matrimonium conditionale. 262. n. 4. conditio neceſſaria credita contingens ſuſpendit. ibid. n. 5. conditio poſſibilis & honeſta quando ſuſpendat. 263. n. 7. in quo foro attendatur conditio impoſſibilis & turpis. 266. n. 1. conditio impoſſibilis & turpis ut habeatur pro non adjecta quænam requirantur. ibid. n. 2. conditiones matrimonio dupliciter poſſunt apponi 267. n. 3. quænam turpis invalidet illud. 268. n. 5.

Metus.

Metus gehennæ & ſuppliciorum ſufficit pro diſpoſitione ad juſtificationem. 30. n. 10. in hoc metu tria intercurrunt. 31. n. 10. ex metu dolens tripliciter ſe poteſt habere. ibid. n. 11. ex metu agens quando invito animo agit? 32. n. 11.

Metus diverſus. 253. n. 2. ex qua parte ſe

tenere

tenere debeat. 254. n.4. metus reverentialis quando irritet. ibid. n. 5. qualiter incuſſus. 257. n. 11. quo jure irritet. 259. n.17.

Miſſa.

Miſſæ officium in Eccleſia Romana in qua lingua dici debeat? 215. n. 18.

Morbus.

Superveoiente morbo licitè petitur & reddítur debitum. 329. n. 29.

Moribundus.

Quid moribundo faciendum, ſi tantùm adeſſet ſacerdos mutus? 110. quando abſolvendus? 139. n, 18. & 19. eſt abſolvendus ſub conditione, quando tantùm conſtat eum eſſe Chriſtianum. 140. n. 21.

Mors.

In articulo mortis non obligatur quis ad contritionem cum ſacramento, ſed ſufficit attritio. 75. n. 16. quomodo poſt mortem remittantur venialia. 96. n. 18. in mortis articulo poſſunt abſolvi omnia peccata etiam reſervata. 143. n. 27.

Motivum.

Motiva irritationis matrimonii clandeſtini aſſignantur. 275. n. 2, graduum conſanguinitatis. 316. n. 11.

Mundus.

Mundus totus in extremo judicio igne eſt purgandus. 177. n. 18. ſigna aliqua finem mundi præcedentia. ibid.

Mutus.

Muti obligantur ad confeſſionem. 128. n. 16.

N.

Neceſſarium.

Neceſſarium neceſſitate medii aut præcepti quid? 59. n. 1.

Nectarius.

Nectarius quomodo in abrogatione confeſſionis intelligendus? 125. n. 8.

Novatores.

Novatores dixerunt ordinem activè ſumptum non eſſe Sacramentum in Eccleſia à Chriſto inſtitutum. 187. n. 1.

O.

Objectum.

Objectorum pluralitas eſt confitenda. 143. n. 29.

Oblationes.

Oblationes verbales tum antecedentes tum conſequentes conſecrationem an ſint de eſſentia vel integritate ſacrificii miſſæ. 192. n. 6.

Obligare.

Obligari poteſt quis alteri de futuro matrimonio non obligata altera parte. 339.

Obreptio.

Obreptio eſt, quando falſum pro vero allegatur. 335. n. 3.

Odium.

Ad odium contritionis non requiritur, ut ſit intenſius, quàm quodvis aliud odium de alio malo. 44. n. 4.

Offerentes.

Offerentes in ordine ad ſacrificium quot? 202. n. 2.

Opus.

Opera ſatisfactoria quomodo pœnalia, debent eſſe libera, & tria recenſentur. 155. n. 2.

Opera aliàs debita poſſunt imponi pro ſatisfactione. 156. n. 3. quotuplex peccatum ſi hæc omittantur. ibidem.

Ordo.

Ordo ſecundum nominis Etymologiam, & prout eſt Sacramentum quid? quotuplex ut ſic ſumptus? & ſumptus pro ordine Miniſtrorum Eccleſiæ? 187. n. 1. & 2. quot ſint ordines. 188. n. 3. qualis effectus Ordinum. 189. n. 8. quorum omnes tum partiales tum totales pro ſuo effectu conferunt novum caracterem. ibidem. quis ſit Miniſter Ordinum. 187. n. 2. quotuplex ordinis poteſtas circa Euchariſtiam. 188. n. 3.

Ordo ſacer eſt impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, quod tamen limitatur tripliciter. 305. n. 2. Ordinibus majoribus ab exordio Eccleſiæ, fuit annexus Cœlibatus. ibidem. Ordini ſacro eſt annexa continentia ſolo jure Eccleſiaſtico, 307. n. 6. dirimit matrimonium ſolo jure Eccleſiaſtico. 310. n. 16. habet annexum votum ſolemne. ibidem.

Ordines ſacros ſuſcipiens licèt invincibiliter ignorans votum annexum tenetur ſervare caſtitatem. 311. n. 17.

Ordo ſacer tantùm ex jure Eccleſiaſtico repugnat defacto matrimonio. 238. n. 15.

P.

Parens.

Parens baptizans propriam prolem ſine neceſſitate contrahit cognationem ſpiritualem, ſecus in neceſſitate. 314. n. 5.

Parentes filios vendere poſſunt in ſervitutem ob neceſſitatem. 246. n. 3. quomodo filiorum matrimonia poſſint impedire & in quibus caſibus. ibidem & n. 4.

Parochus.

Parochus non eſt miniſter Sacramenti matrimonii, ſed ipſi contrahentes. 232. n. 9. Probabilius eſt, debere Parochum aſſiſtere, dum in matrimonio ſub conditione inito expletur conditio. 265. n. 12. Præſentia Parochi debet eſſe proprii. 279. n. 1. moralis & humana licèt invita. 280. n. 7. quinam nomine proprii Parochi comprehendantur. ibidem n. 2.

Parochus non ſacerdos poteſt aſſiſtere matrimonio. ibidem n. 3. non ſacerdos non poteſt aſſiſtere matrimonio loco parochi. 280. n. 4.

Parochus excommunicatus &c. poteſt aſſiſtere matrimonio. ibid. n. 5. communi errore putatus. ibid. n. 6. proprius unius contrahentis ſive intra ſive extra Parochiam. ibidem. n. 8. & 9. ad valorem matrimonii ſufficit aſſiſtentia alterius ſacer-

dotis

dotis cum licentia generali, imò tacita & ratihabitione de præſenti proprii parochi. 281. n. 15.

Parochus proprius poteſt aſſiſtere matrimoniis hæreticorum abſque peccato. 283. poteſt ex rationabili cauſa in ſua parochia interdicere matrimonium. 291. n. 5.

Paulus.

S. Paulus Apoſtolus quomodo intelligendus ſit, dum matrimonium magnum Sacramentum appellat. 218. n. 7.

Peccator.

Peccator contritionem eliciens poteſt ſe habere in duplici ſtatu. 55. n. 2.

Peccatori obſtinatiſſimo eſt poſſibilis pœnitentia. 69. n. 6. ac ei, qui in actuali peccato occideretur. 70. n. 7.

Peccator inveteratus qualem potentiam ad abſtinendum à peccato habeat. ibid. n. 9.

Peccatum.

Peccatum veniale proprium eſt magis deteſtabile, quàm mortale alienum. 45. n. 6. ac etiam tum veniale tum mortale perſonale quàm originale. ibid. n. 7. gravius debet virtualiter magis deteſtari, quàm minùs grave. 46. n. 8. habens plura peccata poteſt per unum actum contritionis verè conteri. 46. n. 9. non requiritur ad perfectam contritionem recogitatio ſingulorum peccatorum in particulari. 49. n. 15. Peccata venialia ſunt duplicia. 56. n. 4. peccatum habituale conſiſtit in reatu paſſivo. 82. n. 2. mortale unum poteſt à Deo remitti ſine alio tum per infuſionem gratiæ, tum ſine ea. 82. n. 3. & ſeqq. mortalia poſſunt remitti ſine venialibus. 91. n. 1. quomodo veniale deleatur in homine juſto extra Sacramentum. 91. n. 4. quomodo in peccatore. 93. n. 8. quomodo poſt mortem. 96. n. 18. peccata mortalia ſunt materia neceſſaria, venialia verò ſufficiens. 104. n. 5. etiam peccata remiſſa ſunt licita & ſufficiens materia confeſſionis. 105. n. 10. habens ſolùm peccata venialia non tenetur ad annuam confeſſionem. 131. n. 27.

Perfectio.

Perfectio contritionis non deſumitur ex ratione individuali, ſed etiam ſpecifica.

Pœna.

Pœna deletur omnis æterna, non tamen tota temporalis per veram pœnitentiam. 85. n. 8. & ſeqq. poteſt tota temporalis deleri, ibid. n. 12. æterna & temporalis ſunt diverſæ rationis. 88. n. 19. in iterata confeſſione non dimittitur temporalis pœna remanens. 107. n. 15. ad minorem poteſt ligari pœnitens. 115. n. 8. quantum de pœna temporali remittatur per Sacramentum pœnitentiæ. 117. n. 12. pœnam condignam peccatis hujus vitæ quomodo Deus intendat? 118. n. 14. pœnæ hujus vitæ quomodo comparabiles cum pœnis purgatorii. 156. n. 10.

Pœna conventionalis eſt in foro conſcientiæ debita. 341. n. 13.

Pœnitens.

Pœnitens qui non obtinuerat veniam 86. n. 13. actus pœnitentis ſunt partes eſſentiales ſacramenti pœnitentiæ. 99. n. 6. qualem debeat habere dolorem in confeſſione. 119. n. 16. & 121. pœnitens tenetur anticipare tempus confeſſionis. 133. n. 33. pœnitens in genere ſe accuſans, & nullum in ſpecie potens addere peccatum eſt abſolvendus. 139. n. 17. non licet pœnitenti dare licentiam ad ſigillum aperiendum, ut tamen licitè fiat, quid faciendum? 146. n. 10.

Pœnitentiam impoſitam non tenetur in ſtatu gratiæ peragere. 156. n. 4. tenetur ſub culpa gravi impoſitam & acceptatam implere. ibid. n. 6. poteſt impoſitam non acceptare. ibid. n. 7. tenetur per ſe ipſum impoſitam adimplere. 162. n. 33.

Pœnitentia.

Pœnitentia ut virtus quatuor modis juxta Scotum exercetur. 1. n. 2. eſt propriè virtus. 2. n. 3. ſæpe ſolùm naturalis & infructuoſa. 2. n. 4. pœnitentia Catholicè ſumpta quid? 2. n. 5. quando virtus communis. 3. n. 7. quando juſtitia & patientia. 4. n. 8. non coincidit cum virtute Religionis. 4. n. 9. nec cum virtute amicitiæ vel pacis cum Deo. 4. n. 10. eſt quædam virtus ſpecialis à cæteris diſtincta non verò univerſalis incluſa in omnibus. 5. n. 11. reducitur ad virtutem juſtitiæ & quidem vindicativæ. 6. n. 13 cujus objectum materiale eſt omne malum. 12. n. 15. Objectum formale non eſt compenſatio. 9. n. 7. nec reconciliatio aut amicitia cum Deo 10. n. 8. neque reparatio juris divini. ibid. n. 7. benè tamen vindicabilitas peccati. 13. n. 20. pœnitentia non eſt virtus Theologica. 16. n. 5. nec eſt virtus per ſe infuſa, ſed moralis acquiſita. ibid. n. 7. pœnitentia quotuplex. 27. n. 1. item. 60. n. 3. in omni lege fuit neceſſaria. 60. n. 4. quæ fuit in lege naturæ & Moyſis conſiſtebat in perfecta contritione. ibid. n. 5. eſt neceſſaria neceſſitate medii, præcepti divini, poſitivi, imo & naturalis. 61. n. 8. licet regulariter requiratur formalis, poteſt tamen aliquando ſufficere virtualis. 65. n. 15. quando teneamur ad pœnitentiam. 73. n. 12. perfecta pœnitentia delet omnia peccata, ac reatum pœnæ æternæ cum culpa, non tamen totam pœnam temporalem. 85. n. 8.

Pœnitentia ut ſacramentum quid exiſtentia ejus. 98. n. 3. definitio. ibid. n. 4. quando unum per ſe, & quando unum per accidens. 99. n. 5. quæ partes eſſentiales. ibid. n. 6. quid importet in recto, quid in obliquo. 102. n. 14. quæ materia remota. 104. n. 4. quæ neceſſaria quæ ſufficiens. 104. n. 5. quæ proxima. 105. n. 6. quantum de pœna temporali remittatur per ſacramentum pœnitentiæ. 117. n. 12. non poteſt dari validum & informe 120. n. 20. nec reſpectu venialium. 122. n. 21. ſacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum non ſolùm in favorem pœnitentis, ſed etiam in favorem honoris Dei. 124. n. 4.

Polygamia.

Polygamia eſt prohibita in lege Euangelica, imo & in prima mundi inſtitutione. 322. n. 3. plurium virorum reſpectu unius mulieris jure naturali 323. n. 7. plurium uxorum reſpectu unius viri fuit olim conceſſa per ſingularem Dei diſpen-

 ſatio-

ſationem. 324. n. 8. eſt contra jus naturæ non ſtrictè ſed latè ſumptum. 325. n. 16. in polygamia eſt perfecta commutatio corporum ſufficiens ad eſſentiam matrimonii. 326. n. 18.

Pontifex.

Pontificis diſſimulatio non approbat matrimonia invalida. 283. n. 8. poteſt interdicere matrimonium in toto orbe, imo & irritare. 290. n. 2. poteſt diſpenſare in voto ſolemni. 309. n. 12. nunquam diſpenſavit in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſverſæ. 319. n. 19. poteſt irritare matrimonium fidelis cum infideli. 325. n. 15. poteſt diſpenſare in impedimentis, & in quibus. 334. n. 1. & 2.

Pontifex non poteſt diſpenſando ſolvere legitima matrimonia infidelium, bene tamen rata hæreticorum. 236. n. 6. pontifex tenetur ad annuam confeſſionem directivè non coactivè 131. n. 27. quomodo ſe ſubjiciat confeſſioni. 154. n. 10.

Poteſtas.

Poteſtas duplex exercetur in abſolutione. 114. n. 2. coërcitiva quid? & non requiritur in ſacerdote quovis. 152. n. 4. qualis conferatur in ordinatione. 153. n. 3. poteſtas juriſdictionis eſt diſtincta à poteſtate ordinis. ibid. n. 4.

Præſentia.

Præſentia in aſſiſtentia matrimonii debet eſſe moralis & humana. 280. n. 7. non phyſica & localis. ibid.

Potentia.

De potentia Dei abſoluta actus pœnitentiæ poſſunt formaliter delere peccata. 78. n. 5. remittere unum mortale ſine alio tum per infuſionem gratiæ tum ſine ea. 82. n. 3. & ſeqq.

Præceptum.

Præceptum divinum aſſignatur, quod contritio debeat eſſe ſuper omnia mala præſertim pœnæ æternæ. 48. n. 14. ad quod præceptum decalogi reducatur obligatio pœnitentiæ. 65. n. 14. Præceptum pœnitentiæ quando obliget. 68. n. 3. & 69. n. 4. quando difficulter adimplendum. 70. n. 8. non obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum. 71. n. 10. præceptum annuæ confeſſionis eſt diſtinctum à præcepto communionis. 130. n. 23. huic non ſatisfit per invalidam confeſſionem. ibid. n. 25. qui teneantur hoc præcepto. 131. n. 27. non obligat pro determinata parte anni. 132. n. 29. qui hoc præceptum non poteſt implere non tenetur ad contritionem. 134. n. 35. præceptum annuæ confeſſionis eſt formaliter affirmativum, virtualiter negativum. 133. n. 32.

Principes.

Principes dum hæreticam matrimonio ſubjungere volunt, tenentur à Papa diſpenſationem impetrare. 227. n. 2.

Procurator.

Procurator contrahens nomine alterius, quales debeat habere conditiones. 242. n. 1. debet obſervare voluntatem mandantis exactè. 243. n. 3. non eſt neceſſe, ut eidem detur commiſſio coram parocho & teſtibus. ibid. n. 4.

Promiſſio.

Promiſſio ad ſponſalia requiſita debet eſſe libera. 337. n. 2. poteſt quis alteri de futuro matrimonio ſimplici promiſſione obligari, non obligata altera parte. 339. n. 6.

Propoſitum.

Propoſitum requiritur ad pœnitentiam. 55. n. 1. hoc de venialibus non eſt impoſſibile. 56. n. 4. ad veram pœnitentiam per ſe eſt neceſſarium formale & explicitum. 56. n. 6. per accidens ſufficit virtuale & implicitum. ibid. non requiritur conditionatum. 57. n. 7.

Puber.

Puber quando talis dicatur. 344. n. 2. inter puperes contracta ſponſalia mutuo conſenſu diſſolvi poſſunt, etſi eſſent juramento firmata. ibid. n. 3.

Pubertas.

Pubertatem attingens debet intra triduum contra ſponſalia reclamare. 344. n. 2.

Publicitas.

Publicitas non eſt differentia inter votum ſolemne & ſimplex. 306. n. 3.

Puer.

Pueri uſum rationis habentes tenentur ad annuam confeſſionem etiam ante annum duodecimum. 131. n. 27.

Purgatorium.

Poteſt pœnitentia non acceptari & differri uſque ad purgatorium. 158. n. 13. In purgatorio quæ pœna ſatisfactio & quæ ſatispaſſio. 159. n. 18.

Q.

Qualitas.

Qualitas licèt nunquam fiat ſubſtantia fit tamen quid ſuſtantiale. 302. n. 16. eſt quid intrinſecè requiſitum. 303. n. 16. eſt res neceſſaria. ibidem. n. 17.

Queſnellus.

Queſnelli ſententia damnata à Clemente XI. per bullam *Unigenitus*: dicentis in quacunque lingua fieri poſſe officium Miſſæ 215. n. 18. item ejuſdem errores damnati de attritione ex timore gehennæ. 28. n. 4.

R.

Raptor.

Raptorum pœnæ recenſentur & quando incurrantur. 331. n. 4. item 333. n. 8.

Raptus.

Raptus dupliciter conſideratur, ut dirimens quid? & quando committatur. 331. n. 3. debet fuiſſe factus contrahendi matrimonii causâ cum rapta. 333. n. 8. eſt etiam dirimens ſi fœmina rapiat virum. ibid. n. 9. eſt dirimens etiamſi rapta conſentiat. ibid. n. 10.

Recon-

Reconciliatio.

Reconciliationem adæquatam cum Deo debet confitens intendere. 119. n. 17.

Religio.

Religionem ingrediens non amittit arrhas. 342. n. 2. poteſt quis etiam poſt jurata ſponſalia religionem ingredi. 348. n. 18.

Religioſi.

Præceptum pœnitentiæ non ſtatim obligat Religioſos poſt commiſſum peccatum. 71. n. 10.

Remiſſio.

Remiſſionem peccatorum venialium meretur homo de condigno. 81. n. 12. in via generationis remiſſio culpæ eſt prior infuſione gratiæ, ſecus in via intentionis. 82. n. 15.

Reſervata peccata.

A reſervatis non poteſt ſuperior abſolvere, & quoad reliqua mittere ad inferiorem. 143. n. 30. ſi tamen mitteretur non tenetur confiteri peccata reſervata dimiſſa. ibid. n. 31. Confeſſarius inferior poteſt indirectè abſolvere à reſervatis. 145. n. 39.

Rudis.

Rudes ad quale examen ſint obligandi. 138. n. 16.

S.

Sacerdos.

Sacerdos quotupliciter conſideretur? 189. quænam ſint de eſſentia ordinationis ſacerdotalis, & quotuplicem acquirat poteſtatem per ſacerdotium. ibid. n. 6. qualem ſacerdos habeat authoritatem applicandi miſſam? 208. n. 1. quotuplex oratio in miſſa applicari poſſit & qualem ſervare debeat ordinem? ibid. an liceat ſacerdoti fructum ſacrificii ex opere operato provenientem ante vel poſt conſecrationem alicui applicare. 209. n. 3. Sacerdotem pro unico ſacrificio ſuſcipere plura ſtipendia eſt merito damnatum ab Alexandro VII. & approbatum ab Urbano VIII. 203. n. 6.

Sacerdos nunquam poteſt validè applicare ſacrificium Miſſæ ſub conditione de futuro. 204. n. 4. non obſtante illiceitate poteſt tamen validè contra præceptum & applicationem Superioris applicare Miſſam. 210. n. 5. & 212. n. 12. & quomodo ac pro quibus licitè & validè ſacrificium offerre poſſit. 210. n. 6. & 211. n. 7. & 8.

Sacerdos per Sacramentum pœnitentiæ non abſolvit declarando peccata eſſe à Deo remiſſa. 115. n. 3. verè abſolvit à peccatis quoad culpam. ibid. n. 10. abſolvit à pœna æterna & temporali. ibid. n. 4. & 5. non tamen ab obligatione confitendi. ibid. n. 6. quomodo remittat peccata. 116. n. 11. quæ imponenda ſatisfactio. 118. n. 14. pluribus ſimul præſentibus ſacerdotibus non eſt neceſſariò confitendum. 129. n. 19. Sacerdos ſolus eſt Miniſter Sacramenti pœnitentiæ. 152. n. 1. duplex datur in quovis ſacerdote poteſtas. 152. n. 2. qualem poteſtatem accipiat in ordinatione. 153. n. 3. quivis ſacerdos poteſt in dubio & probabili periculo mortis abſolvere. ibid. n. 5. hoc tamen non poteſt facere præſente Parocho, aut alio Confeſſario. ibid. n. 6. bene tamen præ excommunicato. ibidem. Sacerdos quomodo Judex arbitrarius. 154. n. 10. Sacerdos debet obligare ad pœnam in purgatorio luendam.

Sacramentalia.

Sacramentalia ſunt remiſſiva venialium & quomodo. 94. n. 10. & ſeqq.

Sacramentum.

Sacramenta in voto non conferunt gratiam ex opere operato. 58. n. 10. extra Sacramentum eſt ad ſalutem neceſſaria contritio. 61. n. 6. cum Sacramento ſufficit attritio. ibid. n. 7. cauſant gratiam moraliter non phyſicè. 77. n. 3. per Sacramenta remittuntur venialia. 91. n. 2. item 94. n. 10. & ſeqq. in quo conſiſtat eorum efficacia. 114. n. 1. aliud eſt Sacramentum validum & informe. 119. n. 15. quomodo Sacramenta debeant compleri in via. 159. n. 16.

Sacrificium.

Sacrificium quid? 190. n. 5. quot ſint actiones perficientes ſacrificium Miſſæ? 192. n. 7. & in quali actione eſſentialiter conſiſtat? 190. n. 3. quomodo ſancti Patres explicantes ſacrificium Miſſæ per ſolam conſecrationem ſint exponendi. 199. n. 13. verum & proprium ſacrificium offertur à ſacerdote in Miſſa. 191. n. 4. & ideo ejus res principaliter & propriè immolata eſt Chriſtus, minùs principaliter verò offeruntur panis & vinum & ſpecies conſecrationis. ibid. n. 5. an ſacrificium conſideratum ex vi ſuæ inſtitutionis, & quantum eſt repræſentativum ſacrificii cruenti debeat ſub utraque ſpecie conſecrari. 198. n. 28. in quonam eſſentia Miſſæ differat ab eſſentia Sacramenti Eucharistiæ? 200. n. 31. quotuplicem ſacrificium Miſſæ retineat valorem 201. n. 1. quomodo ſacrificii valor ſit infinitus. 202. n. 4. & 203. n. 5. quinam ſint effectus ſacrificii. 209. n. 2. & quibus ſacrificium proſit. ibid. & ad quos ejus valor comparari poſſit. 202. n. 2. quotuplex ejus valor ex opere operato. ibid. n. 2. & qui ſacrificio Miſſæ licitè intereſſe poſſint? 215. n. 19.

Sacrilegium.

Sacrilegium committit fictè contrahens matrimonium. 271. n. 3.

Salus.

Ad ſalutem conſequendam extra Sacramentum neceſſaria eſt contritio cum voto Sacramenti. 61. n. 6. ad hanc ſufficit attritio cum Sacramento. ibid. n. 7.

Satisfactio.

Satisfactio in voto eſt pars eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ. 99. n. 6. in re eſt integralis 100. n. 10. & ſuo modo materia proxima. 105. n. 6. per ſatisfactionem ſacramentalem confertur remiſſio pœnæ temporalis ex opere operato. 115. n. 7. minor poteſt imponi ob valdè bonas diſpoſitiones pœnitentis. ibid. n. 8. non quæcunque modica remittit totam pœnam purgatorii. ibid. n. 9. regula injungendæ ſatisfactionis. 118. n. 14. quomodo ſumantur. 155. n. 1. opera ſatis-

ſactoria 3. recenſentur 155. n. 2. poſſunt imponi aliàs debita. 156. n. 3. non requiritur ut ſatisfactio peragatur in ſtatu gratiæ. 156. n. 4. ſatisfactio vitiata quomodo valida? ibidem. n. 5. poteſt impoſita non acceptari? ibid. n. 6. ſatisfactio in ſtatu peccati mortalis adimpleta remittit pœnam. 157. n. 8. ſatisfactio reipſa exhibita cauſat primario remiſſionem pœnæ. 158. n. 11. poteſt non acceptari & differri uſque ad purgatorium. 158. n. 13. poteſt imponi per modum conſilii. 160. n. 24. ſatisfactio impoſita quomodo poſſit & quomodo non poſſit commutari. 161. n. 26. ſatisfactio conveniens ab uno confeſſario impoſita non poteſt ab alio confeſſario mutari. 161. n. 29. ſatisfactio dubie æqualis quando immutatur debent peccata denuo audiri & abſolvi. 161. n. 13. ſatisfactio injuncta debet impleri per ipſum pœnitentem. 162. per indulgentias non tollitur obligatio implendi ſatisſactionem ſacramentalem. 163. n. 36.

Satiſpaſſio.

Per ſatiſpaſſionem poſt mortem remittuntur venialia. 96. n. 18.

Scientia.

Quando & quomodo liceat uti ſcientiâ ex confeſſione habita. 149. n. 20. & ſeqq.

Scriptura.

Scripturâ non perficitur forma ſacramenti pœnitentiæ. 110. n. 2.

Secretum.

Secretum quomodo ſumendum. 135. n. 2. ſecreta confeſſio eſt à Chriſto inſtituta. 135. n. 3.

Servus.

Servi proprii & improprii, qui utrique 299. ſervus poteſt contra voluntatem domini contrahere cum ſerva. ibid. n. 7.

Servitus.

Servitus non abſolutè repugnat bonis matrimonii, ſed ſecundùm quid. 304. n. 19.

Sexus.

Sexûs mutatio diſſolvit matrimonium. 330. n. 31.

Sigillum.

Sigillum quid? & cum quali rigore obliget. 146. n. 1. eſt extendendum non tantùm ad validam, ſed etiam invalidam confeſſionem ad Laicum ſe fingentem ſacerdotem. ibidem. n. 2. duo ad violationem ſigilli ſunt neceſſaria. ibidem. tria ſub ſigillo cadunt. ibid. n. 3. in fractione ſigilli non admittitur parvitas materiæ. ibidem. non ſolùm ſacerdos, ſed etiam quicunque alius, qui peccatum ex confeſſione cognovit, tenetur ad ſigillum. 147. n. 4. obligatio ſigilli oritur ex jure naturali, divino, & humano. 146. n. 6. per fractionem ſigilli quæ præcepta violentur? ibidem. fractio ſigilli quale peccatum. ibidem. n. 8.

Simulator.

Simulatori prioris matrimonii quid faciendum? 272.

Solemnitas.

Solemnitas duplex præſcribitur. 275. n. 1. ſolemnitas voti unde deſumatur. 306. n. 5.

Spiritus Sanctus.

Peccata in ſpiritum ſanctum difficulter remittuntur 86. n. 13.

Sponſa.

Sponſa per vim à ſponſo oppreſſa ante bimeſtre non poteſt receptum ſemen expellere. 236. n. 8. ſi vi vel metu gravi ante bimeſtre à ſponſo fuit cognita, probabile videtur poſſe ingredi religionem. 239. n. 20. per accidens tamen impediri poteſt ratione damni prolis. ibid.

Sponſalia.

Sponſalia quomodo ſumenda. 337. conditionata non tranſeunt per copulam clandeſtinam in abſoluta, nec abſoluta in matrimonium. 338. n. 3. non ſufficit mera acceptatio promiſſionis ſed requiritur ut coram teſtibus contrahantur. ibid. n. 5. poteſt apponi pœna. 340. n. 11. obligant in conſcientia ſub mortali. 342. n. 3. quomodo ſine præfixo termino inita obligent? 342. n. 4. obligant in foro externo. 343. Solvuntur rationabili de cauſa quæ aſſignantur. 343. n. 1. etiam juramento firmata. 344. n. 4. & 345. n. 6. conditionata non diſſolvuntur per poſteriora abſoluta. 345. n. 6. qualiter per fornicationem diſſolvantur. 345. n. 7. diſſolvuntur ob ſupervenientia impedimenta dirimentia. 345. n. 8. cauſæ ob quas diſſolvi poſſunt, recenſentur. 346. n. 9. obligatio ſponſalium per ſubſequens matrimonium cum alia contractum non extinguitur ſed ſuſpenditur. 346. n. 10. ſponſalia priora non diſſolvuntur per poſteriora ſimplicia. 346. n. 14. nec jurata, ibidem. n. 15. nec concomitata. ibid. n. 15. quomodo ſolvantur per ingreſſum religionis. 349. n. 20. ſunt nulla facta ab adſtricto voto caſtitatis &c. imò irritantur per ſequens votum. 350. n. 24. ſponſalibus ſemper ineſt hæc tacita conditio, niſi ſtatum perfectiorem elegero. 350. n. 26.

Sponſus.

Sponſi ſunt à Confeſſariis compellendi ad ſervandam datam fidem. 342. n. 3. poſſunt à judice competente in foro externo compelli. 343. n. 5. hoc tamen non eſt faciendum, ſi mala & incommoda præponderarent. 343. n. 6. poteſt poſt ſponſalia etiam jurata religionem ingredi. 348. n. 18. ſponſus ſi inter primum bimeſtre cogeret ſponſam ad copulam, peccaret mortaliter maximè ſi ſponſa affirmâſſet Religionem ingredi. 236. n. 7.

Statim.

Ly Statim quomodo ſumendum? 68. n. 2.

Sterilitas.

Sterilitas non eſt impedimentum. 323. n. 5.

Supernaturale.

Supernaturale quomodo Scoto explicetur. 23. n. 2.

Suſpicio.

Suſpicio probabilis metus irritat matrimonium. 254. n. 3.

T.

T.

Tempus.

Tempus certum conceditur ad experiendum, an impotentia ſit perpetua, nec ne? 324. n. 9.

Teſticulus.

Teſticuli utriusque carentia eſt impotentia dirimens. 324. n. 10.

Teſtis.

Teſtes aſſiſtentes matrimonio, qui eſſe poſſint. 281. n. 13. non ſunt neceſſarii ad contractum ſponſalitium. 338. n. 5.

Thomas.

Thomas Cantuarienſis qualem abſolutionem à ſede Apoſtolica petierit. 114. n. 11.

Timor.

Timor non ſolùm filialis, ſed etiam ſervilis, eſt honeſtus. 28. n. 4.

Tradere.

Res uni tradita, poteſt tradi alteri diverſo Traditionis genere. 310. n. 13.

Tridentinum.

Tridentinum diſtinguens actum conſecrandi & offerendi, quomodo explicandum? 196. n. 21.

Truſſatica quæſtio.

Truſſatica Quæſtio in ſenſu Scoti quid? 323. n. 5.

Turpitudo.

Turpitudo quæcunque moralis ſufficit, ut ſit motivum attritionis Chriſtianæ. 29. n. 7. Turpitudo quæ Philoſphica, quæ Theologica. 30. n. 8.

V.

Verbum.

Verbis certis voce formatis perficitur forma ſacramenti pœnitentiæ. 110. n. 2. item per verba æquivalentia. 111. n. 3. verba ſponſalia ſignificantia numerantur. 342. n. 1.

Vicarius Generalis

Vicarius generalis non habet poteſtatem diſpenſandi in impedimentis. 334. n. 2.

Vir.

Virorum pluralitas reſpectu unius mulieris eſt prohibita jure naturali. 323. n. 7. quando teneatur reddere debitum. 326. n. 18.

Virginitas.

Virginitas phyſica in quo conſiſtat? 339. n. 8.
Vinculum, Virtus. ut infra.

Unctio Extrema.

Unctio extrema vocatur ſacramenti pœnitentiæ complementum, eſt proprium novæ legis ſacramentum à Chriſto inſtitutum probabiliter poſt reſurrectionem, & quomodo definiatur. 163. n. 1. & 2. eſt promulgatum à S. Jacobo Apoſtolo. 165. materia proxima hujus Sacramenti eſt unctio, remota verò eſt oleum olivæ ab Epiſcopo benedictum. 166. & quamvis jure divino ſolus Epiſcopus de jure ordinario oleum benedicere poſſit, ex delegatione tamen ſummi Pontificis poſſet hæc poteſtas etiam ſimplici ſacerdoti committi 166. n. 14. forma hujus Sacramenti qualis? 167. n. 17. ritus hujus Sacramenti eſt, ut unctio fiat per modum crucis in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, renibus: quæ ultima in fæminis ob honeſtatem eſt omittenda, nec in ſacerdote partes interiores manuum ſunt injungendæ. 167. n. 19. ſimpliciter ad valorem hujus Sacramenti non eſt neceſſe, ut fiat duplex unctio in geminis partibus, nec ut fiat per modum crucis in oculis, auribus &c. nec im̃ediatè manu miniſtri. 167. n. 20. in caſu neceſſitatis unica ſufficeret unctio ſub una forma tantùm omnes corporis ſenſus exprimente. ibid. n. 21. hoc Sacramentum eſt unum unitate integritatis non indiviſibilitatis. 168. n. 23. durante eodem ſtatu morbi non poteſt hoc Sacramentum iterari. ibid. n. 24. tres potiſſimum hujus Sacramenti ſunt effectus. 168. n. 25. Primarius effectus eſt remiſſio finalis omnium venialium per ſe, mortalium verò non niſi per accidens. ibid. 26. Subjectum capax hujus Sacramenti eſt homo infirmus & peccator adultus, hoc eſt, quando ad uſum rationis pervenerit & peccaverit. 169. n. 28. licitè poteſt hoc Sacramentum conferri cuique adulto, qui aliquando uſum rationis habuit, etiamſi defacto nullum rationis indicium oſtendat, dummodo non conſtet eum in actuali peccato corruptum fuiſſe & non noluiſſe. ibid. n. 30. ſuſceptio hujus Sacramenti non cadit ſub obligatione gravi, ſed ſemper ſub Concilio. 170. n. 32. tempore peſtis, ſi infirmus non fuit confeſſus in infirmitate, aut veroſimiliter putetur eſſe in mortali, an teneatur Parochus adminiſtrare hoc Sacramentum extremæ unctionis. 170. n. 35.

Voluntas.

Voluntas poteſt ſibi aliquam pœnam inferre. 1. n. 5. in voluntatem divinam non in perfectionem pœnitentiæ refunditur remiſſio pœnæ temporalis. 86. n. 12. voluntati divinæ tribuenda remiſſio pœnæ æternæ 87. n. 16. Solemnitas voti non pendet ex voluntate voventis. 306. n. 4.

Votum.

Votum Sacramenti pœnitentiæ requiritur ad contritionem. 55. n. 1. in lege veteri ſive naturali ſive Moyſaica non fuit neceſſarium. 56. n. 5. in lege nova eſt neceſſarium & quidem per ſe formale & explicitum per accidens tamen ſufficit virtuale & implicitum. 58. n. 9. Vota quæ impediant matrimonium. 290. n. 3. qui cum Voto contraxit matrimonium licitè conſumant illud? ibid. habenti votum caſtitatis & religionis, quid liceat & ad quid teneatur. 291. n. 4. Voto caſtitatis adſtrictus non poteſt licitè petere debitum. 292. n. 7. nec votum caſtitatis præcedens extinguitur per ſubſequens matrimonium. ibid. n. 8. eſt aliquomodo compatibile cum matrimonio. ibid. votum ſive præcedens ſive ſubſequens ſponſalia cum aliquo notabili damno non obligat. 294. n. 14. & ſeqq. poteſt ſine diſpenſatione voti contrahere. 295. n. 16. imò tenetur contrahere. 295. n. 17. voto ca-

ſtitatis ligatus non poteſt licitè contrahere cum ſponſa igoara voti animo non conſummandi. 296. n. 18. votum ſolemne dirimit matrimonium. 304. n. 1. circa vota Societatis Jeſu aliqua notatu neceſſaria recenſentur. 304. n. 1. votum ſolemne non differt à ſimplici per hoc, quod ſolemne fiat publicè, ſimplex verò privatim, nec quod ſolemne traditionem, ſimplex verò promiſſionem importet. 306. n. 3. & 4. unde deſumatur ſolemnitas voti. 306. n. 5. item differentia voti ſolemnis & ſimplicis 307. n. 8. per votum ſimplex poteſt quis perfectè mori mundo. 308. n. 9. votum ſolemne ſolum jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium contrahendum ibidem. n. 11. quæ vota poſſint ab Epiſcopo diſpenſari. 333. n. 1. votum irritat ſponſalia 350. n. 24.

Uxor.

Pluralitas uxorum eſt prohibita tam in lege Evangelica, quam in prima mundi conſtitutione. 322. n. 3. ac etiam jure naturali ſecundario. 324. n. 8. non repugnat fini matrimonii. 325. n. 16.

Virtus.

Virtus Theologica & moralis quid? 15. n. 1. infuſa & acquiſita quid? ibid. n. 2. virtus Theologica reſpicit neceſſariò aliquam perfectionem Dei. ibid. n. 3. præter virtutes Theologicas non dantur aliæ virtutes morales per ſe infuſæ. 16. n. 4

Vinculum.

Vinculum perpetuæ obligationis conjugum ad invicem conſtituit eſſentiam matrimonii in facto eſſe. 216. n. 3. & 248. n. 12.

Errata Typi Tractatus Duodecimi corrige.

Fol. 67. col. 2. lin. 28. nam *lege* non.
Fol. 73. n. 12. lin 26. non *lege* nos.
Fol. 77. n. 2. linea. 20. pecor *lege* decor.
Fol. 78. col. 2. lin. 1. juſtificaremus. *lege* juſtificaremur.
Fol. 109. col. 2. lin. 53. eſt *lege* aſt.
Fol. 135. n. 6. lin. 5. reliquos *lege* reliquas.
Fol. 144. n. 34. lin. 7. quia, *lege*, qui.
Fol. 146. n. 2. lin. 4. poſt ly valida & perfecta, omiſſa ſunt ſequentia: Scilicet cum abſolutione, ſed etiam de inchoata & imperfecta facta tamen. &c.
Fol. 195. col. 2. lin. 35. Chriſtus *lege* Chriſti.
Fol. 198. col. 1. lin. 11. *Sacricium lege Sacrificium.*
Fol. 201. col. 2. lin. 23. operto *lege* operato.
Fol. 218. col. 1. lin. 23. contrahent *lege* contrahant.
Fol. 219. n. 10. lin. 33. revocata *lege* revocat à.
Fol. 220. col. 2. lin. 6. perficiente *lege* perficientes.
Fol. 221. n. 12. lin. 28. Conceſſum *lege* Conſenſum.
Fol. 226. col. 2. lin. 14. conficiendum *lege* ad conficuendum.
Fol. 229. col. 2. lin. 42. ſecundus *lege* ſecundas.
Fol. 230. col. 2. lin. penult. Sacramento *lege* Sacramentum.
Fol. 233. col. 1. lin. 23. ſive *lege* ſine.
Fol. 236. n. 8. lin. 34. carum *lege* carnem. item col. 2. lin. 47. Auctor *lege* Actor.
Fol. 253. col. 2. lin. 30. volentiæ *lege* violentiæ. ibidem lin. 41. impotunis *lege* importunis,
Fol. 266. col. 2. lin. 25. adjecto *lege* adjectio.
Fol. 271. col. 2. lin. 7. Chriſti *lege* Chriſto.
Fol. 308. n. 10. lin. 22. & *lege* ex.
Fol. 308. col. 2. lin. 5. dirimiſſet *lege* diremiſſet.
Fol. 336. col. 2. lin. 50. conſanguinitatis *lege* conſanguinitas.
Fol. 347. col. 2. lin. 7. requiritur *lege* acquiritur.

Plura alia Lectoris prudentia emendabit.